BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
11 K
12

IX.

45. g.

13-18.F.27

Digitized by Google

R. P. IOSEPHI

GIBALINI

E SOCIETATE IESV
THEOLOGI

SCIENTIÆ CANONICÆ, ET HIEROPOLITICÆ IN VNIVERSVM,

LIBER V. VI. & VII.

De Iuris Canonici, & Eccleſiaſtici origine, conſtitutione, diuerſis eius ſpeciebus, & obligatione.

TOMVS SECVNDVS.



LVGDVNI,
Sumptibus Laurentij Arnaud, & Petri Borde.

M. DC. LXX.

CVM APPROBAT. ET PRIVILEGIO.

Dom. Prof. Rom.

SERIES
CAPITVM, QVÆSTIONVM, ET ALIORVM TITVLORVM ſecundi huius Voluminis.

LIBER QVINTVS.
De iure Canonico, & Eccleſiaſtico, eiuſque origine, ac conſtitutione. pag. 1

CAPVT I. DE natura iuris Canonici, & Eccleſiaſtici. pag. 2
QVÆST. I. Quid, & quotuplex ſit ius Canonicum, ſiue Eccleſiaſticum. 2
II. De materia, & forma iuris Canonici. 3
III. Finis iuris Canonici, & Eccleſiaſtici. 4
IV. Differentia iuris Canonici, & Ciuilis. 5
CAP. II. De origine iuris Eccleſiaſtici, & poteſtate illud ſanciendi. 6
Q. I. Quænam, qualiſve ſit poteſtas condendi ius Eccleſiaſticum. ibid.
II. In quónam reſideat poteſtas ferendi leges Eccleſiaſticas. ibid.
CAP. III. De iure vniuerſali totam Eccleſiam obligante; quis illud condere poſſit. 7
Q. I. De Chriſto ſummo Legiſlatore. ibid.
II. An Beatus Petrus, & cæteri Apoſtoli leges vniuerſæ Eccleſiæ præſcripſerint. 8
Q. III. An Romanus Pontifex poſſit ius, & leges Eccleſiaſticas præſcribere. 23
§. I. Romanus Pontifex eſt Petri, & plenariæ eius poteſtatis ſucceſſor. ibid.
II. Solus Romanus Pontifex Petri ſucceſſor. 29
III. Rom. Pontifex poteſt condere ius Eccleſiaſt. ib.
IV. Poteſt Romanus Pontifex omnes fidei controuerſias definire. 30
V. Aſſertio probatur primò ex titulis, quibus Patres ornant Romanum Pontificem. ibid.
VI. Semper fidei controuerſiæ ad Romanum Pontificem delatæ ſunt. 33
VII. Pontifex Romanus hæreſes etiam abſque Concilio generali damnauit. 35
VIII. Communicatio fidei cum Romano Pontifice habita perpetuò, eſt certa nota Catholiciſmi. 39
IX. Subiectio Romani Pontificis iudicio, notam hæreſis diluit. 40
X. Obiectio ex cõparatione cum aliis Patriarchis. 41
XI. Errores Romanis Pontificibus falsò obiecti diluuntur. 42
XI. An à definitione Romani Pontificis in rebus fidei prouocare liceat. 58
XII. De obligatione aſſentiendi definitioni Pontificia in rebus fidei. 65
XIII. An Romanus Pontifex poſſit leges vniuerſæ Eccleſiæ præſcribere. 67
XIV. Senſus Eccleſiæ Gallicanæ, de Romani Pontificis poteſtate definiendi dogmata fidei, & condendi canones Eccleſiaſticos. 71
XV. Senſus Academiæ Pariſienſis circa poteſtatem Romani Pontificis in fidei controuerſiis, & diſciplina Eccleſiaſtica. 89
CAP. IV. An Concilia poſſint inſtituere ius Eccleſiaſticum. 103
Q. I. Quid & quotuplex ſit Concilium. ibid.
II. De Conciliorum generalium neceſſitate. 105
III. Quis Concilia generalia poſſit indicere. 106
IV. Quis Concilio generali præſidere debeat. 115
V. Quinã Synodo Oecumenicæ intereſſe debeãt. 124
VI. De auctoritate Synodi Oecumenicæ in definiendis dogmatibus, & conſtituenda diſciplina Eccleſiaſtica. 128
CAP. V. De Synodis non Oecumenicis, & earum in iure Canonico conſtituendo auctoritate. 140
Q. I. Notationes de diuiſione Eccleſiarum. ibid.
II. Conſectaria. 148
CONSECT. I. Comparatur notitia Eccleſiaſtica cum notitia vtriuſque Imperij. ibid.
II. Explicatur mens Canonis VI. Concilij Nicæni. 151
III. Vnde Archiepiſcopi, Metropolitæ, Primates, Exarchi, & Patriarchæ. 179
IV. Quædam Diœceſes ἀυτοκεφαλαί. 192
V. De Epiſcopo Conſtantinopolitano. 196
VI. Diuerſitas Synodorum non Oecumenicarum. 201
Q. III. De Synodis Patriarchalibus. 202
IV. De Synodis Diœceſanis regionalibus, & nationalibus. 204
V. De Synodis Prouincialibus. 205
VI. De Synodis Epiſcopalibus. 206
VII. Communia de Synodis. 207
VIII. De Synodis Gallicanis. 221
CAP. VI. De iure priuato, & proprio ſingularum Eccleſiarum. 231
Q. I. An ſit aliquod ius priuatum, ſiue proprium Eccleſiaſticum. 232
II. An Epiſcopus in ſua Parochia, ſiue Epiſcopatu, Metropolitanus in Prouincia, Exarchus in Diœceſi, & Patriarcha in Patriarchatu proprium ius Eccleſiaſticum ſancire poſſint, & quomodo? 233
III. An ſacra Collegia, & Sodalitates poſſint ſibi proprium ius conſtituere. 234
IV. An Parochus poſſit ius proprium, & leges in ſua Parochia condere. 236
CAP. VII. De Iure Regulari. 240
Q. I. Quid, & quale ſit ius regulare. ibid.
II. Quis poſſit condere ius regulare. 245
III. Materia iuris Regularis. 249
Explicatio propoſitionis. ibid.
IV. Obligatio iuris Regularis. 153
V. Conſectaria. ibid.

SERIES

CAPITVM, QVÆSTIONVM, ET ALIORVM TITVLORVM ſecundi huius Voluminis.

LIBER QVINTVS.

De iure Canonico, & Eccleſiaſtico, eiuſque origine, ac conſtitutione. pag. 1

Capvt I. De natura iuris Canonici, & Eccleſiaſtici. pag. 2

Qvæst. I. Quid, & quotuplex ſit ius Canonicum, ſiue Eccleſiaſticum. 2

II. De materia, & forma iuris Canonici. 3

III. Finis iuris Canonici, & Eccleſiaſtici. 4

IV. Differentia iuris Canonici, & Ciuilis. 5

Cap. II. De origine iuris Eccleſiaſtici, & poteſtate illud ſanciendi. 6

Q. I. Quanam, qualiſue ſit poteſtas condendi ius Eccleſiaſticum. ibid.

II. In quónam reſideat poteſtas ferendi leges Eccleſiaſticas. ibid.

Cap. III. De iure vniuerſali totam Eccleſiam obligante; quis illud condere poſſit. 7

Q. I. De Chriſto ſummo Legiſlatore. ibid.

II. An Beatus Petrus, & cæteri Apoſtoli leges vniuerſæ Eccleſiæ præſcripſerint. 8

Q. III. An Romanus Pontifex poſſit ius, & leges Eccleſiaſticas præſcribere. 23

§. I. Romanus Pontifex eſt Petri, & plenariæ eius poteſtatis ſucceſſor. ibid.

II. Solus Romanus Pontifex Petri ſucceſſor. 29

III. Rom. Pontifex poteſt condere ius Eccleſiaſt. ib.

IV. Poteſt Romanus Pontifex omnes fidei controuerſias definire. 30

V. Aſſertio probatur primò ex titulis, quibus Patres ornant Romanum Pontificem. ibid.

VI. Semper fidei controuerſiæ ad Romanum Pontificem delatæ ſunt. 33

VII. Pontifex Romanus hæreſes etiam abſque Concilio generali damnauit. 35

VIII. Communicatio fidei cum Romano Pontifice habita perpetuò, eſt certa nota Catholiciſmi. 39

IX. Subiectio Romani Pontificis iudicio, notam hæreſis diluit. 40

X. Obiectio ex cōparatione cum aliis Patriarchis. 41

XI. Errores Romanis Pontificibus falsò obiecti diluuntur. 42

XI. An à definitione Romani Pontificis in rebus fidei prouocare liceat. 58

XII. De obligatione aſſentiendi definitioni Pontificiæ in rebus fidei. 65

XIII. An Romanus Pontifex poſſit leges vniuerſæ Eccleſiæ præſcribere. 67

XIV. Senſus Eccleſiæ Gallicanæ, de Romani Pontificis poteſtate definiendi dogmata fidei, & condendi canones Eccleſiaſticos. 71

XV. Senſus Academiæ Pariſienſis circa poteſtatem Romani Pontificis in fidei controuerſiis, & diſciplina Eccleſiaſtca. 89

Cap. IV. An Concilia poſſint inſtituere ius Eccleſiaſticum. 103

Q. I. Quid & quotuplex ſit Concilium. ibid.

II. De Conciliorum generalium neceſſitate. 105

III. Quis Concilia generalia poſſit indicere. 106

IV. Quis Concilio generali præſidere debeat. 115

V. Quinā Synodo Oecumenicæ intereſſe debeāt. 124

VI. De auctoritate Synodi Oecumenicæ in definiendis dogmatibus, & conſtituenda diſciplina Eccleſiaſtica. 128

Cap. V. De Synodis non Oecumenicis, & earum in iure Canonico conſtituendo auctoritate. 140

Q. I. Notationes de diuiſione Eccleſiarum. ibid.

II. Conſectaria. 148

Consect. I. Comparatur notitia Eccleſiaſticæ cùm notitia vtriuſque Imperij. ibid.

II. Explicatur mens Canonis VI. Concilij Niceni. 151

III. Vnde Archiepiſcopi, Metropolitæ, Primates, Exarchi, & Patriarchæ. 179

IV. Quædam Diœceſes αὐτοκέφαλαι. 192

V. De Epiſcopo Conſtantinopolitano. 196

VI. Diuerſitas Synodorum non Oecumenicarum. 201

Q. III. De Synodis Patriarchalibus. 202

IV. De Synodis Diœceſanis regionalibus, & nationalibus. 204

V. De Synodis Prouincialibus. 205

VI. De Synodis Epiſcopalibus. 206

VII. Communia de Synodis. 207

VIII. De Synodis Gallicanis. 221

Cap. VI. De iure priuato, & proprio ſingularum Eccleſiarum. 231

Q. I. An ſit aliquod ius priuatum, ſiue proprium Eccleſiaſticum. 232

II. An Epiſcopus in ſua Parochia, ſiue Epiſcopatu, Metropolitanus in Prouincia, Exarchus in Diœceſi, & Patriarcha in Patriarchatu proprium ius Eccleſiaſticum ſancire poſſint, & quomodo? 233

III. An ſacra Collegia, & Sodalitates poſſint ſibi proprium ius conſtituere. 234

IV. An Parochus poſſit ius proprium, & leges in ſua Parochia condere. 236

Cap. VII. De Iure Regulàri. 240

Q. I. Quid, & quale ſit ius regulare. ibid.

II. Quis poſſit condere ius regulare. 245

III. Materia iuris Regularis. 249

Explicatio propoſitionis. ibid.

IV. Obligatio iuris Regularis. 253

V. Conſectaria. ibid.

Series Capitum, & Quæſtionum.

Cap. III. *De iure piarum Fraternitatum.* p.253
Qvæst. I. *Piarum fraternitatum varietas.* 254
II. *Quo iure regantur piæ Confraternitates.* 260
Cap. IX. *An Princeps laicus poſſit ius Canonicum, & Eccleſiaſticum præſcribere.* 262
Q. I. *Quid poſſit Princeps laicus circa doctrinã Chriſtianã, ſiue fidei dogmata ſancienda.* ibid.
II. *Quid poſſit Princeps circa conſtituendam diſciplinam Eccleſiaſticam, ſiue, an ſacros Canones, & leges Eccleſiaſticas ſancire valeat.* 263
Cap. X. *De Canonum, & legum Eccleſiaſticarum Collectoribus.* 276
Quæſtio vnica. ibid.

LIBER SEXTVS.

De iure Canonico, & Eccleſiaſtico non ſcripto. pag.289

Cap. I. *De traditionibus.* ibid.
Qv. I. *Quid, & quotuplex ſit traditio Eccleſiaſtica.* ibid.
II. *Traditionum vtilitas, & neceſſitas.* 292
III. *Obiecta aduersùs Traditiones diluuntur.* 293
IV. *Notæ, & vſus Traditionum.* 298
Cap. II. *De Iure conſuetudine, & vſu inducto.* 300
Q. I. *Quid, & quotuplex conſuetudo.* ibid.
II. *Quænam ſit legitima conſuetudo.* 301
Cap. III. *De vi & poteſtate conſuetudinis legitimæ.* 306
Q. I. *Quinã ſint legitimæ conſuetudinis effectus.* ib.
II. *Vnde tantam vim habeat conſuetudo.* 308
Cap. IV. *Quæſtiones conſectariæ circa ſingulares quaſdam conſuetudines, an reÿciendæ, an ferendæ ſint.* 313
Q. I. *Regulæ vniuerſales circa probandas & reÿciendas ſingulares conſuetudines.* ibid.
II. *De ſingularibus quibuſdam conſuetudinibus.* 315
III. *De conſuetudine circa Sacramenta.* 317
IV. *Quid poſſit conſuetudo circa ſacramẽtalia.* ib.
V. *Quid poſſit conſuetudo circa Matrimonÿ impedimenta.* 318
Cap. V. *De obligatione conſuetudinis.* 321
Q. I. *An, & quomodo obliget conſuetudo.* ibid.
II. *Quoſnam obliget conſuetudo.* 322
III. *De inductione, mutatione, atque abrogatione legitimæ conſuetudinis, déque eius probatione.* 323

LIBER SEPTIMVS.

De obligatione Iuris Canonici. p.325

Cap. I. *Qvanta & qualis ſit obligatio iuris Canonici.* ibid.
II. *Quid neceſſarium ſit vt Canones, & leges Eccleſiaſticæ obligent.* ibid.
Q. I. *An legum Eccleſiaſticarum & Canonum promulgatio ad earum obligationem neceſſaria ſit, & quomodo?* ibid.
II. *An Eccleſiæ & fidelium conſenſus, ſiue acceptatio requiratur ad Canonis, & legis Eccleſiaſticæ obligationem inducendam.* 333
Cap. III. *De diſpenſationibus.* 337
Q. I. *Quid ſit diſpenſatio.* 338
II. *Quotuplex ſit diſpenſatio.* 341
Cap. IV. *De poteſtate diſpenſandi.* 343
Q. I. *De poteſtate ordinaria diſpenſandi.* ibid.
II. *De poteſtate diſpenſandi delegata.* 344
III. *Conſectaria.* 345
Consect. I. ibid.
II. *An Archiepiſcopi poſſint diſpenſare cum Epiſcopis ſuæ Prouinciæ.* 346
III. *An Epiſcopus poſſit diſpenſare cum exemptis qui ſe ſponte illi ſubÿciunt.* 347
IV. *An Epiſcopus poſſit diſpenſare cum forenſibus & peregrinis.* 349
V. *An Epiſcopi poſſint diſpenſare cum Cathecumenis, in eorum v.g. votis?* ibid.
Cap. V. *De cauſa finali, & motiua diſpenſationis.* 350
Q. I. *Cauſa neceſſaria ad diſpenſandum.* ibid.
II. *An ceſſet diſpenſatio per renunciationem.* 352
III. *An ceſſante cauſa finali ceſſet diſpenſatio.* 3[illegible]3
IV. *Quanam, & qualis ſit diſpenſatio ſubreptitia.* 354
Cap. VI. *De materia diſpenſationis.* 356
Q. I. *In quam materiam cadere poſſit diſpenſatio.* ibid.
II. *An & quomodo diſpenſari poſſit in iure Canonico, & Eccleſiaſtico.* 357
Cap. VII. *De priuilegÿs.* 361
Q. I. *Summaria Doctrina de priuilegiis.* ibid.
II. *Definitio priuilegÿ exponitur.* 362
III. *De poteſtate concedendi priuilegium.* 364
IV. *Interpretatio priuilegÿ.* ibid.
V. *Vſus priuilegÿ.* 365
VI. *Diuiſio priuilegÿ.* 366
VII. *Variæ formulæ priuilegiorum.* 367
VIII. *Variæ priuilegiorum formulæ.*
Clauſula, *Ex motu proprio.* 368
Clauſula ex certa ſcientia. 369
Clauſula derogatoria, ſeu, nonobſtantibus. *ib.*
Q. IX. *Notitia priuilegÿ neceſſaria.* 370
X. *Quando deſinat priuilegium.* ibid.
Priuilegium non extinguitur cum concedente illud. 371
Ceſſatio priuilegÿ per renunciationem priuilegiati. 372
Reuocatio Priuilegÿ. 374
Cap. VIII. *Modi quibus ceſſat obligatio legis humanæ.* 375
Q. I. *De interpretatione Canonis.* ibid.
II. *De ceſſatione legis ceſſante cauſa.* 377
Q. III. *De abrogatione legis.* 378
Cap. IX. *De exemptionibus, & libertatibus.* 379
Q. I. *Quid & quotuplex ſit exemptio.* ibid.
II. *De cauſis & æquitate exemptionis.* 381
III. *Regulæ vniuerſales de priuilegiis, & exemptionibus.* 387

LIBER

LIBER QVINTVS DE IVRE CANONICO ET ECCLESIASTICO, eiuſque origine ac conſtitutione.

SIC *in vniuerſam appello Ius quo regitur Eccleſia: Vocem verò Eccleſiæ vſurpo formaliter, prout eſt ſacra & Chriſtiana Reſpublica ſecundo ſuperiori libro à nobis definita, cuius ſacram politiam, quæ maximè eo Iure continetur deſcribendam, explicandámque ſuſcepimus hoc opere. Cum enim vnaquæque Reſpublica vel proprio vel communi omnium gentium, aut aliarum rerum publicarum iure regatur, vt ait Imper.* Iuſt. de iuſtit. *Et Eccleſia quædam peculiaris Reſpublica ſit à cæteris omnibus fine, origine & forma diſtincta, ſuo priuato & peculiari iure regi omninò debet. Atque hoc ius vocamus Eccleſiaſticum, ſicut ius gentium dicimus, quo gentes omnes vtuntur, & ius Ciuile quaſi proprium ipſius Ciuitatis,* l. omnes D. de Iuſt. & iure & l. 1. DD. de acquirendo rerum domin. & §. ius autem I. de iure naturali, &c. *Nam quæcumque Concilia, cœtúſque hominum iure Societatis, Ciuitates appellari dixit Cicero* in ſom. Scipio.

Non eſt porrò vnum aliquid ſimplex hoc ius, ſed ex pluribus veluti partibus coaleſcit, continet enim ius legis æternæ, naturalis, diuinæ, & Eccleſiaſticæ, atque etiam aliquando politicæ, Synodorum Canones, Patrum Regulas, Pontificum conſtitutiones, decreta, reſcripta, reſponſa, ſtatuta, Sanctiones, vſum, & mores tum vniuerſalis Eccleſiæ, tum particularium, eadem ratione quâ Papinianus, l. ius autem, D. de Iuſtit. & iure, *Ius-ciuile eſſe dixit, quod ex legibus plebiſcitis, Senatuſconſultis, decretis principum & authoritate prudentum venit, vbi tamen omnes Iuris-ciuilis partes non numerauit, cum iuris ſcripti non meminerit, quod tamen pars eſt Iuris-ciuilis,* §. ex non ſcripto I. de Iure naturali, &c. *Et prætereà ius prætorium omiſerit, quod ipſum Iuris-ciuilis viua vox eſt,* l. nam & ipſum, D. de Iuſt. & iure: *Idcircò Cicero* in Topic. *Ius-ciuile eſſe dixit, quod ex Legibus Senatus-Conſultis, rebus iudicatis, Iuriſprudentium authoritate, edictis Magiſtratuum, more, æquitate conſiſtit, omiſit verò Principum decreta, cum nondum eo tempore Romæ Principes imperarent: Sic igitur nos nomine iuris Eccleſiaſtici deſignamus ius quo Eccleſia gubernatur, ſiue illud ſcripto traditum ſit ſiue non ſcriptum, ſiue legibus, ſiue moribus & conſuetudine inductum. Deinde quia lege non modo humana, hoc eſt ab hominibus lata, gubernatur Eccleſia, ſed etiam à diuina, hoc eſt à Deo poſita, & quia lex tum diuina, tum humana, legis æternæ, atque etiam naturalis præcepta non modo ſupponunt, ſed etiam ad ſingularia determinant, aut ad finem ſupernaturalem diri-*

gunt: quod idem ſæpè faciunt circa imperata à Lege humana, merè politica, idcircò inter iuris Eccleſiaſtici partes, eas omnes Leges numeraui, & earum expoſitionem præmiſi duobus ſuperioribus libris; antequam ad iuris propriè Eccleſiaſtici cognitionem delaberer, quod præcipuè conſiſtit in Conciliorum tum œcumenicorum, tum Prouincialium Canonibus, Pontificum conſtitutionibus, Reſcriptis, Bullis & quocumque tandem nomine vocentur, ſententijs, iudicatis, & prudentum definitionibus, particularium Eccleſiarum ſtatutis, atq; iure, vt ita dicam municipali, ſuperiorum, atque Magiſtratuum Eccleſiaſticorum mandatis, interdictis, ſanctionibus, aliiſque eiuſdem modi, quorum omnium definitiones dabit Gloſſa in c. Omnes 3. diſtinct. *Et nos ſuo loco trademus. Quia verò eius iuris præcipua & maxima pars ſunt Canones Synodorum, & Patrum regulæ, totum illud ius Canonicum vulgò ſolet nominari, & non alio ferè nomine ab interpretibus de ipſo diſputatur, Nos autem vtroque nomine ius Canonicum & Eccleſiaſticum appellamus. Canonicum quidem à præcipua & notiori parte totius iuris Eccleſiaſtici, Canonibus nimirùm Synodorum & Patrum Regulis: Ius verò Eccleſiaſticum vt totam amplitudinem & omnes partes ſacræ & Eccleſiaſticæ politiæ ſuperiùs enumeratas complectamur. Promiſcuè tamen & nullo diſcrimine eiuſmodi vocibus vtemur.*

CAPVT PRIMVM.

De Natura iuris Canonici & Eccleſiaſtici.

QVÆSTIO I. *Quid & quotuplex ſit ius Canonicum ſiue Eccleſiaſticum.*

QVÆST. II. *Materia & forma iuris Canonici.*

QVÆSTIO III. *Finis iuris Eccleſiaſtici.*

QVÆSTIO IV. *Differentia iuris Canonici & Ciuilis.*

ORDIMVR à natura & cauſis Iuris canonici, ita enim doctrinæ methodus quam ſectamur, poſtulat, neque enim poſſumus rei naturam, niſi ab eius definitione & diuiſione haurire, cum & definitio ſit eſſentiæ deſcriptio, & diuiſionem Theophilus vocet immenſæ & infinitæ materiæ breuem comprehenſionem, neque de re aliqua ſapienter diſputare, poſſumus eius natura ignorata, aut eius partibus indiſtinctis & cōfuſis, quæ enim quis non poteſt capere ſimul tradita, propter indigeſtam multitudinem, ea facillimè in partes diuiſa comprehendet, quod maximè verum eſt in artibus & ſcientiis practicis, qualem eſſe noſtram hanc canonicam *lib.1.* demonſtrauimus: vt igitur totum eius obiectum quod eſt ius Canonicum ſiue Eccleſiaſticum in reliquo hoc opere dilucidè explicemus. Definiendum primò eſt, & in ſuas partes diuidendum, quas deinde ſingulas explanare conabimur, ſit itaque.

QVÆSTIO I.

Quid & quotuplex ſit ius Canonicum ſiue Eccleſiaſticum.

Definitio iuris canonici, num. 1.
Explicatur, ibidem.
Diuiſio iuris Canonici, n. 2. 3. & 4.
Scriptura & Canones ius iſtud conſtituunt, n. 4. & 5.

1 OMiſſis variis iuris iſtius definitionibus, quæ in idem ferè coincidunt, dico ius canonicum eſſe Leges, præcepta, Canones & regulas Conciliorum ac Patrum, quibus Eccleſia in actionibus ſacris & Religioſis totoque diuino cultu ad beatitudinem ſupernaturalem obtinendam dirigitur, quæ definitio paulò quidem longior eſt, ſed iuris Canonici naturam vniuerſam, eiuſque partes omnes continet: formalem quidem, cum ait eſſe Leges, præcepta, Canones & Regulas, quæ voces licet videantur eſſe Synonimæ, complectuntur varias Leges quæ vel ratione modi quo feruntur, vel poteſtatis à qua manāt, vel efficaciæ obligandi, vel aliqua alia ratione differre videntur, variaq; nomina participant: moneo tantum nomen regulæ & Canonis hoc loco non ſumi pro regula tantum directiua, ſed etiam pro obligatiua, quam violare non liceat: Et quæ ſit ſimul Lex aut præceptum, qua etiam voce deſignamus cauſam efficientem huius iuris, nimirum poteſtatē, quæ ſuis præceptis obſtringere poſſit Eccleſiam, quam poteſtatem in Conciliis & aliis Magiſtratibus Eccleſiaſticis eſſe inſinuamus, pro ratione Iuriſdictionis qua pollent. Nam Patrum nomine intelligimus Eccleſiæ & Principes & Paſtores non verò alios, niſi quatenus illi de eiuſmodi Legibus teſtantur (vti dicemus inferius) huius quoque Iuris duplicem finem aſſignamus, proximum qui eſt diuinus cultus & Religio, & vltimum qui eſt ſalus & beatitudo ſupernaturalis, quæ omnia conſtant ex *lib. 1.* vbi ſcientiæ canonicæ finem & obiectum quæ in ſcientiis practicis coincidunt, aſſignauimus, idem omnino contingit hoc loco. Cùm enim ius canonicum ſit medium & via qua ſcientia Canonica practica facit ſuum obiectum, & finem aſſequitur, non poteſt ius illud habere aliud obiectum & finem in quem tendat, aut referatur, quàm illum quem ſcientia canonica ſibi poſuit; Demùm materiam huius iuris tradimus cum dicimus eſſe varias Leges & præcepta quibus Eccleſia dirigitur, quæ Leges & præcepta, & varia ſunt & nonniſi de rebus ſacris & ad diuinum cultum pertinentes, neque obſtringunt niſi Eccleſiam quatenus eſt peculiaris quædam Reſpublica ad finem ſupernaturalem tendens, quæ omnia reliquo opere toto tradentur ſingillatim.

Diuiditur ius canonicum, primò ratione materiæ in illud quod ad fidem & quod ad mores pertinet. Primum

Primum continet dogmata & διατυπώσεις: ſecundum ſpectat diſciplinam Eccleſiaſticam quam præſcribit, priùs vnum & immutabile eſt. Secundum varium & mutabile pro ratione gentium & variis rerum ac temporum momentis. vti dicemus *lib.7.* fuſius. Hæc diuiſio & per ſe patet & frequenter in Synodis vſurpatur, quæ dogmata & διατυπώσεις in Symbolis fidei, in formulis, & Epiſtolis Synodicis tradunt, quæ verò ad diſciplinam Eccleſiaſticam pertinent in decretis & Canonibus. Quare PP. Nicæni in Epiſtola ad Ægyptios vſurpant hæc verba κανονίζειν, καὶ δογματίζειν. Et Gelaſius Cyzicenus in eius actis διατυπώσεις quæ ad fidem ſpectant refert numero ſeptem, & quæ ad mores & diſciplinam Eccleſiaſticam viginti Canonibus comprehendit. Quare in Canonibus nihil de Symboli habetur illi Concilio Conſtantinopolitano PP. in Synodici ad Theodoſium Damaſum, Ambroſium, & alios occidentales referunt Anathematiſmos qui ad fidem ſpectant: quæ verò ad Eccleſiarum ordinationem in Canonibus. In Concilio Epheſino, quia omnia decreta ferè pertinent ad fidem, ſeptem tantum Canones præſcribuntur, ſimilia licebit in aliis Synodis œcumenicis oſtendere, quamquam quoad vocem Canonis aliquando illam in fidei decretis vſurpent, adiunctis anathematiſmis vt Tridentina, & aliæ antiquiores pro Eccleſiaſticæ Diſciplinæ Legibus.

3 Diuiditur. Secundò Ius Canonicum in ſcriptum, & non ſcriptum, vti Ius ciuile diuiſit Iuſtinian. §. *conſtat.* 1. *de Iure naturali, &c.* Siue in ius legibus aut moribus conſtitutum. Lex eſt Ius & conſtitutio ſcripta. *Can.* 2. 3. 4. *&* 5. *diſtinct.* 1. Mos & Conſuetudo eſt Ius non ſcriptum. *Can. Antiquus d.* 65. Dicitur quoque Ius prudentum & vſus atque traditio, quia per manus quaſi traditum ad nos vſque peruenit. Eiuſdem porrò eſt poteſtatis cum Iure ſcripto. *Can. Eccleſiaſticarum diſt.* 11. & *Can.* 7. 8. 9. *ead. diſtinct.* & *can.* 11. *diſt.* 12.] Atque ex *Can. Synodi* 7. & *Tridentino ſeſſ.* 4. Nomine porrò conſuetudinis & traditionis, ſiue Iuris non ſcripti comprehendimus non modo vniuerſales Eccleſiæ conſuetudines, ſed & particulares peculiarium Eccleſiarum; illæ enim dum nihil contra fidem Catholicam docent, obſeruandæ ſunt, & faciunt Ius non ſcriptum illius peculiaris Eccleſiæ: poteſt prætereà, quod conſuetudine inductum eſt, deinde ſcripto tradi, quod nimirùm de illa traditione teſtetur, & tamen Ius erit conſuetudinarium, & non Lex. Quare VII. Synod. *act.* 8. Sic edicit. *Si quis omnem Eccleſiaſticam traditionem ſiue ſcriptam ſiue non ſcriptam reijcit, Anathema eſto:* Eſt igitur aliqua traditio ſcripta, & malè Gratian. *Ad Canon.* 7. *diſt.* 1. Conſuetudinem ſcriptam, Ius non ſcriptum communi nomine conſuetudinis apppellari dixit. Cum conſuetudo non ex ſcriptura, ſed ex tacito populi conſenſu authoritatem accipiat.

4 Diuiditur. Tertiò Ius ſcriptum in Sacram ſcripturam, & ipſos Canones; Sacræ Scripturæ ſunt libri veteris & noui teſtamenti de quorum numero & authoritate, licet plures olim fuerint controuerſiæ, nobis hodie dubitare non licet poſt apertam Tridentinæ Synodi definitionem.

Triplex quidem eiuſmodi librorum ordo fuit olim; primus eorum qui ab omnibus admittebatur. Secundò Eorum quibus aliquando contradicebatur Eccleſiis, dicebanturque ἀντίγραφοι, & licet iuuarent in fidei quæſtionibus, non tamen illas prorſus ita definiebant vt à nemine poſſit reluctari 3. Continebat apocrypha ſcripta, quæ à nullis admittebantur de quibus omnibus agemus. *l.* 8. Quia verò ex Sacris Scripturis fidei dogmata comprobare & diſciplinæ mores inſtituere, & emendare ſolet Eccleſia, & de eorum numero & authoritate variæ quæſtiones excitari ſolebant, neceſsè omninò fuit eiuſdem authoritate definiri in Conciliis diuinorum librorum numerum, & Catalogum, vt quinam reijciendi, quiue amplectendi eſſent, conſtare poſſet; quod & ſæpiùs factum eſt, vt conſtabit *l. c.* Quare qui probati fuerunt in indicem ab Eccleſia confectum relati ſunt illiuſque authoritatis prærogatiua tam eximia eſt, vt omnibus omninò cæterorum definitionibus anteponi prorſus debeat vti ex Hieronymo & Auguſtino refertur. Can. 3. 5. 8. 9. 19. *diſt.* 9.

Quia tamen ſola diuina Scriptura non ſufficit ad omnes fidei morum & diſciplinæ controuerſias definiendas totum Ius Eccleſiaſticum non poteſt ſola diuina ſcriptura contineri, quare eius altera pars ſunt antiqui Canones & Regulæ, vel perpetuò obſeruatæ, vel à Synodis conſtitutæ. Ideòque ipſis Conciliis æcumenicis Sacra Scriptura collocabatur in medio atque in throno; & prætereà Codex, vel vti appellant corpus Canonum priorum Synodorum ad quos prouocabatur. Vnde in Concilio Chalcedonenſi, aliiſve frequentes illæ voces leguntur. *Canones proferantur, patrum Regulæ & ſecundum Acoluthiam Canonum.* Et aliæ ſimiles. Hæc porrò ampliſſima Iuris Eccleſiaſtici pars iterùm tripatita eſt, eo ſenſu, quo Iuſtinian. Dixit Ius priuatum tripartitum. Quia ex naturalibus præceptis, gentium & ciuilibus collectum eſt. Canones enim & Ius ex illis ortum, colligitur ex Conciliorum decretis Pontificum conſtitutionibus & Patrum dictis quod ſatis indicat Leo IV, *Can.* 1. *d.* 20. Quam verò ſingula iſta obtineant authoritatem, etſi non conſentiant, quænam præferenda ſint aliis, dicemus inferiùs hoc ipſo libro: huius prætereà iuris ſcripti variæ ſunt diuiſiones à variis Collectoribus inſtitutæ, de quibus omnibus diſputabimus inferiùs. 5

Denique diuiditur in vniuerſale & particulare, quod iterùm varium eſt. De quibus omnibus nos hoc libro diſputabimus.

QVÆSTIO II.

De materia & forma Iuris Canonici.

Materia proxima iuris Eccleſiaſtici, n. 1.
Materia remota, n. 2.
Præcipua materia, n. 3.
Obiectum eius mixtum, n. 4.
Amplitudo materiæ iſtius, n. 5. & 6.
Forma Iuris Canonici, n. 7.

QVod attinet ad materiam dici in vniuerſum poteſt, materiam Iuris Eccleſiaſtici eſſe quodammodo ſpiritualem. Appello verò materiam iuris alicuius, tum actus qui ab illo imperantur, tum Res aut perſonas circa quas fiunt eiuſmodi actus, aut quibus imperantur. Actus imperati, aut prohibiti ſunt proxima materia Iuris & Legis alia verò ad quæ ipſi actus dicunt habitudinem, & relationem iſtam materia remota. Dico autem vtramque iſtam materiam eſſe ſpiritualem vel in ſe & ex ſua natura, vel per connexionem cum re ſpirituali & ſupernaturali ſiue Sacra, & ad ſalutem ſupernaturalem deſtinata. Sic enim nomen rei ſpiritualis ſumimus, non autem pro quacumque re incorporea, vti fuſius oſtendimus *in diſp. de Simonia*. Ex omnium tum Theologorum tum Canoniſtarum mente. 1

Hanc igitur materiam ſpiritualem ita explicatam pertinere ad ius Eccleſiaſticum oſtenditur imprimis ex eius fine, de quo *cap. ſequenti* cum enim nihil præcipiatur, aut prohibeatur, hoc iure, niſi in ordine ad illum finem, vt vel illum actibus imperatis aſſequamur, vel vt eius aſſequendi impedimenta remoueamus, dum actus per quos ab illo deflectimus, prohibentur, neceſſarium omninò eſt actus hoc iure imperatos, eſſe aliqua ratione ſpirituales & ſupernaturales, haberéque aliquam proportionem, & connexionem cum eiuſmodi fine, ad quem nos promouere, tanquam media idonea debent. Quia verò peccata omnia nos à fine ſupernaturali abducunt, & bonis omnibus ſpiritualibus, atque ſaluti animæ opponuntur, idcircò ad eandem legem, & ius pertinent, cum contraria ad eumdem ordinem reuocari ſoleant. Adde primarium actum imperatum ab hoc iure eſſe cultum & honorem diuinum, ſiue Religioſam actionem, vnde illam primarium eius finem & obiectum *lib.* 1. conſtituebamus; diuino verò cultui præcipuo quodam modo opponuntur peccata, quatenus ſunt iniuriæ Dei: igitur ad Idem quoque ius Eccleſiaſticum, quatenus peccata ſunt pertinebunt, & de iis hoc ius pronuntiare & definire, eaque prohibere, damnare atque adeò punire ſuo modo poterit.

2 Quod verò attinet ad materiam remotam iuris Eccleſiaſtici, ſtatim apparet res omnes ac perſonas circa quas aut à quibus poſſunt exerceri ſacræ & ſupernaturales actiones imperatæ, aut contrariæ illis oppoſitæ, eſſe quoque materiam huiuſce iuris illas imperantis, aut vetantis, quæ omnia probantur inductione. Nam ius Eccleſiaſticum proponit, declarat, & interpretatur ius diuinum, in Sacris Scripturis contentum; ideóque vti argumentabatur Michaël Vlcurranus *in opere imperiali de regimine mundi* 1. *p. q.* 5. *n.* 3. Eundem finem habet cum ſcriptura Canonica quæ & Canonica dicitur, quod vt monui à Canone Eccleſiaſtico tanquam Authentica proponatur, non quod ab illo ſuam authoritatem habeat, ſed quia eius eſt iudicare, quænam ſit diuina ſcriptura & non diuina vt alibi dicemus, Deinde ius iſtud, quæ iure diuino præcepta ſunt, determinat quoad modum & tempus illa ſeruandi; v.g. Baptiſmus eſt de iure diuino ſuſcipiendus, quod tamen non præſcribit an trina immerſione, an aſperſione faciendus ſit & quibus circumſtantiis adminiſtrandus, quæ omnia, aliáque ſimilia ſuis Legibus Eccleſia definit.

Tertiò agit hoc ius de fide & aliis quæ ad illam pertinent, quartò agit etiam de actionibus Sacramentalibus, quæ per ſe ſunt ſpirituales, vt alibi dicemus, quintò de iis omnibus quæ ad diuinum cultum & Religionem ſpectant, ſacris nimirùm obſeruationibus, rebus, locis, bonis & perſonis ſacris, ſextò de peccatis quæ his omnibus opponuntur, blaſphemia ſacrilegio, infidelitate, irreligioſitate & cæteris, ſeptimò de omni ea re & materia, quæ gradum aliquem ſpiritualem attingit, aut ad illum refert, quamdiu enim vel eam habitudinem ad ſpiritualitatem & ſupernaturalitatem, id eſt ad diuinum cultum, & animæ ſalutem non habet vel eiuſmodi habitudinis, atque eleuationis, & connexionis incapax eſt, manet materia merè temporalis, & nulla ratione ſubiicitur iuri Eccleſiaſtico.

3 Hinc vides primò præcipuam primariamque materiam iuris Eccleſiaſtici eſſe Religionem & iuſtitiam diuinam. Nomine verò Religionis comprehendimus omnia quæ ad ſanctificationem animæ pertinent. Iuſtitia verò diuina complectitur quidquid ſpectat ad vitanda peccata in commerciis, & humanis actionibus.

4 Colliges ſecundò ſapienter Roias *tract.* 2. *n.* 393. aſſignaſſe huic iuri obiectum quoddam, mixtum ex ſcientia legali & Theologica, quia nimirùm quæ ad fidem & Religionem pertinent complectitur, & quæ ad politiam, & iuſtitiam diuinam, id eſt inter Chriſtianos, vt Chriſtiani ſunt, & in ordine ad animæ ſalutem tradit, ſiue vt ait Ioann. Dilectus Durant. *de Arte teſtandi tit.* 7. *cautela* 11. *n.* 2. ſcientia iuris Canonici principaliter occupatur in interpretando iure diuino, in dubiis pertinentibus ad Philoſophiam moralem, hoc eſt practicis, & circa actiones ſingulares, quod probat ex Gloſſa in proœmium decretali, & Alexand. *Conſil.* 3. *&* *Decio. conſil.* 3.

5 Tertiò vides amplitudinem materiæ iuris Eccleſiaſtici, cum omnia ferè ad Religionem aut Iuſtitiam diuinam reduci queant, & verſari poſſit circa materiam ciuilem, ſed longè altiori & nobiliori modo, quàm ius politicum: quatenus ſcilicet ea eſt materia peccati, ſiue vbi agitur de peccato vitando, & periculo animæ, quod Fortunius *tractat. de fine vlti. Iuris Canonici & ciuilis, num.* 151. fuſius proſequitur ex communi Doctorum, & inferius ſuis locis amplius explicabitur. Latiſſimum igitur ſpatium percurrendum ſuſcipimus.

6 Quartò hinc fit aliquando ius Eccleſiaſticum, & mere politicum verſari circa vnam, eandémque materiam, ſed diuerſo reſpectu: quatenus enim eſt merè temporalis, pertinet ad ius ciuile, vt verò induit aliquam habitudinem ad ſpiritualia iuri Eccleſiaſtico ſubiicitur: eandem enim rem vtilem eſſe ad diuerſos fines, ad illóſque aſſumi poſſe nihil omninò vetat, prætereà quis neget eadem crimina ſæpè turbare Rempublicam tum in temporalibus, tum in ſpiritualibus, ab ea igitur poteſtate, quæ temporalia curat, atque ab ea quæ diuinis & ſacris præſidet iudicari & coërceri ſuo modo poterunt. Hinc fit quod alibi monemus, vt ſint aliquæ materiæ mixti fori vti appellant, de quibus ſuo loco diſputabimus. Atque hactenus de materia iuris Eccleſiaſtici.

7 Forma verò vel alia non eſt, quam ipſummet ius & Lex, vti contingit in pluribus aliis moralibus artefactis vel eſt forma aliqua externa, quæ ſeruari debet dum lex aut ius ſancitur, à qua etiam diſtinguantur varia iura, vt Bullæ, Reſcripta, conſtitutiones, & ſimilia in quibus hæc externa adiuncta ſolemus attendere, quæ in ſingulis explicabuntur, vbi quidpiam ſingulare, & eximium continebunt.

QVÆSTIO III.

Finis Iuris Canonici & Eccleſiaſtici.

VEnio ad cauſas externas finalem & efficientem, de qua *cap. ſequ.* diſputabimus, nunc verò de fine de quo, licet præcipua cauſa ſit, perpauca dicenda nobis ſunt.

1 Alius enim finis huius iuris eſſe nequit, quàm finis totius ſacræ politiæ, & ſcientiæ illius, quem *libro* 1. diximus eſſe beatitudinem æternam, & animæ ſalutem ad quam tendit vltimo actio Religioſa, quam eodem loco conſtituimus ſcientiæ Canonicæ obiectum formale, & finem proximum, quod & tradunt magno conſenſu DD. contra Fortunium Garciam *opuſc. de fine Iuris Canonici & Ciuilis*, vbi cum *numero tertio & ſequentibus*, demonſtrare conetur vtrumque illud ius eundem finem, eandemque fœlicitatem intendere: quare vel non niſi fœlicitatem

naturalem

naturalem attingi vult à iure Eccleſiaſtico, vel ſupernaturalem, intendi quoque à ciuili fateatur neceſſe eſt. Vtrumque porrò falſum eſt; atque vt de ciuili modo non diſputem de eo enim diximus *lib. ſuperiori*; finem iuris Canonici eſſe ſalutem æternam, pluribus contra Fortunium ex profeſſo contendit Michaël. Vlcur. *in opere imperiali ſiue de regimine mundi. par.* 1. *q.* 5. *principali tota* & liquido traditur *cap. contingat v. debet. de iure iurando* & *cap.* 2. *de conſtitut. in* 6. *cap.* 1. *de pactis cap. quamvis pactum eod. tit. cap. Licet mulieres de iureiurando in* 6. atque alibi ſæpius: neque enim alius poteſt eſſe finis iuris quo regitur Eccleſia, quam ipſiuſmet Eccleſiæ, & eius politiæ. Illa enim ſuas omnes leges, conſtitutiones, edicta, & ſanctiones ponit tanquam media, quibus fideles ad ſuum finem promoueat, is autem ſupernaturalis eſt, atque ſingulorum ſalus & beatitudo exiſtit. Idcircò Ioan. And. *in Regulam poſſeſſor.* & Abbas *in proœm. decretal.* dicunt ius ciuile promouere homines ad iuſtitiam legalem & ciuilem amicitiam: ius autem Canonicum intendere amicitiam cœleſtem, ſiue Charitatem in fide fundatam, atque illud eſt bonum Eccleſiaſticum publicum ad quod hominem dirigit hoc ius, vt ait Hieronym. Zauellinus *tractat. de foro contentioſo, & conſcientia*, ad Deum denique iungit, inquit Anton. de prætis *tractat. de Iuriſdic. Epiſcop. cap.* 7. *numero* 17. neque in re tam perſpicua videtur diutius immorandum eſſe. Atque hîc quidem eſt finis vltimus iuris Canonici & Eccleſiaſtici, nam proximus eſt actio religioſa, ſiue Religio & diuinus cultus quem procurat, & quo mediante Eccleſiam ad ſalutem & beatitudinem ſupernaturalem promouet, vti diximus *libro primo capite ſecundo quæſt.* 1. §. 2.

QVÆSTIO IV.

Differentiæ Iuris Canonici & Ciuilis.

Aliud eſt ius, aliud forum, n. 1.
Differentia vtriuſque iuris, n. 2.
Quandonam vnum ius ſit alteri præponendum, n. 3. & 4.

HAnc materiam pluribus proſequuti ſunt Baptiſta à ſancto Blaſio, Galuanus Bononienſis, Proſdocimus de comitibus, Hieronymus Zauelinus, Ioannes Valerus, aliique qui longiores tractatus de eiuſmodi inter vtrumque ius differentiis, vel contradictionibus ediderunt, nobis non licet eſſe tam diffuſis, & ſingula perſequi. Quare præcipua quædam dumtaxat inter vtrumque ius diſcrimina notare contenti erimus.

1 Et primo quidem obſeruandum eſt aliud eſſe forum, aliud ius, nam forum iudicia & proceſſus reſpicit, variaque & diuerſa eſſe poſſunt iudiciorum fora & litium, ſiue ciuilium ſiue criminalium tribunalia, in quib. diuerſo modo procedatur in inſtituendis & proſequendis actionibus, aliiſque ad iudicium obtinendum aut declinandum pertinentibus, etiamſi ſit idem ius & lex ex qua tota lis definienda eſt, atque hac in parte forum Canonicum ſiue Eccleſiaſticum, dubium non eſt à Laïco differre, quod vnum ferè proſequuntur qui de differentiis vtriuſque iuris diſputarunt non magno ſanè ordine, neque noſtrum eſt ſed pragmaticorum eiuſmodi diſcrimina ſingillatim explicare, qui cauſam & litem in vtroque foro habebunt, Litigatores adibunt, diſputatio igitur eſt de ipſomet iure ſecundum, quod forum ipſum iudicare debet quod diuerſum ſæpius eſt ex lege Canonica; ciuili & politica, quæ circa eandem materiam diuerſis ex cauſis diuerſa imperant, quamuis vtraque rationabilis, & æqua ſit, eo quod ad diuerſos fines tendant.

Differunt ſiquidem vti iam monui primario fine, cum lex Canonica beatitudinem ſupernaturalem & ſalutem animæ intendat & promoueat, politica fœlicitatem externam Reipub. ſecundò differunt materia quia legis Canonicæ materia eſt aliquo modò ſpiritualis, vti *quæſt.* 2. fuit explicatum, tertio origine & poteſtate à qua feruntur. Eiuſmodi enim poteſtas eſt etiam ſuo modo diuina, in Canonico iure ſanciendo vti cap. proximo explicabitur. Differunt denique regulis & principiis, & ſi enim quamplura habeant communia, nihilominus principia prima iuris Canonici cum ex fide & reuelatis ducantur, ſublimiora ſunt, & denique in puniendis criminibus diſſentiunt omninò. 2

Ex his fit vt quoties agitur de peccato, ſequendum ſit ius Canonicum, quod ea de cauſa emendat aliquando, immò & abrogat ius ciuile, quia tunc leges ciuiles cum pugnent cum iure diuino, aut naturali, iuſtæ non ſunt, & ſpeciem dumtaxat legis habent, eius tamen vim & authoritatem obtinere non poſſunt. In quo nihilominus vtriuſque iuris diſſidio ſapienter omninò procedendum eſt, ne ex leuibus momentis alterutrum temerè damnemus. Nam aliquando ipſummet ius Canonicum varium eſt, & ſe emendat, vel reſtringit, & tunc liberum eſt quod libuerit ſequi, vel antiquum Canonem, cui conſentit ius ciuile, vel nouum, v. g. matrimonium raptoris cum rapta prohibetur *l. Raptores vnica. C. de Raptu Virgin. &c.* Vbi raptorem pœna mortis & amiſſionis bonorum afficit, neque datur raptæ facultas vt raptorem ſuum in maritum expoſceret. *Quoniam*, inquit *Iuſtinian. nullo modo, nulloque tempore datum à noſtra ſerenitate licentia eis conſentire, qui hoſtili more in noſtra Republica matrimonia ſtudent ſibi coniungere*: Huic tamen legi videtur Canon repugnare: Nam licèt Canon. *placuit* 2. *& Canon. de puellis* 4. 36. *q.* 2. idem omninò velit & ea coniugia nulla eſſe, quamvis parentum Conſenſus; deinde, acceſſerit quod cap. placuit Burchardus, & Iuo citat ex Concil. Aquiſgranenſi *cap.* 3. & habetur *lib.* 7. *Capitular. cap.* 395. Vnde refertur in Concilio Rhemenſi ex Troſleiano *cap.* 8. nihilominus *cap. vltimo de raptorib.* Innocen. III. reſcribit raptam puellam poſſe legitimè contrahere cum raptore, ſi prior diſſenſio poſtmodum tranſeat in conſenſum, & perſonæ ſint legitimæ ad contrahendum: Concilium tamen Tridentin. poſtmodum id prohibet *ſeſſ.* 24. *de Reformat. matrim. cap.* 6. quamdiu rapta permanſerit in poteſtate raptoris, in hac iuris Canonici variatione licuit ius ciuile cui ius Canonicum conſenſit ſequi, quod & præſtitit Ludouic. XIII. in ſua declaratione qua eiuſmodi matrimonia nunquam poſſe coire, declarauit, & vtrumque raptorem ac raptam, eorumque liberos omnis ſucceſſionis incapaces reddidit, ſed de ea conſtitutione *tom.* 2. *vbi de matrimon.* dicemus ſicut & de ſecundis nuptiis, quas pœnis etiam propoſitis prohibent Leges ciuiles, permittunt Canones, & de repudiis & aliis quibuſdam circa nuptias, & adulteria controuerſiis, in quibus vtrumque ius diuerſa ſentire videntur: Adi interea Azor *tom.* 1. *lib.* 5. *cap.* 20. *&* 21. plures alias diſſenſiones horum iurium & vnius ab alio emendationem, prout ſuo loco occurrent non omittemus. 3

Moneo dumtaxat cum Galuano Bononienſi *ſub finem tractat. de differentiis Legum & Canonum.* plures vno collyrio omnium oculos velle curare, ſemper pro ſolutione dicentes, aliud eſt de iure Canonico, aliud de Iure Ciuili, vel aliud de iure antiquo, & aliud de nouo, maximè Doctores vtriuſque Iuris, verius nullius, in quos eo loco inuehitur & iocatur etiam Galuanus: quare ea vt ipſe vocat illuſio vitanda omninò erit.

Voluit porrò Iuſtinian. *nou.* 131. quatuor Conciliorum, Canones pro legibus haberi ſeu νόμων τάξιν ἐπέχειν, & in Nouella relata à Photio in Nomocanone Leges ſequi Canones ὅτι τοῖς κανόσι οἱ νόμοι ἀκολουθοῦσι. Leges externas vocant PP. Chalcedon. *can.* 18. Leges Ciuiles quod obſeruant Zon. & Balſamon ἔξω δὲ νόμους καλεῖ τοὺς πολιτικοὺς, & ſapienter enim obſeruat Harmenop. *lib.* 1. *tit.* 2. quædam iudicia definiri Legibus, quædam Canonibus, quædam ex vtriſque quod in coniurationibus aliiſve quibuſdam criminibus vrgent Chalcedon. *conc. can.* 18. *citato*, & Gothofredus Abbas *lib.* 3. *ep.* 39. & alij.

CAPVT II.

De origine iuris Eccleſiaſtici & poteſtate illud ſanciendi.

QVÆSTIO I. *Quænam, qualiſve ſit poteſtas ſanciendi ius Eccleſiaſticum.*

QVÆSTIO II. *In quonam reſideat ea poteſtas.*

EXplicanda nobis ſupereſt cauſa efficiens iuris Eccleſiaſtici quæ latiùs patet cæteris, pluresque difficultates complectitur; Ea verò alia non eſt quàm poteſtas illud vel omnibus, vel alicui peculiari Eccleſiæ præſcribendi, de qua in vniuerſum quærimus hoc loco.

QVÆSTIO I.

Quænam, qualiſve ſit poteſtas condendi ius Eccleſiaſticum.

Duo fontes iuris Eccleſiaſtici, num. 1.
Ius iſtud diuinum dicitur, num. 2.

1 NObiliſſimam quæſtionem paucis in vniuerſum definire licet, ſuppoſitis, quæ libro ſuperiori de poteſtate condendi Leges humanas diximus: Ea enim omnia circa Leges Canonicas valent ſeruata proportione. Ius itaque & Lex Canonica non aliunde oriri poteſt, quam ex duplici capite: primum eſt ius diuinum, de quo nobis certo conſtet in ſcripturis, quod omnes Chriſtianos aut ſingularem aliquem ſtatum obliget, & tum in veteri tum in nouo & Euangelico fœdere traditum exiſtat, de quo *lib. ſuperiori* fuſius diximus, ad quod refero id quod per neceſſariam & certam illationem ex expreſſo diuino iure deducitur. Alterum iuris Canonici caput, & veluti fons eſt poteſtas à Chriſto Eccleſiæ facta condendi & ſanciendi Leges; quam poteſtatem tum gubernatiuam, tum Legiſlatiuam eſſe in Eccleſia, atque in eius paſtore Chriſti Vicario Romano Pontifice ſupponimus, eámque poteſtatem non eſſe purè humanam ſed diuinam, eo quòd immediatè à Chriſto facta ſit Eccleſiæ, habeátque tum finem tum materiam ſpiritualem, quod iam oſtendimus. Quare ſi primam omninò originem iuris Eccleſiaſtici quæramus, à fide arceſſenda erit, quia non niſi ex fide eam dari conſtat & fidei lumine maximè dirigitur, atque ad ea quæ fide præcipiuntur præſtanda potiſſimùm tendit: Eccleſiam quæ fide tanquam forma eſſentiali conſtituitur, regit, ſalutem, quam ſola fide cognoſcimus, intendit, & media ſupernaturalia, quæ ſola illi fini ſunt proportionata, non niſi fidei lumine percipit, & præſcribit. Quæ omnia *ex tomo* 2. *operis* vbi de fide clarius intelligentur, & confirmabuntur.

Hinc fit vt ius Eccleſiaſticum dicatur diuinum, 2
quod affirmat Gloſſa *in cap.* 2. *de priuilegiis in* 6. & *cap. filius de teſtamentis.* Vgo *in cap. humanum genus diſt.* 1. Barbatius *de Cardinalib. q.* 1. *num.* 1. fusè, & Franciſc. Vargas *de authoritate Pontificis axiomate* 8. 9. & 10. quod probant ex *cap.* 1. *verſ. diuina & humana Legis, de iuramento calumniæ, cap. canonica. C. quia ſuſpectis* 3. *q.* 5. *cap. nimis de iureiurando*, aliiſque locis. Ratio aperta eſt, quia hoc ius fundatur in ratione diuina, ducitur lumine fidei, extractum eſt ſecundum magnam partem ex iure diuino in ſcripturis contento, quod interpretatur, & promulgat; & denique quia longè alio modo ſpiritus Sanctus aſſiſtit Eccleſiæ ius dicenti, & Leges condenti, quam aliis Legiſlatoribus politicis, quæ omnia videbis apud Franciſc. Vargam citatum & Petrum Cluniacenſem *lib.* 3. *epiſt.* 28. cum tamen etiam Principum ſanctiones ſacris & diuinis nominibus donarentur, v. g. ſacri apices *l.* 24. *c. de erogatione militar. anno.* Leges *ſacra l.* 21. *c. de prætoribus & l.* 6. *c. de cenſu* ſanctio ſacra *l. vlt. c. de curſu publ.* Conſtitutio ſacra *l. vlt. c. de medicis & profeſſ.* ſacratiſſima *l.* 2. *de diu. offic.* ſacratiſſimæ *l. vlt. Cod. de ſecund. nupt.* Iudicium ſacrum *l.* 14. *c. de med. & profeſſ.* præceptio ſacra *l.* 5. *C. de decurion.* ✝. ✝. præceptum ſacrum *l.* 1. *C. de comitibus* ſacra abſolutè *l.* 6. *c. de cohortatibus* oracula *l.* 1. *c. de rei vindicat. l.* 1. *C. de Senatorib. l.* 7. *ſi per obreption.* & alibi oraculum cœleſte *l.* 1. *C. de Senatorib.* Diuales ſanctiones, diuina præcepta, diuino arbitrio decreta, diualia beneficia, diuale præceptum, Lex diualis, diualia ſcita, diualia ſtatuta, alia dabit Iacob Gotofred. *in lib.* 1. *C. Theod. tit.* 1 *in paratitlo.* quæ omnia nomina meliori profectò iure conſtitutionibus & legibus Eccleſiaſticis tribui debent, quæ à ſola authoritate ſuperioris cuiuſdam ordinis ſanciri poſſunt.

QVÆSTIO II.

In quonam reſideat poteſtas ferendi Leges Eccleſiaſticas.

Neceſſarÿ canones, n. 1.
Diuerſitas canonum & Iuris tractanda, numer. 2.

CErtum quidem eſt Eccleſiam regi non poſſe ſine ſuo particulari iure quod canonicum, à canonibus & regulis patrum vocamus, ſicut neque Reſpublica ſine ſuis legibus politicis, alioquin omnis Eccleſiaſtica diſciplina peribit inſigni rerum omnium perturbatione, vt quæritur Baſil. *epiſt.* 181. vbi agit de Chorepiſcopis eoque impenſius Canones ſeruare debemus, quod vt obſeruat Balſamon. illi ſpectant

ſemper

ſemper quod animæ vtilius eſt, & ita eos explicare oportet πρὸς τὸ ψυχωφελέστερον, non ad id quod liberius,& magis indifferens vt ſunt leges,eaque de cauſa Nazian.*ep.58.ad ſimplici,hæretic.*ait Eccleſiaſtica leges, hoc eſt Canonibus nihil venerabilius eſſe οὐδὲν γὰρ τοῦ θεοῦ ἢ τοῦ κανόνος αἰδεσιμώτερον, rationem reddunt paſſim PP. quia Canones ſunt regulæ ad rectè ſe gerendum in Eccleſia. Sic enim loquitur Synodus II. *Nicæn.Can.*1.dum ait Sacerdotibus teſtimonia ad rectè ſe gerendum in ea dignitate inſtituta; eſſe Canonicarum conſtitutionum deſcriptiones, κατορθώματα αἱ τῶν κανονικῶν διατάξεων ὑποτυπώσεις, & Nazian. *orat.*1.vocat Canonum rectitudinem κανόνων εὐθύτητα agens de regulis à Paulo traditis, ibidémque commentator Elias Cretenſ. Sicut impoliti lapides, & diſtorta ligna,per normæ applicationem vitioſa eſſe deprehenduntur, ſic vita noſtra ad Pauli normam admota,diſtorta, & abnormis eſſe cognoſcetur, ad illas igitur regulas noſtros mores dirigere nos oportet, & vt ait Baſil.*homil.in Pſalm.*59.τῷ κατὰ τὸ εὐαγγέλιον ἀκριβεία κανονίζειν τὴν πολιτείαν, ad idemque *Nazian. orat.* 1. *Apologeti*,hortatur Epiſcopos vt ſe ſe ad regulas de Epiſcopis à Paulo traditas exigant, & ſe à Canonum rectitudine plurimum abeſſe comperiant; τοῦ πολὺ διαφέρουσαν εὑρήσει τῆς τῶν κανόνων εὐθύτητα, quia verò Canones & regulæ in ſacris paginis traditæ non ſufficiunt ad vniuerſam Eccleſiaſticam diſciplinam & politiam componendam, & illam pro ratione temporum, locorum, & rerum momentis variari,mutari, aut de nouo inſtitui oportet, neque omnes Eccleſiæ eandem perpetuò politiam ſequi poſſunt. Idcircò nouis Canonibus & regulis ſiue legibus, nouóque iure opus fuit,quærimus itaque quis hoc ius, quo vel vniuerſa Eccleſia vel particulares vt dixi reguntur, inſtituerit,quiſvè illud condere, mutare, abrogare vbi neceſſitas poſtulabit validè poſſit.

Obſerua ſecundò licet fides vna, & indiuiſa ſit, ac proinde eius dogmata eadem perpetua ab vniuerſa Eccleſia,& vbique locorum ac gentium ſeruanda ſint, ab eáque fidei vnitate,ipſa quoque Eccleſia licet toto orbe diffuſa vnitatem accipiat, ideóque vna & Catholica non plures dicatur, quod totum oſtendimus ſuperius *lib.*1.*c.* 2.*q.*2.*n.*7.*& q.*3. & iterum dicemus *cap.* 4. In diſciplina tamen & politia nonnunquam maxima diuerſitas eſt, & vt loquitur Cyprian. *vnitas Epiſcopatus Chriſtiani non diuiditur,& ſi per plures Prouincias ſpargatur: quia omnes Eccleſiæ & fidei vnitate,& officio cõmunionis cum Petri Cathedra colligantur*: quamvis igitur facta fuerit Eccleſiarum diuiſio per Diœceſes de qua dicemus *cap.* 4. non tamen auulſæ illæ ſunt ab Eccleſia, quæ & Catholica & vna eſt, neque cum dicimus Eccleſiam Orientalem & Occidentalem,Romanam, & Gallicanam illas inter ſe ſe opponimus, & tanquam membra à corpore diuulſa ſumimus, ſed vnius & totius partes eodem ſpiritu animatas & forma ſubſtantiali,fide nimirùm,quamvis propria officia & motus habeant, atque adeò munera quædam externa,ſed de ea Eccleſiarum diuiſione fuſius *ſeq. cap.* 4. *q.* 1. Cum igitur ſingulæ iſtæ Eccleſiæ proprium ius quo regantur habere neceſſe ſit,non incongruè diſtinguimus ius Eccleſiaſticum in commune & vniuerſale, quo tota & vniuerſa vbique terrarum Eccleſia regitur & obligatur, & in ius priuatum quod ſingulis Eccleſiis proprium eſt, quærimuſque quis vtriuſque illius iuris author & conditor eſſe poſſit. Quia verò præter particulares Eccleſias exiſtunt aliqua Collegia, communitates & corpora,vti loquuntur Eccleſiaſtica, quæ licet Eccleſiam priuatam non faciant, illius tamen nobilem partem & membrum conſtituunt, & ſua etiã iura ſingularia ac leges quib. regantur,obtinẽt in quibus eminent varij Religioſi ordines. De eo omni iure in operis proceſſu agendum nobis erit,atque hoc loco de eius authore dicendum, quandoquidem de totius Eccleſiaſtici iuris origine & conditore diſputamus: vt verò methodum doctrinæ teneamus, agemus imprimis de vniuerſali iure totam Eccleſiam obſtringente; deinde de iure priuato ſingularum Eccleſiarum, tertiò de iure regulari; & quarto denique de iure cæterarum communitatum, Collegiorum & corporum Eccleſiaſticorum,quis eiuſmodi omnia iura, & Leges præſcribere poſſit,quibus omnibus explicatis de variis modis quibus eæ leges feruntur per conſtitutiones,reſcripta, mandata & alia eiuſmodi diſſeremus, ac denique de variis iuris Canonici collectionibus, earúmque authoritate.

CAPVT III.

De Iure vniuerſali totam Eccleſiam obligante, quis illud condere poſſit.

QVÆSTIO I. *De ſummo Legiſlatore Chriſto.*

QVÆSTIO II. *De B. Petro & cæteris Apoſtolis. An Leges vniuerſali Eccleſiæ ſancire potuerit.*

QVÆSTIO III. *De Romano Pontifice. An Ius vniuerſæ Eccleſiæ ſtatuere poſſit.*

ORDIOR igitur à Iure vniuerſali quod toti Eccleſię commune eſt & ab ea vbiuis Gentium ſeruari debet, & quæro quis eiuſmodi leges vniuerſalis & toti Chriſti Eccleſiæ communes ferre poſſit, ſtatímque apparet id non niſi ab eo qui poteſtatem gubernatiuam habet in totam Eccleſiam,quis verò ille ſit diſputamus.

QVÆSTIO I.

De Chriſto ſummo Legiſlatore.

CHriſtum ſupremam poteſtatem Gubernatiuam, & legiſlatiuam in Eccleſiam habuiſſe, & exercuiſſe conſtat,& fusè oſtendimus, *proximo libro cap.*4. & ex lege Euangelicá cuius author fuit,ex inſtitutione Sacramentorum & poteſtate iudicandi omnes. Colligitur, quare nihil hoc loco addendum videtur: Nam de inſtitutione Sacramentorum dicemus tomo proximo,de iudicandi poteſtate,quæ in toto Euangelio paſſim legitur & cum Legiſlatiua connexa neceſſario eſt, alibi commodior erit dicendi locus. Nobis impræſentiarum ſufficit Chriſtum eſſe ſupremum Legiſlatorem Eccleſiæ,cuius etiam ſupremus Princeps & Rex eſt; in eos tamen Chriſti titulos excurrere modo neque lubet,neque vacat.

QVÆSTIO II.

An beatus Petrus & cæteri Apoſtoli Leges vniuerſæ Eccleſiæ præſcripſerint.

Munus Apoſtolorum eſt Magiſterium orbis, n. 1. & 2.
In illis fuit plenitudo doctrinæ fidei, n.3.
Iidem fuere fundatores & Gubernatores Eccleſiæ, n.4.& 5.
An Petro æquales, n.6. & 7.
Prima Petri prærogatiua circa Magiſterium, n.8.9.10 11. & 12.
Secunda fit fundamentum Eccleſiæ, & Chriſti, verba explicantur, n.13.14.15.16.& 17.
Quomodo alij Apoſtoli ſunt fundamenta, numero 18.
Tertia, dantur claues Eccleſiæ Petro, n.19.20. 21. & 22.
Quarta, Paſtor vniuerſæ Eccleſiæ conſtituitur, 23. & 24.
Quomodo cæteri Apoſtoli Paſtores, n.25.26.27. & 28.
Noua Petri & cæterorum comparatio, n.29.30. 31. & 32.
Comparatur cum Paulo, n.33.34.35.36. & 37.
An Petrus & Paulus ſint vnum caput Eccleſiæ, n.37.38.39.40.41.42.43.& 44.

1 APoſtoli nomen à mittendo ducitur, & miſſum ſignificat; Quare & ipſemet Chriſtus Apoſtolus dictus eſt à Iuſtino *Apologia ad Antonin. ſub finem.* Nam & ipſe dicit ſe miſſum à patre. *Qui me audit, audit eum qui miſit me.* & ipſe Paul. ad Hebræos *cap.* 3. vocat eum *Apoſtolum confeſſionis noſtræ*, eaque de cauſa in ea *ad Hebræos Epiſtola* non ſe ſubſcripſit Apoſtolum, quia Chriſtum eorum Apoſtolum eſſe ſciebat, vt obſeruat Clemenſ. Alexandrin. apud Euſeb. *lib.* 1. *hiſtor. cap.* 15. neque Tertullian. *lib. de præſcript. cap.* 20. alia de cauſa *quos ſibi Chriſtus adlegit, vt mitteret tanquam à ſuo latere Legatos ad orbem erudiendum, Apoſtolos nominatos eſſe vult: ex quibus duodecim præcipuos lateri ſuo adlegerat deſtinatos nationibus Magiſtros. Itaque vno eorum decuſſo, reliquos vndecim regrediens ad patrem poſt Reſurrectionem iuſſit ire, & docere nationes tingendas in Patrem, & in filium & in Spiritum ſanctum.* qui Patriarchæ apud Iudæos ſummo ſacrorum præfecto aderant, tanquam intimi Conciliarij, quibuſcum grauia quoque negotia tractabat & per varias Prouincias mittebat, dicebantur Apoſtoli apud Epiphan. *Hæreſ.* 30. hoc itaque nomine quos è ſuo latere ad mundum erudiendum miſit Chriſtus Apoſtolos, & ipſe nominauit. Eorum igitur omnia munera ad duo præcipua reuocare poſſumus, quæ cætera omnia facilè complectuntur, & ſunt eximiæ in Eccleſia dignitatis prærogatiuæ.

2 Primum munus eſt Magiſterij, erudiendi ſcilicet omnes gentes & ab erroribus auocandi, atque ad Chriſtum conuertendi, quod munus maximè commendant PP. & inſignibus omninò laudibus efferunt Hieronym. *lib.* 1. *in Iouini.* nominat Principes diſciplinæ noſtræ, & Chriſtiani dogmatis Duces Irenæ *lib.* 4. *cap.* 38. duod. Caſtylum firmamentum Eccleſiæ, comparátque duodecim filiis Iacobi Gentis Iſraëliticæ ſatoribus Marc. in Liturg. quadam oratione *δωδεκάφωτον* duodena luce fulgentem lampada à Chriſto accenſam. S. Bruno ſiliis cœlis componit, Tertullian. *lib.* 4. *aduerſus Marcio. cap.* 13. duodecim fontibus Eli. duodecim gemmis in tunica ſacerdotali Aaronica, duodecim lapidibus à IESV ſiue Ioſue è Iordane electis, & in Arca teſtamenti conditis. Iuſtin. *Dialog. cum Triphone* duodecim tintinnabulis è ſtola Pontificia dependentibus, quod & Damian. *ſerm.* 2. *de S. Bartholomæo*, & egregie ſi Proſper. 2. *p. de promiſſ. cap.* 3. illuſtrat. Nam in quinquaginta tintinnabulis totidemque malis Granatis exprimi vult lingua Eccleſiarum, quæ die Pentecoſtes per ſpeciem ignis diuiſæ ſunt, & per mala granata tota Eccleſia coniuncta, vt grana intrinſecùs continens, populo in vinculo pacis & gratiæ, vnum eos tegmen operiat Charitatis, reſonantibus enim tintinnabulis ſtatim mala granata mota ſunt, &c. Zodiacum in Eccleſiæ cœlo ſub ſole Chriſto explicant Anaſtaſ. *Sinaita lib.* 4. *contemplat. in exhaſem.* Georgius Venat. *Cantico* 2. & Philippus Abbas *in c.* 3. Iobi ad illud, *nec numerentur in menſibus anni*, à quo non multùm abſunt qui duodecim diei & noctis horas Apoſtolos eſſe volunt, vt Zeno Veron. *ſerm.* 1. *de Paſcha.* Auguſt. *tract.* 49. *in Ioan.* Chryſolog. *ſerm.* 170. vbi lucis ac diei filios appellat Bleſenſis *ſerm.* 33. comparat Onagris, *qui in diebus æquinoctiorum diei ac noctis horas ſuis rugitibus diſtingunt, quaſi naturales horoſcopi, & vt naturæ beneficio ſuum gnoma horologicum habeant feræ in cubilibus ſuis, ad hunc modum Apoſtoli ſermone ſuo in omnes fines terræ opera lucis & tenebrarum diſtinxerunt, opera carnis ab operibus ſpiritus ſecernentes*, &c. Auguſt. *in Pſal.* 3. dentes Eccleſiæ dicit de iiſque egregiè Philoſophatur Hilari. *in Pſalm.* oculos Auguſt. in *Pſal.* 7. *ad illud Arcum ſuum tetendit.* Sagittas potentis acutas cum Carbonibus vaſtatoribus Eucheri. *hom. de SS. Petro & Paulo*, & Origen. *homil.* 2. *in Cant.* idem Epithetum ornant currus & equites Chriſti: Chryſ. *ſerm.* 170. ſed egregiè Ambroſ. *ſerm. in Pſal.* 118. *v.* 8. *O bonorum equorum duodeca iugum mirabile, quibus fræna ponis habenæ ſunt charitatis, conſtricti inter ſe concordiæ vinculis, & iugo fidei ſubiecti, quatuor rotis Euangelij Myſterium, totius orbis finibus inuehentes, Bonum Aurigam portantes Dei verbum, cuius flagello fugatæ ſunt, illecebræ ſæculares, exterminatus mundi iſtius Princeps iuſtorum curſus impletus eſt.* & reliqua omninò legenda Clem. Alexand. *lib.* 2. *de pædago. cap.* 8. Chriſti pedes qui vnguntur vnguento odorifero, & cum ingenti gloria orbem peruadunt: Nyſſem. verò *homil.* 13. *in Cant. & homil.* 15. Capillos ſponſi vocauit. Montium cum Apoſtolis comparatio familiaris eſt Patribus. *hom.* 3. *Eucheri.* Auguſtin. *in Pſalm.* 75. *& in Pſal.* 124. ad illud *Montes in circuitu eius.* Philom. Carpath. *In illud Cantic. Ecce veniet tranſiliens montes.* Qui montis venis Metall. freti ſunt, Guillielm. Pariſ. *lib. de legib. cap.* 16. *ſub fin.* de quibus etiam Theſauris, vide Iſidor. Pel. *lib.* 2. *ep.* 4. *&* 5. Nubibus è quibus pluuiam accipimus comparat Origen. *tract.* 45. *in Math.* vbi & plura alia huius ſimilitudinis capita adiungit, ſicut & *homil.* 5. *in Ierem.* & Hieron. *Ep.* 9. *in tom.* 9. Amb. *in cap.* 21. *Lucæ* Nyſſen. dum SS. Petrum & Paulum laudat, & de tonitruis è nubibus Auguſt. *in Pſal.* 45. ad illud. *dedit vocem ſuam, & mota eſt terra.* Totam hanc pluuiæ è nubibus decidentis comparationem fuſius proſequitur Cyrill. *l.* 4. *in Iſaiam ad illud. Spargant nubes Iuſtitiam.* Ille ipſe Cyrill. componit lapidibus impolitis ad extruendum altare aceruandis in monte Hebal. *lib.* 5. *Glaphi in pentat.* Cyril. verò Hieroſol. *Cathe.* 10. cum duodecim viris ad terram promiſſam diuidendam electis à Ioſue quod & Auguſtin. præſtitit *ſermon.* 49. *de temp. lib.* 4. *contra Fauſtum cap.* 19. Hieron. *lib.* 1. Ionin.

Proſp. 7.

Proſp.7. *par. de promiſſ. cap.*15. *& ſeq.* cum duodecim Iudicibus veteris teſtamenti; Rupert. *lib.*4. *de victoria verbi Dei cap.* 7. cum Leonibus throni Salomonici. *Bleſenſis ſerm.* 25. cum vectoribus portantibus arcam Cyril. Alexand. *lib.*1. *de adorat.* & cum duodecim panibus propoſitionis; idem *lib.*10. *de adorat.* quas omnes pluresque alias comparationes complectitur Caliſtus Pontifex *ſermone* de Vigilia S. Iacobi, qui refertur in vltimo tomo Biblioth. Colonienſ. SS. Patrum, quæ omnia, aliàque quibus SS. Patres Apoſtol. dignitatem ſupra modum efferunt. Cum Macario *hom.* 18. Procl. Conſtantin. *orat. in S. Andream edita* à Gallet. Heſychius Presbyter ſimili orat. Laurent. Iuſtinian. *Serm. de S. Mathia ſub fin.* Gregor. *lib.*18. *moral. cap.*31. & ſæpiùs Chryſoſtom. *hom. de Pentecoſte, hom. in Pſal.* 100. *& in cap.*1. *ad Roman. & tom.*5. *Serm.*50. hæc inquam omnia ad munus prædicandi & docendi fidem vniuerſum orbem reuocantur.

3 Exquibus colliges primò plenitudinem doctrinæ fidei ipſis fuiſſe communicatam, ita vt errorem eſſe cenſeant Caſtrus *v. Apoſtoli* & Valent. 22. *diſp.*1. *q.*1. *punct.* 6. arbitrari quemquã plura ſciuiſſe de diuinis: quia verò ea notitia & doctrina iis tradita eſt cum poteſtate illam prædicandi: *Docete omnes gentes.* Certum nobis eſſe debet illos Regulas fidei & dogmaticos Canones nobis tradidiſſe, qui totum orbem, omneſque gentes obligent; atque adeò vniuerſale ius Eccleſiaſticum circa fidem condidiſſe, neque ea in parte eſſe vlla dubitatio: ſapienter enim Tertullian. *de præſcrips. cap.* 20. *fœlix Eccleſia cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt.*

4 Verùm non ad prædicandam dumtaxat fidem miſſi ſunt Apoſtoli, & orbis totius magiſtri cum dignitate & eximia prærogatiua conſtituti, ſed etiam ad fundandam, regendam & gubernandam Eccleſiam cum poteſtate pleniſſima diſpenſandi, conficiendique Sacramenta, condendi leges Eccleſiaſticas, inſtituendi miniſtros, & quidquid ad Eccleſiaſticam adminiſtrationem, ac politiam pertinet ordinandi: cum vt monet Paulus in domo Dei omnia ordinata eſſe debeant. Quare vt vno verbo omnia complectar, pleniſſimam poteſtatem tum ordinis, tum iuriſdictionis in Eccleſiam habuerunt, vt quæ nullis certis loci, Regionum & perſonarum limitibus definiretur: ſiue vt clarius loquamur Epiſcopalem dignitatem & iuriſdictionem acceperunt, nulla certa Diœceſi, aut Prouinciæ circumſcriptam, in qua legumlatiuam poteſtatem contineri dubium non eſt; & reipſa leges fixiſſe Eccleſiis oſtendimus ex Paulo *libro ſuperiori*, vbi de Chriſto Legiſlatore actum eſt.

5 Hinc fit vt quidquid Apoſtolica traditione inſtitutum habetur, id conſtanter vbique ſeruetur, vt ieiunium quadrageſimale, Aqua luſtralis, & alia eiuſmodi: in Eccleſiis verò quas ab aliquo Apoſtolo fundatas eſſe conſtat, quod illæ à ſuis fundatoribus Apoſtolis acceperunt, quantum per viciſſitudines temporum licuit tenetur, quod ex Annalibus tum vniuerſalibus, tum illarum Eccleſiarum non foret operoſum demonſtrare.

6 Dices hinc haberi æqualem omninò Petri & cæterorum omnium Apoſtolorum fuiſſe poteſtatem: illi enim omnes & magiſtri fidei, & Eccleſiarum fundatores atque Inſtitutores fuerunt, neque ipſorum magiſterium, aut iuriſdictiones vni certæ genti fuerunt alligatæ vt patet, quod maximè verum eſt in Paulo, qui tamen poſt Chriſti Reſurrectionem creatus fuit Apoſtolus, ſicut & Barnabas, dixit enim Spiritus Sanctus *Segregate mihi Saulum & Barnabã ad opus ad quod aſſumpſi eos*: Nihil igitur eximium habuit Petrus præ cæteris Apoſtolis circa Magiſterium & gubernationem Eccleſiarum, quare licet nominetur primus inter Apoſtolos ille primatus eſt tantùm dignitatis vel vocationis, vel ordinis, non verò poteſtatis & eminentiæ, quaſi habeat aliquid quod cæteri non habeant, & poſſit quidpiam quod reliqui non poſſent, & habeat vniuerſalem quandam iuriſdictionem in cæteros Apoſtolos, cum verò Epiſcopi ſucceſſerint Apoſtolis, ſicut Romanus Pontifex Petro, ſequitur eos parem in ſuis Eccleſiis habere poteſtatem, quamvis ad ſeruandam vnitatem Eccleſiæ, primatum ordinis & cuiuſdam dignitatis tribuant PP. Romano; Pontifici, non verò aliquam in ipſos poteſtatem & iuriſdictionem agnoſcere cogantur.

Reſp. hanc obiectionem veterem & communem eſſe omnibus hæreticis & ſchiſmaticis, qui diſceſſionem à capite Eccleſiæ, Romano Pontifice fecerunt: non enim poterant eius primatum validius concutere, quàm ſi Petri ipſius dignitatem & primatum euerterent, dum illum cæteris Apoſtolis non modo parem efficiunt, ſed etiam in pluribus inferiorem; ideóque Chriſti negationem, aliaque probra & Næuos petulanter ipſi exprobrant: in his proteruè inſaniunt Magdeburgenſ. *centur. prima cap.* 10. Nos hoc loco neque illa probra diluimus, neque in Petri laudes, dotes, eiuſque omnes prærogatiuas excurrimus, quod diligenter præſtitere R. Offenſ. *in art.* 25. *Lutheri*, Sanderus *lib.*2. *de claue Dauid cap.* 3. Bellarm. *lib.*1. *de Pontif. à cap.* 17. *ad* 25. Boſſius *lib.*18. *de ſignis cap.* 1. & alij plures, non placet etiam omnes controuerſias, quas colligit obiectio diſcutere, earum enim præcipuas tum *q. ſeq. tum tomo* 3. Vbi de Hierarchia Eccleſiaſtica diſputabimus, accuratius explicabimus. Contenti in præſentiarum Petri ſupra cæteros Apoſtolos, prærogatiuam circa fidei magiſterium, & Eccleſiæ adminiſtrationem, paucis pro noſtro inſtituto attingere; cætera ad Doctores controuerſiarum reijcientes, quid verò eximium Petro præ cæteris conceſſum fuerit à Chriſto, ex ipſiſmet Chriſti verbis paucis colligemus. 7

Quod igitur ad magiſterium, ſiue doctrinam fidei, & in eius quæſtionibus definiendis ſupremam penè vltimam authoritatem Petro, non cæteris Apoſtolis factam, aperta ſunt verba Chriſti *Luc.*22. *Simon Simon Ecce ſatanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum: Ego rogaui pro te vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* In quibus verbis obſeruandum imprimis eſt Chriſtum pro ſolo Petro, ne eius fides vnquam deficeret oraſſe, quam indefectibilitatem non orauit neque promiſit cæteris Apoſtolis, quamvis enim illi poſt acceptum Spiritum ſanctum in die Pentecoſtes, confirmati fuerint in gratia, & quod inde ſequitur neque peccare, neque fidem amittere potuerint; pro fidei eorum indefectibilitate non orauit Chriſtus, neque proinde eam promiſit, ſed orauit pro Petro vt eius fides non deficeret, & vt fratres & condiſcipulos Apoſtolos titubantes ad illos conuerſus confirmaret, quia ipſe fundamentum & Petra futurus erat. Leo ſerm.1. *de Anniuerſario Aſſumptionis ſuæ pro fide Petri propriè ſupplicatum tanquã aliorum ſtatus certior ſit futurus, ſi mens principis victa non fuerit. In Petro ergo omnium fortitudo muniatur, & diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas, quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum Apoſtolis conferatur,* & ſuperius dixerat, *commune erat omnibus Apoſtolis periculum, de tentatione formidinis, & diuinæ protectionis auxilio pariter indigebant, quoniam Diabolus omnes exagitare, & decipere cupiebat, & tamen ſpecialis à Domino Petri cura ſuſcipitur, quia nimirùm ſuccuſſo fundamento & deficiente fide Petri, tota Eccleſia ædificatio periclitatur*: Quare Auguſtin. *lib. de correptione & Grat. cap.* 8. *Rogaui vt haberet in fide liberrimam, fortiſſimam, inuictiſſimam* 8

ſimam

ſimam, perſeuerantiſſimam voluntatem. Chryſ.*hom.*83.*in Math.* non dixit. *Non negabis, ſed non deficiet fides tua.* Theophilac.*in cap.* 22. *Luc. Quamuis breui tempore, concutiendus ſis, habes recondita ſemina fidei etiamſi folia excuſſerit Spiritus inuadentis te, radix tamen viuet, & non deficiet fides tua.*

9 Obſerua, ſecundò iiſdem verbis tradi Petro authoritatem confirmandi fratres hoc eſt Apoſtolos, vti etiam explic. L. *Quod autem ait; & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos, non ſignificat Petrum aliquando infidelem futurum. & ſi enim negauit ore tenus, non tamen fidem internam abiecit.* Neque id temporis erat adhuc Pontifex & caput Eccleſiæ, quamvis eiuſmodi dignitas illi iam promiſſa fuiſſet. Hanc porrò negationem permiſit Deus, vt is qui futurus erat paſtor Eccleſiæ, in ſua culpa diſceret, qualiter aliis miſereri debuiſſet, inquit Gregor.*hom.* 11.*in Euangel.* Senſus igitur illorum verborum Chriſti. *Et tu aliquando conuerſus*, eſt vt ſi quando viderit aliquos in fide nutantes, ad illos conuerſus, ipſos confirmet.

10 Secundò cum Petrus fuerit à Chriſto conſtitutus, vt ſtatim dicemus petra & fundamentum Eccleſiæ aduerſus quam portæ inferi quæ ſunt hæreſes & falſæ doctrinæ, non præualebunt, debuit hoc fundamentum conſtans & ſolidum eſſe non fluctuans omni vento doctrinæ concuti, & ſi ædificium adeò firmum ſit, vt ruere nequeat, neque eius fundamentum nutare debebit, cum tota domus firmitatem à fundamento non fundamentum à domo accipiat.

11 Tertiò eodem recidit quod aliqui PP. fidem Petri nominant fundamentum Eccleſiæ, cauſale, nimirùm quia confeſſio fidei facta à Petro, cauſa fuit propter quam ipſi conferretur à Chriſto fundamenti prærogatiua. Ita Hilari.*lib.*6.*de Trinit. & Can.* 16.*in Math. & in Pſal.* 131. Cyrill.*lib.*4.*de Trinit.* Chryſoſt. *hom.* 55. *in Math.* Ambr.*lib.*6.*in Luc. cap.*9. fidem Petri vel illius confeſſionem, Petram Eccleſiæ interpretantur, quibus verbis non negant Petrum eſſe conſtitutum Eccleſiæ fundamentum, vti nugantur nouatores, poſt Paulò reijciendi, ſed vt dixi, illam Petri prærogatiuam propter fidei confeſſionem iiſq; factam fuiſſe, vel quia Petrus ſua indefectibili fide totam Eccleſiam ſuſtentat. Ideò Chryſ.*hom. in Pſal.* 50. vocat κρηπῖδα τῆς πίστεως, στόλον τῆς ἐκκλησίας Quia fide, eſt inſtar Petræ aut ſilicis ſolidatus vt dicit Turrian. *defenſione prima aduerſ. Sadaëlem cap.*9. Petrus eſt Petra fidei, & Eccleſiæ firmatæ fundamentum, ac ſpiritualis ædificationis primus aditus, ſuper hanc enim confeſſionem fundamentum fidei perſtabit, tali namque Petra ac rupe collocata, reliqua firmè ac tutò collocabuntur Euſeb. Alexandrin. *homil. de Reſurrectione in illud, dicite diſcipulis & Petro.* Inducit Chriſtum inuitantem Petrum ne metueret ad ſe accedere, quem antè negauerat, ſe impleturum, nihilominus quæ antè promiſerat, & ſupra Petram fidei eius ædificaturum Eccleſias, meminit huius Euſebi Antherius Ponticus in Epiſtola ſua, & ex Cyrill. homiliis quas ἑορταστικὰς vocauit, Petra aliud non eſt, quàm immobilis & firmiſſima diſcipuli fides, ſuper quam ita fixa & fundata eſt Eccleſia Chriſti, vt ſubuerti nequeat, & à portis inferi perpetuò tacta duret. Cum igitur Petri fides ex omnium Patrum ſenſu, atque ipſis Chriſti verbis, fundamentum Eccleſiæ ſit, quod non tribuitur aliorum Apoſtolorum fidei, neceſſe eſt illam non modo immobilem eſſe, ſed etiam talem quæ poſſit totam Eccleſiam fundare, & cui fideles omnes coœdificari valeant, quod non fit, niſi quia fidem & doctrinam Petri ſequi eos oportet, atque adeò errante Petro ipſi errabunt, totáque ruet Eccleſia, contra quam promiſerat Chriſtus portas inferi, falſaſque doctrinas non præualituras.

Quartò Chriſtus ſoli Petro ſuas oues paſcendas 12
commiſit. Cum igitur grex teneatur obedire Paſtori, ſi Petrus aliquid falſum docuiſſet obligabitur Eccleſia falſæ illi doctrinæ aſſentiri, neque ouium eſt iudicare Paſtorem ſuum, aut ab eo ad alium prouocare, ad quem enim prouocabunt, ſanè non legimus factam fuiſſe promiſſionem huius indefectibilitatis ouibus, ſed Paſtori Petro, qui eam immediatè accepit, & pro tota Eccleſia vt caput pro corpore, Rex pro Regno, non verò vt legatus à Republica, cui nihil confertur niſi quatenus ſuſtinet perſonam Reipublicæ, cui proindè immediatè conceditur in perſona ſui legati ſi quid conceditur, neque Petrus fuit legatus ab Eccleſia, vt patet, & iterùm ſtatim fuſius dicemus.

Neque valet quod obijciunt Nouatores Paulum *ad Galat.* 2. reprehendiſſe Petrum circa legalium obſeruationem, *quia* inquit *reprehenſibilis erat*, vt enim omittam quæ de tota hac controuerſia inter Apoſtolos fuſius diximus *lib. ſuper.* ſi quis error Petri fuiſſet hac in parte, conuerſationis fuiſſet, non doctrinæ vt obſeruat Tertullian. *cap.* 23. *de præſcription.* ipſeque Paulus aliquando legalia obſeruauit, nam & Timotheum circumcidit, & ſe ipſe ritu legali purificauit Hieroſolymis. Paulus reprehendit Petrum non quaſi in illum haberet, aliquid authoritatis, ſed tanquam inferior ſuperiorem, vnde Petri modeſtiam & humilem animum commendant PP. Auguſtin.*lib.*2.*de Baptiſmo contra Donatiſtas*, & Chryſoſt. *in cap.*2.*ad Galat.* neque reprehendit Petrum quaſi errantem in fide, ſed quod ſuo exemplo occaſionem præberet Iudæis ſeruandi legalia, quod aliqui ita faciebant, atque ſi ea obſeruatio neceſſaria eſſet ad ſalutem, quæ erat longè alia Petri mens, quam *act.* 15. in Concilio Hieroſolymitano ſatis prodiderat.

Alterum Petri Priuilegium habemus expreſſum 13
verbis Chriſti *Math.* 16. *Et ego dico tibi. Quia tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Quæ verba Petrus Damian. *ſerm.* 1. *de ſancto Marco vocat tonitru muneris ſingularis quod totius mundi latitudinem, omniumque vbique fidelium ora compleuit*, Eodem reſpexit S. Leo IX. *Ep. ad Michaëlem & Leonem:* Cum ait Euangelicam veritatem, *ad cuius tonitruum quiſquis non expergiſcitur, non dormit, ſed omninò eſt mortuus, cui iam fruſtra ab hominibus clamabitur.* & tamen adhuc Nouatores vel obſurdeſcunt vel ſi audiant eorum verborum ſenſum falſis interpretationibus eludunt: his igitur verbis quæ ad ſolũ Petrum dirigũtur. ipſe fundamentum & petra immobilis, cui vniuerſa Eccleſiæ ſtructura innititur, ex perſpicuo vocũ ſenſu, conſtituitur. Patres in hanc rem addenſant Robertus Arboricenſis *tom.*1.*de vtroque gladio ſub initium.* Maldonat. *in eum locum* Suar.*lib.*3.*defenſ. fidei c.*10.*n.*3. Stapblin. *lib.*6.*de princip. cap.*1. Valent.2.2.*diſp.*1.*q.*1.*punct.*7.§.28. Azor. *tom.*2.*lib.*4.*toto*; & præſertim *cap.*19. Bellarm.*lib.*1.*de Pontif. à cap.*10.*ad* 13. Mauclerus *p.*1. *Monarchia lib.*2. *cap.*2.*&* 3. Hieron. Torrenſ. *in confeſſ. Auguſtin. lib.*1. *cap.*9.§.2. & alij ſanè ſi ipſa Chriſti verba expendamus; ſtatim apparet Chriſtum promittere vni Petro Eccleſiæ principatum ſub duabus metaphoris, altera fundamenti & Petræ cui ſuperædificanda ſit Eccleſia, altera clauium cui enim ipſæ traduntur, gubernator aut Dominus conſtituitur ciuitatis, *de priori Metaphora* agimus hoc loco.

Et quidem Petrum eſſe ipſam illam Petram, cui dicitur in ædificanda eſſe Eccleſia, oſtendit imprimis pronomen demonſtratiuum. *Hanc, & ſuper hanc Petram*; Nempè illam de qua proximè Chriſtus locutus fuerat, erat enim Simon filius Iona, quem mutato nomine Petrum, ſiue Cephas vocauerat, Cephas

verò

verò qua lingua loquebatur Chriſtus ſaxum & Rupem ſignificat, ait igitur Chriſtus: Tu es Cephas, ſiue tu es Petra, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Quare illud *hanc Petram* referri nequit niſi ad Petrum. Cur verò vulgatus non reddidit: Tu es Petra, quod clarius fuiſſet, quam tu es Petrus, eſt quia non reddidit ex Syriaco, ſed ex Græco. *σὺ εἶ πέτρος καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ οἰκοδομήσω τὴν ἐκκλησίαν, μοῦ*: Græcis verò *πέτρος* & *πέτρα* lapidem ſignificant, & vtrumque nomen vſurpauit hoc loco *σὺ εἶ πέτρος* & *ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ*, neque ſanè aliò referri poteſt illa Petra, quàm ad Chriſtum quod enim Eraſm. interpretatur ex Origene qui *tractat. 1. in Matth.* omnem imitatorem Chriſti, & omnem fidelem & perfectum: *Quia in ſingulis quibuſque perfectis qui habent in ſe Congregationem verborum, & operum & ſenſuum omnium, conſiſtit Eccleſia, cui porta non præualebunt inferorum.* Quis non videt ſolemnem Origenis morem, exponendi aut potius explicandi omnia per Allegorias, contra perſpicuum & planum ſenſum verborum, vti hoc loco. Cur enim Chriſtus ſi de omni fideli loquebatur, tot adiunctis Petri perſonam, cui ſoli illa conuenire poſſunt deſignauit: vocat enim proprio nomine Simonem, deſignat eius parentem, dum ait filium Ionæ vel Ioannis, ne quis ad alium quempiam Simonem referret. Appoſuit & nomen nouum, Cephas & Petræ quod modo ipſi indiderat; & quod deindè ſeruari volebat, & pluribus pronominibus vnam & certam perſonam demonſtrat. *Et ego dico tibi quia. Tu es Petrus & ſuper hanc Petram*: quis vniuerſitatem fidelium his pronominibus notari dicat, & quod Eraſmus non vult ſuper vnum hominem ædificari Eccleſiam, nunquid omnes fideles homines ſunt, quare Hugo Grotius quamuis Heterodoxus *in annotat.* ait Chriſtus cum hoc diceret non ſemetipſum, ſed Petrum digito, aut nutu deſignauit: id enim conueniebat propoſito reddendæ rationis impoſiti nominis. Ita de Abrahamo dictum. Nomen tuum erit Abraham, quia Patrem multarum Gentium te conſtitui. Iacobo. Iſraël erit nomen tuum. Nam vt Principem te geris apud Angelos & homines. Ita Chriſtus. Petrus à me nominatus es, quia eris quaſi Petra: Benè autem *Matthæi* interpres vocis Hebrææ genus mutauit, quia neque vir *πέτρα* ſalua Græci ſermonis regula dici poterat, neque *πέτρος* id vſitatè ſignificabat, quod Chriſtus volebat Iudicatum: nempè ſaxum tale ſuper quo aliquid ædificari ſoleat, vides igitur Petram hoc loco non aliud eſſe, etiam ex aduerſariis, quàm ipſum Petrum & Simonem Bariona quem digito vel nutu deſignarit, & rationem ſaxi & Petræ qua functurus erat, cōtinere cauſam noui nominis impoſiti. Obſeruat etiam Grot. Eccleſiæ nomen hoc primum loco occurrere, & ex Hebræis illud non ſignificare quamlibet multitudinem, ſed quæ conſtet ex certo quodam hominum genere, quamvis aliquando voces Hebreæ promiſcuè ſic vſurpentur, plerumque tamen *ἐκκλησία* nihil aliud eſt quàm populus Iſraël, & deinde populus Chriſtianus quod pluribus oſtendit.

14 Ex his reijcias Caluinum, *qui lib. 4. Inſt. cap. 6. §. 6.* ait Chriſtum eſſe illam Petram, quod & Auguſt. velle viſus eſt *lib. 1. retractat. cap. 21.* Reſp. Auguſtinum vtramque ſententiam eo loco probaſſe, & permiſiſſe Lectori, vt quam ex illis duabus probabiliorem exiſtimaret, ipſe eligeret: deinde adductum ſe in eam de Chriſto ſententiam demonſtrat ex ignorantia linguæ Hebrææ, *quia*, inquit, *non dictum eſt Tu es Petrus, Petra autem erat Chriſtus.* Neſciuit Auguſt. vocem Syriacam Cephas ſignificare Petram & ſaxum ſiue rupem: ſi enim id ſciuiſſet non confugiſſet ad aliam Petram, quàm quæ indicabatur à Chriſto, qui de ſe non loquebatur, vt ex omnibus adiunctis & tota contextus ſerie monſtratum fuit. Cephas autem vocem Syriacam eſſe demonſtrat Ribera *ad Ioan. cap. 1. ad illud. Tu vocaberis Cephas*, & hallucinantur qui Græcam faciunt à *κεφαλὴ* cum Vigilio *Epiſt. ad Euterum Epiſcopum*, Lyran. *in 1. Ioann.* & Mantuan. *lib. 1.* Faſtorum ſacrorum.

Inde quoque apparet quomodo Confeſſio Petri & fides, quam tunc de Chriſti diuinitate protulit ſit Petra & fundamentum Eccleſiæ, quod voluit Hilar. *lib. 6. de Trinit.* & Ambroſ *in Luc. lib. 8. cap. 9.* Chryſoſt. *hom. 55. in Matth.* & alij, nam iam oſtendimus verba illa non ad fidem abſolutè, ſed ad Petri perſonam refferri. Deinde fidem in vniuerſum eſſe initium & fundamentum Iuſtificationis nemo negat. Non verò Eccleſiæ, quæ fide quidem conſtat, cum ſit cœtus fidelium, non tamen illi inædificatur tanquam fundamento, quandoquidem fundamentum & reliquum ædificium eiuſdem generis ſunt: atqui hoc ædificium ſunt ipſi homines, quaſi lapides viui *1. Pet. 2.* debent igitur fundari ſuper certo quodam homine non aliqua virtute, rectè tamen fides Petri dicitur Eccleſiæ fundamentum, quia illa meruit Petro eam prærogatiuam, deinde quia Petrus per ſuæ fidei indefectibilitatem, pro qua Chriſtus rogauit, quamque ſine dubio obtinuit, Eccleſiam tanquam immobile fundamentum ſuſtentat, itaque Eccleſiam fundari ſupra Petrum & ſupra fidem Petri idem omninò ſunt. Vnde Hilar. *loco citato ſupereminentem fidei ſuæ conceſſione locum promeruit, &c.* Hinc Regni cœlorum habet claues, hinc terrena eius iudicia cæleſtia ſunt *& in cap. 16. Matth. occupatione noui nominis felix Eccleſiæ fundamentum.* Ambr. *l. c. in Luc. Etiam diſcipulo ſuo huius vocabuli gratiam non negauit, vt & ipſe ſit Petrus, qui de Petra habeat ſoliditatem Conſtantiæ fidei firmitatem.* 15

16 Petrus igitur Eccleſiæ Petra & ſaxum immobile, fundamentum Eccleſiæ conſtituitur à Chriſto. Ambroſ. *Serm. 47. Petra dicitur Petrus eò quod tanquam ſaxum immobile totius operis Chriſtiani compagem, molemque contineat.* Hoc autem aliud non eſt quàm Petro totius Eccleſiæ regimen, maximè circa fidem illi fuiſſe commiſſum. Quare vetus author *ſermonis de SS. Petro & Paulo, qui inter Ambroſianos eſt 2. inter Auguſtinia. 26.* Huc pertinere exiſtimat. Primum miraculum S. Petri de ſanato Claudo. *Si ergo*, inquit, *Petrus Petra eſt, ſuper quam ædificatur Eccleſia, rectè prius pedes ſanat; vt ſicut in Eccleſia fidei fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmat; rectè inquam primum in homine Chriſtiano curat, vt iam non tepidus nec imbecillis poſſit ſuper Petram Eccleſiæ, ſed robuſtus & fortis incedere.* Eodem S. Leo IX. *epiſt. ad Michaël & Leonem.* Eius crucifixionem, verſo in terram capite refert eadem: *Quod vtique deuotiſſimus ille Petrus non ſolùm, viuens, ſed etiam moriens demonſtrauit, quando nimia humilitate. congrua ſignificatione, ſe crucifigi deorſum verſo capite petiit, profectò diuina inſpiratione præfigurans ſe ſe eſſe primum, & quadrum lapidem, in fundamento quod eſt Chriſtus - Ieſus compaginatum, cohærentem atque connexum, qui vtpotè ſuperpoſitus angulari lapidi totum corpus Eccleſiaſtica fabrica, incorruptibili ſoliditate ſufferret, ac proprij capitis ſuppoſitione omnia membra corporis Chriſti, per aptas & naturales compages vſque ad conſummationem ſeculi, quaſi vſque ad pedes creſcentia inflexibili collo ad Cœlos ſuſtolleret.*

Denique Cephas Eccleſiæ inædificandæ, vt iam ſæpiùs monuimus conſtituitur Petrus à Chriſto, quæ vox Syriacæ vel Hebrææ Petram, Saxum & rupem deſignat, vt Hieron. *ad Galat. 2.* ad illud. *Cum veniſſet Cephas*, & *lib. de nomin. Hebraic. Ianſen. c. 17. & 66. concord.*

concord. Vbi ſignat varia loca in quibus Latinus interpres nomen Petræ vel rupis reddit pro nomine Cephaſ. Sapienter verò Agobardus *lib. de Iudaic. ſuperſtitio.* Reijcit Iudæorum ineptias qui Petram dictam volunt Kepham à duritie & hebetitudine : non addo hoc loco paſſim obuia patrum dicta qui Petrum agnoſcunt, verbis illis quæ verſamus, conſtitutum fuiſſe Eccleſiæ fundamentum , illos adducunt Bellarm. *lib.* 10.*de Pontif. cap.* 10. Franciſcus Agricol. *lib. de primata Petri cap.* 1. Franciſc. Lucas. *ad cap.* 16. *Math.* Mariani victorius. *ad Ep.* 54. Hieron. Maximilianus Saudæus. *in Grammatico profano commentar.* 14.*n.* 23. *pameli.ad Ep.* 55. *S. Cyprian.* Hieronym. Torrenſ. *in Confeſſione.* Auguſt. *lib.* 1. *cap.* 9. §. 2. Et alij.

18 Dices hoc nomen fundamenti conuenire , tum Chriſto imprimis, de quo Paul. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere , præter id quod poſitum eſt , quod eſt Chriſtus.* Deinde Apoſtolos quoque fundamenta agnoſcit , idem, dum ait fideles ſuper ædificatos ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum. Apocal. 21. Murus Ciuitatis habet fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim nomina Apoſtolorum Agni , non eſt igitur aliquod Petri Priuilegium eſſe fundamentum Eccleſiæ. Cum nomen illud conueniat Chriſto , & deinde per quandam participationem cæteris omnibus Apoſtolis æquè ac Petro.

Reſp. Chriſtum eſſe fundamentum fundamentorum, vt loquitur Auguſt. *in pſal.* 8. Et vt ait Iſai. 28. *Lapidem probatum angularem pretioſum in fundamento fundatum*, quod de Chriſto interpretatur. Petrus. *Epiſt.* 1. *cap.* 2. Nihilominus ſicut Chriſtus voluit nomen Petræ ſibi proprium eſſe Petro participatione commune, vti obſeruant PP. Ita & fundamenti nomen eidem communicant , ita vt ſub Chriſto ſic ipſe primarium fundamentum , vt Gregorius IX. *Epiſt. ad Germanum.* Conſtantinopolit. ſcribit , & Ambroſius. *Serm.* 2. *de SS. Petro & Paulo. Deinde quamvis & cæteri* Apoſtoli dicantur fundamenta , quia fuerunt primi lapides huiuſce ædificij : illi tamen ipſi Petro ſuperædificati ſunt, ſed de multiplicibus fidei & Eccleſiæ fundamentis , vide Turrecremat. *lib.* 2. *de Eccleſ. c.*17. Integra tamen Petri & eximia prærogatiua eſt. Nam ipſe confirmare debuit, & potuit Columnas Eccleſiæ, atque reliqua fundamenta. Quare & ipſius ſucceſſorem Romanum Pontificem fundamentum ſuper quod Eccleſiæ columnæ confirmatæ ſunt, vocat Sergius Cyprius. *Epiſt. ad Theodorum.* Papam adductus. *in Concilio Lateranenſi.* Sub Martino I. *Conſultatione* 1. Et S. Athanaſi. cum Collegis ſuis. *Epiſt. ad. Felicem Papam.* Et Nazianz. *orat.* 26. Dixit fundamenta Eccleſiæ commiſſa eſſe fidei , hoc eſt tum Apoſtoli tum eorum ſucceſſores. Columnæ quoque Eccleſiæ dicti Iacob. aliiſque Apoſtoli à Paulo, & Petrus iuſſus erat à Chriſto confirmare fratres ſuos Luc. 22. Quare Theophilact. ait. *Planus huius loci intellectus eſt, quia te habeo vt principem diſcipulorum, poſtquam negato me, fleueris & ad pœnitentiam veneris, confirma, cæteros. Hoc enim te decet, qui poſt me Eccleſiæ petra & fundamentum es.* Idem de Chriſto principali Petra , & ſecundaria Petra habent cœteri Patres , qui hanc Petræ firmitatem ex ſoliditate illius fidei deducunt Leo. *Serm.* 2. *de ſua aſſumptione. Et ſi multis paſtoribus Curam ſuarum ouium delegauit ; ipſe tamen dilecti gregis curam non reliquit, de cuius principali æternoque præſidio , & Apoſtolici operis munimen accepimus , quod vtique ab opere ſuo non vacat, & firmitas fundamenti , cui totius Eccleſiæ ſuperſtruitur altitudo, nulla incumbentis ſibi templi mole laceſſet, ſoliditas enim illius fidei quæ in Apoſtolorum Principe eſt laudata, perpetua eſt, & ſicut permanet, quod in Chriſto Petrus credidit , ita permanet quod in Petro Chriſtus inſtituit.* Et poſt Paulò : *Manet ergo diſpoſitio veritatis & Beatus Petrus in accepta fortitudine Petræ perſeuerans ſuſcepta Eccleſiæ gubernacula non reliquit : Sic enim præ cæteris eſt ordinatus vt dum Petra dicitur , dum fundamentum pronuntiatur, dum Regni Cœlorum Ianitor conſtituitur, dum ligandorum, ſoluendorumque arbiter , menſura etiam in cælis Iudiciorum ſuorum definitione præficitur, qualis ipſi cum Chriſto eſſet ſocietas , per ipſa appellationum eius myſteria noſceremus, &c.* Addit enim oſtendere Quomodo Petrus in ſua ſede operetur, qua de re. *q. ſeq. & ſerm.* 3. Sic illuſtrat illa verba. *Quia tu es Petrus. Id eſt cum ego ſim inuiolabilis Petra, ego lapis angularis , qui facio vtraque vnum. Ego fundamentum præter quod nemo poteſt aliud ponere , tamen tu quoque Petra es , quia mea virtute ſolidaris , vt quæ mihi poteſtate ſunt propria , ſint tibi mecum participatione communia. Et ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam ; ſuper hanc inquit fortitudinem æternum externum templum , & Eccleſiæ meæ cælo inſerenda ſublimitas , in huius fidei firmitate conſurget, &c.* Atque ex his facilè ſolues quæ de Chriſto fundamento , & cæteris Apoſtolis aduerſus Petrum Eccleſiæ fundamentum ſingulari Priuilegio conſtitutum , obijciebant Aduerſarij.

Eadem verò colligi poſſunt ex Chriſto Math. 16. 19
poſt factam à Petro de Chriſti diuinitate confeſſionem. *Tibi dabo claues Regni cœlorum,* de quo loco Bellarm. *lib.* 1. *de Pontif. cap.* 13. Ianſen. *cap.* 66. *Concord.* Lindan. *lib.* 4. *Panopl. cap.* 81. Boſc. *lib.* 18. *de ſignis cap.* 1. Et alij qui in ea traditione clauium intelligunt ſupremam Petri in Eccleſiam poteſtatem, ducta ſimilitudine tradendi claues œconomis , quibus omnia quæ in ea ſunt reſignare & recludere poſſint; vel ex vſu tradendi principibus ciuitatum claues in agnitionem ſubiectionis , qua ſe ciues eius poteſtati ſubijciunt , qua ratione Claues Regni cœlorum , id eſt, Eccleſiæ Petro contulit Chriſtus, non quod illum propriè fecerit principem & dominum ſed moderatorem & Rectorem, quod Bern. *lib.* 3. *de conſid. c.* 1. Monebat Eugen qua etiam ratione Pharao conſtituit. Ioſephum Principem Domus , & dominum omnis poſſeſſionis ſuæ. Alij duci volunt ſimilitudinem à facultate claudendi & aperiendi Ianuas , quam habet Ianitor beneficio Clauium. Ita Sander. *lib.* 1. *de Claue Dauid cap.* 1.. Accepit quippe à Chriſto Petrus poteſtatem Claudendi aut reſerendi Regnum Cœlorum per negatam , vel conceſſam abſolutionem à peccatis : vnde ſubdit Chriſtus ; *Tibi dabo Claues Regni Cœlorum , & quodcumque ligaueris ſuper terram , erit ligatum & in Cœlis, & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis.* Quare S. Maxim. *homil.* 1. *de SS. Petro & Paulo. Hac illi Confeſſio dedit , vt antea Claues Regni cælorum acciperet, quum cæli Ianuas introiret. Sed ne qua vos fratres creditis de Petro Clauibus Regni, more noſtrarum Clauium cogitatio terrena permoueat, Clauis enim Cœli , lingua eſt Petri , quia ſingulorum merita cenſendo ; Apoſtolus vnicuique Regnum Cœlorum aut Claudit aut aperit. Non eſt ergo clauis iſta mortalis artificis aptata manu , ſed data à Chriſto poteſtas iudicandi. Denique ait eis. Quorum remiſeritis peccata, &c.* Quæ tamen expoſitio de iudicandi poteſtate videtur aliis quoque Apoſtolis collata , ac proinde ipſis traditæ Claues & non ſoli Petro.

Quare alij dicunt Cœlorum Claues collatas Petro, 20
quia aditus , in Regnum Cœlorum pendet à vera fide, at verò Reſeratio Myſteriorum fidei , veraque & ſecura ipſorum intelligentia fit à Petro peculiari poteſtate ad eam apertionem vt ita dicam facta; quare Ambroſ. *Serm. de ieiunio Eliæ.* Per Claues Petri fidem Catholicam deſignari docet , & eleganter Theophan.

hom. 45.

hom.45. Verùm quæ claues hæ? quarum portarum clauiger conſtituitur Petrus? porta hæc Chriſtus eſt ipſe. Qui dixit. Ego ſum Oſticium, eius verò clauis eſt fides, quam Dominus diſcipulorum Corypheo committit, & fortaſſis hoc peſſulum aperuit ſponſa, dilectum ſuum pulchrum excipere cupiens, atque verba huiuſmodi dicebat peſſulum aperui ego dilecto meo, dat igitur Petro & ſucceſſoribus claues, vt hæreticis impenetrabilis ſit ianua Regni Cœleſtis, fidelibus verò ad eam pateat aditus, &c. Vides igitur per traditas Petro Claues Regni Cœlorum conferri vniuerſaliſſimam in Regnum cœlorum ſiue vniuerſam Eccleſiam poteſtatē ad eam docēdam, iudicandam, & regendam; hæc enim omnia clauium nomine deſignantur, ſic *Iſai.* 22. cum Elia præficitur in templo loco ſobriæ, dicit Deus *verſ.* 22. *Et dabo clauem domus David ſuper humerum eius: Et aperiet & non erit qui claudat & claudet, & nemo erit qui aperiat.*

21 Dices quod Maximus indicabat nihil hîc eximium eſſe de Petro, cum ea iudicandi & regendi poteſtas data quoque fuerit cæteris Apoſtolis, vt Photius *cod.* 28. Eulogij dicta referens & reprehendens. Et hinc Mart. *opuſc. ad Hincmarum iuniorem cap.* 20. Vnde & in Epiſcopis quoque & presbyteris hodie reperiri tradit. Eodem etiam pertinent qui Claues Petro datas eſſe, in perſona Eccleſiæ volunt; Tertull. *cap.* 10. *ſcorp.* 1. Beda *Ioan.* 21. *ſub fin.* Fulgent. *lib. de fide ad Petrum* imitatus Auguſtin. *tr.* 50. *in Ioan. & enarrat.* 1. *in Pſalm.* 108. atque alibi ſæpiùs ait Petrum accepiſſe claues in perſona Eccleſiæ, vel dum acciperet Eccleſiæ perſonam præſentaſſe.

Reſp. Etiam hoc loco manere ſuum Petro priuilegium, & licet cæteris ſit data poteſtas ligandi, & ſoluendi, datæ ſunt Petro expreſsè claues. Quare ipſe Hincmar. l. c. cum ait, *Sed ideò Beatus Petrus, qui Chriſtum vera fide confeſſus vero eſt, ſpecialiter claues Regni cælorum, & principatum iudiciariæ poteſtatis accepit, vt omnes per orbem credentes intelligant, quia quicumque ab vnitate fidei, vel Societatis illius quolibet modo ſemetipſos ſegregant, tales nec vinculis. Peccatorum abſolui, nec ianuam Regni Cœleſtis ingredi*: Petro igitur claues datæ ex Hincmar. quia illius fidei & doctrinæ omnibus inhærendum omninò eſt ſi ingredi cœlos velint: Sed audi Leon. *Serm.* 3. *de ſua aſſumpt.* allatis enim Chriſti verbis; *Tibi dato claues, &c.* Hæc ſubijcit. *Tranſiuit quidem in alios Apoſtolos vis poteſtatis ipſius, nimirùm ſoluendi & ligandi & ad omnes Eccleſiæ Principes decreti huius conſtitutio commeauit; Sed non fruſtra vni commendatur, quod omnibus intimatur. Petro enim ideò hoc ſingulariter creditur, quia cunctis Eccleſiæ Rectoribus Petri forma præponitur. Manet ergo Petro priuilegium, vbicúmque fertur ex eius æquitate iudicium nec nimia eſt, vel ſeueritas, vel Remiſſio vbi nihil erit ſolutum niſi quod Petrus aut ſoluerit, aut ligauerit. Et cætera quæ nuper* retulimus S. Eulogius à Gregorio Magno laudatus, & malè à Photio reprehenſus, vt iam monuimus *lib.* 2. *contra Nouatianos*, ait *neque Ioanni neque vlli alteri diſcipulo ſed ſoli Petro dediſſe Claues, vt quia erat negaturus, expiato deinde lachrymis & pœnitentia ſuo peccato humanior eſſet erga peccatores*, quæ fuit etiam mens Theophanis Ceranici *ſæpius citat. homil.* 45. Vides igitur omnes PP. agnoſcere ſingulare Petri priuilegium præ cœteris in hac clauium traditione, quamcúmque tandem illius priuilegij cauſam afferant quam non expendo, ſatis enim eſt nobis certò conſtare de Petri priuilegio hac in parte.

Ad Tertull. verò & Auguſt. qui dicebant, datas fuiſſe Petro claues nomine Eccleſiæ, aut pro Eccleſia, cui primò traditæ ſunt in Petro qui eā repræſentabat, eritque eius veluti legatus, non volunt iſti Patres toti Eccleſiæ datas eſſe claues, vel ſoli tantùm Petri perſonæ ſingulari pro illa, obeuntè enim Petro periret illa clauis & iudicandi, docendique poteſtas ſtatim enim apparet, vtrúmq; illud falſum eſſe: Volūt igitur illi PP. datas quidē eſſe Petro claues ſed ad Eccleſiā tranſmittendas, quæ proindè perſtabunt quādiù perſtabit Eccleſia, in cuius bonū & vſum datæ ſunt, eſtque conſtituta omnis illa poteſtas, quæ clauibus deſignatur, hūcque eſſe verū Aug. ſenſum ex pluribus illius ſcriptis, & maximè ex *Serm.* 114. *de tempore* demonſtrat Hier. Torrenſis *in confeſſ. Aug. lib.* 1. *c.* 9. §. 1. Bellarm. *lib.* 1. *de Pont. c.* 11. *ad vlt. obiect.* Et ſubtiliter explicat Caietan. *tom.* 1. *opuſc. tr.* 3. *c.* 3. quod denique Petrum faciunt legatum Eccl. ridiculum eſt, quandonā enim & quomodo Eccleſia illum ad Chriſtū legatum ſuum cōſtituit. Hinc verò Petrum clauicularium oſtij quod Chriſtus eſt, dixit Iuo *Serm. de Cath. S. Petri* clauiculariū Regni Petr. Dam. *Serm.* 26. Et alij. Quia licet cæteris Apoſt. immò & Sacerd. competat ligandi & ſoluendi poteſtas, atque adeò aliqua ex parte Regni cælorum claues non tamen cum prærogatiua vniuerſitatis ordinariæ & independentiæ vt S. Petro, qui proinde Iure præcipuo clauiger dicitur.

Ad extremum moneo Petri effigiem iam olim ſculptam aut pictam fuiſſe appoſita claui, vel vna vel gemina, vna aurea, altera argentea, atque aliquando tertiam fuiſſe illi appoſitam, quod oſtendit Nicol. Aleman. *in diſſert. de Inſtaur. parietin. Later. cap.* 10. Et varia antiqua numiſmata producit *cap.* 9. quæ etiam illuſtrat Raynaud. *in opere de corona aurea Rom. Pont. prænotat.* 4. Georg. Alexand. Et Metaph. *in vita Chryſ.* & Gennadi *c.* 5. *pro C. Flor.* Petrum apparuiſſe Chryſ. tradens illi clauem in ſignum poteſtatis. Idem S. Hub. conſecrato in Epiſc. vangerſem à Serg. Papa, illi enim S. Petrus apparens tradidit clauem, quaſi auream in manu geſtandam in poteſtatem ligandi ac ſoluendi, & Lunaticis, furioſiſque ſanitatem conferendi, quæ vſque hodiè ſeruatur in Eccleſia S. Petri Leodij, vt habent acta S. Hub. *par.* 1. *cap.* 3. Memorat quoque Theodor. ſtudita *Cathecheſi* 15. Romæ proponi ſolitas claues ad adorandum, dono quoque mittebant Pont. Rom. clauem auream, in qua includeretur aliquid è cathenis S. Petri obraſum, & per eam aliquando fiebant miracula, vti refert Greg. *lib.* 1. *Regeſt. Ep.* 25. & 30. & *lib.* 6. *Epiſt.* 23. & *lib.* 7. *Epiſt.* 126. mittens eiuſmodi clauem Viſigothorum Regi, quem hortatur collo appenſam geſtare ad abſolutionem peccatorum obtinendam S. Petri precibus Turon. *lib.* 1. *mirac. cap.* 28. Narrat moram ferendi Rom. claues aureas, vt pro benedictione claues vulgares Sepulchri S. Petri acciperent, quibus morbos curabant, atque hactenus de traditis Petro clauibus ſcientiæ poteſtatis iudiciariæ atquè gubernatiuæ totius vniuerſalis Eccleſiæ. 22

Reſtat inſignis omninò locus *Ioan.* 21. Vbi Chriſtus confert Petro, quod ipſi promiſerat *Matth.* 16. ſummam nimirùm in vniuerſam Eccleſiam poteſtatem, poſtquam enim ter interrogatus à Chriſto, an ipſum plus cæteris Apoſtolis præſentibus diligeret. *Diligis me plus his*, reſpondiſſet ſe ipſum diligere, iuſſus eſt ab eodem Chriſto paſcere ſuum gregem *paſce oues meas, paſce agnos meos.* Quæ verba dicta fuiſſe vni ſolique Petro, tota Ioannis narratio & verborum contextus ita manifeſtum facit, vt à ſano homine negari non poſſit: Quod enim objicit Caluin. *lib.* 4. *inſtit. cap.* 6. §. 3. Petrum hortari Compresbyteros ſuos vt paſcant gregem Dei; & ideò vel ea verba dicta ſunt ad omnes Apoſtolos in perſona Petri, vel illum ſuam in cæteros poteſtatem, ex diuino ſine dubio mandato, tranſtuliſſe: Ineptum omninò eſt: Petrus enim *Ep.* 1. *c.* 5. vbi habet illa verba addit. Paſcite gregem qui in vobis eſt, qui grex illis commiſſus, non eſt vniuerſalis, vt grex Petro commiſ- 23

ſus, qua ſimili ratione Paulus hortatur Aſianos Epiſcopos *Act.* 20. vt ſibi attendant, & vniuerſo gregi. *In quo vos*, inquit, *ſpiritus Sanctus poſuit Epiſcopos*, qui vobis nimirum commendatus eſt, qui profectò non erat grex vniuerſalis totius Eccleſiæ, vt vides: At verò Petro paſcenda committitur tota, & vniuerſalis Eccleſia Chriſti, ſiue vniuerſus Chriſti grex, quantus quantus eſt: Oues nimirum & agni: *Oues meas, agnos meos*, quotquot igitur ſunt oues Chriſti, & agni Petro paſtori creduntur, quamvis paſtores aliqui particulares in partem ſollicitudinis vocati, aliquam curam gregis particularis ſuſcipiant, ſed ipſimet à ſummo paſtore paſcuntur. Vnde Euſebius Emiſſent. *in Sermone de Vigilia S. Petri* & *Serm. de S. Ioanne prius agnos, deinde oues ei commiſit, quia non ſolum paſtorem, ſed paſtorum paſtorē eū conſtituit, paſcit igitur Petrus agnos, paſcit & oues, paſcit filios, paſcit & matres, regit & ſubditos, & Prælatos. Omnium igitur paſtor eſt, quia præter agnos & oues in Eccleſia nihil eſt, nihil inquā quod non ſuis paſtoribus Chriſtus commiſerit* S. Aſſert. *homil. in S. Petrum*, Mundi *curam accepit velut vnum gregem vnus paſtor verbis quibus audiuit paſce agnos meos, ferèque ſui loco dedit dominus fideliſſimum diſcipulum in Patrem paſtorémque ac magiſtrum in iis qui eſſent acceſſuri ad fidem*. Et Arnobius *in Pſalm.* 138. quiſquis ille ſit vetus ſine dubio Author: *Ecce Apoſtolo pœnitenti ſuccurritur, ſitque Epiſcoporum Epiſcopus, & maior gradus redditur ploranti quam ſublatus eſt deneganti. Quod vt doceam illud oſtendo, quod nullus Apoſtolorum nomen paſtoris accepit, ſolus enim Dominus IESVS Chriſtus dicebat. Ego ſum paſtor bonus, & iterum me*, inquit, *oues ſequuntur meæ. Hoc ergo nomen ſanctum & ipſius nominis poteſtatem, poſt Reſurrectionem ſuam Petro pœnitenti conceſſit, & negatus negatori ſuo, hanc, quam ſolus habuit, tribuit poteſtatem, vt non ſolum recuperaſſe quod amiſerat, probaretur, verum etiam & multo amplius pœnitendo quam negando perdiderat, acquiſiſſe*; ſimilia habent & alij Patres quos adducere hoc loco nihil attinet, cum & paſſim obuij ſint, & alij pridem hoc labore defuncti ſint. Non poſſum tamen omittere explicatiſſima Bernardi verba *lib. 2. de conſiderat. cap.* 8. *ad Eugenium*, quem ſic alloquitur. *Tu es cui claues traditæ, cui oues creditæ ſunt; ſunt quidem & alij cœli ianitores, & gregum paſtores, ſed tu tantò glorioſius, quanto differentius, vtrumque præ cæteris nomen hæreditaſti, habent illi ſibi aſſignatos greges, ſinguli ſingulos: Tibi vniuerſi crediti vni vnus. Nec modo ouium ſed & paſtorum, tu vnus omnium paſtor, vnde id probem quæris? Ex verbo Domini cui enim non dico Epiſcoporum, ſed & etiam Apoſtolorum ſic abſolutè & indiſcretè totæ commiſſæ ſunt oues? Si me amas Petre paſce oues meas quas illius, vel illius populos ciuitatis, aut Regionis, aut certi Regni oues meas, inquit, cui non planum non deſignaſſe aliquas, ſed aſſignaſſe omnes. Nihil excipitur, vbi diſtinguitur nihil. Et fortè præſentes cæteri condiſcipuli erant, cum committens vni vnitatem omnibus commendauit in vno grege, & vno paſtore, ſecundum illud vna eſt columba mea, formoſa mea, perfecta mea vbi vnitas eſt ibi perfectio. Reliqui numeri perfectionem habent ſed diuiſiones recedentes ab vnitate; Inde quod alij ſinguli ſingulas ſortiti ſunt plebes ſcientes ſacramentum. Denique Iacobus, qui videbatur columna Eccleſiæ vna contentus eſt Hieroſolyma Petro vniuerſitatem reliquit.*

Verùm iterùm expendamus Chriſti verba. *Paſce oues meas*. Nugatur enim Luther *libro de poteſtate Papæ*. Cum his verbis ait mandari Petro officium miniſtrandi cibos ouibus, dirigendi, & docendi non verò vllam nouam tribui poteſtatem. Nam & apud Homer. & in ſcripturis paſcendi verbo deſignatur poteſtas regendi, oues gubernandi oues, vti multis oſtendit Bellarm. *lib. 1. de Pontif. cap.* 15. ipſique Reges populorum paſtores nominati ſunt, quod *lib. ſuperiori* obſeruaſſe me memini, deinde cùm iubet bis paſcere agnos, & ſemel oues vniuerſum ſuum gregem ſignificat, vti Patres & imprimis Bernard. explicant, cum agni & matres vniuerſum gregem componant, ſuſpicatúrque Bellarmin. *cap.* 16. in Græco legi ἀρνία προβάτια, & προβάτα Agnos ſcilicet ouiculas & agnos, & loco ouicularum interpres Latinus dixit bis agnos, ſed lectio eodem recidit; Cum agni etiam propter teneritudinem ouiculæ dicantur: vnde Petri vniuerſalem poteſtatem Leo *Serm.* 3. *de ſua aſſumpt.* agnoſcit. *De toto mundo vnus Petrus eligitur, qui & vniuerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ Patribus præponatur: vt quamuis in populo Dei multi Sacerdotes ſint multique paſtores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter Regi & Chriſtus magnum & & mirabile dilectiſſimi, huic viro conſortium potentiæ ſuæ tribuit diuina dignatio, & ſi quid cum eo commune cæteris voluit eſſe principibus nunquam niſi per ipſum dedit, quidquid aliis non negauit* Chryſ. *in illum locum Ioan.* ait Petro fratrum curam commiſſam & orbis ſollicitudinem demandatam Ambroſ. *in cap. vlt. Lucæ*. Hinc oſtendit Petrum omnibus anteferri: qui idem eſt reliquorum Patrum ſēſus, tertiò Eulogius *lib. 3. de pœn.* apud Photium *cod.* 280. diſtinguit tres gradus ouium commiſſarum Petro agnos, ouiculas, & oues, perfectos & imperfectos omnes Petro ſubditos Petrus Celleus *Ep.* 8. triplicem paſtionem aſſignat doctrinæ & fidei, exemplorum & miraculorum. Denique vel Chriſtus nullas oues Petro cōmiſit, vel aliquas tantū, eaſque vel certas & determinatas, vel indefinitas vel vniuerſas. Primum dici nequit, falſa enim eſſet Chriſti propoſitio, aliquas igitur commiſerit oportet non determinatas: quia verba id non ferunt, non etiam indeterminatas & indefinitas, Ridicula enim foret cōceſſio. Ergo vniuerſas credidit, quod vt nuper argumentabatur Bernard. ipſa particula, *Meas*, oſtēdit quotquot videlicet meæ ſunt, tibi paſcendæ tribuuntur. Et ſanè qui ſuorum bonorum ſcribit hæredem, omnia illi relinquit, niſi per legata aliquid ſibi, aut aliis reſeruet.

Atque hactenùs luculenter ex variis Chriſti verbis 25
videtur ſtabilitas Petri eximia authoritas in docenda fide, & gubernanda Eccleſia, cuius & fundamentum ac petra eſt. Neque enim fundamētū illud cōcuti ſine ædificij ruina poteſt, neque venenatæ herbæ ouibus à paſtore porrigi, niſi cum ipſarum interitu, id verò fieret ſi falſam doctrinam paſtor doceret, & fidei fundamētum, vel fundamenti ipſius fides nutaret Reſtat tamē grauis illa obiectio propoſita *n.* 6. de vniuerſali & æquali cæterorum Apoſtolor. iuriſdictione, quā & ipſi à Chriſto acceperunt nulla locorum, aut rerum certa definitione reſtrictam, ac proinde neque Petro ſubditā vnde colligunt neque Epiſcopos Apoſtolor. ſucceſſores Romano Pontifici Petri ſucceſſori ſubiici. De hac conſequentia diſputaturi ſumus alibi de antecedenti modo pro inſtituto pauca dicturi, quamquā ex prærogatiuis eximiis Petri hactenus explicatis colligi ſatis poteſt primatus Petri, eiuſque in fidei quæſtionibus definiendis, atque in regenda vniuerſa Eccleſia poteſtas, & in condendo iure Eccleſ. vniuerſali authoritas, vt tamen importunis aduerſariis ſatisfaciamus aliqua ſingillatim dicēda ſūt.

Primò igitur vltrò fatemur omnes Apoſtolos à 26
Chriſto electos & ab eo Iuriſdictionem accepiſſe, & miſſionem in vniuerſum orbem, cùm Math. & Marc. *vltimò* iuſſi ſunt ire & docere omnes gentes & Ioan. 20. miſſi ſicut Chriſtus miſſus eſt à patre, idque ad dignitatem Apoſtolicam pertinuiſſe cenſet S. Thom. *in 1. ad Cor. cap.* 15. *ſub finem.* Neque enim placent qui volunt Apoſtolos accepiſſe Iuriſdictionem immediatè à S. Petro vt Turrecrem. ad Articulum primum Baſileenſ. *n.* 22. Iſolan. *lib. 2. de imperio militant Eccl. tit.* 1.

quæſt. 1.

*q.*1. Ioan. Stephanus Valentin. *l. de poteſtate coactiua ſummi Pontif. cap.*12.*n.*2.Magalinn. *in procemio epiſt.*1. *ad Timoth. ſect.*11. Et alij contra ſenſum Pattum, qui Apoſtolos omnes pares & Iuriſdictione in vniuerſum orbem terrarum auctos, paſſim dicunt, cum Petri vt ſtatim dicam priuilegio, vt Chryſoſt. *in cap.* 2. *ad Galat. ad illud. Qui operatus eſt Petro, Petrus Damian. opuſc.*35. *cap.*35. Eucher. *homil. de natali Apoſtolorum,* atque aliis apud Iuſtinian. *in prologomenis in Epiſtolas Pauli diſp.*1.*cap.*9. quibus communiter Theologi annuunt vide Suar. *lib.*4. *de legib. cap.*3.*n.*4. *& diſp.*10. *de fide ſect.*1.*n.*3. Molin. *tract.*5.*de iuſt. diſp.*4.§.*ad tertium argumentum* Bellar. *lib.*4. *de Pontif. cap.*13.

Secundò Petro tamen etiam in vniuerſali illa Iuriſdictione, ſua fuit prærogatiua. Nam cum omnium Pater eſſet conſtitutus vt ait Clemenſ. *ep.*1. *&* 2. Poterat & illis præcipere & huc illúcque ſi res poſtularet mittere, deindè omnium ouium curam habebat vt nuper demonſtrauimus. Poterat & omnes Apoſtolos vocare ad Concilium Generale, quod indiceret quod aduertit Salaſ. *t.*2.*tr.*15 *diſp.*8.*ſect.*3. Poterat vniuerſalem ordinem ſolus ſtatuere, & vniuerſales leges ſancire, Apoſtolorum ſtatuta mutare, & reuocare: Denique Petri poteſtas ſolius erat ordinaria in ſucceſſores tranſmittenda cœterorum Apoſtolorum, quoad munus Apoſtolatus, & Iuriſdictionem vniuerſalem cum ipſis Apoſtolis ceſſare debeat, quare tametſi cæteri Apoſtoli eſſent honore æquales, quoad amplitudinem extenſiuam, & fontem Iuriſdictionis perſonalis, in ea ipſa tamen authoritate Petro ſub erant, tanquàm capiti ſupremo Eccleſiæ, ipſorúmque Apoſtolorum, qui eius præcipua membra erant. Neque ſanè aliud voluit Petrus Dam. *Serm.*1. *&* 2. *de S.Barthol.* Vbi omnibus Apoſtolis communicatum Spiritum Sanctum, gratiam curationum, poteſtatem in Dæmones, atque ſerpentes chariſma miraculorum; ſpeciali tamen quadam traditione claues Regni cœlorum Petro commiſiſſe, vt vnitatem Eccleſiæ commendaret. Quæ omnia vt vides non tollunt Petri præcellentiam & prærogatiuam Rectoris vniuerſalis Eccleſiæ omniumque fidelium, in quibus includuntur ipſi Apoſtoli, quibus præſentibus vt nuper obſeruabamus, curam ouium, ouicularum & agnorum ſuarum nulla adhibita reſtrictione, nullis excluſis, ne ipſis quidem Apoſtolis præſentibus, vt dixi, credidit, atqueadeò paſtorem ſolum vniuerſi ſui gregis nullo excepto capite, conſtituit. Quare Gregor.IX. *Epiſt. ad Germanum Patriarcham Conſtantin.* De primatu Romano diſputans ſic habet. *Si Petrus propter excellentiam fidei qua in vno Chriſto duas naturas veraciter recognoſcens dixit. Tu es Chriſtus filius Dei viui, claues Regni cæleſtis in terris ſolus accepit, cum vnus ſit dominus vna fides, vnum Baptiſma, vnum corpus Eccleſia militantis & corpus cum pluribus capitibus monſtroſum & ſine capite Acephalum cenſeretur: Reſtat vt ad regimen generalis Eccleſiæ, quam ipſe cum Paulo & cæteris degentibus Græcis, Latinis, Barbaris congregauit; caput eiuſdem, ſummque Dominus per ea quæ præmiſſa ſunt, manifeſtè oſtenderet ſucceſſorem.* Idipſum iam olim docuerat Cyprian. *l. de vnitate Eccleſia n.*11. *ſuper illum vnum ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oues ſuas, & quamuis Apoſtolis omnibus poſt Reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat, & dicat ſicut miſit me pater, & ego mitto vos: accipite ſpiritum ſanctum: ſi cui remiſeritis peccata, remittuntur illi, ſi cui retinueritis, retinuebuntur, tamen vt vnitatem manifeſtaret vnam cathedram conſtituit & vnitatis originem ab vno incipientem ſua authoritate diſpoſuit, &c.* hanc vnitatem in vno Epiſcopatu in vnaque cathedra in cathedra Petri conſtitui à Cypriano pluribus oſtendit Pamel. *in notis ad illum librum notat.*11. tum ex ipſo textu, tum ex variis eius lectionibus, ex vetuſtis & probatiſſimis codicibus, tum ex Hieron. canone quoque Nicæno alibi afferendo, tum ex aliis Cypriani libris, maximè Epiſtola LV. & LXXII. Et aliis locis, in quibus Cyprianus ſæpius oſtendit ſchiſmata oriri quod vnitatem Epiſcopatus; & cathedræ, atque vnitatem Eccleſiæ, ſua proteruia nefarij quidam diſcindant, ex quibus aliiſque Petri primatus præ cæteris Apoſtolis ſtabilitur.

Tertiò hinc factum vt licet Eccleſiæ ab aliquo Apo- 27
ſtolo primùm fundatæ, & gubernatæ, magnæ ſemper venerationi fuerint, atque aliquando tum Patriarchales, tum etiam Apoſtolicæ nonnunquam à quibuſdam laxato vocis rigore nominatæ fuerint, nihilominus propriè loquendo; tres dumtaxat ſedes patriarchales iam olim nouerunt Patres, eas nimirùm quas Petrus immediatè fundauit ac Romanam nimirùm Alexandrinam, & Antiochenam; vnam verò ſedem Apoſtolicam, ſedem Romanam, quod euidenter demonſtrat Petri & eius cathedræ ſupra cæteros Apoſtolos & ab ipſo fundatas Eccleſias priuilegium. Singula verò huius aſſertionis capita paucis oſtendamus.

Et primò quidem omnes Eccleſias quas Apoſtoli, vel erudierunt vel gubernarunt immediatè, Apoſtolicas dixit Tertullian. *lib. de praſcript. cap.* 36. in iiſque numerat in Achaia Corinthum, in Macedonia Philippos, & Theſſalonienſes in Aſia Epheſum, in Italia Romam, *Vade*, inquit, *nobis quoque authoritas præſtò eſt. Statu fœlix Eccleſia cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo fuderunt, vbi Petrus paſſioni dominica adæquatur, vbi Paulus Ioannis exitu coronatur, vbi Apoſtolus Ioannes poſteaquam in oleum igneum demiſſus nihil paſſus in Inſulam relegatur*: Vide tamen Tertullianum ſedi Romanæ ſuam ſeruare prærogatiuam, cum ait ab illa nobis præſtò eſſe authoritatem.

Secundò Auguſtin. *lib.*2. *de doctrina Chriſtiana cap.* 8. dixit Apoſtolicas ſedes quotquot etiam Epiſtolas Apoſtolicas accipere vel ſedes habere meruerunt. Quare Magnus Carolus vt refert Turpinus, vel Tulpinus, vel quis alius author operis de temporibus Caroli Magni *lib.*1. *cap.*17. Voluit ſedem compoſtellanam dici Apoſtlicam, & vt Virgæ Epiſcopales ac coronæ Regales per manus compoſtellani Epiſcopi, in honorem Sancti Iacobi diſtribuerentur.

Tertiò laxata iterùm ſedis Apoſtolicæ ſignificatione, omnes Eccleſiæ, quæ ab illis quas inſtituerunt Apoſtoli ſemina fidei & doctrinæ mutuatæ ſunt, nominatæ quoque ſunt Apoſtolicæ à Tertullian. *lib. de præſcript. cap.*20. *Ac per hoc*, inquit, *& ipſæ Apoſtolicæ deputantur, vt ſoboles Apoſtolicarum Eccleſiarum. Omne genus ad originem ſuam cenſeatur neceſſe eſt. Itaque tot & tantæ Eccleſiæ, vna eſt illa ab Apoſtolis prima, ex quâ omnes ſic omnes prima, & omnes Apoſtolica, dum vnam omnes probant vnitatem.* Hoc igitur ſenſu omnes Epiſcopales ſedes dici poterunt Apoſtolicæ. Sic Paulin. *Ep.* 45. ait Alypium Locatum in ſede Apoſtolica. Sidon. *lib.*6. *Ep.*1. Lupum Tricaſſinum aut nouem quinquennia in Sede Apoſtolica decurriſſe Venantius Fortunatus *lib.*3. ſcribens ad Euphronium Turonenſem, vocat Dominum Apoſtolicum quo eodem nominat SS. Germanum, & Lupum Beda *lib.*1. *hiſt. cap.*27. Sic etiam Ruffus Epiſcopus *Ep.*21. Nicetium Treuirenſem & Almaldus Abbas S. Benigni Diuionenſis factus Epiſcopus Lugdunenſis, dicitur in veteribus monumentis factus Apoſtolici Conſors, & Compar honoris S. Eligius vocat deſiderium Cadurcenſem Apoſtolicum Patrem, Author vitæ S. Germani Antiſſiodorenſis Apoſtolicum Pontificem, & vita Arnulphi Turonenſis dixit S. Remigium Sanctiſſimum Apoſtolicum Rhemorum, Baſil. *Epiſt.*55. *ad* S. Ambroſium ait illum è medio Iudicum terræ tranſlatum ad præſidentiam Apoſtolicam plura alia huc congeri

congeri poſſent: de hac cognominatione Apoſtolici Epiſcopis communicata; quare non eſt quod Franc. Florent. *ad tit.6.de elect.& electi poteſtate*, Illud Syricij Papæ, *vt extra conſcientiam ſedis Apoſtolicæ, hoc eſt primatus nemo audeat ordinare*, ſuſpicetur eſſe vitiatum, delendumque eſſe illud ſedis Apoſtolicæ: nam & primatus ſedes Apoſtolica dici poteſt eo ſenſu, & multo meliori iure, quàm cæteræ ſedes Epiſcopales dicuntur Apoſtolicæ vti oſtendimus.

Quartò etiam Laici Principes Apoſtolorum officium in adducendis gentibus ad fidem Apoſtolici dicti ſunt. Sic Stephanus Hungariæ Rex crucem præferri iubebat cum hac Epigraphe. *Ego ſum Apoſtolicus* quo audito Syluester II.dixit *immò Christi Apoſtolus eſt dicendus*, & idcircò illi regium titulum, coronam auream, & ius præferendæ crucis, modò iam dicto dedit. Sic Conſtantinus Imperator nominatur inter Reges Apoſtolus Christi in Horologio Græcorum *May* 21. & in Concilio Toletano Riccardus *meritus Apoſtolicum meritum qui Apoſtolicum impleuit officium*; quia nimitùm gentem Gothicam ad fidem ab hæreſi Arriana abduxerat: ex ſimili aliqua pietate Principes boni dicti ſunt Epiſcopi extra Eccleſiam, vt ait Euſeb. *lib.4.in vita Conſtanti.c.*24. & Vradiſlao Bohemorum Duci inductus eſt vſus Mithiæ Epiſcopalis apud Baron. *an.*1068.

Nihilominus nomen Apoſtolicæ ſedis & Pontificis Apoſtolici ſoli Romanæ ſedi, & eius Rectori ac Pontifici abſolutè tributum eſt à patribus & Conciliis, & nulli alij; quod diligenter oſtendit Matthæus Cariophillus *lib. contra Nilum Theſſalonicenſem de poteſtate Papæ cap.* 20. Nam vbi aliis tribuitur manifeſtum fit ex adiunctis, nonniſi cum quadam reſtrictione tribui, vti videre facilè eſt. Quare Leo IX. in Concilio Remenſi *ſeſſ.*3. Excommunicauit Epiſcopum Compoſtellanum, qui ſe ex prærogatiua S.Iacobi nominabat Apoſtolicum, quamvis manifeſtò appareret nomen illud vſurpari, quia Eccleſia Compoſtellana à S. Iacobo fundata dicebatur: Ratio verò huius nomenclationis, alia non eſt, quam quia Petrus Romæ ſuam ſedem & olim habuit & habet modo, vti *q.ſequenti* oſtendam: Nam & aliæ plures Eccleſiæ aliquos Apoſtolos fundatores vel magiſtros immediatos habuere, vt Biſantina ex communi Græcorum opinione S.Andream & aliæ alios, vt dicebat Tertullian. quia verò Petrum Apoſtolorum verticem habuit & habet in ſua adhuc ſede præſidentem Roma, Idcircò Apoſtolica dicitur abſolutè, & ſine reſtrictione, cùm enim poteſtas Apoſtolica in ſolo Petro fuerit ordinaria & cum iure transfuſionis ad ſucceſſores; in Reliquis verò Apoſtolis eſſet quidem vniuerſalis, atque etiam quodammodo ordinaria quia non delegata, neque ab ordinario paſtore, ſed ab ipſo Christo, vti diximus deriuata, perſonalis tamen dumtaxat extitit, & non cum iure tranſmittendi ad ſucceſſores. Quare cum Petrus vniuerſalem & plenariam in totam Eccleſiam authoritatem in ſola Romana ſede reliquerit, eiuſque ſucceſſor habeatur R. Pontifex in eoque ſit tota plenitudo quæ fuit in Apoſtolo Petro, qualem deſcribit Bernard. *ep.*141. ea ſola meritò ſedes Apoſtolica dicitur, ideóque S.Germanus *in Theoria rerum Eccleſiaſticarum* Petrum dixit primum Hierarcham Christi Apoſtolis coronatum, explicans enim duplicem coronam quæ in Sacerdotum Capitibus viſitur, prima in attunſione capillorum ac comæ in orbem, ſecunda in Raſura ſummi verticis, ex quibus apparet eo tempore Græcos non nutriuiſſe comam, ait ita ad ignominiam detonſum & raſum fuiſſe ſupremum Hierarcham Petrum, quod tamen illi ceſſit in gloriam cum ſuffecta fuerit, duplex alia corona, vna duodecim Apoſtolorum, qui illam velut lapides pretioſi cingerent, altera ex Petra fide auro & gemmis pretioſior. *vertex* inquit *exornatus corona duodecim lapillorum Apoſtoli ſunt. Petra verò ſanctiſſimus Apoſtolus eſt primus Hierarcharum Christi.*

Venio nunc ad ſedes Patriarchales quas eas tantum 28
eſſe dico, quæ à S. Petro fundatæ & gubernatæ ſunt, & de Romana quidem cum eam Petrus rexerit tamquam propriam ſedem: Et in ea Pontificem egerit, adeò perſpicuum eſt vt Optatus *lib.*1. Sic Parmeniano donatiſtæ audaciter inſultet. *Negare non potes ſcire te in vrbe Roma Petro primo cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederit omnium apoſtolorum caput*, vt mirum omninò ſit paucos quoſdam ſectarios Anglos id petulanter auſos eſſe negare, quos pluribus confutant Roſfenſis, *ea de re in opere* Sander *lib.*3. *de claue Dauid cap.*2.*& lib.*6.*de viſibili Monarchia cap.*10. Onuphrius *libro* 2. *de primatu Petri, part.* 5. Canus *lib.* 6. *de locis.* Pamelius *ad Tertullian.de præſcrip.c.*36. Bellarm. *lib.*2.*de Roman. Pontif. vndecim primis capitibus.* Baron. anno Christi 44. & 45. Azor *tom.*2 *lib.*4.*cap.*21.*q.*3. Lælius Iordan. *lib.de maioribus cauſis ad Papam referendis c.*21. Coccius *tom.*1.*lib.*7.*art.*5. Serarius *diſp.de Apoſtolis aſſert.*73. Et alij innumeri qui æquè omnes teſtantur ibidem Romæ Martyrium paſſum eſſe contra deliramenta Ioannis Balei Carmelitæ Apoſtatæ.

Sedem quoque Antiochiæ fixiſsè Petrum, eiuſque peculiarem Epiſcopum egiſſe teſtantur S.Chryſ. *in encomio S. Ignatij.* Greg. *lib.*6. *ep.*37. Nicephorus Conſtantinopolit. *in ſua Chron.* Iuo Carnotenſis *ſerm. de cathedra S.Petri* Baron. *anno* 1.1.39. Quandonam verò primùm ibi ſederit diſputat Sanct. *tract.*1. *de S.Iacobo cap.*2. Certè priuſquam Romæ ſediſſe Antiochiæ, demonſtrat aduerſus Onuphrium, Baron. anno citato & in notis ad Roman. Martyrolog. die 22. Februar. Denique quamdiù ſederit Antiochiæ res incerta eſt. Cum alij plures, alij pauciores annos aſſignent: cauſa verò cur hanc ſibi ſedem elegerit Petrus hæc eſſe videtur, quod in ea ciuitate plures eſſent Iudæi, quos Rex Sizeneus ciuitate donarat. Vt ſcribit Ioſeph *lib.*1. *contra Appionem*, ita vt exciſis Hieroſolymis Antiocheni licet Iudæos odiſſent, aduerſus eos tamen nihil auſi fuerint ex Ioſepho *lib.*2. *de bello cap.* 16. tanta videlicet authoritate & potentia inibi præditi erant. Voluit igitur Petrus inter illos primò ſedem collocare, vt ad fidem adduceret, ibique primùm diſcipuli denominati ſunt Christiani de Alexandrina Eccleſia major videtur difficultas; an eius Epiſcopum peculiarem egerit perſonaliter S.Petrus, ita enim ſentit Nicephor. *lib.* 14.*hiſt. cap.*3. Significatque Valdenſ. *lib.*2. *doctrinal. cap.*50. *n.*6. Neque obſtaret quod deinde Romanum Epiſcopatum diuino, vt alibi dicam iuſſu elegerit, potuit enim Alexandrinum retinere quem per Marcum alióſve tanquam vicarios adminiſtraret, quod imitati ſubinde ſunt aliqui Romani Pontifices, qui in eam dignitatem euecti priores ſuas Eccleſias retinuerunt. Nam S.Leo IX. ſuum priorem Tullenſem Epiſcopatum ſeruauit, & per Vicarios rexit. Gregorius V. Epiſcopatum Aretelenſ. Alexander 1.1. Lucenſem Stephanus X. noluit ſuæ Abbatiæ Caſſinenſi præfici alium Abbatem, ſed adminiſtratorem: quidquid verò ſit de hac re, certum nihilominus eſt Alexandrinam Eccleſiam fuiſſe aliqua ratione ſedem S. Petri, quod æquè ac de Romana & Antiochena concedit Hincmarus *opuſc. ad Hincmarum iuniorem c.* 16. Laudatque S.Gregorium ſcribentem ad Eulogium Alexandr. vocat enim ſedem Petri *adhuc in ſede Petri*, inquit, *Clamat voce Marci.* Anaſtaſ. Sinaita *lib.*8. *Hexam. ſub fin.* ait *Erectū eſt altare Domino in Ægypto fixum in petra Petri* In menæis 11. Martij S.Ioann. Eleemoſynarius dicitur adminiſtraſſe *Thronum Apoſtolicum*, nimirùm ratione Petri qui in eo ſedeat: Certum itaque videtur S.Marc. rexiſſe, atque etiam fundaſſe Eccleſiam Alex. nomine

S.Petri

S. Petri. Hinc verò dicimus petendam eſſe rationem trium Patriarchalium ſedium, nimirum quia S. Petrus fuit illarum particularis Epiſcopus. Nam cæteræ Eccleſiæ quas vel Petrus ipſe fundaſſet, vel alij Apoſtoli, ſiue eas rexiſſent, ſiue non, hac dignitate minimè donatæ ſunt, ſed illæ dumtaxat quarum Epiſcopus fuiſſet peculiaris ipſemet Petrus. Quod enim aliqui eam dignitatem deriuant ab amplitudine & nobilitate earum vrbium falluntur. Nam & Carthago vix Romam poſſe priorem, vt ait Auſon. Patriarchatum habere debuiſſet iam olim, & Conſtantinopolis cuius laudes dabit Nazianz. *orat.* 32. *n.* 40. Et tamē non niſi diu poſt fauorem principum eam dignitatem obtinuit, cui tandem RR. PP. aſſenſerunt, vt dicemus alibi. Quidam Patriarchatus honorem Antiochiæ vindicant, quod in ea primùm diſcipuli nominati fuerint Chriſtiani ſed longè potiori iure id tribuendum eſſet Hieroſolymæ ratione Chriſti domini, cum tamen illa ſubſit Metropoli Cæſarienſi, & non habuerit niſi nomen Patriarchæ in Concilio Nicæno titulo tenus, & ſine iuriſdictione. Alia igitur ratio harum trium ſedium Patriarchalium reddi nequit, quā prærogatiua S. Petri, qui eiuſmodi Eccleſias rexit, per ſe ſe immediatè, aut per ſuos Vicarios. Ex quibus tandem omnibus confirmatur eminentia Petri ſupra cæteros Apoſtolos, quia licet plurimas fundarint & erudierint Eccleſias, ipſæ tamen neque Patriarchales habitæ fuerint, neque etiam Apoſtolicæ abſolutè & præciſè nominatæ, vti hactenus demonſtrauimus.

29 Vt verò totam iſtam Petri & Cæterorum Apoſtolorum comparationem quoad iuriſdictionem, & regimen Eccleſiæ, amplius dilucidiuſque explicemus, placet viri clariſſimi Ioannis de Arris Anteceſſoris & Comitis Regiſque ſacrorum Canonum in Academia Pariſienſi Profeſſoris Doctrinam adducere, is igitur libro ſingulari *de ſtatu Eccleſiæ tempore Apoſtolorum c.* 10. diſtinguit triplicem Eccleſiæ ſtatum, primus eſt quo à Chriſto miſſi ſunt Apoſtoli vna cum Petro, vt indiſtinctè & communiter regerent Eccleſiam ſub Chriſto ſolo capite, Petro nondum conſtituto capite viſibili Eccleſiæ, licet iam talis deſtinatus eſſet, & tunc Apoſtoli ipſeque Petrus non erant niſi miniſtri & coadjutores, atque cooperatores Chriſti, & veluti Coëpiſcopi, inter ſeſe æquales. Dedit igitur Chriſtus Apoſtolis omnibus poteſtatē miraculorum imprimis, & deindè promiſit poteſtatem Iuriſdictionis, & dimittēdi peccata, quam non fecit niſi poſt Reſurrectionem.

Hanc igitur poteſtatem dimittendi peccata quam Cyprian. *epiſt.* 55. ſublimem ac diuinam appellat, & tanti facit Chryſoſth. *lib.* 3. *de Sacerdot.* & Iſidor. Peluſ. *lib.* 2. *ep.* 5. quámque ambiuit Simon magis datam fuiſſe communiter inſolidum omnibus Apoſtolis, & indiuiduè cum iuriſdictione exiſtimat Arteſius, ita vt eſſet tota in toto, & tota in quolibet, & poſſet tunc quilibet eorum ex æquo peccata dimittere, prædicare, Baptizare, in Epiſcopatu Chriſti tanquam miniſter eius, & ſub eo tantum capite, Petro nondum vt tali conſtituto, & ſic Apoſtoli eſſent ſibi inuicem cooperatores, nullus tamen eorum haberet Eccleſiam propriam, aut Iuriſdictionem ſeparatam, ſed tamquam in re communi indiuidua inſolidum omnes laborarent, & exercerent poteſtatem illam ſibi datam initio ordinationis ſuæ ſub Chriſto capite ſolo, qui fuit primus ſtatus Eccleſiæ ſine Epiſcopatu proprio, donec Epiſcopatum acquirerent martyrio, ſicut Chriſtus Eccleſiam ſibi morte comparauerat, & donec ſortitione orbis fierent diſtinctiones ſedium Epiſcopalium, probat Arteſius hunc primum ſtatum ex commentatore Pauli apud Ambroſ. *in ep. ad Epheſ. cap.* 4. Hieronym. *in ep. ad Tit. cap.* 1. vbi ait Apoſtolos initio in commune rexiſſe Eccleſiam Chryſ. *qui hom.* 55. *in Matth.* *cap.* 16. Vult curam vniuerſi orbis in commune omnibus Apoſtolis eſſe traditam ſub vno capite, ſub vno Paſtore nimirum Chriſto Epiphan. in Anacœphaleoſi, dicit Apoſtolos feciſſe inter ſe *μίαν πνευματικὴν ὑπόστασιν* vnam ſpiritualem ſubſiſtentiam Irenæ *lib.* 1. *cap.* 1. omnes pariter & ſingulos habuiſſe Euangelium, Auguſt. *tract.* 17. *in Ioan. cap.* 17. fuiſſe vnum natura, ſicut Trinitatem, Ignat. ait Epiſcopatum miniſterium ad commune pertinens *τὴν διακονίαν τὴν εἰς τὸ κοινὸν ἀνήκουσαν.*

Atque ex his omnibus colligit Arteſ. Ius fuiſſe præuentionis inter Apoſtolos, ideóque Paulus dicebat ad Roman. *cap.* ſe non potuiſſe prædicare verbum Dei, vbi alij prædicauerant, & è contrario ſe alicubi præueniſſe alios in ponendo fidei fundamento, cui alij ſuperædificare tentarint. 1. *ad Cor. cap.* 3. addit Arteſ. ſicut initio Deus prius lucem creauit, quam ſolem, aliáve ſydera: Ita Chriſtum prius inſtituiſſe Epiſcopalem dignitatem in Apoſtolis, quàm Epiſcopatum in ſuas ſedes diſtinxiſſet, is erat igitur tunc Eccleſiæ ſtatus, vt vnus eſſet Chriſtus Eccleſiæ ſuæ Pontifex, & caput, omneſque Apoſtoli & ipſe Petrus & eius miniſtri & Coëpiſcopi.

Colligit 2. Arteſius Apoſtolos tunc fuiſſe Epiſcopos ſine certa ſede & Epiſcopatu. Qua ratione Gregorius miſit S. Bonifacium in Germaniam ad acquirendum Epiſcopatum per earum gentium conuerſionem exemplo Apoſtolorum qui ita miſſi, & ordinati ſunt à Chriſto. *Tuam,* inquit, *reuerendam fraternitatem ad imitationem Apoſtolorum, qui domino iubente præcepti ſunt euntes, prædicare Euangelium in partibus Heſperiarum ad illuminationem Germaniæ gentis in vmbra mortis ſedentis, dirigere ſtatuimus,* Chryſoſt. *ep.* 14. *ad Olympiadem* ait ſe creaſſe Epiſcopum vnicum virum admirandum, & in Gothiam miſiſſe ad acquirendum Epiſcopatum; Paulus nullam vnquam peculiarem ſedem ſibi habuit, licet Apoſtoli diſtributis Orbis regionibus proprias ſedes obtinerent, quod ex inſtitutione & exemplo Chriſti factum vult Petrus Damian. *lib.* 2. *ep.* 16. Illeque mos aliquandiù viguit in Eccleſia. 30

Nam Barſes & Eulogius poſt longum monaſtici exercitij certamen Epiſcopi ſunt facti, non in Vrbe aliqua, ſed honoris gratia in Monaſteriis ſuis Epiſcopalem cōſecuti ſunt conſecrationem, inquit Mecephor. *lib.* 11. *hiſtor. cap.* 4. Et quondam in Monaſterio Sandionyſin. Pariſienſi fuiſſe inter monachos vnum perpetuò conſecratum in Epiſcopum, ſine vlla alia cathedra legiſſe, me memini. Paulin. *Epiſt. ad Seuerum Sulpitium*, in Barcinomenſi Eccleſia conſecrari poſſunt ea conditione, vt ipſi Eccleſiæ non alligaretur. *In Sacerdotium*, inquit, *tantum Dominus non etiam in locum Eccleſiæ dedicatus* in Concilio 1. t. Nariſconenſi *Epiſcopi ſedem non habentes:* Verùm de his Epiſcopis aliàs: Eiuſmodi enim deinde conſecrationes fieri prohibuit Concil. Chalcedonenſe & Leo *ep.* 92. *ad Ruſticum Narbonenſem*, eo quòd plurimi ſeſe falsò dicebant ordinatos, & eſſent errones, nec ſine alterius Epiſcopi venia munus Epiſcopale in eius diœceſi nequerent exercere; quod incommodum in hac Apoſtolica ordinatione timendum profectò non erat, plures verò rationes affert Arteſ. *cap. cit.* propter quas Chriſtus voluit aliquandiù, Eccleſiam nullum aliud quàm ſe ipſum habere caput, & omnibus Apoſtolis parem eſſe poteſtatem ac munus, quas non vacat accuratius expendere.

Secundus ſtatus fuit in quo Petrus conſtitutus fuit à Chriſto caput Eccleſiæ, & paſtor, traditis ipſi Regni cœlorum clauibus, & cōmendato eius curæ vniuerſo grege vt & oues & Agnos paſceret ac regeret; non tamen abrogauit poteſtatem aliis Apoſtolis prius 31

datam, ſed tantum voluit vt qui prius regebant Eccleſiam indiſtinctè, indiuiduè, & in communi ſub Chriſto tantum capite, tanquam eius miniſtri, eam deinceps regerent ſub Chriſto, & ſub Petro ſimul Chriſti Vicario & Eccleſiæ Rectore: tuncque primum habuit Eccleſia Hierarcham vnum & caput viſibile ſub Chriſto, fecitque illam perfectè vnam, vt eſſet inter Apoſtolos qui Chriſtum repræſentaret, relicta tamen Apoſtolis priori ſua poteſtate, quam Eccleſia tunc in vniuerſo orbe fundanda exigebat, neque adhuc illis diſtinctæ ſedes & Epiſcopatus deſignari poterant. Quare indiſtinctè adhuc illam in communi regebant. Cum ea tamen ſingulari Petri prærogatiua, vt ſupremam ipſe haberet præfecturam & poteſtatem. Deinde vt eandem poteſtatem communicare aliis poſſet, ſed cum aliquo diſcrimine: nam ſucceſſoribus ſuis totam & in totum & communicare potuit, aliis verò partem aliquam dumtaxat, & in aliquo ſaltem gradu inferiori, non autem totam eius plenitudinem: Quare & alij Apoſtoli indiſtinctè & in communi promiſcuè in Eccleſia laborarent, ædificabant tunc ſupra Petram ſecundum ſicut initio ædificauerant ſupra Petram primariam Chriſtum. Quare Petrus factus eſt Eccleſiæ perfectæ Epiſcopus, primúſque Hierarcha, & qui primus habuit Eccleſiam in titulum. Alij verò deinceps Apoſtoli ad ſimilitudinem & imitationem formæ Petri à Chriſto conſtitutæ, titulum acceperunt in Eccleſia Petri, & velut lumen de lumine Eccleſiam de Eccleſia Petri fecerint ſine vlla tamen imperfectione, hoc eſt non tanquam eius Vicarij ſed tanquam veri Epiſcopi, & cum acquiſitione etiam propriæ ſedis ab illis facta. Quæ omnia clariſſimus anteceſſor pluribus probat in ſequentibus Capitibus.

Et Primò quidem Petro datam eſſe ſummam poteſtatem quod nos nuper ſatis euicimus, ſufficit modo illud Leonis *Epiſt. ad Epiſcopos Prouinciæ Viennenſis huius muneris ſacramentum, ita Dominum ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, vt in beatiſſimo Petro Apoſtolorum ſummo principaliter collocaret, vt ab ipſo quaſi quodam capite dona ſua velut in corpus omne diffunderet, vt exortem ſe myſterij intelligeret eſſe diuini, qui auſus eſſet à Petri ſoliditate diſcedere: hunc enim in conſortium indiuiduæ vnitatis aſſumptum, id quod ipſe erat voluit nominare dicendo. Tu es Petrus.* Vide eundem *ſerm. 3. de ſua aſſumptione* nuper adductum & Optatum *lib. 2. ad Parmen. preferri meruit Petrus omnibus Apoſtolis & Regni cœlorum claues communicandas ſolus accepit.* Euthimius *in cap. vlt. Ioannis de Petro præſidentiam ſupra diſcipulos accepit.* Ea verò ratione Chriſtum feciſſe ſuam Eccleſiam perfectè vnam, cum illam ad vnum caput reduxit, demonſtrat Cyprian. ſuperius allatus *l. de vnitate Eccleſ. vt vnitatem manifeſtaret, vnam cathedram conſtituit, & vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem ſua authoritate diſpoſuit.* Optatus *lib. 2. omnium Apoſtolorum Caput Petrus Romæ ſedit, vt in vna illa cathedra vnitas ab omnibus ſeruaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas cathedras ſibi quiſque defenderet.* Hieronym. *aduerſ. Lucifer. cap. 4.* Eccleſiæ *ſalus à ſummi Sacerdotis dignitate pendet, cui ſi non exſors quædam, & ab hominibus eminens donata poteſtas tot, in Eccleſiis efficiuntur ſchiſmata, quot Sacerdotes Auguſt. in qq. veteris & noui teſtamenti q. 75. Sicut in ſaluatore erant omnes cauſa magiſterij, ita & poſt ſaluatorem in Petro omnes continentur, ipſum enim conſtituit caput eorum vt paſtor eſſet gregis Dominici.* S. Thom. *lib. contra Græcos adducit* Cyrill. Alexandrin.

Petrum porrò accepiſſe poteſtatem illam ordinariam, & cum tota ſua plenitudine tranſmittendam in ſucceſſores latiſſimè probabimus. *q. proxima,* partem autem dumtaxat ſuæ poteſtatis alijs inferioribus communicandam ab illo fuiſſe, inde quoque oſtenditur quod cum totam, vniuerſamque Eccleſiam paſcendam Petrus accepiſſet diſtributione Eccleſiarum facta aliis Apoſtolis & deinceps Apoſt. in partem ſollicitudinis ſinguli vocati ſunt: Vnde Cyprian. *Ep. 55. ſingulis paſtoribus portionem gregis eſſe adſcriptam, quam regat vnuſquiſque & gubernet, rationem ſui actus Domino redditurus.* Et *lib. de vnit. Eccleſ. Epiſcopatus vnus eſt, cuius à ſingulis inſolidum* pars tenetur.

Tertius denique ſtatus quem affert Arteſius *cap. 18.* eſt hodiernus, ab ipſa Apoſtolorum ætate cœptus, & qui etiam hodie perdurat, in quo Eccleſiæ particulares ſunt conſtitutæ, & ab vnica Petri Eccleſia deſumtæ quidem & non auulſæ, tum ab ipſiſmet Apoſtolis, tum à Synodis, deinde & Romano Pontifice, ſuntque creati particulares Epiſcopi, qui ſucceſſere quidem Apoſtolis in munere Epiſcopatus non in munere Apoſtolico, quæ omnia explicabuntur & confirmabuntur partim *cap. ſeq. q. prima* partim in 3. tom. operis, vbi de vniuerſa Hierarchia diſputabitur. 32

Ex his verò omnibus tandem conficitur in quolibet Chriſtianæ Eccleſiæ ſtatu Petri eminentia ſupra Apoſtolos, in primo quidem, quia licet cæteri illi viderentur eſſe æquales, cum ipſe nondum eſſet conſtitutus cæterorum caput, ſed vnicum, tunc eſſet Chriſtus, erat tamen deſignatus, ideóque ſemper & primus nominabatur & plura alia ſigna futuri principatus obtinebat quæ obſeruant Bellarm. alijque qui ſingulares Petri prærogatiuas obſeruarunt. In duobus verò reliquis ſtatibus, in quibus & Apoſtolorum caput & Eccleſiæ factus eſt, vti oſtendimus. Eius eminentia manifeſta eſt.

Reſtat peculiaris comparatio Petri cum Andrea, Paulo & Iacobo. Hos enim Heterodoxi Petro vel æquales, vel etiam ſuperiores faciunt. 33

Et quidem quod attinet ad Andream fratrem eius natu maiorem Heſychius *orat. de ipſo* vocat illum ante Petrum, Petram fundamentique fundamentum, qui primitiarum fuit principium, qui antequam vocaretur, alios vocat ad dominum, quique ante conſignat, quàm conſignaretur, qui antequam adducatur adducit. & S. Athanaſ. *in eiuſdem Apoſtoli encomio* dicit primam Apoſtolorum plantationem qui Chriſti diſciplinæ portas aperuit, & alia eiuſmodi in illum encomia profert.

Reſp. Heſychium & S. Athanaſium loqui de primatu vocationis quem B. Andreæ lubenter concedimus, fatemurque illum primum vocatum fuiſſe inter Apoſtolos, adduxiſſeque Petrum fratrem ad Chriſtum; nos verò agimus de poteſtate & Iuriſdictionis primatu, quem Petro Chriſtum tribuiſſe contendimus, quamvis neque primus vocatione fuerit, neque ætate, & tamen diuina electione cæteris omnibus Prælatus fuit à Chriſto. Quare nihil ex priori vocatione S. Andreæ decedit Petri primatui.

Maior difficultas videri poſſet circa Paulum quem Petri gloriæ conſortem & æqualem faciunt Hæterodoxi Nam Cyrill. Hieroſ. *Cath. 6.* Petrum & Paulum vocat præſides Eccleſiæ. Chryſ. *in eorum Apoſtolorum encomio* Beatum par cuius fidei totius mundi animæ creditæ ſunt Theodoret. *Ep. ad S. Leonem* communes omnium parentes & Magiſtros, immò & Paulum vna cum Petro tenuiſſe Romanam ſedem, quæ idcircò ſedes SS. Petri & Pauli dicitur à Dorotheo Theſſalonicenſi Epiſcopo ad hormiſdam. Idipſum deſcribit venantius Fortunat. *lib. 3. vitæ S. Martini* Petrus Damian. *opuſc. 31. cap. vlt.* Romam per duos ſummos Apoſtolos Petrum & Paulum totius orbis ſibi vindicare principatum. Iſti ſunt in capite Eccleſiæ duo oculi ex Bern. *Epiſt. 237.* quomodo & plures alij PP. loquuntur. 34

loquuhtur. Quare non pauci Romanos Pontifices Petri & Pauli ſucceſſores dixerunt, & in officio regendi Romanam Eccleſiam adiungunt, quod tum Pontifices, tum Concilia agnouiſſe ſibi perſuadent Audaculi aliqui recentiores, qui idcircò duo capita Eccleſiæ Petrum & Paulum ſibi fingunt, qui tamen non faciunt niſi vnum caput, qua ratione Sanctiſſima Trinitas eſt triplex in perſonis, & vnicus tamen Orbis moderator. Et Gregor. *lib. 6. Epiſt.* 37. ait tres ſedes Patriarchales Romanam, Alexandrinam, & Antiochenam, eſſe vnam, & eandem Petri ſedem, quam ita tres Epiſcopi tenerent, vt tamen omnes vnum eſſent in Petro, & eius vnius authoritate in tres illos transfuſa, & in tribus vnica potirentur, & Balſamon. *Opuſc. de Patriarchis.* Sanctiſſimos quinque Patriarchas eſſe vnum caput omnium Eccleſiarum Dei; & videmus aliquando duos Epiſcopos eidem Eccleſiæ ſimul præfuiſſe. Nempè Metelius & Paulinus Antiochenæ. Valerius & Auguſtin. Hipponenſi: Catholici Epiſcopi in collatione cum Donatiſtis pacti ſunt, niſi Donatiſtæ vincerent ſoli Epiſcopi remanerent, ſi vincerentur, remanerent ſimul cum Catholicis Epiſcopi, donec vno defuncto alij deinceps ſolito more ſuccederent; quod ſignificat. Auguſt. *Sermone* 36. & 40. & recens editis. Et Epiſtola Catholicorum ad Marcell. Tribun. & Notarium quem Honorius eius collationis iudicem elegerat, quod potiori Iure in Eccleſia Romana ſemel dumtaxat ex diuino Priuilegio ad illius Sedis dignitatem fieri potuiſſe negari non debet.

35 Huic aſſertioni adſtipulantur ipſi Romani Pontifices, dum omnia ſua Reſcripta, Bullas & mandata firmant authoritate SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, atque adeò eiuſmodi loquendi modo ſe eorumdem ſucceſſores profitentur; & quidquid mandant, aut decernunt ſe eorumdem authoritate ad ſe transfuſa mandare, & decernere. Innocent. I. *Epiſt. 24. quæ eſt inter Auguſtin. 91.* ait Romanam Eccleſiam cæteras fundaſſe, per duo ſua prima capita. Leo ſæpius vocat Paulum gloriæ Petri conſortem, & eos veros Patres & Paſtores Romanæ Eccleſiæ. *Iſti inquit ſunt Patres tui Roma, verique paſtores.* S. Gregor. *lib. 1. Dialog. cap.* 12. Apertè dicit Paulum Apoſtolum, Petro Apoſtolorum, primo in principatu Apoſtolico fratrem eſſe. *Et lib. 4. in cap. 1. Reg. cap.* 10. Paulum factum eſſe caput nationum, quia obtinuit totius Eccleſiæ principatum & in Sacramentario *in oratione de vigilia SS. Petri & Pauli.* Deum illis ſoluendi, ligandique licentiam contuliſſe. Et in oratione pro octaua eorumdem poſtulat eorum orationibus muniri, quorum regimur principatu: Alibi verò vocat duos Duces cœleſtis exercitus. Denique idem S. Pontifex apparens Tagioni Epiſc. S. Paulum inter Rom. Eccleſ. Pontifices aliquando numerauit. Adrianus VII. *Epiſt. ad Conſtantinum & Irenem*, Romanos Pontifices ſcribit eſſe Vicarios SS. Petri & Pauli & ambos eſſe Coriphæos Apoſtolorum, fundamenta Orthodoxæ fidei. Gregor. VII. Se in Throno SS. Apoſtolorum Petri & Pauli ſedere; indeque Henricum Imperatorem diris deuouere. Nicolaus 1. *Epiſt. ad Michaël. Imperat.* Fatetur Paulum in Eccleſia conſtitutum tanquam luminare majus, & inſtructum poteſtate ſuper vniuerſam Eccleſiam. Petrum & Paulum eſſe duos oculos in Eccleſ. ſpecula, & corpore, quo loquendi modo vtitur Leo Superius adductus. Petrus Damiani *Serm.* 17. Arnobius Iunior. *in conflictu lib.* 2. Venant. Fortunat. *lib.* 3. *vita S. Martini.* Bernard. *Serm.* 1. *de Apoſtol.* Innoc. III. *c. per venerabilem. qui filij ſint legitimi* Paulo tribuit plenitudinem poteſtatis. *Et Epiſtola ad Cardinalem S. Sabinæ Remenſem Archiep.* Sic habet. *A Chriſto in perſonâ eorum* (Scilicet SS. Petri & Pauli) *Romana Eccleſia authoritatem ſuper Eccleſias vniuerſas accepit; vnde & Bulla noſtra per quam totius negotia Chriſtianitatis aguntur, capitum ipſorum Charactere præſignatur*; quibus verbis nihil clarius dici poſſe videtur.

Afferuntur in eandem ſententiam nonnulla Concilia, ex quibus præcipua eſt Synodus VIII. *in Epiſt. Synodica*, ad Adrianum II. in qua Petrum & Paulum eximiam & Principalem Apoſtolorum ſummitatem nominat. 36

Denique congerunt magnam turbam Patrum in eandem ſententiam, quorum aliqui dixerunt Paulum principem Apoſtolorum vel vna cum Petro Principem mundi, Principes Apoſtolorum; ſummos Apoſtolos, culmen Apoſtolicum, Principes Chriſtianæ pietatis, magiſtros militiæ Chriſtianæ, ſpirituales fratres Romulo & Remo diſcordibus oppoſitos, Regni Chriſti Principes, omnium Eccleſiarum Principes, alij volunt Paulum πρῶτον ἀπόκρισιν: Et ex nouiſſimo factum primum, alij eoſdem Apoſtolos nominant ſurgentis baſes Eccleſiæ, fontes, & apices Religionis, fidei coadiutores, authoritatis præduces, vrbis Compatronos, eiuſdem loci primatu triumphantes in Eccleſia eminentes: πέτρος καὶ παῦλος παραγινόμενοι οἱ ἐκκλησίας προστάται. inquit Cyrill. *Cathec.* 16. Vtrumque accepiſſe claues, Paulum eſſe Collegam ſancti Petri, fundatores Eccleſiæ, orbis Magiſtros, Partes ac Iudices: Deinde Romani Pontifices celebrantur, tanquam Vicarij & ſucceſſores SS. Petri & Pauli ſedem Romanam ſedem SS. Apoſtolorum Petri & Pauli & plura alia ſimilia ex SS. Patribus corradunt ſumma diligentia, ſed minori fide, quibus non modo S. Paulum æqualem faciunt S. Petro, ſed etiam illum quoque caput Eccleſiæ, & Paſtorem ac fundamentum vnà cum Petro atque cum ipſo caput conſtituunt.

Hanc bini capitis Eccleſiæ, & gemini Paſtoris ac Pontificis Romani, ſimul eodemque tempore cum æqualitate poteſtatis & Iuriſdictionis nuper inductam nouitatem, plures exagitarunt in quibus accuratiſſimus & diligentiſſimus ſcriptor Theophil. Rainaudus. *Opere de Bicipiti Eccleſia.* Singula quæ aduerſarij afferunt, expendit, Et quàm inſulsè adducantur, demonſtrat. Quare nos paucis hoc loco contenti erimus, moneoque imprimis ſapienter omninò Græcum quendam Catholicum apud Anonymum Dominicanum, tractatum contra Græcos arguiſſe Germanum Nicænum Schiſmaticum, qui Paulum æquè ac Petrum Κορυφαῖον τῶν Ἀποστόλων nominat, &c. Quod ſedes Apoſtolica & Principatus Petri Ex omnium Catholicorum ſententia ſit, noſque hactenùs ex Patrum, Conciliorum, & Scripturæ ipſius ſententia S. Petri primatim apertè demonſtrauimus, neque vnquam Eccleſia duos ſupremos Principes & moderatores ſimul agnouit, duoque capita æqualis & paris ſimul Iuriſdictionis; eſſet enim monſtrum hactenùs inauditum, & cum Petrus ſuſceperit à Chriſto oues ſuas & agnos curandos, & paſcendos, Paulusque fuerit ouis Chriſti, & proinde Petro ſubiecta: Licet enim acceperit à Chriſto ſicut cæteri Apoſtoli vniuerſaliſſimam Iuriſdictionem vbi que, etiam Romæ ſi videretur exercendam, illa tamen perſonalis, & non ordinaria fuit cum iure transfuſionis ad ſucceſſores, & Petro ſummo ouium omnium Paſtori ſubordinata: neque proinde Paulus poteſt eſſe caput Eccleſiæ vna cum Petro, ità vt ſint duo capita, quæ tamen ſint vnicum, vti ſomniant Aduerſarij. Si enim reipſa ſunt bina, quomodo ſunt vnum. Hoc tam intelligibile quam ipſum Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium, cuius exemplum ineptiſſimè hoc loco nobis afferunt: hæc ſiquidem vnitas 37

inter duo diſtincta capita fingi non poteſt, niſi propter voluntatum conſenſum, quæ eſt quædam moralis vnitas, vel propter Regiminis alternationem, quod vnum tantum pro tempore regat: prior illa vnitas moralis in duobus ſupremis Rectoribus & non ſubordinatis nequit exiſtere cum tanta ſit negotiorum diuerſitas, & in iis ſententiarum differentia. Et ſanè Petri & Pauli fuit valdè diuerſus ſenſus circa legalium obſeruationem. Quare Paulus in faciem reſtitit Petro, ipſumque reprehendit, quia reprehenſibilis erat *ad Galat. 2.* Qua de re fuſius egimus libro ſuperiori inter eundem Paulum & Barnabam æquè conſtitutum gentium Apoſtolum à ſpiritu Sancto fuit, non leuis diſſenſio pro Ioanne *Actor. 15.* Notum eſt Ioannis Chryſoſthomi, & Epiphan. diſſidium circa Origeniſtas, quos vnus fouebant, alter auerſabatur; ipſi denique Angeli Daniel 10. altercantur, & vnus fauet Perſis, alter Iudæis; quod fusè explicat Gregor. *lib. 17. moral. cap. 8. ad Illud Iobi 26. qui facit concordiam in ſublimibus ſuis*, plura alia dabit circa innoxia Sanctorum diſſidia. Facundus *lib. 7. cap. 6.* Rationem reddit Bonau. *quæſt. 20. in Regul. S. Franc.* Quia veritas non omnibus eſt æquè perſpecta. Ideóque vnus indicat aliquid noxium, quod alter percommodum ſentit. Non fuiſſet igitur prudens, & commoda duorum capitum & ſupremorum Principum conſtitutio, neque vnum dici poſſent propter conſenſionem voluntatum, quàm in omnibus vix ac ne vix quidem eſſe poteſt, quamvis Sanctis & piis quales erant Petrus & Paulus, cum ne in grauiſſima quidam quæſtione de obſeruatione legalium eiuſdem ſententiæ fuerint, licet illa quæſtio non eſſet fidei in qua conſentiebant, ſed cti peculiaris.

38 Neque dicas Imperatores Romanos ſibi aliquando aſciuiſſe conſortem Imperij, quo caſu vterque habebat ſupremum Ius, neque vnus pendebat ab alio, ſed in vtroque erat ſuprema authoritas, vnoque defuncto tota reſtabat in altero, id primus feciſſe dicitur M. Antonius Philoſophus adiuncto ſibi Fratre; Lucio verò & deinceps alij plures idem perſtiterant. Quidni igitur idem in Petro & Paulo fieri potuit, & vterque in Eccleſiam vniuerſam ſuprema authoritate potiri. Hoc inquam obijci non poteſt. Sapienter enim Cyprian. *lib. de Idolorum vanitate* reſpondet. *Quando vnquam Regis ſocietas, aut cum fide cœpit aut ſine crimine deſiit. Hic Thebanorum rupta ſocietas, & permanens rogis diſſidentibus etiam in morte diſcordia & Romanos geminos vnum non capit Regnum, quos vnum vteri cœpit Hoſpitium, pompeius & Cæſar affines fuerunt, nec tamen neceſſitudinis fœdus in æmula poteſtate tenuerunt. Nec hoc tantùm de hominibus mireris, cum in hoc omnis natura conſentiat. Rex vnus eſt apibus, & Dux vnus in gregibus, & in armentis Rector vnus.* Similia habet Minutius *in Octauio.* Hieron. *Epiſt. 4.* Theodulfus Aurelian. *lib. 3. carm. 10.* Rupert. *lib. 6. de Spiritu Sancto. cap. 9. & lib. 6. de Victoria verbi cap. 20.* Vbi vt oſtendat neque neceſſitudines, neque cognationes & affinitates æmulationem in ſumma poteſtate tollere, affert illud Daniel. *Quia vidiſti ferrum mixtum terra, & luto commiſcebuntur quidem humano ſemine, ſed non adhærebunt ſibi, ſicut ferrum non poteſt miſceri teſtæ.* Quod verò de conſortibus imperij dicitur futile omninò eſt, quia vel manebat ſemper in Cæſarem ſubiectio ad Auguſtum; vel partiebantur inter ſe prouincias. Nam & Lucius verus M. Anton. fratri obſequebatur, vt Legatus, Præconſul, & Præſes Imperatori inquit Capitolin. ac proinde ſumma rerum penes Marcum erat. Alij verò qui erant ſimul Auguſti ſuas ſibi quiſque partes Imperij tenebant, vti fecerunt Honorius & Arcadius Conſtantini filij, Gratianus & Theodoſius. Cæſares verò ſuperſtitibus Auguſtis erant tantùm Imperio deſignati, in qua etiam deſignatione fuit ſæpius periculum confuſionis ac ſeditionis vti explicat Euſeb. *orat. de laudib. Conſtant.* Et tandem Hieremias *c. 11. v. 10. Paſtores multi demoliti ſunt vineam meam, conculcauerunt partem meam deſiderabilē in deſertum ſolitudinis.* Non videtur igitur Chriſtus tam incommodam Eccleſiæ gubernationem inſtituiſſe, alioquin potuiſſent poſteri Petri & Pauli Exemplo duos Epiſcopos ſimul grauibus vrgentibus cauſis, vt componendo Schimat. conſtituere, quod nunquam paſſam eſſe Romanam Eccleſiam legimus: In aliis verò ſi quándo plures ſimul Epiſcopi eſſe viſi ſunt, vt Melelius & Paulinus Antiochiæ, atque alibi alij ad ſedandas diſcordias, illi non habebant ſinguli plenam & vniuerſalem in vniuerſam diœceſim authoritatem, ſed vel vnus deſignatus erat ſucceſſor, quod factum in Auguſtino à Valerio Hipponenſi, quod tamen illegitimè factum fatetur Auguſt. *Epiſt. 112.* propter incompertum, tunc ſibi Canonem VIII. Nicænum, vel ſinguli ſuas habebant portiones & plebes. Vt Melelius & Paulin. Quomodo id fieret deſcribit Auguſtin. *Serm. 37. ex 40. recens editis. Diximus poſſe in vna Eccleſia pacis cauſa eſſe fratres Concordes (Specioſa enim res eſt concordia fratrum) non poſſe enim duos eſſe Epiſcopos diximus. vt ambo ſedeant in vna ſimplici Baſilica, ille in Cathedra, ille vt Peregrinus, ille in Cathedra Chriſtiana, ille in Cathedra Hæretica quaſi collega iuxta ſedeat, rurſus ille in congregatione ſua præſideat, viciſſim ille in ſua.* Et in Epiſt. Synodica Notoria ad Marc. de Donatiſtis. *Si vicerint in Collatione. Poterit quippe vnuſquiſque noſtrum honoris ſibi ſocio copulato viciſſim ſedere eminentius: Sicut Peregrino Epiſcopo iuxta conſidente Collega. Hoc cum alterius Baſilicis vtriſque conceditur, vterque ab altero honore mutuo prouenitur, quia vbi præceptio Charitatis dilatauerit corda, poſſeſſio pacis non fit anguſta, vt vno eorum defuncto, deinceps iam ſinguli priſtino more ſuccedant.* Alij Exiſtimant plures Epiſcopos in eadem Eccleſia, quorum ſinguli regerent nationes vtentes vario Idiomate, ex quibus illa vna Eccleſia conflabatur. Ita Salmeron. *in cap. 1. ad Philipp.* Quod tamen reijciunt Cornel. Eſtias, Iuſtinian. Cum igitur nunquam in Eccleſia hæc pluralitas Epiſcoporum fuerit vſurpata, ſignum non leue eſt, eam à Chriſto in primaria Eccleſia Romana non fuiſſe inſtitutam: Cur enim non licuiſſet vſurpare quod Chriſtus aliquando feciſſet. Cum enim addunt Chriſtum id prohibuiſſe, gratis dicunt cum neque quidquam afferre poſſint vnde id habeant, neque vbi & quando idem deinceps fieri prohibuerit. Duorum igitur capitum Petri & Pauli in Eccleſia Romana cum ſumma & indiuiſa poteſtate, quæ tamen vnicum ſint per ſummam voluntatum conſenſionem, vnitate quadam morali aſſertio & noua & falſa eſt vt vides.

Neque alter modus viuendi coniungendique duo 39
ſuprema capita per alternationem regiminis probabilior eſt hoc loco. Sic enim Petrus & Paulus non eſſent, niſi alterni, ſiue alternatim Pontifices, neque vnquam ſimul regerent & aſſignandum cuique eſſet tempus exercendæ ſuæ poteſtatis quæ perpetua non eſſet, ſaltem quoad exercitium. Innumera alia incommoda ex illa alternatiua poteſtate ſequerentur, neque quod dixerit aliquando Gregorius ſedem Romanam Alexandrinam, & Antiochenam eſſe vnam ſedem Petri, fauet Aduerſariis. Inde enim tantùm habetur, Petrum in qualibet illarum ſediſſe, & tres illi qui tunc præerant Pontifices non erant vnicū caput Eccleſiæ, ſed ſinguli ſuarum Eccleſiarum, quamvis in eo conuenirent, quod ſingul Cathedram aliquā quæ Petri fuerat, regerent, quamvis qui Romanæ

præerat

præeſſet totique Eccleſiæ ſimul præſideret, & Petro in plenitudine poteſtatis, atque regiminis vniuerſalis Eccleſiæ ſucceſſiſſet. Alij verò duo in Epiſcopatu tantum particulari vt pater, fictitia igitur eſt tota illa moralis vnitas quam inter Petrum & Paulum in ratione Romani Pontificis atque adeò capitis & Principis Eccleſiæ aduerſarij tentant inuehere, vt Paulum adæquent Petro.

40 His omnibus accedit gemina eaque validiſſima ratio; primò quidem quia certo conſtat omnibus Catholicis Petrum fuiſſe fundamentum & caput Eccleſiæ viſibile conſtitutum à Chriſto, contra quam Antonius de Dominis aliique Heterodoxi alibi confutandi velint. At verò S. Paulum eſſe pariter caput Eccleſiæ cum Petro, cum quo tamen vnicum efficiat, nullibi habemus, neque in ſcripturis, neque in Conciliis, neque in Patribus. Superius enim adductos facilè ſtatim explicabimus, & illi nunquam dixerunt Paulum Caput Eccleſiæ, etſi plura eius decora laudarint, neque etiam id traditione accepimus, cum hanc doctrinam nuper exortam, aut malè è Sepulchris effoſſam nobis noui Doctores obtrudant: Deinde nullum eiuſmodi capitis vniuerſalis actum peculiarem à Sancto Paulo præſtitum aſſignare poſſunt iſti Nouatores. Quod enim pluribus gentibus prædicauerit Euangelium, plures Scripturas Canonicas & Epiſtolas ediderit, plures fundauerit Eccleſias, quarum aliarumque quas animo deſtinarat, ſollicitudine vreretur, illuſtre Martyrium ſubierit, vas à Chriſto electum fuerit ad portandum eius nomen coram Gentibus & Regibus, & ab ipſo Chriſto vocatus fuerit, plus omnibus laborauerit, ideóque ob inſignem nauatam operam in Euangelio diſſeminando, vocetur Apoſtolus Antinomaſticè, hæc omnia cæteris quoque Apoſtolis Communia ſunt, ſaltem ſpecificè, neque illis dignitatem vniuerſalis capitis, & æqualitatem cum Petro tribuunt, Reſtatque ſemper S. Petro ſumma illa dignitas Paſtoris & Rectoris omnium Chriſti ouium, quarum vna fuit æquè Paulus atque cæteri Apoſtoli; ac proinde illi, vt & alij ſubiectus. Vnde enim habent fuiſſe ab illa ſubiectione immunem & Creatum Paſtorem non ouem, maximè cum ipſemet eam ſubiectionem euidenti facto teſtatus ſit. Nam triennio poſt ſuam conuerſionem in ipſo curſu concitatiſſimo prædicationis Euangelicæ, aſcendit Hieroſolymam videre Petrum *ad Galat.* 1. Vbi Chryſ. obſeruat vocem ἱςορῆσαι, dicitque id verbum vſurpari de ijs, qui ſplendidas vrbes adeunt videndi tantum cauſa, quaſi nimirùm S. Petrus fuerit S. Paulo ſpectaculum quoddam magnificentiæ, quod videret, quod iterùm expendit. *tom. 5. Græco. Latino hom.* 61. Nam Græcis qui videndi cauſa loca luſtrant, dicuntur ἱςορεῖν τὺς τόπυς, & loca quæ hoc fine luſtrantur, τόποι ἱςορόμενοι. Et regio in qua multa viſu, & ſcitu digna ſunt πολλὴν ἱςορίαν ἔχειν, plurimam habere Hiſtoriam, vti loquitur. Dio. *oratione* 1. *de Regno.* Et Plaut. in Menich. dum Meſſen. herum luſtratos plurimis vrbibus in quærendo Fratre ſic alloquitur.

In ſcirpo nodum quæris, quin nos hinc domum
Redimus, niſi ſi Hiſtoriam ſcripturi ſimus.

Videtur hic loquendi modus deſumptus ex eo quod qui varia luſtrant, annotent omnia quæ viſu & ſcitu digna reperiunt, atque Hiſtoriam Scribunt. At verò ἱςορεῖν ἄνδρα. Græcis inuſitatum omninò: quare non de ſimplici viſu Petri quaſi prodigij cuiuſdam, atque magnifici ſpectaculi loqui videtur Paulus, qui ſanè ea ſolum de cauſa prædicandi Euangelij curſum non interrupiſſet. Quare Hierony. *in Ep. ad Galat.* Vult profectum Hieroſolymam vt Petrum priorem Apoſtolum honoris cauſa viſeret. Quæ ratio æquè valeret pro cæteris Apoſtolis, qui Paulo priores erant & præ quibus ſe ipſe abortiuum dicebat. Alij volunt profectum Paulum vt à Petro doceretur quod non conſentit cum eo, quod ibidem teſtatur Paulus, Euangelium ſuum non eſſe ſecundum hominem, cum ab homine illud non acceperit, ſed per relationem Ieſu-Chriſti. Ex quibus etiam reijcitur quod aiunt veniſſe, vt cum Petro de ſuo profectu inter gentes ageret, ſicut *Acto.* 21. 18. Venit ad Iacobum & cum eo confert de ijs quæ geſſerat, & vt ait Chryſ. συμβουλευόντος ἀνέχεται αὐτῦ; Conſilium eius minimè aſpernatur, ſed quid opus erat, cum ipſe de ſua doctrina certiſſimus eſſet, interrumpere prædicationes ea de cauſa: quare rationem attigit Chryſ. *Homil.* 87. *in Ioann.* Os inquit, de Petro loquens, *erat Apoſtolorum; & Princeps & vertex ipſius cœtus, propter & Paulus eum præ cæteris viſurus aſcendit, nempè vt ab eo ore reportaret oraculum, non ad ſuam quidem eruditionem, ſed habendam apud auditores authoritatem, dum ſcirent eius Euangelium à Petro probatum, confirmatumque. Et vt ille ait ne in vacuum cucurriſſet, hoc eſt ne eius prædicatio tanquam inanis reijceretur.* Ita Tertullian. *lib. 4. aduc. Marcio. cap.* 2. ait Conſultaſſe *Apoſtolos authoritatem anteceſſorum, & fidei & prædicationis ſuæ optauit.* Theodoret. *Epiſt. ad S. Leonem. Si Paulus prædicator veritatis, & Spiritus S. tuba ad Petrum accurrit, vt ijs qui Antiochiæ de viuendo ſecundum Legem Moyſi diſceptabant definitionem & explicationem ab eo ferret, multómagis nos qui puſilli ſumus, & viles ad ſolium veſtrum Apoſtolicum accurremus, vt vobis Medecinam vlceribus Eccleſiarum feramus.* Eodem exemplo Pauli recurrentis ad Petrum vtitur Sophronius Hieroſolymitanus *in Epiſt. Synodica ad Honorium* 1. *P. Petri ſucceſſorem*, ipſeque Auguſtin. *lib.* 28. *contra* Fauſt. *cap.* 4. ait Eccleſiam crediſſe Paulo Apoſtolo, quia Euangelium ſuum cum Apoſtolis communicauerat, & idem quod illi annuntiabat vide Turrion. *lib. 2. pro Epiſt. Pontific. c.* 4. Et Valentiam. *lib. 7. Analyſ. fidei cap.* 6. Et alios. Hoc porrò tam illuſtri Pauli facto vides Paulum non æqualem cum Petro poteſtatem profiteri, ſed potius ſe ipſi ſubiectum. Vides Petri præfecturam & dignitatem qualis nulli alteri conuenit, vt loquitur Nyſſen. *in Encomio Apoſtolorum* à Gretſero edito, vides Petrum Apoſtolorum Doctorem, vt nominat Chryſoſt. *in Encomio SS. Petri & Pauli.* Et Magiſtrum Magiſtrorum; vt loquitur Caſſian. *lib. 3. de Incarnat. cap.* 12. Vides ex eod. Chryſ. *l. c.* Petrum Orthodoxæ fidei principium magnum, atque illuſtrem Eccleſiæ Sacerdotem, neceſſarium Chriſtianorum Conſiliarium. Quare & illum Paulus in ſtabilienda fide adiit; quod ſi ipſe æquè caput Eccleſiæ fuiſſet agnitus, non feciſſet.

Neque rectè obiiciunt Petrum fuiſſe reprehenſum à Paulo in eadem ipſa Epiſt. ſaltem quaſi ab æquali. Nam omiſſis quæ libro ſuperiori pluribus diſſeruimus, de hac contentione, non de vitio prædicationis, ſed conuerſationis vt inquit Tertull. *lib. de præſcrit. c.* 17. *Reſp.* PP. Omnes inde potiſſimum commendare Petri modeſtiam, quod ſe ab inferiori reprehendi paſſus fuerit. Audi Cyprian. qui vnus inſtar omnium eſſe poſſit. *Nam nec Petrus.* (inquit *Ep.* 17.) *quem primum dominus elegit, & ſuper quem ædificauit Eccleſ. ſuam, cum ſecum Paul. de Circumciſ. poſtmodum diſceptaret. vindicauit ſibi aliquid inſolenter, aut arroganter aſſumpſit, vt diceret ſe primatum tenere, & obtemperare à nouellis, & poſteris ſibi potius oportere, nec deſpexit Paulum quod Eccleſiæ prius perſecutor fuiſſet, ſed Conſilium veritatis admiſit, & rationi legitimæ quam Paulus vindicabat facilè conſenſit; documentum Scilicet nobis & concordiæ, & patientiæ tribuens, vt non pertina-*

citer

citer noſtra amemus, ſed quæ aliquando à fratribus, & collegis noſtris vtiliter & ſalubriter ſugger untur, ſi ſint vera & legitima, ipſa potius noſtra ducamus; Vide & in eandem rem plura apud Damianum.

41 Altera ratio quæ Paulum non fuiſſe caput Eccleſ. fictitiamque eſſe totam illam duorum capitum, cum ſuprema in vniuerſum Corpus poteſtate, & influxit cogitatio perſpicuè demonſtrat, ducitur ex Analogia Corporis Phyſici, quam omnibus ſcriptoribus etiam ſacris, ipſique S Paulo familiarem eſſe conſtat, vbi de corporibus politicis agunt. Quare duplex eſſe Chriſti Corpus dicunt, vnum quod ſuſcepit ex Virg. alterum ipſi Charius pro quo mortuus eſt, quod eſt Eccleſia, inquit Petrus Damian. *Serm.* 30. Quare de Eccleſia tanquam de corpore morali & myſtico loquitur perpetuò Paulus, nam ad Epheſ. *cap.* 1. *& cap.* 5. & *Ep.* 1. *ad cor. cap.* 15. Vbi fuſiſſimè hanc vtriuſque corporis Analogiam proſequitur, de qua nos quoque plura diximus *ſuperiori libro*, vbi de Eccleſiæ partibus *ad Epheſ.* 3. conuerſos ad fidem factos eſſe concorporales, idest eiuſdem corporis membra, & alibi dehortans fideles à fœda turpitudine, monet ne membra Chriſti fiant membra meretricis. Coloſſenſes quoque hortatur vt abijciant vmbras legis, cum ipſi ſint Corpus Chriſti ſolidum & non vmbraticum, vti explicat Auguſtin. *Ep.* 49. Reſpondens propoſitis à Paulino quæſtionibus, neque in hac Eccleſiæ cum corpore Phyſico Analogia immorandum nobis diutius eſt; ſi plura cupis, adi Turrecremat. *in ſumma de Eccleſia cap.* 43. *&* 44. atque Sanct. Paguinum *in ſua Iſagoge.* In eadem re frequentes ſunt PP. Aug. *Serm.* 16. *ex* 40. *nouiſſimè editis* Gregor. *in Pſal.* 5. *pænit. Verſ.* 1. Et alij. Ex hac igitur corporis Phyſici & Eccleſiæ, quæ eſt eiuſdem Chriſti Corpus morale & myſticum Analogia, ſcripturis, omnibuſque patribus probata & vſurpata, licet in rem præſentem argumentari. In primis enim nemo negat Corpus Phyſicum biceps, monſtrum quoddam eſſe, ſiue illa duo capita ſimul eidem trunco corporis agnata ſint, ſiue vni iam conſtituto; alterum deinde tanquam vber acceſſerit, quod ipſa ratio ſatis oſtendit; cum ſit aberratio à curſu ſolito naturæ; Si igitur Eccleſiæ Corpus duo habeat viſibilia capita, ſimul & vtrumque cum æquali & ſuprema poteſtate monſtrum quoddam erit, quod ipſum dixit Innocent. III. *cap. Quoniam de offic. ordinar.* Vbi ſeuerè prohibet, ne vna ciuitas, aut Diœceſis Vniuerſos habeat Pontifices, *tanquam vnum corpus*, inquit, *diuerſa capita habens, quaſi monſtrum.* Deinde vel vtrumque hoc caput Petrus & Paulus ſimul conſtituta ſunt Corporis Eccleſiæ à Chriſto, vel vnum deinde acceſſit alteri: primùm dici nequit, quia dum Petrus conſtitutus eſt à Chriſto fundamentum Eccleſiæ ædificandæ, Rector eiuſdem per traditionem Clauium, & ſupremus Paſtor, demandata illi omnium ſuarum ouium cura, vti explicuimus: Paulus neque Apoſtolus, neque fidelis aut ouis erat, ſed aliquot poſt annis, non potuit igitur ſimul & eodem tempore cum Petro creari ſupremus Eccleſiæ Paſtor & caput, vt patet. Non poteſt etiam ſecundus modus probari. Et Petro iam Pontifice & capite vniuerſalis Eccleſiæ Conſtituto adiunctum fuerit Paul. cum pari & æquali poteſtate nouum caput, nam inde non vitatur monſtroſitas bicipitis Corporis, ſed potius creſcit, in modo quo nouum iſtud Caput tanquam carcinoma protulerat: Deinde quærimus quandonam & à quo conſtitutum fuerit, & quomodo ſuccreuerit iſtud caput; Nam neque Paulus ſe ipſum tale conſtituit, neque plebs & cæteri Apoſtoli Communi conſenſu, aut ſuffragio id fecerunt. Neque Petrus ſibi Paulum in conſortem Pontificiæ poteſtatis ſupremæ adlegit, cum id facere non potuerit, alioquin id poſſent & Hodierni Romani Pontifices, potuit quidem Petrus aliquam partem poteſtatis alicui communicare, non verò totam ſuam poteſtatem ex æquo cum alio partiri, ita vt & parem habeant & independentem inuicem. Nam ſi eam dediſſet, poterat eandem tollere. Illi igitur ſubiecta manebat, ac proinde limitare & reſtringere potuiſſet, atque ita non fuiſſent duo ſuprema capita, ſed vnum alteri ſubiectum, quod nolunt aduerſarij, vel denique à Chriſto creatus fuerit, qui iam in Cœlum receptus apparuerit S. Petro, cæteriſque Apoſtolis admonuerit de dando collega & conſorte in regimine totius Eccleſiæ Paulo, vel qui dum Petrum creauit ſummum Paſtorem eum monuerit de ſibi ſuo tempore in collegam cum æquali Iure & pari poteſtate Paulo, vbi ad fidem conuerſus eſſet, quæ omnia mera ſomnia ſunt. Quarè Eccleſia, quæ ſemper agnouit Petrum, tanquam ſui Corporis caput, nunquam illi Paulum in ea dignitate adiunxit. Vnde & Cathedram. S. Petri celebrauit, nuſquam Pauli Pallium quod de Corpore S. Petri ſumitur, & eſt ſignum Iuriſdictionis, nunquam de Corpore S. Pauli ſumere ſe dicit, denique Pontifices Romani nunquam ſibi Petri nomen ſumpſere, nomen tamen S. Pauli ſibi adſciuerunt, quæ aliaque ſimilia vrgere liceret, ad explicandum Eccleſiæ ſenſum circa vnius ſolius Petri dignitatem capitis vniuerſalis; & non vllo modo Pauli.

Scripturas porrò & Patres pro Primatu Petri adduximus initio, vt effrontis omninò ſit de illo dubitare. 42 De Pauli verò primatu vniuerſali, & alterius quàm cæterorum Apoſtolorum, altum vbique ſilentium, mirumque omninò eſt Eccleſiam ſuam illud caput non agnouiſſe. Nam eximia illa decora Pauli quæ paſſim PP. Celebrant, & eximiæ laudes quibus illum ornant, non aliò ſpectant quàm ad eius labores, prædicationem Euangelij, plenitudinem ſcientiæ, zelum indefeſſum in fundandis Eccleſiis, & maximè Romana communi opera cum Petro: Caput verò Eccleſiæ nullo modo conſtitum; & denique omnis ea poteſtas quam ipſi tribuunt, Communis fuit cæteris Apoſtolis, quorum neque caput, neque Paſtor & Princeps cum aliqua in ipſos Iuriſdictione fuit, Paulus neque vnquam vt talis habitus eſt. Socij quidem in fundanda Romana Eccleſia laboris & operis fuere Petrus & Paulus quam etiam ſuo ſanguine conſecrarunt; vnus tamen Petrus Paſtor ſupremus & caput fuit. Neque aut parem, aut æqualem Petro facimus Paulum, ſed omninò ſubiectum, ea planè ratione qua cæteri Apoſtoli fuerunt. Atque ita manet Petrus Apoſtolorum Coriphæus & vertex atque Princeps, vti ſæpius loquuntur PP.

Quod enim adhuc de Iacobo obijciunt Lutherus. 43 *lib. de poteſtate Papæ &* eius Gregarij illum in Epiſcopatu Hieroſolymitano ipſimet Criſto ſucceſſiſſe qui eius, dum viueret fuerat Epiſcopus non Romanus, & Hieroſolymitanam Eccleſiam omnium Matrem extitiſſe, & vt talem agnitam à Concilio Nicœno & Clement. apud Euſeb. *lib.* 2. *Hiſtoria cap.* 1. Dicere Petrum & Iacobum & Ioannem, qui cæteris Apoſtolis Prælati fuerant à Chriſto, tamen poſt eius aſcenſionem non ſibi primatus gloriam vindicaſſe, ſed Iacobum cognomento Iuſtum Epiſcopum Apoſtolorum conſtituiſſe, inane & ridiculum eſt. Nam neque Chriſtus Epiſcopus vel Hieroſolymitanus vel alterius peculiaris Epiſcopatus. Neque vllum Apoſtolum præter Petrum ſuum Vicarium & ſecundarium fundamentum Eccleſiæ conſtituit, Eccleſia quidem Hieroſolymitana cæteris præſtat antiquitate & origine, ideoque à Nicœno inter Patriarchales cenſita eſt, ſed

ſed quarto tantum loco, & ſine vlla Iuriſdictione, ſuberat enim Epiſcopo Cæſarienſi, ſed ſolum dignitare, & quod in ea Chriſtus & Apoſtoli docuiſſent diutius, Clementis denique & Euſebij locus corruptus eſt, vt Bellarm. *lib. 1. de Pontifice cap. 26.* Ex variis codicibus, ipſoque Græco textu demonſtrat. Dixit enim Euſebium Conſtitutum Epiſcopum Hieroſolymorum non Apoſtolorum, & ſanè ſi illi Epiſcopatui fuiſſet alligatus primatus vniuerſalis Eccleſiæ, iam-pridem defeciſſet ille primatus cum eo Epiſcopatu, eſſetque Eccleſiæ Corpus acephalum, & eius politia quædam Anarchia, quod vnum intendunt Heterodoxi & Schiſmatici.

44 Ex his tandem habemus ſtabilitam Petri ſupra cæteros Apoſtolos dignitatem, eiuſque in omnem Eccleſiam Iuriſdictionem, quam tanquam eius caput & ſupremus, atque vniuerſalis Paſtor ſub Chriſto præcipua authoritate regeret. Atque quod vnum hac tota diſputatione quærimus, Ius illi & Leges præſcriberet explicando & definiendo dogmata fidei, eiuſque omnes controuerſias iudicando, confirmandoque in ea fratres ſuos, vti iuſſus fuerat à Chriſto, qui vt id faceret ſine errore, rogauerat, vt eius fides non deficeret, neque dubium eſt quin obtinuerit eam fidei Petri indefectibilitatem quam poſtularat.

Ex eadem ſummi Paſtoris Iuriſdictione habuit Petrus vt Leges circa politiam Eccleſiaſticam ferre pro imperio poſſet, eaſdémque mutare, abrogare, limitare & explicare, prout rerum momenta poſtulare viderentur figere & refigere, etiamſi ab aliis latæ fuiſſent, nouis & diuerſis occurrentibus cauſis; Et denique ſuis edictis totam vniuerſamque Eccleſiam obligare. Ea enim omnia ex capite vniuerſalis, & ſupremi Paſtoris authoritate, quam ſi Petro aſſeruimus per ſe ſe conſequuntur, vt vides; quæ ratio eſt propter quam D. Petri ſummam illam authoritatem, & eximiam præ cæteris Apoſtolis Prærogatiuam, tanta contentione nouatores impugnent, illa ſiquidem conceſſa, quæ ex illa neceſſariò inferuntur, & ſummæ Iuriſdictioni eſſentialiter alligata ſunt, diffiteri non poſſent.

QVÆSTIO III.

An Romanus Pontifex poſſit Ius & Leges Eccleſiaſticas præſcribere.

§. 1. *Romanus Pontifex eſt Petri ſucceſſor in ratione Capitis & Paſtoris Eccleſiæ.*
§. 2. *Solus Romanus Pontifex eſt eiuſmodi ſucceſſor.*
§. 3. *Romanus Pontifex poteſt conſtituere Ius Eccleſiaſticum.*
§. 4. *R. P. poteſt fidei controuerſias definire.*
§. 5. *Probatur 1. Ex titulis quibus PP. ornant R. Pontificem.*
§. 6. *Probatur 2. Quia ſemper omnes fidei controuerſiæ ad R. P. delatæ ſunt.*
§. 7. 3. *Quia R. Pontifex omnes hæreſes damnauit, etiam ſine Concilio, aut antè Concilium Generale.*
§. 8. *Subiectio Romani Pontificis iudicio notam hæreſis diluit.*
§. 9. *Obiectio ex comparatione cum aliis Patriarchis.*
§. 10. *Errores Romanis Pontificibus obiecti diluuntur.*
§. 11. *An liceat à definitione Romani Pontificis in rebus fidei prouocare.*
§. 12. *De obligatione aſſentiendi definitioni Romani Pontificis in rebus fidei.*
§. 13. *An Romanus Pontifex poſſit Leges Eccleſiæ præſcribere.*
§. 14. *Senſus Eccleſiæ Gallicanæ circa poteſtatem Romani Pontificis definiendi dubia fidei, & ferendi Leges circa Diſciplinam Eccleſiaſticam.*
§. 15. *Senſus Academiæ Pariſienſis circa eandem poteſtatem.*

PLurimas quæ de Romano Pontifice excitari ſolent controuerſias in tomum huius operis III. reijcimus, in eo enim de Vniuerſa Hierarchia Eccleſiaſtica, quam fuſiſſimè diſputabimus, vti iam monui ſuperius. Hoc verò loco quærimus dumtaxat an in illo reſideat ſumma aliqua & Vniuerſalis poteſtas Legiſlatiua, per quam toti & Vniuerſali Eccleſiæ Sacras Leges ferre, atque adeò Ius Eccleſiaſticum Vniuerſale condere valeat, quæ diſputatio ex proximè ſuperiori quæſtione definita videri poterit, eam tamen placuit hoc loco fuſius explicare, & vitandi tœdij, & lucis maioris, implicatis quibuſdam, atque importunis petitionibus, afferendæ cauſæ in ſuos §§. diſtinguere.

§. I.

Romanus Pontifex eſt Petri & plenariæ eius poteſtatis ſucceſſor.

Supponendum enim eſt tanquam fide certum Romanum Pontificem diui Petri, eiuſque plenariæ poteſtatis verum & vnicum ſucceſſorem eſſe atque imprimis eſſe Petri ſucceſſorem, conſtat ex communi Patrum & Concil. ſenſu, qui idcircò nouum Petrum ſiue Petrum temporis noſtri ſæpius nominant. In Concilio Lateranenſi ſub Mart. I. in quo à centum quinque Epiſcopis damnata eſt Hæreſis Monotelytarum & Conſtant. Imperatoris typus proſcriptus *in Secretario II.* Theophylactus primicerius retulit ex venerabili. Scrinio Sergij Cyprienſi Archiepiſcopi ſuggeſtionem antè ſeptem annos, Miſſam ad Theodorum Martini deceſſorem per Exupetium Notarium Regionar. Apoſtolicæ ſedis ex Græco ſermone, Latinam factam: In ea verò Sergius ſic loquitur. *Firmamentum à Deo fixum & immobile; atque tituli formam lucidiſſimam fidei veſtram Apoſtolicam ſedem conſtituit ò ſacer verè Chriſtus Deus noſter; Tu es enim ſicut diuinum veraciter pronuntiat verbum; Petrus & ſuper fundamentum tuum Eccleſiæ Columnæ confirmatæ ſunt. Tibi & Claues Regni cœlorum commiſit*, in libello de exilio S. Martini dicitur Pyrrhus veniſſe Romam ad veſtigia B. Petri, hoc eſt ad Theodorum tunc Pontificem. Chryſolog. *Serm. 175.* Quæritur de inobedientibus decreto Beati Petri & Principis Chriſtiani. Bleſenſis *tractatu de Peregrinatione Hieroſolym.* Indulgentiam plenariam à Romano Pontifice Miſſam ijs qui expeditionem Hieroſymitanam ſuſciperent, vocat Priuilegium B. Petri his verbis. *Principes & magnates terræ, ſignum Crucis nuper acceperant. Priuilegio ſiquidem Petri Apoſtoli & authoritate Eccleſiæ generali propoſuerat Deus in hoc ſigno verbum reconciliationis; vt vix Hieroſ-*

Hieroſolymitanæ aſſumptio , eſſet pœnitentia conſummata & ſufficiens ſatiſfactio de commiſſis. Ep. 92. Apud Auguſtin. PP. retulerant ad Innocent. I. Nouam vt loquuntur, hæreſim & pernicioſam tempeſtatem inimicorum gratiæ Chriſti Pelagij & cœleſtis Concilij Carthaginenſis exemplo. Quibus Reſpondet Innoc. *Epiſt.* 93. *Diligenter ergo & congruè Apoſtolico Conſultis honori , honori inquam illius , quem præter illa quæ ſunt extrinſecus , ſollicitudo manet omnium Eccleſiarum ſuper anxijs rebus, quæ ſit tenenda ſententia, antiquæ ſcilicet regulæ formam ſeculi , quam toto ſemper ab orbe mecum noſtis eſſe ſeruatam :* ac mox. *Scientes quod per omnes Prouincias de Apoſtolico fonte petentibus reſponſa ſemper emanent ; præſertim quoties ratio fidei ventilatur, arbitror omnes fratres & Coëpiſcopos noſtros non niſi ad Petrum , id eſt ſui nominis & honoris authorem, referre debere , velut nunc retulit veſtra dilectio, quod per totum mundum poſſit omnibus Eccleſiis in commune prodeſſe.* Quæ omnia verba diligenter ſunt attendenda. Nam ex illis patet quæſtiones de fide referri ad Petrum, dum referuntur ad Apoſtolicum R. Pontificem nimirum, & eius deinde Reſponſa prodeſſe omnibus per totum mundum Eccleſiis , & ab illis ſuſcipi. Agatho *Epiſt. ad Conſtantin. Heraclium, & Tyberium.* Auguſtum , ſcribens per ſuos Legatos, qui Synodo ſextæ Conſtantinopoli contra Monothelitas præſiderent , quæque lecta eſt *Act.* 4. Vbi quænam eſſet Fides Apoſtolica, hac in parte , & à qua adnitente B. Petro nunquam in qualibet erroris parte deflexa eſt. *Petri Apoſtolicam Eccleſiam.* Vocat Romanam ſedem ; additque. *Cuius authoritatem , vtpotè Apoſtolorum omnium Principis ſemper omnis Catholica Chriſti Eccleſia , & Vniuerſales Synodi fideliter amplectentes in cunctis ſequutæ ſunt , omneſque venerabiles Patres Apoſtolicam eius doctrinam amplexi, &c.* In quibus vides Romanæ ſedis doctrinam eſſe Petri Apoſtolorum Principis , quam , idcircò omnis Catholica Eccleſia fuerit amplexata , nempè docente Pontifice ipſemet Petrus docet. Quare vt ibidem addit Agatho. *Hæc eſt vera fidei regula , quam in proſperis & in aduerſis veraciter tenuit, ac defendit, hæc ſpiritualis mater tranquilliſſimi veſtri Imperij Apoſtolica Chriſti Eccleſia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probabitur , nec hæreticis nouitatibus deprauata ſuccubuit, ſed vt ab exordio Fidei Chriſtianæ percepit ab authoribus Apoſtolorum Chriſti Principibus illibata, fine tenus permanet ſecundum ipſius domini diuinam pollicitationem , quam ſuorum Princeps in Sacris Euangelijs fatus eſt.* Adducta deinde promiſſione de non defutura fide Petri, admonuitque confirmare Fratres ſuos, ſubijcit. *Quod Apoſtolicos Pontifices meæ exiguitatis prædeceſſores confidenter feciſſe ſemper, cunctis eſt cognitum : quorum & puſillitas mea, licet impar & minima pro ſuſcepto tamen diuina dignatione miniſterio pediſſequa cupit exiſtere.* Subinde fusè exponit, probatque Agatho geminam in Chriſto voluntatem. Hortaturque Imperatores ad Euangelicam , atque Apoſtolicam fidei rectitudinem quæ fundata eſt ſupra firmam Petram huius Beati Petri Apoſtolorum Principis Eccleſia, quæ eius gratia atque præſidio ab omni errore illibata permanet. Similia habet *Epiſt. Synodalis,* Concilij Romani cum eodem Agathore ad eoſdem Imperatores in qua Patres oſtendunt ſedis Apoſtolicæ Pontifices perpetuò in euellendis erroribus , atque etiam puniendis & damnandis hæreſibus deſudaſſe , & alia plura in hanc rem & Romæ Beati Petri Apoſtolorum Principis ſedem fundatam eſſe. *cuius* inquiunt, *Authoritatem omnes Chriſtianæ nobiſcum nationes venerantur & colunt, per ipſius Beati Petri Apoſtoli reuerentiam, omnium gentium ſublimior eſſe monſtratur.*

Deinde ſe mittere per legatos ſuæ fidei Confeſſionem, vt eam offerre debeant, non tamen tanquam de incertis contendere , *ſed vt certa , atque immutabilia compendioſa definitione proferre.* Quæ verba notanda ſunt : Ex iis enim vides Apoſtolicam ſedem miſiſſe ſuos Legatos Synodis etiam œcumenicis, non vt de Fide Romana contenderent, ſed vt quod à ſede Apoſtolica definitum iam eſſet proferrent & explicarent. Quare Agatho in illa Synodali id ſe deceſſorum exemplo facere ait.

Sed redeamus in viam & pergamus oſtendere Romanum Pontificem ita eſſe ſucceſſorem Beati Petri, vt & ipſe Petrus vel abſolutè , vel noſtri temporis dicatur. Nam S. Bonifacius à Gregorio & Zacharia in Germaniam miſſus , paſſim vocatur miſſus S. Petri, loca varia notauit Pithæus in ſuo gloſſario. Eulalius Syracuſanus, vt auerteret S. Fulgentium à Peregrinatione in Ægyptiaca Monaſteria quam cogitabat, aiebat omnes illos Monachos ſeiunctos eſſe à communione S. Petri, hoc eſt Romani Pontificis Stephanus III. in volumine Literarum Pontificiarum ad Francos. Scribit ad ipſorum Principes Literas nomine S. Petri, vt ab illis auxilium impetret , volumen illud olim cura Caroli magni collectum eſt, & à Gretſero nuper editum. Extant verò illæ Stephani Literæ apud Baroni ann. 755. Theodorus ſtudita *lib.* 2. *Epiſt.* 12. ad Paſchalem Papam vocat illum Petrum Petri ſedem exornantem. Bernard. *lib.* 2. *de conſid. cap.* 8. Petrum Patriarch. Neſtorianorum Orientalium in profeſſione fidei Romæ ann. 153. Sic loquitur, *Patri Patrum & Paſtori maximo, concinnanti Mithras vrgentique Sacerdotes, & cingenti zonis , Petro temporis noſtri & Paulo dierum noſtrorum, &c.* Hanc denique Romani Pontificis ſucceſſionem probant tum nomen Cathedræ Petri quod Romanæ ſedi tribuitur, tum alij permulti tituli , qui non niſi eius ſucceſſori tribui poſſunt. Et denique ab Iuone *Ep.* 255. *Succeſſor Petri in arce ſummi Pontific.* poſitus ab Auguſtino *lib. ad tres Valeran. qq.* initio *ſucceſſor & Vicarius Petri Apoſtoli & ſucceſſor Piſcatoris* à Hieron. *Epiſt.* 57. *ad Damaſum. ſucceſſor B. Petri cælo tantum debens Innocentiam* ab Ennodro in Apologet.

Ea porrò ſucceſſio non eſt ſecundum locum dumtaxat, aut partem aliquam muneris S. Petri , eiuſque Priuilegiorum, ſed ſecundum totam & plenariam poteſtatē, itavt tota illa & plenaria poteſtas quæ fuit in S. Petro Apoſtolorum principe, omniaque Priuilegia non ipſi perſonalia , ſed quæ ſuæ dignitati & muneri ſunt alligata, in Romanum Pontificem deriuata & transfuſa fuerint. Eadem ſiquidem in S. Petro & Romano Pontifice legitimo , de eo enim dumtaxat agimus , eſt Pontificia dignitas & munus, neque in vno plenior aut maior quàm in altero, neque enim Pontificia dignitas , quàm Petro vti q. ſuperiori demonſtrauimus , Chriſtus tribuit, fuit dumtaxat perſonalis ſed in ſucceſſores transfundenda, alioquin tota ea dignitas ceſſaſſet cum Petro; atque ita Eccleſia quæ in finem vſque ſæculi duratura eſt , foret ſine Pontifice & in quadam Democratia ſiue Anarchia. Debuit igitur Pontifex qui futuris temporibus Eccleſiam moderaturus erat , eadem donari poteſtate , qua Petrus à Chriſto donatus fuit , quamdiu præfuit Eccleſiæ. Quæ cauſa eſt cur Auguſtinus dixerit aliquando , vt retulimus *q. Superiori* Claues datas eſſe Eccleſiæ in perſona Petri , & non fuiſſe traditas Petro , ſed Eccleſiæ : quia vt rectè explicat Dungalus contra Claudium Taurinenſem, non ſunt datæ claues tantùm Petro , vt ſingulari perſonæ, vt vna cum ipſo deficerent, ſed vt perſona publica erat, & Eccleſiam recturus, ac proinde ſimul datæ ſunt hominibus qui illi in eodem Monaſterio

in eodem Miniſterio ſuccederent, quamdiù Eccleſia peregrinaretur in terris, atque huius veritatis teſtem locupleriſſimum damus Canonem Concilij Nicœni, quem ex peruetuſto Codice Arabico Marcelli Ceruini, qui fuit deinde Pontifex retulit Alphonſus Piſanus *lib.* 3. Concilij Nicœni. Erat ille in eo Codice 44. Et adducitur à Piſano in Canone 39.

Veneramur, inquiunt PP. *ſecundum ſcripturam & Canonum definitionem Sanctiſſimum Romanæ, antiquæque Eccleſiæ Epiſcopum primum eſſe, & maximum omnium Epiſcoporum, vt autem cunctis ditionis ſuæ nationibus imperat*
9 *Patriarcha & leges indicit, & vt à principio Petrus Chriſti Vicarius Religioni, Eccleſiis cæteriſque ad Chriſtum rebus pertinentibus præfectus Principum Chriſtianorum, Prouinciarum & omnium gentium Dominus & Rector, erat ita ille cuius Principatus Romæ eſt Petro ſimilis & authoritate par, Patriarcharum omnium dominatum, Principatum obtinet. Huic ſanctioni ſi quis repugnauerit & obſiſtere auſus fuerit totius Synodi decreto anathemati ſubjicitur.* Nihil afferri poteſt illuſtrius ad probandam ſucceſſionem Romani Pontificis quoad plenariam eius poteſtatem, cum maxima & antiquiſſima prima Synodus non modo illum maximum Epiſcoporum & omnibus Patriarchis præeſſe dicat, ſed & Petro ſimilem, atque authoritate parem agnoſcat, quod autem dixit Petrum Principem Chriſtianarum Prouinciarum & omnium gentium Dominum, ac Rectorem agnoſcat illique Romanum Pontificem comparet. Ne quis inde errandi occaſionem ſumat, id intelligendum eſt cum ea moderatione & limitatione quam adhibet Canoni de rebus ad Chriſtum pertinentibus vt loquitur; in iis enim quæ ad Chriſti fidem, Religionem ad Eccleſias pertinent ipſe præficitur, de iiſque leges dicit, quas nationes omnes ipſique adeò Principes Chriſtiani ferre debent: quod eorum ſupremæ in temporalibus poteſtati nihil prorſùs officit, neque vllus vnquam alius fuit maximæ Synodi aliarúmque ſenſus, qui his loquendi modis, ſi quando vtantur, voluerunt dumtaxat ſignificare, nullis gentium, & nationum terminis coërceri poteſtatem Romani Pontificis, in iis quæ reſpiciunt Religionem Eccleſias cœteras res ad Chriſtum pertinentes, quibus omnibus pro ſuo munere, vt quondam Petrus præficitur, hic idem Canon apud Turrian. *n.* 39. ſic legitur. *Sicut ille qui tenet ſedem Romæ caput eſt & Princeps omnium Patriarcharum. Quandoquidem ipſe eſt primus ſicut Petrus, cui data eſt poteſtas in omnes Principes Chriſtianos & omnes populos eorum, vt qui ſit Vicarius Chriſti Domini ſuper cunctos populos, & vniuerſam Eccleſiam Chriſtianam, & quicúmque contradixerit, à Synodo excommunicetur.* Franciſcus Ros Angamalenſis Archiepiſcopus teſtatur 46. Canones Nicœnos à ſe lectos in vetuſto codicè Chaldaïco M. Sc. in iſtis is quem modo retulimus hoc habet; *Sic ſit poteſtatis Patriarcha Romano ſuper omnes Patriarchas, ſicut B. Petro ſuper terram vniuerſam. Quo loco Petrum obſeruat omnis Eccleſia, & illum qui Romæ eſt, & horum tranſgreſſorem anathematiſat S. Synodus.* Sic ille literis datis 11. Decemb. anno 1605. quas refert Iarrigius *lib.6. hiſtoriæ Indi cap.*26. Huic etiam Canoni conſentire Canonem VI. eiuſdem Nicœni Synodi, provt refertur à Concilio Chalcedonenſ. *Act.* 16. oſtendunt Turrian. Binius, Alanus Copus. Et alij, in vulgatis enim truncatum eſt initium, ſed de hac re controuerſia alibi. Nunc nobis ſatis eſt oſtendiſſe ex mente Synodi Romanum Pontificem ſucceſſiſſe Petro quoad plenariam eius poteſtatem.

4 2. Oſtenditur quia tota dignitas S. Petri continebatur in dignitate capitis & ſupremi Paſtoris. In vtraque verò illa ſucceſſit Romanus Pontifex: in dignitate quidem & miniſterio capitis; Audi Philippum Cœleſtin. Papæ in Epheſino Concilio legatum *tom.* 2. *cap.* 2. *editionis* peltanicæ: *Nulli dubium immò ſæculis omnibus notum eſt ſanctum Beatiſſimúmque Petrum Apoſtolorum Principem & caput, fideíque columnam, Eccleſiæ Catholicæ fundamentum à Domino Ieſu Chriſto Saluatore noſtro, humaníque generis Redemptore, cœleſtis Regni claues accepiſſe, ſoluendíque atque ligandi poteſtate quam acceperat, vſum fuiſſe, nec non per ſucceſſores ſuos, huc vſque ſemper viuere cauſáſque decernere; ſempérque victurum eſſe. Huius itáque ordinarius ſucceſſor & Vicarius Sanctus Beatiſſimúſque Papa, & Epiſcopus noſter Cœleſtinus nos huc pro ſe quaſi Vicarios ad hanc Sanctam Synodum miſit.* Et *cap.* 15. *in eod. tomo. Gratias agimus Sanctæ, venerandæque huic Synodo, quod literis Cœleſtini. Sanctiſſimi., Beatiſſimíque Papæ vobis recitatis, piíſque præconiis Sancto veſtro capiti vos exhibueritis: non enim ignara eſt veſtra beatitudo totius fidei, cæterorúmque Apoſtolorum caput beatum Apoſtolum Petrum extitiſſe.* Hinc factum vt ſæpiùs à Patribus capitis nomen conceſſum fuerit. Nam cum duo Monachi Alexandrini ſe caſtraſſent propter Regnum cœlorum, eáque de cauſa à ſuo Epiſcopo fuiſſent excommunicati, & inde Epiſcopum tum Hieroſolymitanũ, tum Antiochenum inuiſiſſent ab iiſque denuò excommunicati fuiſſent, abjerunt (inquit Author *lib.* 5. *vitæ Patrum n.*88.) ad ſummum Archiepiſcopum Romanæ ciuitatis, & ſuggeſſerunt illi, quæ fecerant eis memorati Archiepiſcopi dicentes. *Venimus ad te quia tu es caput omnium* nimirùm Epiſcoporum. S. Theodorus ſtudita *Ep.* 33. ad Leonem III. dixit *caput diuiniſſimum omnium capitum.* Et nuper relatum Concilium Nicœnum *cap.*39. *caput & Princeps omnium Patriarcharum:* Epiſcopi Mœſiæ ſecundæ Epiſtola ad Leonem Auguſtum ſub fin. Concil. Chalcedon. ſiue *part.* 3. *verè caput eſt Epiſcoporum.* Sic de Leone Romano loquitur, id ipſum multò poſt dixit Hugo victorin. *lib.* 2. *de Sacram. part.* 3. Ioann. autem Conſtantin. Epiſtola ad Conſtant. Papam *Caput Sacerdotij, quod in Chriſto eſt canonic.* Nicolaüs 1. *Ep. ad Epiſcopos Galliæ. Caput cui de ſingulis Prouinciis referre Sacerdotes debent.* Petrus Dam. *in vita Odilonis* omnium Chriſtianorum caput Paſchaſinus legatus Pontificius in Concil. Chalcedon. *Act.* 1. *caput omnium Eccleſiarum*, ipſúmque Concil. Chalcedon. *Epiſt. ad S. Leonem caput Eccleſiæ* quod ipſum dixit Chryſ. *hom.* 11. *&* 55. *in Matth. caput Eccleſiæ, adamantis naturam firmitate ſuperans.* S. Greg. *lib.*4. *Regiſtr. Ep.*42. *caput fidei*, quod & vſurparat Philippus legatus Apoſtolicus in Concil. Epheſino *tom.*2. *c.*15. Et quamvis id de Petro videatur dicere, tamen inde probat Synodum iure merito acceptis Cœleſtini literis, & recitatis, Sanctos cantus, Sanctis etiam vocibus, Sancto ſuo capiti, Sanctis etiam exclamationibus exhibuiſſent; quia non ignorabant B. Petrum eſſe Fidei caput, quaſi Cœleſtinus alter Petrus eſſet. Exclamarat enim Synodus *nouo Paulo Cœleſtino, cuſtodi Fidei Cœleſtino cum Synodo concordi Cœleſtino vniuerſa Synodus gratias agit vnus Cœleſtinus, vna fides Synodi vna fides orbis terrarum.* Eam igitur ob cauſam rectè dixit Philipp. S. Petrum eſſe *caput Fidei & Apoſtolorum*, atque ita & Cœleſtinum omnium Epiſcoporum & fidei caput eſſe S. Thom. *opuſc.* 1. *&* 19. allegat Cyrill. in theſauro & ex eo iſta refert. *Caput à quo membra quid credendum, quid opinandum, quid tenendum ſit, quærere debent.* Incidit in Codicem Græcum integrum Turrian. Et ex Turriano Lindanus *libro* 4. *Panopliæ cap.* 87. verba Græca repræſentat. Atque vt alia ſimilia Patrum dicta prætеream. Ennodius *in Apologet.* vocauit caput totiùs orbis, cui quidquid

fidelium eſt vbique ſubmittitur; Sanè licèt Chriſtum primarium corporis Eccleſiæ caput exiſtat; Qua de cauſa Auguſt. *Serm.* 45. *de verb. Domin.* Queritur de eo qui rejecto corporis Eccleſiæ capite Chriſto, volebat Eccleſiam decollare. Viſibile tamen caput, & ſecundarium eſt Chriſti Vicarius Romanus Pontifex, quod S. Leo *Ep.* 98. vocat *quaſi quoddam caput*: qua particula *Quaſi* explicat Analogiam cum capite phyſico: de illo audi Ioan. VIII. *Epiſt.* 32. ad Carolum Caluum Imperatorem, & Regem Chriſtianiſſimum. *Quid autem magis legitimum, quàm vt præ omnibus, & antè omnia Romanæ curam habeatis Eccleſiæ, quæ cæterarum magiſtra eſt, & mater Eccleſiarum, quæ veſtro in tempore tantis, ac tam immanibus ſuccumbat ſine ceſſatione periculis? Denique ſi hæc quæ caput eſt, viget cætera membra, quamvis languida recuperandi fiduciam non amittunt, quæ nimirùm omni robore carent, ſi contingat ſolùm caput fortè languere, quanto potiùs (quod auertat omnipotens) ſi contingat extingui.* Auitus *Ep.* 31. ad Fauſtum & Symmachum vrbis Senatores diſputans de iudicio Symmachi Papæ plurima habet in hanc rem quæ inferiùs adducentur,, impræſentiarum hæc pauca decerpo, *dum de cauſa Romanæ, Eccleſiæ anxij animi ac trepidi eſſemus, vtpotè nutare ſtatum noſtrum in laceſſito vertice ſentientes* Paſchaſinus Legatus Pontificius *Epiſt.* de damnatione Dioſcori in Concilio Chalcedon. Sic loquitur de S. Leone. *Sanctiſſimus ac Beatiſſimus Papa Leo caput vniuerſalis Eccleſiæ Petri Apoſtoli præditus dignitate, qui Eccleſiæ fundamentum & Petra Fidei & cæleſtis regni ianitor nuncupatur.* Atque vt paucis multa complectar; Ioannes Conſtantinopolitanus Epiſtolam ſuam ad Conſtantinum Romanum Pontificem, ſic exorditur. *Qui ſuæ deitatis & virtutis ſpecimen Deus naturæ oculis ſubjectæ mirificum condidit opus præcipua quadam excellentia in nobiliſſima creaturæ ſenſibilis parte, noſtro inquam figmento, ſuæ ipſius gloriæ, ac Sapientiæ argumenta oſtendit. Quamobrem etiam exclamauit Propheta mirabilem factam eſſe Dei Sapientiam ex ipſo. Is naturæ hominum opifex toti corpori moliens ſuperius caput prouehere, Principaliſſimis ſenſibus in eo poſitis, omnem inde Reliquorum membrorum motum, ac ſanitatem oriri fecit, & conſeruari, ac ſi eorum aliquot contingat offendere, aliòve modo malè affici, haud proriùs eorum ſibi curam putat detractandam: Quin potiùs erga membra etiam infirma naturalem compaſſionem exhibens, manum miniſterio oculo duce, curat quod affectum eſt, nihil ad eorum adjutorium ſeu inutile ſpernens ac rejiciens. His porrò Apoſtolicam veſtram præſidentiam ac Pontificium Sanctiſſimè comparare habemus, vóſque Sacerdotij Chriſti canonicè caput reputantes per vos quærimus, vt ſolatium aliquod à mæſtitia, animique languore, qui noſtro huic Eccleſiæ corpori ex peſtifera ac animabus exitioſa Tyrannica poteſtate accidit reportemus. Planè ſiquidem ea quoque vos capitis proprietate, inconſultò nihilque volentes, laborantes nos, haudquaquam deſpexeritis, aut à veſtra neceſſitudine repuleritis, &c.* Hinc videas quam ridiculè Bucerius negauerit vllum vnquam S. Petro eiuſque ſucceſſoribus nomen capitis Eccleſiæ tribuiſſe, iure exploſus à Cano *lib.* 6. *de locis cap.* 3. Et immeritò objicitur nobis à Caluin. *lib.* 4. *inſtitut. cap.* 7. Gregor. *lib.* 4. *Ep.* 38. Vbi ait Petrum Apoſtolum primum membrum Sanctæ & vniuerſalis Eccleſiæ, Paulum, Andream. Et Ioannem quoque eſſe membra, omnes deníque Sanctos, & perficientes corpus Domini in membris Eccleſiæ eſſe conſtitutos. Ex quibus ineptè concludit Caluinus Petrum non eſſe caput corporis cuius membrum eſt. Quaſi verò ratio membri excludat rationem capitis, quod reuerà ſimul membrum eſt, ſed præcipuum & ἡγεμονικὸν. Et Petrus membrum eſt toti reliquo corpori proſpiciens, quamvis ſingula inferiora membra habeant & ſingula quoque ſuum caput. Sed ſubjectum, & ſubordinatum illi capiti viſibili vniuerſali, quod & ipſum ſubjectum eſt capiti nunc inuiſibili Chriſto. Quare illius comparatione Petrus membrum eſt ab illo influxum accipiens, caput tamen eſt reſpectu inferiorum in quæ influxum acceptum deriuat. Itaque Eccleſia corpus myſticum eſt ex omnibus illis membris & ſingularibus capitibus conſtans, quæ habent omnia vnum caput vniuerſale Petrum, qui tamen Chriſto collatam rationem habet membri. Et non capitis niſi miniſterialis. Quod ipſum videmus in politiis; Regnum enim vnum caput vniuerſale Regem habet; Prouinciæ quoque ſingulæ ſua habent capita, quæ ſupremo Principi ſubſunt: atque ex omnibus illis membris & capitibus, ipſóque ſupremo Principe fit vnum Regnum, vnumque corpus politicum cuius, etiam Rex ipſe & membrum præcipuum eſt, & ſimul caput reliqua omnia dirigens in illáque influens. Maneat igitur Romanum Pontificem ſucceſſiſſe S. Petro in ratione capitis Eccleſiæ vniuerſalis.

Addo ſucceſſiſſe quoque in ratione ſummi, & ſu- 5
premi atque vniuerſalis Paſtoris ouium & agnorum Chriſti, quo nomine totum & vniuerſum ſuum gregem Chriſtus poſt reſurrectionem Petri curæ commiſit. *Paſce oues meas, paſce agnos meos.* Quare Arnobius Iunior *in Pſal.* 138. obſeruat nullum alium Apoſtolorum nomen Paſtoris accepiſſe. Et S. Aſter. *Homil. in SS. Petrum & Paulum.* Petrum mundi curam accepiſſe velut vnum gregem vnus Paſtor, & illis verbis Dominum dediſſe ſui loco fideliſſimum diſcipulum in Patrem, Paſtoremque ac magiſtrum iis qui eſſent acceſſuri ad fidem: Et alij quos adduximus *q. ſuperiori.* Vbi de S. Petro hoc eodem nomine Paſtoris donatum R. Pontificem liquet ex Chryſoſt. *Hom.* 55. *in Math.* Greg. *lib.* 9. *Ep.* 39. Iuon. Carr. *qui Serm. de Cathed. S. Petri vocat Paſtorem generalem ouium Dei*; Iſidor. *lib. de vita & obitu Sancto Paſtorem humani gregis*, vel vt alij legunt *humani generis.* Creditus Emiſſen. *Serm. in vigilia S. Petri. Et Serm. de S. Ioanne Euangeliſta Paſtorem Paſtorum*: Et quamvis S. Titus hoc eodem titulo Paſtoris Paſtorum donetur ab Andrea Cretenſi, id dumtaxat intelligit reſpectu Sacerdotum & Epiſcoporum, qui ipſi tanquam Metropolitano ſuberant, non abſolutè ſicut Bernard. *lib.* 2. *de conſid. cap.* 8. Vbi ſic Eugenium alloquitur *habent illi ſibi aſſignatos greges ſinguli ſingulos, tibi vniuerſi, crediti, vni vnus, nec modo ouium, ſed paſtorum. Tu vnus omnium paſtor, vnde id probem quæris? ex verbo Domini. Cui enim non dico Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum ſic abſolutè & indiſcretæ totæ commiſſæ ſunt oues. Si me amas Petre paſce oues meas. Quas illius vel illius populos ciuitatis, aut Regionis, aut certi Regni, oues meas, inquit, cui non planum non deſignaſſe aliquas ſed aſſignaſſe omnes. Nihil excipitur, vbi diſtinguitur nihil. Et fortè præſentes cæteri condiſcipuli erant cum committens vni vnitatem omnibus commendaret in vno grege, & vno paſtore, &c.* Aluinus *Epiſtola ad Adrianum* dixit *Paſtorem piiſſimum in cuius Beatiſſima lingua eſt æterna medicina ſalutis, per quam cæli aperiuntur credentibus.* Arnulphus Luxonienſis *Epiſt.* 19. *Paſtorem Epiſcoporum omnium, qui Chriſtiano nomine cenſentur.* Miſſa Chriſtianorum Amagalienſium *tom.* 6. *Biblioth. Pariſ. Paſtorem ſplendore plenum, & dominum gregis Chriſti.* Anonymus *Epiſtola ad occidentales* in Collectaneis Anaſtaſij. *Paſtorem ſummum Apoſtolicum, atque præcipuum omnium Chriſtianorum* Vrb. IV.

in Encyclica ſuæ electionis reddens cauſam longioris electionis ſic habet. *Nun cum de ſummo & vniuerſali præſule de Patre Patrum, de paſtore paſtorum, & Chriſti Vicario de ſucceſſore præfati Apoſtolorum Principis ageretur maiorem vtique prouidentiam, & ampliorem deliberationem res tam ardua requirebat.*

6 Ex his igitur manifeſtò liquet Romanum Pontificem ſuccedere Petro ſecundùm totam plenitudinem poteſtatis, quam habebat B.Petrus, cùm ſuccedat in ratione capitis Eccleſiæ & paſtoris gregis Chriſti. Illa enim duplici vel potius vna poteſtate, duplici ſimilitudine ab ipſomet Chriſto expreſſa, tota Petri poteſtas quanta quanta eſt. Continetur, vt apparet, & vt perpetuum Eccleſiæ corpus, ne ſit monſtroſum vel acephalum. Vnum caput, & non duo aut plura poſtulat, illudque perpetuum, quamdiù corpus Eccleſiæ durabit, primùm illud caput, quod fuit S.Petrus durare & perſtare cum eadem poteſtate debet, non in ſe ſed in ſuis ſucceſſoribus etiam indignis, vt loquitur S.Leo aliique PP. Ouile quoque quamdiù perſtat paſtoris & cuſtodis ſollicitam curam poſtulat: Cum igitur Chriſti grex in mundi finem duraturus, ſic debuit Chriſtus illi prouidere ſummum paſtorem non ſolum pro eo tempore, quo Petrus vixit, ſed ad vſque mundi finem, ne extincto Petro, vel grex ſine paſtore remaneret, vel à pluribus ſingularibus paſtoribus cum magna perturbatione, vt ſæpiùs Schiſmata comprobarunt, gubernaretur, debuitque huic paſtori eandem & parem cum S.Petro poteſtatem concedere, quandoquidem eadem in grege futura erat paris poteſtatis neceſſitas, cui ſi non prouidiſſet Chriſtus, de eius parum oculata, aut non ſatis commoda & ſollicita prouidentia quæri potuiſſet ipſe grex.

7 Hanc eandem ſucceſſionem vel communicationem paris poteſtatis in Romano Pontifice, non minùs probant alij tituli, quibus partim inſignitur à Patribus, quos leges apud eruditiſſimum Theophilum Raynaudum in corona aurea ſummi Pontificis, ex quo nos plurimum profeciſſe fatemur, & quorum aliquos inferiùs attingemus. Hoc loco contento vno Vicarij Chriſti & Petri & Apoſtolicæ ſedis, quod vltimum habent Symmach. in Apologetico, Gelaſ. *Ep.*8. Et Concilium Romanum in cauſa Leonis III. cuius ſenſus eſt Romanum Pontificem tenere ſedem Apoſtolicam, in eaque vicarium agere Chriſti, nimirùm cuius vices in terris, in illaque ſede agat, quo etiam ſenſu dicitur Vicarius Throni Apoſtolici à Concilio chalcedonenſi, cuius verba refert S.Thomas *opuſc.*1.*ſub finem*, quæ tamen non leguntur in vulgatis exemplaribus. De fide tamen S.Thomæ dubium eſſe non debet, quandoquidem Græci nunquam eiuſmodi locum ſibi objectum ſuppoſititium eſſe dixerunt. Quare Canus *lib.*6.*de locis cap.*6. illam à Græcis ſolito flagitio fuiſſe eraſum ſuſpicatur, & de eo flagitio quæſtum fuiſſe S.Gregorium *lib.*5.*Regiſt.Ep.*14. Et quidem de ſolito iſto Græcorum flagirio plurimæ ſunt veterum querelæ, de quibus alias S.tamen Gregorius non queritur *loco allato* de huius canonis abraſione, vnde enim illum accepiſſet S.Thom. ſi iam Gregorij ætate fuerat per inſignem fraudem ſuppreſſus, ſed agit Gregorius de canone ab Anatolio Conſtantinopolitano intruſo, vt Sedis Conſtantinopolitanæ poſt Romanam prærogatiuam aſſereret, qua de re alibi.

Nomen verò Vicarij Chriſti vſurpatur ab Ambroſio *lib.*10. *in Luc. cap.*24. Bellarm. *lib.*2.*de conſid. cap.*8. & *lib.*4. *c ap.*7. Ipſóque Eugenio in Concilio Florentino, *in Literis Vnionis*. Et hodiè paſſim Doctores congerit Cenedo *lib.*1. *Collectaneorum Iuris Canonici tit.* 47.*n.*5. Quamvis autem ſinguli Antiſtites communi aliqua ratione dicantur aliquando Chriſti Vicarij, quod in quibuſdam, atque in ſingulis ſuis Eccleſiis Chriſti vices agant, quomodo Bleſeus *Ep.*27. S.Thomam Cantuarienſem vocat. Et Ioannes Alexand. in eius vita per Anaſtaſ. Bibliothecarium ſcripta *cap.*131 Dicitur Sanctiſſimus & ter beatus Pater Patrum Vicarius Chriſti Roman. tamen Pontifex alia longè ratione Vicarius Chriſti dicitur, vt cui Chriſtus ſuas vices in totum & vniuerſum gregem commiſit cum eo plenitudines poteſtatis, quam ouium vniuerſarum cura & ſalus poſtulabat, ſicut ipſi Petro commiſerat. Ideóque à S.Bernardo *lib.*2. *de conſid. cap.*8. *vnus Chriſti Vicarius* appellatur, audi Mellitiſſimi Doctoris verba. *Diſcipuli nauigabant, & dominus apparebat in litore, quódque iucundius erat in corpore rediuiuo ſciens. Petrus quia Dominus eſt, in mare ſe miſit, & ſic venit ad ipſum, aliis nauigio peruenientibus. Quid iſtud nempè ſignum ſingularis Pontificij Petri, per quod non nauem vnam, vt cæteri quique ſuam ſed ſæculorum ipſum ſuſceperit gubernandum. Mare enim ſæculum eſt, naues Eccleſiæ: Inde eſt quod altera vice, inſtar Domini gradiens ſuper aquas vnicum ſe Chriſti Vicarium deſignauit, qui non vni populo, ſed cunctis præeſſe deberet. Siquidem aquæ multæ, populi multi. Ita cum quiſque cæterorum habeat ſuam, tibi vna commiſſa eſt grauiſſima nauis, facta ex omnibus ipſa vniuerſalis. Eccleſia toto orbe diffuſa:* De hoc porrò vniuerſalis Vicarij munere plurima Cardinalis Polus *lib. de Concilio q.* 13.

Illà alia nuncupatio Vicarius S. Petri frequens quoque fuit. Nam eam vſurparunt Fœlix III. *Ep.*4. ad Zenonem Vig. in encyclica ad omnes fideles, Stephan. III. ſub finem Epiſtolæ quam Petri nomine ad Francorum Principes ſcripſit Leo IX. Epiſt. ad Michaëlem & Leonem *cap.* 11. Mathildis Anglorum Regina apud Anſelm. *lib.* 3. *Epiſt.*99. Ennodi. *in Apologetico cap.* 4. S. Bonifacius in profeſſione ſuæ fidei; Scriptor vide Ludouici Pij, cum agit de aduentu Stephani ad ipſum Ludouicum Guigo Carthuſian. *in Epiſt.* ad Innocent. II. Bernard. *Epiſt.* 183. Arnulphus Lux. *Epiſtola* 19. idque ipſum habetur *cap. ego Ludouicus diſt.*63. Et *c. Conſtantin.* 2. *diſt.*96. Et *c. Quoties* 1. *q.* 7. ac denique Synodus Tarraconenſis *Epiſt.* 2. ad Hilarium ſic illum compellit. *Vicarius Summus S. Petri cuius Principatus ſicut eminet, ita ab omnibus metuendus eſt, & amandus.* Hæc inquam nomenclatio minus propria eſſet, ſi ageremus de eo qui alterius vices ita gerit vt ab illo dependeat, ab eóque Iuriſdictionem ita accipit, vt ab eo vel tolli, vel limitari pro arbitrio poſſit, vt videmus in Vicario Epiſcopi adhuc ſuperſtitis, at verò S. Petrus. Electo Romano Pontificij ſuam Iuriſdictionem non communicat, aut iam communicatam moderatur, reſtringit, aut ampliat: Vicarius igitur hoc loco ſignificat eum qui in alterius locum ac vices ſufficitur, eíque ſuccedit: Quare vice illius eſſe dicitur cum pari poteſtate, quæ ab eo cuius Vicarius eſt non pendet ampliùs. Eſt igitur iſte Vicarius ſucceſſor non inuſitata priſcis phraſi. Nam Suidas Βικάριος ὁ διάδοχος παρὰ ῥωμαίοις Vicarius ſucceſſor apud Romanos. Sic Cyprian. *Ep.*67. vocat Stephanum Papam Vicarium & ſucceſſorem. Lucij, & Cornelij Pontificum & Adeo-datus Papa in priuilegio conceſſo monaſterio S. Martini ait Romanos Pontifices nactos eſſe authoritatem S. Petri ſucceſſione ac vice. Hinc ortum vt profiteantur in ſuis conſtitutionibus, ſe Imperare aut prohibere authoritate SS.Apoſtolorum Petri & Pauli: Quia nempè S. Petr. videtur adhuc in ſuo ſucceſſore viuere, & Eccleſiã regere & vt ait Leo *Serm.* 2.*de ſua aſſumptione. Qui nunc plenius & potentius ea, quæ ſibi commiſſa ſunt, peragit* &

& omnes partes officiorum in ipſo, & cum ipſo per quem eſt glorificatus exequitur. Et mox. *Cuius in ſede ſua viuit poteſtas & excellit authoritas, & vt in perſona humilitatis meæ ille intelligatur, ille honoretur, in quo & omnium paſtorum ſollicitudo cum commendatarum ſibi ouium cuſtodia perſeuerat, & cuius etiam dignitas in indigno hærede non deficit.* Petr. Chryſol. *Ep. ad Eutich. B. Petrus Pij in propria viuit, ac præſidet præſtat quærentibus fidei veritatem.* Quæ verba eadem habet Nicol. 1. *ad conſult. Bulgar. cap.* 106. Concil. Arelatenſe *in Synodica ad Syluest. Recedere à partibus illis non potes in quibus Apoſtoli ſedent.*

9 Dicebam 2. de fide eſſe, Romanum Pontificem ſucceſſiſſe S. Petro in plenitudine poteſtatis, & in ratione capitis Eccleſiæ. & paſtoris vniuerſi gregis Chriſti, ita victoria Relect. 2. n. 77. Canus *lib. 6. de locis c.* 3. Caiet. *tom. 1. opuſc. tr. 3. c.* 12. 13. 14. Stapluton. *lib. 6. de princip. à cap.* 15. Malder. *diſp. 3. de Pont. Romano à c.* 12. Iuſtin. *in prolegom. ad Paulum diſp. 1. cap. 10. n.* 4. Valent. 2. 2. *diſp. 1. q. 1. punct. 7. à* §. 36. aliiſque quos congerit Cenedo 1. *p. collectanearum Iuris Canonici tit. 11. n.* 1. Qui omnes traditiones Patrum afferunt & Concilia œcumenica quæ ita definiunt, & fidelibus hanc ſucceſſionem credendam proponunt: Sufficiat hoc loco Florent. *ſeſſ. vlt. Definimus Sanctam & Apoſtolicam ſedem & Romanum Pontificem in vniuerſum orbem tenere primatum, & ipſum Pontificem Romanum eſſe ſucceſſorem B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti vicarium totius Eccleſiæ caput & omnium Chriſtianorum Patrem ac Doctorem & ipſi in B. Petro paſcendi, regendi, & gubernandi vniuerſam Eccleſiam à D. noſtro Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe quemadmodum etiam in geſtis œcumenicorum Conciliorum, & in Sacris canonibus continetur.* Quid amabò clarius ea definitione, quam poſt acrem & diuturnam contentionem magno tandem conſenſu Orientalis, & Occidentalis Eccleſia tradidit quod ſanè euincunt crebræ definitiones Conciliorum, etiam œcumenicorum, quæ hanc ſucceſſionem apertè agnoſcunt, & credendam proponunt. Liceat etiam Concilium Conſtantienſe adducere, quod *ſeſſ.* 8. damnat errores Ioannis Vvicleti quorum 37. erat Eccleſiam Romanam Synagogam eſſe Sathanæ, & Papam, nec immediatum nec proximum Vicarium Chriſti & Apoſtolorum eſſe: Et 41. non eſſe de neceſſitate ſalutis credere Romanam Eccleſiam eſſe ſupremam inter omnes alias Eccleſias. *Error eſt*, inquit Concilium, *ſi per Romanam intelligas vniuerſalem Eccleſiam, aut Concilium generale, aut pro quanto negaret primatum Romani Pontificis ſuper alias Eccleſias particulares*: Et *ſeſſ.* 15. eiuſdem Vvicleſi & Ioannis Hus varij errores de Papatu referuntur; Et damnantur Papam eſſe ſummum Pontificem ridiculum eſſe, & Chriſtum nec in Petro nec in alio talem approbaſſe dignitatem: Petrum nec fuiſſe nec eſſe caput Eccleſiæ, Papalem dignitatem eſſe à Cæſare, ſolùm Papam prædeſtinatum eſſe caput Eccleſiæ, neque verum ſucceſſorem Principis Apoſtolorum, ſi non ſit probis moribus, quos omnes errores & hæreſes damnauit Synodus. Ex quibus omnibus rejicias Nilum Theſſalonicenſem Epiſcopum qui *lib. aduerſus primatum Papæ*, concedit quidem Petrum totius Eccleſiæ paſtorem fuiſſe atque etiam Romanum Epiſcopum: Negat tamen Romanum Pontificem illi ſucceſſiſſe in præfectura vniuerſalis Eccleſiæ, ſed in Epiſcopatu Romano dumtaxat; ſubinde tamen à Conciliis œcumenicis, atque Imperatorum edictis obtinuiſſe primatum quendam dignitatis propter Romanæ vrbis majeſtatem, vt cæteris præiret, primus ſederet & ſententiam diceret in Conciliis, nullam tamen in reliquos Iuriſdictionem haberet, neque illis imperare poſſet: Hunc Schiſmaticum æmulati ſunt Lutherus *lib. de poteſtate Papæ*. Illyric. *Simili opere contra primatum Papæ* cui ſimilem edidit Synod. Smalchadica. Caluinus *lib. 4. inſtit. cap. 6.* §. 8. & §. 17. Magdeburgenſes; denique in ſingulis ferè centuriis idem contendunt, quos benè multi in ſpeciem Catholici ſequuntur, quos hæreſologi ſignant & fuſiùs confutant: nobis modo ſufficiunt quæ ad ſtabiliendam in Rom. Pontifice veram ſucceſſionem S. Petri in ratione capitis Eccleſiæ, & ſummi Paſtoris, & non Epiſcopi tantum Romani adduximus hactenus. Quare longè alia ratione Romanus Pontifex ſuccedit Petro, quam cæteri Epiſcopi ſuccedunt Apoſtolis, quod fatetur Concil. Florent. *in inſtr.* Armenorum, Trident. *ſeſſ. 23. cap.* 4. Aug. *in Pſal.* 44. ad illud *pro Patribus tuis*, aliiſque Patres quos dabit Bellarm. *lib. de Clericis cap.* 14. Neque enim Epiſcopi habent omnem illam Iuriſdictionem vniuerſalem quâ pollebant Apoſtoli, cum ſinguli finibus propriæ Diœceſeos reſtringantur, vti concedunt omnes, & ipſa praxis Eccleſiæ docet. Dicuntur igitur ſuccedere Apoſtolis, vti explicat Bellarm. *lib. 4. de Pontifice cap.* 25. Binius *in notis ad Ep. 1. Anacleti.* Quod in ſuo munere paſcendi, regendique ſuas Eccleſias Apoſtolorum perſonas repræſentent, atque ita vices Apoſtolorum obeant, abſque ea tamen poteſtatis amplitudine & vniuerſalitate, quæ Apoſtolis conceſſa fuerat perſonaliter, tantùm propter neceſſitatem propagandæ tunc fidei, & quæ vni dumtaxat Petro data fuerat in ſuos ſucceſſores transfundenda; ideóque erat ordinaria & non perſonalis, vti cœterorum Apoſtolorum qui igitur Petro ſuccedit Romanus Pontifex, cum pari omninò poteſtate ſuccedit, cuius rei exemplum aliquod habemus in Pontificibus Hebræis, qui enim ſucceſſerunt Aaroni, cum pari poteſtate ſucceſſerunt, tanquam ordinario Pontifici: Moyſes tamen, qui fuit extraordinarius Pontifex vti plures agnoſcunt, qua de re alibi, nullum habuit ſucceſſorem. Simili ratione Petrus qui fuit Pontifex cum vniuerſali poteſtate ordinaria, ſucceſſorem habet in illa ſua poteſtate vniuerſali, non autem cæteri Apoſtoli, qui vniuerſalem poteſtatem extraordinariam & perſonalem habuerunt, neque enim illam, neque reliqua priuilegia Apoſtolica in ſuos ſucceſſores deriuare potuerunt, ſed ſolum authoritatem Epiſcopalem, quâ pollent hodie noſtri Epiſcopi, quæ omnia fuſiùs explicabuntur *tom. 3. vbi de Hierarchia.* Hoc vnum modo contendimus Romanum Pontificem Petro in vniuerſali poteſtate, & non tantum in Romano Epiſcopatu ſucceſſiſſe contra Nili Theſſalonicenſis & nouatorum errorem à Concilio Florent. & aliis antiquioribus damnatum. An verò Petri ſucceſſor debeat eſſe Romanus Pontifex, & an Petrus ſibi illum neceſſariò aſſumpſerit, & cur potuerit ſolum Epiſcopatum vniuerſalem retinere, nullo particulari aſſumpto, vel etiam potuerit eligere alium quempiam quàm Romanum, & an Hodiernus Pontifex poſſit illum dimittere, & alium ſibi ſumere, has aliaſque ſimiles controuerſias *in tom.* 3. rejicimus vt minùs hoc loco neceſſarias.

Affirmamus dumtaxat Romanum Pontificem iure 10
diuino eſſe caput Eccleſiæ, hoc eſt non accipere ius illud, aliaque ſimilia, neceſſariò ſupremæ paſcendi, & gubernandi Chriſti gregem & Eccleſiam poteſtati annexam ab hominibus, vel Imperatoribus, vt contendunt Nouatores vel etiam Conciliorum conceſſione, vt voluit Nilus Theſſalonic. vel à Cardinalib. eligentibus, ſed immediatè à Chriſto, quod affirmant DuVuallius *tr. de Pont. par. 1. q.* 7. Canus *lib. 6. de locis c. 2. propoſ.* 1. Franciſc. Agric. *lib. de primatu S. Petri cap.* 20. Azor. *tom. 2. lib. 4. c. 1. q.* 3. Caietan. *opuſc. tom. 1. tr. 3. cap.* 1. Bellarm. *lib. 2. de Pontifice cap.* 17. Patres, collegit in hanc rem Boſius *lib. 18. de ſignis cap.* 6. Inſignis eſt locus Petri Damiani *opuſc.* 5. in ſermone Mediolanenſes

diolanenſes tumultuantes, *& in opuſc.* 18. *initio*. Vbi agit partes defenſoris Eccleſiæ Romanæ. Vide & Gregorium VII. *lib.* 8. *Ep.* 21. Rupert. *lib.* 2. *de operibus Spiritus Sancti cap.* 28. Vbi & explicat quid Imperatores Romanis Pontificibus contulerint. Voluerunt nimirùm iis tribui, quæ iam Chriſtus in perſona Petri illis contulerat in Euangelio: Nihil igitur Iuris in Eccleſiam & cæteros Epiſcopos dederunt, ſed Ius à Chriſto collatum tuiti ſunt & ſeruari omninò mandarunt.

§. II.

Solus Romanus Pontifex Petri ſucceſſor.

11 Dicebam 3. in noſtra aſſertione ſolum Romanum Pontificem, nullúmque alium eſſe ſucceſſorem S. Petri in dignitate capitis vniuerſalis Eccleſiæ, & ſummi paſtoris, neque ſanè poſſunt eſſe aut plura capita, aut plures ſummi Paſtores Eccleſiæ. Quare delirabat Polychronius qui iam ſenex tempore Sixti III. dicebat ſe ratione ſuæ ſedis Hieroſolymitanæ ſummum Pontificem & Sacerdotem, idcóque ex quacumque natione Aduenas initiabat ſacris ordinibus, & pro ſua poteſtate ordinationes vendebat, ſed authoritate Sixti ſede motus eſt. Certum quidem eſt Hieroſolymitanam Eccleſiam fuiſſe omnium primam, cum ex Sion lex & Euangelium exierit: Nunquam tamen à veteribus Patriarchæ munus obtinuit, ſed dignitatem duntaxat & Cæſarienſi Epiſcopo ſubiectus fuit, quod alias monuimus, atque ita de ſumma Reuerentia patriarchæ Hieroſolymitanæ debita intelligendi ſunt Auitus *Ep.* 23. Et Theodorus ſtudita *lib.* 2. *Ep.* 15. dum eius Patr. laudes & encomia proſequuntur.

12 Rodolphus cognomento Mamiſtanus, natione Francus Cœnomanenſis Diœceſis, factione populi quem largitionibus demeruerat in locum Bernardi Patriarchæ Antiocheni ſuffectus, ſine conſenſu Epiſcoporum ſuffraganeorum, & Cleri Eccleſiæ, pallium de altari S. Petri Antiocheni ſumpſit, parem ſe Romano Pontifici dixit, cum vtraque ſedes Petri eſſet, immò & Antiochena primogenituræ prærogatiua inſignis. Sed de his aliiſque apud R. Pontificem accuſatus, atque illi ſe ſiſtere Romæ compulſus à Principe Antiocheno, vbi accepto pallio de corpore S. Petri rediit Antiochiam, & tandem habita Antiochiæ Synodo ab Alberico Oſtienſi legato damnatus eſt, & à palatio Patriarchali ad Monaſterium S. Simeonis iuxta mare in monte Eminentiſſimo ſitum vinctus, deductus, indéque fuga lapſus Romam perrexit, ibique à Sede Apoſtolica in gratiā admiſſus dum reditum in patriā pararet veneno periit, eiuſque ambitio periit, quam tamen aliqui ſubinde Antiocheni Patriarchæ deinceps æmulati ſunt. Nam qui illi ſedi præerat Greg. IX. Pontifice, non modo vnionem vtriúſque Eccleſiæ, quam omni cura promouebat, diſrupit, ſed etiam ſe Pontifici Romano parem fecit, illúmque excommunicationis ſententia percutit vt habet Spond. in Gregorio IX.

13 Denique Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui quondam ne quidem Patriarchalis accenſebatur & œcum. Et vniuerſalis Patriarchæ nomen ſibi ſumpſit, & dignitatem capitis Eccleſiæ, volebant enim vnà cum Imperio ſummum quoque ſacerdotium tranſlatum eſſe Conſtantinopolim, quod contendit Annas Commenus *in ſcripto contra* Gregorium VII. quod Gretſerius vulgauit & confutauit, addita Apologia pro Gregorio, hunc faſtum ſatis arguunt turpiſſimi errores in quos inciderunt iſti œcumenici Patriarchæ, quos vel in vno Michaële Cerulario à S. Leon. IX. gradu moto deprehendere, licet in decreto contra ipſum eiuſque fautores lato. Decretum verò ipſum Leges in libro Humberti Cardinalis contra Nicetam pectoratum, ſi verò hic Patriarcha Conſtantinopolitanus eſſet reuera œcumenicus, & caput Eccleſiæ, ſuis illis erroribus totā Eccleſiā corrupiſſet, & ad eos amplectendos obligaſſet, qua eadem ratione oſtenditur cæteros omnes Epiſcopos non eſſe Petri ſucceſſores, cùm enim omnes illæ ſedes in fide errauerint, vt produnt Annales Eccleſiaſt. & errare potuerint, Petri fides defeciſſet contra Chriſti promiſſa, ſedes verò Romana nunquam errauerit, vti Agatho aliique Pontifices in ſuis ad Synodos etiam œcumenicis literis palam profitentur quidquid Gruniani nouatores, quorum obiecta diluemus inferius: ſequitur manifeſtò illos alios omnes Epiſcopos Petri ſummi Paſtoris non eſſe ſucceſſores, quod potiori iure valet in cæteris Epiſcopis, quos aliqui Romano Pontifici faciunt æquales, propter aliqua S. Hieronymi *epiſt.* 85. verba malè intellecta, agit enim de æqualitate Epiſcoporum in dignitate ordinis, licet cenſu, diuitiis, & amplitudine Diœceſeos diſpares ſint alioquin Patriarchæ, primates, Archiepiſcopi abiiciendi eſſent: Omnes enim vt ait ibidem Hieronym. Apoſtolorum ſucceſſores ſunt potentia diuitiarum & paupertatis humilitas, vel ſublimitas inferiorem Epiſcopum non facit.

Non morabor in comprimendo quorundam Imperatorum faſtu, qui ſimul ſe & ſacrorum & Imperij caput gerere voluerunt, quod aduerſus Gregorium II. Leo Iſaurus tentauit, & alij quidem, atque hac ætate Henricus VIII. Angliæ Rex, eiuſque hactenus ſucceſſores, tam diſtincta enim ſunt Sacerdotum & principum Iura, vt nemo ſanus ea negare poſſit, *ſed de his agemus inferius* hoc ipſo libro, vbi quæremus quid Princeps laïcus poſſit in res Eccleſiaſticas, & vtramque poteſtatem ſacram & Politicam ſacro fœdere conciliabimus. 14

§. III.

Romanus Pontifex poteſt condere ius Eccleſiaſticum.

Ex hactenus hoc loco paulò fuſiùs diſputatis propoſita initio controuerſia de Romani Pontificis poteſtate in condendo iure Eccleſiaſtico & præſcribendo vniuerſæ Eccleſiæ explicata, probataque manet: Ius autem Eccleſiaſticum monuimus conſiſtere, primò in definiendis fidei quæſtionibus, ſiue proponendis & declarandis fidei & morum dogmatibus, quid nimirum fide tenendum ſit, quid rejiciendum tanquam erroneum, & hæreticum, quid peccatum ſit vel non ſit, ſecundò in ferendis legibus circa diſciplinam Eccleſiaſticam, quas maximè iuris Canonici nomine deſignamus, nomine verò iuris Eccleſiaſtici & dogmata in doctrina morum & fidei, & ſimul Canones ſiue regulas Eccleſiæ diſciplinam & Politiam dirigentes intelligimus, vtramque verò hanc poteſtatem agnoſcimus in Pontifice, ac proinde illum poſſe ius Eccleſiaſticum condere affirmamus, & ex longiori noſtra ſuppoſitione probatum manet hac ratiocinatiōne. Romanus Pontifex ſuccedit Petro in ratione Capitis Eccleſiæ, & paſtoris totius gregis Chriſti ſecundum plenitudinem poteſtatis, quam eandem habet, quam Petrus habebat in ratione Capitis & Paſtoris ouium Chriſti, ab ipſomet Chriſto conſtituti, poteſtque totum omne quod poterat Petrus tanquam Caput & paſtor, alioquin Eccleſia eſſet vel corpus Acephalum, vel monſtroſum, & multorum capitum paris & æqualis poteſtatis, & ouile Chriſti vel paſtore viſibili deſtitueretur, vel pluribus æqualis etiam poteſtatis, non ſine magna confuſione rerum omnium ſubiiceretur neque Chriſtus ſatis ſuæ Eccleſiæ Gubernationi, & ouilis ſui paſtioni & cuſtodiæ prouidiſſet, ſi vt oſtēdimus capitis dignitas, & paſtoris vniuerſalis cura extincto defeciſſet, 15

cum tamen Eccleſiam & gregem ad vſque ſæculi finem durare & perſeuerare voluerit, niſi Petro ſuffecerit ſucceſſ. Cum eadem plenitudine poteſtatis Capitis & paſtoris ad regendam Eccleſiam, paſcendumque & cuſtodiendum gregem.

Atqui S. Petrus conſtitutus à Chriſto caput Eccleſiæ,& paſtor totius ſui gregis, potuit fidei quæſtiones definire, errantes fratres docere, hæreſes damnare, & quid credendum ſit proponere, & quid reijciendum damnandumve iudicare,pabulum noxium aut ſalubre ouibus ſuis dijudicare,potuit & leges præſcribere Eccleſiæ cuius gubernacula ſuſceperat;Capitis enim eſt membris præeſſe, illa regere & gubernare: Igitur qui Petro ſuccedit Romanus Pontifex in plenitudine poteſtatis capitis & paſtoris idem præſtare poterit,atque ita totum ius Eccleſiaſticum ſecundum dogmata ſacræ doctrinæ & leges Eccleſiaſticæ diſciplinæ conſtituere, hæc ratiocinatio firma & demonſtratiua eſt, cuique nihil aduerſarij poſſint iure obijcere? Majorem enim propoſitionem fuſiſſimè & ſolidè omnique genere teſtium locupletiſſimorum paulò antè demonſtrauimus. Nimirùm Romanum Pontificem ſuccedere S. Petro ſecundùm plenitudinem poteſtatis Capitis & paſtoris Eccleſiæ. Minorem propoſitionem Petrum ſolùm fuiſſe conſtitutum caput totius Eccleſiæ & paſtorem ouilis Chriſti; Neque fidem eius potuiſſe deficere quæſtione ſuperiori ſtabiliuimus. Concluſio igitur neceſſaria & certa eſt; Romanum quoque Pontificem eadem Petri poteſtate & prærogatiua,quæ ipſi perſonalis non fuit præditum; hæc ipſa omnia poſſe, nimirùm dogmata fidei definire, declarare, & Eccleſiæ credenda proponere, & leges Eccleſiaſticas ſancire.

§. IV.

Poteſt Romanus Pontifex omnes fidei controuerſias definire.

16 Hæc ratiocinatio ſufficere poſſet hoc loco, in quo de conditore Iuris Eccleſiaſtici dumtaxat quærimus, & quæ ad eius ampliorem elucidationem deſiderari poſſent in commodiorem differenda viderentur, non placet tamen materiam adeò grauem imminutam, aut minùs explicatam relinquere:Quare vtramque iſtam iuris Eccleſiaſtici partem poſſe à Romano Pontifice vel declarari & definiri, vel conſtitui demonſtro.

17 Sit igitur prima aſſertio fidei controuerſias iudicare & definire, poteſt Romanus Pontifex tanquam ſupremus earum Iudex & fidei magiſter ac regula, quod facit dum loquitur ex cathedra,hoc eſt dum agit paſtorem vniuerſalem & fungitur munere capitis Eccleſiæ,ſiue vt clarius loquamur,dum proponit aliquid tanquam fide credendum,& ad idque obligat vniuerſam Eccleſiam,ac contrariam ſententiam tanquam errorem,& hæreſim damnat ſic enim loqui ex cathedra, vt vulgò dicunt,exponit Valent. 2.2. *diſp.* 1. *q.* 1. *punct.* 7. *§.* 10. Ita verò reſtringo poſitam aſſertionem, quia nòn negamus Pontificem priuatum, & vt priuatum hominem errare poſſe,vel ex ignorantia vti concedit Albertus Pighius *lib.* 4. *Hierar. Eccleſ. cap.* 8. Bellarm. *lib.* 4. *de Pontif. cap.* 6. & Suar. *de fide tract.* 1. *diſp.* 1. *ſect.* 6. *n.* 11. Vel etiam ex contumacia, itavt ſit priuatim hæreticus,etiam exterius, quod admittunt Caiet. *tom.* 1. *opuſc. tr.* 2. *c.* 13. Duuall. *tract. de Pont. diſp.* 2. *q.* 1. Torreſ. 2.2. *diſp.* 16. *dub.* 1. agimus igitur de legitimo Pontifice definiente, vt Pontifice, cuius definitionem certam & de fide eſſe contendimus. Imprimis quia alioqui fides Petri deficeret in ſuo ſucceſſore, & Eccleſia tota quæ ſui paſtoris definitiones amplecti teneretur,erraret, atque inferi portæ aduerſus eam præualerent, contra quam promiſerit Chriſtus Petro cui tanquam fundamento & Petræ immobili ſuam Eccleſiam erat inædificaturus. His enim inferi portis totam Satanæ potentiam, ſiue per hæreſes, ſiue per tyrannos Eccleſiam concutientis interpretantur PP. Et nominatim de doctrina mala & hæreſibus Hieronym. *in eum locum Euangelij* Ambroſ. *lib. de bono mortis cap.* 12. Chryſoſt. *in Pſal.* 147. Epiphan. *in Anchorat.* Iſidor. Peliſiota *lib.* 1. *Ep.* 238. & *Ep.* 311. Et alij qui quomodo Petrus ſit factus petra Eccleſiæ explicant Aſterius *homil. in SS. Petrum & Paulum*; Ambroſ. *lib.* 6. *in Luc. cap.* 9. Paulin. *Ep.* 4. *ad ſeuerum* S. Auguſt. *ſerm.* 26. *de ſanctis* Maximus Taurin. *Serm. inter Sermones Ambroſij* 47. Et cæteri: atqui ſi Petri ſucceſſor hæreſim & errorem doceret Eccleſiam, quæ illi vt ſuo capiti & paſtori proponenti doctrinam aliquam tanquam certam ex fide, credere tenetur; hæreſis & error; atque adeò ipſæ inferi portæ præualerent aduerſus eam,illamque in errorem inducerent,eueniretque quod ait Gelaſ. *Ep.* 8. *ad Anaſtaſ. Imperatorem* aduerſus Acatium,*hoc eſt quod Sedes Apoſtolica maximè cauet,vt quia mundo radix eſt,Apoſtoli glorioſa Confeſſio nulla rima prauitatis, nulla prorſus contagione maculetur. Nam ſi quod Deus auertat ac fieri non poſſe confidimus,tale aliquid proueniret, vnde cuiquam reſiſtere auderemus errori, vel vnde correctionem errantibus poſceremus.* Quibus verbis duo non leuia: huius noſtræ, communiſque aſſertionis argumenta perſtringit Gelaſius,alioquin enim non auderet Pontifex, licet Petri ſucceſſorem ſe dicat,errori impunè bacchanti reſiſtere, ſtatim enim ipſummet Pontificem errare clamaret ore proteruo hæreſis,quod ſæpiùs Græci Latinis per ſummam calumniam obijcere:Et fruſtra correctionem, & iudicium errantium poſceremus à Pontifice, vti hactenus perpetuò feciſſe Eccleſiam demonſtrabimus inferius, ſi ipſemet Pontifex in ſuo iudicio poſſet errare neque vllum aliud iudicium & Tribunal appellare poſſimus, quod etiam Paulò poſt oſtendemus: Quare PP. hoc vnum in iſtis controuerſiis perpetuò agnouerunt, quod non fuerit operoſum oſtendere.

§. V.

Aſſertio probatur primò ex titulis quibus Patres ornant Romanum Pontificem.

Primò quidem ex titulis quibus Romanum Pontificem ſæpiùs ornarunt. PP. Nam ſexta Synodus in proſphoneleo ad Conſtantinum Damaſum dixit fidei Adamantem, cuius ſolida mens aggreſſionibus atque conflictu alienæ à fide opinionis non eſt ſauciabilis Δάμασος ὁ Ἀδάμας τῆς πίστεως ὁ ταῖς ἀπροσδέξοις προσβολαῖς τε καὶ προσαρράξεσι τῶν ἀντιπίπτον γνώμην ἀντιτρωτόμενος,nimirùm quia ſicut Adamas vti ſcribit Plin. *lib.* 37. *cap.* 4. incudibus deprehenditur, ita reſpuens ictum vt ferrum vtrimque diſſultet, incudeſque etiam ipſæ diſſiliant, quippe durities inenarrabilis eſt, ſimulque ignis victrix natura. Et nunquam incaleſcens, vnde & nomen indomita vis Græca interpretatione accepit. Inde etiam factum, vt omnia firma & indomabilia, atque infrangibilia Adamantina vocentur. Iure igitur meritò Damaſus R. Pontif. fidei Adamas dicitur à Synodo, qui nullo ferri ictu à veritate fidei vinci potuit, eamque aduerſus Neſtorij aliorumque inſultus tuitus eſt. 18

Chryſ. *hom.* 2. *in Pſal.* 50. *& homilia de Petro & Elia* vocat S. Petrum fidei baſim, eamque immobilem,non tantùm quia eius fides in eo & ſucceſſoribus eius

eius indefectibilis eſt ex Chriſti promiſſione,ſed etiam quia eius quoque ſedes immobilis erit, & in ſæcula perſtabit, quidquid aduerſus illam moliti fuerint homines: quod verò neceſſe fuerit Romanam Eccleſiam perſtare quamdiu durabit Eccleſia, niſi quia ab ea & in ea ſede perſtabit fides, ſine qua nulla foret Eccleſia.

Caput fidei dicitur à S.Gregorio *in lib.2.Regiſt.Ep.42.* & *caput totius fidei* à Philippo Legato Cœleſtini in Conc.Epheſino *tom.2.* editionis Pellanicæ *cap.15.* vti ſuperius retulimus.Ideóque PP.poſt lectàm in ſynodo Cœleſtini Epiſtolam inter alia exclamarunt *vnus Cœleſtinus, vna fides Synodi, vna fides orbis terrarum*, nimirùm Synodus conſentit Cœleſtin. vt membra capiti,eſt verò Cæleſtinus ipſorum caput,ſicut Petrus eſt Caput fidei & omnium Apoſtolorum:Neque Philippus dixit Petrum fuiſſe Caput Apoſtolorum omnium,& fidei totius, ſed eſſe nimirùm in ſua ſede & in ſuo ſucceſſore.

Columna ac munimentum Eccleſiarum à Baſilio Imperatore *in Encyclica poſt 8.Synod.*& columna incorrupta Eccleſiarum à Theodoret. *orat. de charitate,* vbi inter alia. *Ita orbem terrarum qui labebat & agitabatur magna hac columna fulciit, & vt omninò caderet non permiſit, ſed erexit,ſtabilemque reddidit, Dei ones paſcere iuſſus.* Explicat enim verba Chriſti *Luc. 22.* Simon expetiuit te Satanas vt cribraret, &c. Quare de columna fidei loquitur.: Neque Petrus fulciit orbem terrarum,impediuitque ne rueret,niſi per ſuos ſucceſſores,quod ſi hodie non facere pergat,iam ſublata fuerit illa columna,ſumuſque in periculo ruinæ.

S. Chryſoſt. *in encomio SS. Petri & Pauli* πέτρος ἡ ἀρχὴ τῆς ὀρθοδοξίας ὁ μέγας τῆς ἐκκλησίας ἱεροφάντης ὁ ἀναγκαῖος σύμβουλος τῶν χριστιανῶν τὸ κειμήλιον τῶν ἄνω δυνάμεων. Petrus orthodoxa fidei principium magnus Eccleſiæ Sacerdos, neceſſarius Chriſtianorum conſiliarius, ſupremarum poteſtatum Theſaurus. In quibus verbis illud modo attendo ἀναγκαῖος σύμβουλος τῶν χριστιανῶν, quod non poteſt tribui Petro perſonaliter cum Petrus conſuli non poſſit à Chriſtianis,niſi in ſuis ſucceſſoribus: deinde non poteſt alia de cauſa eſſe conſiliarius neceſſarius, niſi quia vbi de fidei quæſtionibus agitur ad ipſum neceſſariò recurrendum, eiuſque cathedra conſulenda eſt à Chriſtianis,vt aliquid certi habeant vt ſtatim oſtendam,quāvis igitur omnes Epiſcopi dici poſſint conſiliarij; & non Reges,vti explicat Baſil.*in cap.1.Iſaiæ ad illud & Conſiliarios duos ſicut ab initio.* Leontius Byzantin. *lib.1. contra Neſtori. & Eutychem. in prœmio allegationis SS. Patrum:* vocat eoſdem patres admirabiles ſpiritus Sancti Conſiliarios, quia per eos & in eis quaſi conſulimus Spiritum ſanctum,quo etiam ſenſu Zeno Veronenſis *ſermone de fide,ſpe & charitate* nominat Ioann. Euangeliſtam ſpecialem arcanorum Domini Conſiliarium, quia nimirum in cœna ſupra pectus Domini recumbens fluenta cœleſtis doctrinæ hauſit, vt ait Gregor. *in ſacramentario,& in præfatione illius feſti*, & vt habet Nyſſ. *homil.1.in Cant. Verbi amaui: vbera, & veluti quandam ſpongiam cor ſuum appoſuit fonti vitæ & ex ineffabili quadam traditione repletus Chriſti myſteriis, nobis quoque exhibet mammillam à Chriſto impletam,noſque implet bonis quæ ei à fonte ſunt indita, magna voce prædicans quod ſemper eſt verbum.* Sic tamen Ioannes eſt potius conſultor qui Deum conſultet,quam Conſiliarius qui conſulentibus conſilium det, at verò P.R. & ex munere conſiliarius Chriſtianorum eſt, & neceſſarius ex mente Chryſoſtomi, vt nihil certi in fidei controuerſiis definire fas ſit,eo inconſulto & Ioannes viii.*ep.87.ad Ludou.Balbum*,quem loco ſui parentis Caroli Calui ſuum ſecretarium conſtituebat,*in fonte tui cordis primum intingendus Calamus, deindè manus noſtra formabit Characteris apicem.* Primò definitiones conſultandæ cùm Pontifice,antequam pronuntientur; & ratæ,ac certæ habeantur ab Eccleſia.

Petrus Chryſologus *ſerm.107.*& *Conc.Epheſ.tom.2. editionis pettauicæ cap.15.* nominant cuſtodem fidei, quod nimirùm ipſius ſit accuratè inuigilare, ne qui fures & hæretici fidei theſaurum incautis Chriſtianis ſubripiant,quod quam diligenter præſtiterit S. Martinus contra Monothelitas,ipſemet deſcribit *ep.11.* ad Hieroſolymitanam, & Antiochenam Eccleſiam his verbis, *Scire vos volo fratres de rebus præſentibus, id eſt de fraudibus qui temporibus noſtris inſurrexerunt contrà orthodoxam fidem,nempe Theodoro qui fuit Epiſcopus Pharan,& Cyro qui Alexandriæ & Sergio Conſtantinopolis & eius ſucceſſoribus Pyrrho & Paulo, quod ei per propriam hæreſim valdè moliti ſunt perfodere,& theſauros ſiue dogmata Eccleſiæ expilare, nos verò id eſt huius Apoſtolicæ ſedis Pontifices ad cuſtodiam domus peruigiles, iuxta præceptum Domini non permiſimus eos hunc effodere, vel fidei ſubripere theſaurum, ſed ipſos cathenis impiæ eorum, & adulterinæ doctrinæ conſtringentes accurata demonſtratione, & examinatione eorum, quæ ab ipſis contra integritatem Chriſtianæ fidei ſcripta ſunt, tum ipſos, tum ea quæ impiè docuerunt igne canonicæ ſententiæ, veluti mala zizania exurentes ſynodaliter condemnauimus, vbique coram hæreſim publicantes.* & ſanè iampridem dixerat Irenæ *lib.3.cap.4.* fidem à SS. Apoſtolis in præduces depoſitorium Eccleſiæ Romanæ fuiſſe illatam, ideóque Bernard. *ep.49.& 161.*vocauit Pontificem cuſtodem, ſponſ. Domini cuius nimirùm integritatem ſeruata fide infermentata & virgine cuſtodit, ſed hoc ipſum pluribus exemplis demonſtrat Gennad. in Apologia Concilio Florentin. *cap.5.*verbis poſt paulò adducendis.

Damaſc. *in hiſtoria Barlaam cap.11.* iuxta Græcum Codicem,ab Hieronymo donato in Apologetico de Romanæ ſedis principatu vulgatum, dicitur Reſp. Pontifex Doctor ſupremus orbis terrarum,quo etiam nomine Petrum appellat S.Chryſoſt. *in encomio S.Ignatij* collaudans Ciuitatem Antiochenam, quod illi Deus præfecerit totius orbis terrarum Doctorem Petrum & Nyſſenus *in encomio SS.Petri & Pauli*, quod ex Bibliotheca Viennenſi Gretſerus edidit, ſic de Petro loquitur, *ſolus quem ſciamus loco Chriſti, & à Chriſto paſtor & Doctor omnium gentium vbique terrarum conſtitutus eſt quam dignitatem in perpetuum ſeruat.* Quæ poſtrema verba vera eſſe non poſſunt,niſi in Petri ſucceſſoribus vt vides.

Theodorus ſtudita *lib.2. Epiſt.13. ad Paſchalem* ipſum nominat facem diuinitùs lucentem ad Eccleſiæ, quæ ſub cœlo eſt illuminationem in Apoſtolica ſede conſtitutam, quæ verba in fidei quæſtionibus maximè ſunt accipienda. Firmamenti fundamentique nomen ſæpiùs Petri ſucceſſoribus tributum eſt. Auguſt. *Serm.16.de ſanctis* dixit firmamentum omnium, quia vt ait fœlix III. *Ep.5.* per Apoſtolicam ſedem omnium ſolidatur dignitas ſacerdotum;firmamentum fixum & immobile agnouit Athanaſ. vna cum Epiſcopis Ægyptiis ad fœlicem, & Sergius Cyprius ad Theodorum Papam in Concilio Lateranenſi ſub Martino I. *ſecretario 2.* relatus vbi & vocat Apoſtolicam tituli formam lucidiſſimam fidei. Athanaſius verò vna cum Ægyptiis dixerat formam lucidiſſimam vniuerſorum titulorum, addit Sergius. *Tu profanorum hæreſeon depoſitor exiſtis, vt Princeps & Doctor orthodoxæ, & immaculatæ fidei:* Volunt itaque iſti Patres Romanum Pontificem poſitum fuiſſe velut lucidiſſimum titulum ſeruandæ fidei, vti quondam ad ſeruandas poſſeſſiones ponebantur tituli Imperatorij, vt obſer-

uat Auguſt. *Serm.62. & in pſal.21.* noſque alias diximus vide Feſtum V. Titulus.

Epiſcopi Africani *Epiſt. ad Theodorum Papam* relata in Concilio Lateranenſi ſub Martino 1. *ſecretario ſic conſultatione* 2. iſtis appellant nominibus fons magnus, & indeficiens omnibus Chriſtianis fluenta redundans, de quo riuuli prodeunt affluenter, vniuerſum largiſſimè irrigantes orbem Chriſtianorum, qua eadem Metaphora vtitur Theodorus ſtudita ad Paſchalem Papam *lib.* 2. *Ep.* 13. fons verè illimis ac ſincerus iam inde à principio fidei, qua ratione Carolus Magnus conciliauit contentionem ſuorum cantorum & Romanorum, quoad rationem cantus Eccleſiaſtici apud Ioann. Diaconum *lib.* 2. *vita S. Gregorij c.* 9. Et refertur etiam in actis eiuſdem Imperatoris à Monacho quodam S. Eparchij Conſcriptis, vbi Carolus ſic ſuos Cantores alloquitur. *Dicite Palam quis purior eſt, & quis melior an fons primus aut riuuli eius longè decurrentes, responderunt omnes vna voce. Fontem velut caput & originem puriorem eſſe. Riuulos autem eius quanto longius à fonte receſſerint, tanto turbulentius fluere, & ſordibus ac immunditiis corruptos eſſe, & ait Dominus Rex Carolus reuertimini ad fontem S. Gregorij, quia manifeſtè corrupiſtis Cantilenam Eccleſiaſticam*, quod de ritu illo Eccleſiaſtico dixit Carolus, potiori Iure de doctrina fidei, quæ in ſuo fonte puro Romanæ ſedis haurienda potius eſt, quàm aliorum riuuli conſectandi errorum, & hæreſeon cæno, aut ineptarum opinionum limo corrupti. Itaque quod Epiſcopi Moſcouitici dicuntur geſtare pallium nigrum, quod in pectore habet tres fimbrias albas inſtar riuuli quaquam-verſum fluentes, vt ſignificent ex ijs in orbem Vniuerſum fluere perenniter doctrinæ Riuulos verius omninò erit in R. Pontif.

Fundamenti Eccleſiarum, fundamenti fidei aliaque ſimilia nomina vulgatiſſima ſunt apud PP. Vigilius Papa *Epiſt ad Euther.* Andreas Cretenſis *orat. de Transfigurat.* Stephanus Dorenſis Epiſcopus. *Epiſtola ad Synodum Lateranen.* Sub Martino I. *Conſultat. vel Secretario* 2. Dionyſ. *Epiſt. ad* Thimoth. Clemens *Epiſt.* 1. *ad Iacobum* Auguſt. *Serm.* 15. *de ſanctis* & apud illum *Epiſt.* 86. Vrbicus Hilar. *in Pſal.* 131. Origen. *hom.* 5. *in exod.*

Chryſoſtom. *Hom. de Elia & Petro & homil. vltima in Ioan.* Euthym. *in cap. vlt. Ioann.* Vocat Petrum Magiſtrum orbis terrarum, Magiſtrum quoque Vniuerſalem Epiſcoporum Bonifacius, vt refert vita S. Burchard. *lib.* 1. *cap.* 9. apud Surium *die* 14. *Octobris*, Magiſtrum etiam fidei Innoc. III. Epiſt. ad Catholicum ſiue primatem Armeniorum. *Sicut didicimus*, inquit, *ex verbis Apoſtolicis, quod omnes vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra, & quod cunctos Sacri Baptiſmatis vnda regenerat fratres facit, quoniam vnus eſt Pater noſter, qui eſt in cœlis, prout in Euangelio veritas proteſtatur, in nobis tamen qui B. Petro ſucceſſimus Chriſtianæ fidei Magiſterium recognoſcis. Vnde ſecus fontem ſcientiæ fidei noſtræ, ac præceptorum legis, & Eccleſiæ quieſcere deſiderans, & nutrici ſugis mammillis noſtris quotidiè, & inebrieris lacte doctrinæ ex vberibus Apoſtolicæ ſedis emanantis; & licet loco quidem remotus à nobis exiſtas, fide tamen nobis gaudens, antequam Armenicam Eccleſiam nobis committi contingeret cum ouili, de quo Dominus in Euangelio proteſtatur, aliàs inquiens, oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile & vnus Paſtor, oues enim huius ouilis vni Dominus Paſtori commiſit, Petro videlicet, cum inquit, paſce oues meas; innuens per verbum Tertiò repetitum, quod quicunque fidem habuerunt Trinitatis, in quacunque orbis partium Regione, ac trino fidelium ordine Noë, Iob, & Daniel. ſiue in lecto, ſiue in agro, ſiue in mola conſiſtant, Petri Magiſterio ſunt commiſſi.*

Rupertus *lib.* 2. *officio. cap.* 22. Vocat R. P. murum inexpugnabilem contra omnes hæreſes, quod ibidem luculenter explicat, & quomodo ex quacunque parte mundi periclitata fides ad Romanam Eccleſiam confugiens, mille Clypeos ex ea omnemque armaturam fortium qua ſe defenderet, pendentem & præparatam inuenerit: quam etiam fidei puræ & incontaminatæ ſecuritatis oſtentat Petrus Cellenſis. *Epiſt.* 3. aduerſus quendam Nicolaum, *Sum nomine Petrus, Petrinus, radicatus, & fundatus in montibus ſanctarum authoritatum, & in medio Petrarum; vbi mater Eccleſia nidificat in foraminibus Petræ, & in cauernis maceriæ, hinc non ex eo niſi ad vocem rotarum, quæ in ſe habent ſpiritum vitæ, & exeunt ac mouentur tanquam volubiles cum animalibus ſenas alas habentes, & oculos antè & retrò ſecurus ſequor, quia facies Leonis præcedit ne aliquid noceat, facies hominis ne aliquid decipiat facies vituli ne vanitatis aliquid interueniat, facies aquilæ, ne aliquid dubietatis remaneat vel tarditatis præpediat. Regula veritatis tornauit rotas iſtas in circion, & orbe veritatis æternæ, quæ de mente diuina procedens, tantæ apud Deum Maieſtatis eſt, vt in ſummo vertice lucis inhabitabilis reſideat, tantæ authoritatis vt nullius ditioni ſubiaceat, tantæ maturitatis vt nunquam vultum Deificum deponat, tantæ certitudinis, vt nulla mutatio aut viciſſitudinis obumbratio in eam incurrat.*

Chryſoſt. hom. *de Petro & Elia* portum fidei Petrum dixit. Ioan. VIII. *Ep.* 21. portum periclitantium Theodorus ſtudita *Epiſt. ad Paſchalem* portum totius Eccleſiæ ſecurum, quæ omnia tum de fide quæ extra hunc portum periclitatur, interpretatur vincentius Lirinenſ. in Commonitorio, tum de confugientibus Epiſcopis malè vexatis ad Romanam ſedem, tum de vtriſque dictum illud Theodori ſtuditæ Gennad. pro Concil. Florentino *cap.* 5. *ſect.* 16. exponit. *Intelligis*, inquit, *quo pacto ſecurum portum appellat, totius Eccleſiæ Romanum Pontificem, ad quem vt nauigia ab vndis in medio maris agitata in portum perfugiunt, ne foris relicta à fluctibus atque æſtu mergantur. Sic & omnes Eccleſiæ ab hæreticis tanquam à fluctibus vexatæ, ad Romanum Pontificem veluti ad Portum ſalutis confugiunt, vbi tranquillitatem & quietem omnem nanciſcantur: Nam eo loci fidei claues Chriſtus apud Petrum Apoſtolum depoſuit, vt Eccleſiam totam paſceret, atque gubernaret, nec apud illum tantum, ſed etiam apud eius ſucceſſores, ipſe dicens, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos, quæ quidem non ſoli Petro contigerunt, ſed & eius ſucceſſoribus.*

Rupertus *Ep. ad Romanum Pontificem* quam præfixit libris de Trinitat. vocat illum fidei Chriſtianæ præcentorem. Cyrillus verò Hieroſol. *Cathech.* 11. Præconem ſupremum Eccleſiæ, prædicatorem primum & ſupremum Eccleſiæ; Gregor. *lib.* 13. *moral. cap.* 8. Et exilium S. Martini, S. Aſterius *homil. de SS. Petro & Paulo.* Vbi de Petri prædicatione. Quæ omnia eodem recidunt, vt vides, & Romani Pontificis in fidei doctrina explicanda, promulganda, & proponenda authoritatem oſtendant, vide Petrum Damian. *Opuſc.*46. *cap.* 5. De Petri prædicatione, & aliis eiuſmodi titulis, qui illi vt Pontifici, ac proinde ſucceſſoribus eius conueniunt, eodem refero quod Damaſus *Ep.*4. vocat principem, & Doctorem immaculatæ & Orthodoxæ fidei, & Gofridus Vind. *lib.* 1, *Ep.* 7. Principem fidei Catholicæ dicitur, & tuba Euangelij in actis S. Agapiti quorum plagulam habes *cap. Agapitus de conſecrat. diſt.*1. Tuba Sanctiſſimi Spiritus à Theodoreto. *Ep. ad S. Leonem.*

Ex his omnibus titulis, quibus PP. Paſſim Romanum

manum Pontificem ornauerunt, liquidò apparet doctrinam fidei ab illo petendam & fidei omnes controuerſias ab eo eſſe dijudicandas.

§. VI.

Semper fidei controuerſiæ ad Romanum Pontificem delata ſunt.

Fidei controuerſiæ ex perpetua Eccleſiæ praxi ad Romanum Pontificem ſunt delatæ, ab eoque iudicium poſtulatum fuit à Gennadio *pro Concilio Florentino cap.* 5. adducti probant Irenæus *lib.* 3. *cap.* 3. Vbi poſtquam ſucceſſionem Romanorum Epiſcoporum poſt Petrum numerauit, addit. *Ad hanc enim Eccleſiam propter potentiorem Principalitatem, neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt eos qui ſunt vndique fideles, in qua ſemper ab his qui ſunt vndique conſeruata eſt ea que eſt ab Apoſtolis traditio.* Cyprian. *Ep.* 45. *ad Cornelium* ait Legatos ab Hædrumetino Conſilio hortatos eſſe vt Eccleſiæ Catholicæ radicem & matricem agnoſcerent, nimirùm Romanam Eccleſiam, & infra. *Placuit per omnes omninò iſtic poſitos litera fierent, ſicuti fiunt in te vniuerſi collega noſtri, & communicationem tuam, id eſt Catholica Eccleſia vnitatem pariter & Charitatem probarent firmiter ac tenerent quod diuinitùs eueniſſe, & conſilium noſtrum prudenter, proceſſiſſe gaudemus. Sic enim Epiſcopatus tui & veritas pariter & dignitas apertiſſima luce, & manifeſtiſſima & firmiſſima comprobatione fundata eſt* & *Ep.* 55. *ad eundem Cornelium* contra Hæreticos. *Poſt iſta adhuc inſuper Pſeudo Epiſcopo ſibi ab hæreticis conſtituto nauigare audent, & ad Petri Cathedram, atque ad Eccleſiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta eſt à Schiſmaticis, & profanis literis ferre, nec cogitare eos eſſe Romanos, quorum fides Apoſtolo prædicante laudata eſt, ad quos perfidia habere non poſſit acceſſum.* Hunc eundem in cauſis fidei recurſum ad Eccleſiam Romanam, vt ab illa fidei quæſtiones definiantur, iam olim teſtati ſunt ipſimet Pontifices Anaclet. *Epiſt.* 1. & 3. Euariſtus *Epiſt.* ad Africanos Epiſcopos, Alexand. *Epiſt.* ad omnes Orthodoxos, Sixtus I. Eleutherius *Epiſt. ad Eccleſias* Gallicanas Pius I. *Epiſt. ad omnes Eccleſias.* Victor. *ad Theophilum.* Zepherinus *ad Epiſcopos Siciliæ.* Lucius *Ep. ad Epiſcopos Galliæ, & Hiſp.* Sixtus Mariall. I. *ad Epiſcopos Antiochenenæ prouinciæ,* Euſebius *ad* omnes Epiſcopos Campaniæ & Tuſciæ. Melchiades ad *Epiſcopos Hiſpan.* Idem etiam tradunt Tertull. *lib. de præſcript.* Ambroſ. *orat. de exceſſu fratris ſui ſatyri cap.* 7. & *ſerm.* 47. Hieron. *Ep. ad Damaſum & lib.* 1. *Apolog. contra Rufin.* Cyrill. *loco adducto à S. Thoma* contra errores Græcorum Auguſt. *Epiſt.* 106. & 162. *tract.* 56. *in Ioan. lib.* 2. *contra Pelagium & Cæleſtinum, & lib.* 2. *contra donat. cap.* 11. Idem agnoſcunt Concilia œcumenica. Nicænum *Can.* 18. & 19. citatis à Iulio *in Epiſt. ad Synod. Antiochen.* Chalcedon. *loco citato à S. Thoma ſed hodie* eraſo, de quo diximus nuper, Concil. Conſtantin. in ſententia contra Anthimum hæreticum, Sexta Synodus *act.* 4. in profeſſione fidei ab Omnibus PP. comprobata. *Act.* 8. 13. & 14. Synod. 7. *act.* 2. Synod. 8. *act.* 8. *can.* 2. Denique Concilium Lateranenſe ſub Innocent. III. Florentinum alibi allegatum, & Denique Trident. Hæc aliaque permulta ſingillatim expreſſis verbis enumerat Hieronymus Albanus *lib. de oppugnata Pontificis dignitate prima parte.* Ego pauca dumtaxat appendo Anaclet. *Ep.* 1. id traditum eſſe ab Apoſtolis teſtatur, & ſubinde. *Si quæ cauſa difficiliores inter vos orta fuerint, ad huius ſanctæ ſedis apicem eas quaſi ad caput referte, vt Apoſtolico terminentur iudicio, quia ſic Dominum velle, ab eaque ita conſtitutum eſſe in antedictis teſtimoniis declaratur: hæc verò Apoſtolica ſedes cardo & caput, vt prætactum eſt, omnium Eccleſiarum à Domino, & non ab alio eſt conſtituta, & ſicut Cardine oſtium regitur, ſic huius ſanctæ ſedis authoritate omnes Eccleſiæ domine diſponente regantur.* Id maximè in rebus fidei verum eſſe oportet. Euariſtus *Ep.* 1. *ad omnes Africæ* Epiſcopos. *Conſulentibus vobis fratres chariſſimi, quod ſuper his quæ in veſtris continebantur ſcriptis viſum nobis eſſet, vel quid docilis ratio perſuaderet aut cuſtoditum remaneret, optantes vt retuliſtis, noſtris inſtrui documentis, hæc verò reſcribimus, ſiquidem dilectio veſtra normam ſequuta prudentum ad ſedem Apoſtolicam referre maluit, quaſi ad caput, quid deberet de rebus dubiis cuſtodire, potiuſquam vſurpatione præſumere.* Vides Euariſtum Conſultum ab Affricanis Epiſcopis de rebus dubiis, petiiſſe in ijs doceri, & inſtitui à Pontifice, vt à capite, neque voluiſſe præſumere earum definitionem vſurpatione quadam, nimirum alienæ dignitatis & Iuris S. Damaſus *Ep.* ad Stephanum Archiepiſcopum & vniuerſos Epiſcopos de tribus Conciliis Africanæ prouinciæ. *Scitis fratres Chariſſimi firmamentum à Deo fixum, & immobile atque titulum lucidiſſimum ſuorum Sacerdotum, id eſt, omnium Epiſcoporum Apoſtolicam ſedem eſſe conſtitutam, & verticem Eccleſiarum. Tu es enim (ſicut diuinum pronuntiat verbum veritatis) Petrus & ſuper firmamentum tuum Eccleſiæ columnæ, qui Epiſcopi intelliguntur, confirmatæ ſunt, & tibi claues Regni cœlorum commiſi, atque ligare, & ſoluere poteſtatem, quæ in cœlis & quæ in terris promulgaui. Tu prophanatorum hominum & membrorum meorum, maximéque diſcipulorum meorum exiſtis, & Princeps & Doctor Orthodoxæ & immaculatæ fidei, cuius vice hodiè, gratia Dei, legatione pro Chriſto fungimur, & omnes huius ſanctæ ſedis præſules eius vicem geſſerunt, & gerent.* Quæ poſtrema verba oſtendunt, ipſos Epiſcopos & columnas debere hoc ſedis Apoſtolicæ firmamento firmari. Gelaſius I. ad Epiſcopos Dardaniæ ait, *ſedem B. Petri Apoſtoli de omni Eccleſia fas habere iudicandi, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio. Si quidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerunt, ab ea autem nemo ſit appellare permiſſus.* Vbi & praxi plurima idem confirmat. Nicolaus 1. *Epiſt. ad Michaël. Imperatorem. Patet profectò ſedis Apoſtolicæ, cuius authoritate major non eſt, Iudicium à nemine fore retractandum, neque cuiquam licere de eius iudicare iudicio.* Gregorius IX. Scribens ad Germanum Patriarcham Conſtantinop. *Ex quo colligitur euidenter quod ad ſedem Petri omnis quæſtio fidei ſit referenda* Martinus V. in Concil. Conſtantienſi XVI. Idus Martij, Pontificatus anno 1. occaſione appellationis Polonorum, ſic definiuit. *Tam iure diuino, quam etiam humano, quibus ſacrorum Canonum authoritas innititur, nulli fas eſt à ſupremo iudice videlicet Apoſtolica ſede ſeu Romano Pontifice Ieſu-Chriſti vicario in terris appellare, aut illius iudicium in cauſis fidei, quæ tanquam majores ad ipſum & ſedem Apoſtolicam deferenda ſunt, declinare.* Hoc Martini teſtimonium magni faciendum eſt, cum latum fuerit in ipſo Concilio Conſtantienſi; quod aduerſarij nobis objiciunt & quod volunt ſibi vindicaſſe authoritatem ſupra Pontificem. Sed valdè errant, nam iudicauit tantum de lite Pontificum Schiſmaticorum inter ſe contendentium, quæ erat tantum quæſtio facti & non fidei; de qua dumtaxat loquitur Martin. & nos hoc loco diſputamus: Innocent. I. nuper etiam adductus *Ep.* 93. *inter Auguſtinianas* reſcribens Concilio Mileuit. laudat illud quod ſedem Apoſtolicam conſuluiſſent ſuper anxiis rebus, quæ ſit tenenda ſententia, antiquæ ſcilicet regulæ formam ſequuti,

quuti, quam toto ſemper ab orbe mecum noſtis eſſe ſeruatam. Et mox. *Scientes quod per omnes Prouincias de Apoſtolico fonte petentibus Reſponſa ſemper emanent, præſertim quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, & Coepiſcopos noſtros, non niſi ad Petrum, id eſt, ſui nominis & honoris authorem referre debere, velut nunc retulit veſtra dilectio, quod per totum mundum poſſit omnibus Eccleſiis prodeſſe.* S. Hieron. *Epiſt.* 11. teſtatur Damaſum cui aderat, vndecumque ab Occidente & Oriente pulſatum fuiſſe quæſtionibus, ipſeque eum conſuluit de voce Hypoſtaſis *Ep.* 57. cuius verba inferius referemus. Et Carolus magnus in opere de Imaginibus, de quo inferius, laudat. Auguſt. *lib. de vtilit. credendi cap.* 17. Scribit *non debere nos dubitare, eius Eccleſiæ gremio condere, quæ vſque ad confeſſionem generis humani ab Apoſtolica ſede per ſucceſſiones Epiſcoporum, fruſtra Hæreticis circum latrantibus, & partim plebis ipſius iudicio, partim Conciliorum grauitate, partim etiam miraculorum maieſtate damnatis, culmen authoritatis obtinuit, cuius nolle primas dare, vel ſummæ profectò impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ,* vides ex Auguſtino culmen authoritatis in ſede Apoſtolica reſidere, frementibus licet hæreticis. Idem ait Africana Concilia contra Pelagianos ad ſedem Apoſtolicam miſſa fuiſſe, indeque Reſcriptum, atque adeo cauſam definitam eſſe, neque quidquam amplius expectandum. *Serm.* 2. *de verbis Apoſtoli redarguite contradicentes, & reſiſtentes ad nos perducite: Iam enim hac de cauſa duo Concilia miſſa ſunt ad ſedem Apoſtolicam inde etiam Reſcripta venerunt, cauſa finita eſt, vtinam aliquando finiatur error:* Hæc Concilia Africana non erant generalia, vt patet; & tamen vbi à Romana ſede probata ſunt, cauſam omninò implicatiſſimam. Prorſus finierunt. Sophronius Patriarcha Hieroſolymitanus. *in Synodica ad Honorium,* ait ſe ad illum ſcribere, an ſua fides legitima eſſet, & ſe ſequi antiquiſſimam omnium Eccleſiarum praxim Exemplo Pauli qui Petrum ipſemet adierat, de fide cum eo conſulturus, quod nos q. ſuperiori fuſius expoſuimus. Baſill. *Ep.* 69. ſuo & Coëpiſcoporum nomine ad Romanum Pontificem per Sabinianum Diaconum ſcribit, vt diſcat quid reuera tenendum ſit. *Reuera,* inquit, *dignum eſt illa excellentiſſima voce, qua te Beatum prædicauit, quod pietati tuæ donatum à Domino eſt, ſcilicet vt quod adulterium à legitimo, ac puro diſcernas, ac fidem Patrum ſine vlla ſubſtractione prædices.* Ita ex Græco reddidit Turrian. *lib.* 2. *contra Magdeb. c.* 4. Iuſtinian. more ſuorum prædeceſſorum conſuluit Hormiſdam, an vnus de Trinitate dicendus ſit Crucifixus, additque. *Hoc enim credimus eſſe Catholicum, quod veſtro Religioſo Reſponſo nobis fuerit intimatum,* Cyrill. in theſauro. *Debemus nos vt qui membra ſumus capiti noſtro Pontifici Romano, & Apoſtolicæ fidei adhærere: ad nos pertinet inde quid credendum, quid opinandum, quid tenendum ſit quærere, quoniam ſolius Pontificis ſit arguere, corrigere, increpare, ratum facere diſponere, ſoluere & ligare.* Hæc quidem & alia ſimilia quibus Pontificem ornat Cyrill. apud eius Theſaurum non reperiuntur, & ſanè plures eius operis libri interciderunt, quæ tamen, huc adduximus reperiuntur apud S. Thomam *opuſc.* 1. *contra errores Græcorum & opuſc.* 19. & Gennad. *in Apologia pro Florentino* & apud Turrecrematam *de poteſtate Eccleſiæ,* qui omnes cum agerent pro Latinis contra Græcos, non potuerunt ſuppoſititia loca adducere, niſi ſe ridendos præbere voluerint: Deinde Andreas Coloſſenſis Epiſcopus in Synodo Florentina palàm teſtatus eſt Cyrillum in theſauro Romani Pontificis authoritatem eximiè celebraſſe; Neque vllus quidquam repoſuit S. Petrus Chryſologus reſcribens Eutychel. Epiſtola quam ex M. S. Vaticano Gerardus Voſſius Latinè & Græcè repræſentauit poſt plurima in eius hæreſim contorta ſic concludit. *In omnibus hortamur te frater venerabilis vt his quæ à Beatiſſimo Papa Romanæ Ciuitatis ſcripta ſunt obedienter attendas. Quoniam B. Petrus qui in propria ſede viuit, & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem. Nos enim pro ſtudio pacis ac fidei extra conſenſum Epiſcopi Romanæ Ciuitatis cauſas audire non poſſumus.* Innocent. I. de quo paulò ante, denuò nobis occurrit, reſcribens enim ad Carthaginenſe Concil. *Epiſt.* 91. *inter Auguſtinias.* Laudat eos quod ad ſuum Iudicium referri voluiſſent à ſe ipſis definita *Scientes quod Apoſtolicæ ſedi, cum omnes hoc loco poſiti ipſum ſequi deſideremus Apoſtolum à quo ipſe Epiſcopatus, & tota authoritas nominis huius emerſit quem ſequentes tam mala iam damnare nouimus, quam probare laudanda, vel id verò quod Patrum inſtituta Sacerdotali cuſtodientes officio non cenſetis eſſe Calcanda, quod illi non humana, ſed diuina decreuere ſententia, vt quidquid de diſiunctis remotiſque Prouinciis ageretur, non prius duceretur finiendum, niſi ad huius ſedis notitiam perueniret, vbi tota huius authoritate iuſta quæ fuerit pronuntiatio firmaretur, indeque ſumerent cæteræ Eccleſiæ, velut de natali ſuo fonte aquæ cunctæ procederent, & per diuerſas totius mundi Regiones puri capitis incorruptæ manerent, quid præcipere, quos, abluere quos velut in cæno immundabili ſordidatos mundis digna corporibus vnda vitaret. Gratulor igitur Fratres Chariſſimi quod per fratrem, & Coepiſcopum noſtrum Iulium Literas ad nos deſtinaſtis, & cum illis curam geritis, quibus præſidetis Eccleſiis, ſollicitudinem veſtram pro omni vtilitate monſtratis & per cunctas totius orbis terrarum Eccleſias omnibus, vna quod proſit decernendum eſſe depoſcitis, vt ſuis conſtabilita regulis Eccleſia, ex hoc quod illos caueat pronuntiationis iuſtæ firmata decretalibus pauere non poſſit, qui peruerſis inſtructi verborum argumentis ſub imagine Catholicæ fidei diſputantes, velut peſtiferum exhalantes virus, vt hominum rectè ſentientium in deteriorem partem corda corrumpant, totam veri dogmatis quærunt euertere diſciplinam, &c.* Ioannes VIII. *Ep.* 76. Vbi dixit fundatam eſſe Eccleſiam ſupra Petram, ſupra quam Serpentis veſtigium non inuenitur, vt dixit Salomon. ſubdit. *Aqua non poteſt alibi tam munda vel tam limpida; quemadmodum in fonte vnde originem protrahit, inueniri, Ita & fides nunquam omninò poterit alibi tam pura, vel tam nitida reperiri, ſicut in Eccleſia noſtra viuario, vbi eam non tecta perſtillantia, quibus litigioſa mulier, id eſt hæretica prauitas comparatur, ſed ille Polorum clauiger vberim & puriſſimè congregauit, qui ex ipſo fonte viuo hanc cœlitus hauſit & limpidiſſimam conſeruandam mandauit.*

Petrus Damian. *Opuſc.* 5. *ſub finem* Eadem de cauſa vocat officinam fabrilem monetæ probatæ de cudenda & probanda moneta pluribus *tom.* 1. *de negotiatione,* vbi de nummis & monetis: Ait igitur Petrus Damian. *Nos ſi quid errauimus ad B. Petri magiſterium corrigendi ſuppliciter accedimus & retractationis opprobrium non veremur. Hæc eſt enim illa, vt ita loquar officina fabrilis; cui nimirum is qui Fabri dicebatur filius præſidet, ad cuius regulam omnis merito reducitur, ad cuius rectitudinis lineam quidquid Vſpiam deprauatum fuerit, reformatur.* Hanc officinam queritur idem Petrus *lib.* 1. *Epiſt.* 20. Cadola qui ex Epiſcopo Parmenſi in Antipapam pecuniariis Largitionibus fuerat euectus, eſſe factam Simonis officina.

Petrus Collenſis *Epiſt.* 6. *ad Alexandrum III.* ad eum tanquam ad patrem recurrendum eſſe monſtrat: *ad ſinum veſtræ pietatis qui debita humilitate recurrit, non ſolùm maternæ lenitatis blandimenta, ſed & paternæ ſollicitudinis ſolet inuenire indubia tutamina, in manu næ-*

que

que veſtra eſt poſt Deum pax omnium Eccleſiarum & noſtra. Hæc tam illuſtria ex omni ferè gente teſtimonia placet Imperatorio recentiori obſignare, fuit is Andronicus qui floruit anno 1271. qui ſic ſcribit ad Ioannem XXI. *Hec Sacroſancta Romana Eccleſia ſupremum abſolutumque principatum, poteſtatémque ſuper Vniuerſam Eccleſiam Catholicam habet: Quam quidem poteſtatem in ſe ipſa verè & humiliter agnoſcit eſſe atque accepiſſe cum plena authoritate ab ipſo Domino in Beato Petro Apoſtolorum Principe ac vertice; cuius Romanus Pontifex eſt ſucceſſor & quemadmodum præter alias Eccleſias habet poteſtatem de fide Iudicandi; ſic & ſi quæ de fide ſubortæ fuerunt quæſtiones huius iudicio diſſoluendæ ſunt. Ad hanc vnuſquiſque vexatus prouocare poteſt, & in omnibus cauſis, quæ ad examen Eccleſiaſticum ſpectant, ad huius Iudicium poteſt quiſque recurrere, & huic omnes Eccleſiæ ſunt ſubiectæ.* Huius Epiſtolæ exemplar in Bibliotheca Vaticana Seruatum exhibuit Latinè ſimul & Græcè Eugubinus *lib. 2. de donatione Conſtantini.* Ex hoc tam communi & locuplete Patrum & Conciliorum etiam teſtimonio conſtat fidei quæſtiones perpetuò ad ſedem Romanam Apoſtolicam relatas fuiſſe, vt ab illa definirentur, neque antè vltimam illam definitionem, controuerſiam eſſe finitam neque obligaſſe Vniuerſam Eccleſiam, vt dicebat Innocentius I. Paulò ante adductus.

§. VII.

Pontifex Romanus hæreſes etiam abſque Concilio generali damnauit.

20 Tertiò Romanus Pontifex perpetuò ſolus abſque Concilio generali damnauit hæreſes, & controuerſias fidei tunc exortas definiuit. Quare Conſtantin. Pogonat. *Epiſtola ad Leonem Papam* illum ad damnandum hæreſim Monothelitarum ſic hortatur. *Sta firmus* τῆς εὐσεβείας ὑπέρμαχος *propugnator pietatis accinctus verbi gladio, cuius eſt omnem hæreticum, atque doctrinam præcedere ſicut & Petrus olim Iudaici auditus ſenſorum gladio percutiens abſtulit, legalis & ſeruilis Synagogæ præſignificans ſurditatem, extende ſecurim ſpiritus, & omnem arborem ferentem fructum hæreſeos vel inſtitutionibus tranſplantare erudienda, vel Canonicis pœnis exſcindere, & igni futuræ gehennæ tranſmittere vt præciſis iis omnibus quæ fidem labefactant valens ſit, atque integrum Eccleſiæ Corpus pace ſpiritus connexum, & coagmentatum.* Synodus Chalcedonenſis in proſphonetico ad Marcianum quem piiſſimum & Chriſti amatorem Imperatorem appellat εὐλαβέστατον καὶ φιλόχριστον βασιλέα. Gratulatur imprimis quod imperium à pietate auſpicetur, & certamen contra diabolum ſuſceperit, atque Deum ipſi prouidiſſe impenetrabilem omni errori, & inuictum pugnatorem, & Romanæ Eccleſiæ Papam ad victoriam præparaſſe, doctrinis eum vndique veritatis accingens, vt quemadmodum feruens affectu Petrus, & his affectu feruentiore decertans, omnem ad Deum ſenſum, intelligentiamque perducat: Subinde demonſtrat Synodus ſcripta Pontificis Leonis non continere fidem alienam à regulis Patrum, & tandem concludit nihil præter fidem, quæ olim à Sanctis Patribus annuntiata eſt venerabilis Romanus Pontifex innouauit atque vt nulla his qui Apoſtolicum virum per inuidiam lacerare nituntur, relinquatur occaſio Conſonantia Epiſtolæ eius Sanctorum Patrum teſtimonia ad certiorem notitiam veſtræ pietatis, ex multis pauca ſubdimus.

Deinde in relatione Synodi ad Papam Leonem, Synodus ait imprimis omnium conſenſu celebratum fuiſſe, quibus inquit: Tu quidem ſicut membris caput præeris in his qui tuum tenebant ordinem, beneuolentiam præferens ὧν σὺ μὲν ὡς κεφαλὴ μελῶν ἡγεμόνευες ἐν τοῖς τὴν σὴν τάξιν ἐπέχουσι τὴν εὔνοιαν ἐπιδεικνύμενος, tum in Lupum Alexand. Dioſcorum ſic vocat, inuehens, & varia crimina exprobans, addit *Et poſthac omnia contra ipſum, cui vineæ cuſtodia à Saluatore commiſſa eſt, extendit inſaniam, id eſt, contra tuam quoque Apoſtolicam Sanctitatem, & excommunicationem meditatus eſt contra te; qui corpus Eccleſiæ vnire feſtinas,* & quod reſpuerit eius *Epiſtolam omnibus dogmatibus veritatis aduerſans.*

Ex hoc verò Pontificis munere prouidendi ne quæ hæreſis aut error fidem Eccleſiæ corrumpat, adhibendique efficacia remedia quibus ſerpenti malo occurrat Pontifex, dicitur ſummus Eccleſiæ prouiſor à Rothaldo Sueſſionenſi *Epiſt. ad Nicolaum I.* quæ eſt inter eius Epiſtolas poſt 37. Hanc verò ſollicitudinem accuratè deſcribit Bleſenſis *in fine Epiſt.* 27. Bernard. *lib. 2. de conſiderat. cap. 6.* Petrus Cellenſ. *epiſt.* 95. & *epiſt.* 195. inferius vbi de ſenſu Eccleſiæ Gallicanæ agemus afferendi: Quare & Synodus Chalcedon. *Epiſt. Synodali ad Leonem Reſp. Pontificem* initio ait *ipſum eam fidem veluti veſtem auro textam ex veſte Chriſti,* & *præcepto Legiſlatoris ſeruaſſe ad id temporis, quia nempè vocis Petri omnibus conſtitutus interpres* πᾶσι τῆς τοῦ μακαρίου Πέτρου φωνῆς ἑρμηνεὺς καθιστάμενος. Quare addunt PP. Se eo tanti boni duce & authore ad vtilitatem Eccleſiæ vtentes, Eccleſiæ filiis hæreditatem, ſortemque veritatis oſtendiſſe; hunc enim ſenſum faciunt illa verba ὡς ἀρχηγῷ σοι τοῦ καλοῦ πρὸς ὠφέλειαν χρησάμενοι τῆς ἀληθείας τοῖς τῆς ἐκκλησίας τέκνοις τὸν κλῆρον ἐδείξαμεν; non quidem ſingulariter ſecundum occultam & priuatam cuiuſque doctrinam, ſed in communi confeſſa, cui ipſe tanquam caput membris per ſuos Legatos & Vicarios vti ſuperius retulimus præſidere: Vides itaque Synodum agnoſcere Romanum Pontificem datum & conſtitum eſſe omnibus Eccleſiis vocis Petri ſiue Confeſſionis ab ipſo factæ, quàm Eutyches & Dioſcorus corruperant, interpretem, & ſe eo duce atque præſide veritatem tradere communi conſenſu ab eoque accepiſſe veſtem illam auream fidei, quam ſeruandam acceperit. Eiuſdem igitur Pontificis eſt errores & hæreſes illi veritati cuius ſortem & hæreditatem ſeruat, damnare: atque denique pertinere ſpeculatoris munus & nomen quo donatur Romanus Pontifex à Lanfranco *Epiſt. 3. ad Alexand. III.* & à Caſſiodoro *libro 10. epiſt. 2. licet enim ſinguli Epiſcopi ſpeculatores ſint, debeantque ſuis inuigilare Eccleſiis,* eoque trahi poſſit illud Ezechielis *Speculatorem dedi te Domui Iſraël.* Vti exponit Chryſoſth. *Serm. 57. tom. 5. Græco-Latino.* Et Auitus Viennenſis *Epiſcop. 49. Speculator ſum, tubam teneo, tacere mihi non licet.* Romanus tamen Pontifex longè alia ratione ſpeculator eſt præſidens Chriſtiano populo vt aiebat Caſſiodor. Et vt Athanaſ. cum Synodo Alexandrina *epiſt. ad Fœlic. II.* Scribit vt in ſumma ſpecula à Deo poſitus eſt, quippe qui vt ibidē dicitur Vniuerſalis Eccleſiæ & maximè Epiſcoporum qui oculi propter contemplationem & ſpeculationem vocantur domini curam gerere debeat, de huius Epiſtolæ fide alius erit pronuntiandi locus *tomo 5.* Quamvis enim in ſcriptione videatur eſſe fortaſſis aliquis error, cum tunc non potuerit cogi Synodus Alexandrina, potuit tamen Athanaſius ſuo, & aliorum Epiſcoporum nomine qui ipſi adhærebant ſcribere, quos in Synodo adunatos Alexandriæ exiſtimauit interptes; ſed audi Auguſt. *lib. 1. contra duas Epiſt. pelagian. cap. 1. commune eſſe omnibus Epiſcopis, contra*

contra hæreticos qui in cauſis Chriſti fremunt inuigilare: Bonifacij tamen Pontificis ad quem ſcribit id ſingulare eſſe, vt qui præemineat in celſiore faſtigio ſpeculæ Paſtoralis: Quare ad ipſum ſua ſcripta non tam diſcenda, quàm examinanda, & vbi forſitan aliquid diſplicuerit emendanda miſit. Audi & Cœleſt. I. *Ep.* 2. *ad Epiſc. Gal. Silere non poſſumus, cùm ad hoc vt ab illicitis reuocemus aliquos officij noſtri prouocemur inſtinctu, vt vigil. noſtræ diligentiam comprobantes, & quæ coërcenda ſunt reſecemus, & quæ obſeruanda ſunt ſanciamus, circa quamuis longinqua ſpiritualis cura non deficit, ſed ſe per omnia quà nomen Dei prædicatur extendit, nec notitiam noſtram ſubterfugiunt, quæ in euerſionem regularum nouellæ præſumptionis authoritate tentantur.* Alexander IV. in diplomate quo proſcribit librum de periculis nouiſſimorum temporum. *Romanus Pontifex de ſummi Apoſtolatus ſpecula vrbis, & orbis debita ſeruitute proſpiciens, curis occupatur innumeris, & cogitationibus rapitur infinitis, quia eminentior cæteris ſedes eius ſollicitudines ſibi vehementiores accumulat, & ipſius authoritas potior meditationes ei multiplicat ampliores. Quo enim altius præſidet, eo longiùs latiùſque circumſpicit, & quanto plus poteſt officio, tanto maioris vigilantiæ ſibi ſarcina incumbente plus penſat, quoniam maximæ dignitati, maxima ſollicitudo cohæret, & altiorem honorem, onus grauius comitatur, curaque profuſior ardentioribus ſtimulis mentem vrget. Vnde cum aliis plebium fidelium Paſtoribus, quibus Grex Dominicus particulariter eſt commiſſus, immineat de ſuarum Eccleſiarum eminentia vigilanter ad ſuas oues attendere, incumbit vtique Romano præſuli, cui eſt rex, ipſe generaliter creditus de ſublimi Eccleſiarum vertice, ſede ſcilicet Apoſtolica propenſius ad illum, & inſtanter intueri, quia cùm hi limitatis ſuis populis præſunt, ſinguli quidem ſingulis, ſic ſine diſtinctione prælatus eſt Pontifex Vniuerſis. Dominicæ quidem vineæ cuſtos generalis, & cultor & totius ouilis Catholici, paſtorumque omnium ſummus Paſtor.* Et Paſchalis II. *Ep.* 3. ad Sanctum Anſelmum. *Si noſtro ſilentio pateremur Eccleſiam felle amaritudinis, & impietatis radice pollui, qua ratione poſſemus ad æternum Iudicem excuſari, cum Dominus ſub ſpecie Sacerdotis dicat Prophetæ, ſpeculatorem dedi te Domui Iſraël? non benè cuſtodit vrbem qui in ſpecula poſitus, dum non abſiſtit eius Hoſtibus, diripiendam exponit.* Cum igitur in altiſſima ſpecula conſtitutus R. Pontifex videre debeat, an hæreſis, an error, an impietas, vel improbitas Eccleſiam ſiue particularem, ſiue Vniuerſam perturbet, eius omninò eſt, non modo cæteros de periculo monere, ſed iis omninò malis præcauere & vt ait Paulus exſcindere eos qui Domum Dei Perturbant: atque adeò ſubortientes ſtatim damnare integrum fidei depoſitum ſeruare, vti hactenùs euicimus.

21 Quod & egregiè præſtiterunt ipſimet non expectato aut conſulto Concilio œcumenico, per trecentos annos ante Nicænum primum, cum toto eo Spatio innumeræ fuerint hæreſes, eæque à Rom. P. damnatæ & ſequentibus deinde ætatibus idem fecerunt, ſtatim enim atque nouæ hæreſes exortæ ſunt, varijs in locis de illis monitus eſt P. Rom. à ſingularibus Eccleſiis vt videret, definiretque quid ſentiendum eſſet, illeque regulam tradidit, quæ nunquam deinde retractata fuit, ſed ab omnibus prorſus Catholicis acceptata. Quæ omnia ex Annalibus Eccleſiaſticis perſpicua fiunt.

Nam victor quarto decim. damnauit ex Euſeb. *lib.* 5. *hiſt. cap.* 23. & 24. Et Epiphano *Hæreſ.* 5. Cornelius damnauit nouatum & nouationum ex eodem Euſebio *lib.* 6. *Hiſt. cap.* 33. Idemque Africanorum ſententiam de rebaptiſandis Hæreticis, licet à S. Cypriano, eiuſque Concilio probatam damnauit vt hæreticam, qua de re vide Auguſtin. *lib.* 3. *de Baptiſ. contra Donatiſtas cap.* 23. Neque in iſtis omnibus coactum fuit vllum Concilium generale. Pelagiani ab Innoc. I. & Zozimo damnati, habiti ſunt Hæretici, neque vllum fuit Concilium Generale, vt affirmat Auguſtin. *lib.* 2. *Retractat. cap.* 5. Quòd de ſemipelagianis dicendum omninò, eſt, fuerunt quidem aduerſus illos plurima Concilia in Gallia, & Africa, ſed ea fuere tantùm Prouincialia, quæ non eſſe vltimum iudicium de fide fatentur aduerſarij. Vim igitur huic definitioni præbuit Pontificis authoritas, quæ illa probauit, eoſque ſimul vt etiam prius damnauit. Berengarij errores de vmbratica Euchariſtia damnauit Leo IX. & Nicolaus II. nullo adhibito Concilio Generali, ſemperque ea hæreſis, vt talis habita fuit Benedictus XII. animas plenè purgatas ſtatim videre Deum, neque diem Iudicij illis expectandum eſſe definiuit. Sixtus IV. damnauit Petrum Oxomenſem. Petri Abelardi Hæreſes Innoc. II. Gilberti Porretani errores Eugenius III. aliique deinceps Pontifices alios Hæreticos pronuntiarunt, abſque vllo generali Concilio, neque vnquam vlli Catholici eiuſmodi definitiones tanquam minus legitimas aut falſas improbarunt, aut retractandas iterumque examinandas eſſe dixerunt, ſed vt dicebat Auguſtin. alibi relatus. *Romam miſſa ſunt ſcripta, inde reſponſum relatum, cauſa definita*, negatque deinceps Concilium cogendum amplius eſſe, vt iterùm monebimus inferius, atque pleraque hæc omnia poſt inducta generalia Concilia geſta ſunt.

Quid verò antequam liceret per Eccleſiæ pacem 22
Concilia generalia cogere, fuerit actum & à quonam damnatæ fuerint hæreſes euidentiſſimum erit. Enumeratis erroribus qui primum Concilium Nicenum præceſſerunt. Nam Symonem cuius ſpurciſſimas hæreſes recenſet Irenæ. *libro* 1. *cap.* 20. è cuius deinde Schola prodierunt Menander, Saturninus Baſilides, Carpocras, Cherintus Ebion, Nicolaus, Cerdo, Maricon, licèt doctrinam Simonis mutando ex parte aliqua, nouarum hæreſum authores videri voluerint, vt & Doſithiani, Cleobani, Gortheni, Maſtotheni, Hadrianiſtæ, Euthyehitæ, Caniſtæ & cætera eiuſmodi portenta, de quibus agit Theodoret. *lib. Hæret. Fabular.* in Simone primum damnauit in Samaria Petrus, & deinde Romam vt cum illo pugnaret venit, vt ait Hieron. *lib. de ſcriptorib. Eccleſ.* ibique ſua oratione volantem præcipitem egit; Paulus Elymam Magum, qui Pauli Proconſulis conuerſioni obſiſtebat cæcitate percutit. Idem *Epiſt.* 1. *ad Timoth. c.* 1. Himenæum, & Alexandrum, qui Blaſphemabant hæretica docendo, damnat, & vt eos euitet, monet, vt & alios qui venturi erant qui prohiberent nubere, & docerent abſtinere à cibis quos Chryſ. *hom.* 1. *in eandem Epiſt.* Suſpicatur fuiſſe Encratitas, Marcionitas & Manicheos, eos enim hæc docuiſſe teſtis eſt qui tunc viuebat Ignat. *Epiſt. ad Philipp.* & *Epiſt. ad Heronem.* Iiſdem Saturninum & eius Gregarios annuerat Irenæ. *lib.* 1. *cap.* 22. Et deinceps Theodoret. *lib.* 1. *Hæret. Fabular.* Idem de Ebione habet Ignat. *Ep. ad Philippenſ.* Qui omnes iam à Paulo prædamnati habiti ſunt Hæretici, quod tamen ineptè nouatores ad ſua impia dogmata detorquent, vt aliàs videbimus. *Ep. ad Philippenſ. cap.* 3. Cauendos monet quoſdam Hæreticos quos vocat Inimicos Crucis Chriſti, qui nempè Chriſtum verè Crucifixum eſſe negabant, Imaginem eius Crucifigi Viſam, Chriſto ſubtracto. Primus fuit Simon Magus ex Irenæo, & Epiphanio, Cherintus Ieſum à Chriſto diuidebat, Ieſum paſſum eſſe ac reſurrexiſſe, Chriſtum impaſſibilem eſſe, Baſilides verò Ieſum transformaſſe ſuam

ſpeciem

ſpeciem in Simonem Cirenæum, qui pro eo fuerat Crucifixus Paulus *Epiſt. ad Colloſſenſ. cap.* 2. monet ne patiantur ſeduci in humilitate, & Religione Angelorum, notatque probabiliùs Cherinthum qui ſuper Chriſtum Angelos efferebat à quibus mundus conditus fuiſſet, atque Deum Hæbreorum vnum ex illis Angelis fuiſſe. Nicolaïtas, Helceſaitas, Millenarios, Carpoenthianos, & omnium turpiſſimos Gnoſticos, variaſque eorum infandas ſpecies, Valentinianos cum ſuis Aeonibus, Ophitas Caianos, Sethianos: Quiſnam amabò primum damnauit, niſi Romani Pontifices, neque enim alium ipſorum hæreſis Iudicem aſſignare poterunt aduerſarij: Marcionem ab Eccleſia Romana repulſum, cum ad eam ſe contuliſſet, ad impetrandam veniam commiſſi Stupri, propter quod expulſus fuerat ab Eccleſia, & excommunicatus à proprio Patre, illuſtris pietatis Epiſcopo, tradunt Tertullian. *lib. de præſcript. cap.* 3. Si & Epiphan. *hæreſ.* 42. Immò ſæpiùs veniſſe Romam & ibidem Palynodiam recantaſſe ſub variis Pontificibus oſtendit Baron. *ann. Chriſti* 146. *n.* 4. Cùm etiam Tertullian. dicat *lib. de præſcript. cap.* 30. Romæ in Catholicam credidiſſe & Philaſtri. *Hæreſ.* 40. narret in Aſia conuictum à S. Ioannis diſcipulis Romam veniſſe, vbi ſine dubio vt reciperetur, fidem Catholicam profeſſus eſt. Valentinus Hæreſiarcha Romam Hyg. Pontifice, ibique vſque ad Anicetum ex Irenæo *lib.* 3. *cap.* 4. atque etiam vſque ad Eleutherum ex Tertullian. *lib. de præſcript. cap.* 30. Cerdo quoque eodem Pontifice Hyg. Romam ſe contulit, vbi ſe pro Catholicis gerentes in communionem recepti ſunt, ſed deinde cognita ipſorum hæreſi ſæpius Exomologeſim fecere, ſed tandem ſæpius relapſi, penitus erecti ſunt, ab Eleuthero Pontifice, quod tradunt laudati authores Irenæ. *lib.* 1. *cap.* 28. *& lib.* 3. *cap.* 4. & Tertullian. *cap.* 30. *cit. lib. de præſcript.* Montanus Hæreſiarcha Romam quoque appulit, pacificaſque illi à Romano Pontifice literas dedit, ſed reuocauit, monitus à Praxea, tunc Catholico de erroribus, quos in Aſia ſeminauerat, continuò ſuas literas reuocauit, qua de cauſa Tertullianus iam Montaniſta commotus vehementer eſt aduerſus eundem Praxeam *lib. aduerſus* illum *cap.* 1. Nam idem tunc Epiſcopum Romanum agnoſcentem iam Prophetias Montani Priſcillæ, Maximillæ, & ex ea agnitione pacem Eccleſiis Aſiæ, & Phrigiæ inferentem, falſa de ipſis Prophetis & Eccleſiis eorum adſeuerando, & prædeceſſorum eius authoritates defendendo coëgit, & literas pacis reuocare iam emiſſas, & à propoſito recipiendorum chariſmatum permittere, in quibus verbis ſapienter obſeruant Rhenanus & Panioclius Tertullianum non dicere Romanum Epiſcopum montanizaſſe, vti fingunt Nouatores ſed agnouiſſe Prophetias Montani, qui ſimulata pietate Prophetiæ etiam fictum Spiritum occultabat, ſed monitum de eius impia doctrina ab homine etiam non bono, quia & alia delirabat, de quibus Baron. *anno Chriſti* 173. reuocaſſe pacificas, ac demùm Prophetas Inſanos damnaſſe. Tatianus ex Platonico Philoſopho Chriſtianus Iuſtini diſcipulus quandiù Romæ vixit, conſtans in fide manſit, neque hæreſes docere auſus eſt, quare vt liberiùs ſua ſenſa exprom̃eret in Orientem profectus, errores Valentini Antiochiæ, & in Cilicia docuit, factuſque eſt Encratitarum author ex Irenæo *libro primo capite tertio.* Epiphan. *hæreſ. quadrageſima ſexta.* Et aliis, veritus nimirùm ne Romæ damnatus, alibi fidem non reperiret; Bardeſanes vir quondam doctrina inſignis, quandiu etiam Romæ vixit, fidem validiſſimè contra Chalcedonium Stoicum Marco Aurelio Imperatori Percharum propugnauit, inde digreſſus in Valentini hæreſim varioſque alios errores incidit, quos tamen Romæ ſpargere non eſt auſus, de illo eiuſque diſcipulis, atque impiis dogmatibus fuſiùs Baron. *anno Chriſti* 175. Theodotum Biſantinum, Coriarium cum præ pudore gentilium ſuorum ob Chriſtum negatum in perſecutione Marci Aurelij Romam confugiſſet, ibique illi ſcelus idem exprobaretur in ſui defenſionem, Cerinthi & Ebionis hæreſim innouaſſet, diceretque ſe hominem negaſſe, non Deum victor Pontifex ex Eccleſia eiecit Theodoret. *lib.* 2. *hæretic. fabul. Euſeb. lib.* 5. *hiſt. cap.* 17. fuit & alter Theodotus, cuius meminit quoque Tertullian. *cap. vlt. de præſcript.* qui Chriſtum hominem & inferiorem Melchiſedecho dixit, erupit ſub Victore ex Argentario ſiue Trapizita, Doctor & Hæreſiarcha ſubitò factus ex Euſeb. *lib.* 5. *cap.* 27. *& Theod. lib.* 2. *hæret. fabul.* quem ab eodem Victore ſicut & alium illum Theodotum Coriarium damnatum nemo dubitet. Artemon etiam hæreſim contra diuinitatem innouauit ſub Victore, ſed ab eius ſucceſſore Zephirino damnatus eſt, ſicut & Prax. qui vt iam monui à ſecta montani deciſcens Romanum Pontificem de Montani erroribus docuit, ipſe tandem à Zephirino damnatus *ex optat. lib.* 1. *aduerſ. Parmenian.* ſuperiùs quoque monuimus Quarto decim. Victorem damnaſſe, quod qua ratione contigerit explicandum videtur ſub *Pio* 1. Pontifice exorta primum eſt controuerſia de die celebrandi Paſchatis, an decima quarta luna in quemcumque diem incidiſſet; an die dumtaxat Dominico poſt decimam quartam Lunam, quæ cùm iterùm in Aſia ſub Victore excitata eſſet, plurima eam in rem celebrata ſunt Concilia, tum Romæ à Victore, tum in Palæſtina à Theophilo Cœſarienſi Metropolitano, & Narciſſo Hieroſolymorum Epiſcopo, in Ponto à palma Epiſcopo, in Galliis Lugduni ab Irenæo, in Græcia à Bachillo Corinthio, in prouincia Oſrœna atque alibi vt ait Euſeb. *lib.* 5. *hiſt. cap.* 22. quæ omnia Concilia Romani Pontificis authoritate facta colliges ex Beda, qui in commentario de Æquinoctio vernali, vbi ex actis Synodi Palæſtinæ diſertis verbis, aſſerit Victorem ad Theophilum Cæſarienſem direxiſſe authoritatem ſuam ad eiuſmodi Synodum cogendam, vt ea de re cùm cæteris Epiſcopis deliberaret. Conſtat deinde eiuſdem Victoris authoritate Aſianos Epiſcopos à Polycrate Epheſino Epiſcopo coactos, quod eiuſdem Polycratis Literæ ad victorem redditæ teſtantur, ac compertùm faciunto mnibus ea de re dubitantibus apud Euſeb. *lib.* 5. *cap.* 23. tandem cum Aſiani Epiſcopi traditionem Ioannis Euangeliſtæ de ceremonis agni, ſeu de celebrando Paſchate, quartadecima luna in quamcumque diem incidiſſet, Victoris aliarumque quam plurimarum celeberrimarum & antiquarum Synodorum iudicio obſtinatè reſiſterent. Victor totius Aſiæ Eccleſias, aliáſque finitimas Literis grauiter obiurgatas tanquàm alterius fidei & opinionis ab Eccleſiæ communione ſecludendas edixit vti habet Euſeb. *lib. quinto cit. capit. vigeſimo quarto.* Quare à pluribus, & ab ipſo Irenæo nimiæ ſeueritatis reprehenſus & accuſatus eſt, Literis quas recitat Euſeb. *capit. vigeſimoquinto* eo-quod victoris prædeceſſores Romani Pontifices aliis, qui eum ritum & illam cerimoniam obſeruaſſent, conſueſſent tamen Euchariſtiam mittere, quam communionem ipſe negabat & nullo modo volebat admittere; vbi obſerua, neque Irenæum, neque illum alium

alium tunc temporis etiam Schiſmaticum dubitaſſe, aut quæſtionem mouiſſe de defectu poteſtatis Pontificiæ, ſed de nimia tantum ſeueritate, quod pati nollet ritum quem prædeceſſores toleraſſent, quique ad fidem minimè pertinere videbatur, ac proinde videri minùs æquè & rectè feciſſe. Verùm non alia de cauſa ad hanc ſeueritatem impulſus eſt victor, quam quia hac Romani Pontificis veteri indulgentia nonnulli vtebantur ad adſtruandam ſuam hæreſim. Nam Montaniſtæ, qui vt ait Pacianus. *Epiſt. ad ſymphoni de nomine Catholici*, tùnc in Aſia inualuerant contendebant decima quarta luna celebrandum Paſcha, qui ſecùs facerent erroris, & hæreſis damnabant. Blaſtus quoque Romanæ Eccleſiæ Presbyter eadem ratione Iudaïſmum inducere latenter voluit, quod teſtatur Tertullian. *lib. de præſcript. cap.53.* quique tandem cùm ſe impeti videret, ab Eccleſia ſe auulſit, pluribus aliis ſeductis. Cum igitur hæc ſententia plurium Schiſmati faueret, viſum eſt Victori Pontifici duriori ad vlcus iſtud Sanandum vti remedio, maximè cum Aſiani quondam ex quadam indulgentia ritum illum ſeruarent. Iſti verò ex neceſſitate faciendum eſſe ſentirent. Ne igitur in occidentem ſerperet eiuſmodi error, monuit Victor vt omnes in antiqua traditione permanerent, quod conſtat ex eius Litteris ad deſiderium & Paracodam Viennenſes Epiſcopos, & per eos ad vniuerſam Galliam datis. Natalius olim Confeſſor, ſed deinde pecunia corruptus factus Theodotianorum Epiſcopus; ſui compos redditus Cilicio & Sacco indutus, & cineribus adſperſus ad Zephirini Pontificis pedes abiectus patrari ſceleris veniam petiit ex Euſebio *lib.5. cap.* 27. Eaque fuit conſuetudo vt Hereſiarchæ pœnitentes à Romano Pontifice Catholicam communionem acciperent. Idem Zephirinus aduerſus omnes Pſeudo prophetiæ defenſores, ipſúmque Tertullianum Anathema pronuntiauit quod ſcribit Euſeb. *lib.6. hiſt.cap.*14. Poſtquam Caius coram ipſo Proclum & Cataphrygas conuicit, cui Zephirini ſententiæ, varia deinde Conſilia adhæſerunt Fabianus Pontifex quendam priuatum Hæreticum à nonaginta Epiſcopis Africanis in Concilio apud Lambeſitanam Coloniam damnatum, ſuis Litteris infamia notatum Eccleſiaſtica communione priuauit, quod & fecit Donatus Carthaginenſis quod teſtatur Cyprian. *Epiſt. 55. ad Cornel.* quem monet eundem priuatum veniſſe ad Synodum Chartaginenſem Idibus Maij habitam, quæ fuit ſecunda à reditu Cypriani, vt ſe purgaret. & iniquè damnatum doceret, ſed fuiſſe rejectum, & non auditum: Cur amabò Origenes iam damnatus Romam venit imperante Philippo, quod teſtatur Pophyrius in vita plotini, cum quo congreſſum eſſe Origenem dicit, niſi quia Fabianus illum ad dicendum cauſam vocauit, aut cum non admiſiſſet ſcriptam, vulgatamque ab eo fidei profeſſionem ſpontè ipſe Romam ſe contulit, vt ſe Pontifici purgaret, acceptaque ab eo communione damnationis ſententiam eluderet, & catholicum ſe probaret ſententiam de rebaptiſandis hæreticis tot Conciliorum Africanorum authoritate, Cypriani & firmiliani conatibus immenſis firmatam vnus, quod nuper monebamus, Stephanus R. Pontifex tanquam erroneam antiquæ traditioni aduerſariam, & denique hæreticam damnauit, eique tandem totus Orbis adhæſit, & quamplures etiam Epiſcopi Africani recantata Palinodia conſenſerunt. Audi enim nobiliſſimum ſcriptorem Gallicanum Vincentium Lerinenſem *in commonitorio contra profanas nouitates hæreticorum: ſed ne longum fiat, vnum aliquid, & hoc ab Apoſtolica potiſſimum ſede ſumemus. Vt omnes luce clariùs videant Beatorum Apoſtolorum beata ſucceſſio, quanta vi ſemper, quanto ſtudio, quanta contentione defenderit ſuſcepta ſemel Religionis integritatem. Quondam igitur venerabilis memoriæ Agrippinus Carthaginenſis Epiſcopus, primus omnium mortalium contra diuinum Canonem contra vniuerſalis Eccleſiæ regulam, contra ſenſum omnium conſacerdotum, contra morem, atque inſtituta maiorum rebaptiſandum eſſe cenſebat, quæ præſumptio tantum mali inuehit, vt non ſolùm hæreticis omnibus formam ſacrilegij, ſed etiam quibuſdam Catholicis occaſionem præberet erroris. Cum ergo vndique ad nouitatem rei cuncti reclamarent, atque omnes quapia verſum Sacerdotes pro ſuo quiſque ſtudio reniterentur: Tunc Beatæ memoriæ Papa Stephanus Apoſtolicæ Sedis Antiſtes cum cæteris quidem Collegis ſuis, ſed tamen præ cæteris reſtitit, dignum vt opinor exiſtimans, ſic reliquos omnes tantum fidei deuotione vincere, quantum loci authoritate ſuperabat. Denique in Epiſtola quæ tunc in Africam miſſa eſt, his verbis ſanxit. Nihil nouandum niſi quod traditum eſt, intelligebat enim vir Sanctus & prudens, nihil aliud rationem pietatis admittere, niſi vt omnia, quæ fide à Patribus ſuſcepta forent, eadem fide filiis conſignarentur, noſque Religionem non qua vellemus ducere, ſed potius quæ illa duceret, ſequi oportere, idque eſſe proprium Chriſtianæ modeſtiæ & Grauitatis non ſua poſteris tradere, ſed à majoribus accepta ſeruare: Quis ergo hunc vniuerſi negotij exitus? Quis vtique, niſi vſitatus & ſolitus? Retenta eſt ſcilicet antiquitas, exploſa nouitas. Sed fortè tunc ipſi nouitiæ adinuentioni Patrocinia defuerunt: Immò verò tanta vis Ingenij adfuit, tanta eloquentiæ flumina, tantus ad Sertorum numerus, tanta veri ſimilitudo, tanta diuinæ legis Oracula, ſed plenè nouo, ac malo more intellecta, vt mihi omnis illa conſpiratio nullomodo deſtrui potuiſſe videatur, niſi ſola tanti moliminis cauſa ſuſcepta, ipſa defenſa, ipſa laudatæ nouitatis profeſſio deſtituiſſet. Quid poſtremò ipſius Africani Concilij ſiue decreti, quæ vires! donante Deo nulla, ſed vniuerſa tanquam ſomnia, tanquam fabulæ, tanquam ſuperflua, abolita, antiquata calcata ſunt & ô rerum mira conuerſio? Auctores eiuſdem opinionis Catholici, conſectatores Hæretici indicantur, &c.* Pergit enim oſtendere primos illius nouitatis auctores, tandem ſuum agnouiſſe errorem, quem eorum diſcipuli pertfractè tuiti ſunt, ideóque damnati tanquam Hæretici: agit de Cypriano qui videri potuerat tam obfirmatus in tuenda ſua aſſertione: Hæc tamen omnia vnius Stephani definitione. *Cum Sanxit nihil nouandum niſi quod traditum eſt.* Sedata protſus ſunt; ex quibus liquidò conſtat Romani Pontificis in iudicandis fidei controuerſiis ſumma, & vltima auctoritas, etiam contra Eccleſiarum aliarum ſenſum & decrera. Quare Stephano pro fide occiſo Dionyſius Alexandrinus pietate & Litteris illuſtris cum ſententiæ de rebaptiſandis Hæreticis adhæſiſſet cum fidelis quidam Baptiſari peteret eò-quod ab Hæreticis olim ritu non Catholico Baptiſatus fuit id facere non eſt auſus donec Sixtum II. Stephani ſucceſſorem conſuluiſſet. Litteris quarum fragmentum refert Euſeb. *lib. 7. hiſt. cap.8.*

Cum etiam apud Ptolemaidem Pentapolis Sabelliana hæreſis oriri cœpiſſet, & vtræque partes Dionyſium Alexandrinum conueniſſent, ipſéque de ea

contro

controuerſia fuſiùs ſcripſiſſet exemplaria ſuarum Litterarum ad Sixtum II. miſit R. P. ipſúmque conſuluit. Euſebius *libro ſeptimo citato capite quinto.* Verùm cum idem Dionyſius in iis quæ eruditè contra Sabellianos ſcripſit ad Ammonium & Euphranorem ſcripſiſſet, aliquid contra perſonas diuinas minus rectum dicere viſus eſſet, & perſonas non modo proprietatibus ſed & ſubſtantia diſtinguere, atque à Pentapolitanis quibuſdam ea de cauſa reus factus eſſet apud Romanum Pontificem Dionyſium, ipſi cognomenem, Synodus Romana iuſſit Alexandrinum ſuam ſententiam declarare, quod & fecit Apologia ad R. P. ſcripta qua calumniam diluit vti habet Athanaſ. Qui & eundem Dionyſium purgat *in lib. de Synodis*, & in *lib. de Sententia Dionyſij.* Paulus Samoſatenus, qui in priori Synodo Antiochena damnatus hæreſim ſuam docere pergeret, in poſteriori denuò damnatus & Epiſcopatu abdicatus, & ex Eccleſia expulſus eſt, qua de re ſtatim Synodus ad Dionyſium R. Pontif. Et maximum Alexandrinum Litteras dedit Synodicas. Quod ait Athanaſ. *lib. de Synod. & Euſeb. libro ſeptimo cap.* 25. Vbi partem earum Litterarum quibus Pauli non modo errores, ſed turpiſſimi mores, & alia eius flagitia deſcribuntur refert, additque, quod maximè obſeruandum eſt, cum Paulus ita ſententia Synodi damnatus, domo Epiſcopali exire nollet, interpellatum fuiſſe Aurelianum Imperatorem, qui reſpondit eam tradendam Paulo Domum Eccleſiæ, quam Italiæ Sacerdotes & Romanus Pontifex tribuendam præſcriberent. Atque ita demum Paulus eiectus eſt. Nimirùm Dionyſius Romanus Pontifex iam Romæ Synodum conuocarat, & Paulum damnarat; quare quod illa Synodus cum Romano Pontifice contra Paulum decreuerat, ſeruandum eſſe edixit Imperator, qui licèt Ethnicus & Chriſtiani nominis perſequtor, nouerat quanta eſſet Romani Pontificis in Eccleſiis authoritas, & quantum Synod. Antiochenæ quamvis frequentiſſimæ præemineret. Demum S. Sylueſter poſt Conſtantini Baptiſmum Synodum colligit in Thermis Trajani ducentorum octoginta quatuor Epiſcoporum, vt habent acta, vel vt habet Romana collectio ducentorum triginta, ex variis occidentis partibus. Nam in illis ne vnus quidem Græcus recenſetur. Initio porrò Synodi prælocutus Sylueſter damnauit Hyppolitum Diaconum Valentinæ hæreſis ſectatorem, Callixtum Sabellianum, Victorium Epiſcopum, qui receptos Eccleſiæ Paſchales Cyclos rejiciebat, non tamen Pictauienſem, vt malè aliqui addiderunt, fuit enim ille acerrimus hoſtis Hæreticorum, vt teſtatur Optatus *libro primo.* Et ſub Diocletiano inclytus Martyr. Neque etiam fuit Victorinus ſiue potiùs Victorius, cuius meminit Gennadius *cap.* 88. *de viris illuſtrib.* qui hortatu Hilar. Papæ Cyclos Paſchales poſt Proſperum proſequutus eſt. Huius Victorini à Sylueſtro damnati, ſicut & Hyppoliti & Call. ſola nomina tenemus. De hæreſi verò Arriana quæ tunc Orientem concitarat, nulla in ea Synodo facta eſt mentio, ſed eius cauſa in ſequens Concilium Generale, de quo tunc conuenit inter Sylueſtrum & Conſtantinum, qui eidem Synodo Romanæ vna cum matre Helena interfuit, dilata eſt. Ex hac porrò fuſiori enumeratione. Vides Romanum Pontificem fidei controuerſias definiuiſſe & hæreſes damnaſſe ſine Concilio Generali. Tum antequam illa cœperint celebrari, tum etiam poſtea. Et ſanè cum pauca omninò fuerint Concilia Generalia & infinitæ propè hæreſ. illas damnatas omninò fuiſſe abſque Concilio Generali neceſſe omninò eſt.

4. Omnes iſtæ definitiones & damnationes Pontificiæ ab omnibus Catholicis ſtatim receptæ ſunt, & ſi qui Catholici vt Cyprianus de *iterati Baptiſmi*, Hæreticorum damnatione, initio obſiſtere viſi ſunt, tandem acquieuere, & definitioni Romanæ conſenſerunt. Hæreſes quoque damnatæ, perpetuò pro damnatis habitæ ſunt; proferant enim vel vnum exemplum aduerſarij alicuius hæreſis à Pontifice Romano damnatæ, quæ deinde malè damnata habita fuerit: Immò ne quidem deinde Concilia Generalia vllam prædamnatam hæreſim pro Catholica aſſertione habuerunt, aut an verè & legitimè damnata fuiſſet quæſierunt, ſed eius damnationem omni teſtimoniorum genere comprobatunt, *vt ſtatim fuſius oſtendam.* 22

§. VIII.

Communicatio fidei cum Romano Pontifice habita, perpetuò eſt certa nota Catholiciſmi.

5. Hinc factum vt communicatio cum Eccleſia Romana, vel eius Pontifice haberetur pro nota indubitata Catholicæ fidei, ideóque illam Hæretici ſuffurari conarentur omnibus artibus, vt hæreſis infamiam vitarent, haberentúrque pro Catholicis. Quod de Nouato, Nouatiano, Marcione, Montano, aliiſque Hæreticis qui Romam adierunt, notiſſimum eſt, ipſique Donatiſtæ non modo Schiſmatici, ſed etiam Hæretici facti, Romam Sylueſtri Papæ temporibus miſerunt Victorem quendam Garbienſem qui ibi Epiſcopum ageret, vt habentes Romæ Epiſcopum Catholici nomen aucuparentur; cui alij quoque ſucceſſiue ſuffuti ſunt ad vſque tempora Optat: *libro primo aduerſ. Parmen.* ij verò vel ex Africa mittebantur ordinati, vel alij Epiſcopi Donatiſtæ ad eum ordinandum Romam mittebantur, ex Auguſt. *lib. de hæreſib. cap.* 69. Nunquam tamen niſi Afros ordinare potuerunt, cum nullos alios ſectatios etiam Romæ haberent. Hanc porrò ſubdolam artem Auguſt. *Epiſt.* 163. *&* 165. Et Optatus inde potiſſimum impugnarunt, quod licet Romæ ſe Epiſcopum habere iactarent, nullam tamen à Petri Cathedra ſucceſſionem ſortiri conſtaret. 23

Eadem de cauſa formatæ Litteræ, quibus vnitatem Eccleſiæ Catholicæ, & cum illa communionem teſtabantur, vt docent Optatus *libro ſecundo.* Et Auguſt. *Epiſt.* 163. Quæ & idcircò communicatoriæ dicuntur ab Auguſt. *ibid.* Et Canonicæ ab Attico Eccleſiaſticæ & Pacificæ à Theophilo Alexand. Sic ex Concilij Nicœni decreto exprimebantur, vt ex nominibus Patris & Filij & Spiritus Sancti, atque Petri Apoſtoli prima elementa Græca ſumerentur, & ex nomine eius qui Litteram ſcriberet, primum item elementum eius cui ſcriberetur, ſecundum cui deferenda traderetur, tertium, ciuitatis ex qua ſcriberetur, quartum atque ex harum omnium Litterarum numeris cum numero currentis indictionis, & Litterarum vocis ἀμὴν in vnum ductis ſecundum valorem, quem apud Græcos exprimunt, collecta ſumma apponeretur Epiſtolæ. Et quia facilè fuiſſet cuivis eiuſmodi in iiſdem numeris & elementis, formatam confingere probabilius videtur eam formulam non fuiſſe

fuiſſe ſcripto communicatam, ſed apud Catholicos Epiſcopos ſecretam manſiſſe. In primis igitur elementis formatæ tres perſonæ Trinitatis, quodam Symbolo exprimebantur, eiúſque fidei Sanctiſſimæ profeſſio: Primum quóque elementum nominis Petri addebatur vt cum catholica, & vera Eccleſia communicatio, ſiue cum ſede & cathedra B. Petri in qua vigeret totius Catholicæ Eccleſiæ Principatus, & ille probaretur verè eſſe Catholicus, qui Petri ſucceſſori fide coniunctus foret & communione, quo argumento Optatus *libro ſecundo*, ſe Catholicum oſtendit aduerſus Donatiſtas Schiſmaticos. Harum formatarum deſcriptionem habet Iuo *ſexto p. decreti cap.* 433. cui geminum illarum exemplar ſubjicit in Concilio Africano ſiue carthaginenſi Sancitum eſt *can. ſexageſimo ſecundo & ſeptuageſimo tertio.* Vt quicumque ad Comitatum ire vellent formulam acciperent ad Romanum Pontificem & ab illo aliam ad Imperatorem. Ne Hæretici Catholico nomine tegerentur. Præceptum prætereà eſt, vt in formatis dies paſchæ illius anni apponeretur, aut ſi nondum de illo conſtaret, quia nondum fuiſſet indictus, apponeretur dies Paſchæ anni præteriti, ſcilicet poſt diem Paſchæ, ſicut in actis publicis interdum adſcribebatur poſt conſulatum talis.

§. IX.

Subiectio Romani Pontificis iudicio notam hæreſis diluit.

24 6. Denique quandiù noui aliqui Dogmatiſtæ ſua & omnia dicta R. P. cenſuræ habuere, non ſunt habiti Hæretici, niſi materialiter, licet falſa docerent, neque vt tales damnati; quare vt eiuſmodi damnationem eluderent, eadem arte ſuas opiniones Iudicio Sedis Apoſtolicæ, qua ſæpiùs eius communionem ſuffurabantur, vt minùs cautis imponerent, & notam peruicaciæ, quæ eſt character hæreſeos, vt diſſerunt Etherius & Beatus, diſputantes contra Elipandum *libro primo.* Nam dum quis ſubjicit ſententiam ſuam Eccleſiæ paratus illam abjicere, vbi ille dixerit, quid tenendum, vel non tenendum. Sit Hereticus & peruicax dici nequit, vt probat S. Thom. 2. 2. *queſt. decima articulo ſecundo ad tertium*, ex Auguſt. *Ep.* 162. Id verò præſtat dum capitis Eccleſiæ iudicio ſua omnia commenta addicit, vti tradunt Gerſo. *Opuſc. de proteſtatione parte prima.* Caſtro *libro primo de Iuſt. Haret. punit. cap.* 11. Simancas *in Catholicis Inſtitutio.* Aliique à Pegna adducti. 1. *par. directorij quæſt.* 12. Et quamvis adeſſet craſſa ignorantia, quæ grauem culpam non excluderet, hæreſim tamen excluderet, quia non adeſt oppoſitio contra Eccleſiæ ſenſum & propoſitionem, proindéque caret pernicacia hæreſ. vt dixi intrinſeca ita paſſim omnes apud Sanch. *libro ſecundo in decalog. capite ſeptimo, numero vigeſimo.* Quare facundus *libro decimo pro tribus capite ſecundo.* Theodorum Mepſuettenum negat fuiſſe Hæreticum, cum paratus ſemper fuerit corrigi; Idcóque Vincentius Lirin. *in commonitione, capite vndecimo.* Sapienter obſeruat primum alicuius ſectæ auctorem potuiſſe eſſe non Hæreticum defectu peruicaciæ, & quod corrigi paratus eſſet ab Eccleſia, eius tamen ſectatores qui cum pertinacia illius opinioni adhærent, verè propriè & formaliter Hæreticos eſſe, quod oſtendit in Cypriano, & eius ſectatoribus: *O rerum* inquit *mira conuerſio. Authores eiuſdem opinionis Catholici: Conſectatores verò Hæretici iudicantur, abſoluuntur Magiſtri, condemnantur diſcipuli, conſcriptores librorum filij Regni erunt, aſſertores verò gehenna ſuſcipiet. Nam quis illud Sanctorum omnium & Epiſcoporum, & Martyrum lumen, Beatiſſimum Cyprianum cum cæteris Collegis ſuis in æternum dubitet regnaturum eſſe cum Chriſto, aut quis contra, tam ſacrilegus, qui Donatiſtas & cæteras peſtes, quæ illius authoritate conſilij rebaptiſare ſe iactitant in ſempiternum neget arſuros eſſe cum Diabolo,* cum Ioachim. Abbas quædam minùs recta de Trinitate docuiſſet, ita eius opinio damnata eſt ab Innocentio III. in Concilio Lateranenſi. *Vt ipſe* tamen ab hæreſi immunis dicitur. *Cum* inquit Innocent. *ipſe Ioachim. Omnia ſcripta ſua nobis aſſignari mandauerit, Apoſtolicæ ſedis iudicio approbanda ſeu corrigenda, dictans Epiſtolam, quam propria manu ſubſcripſit, in qua confitetur ſe illam fidem tenere, quam Romana tenet Eccleſia, quæ diſponente Deo cunctorum fidelium mater ac magiſtra eſt.* Vide Innocent. *libro decimo quarto. Regiſtri Epiſtola* 99. Quare Honorius III. Epiſcopum Lucanenſem arguit, qui Ioachimum hæreſis infamabat, eò-quod eius opinio damnata fuiſſet ab Innocentio, & Literis ad Archiepiſcopum Conſentinum, eundem Ioachimum Hæreticum negat, quod omnia ſua ſcripta Romani Pontificis iudicio aſſignarit. Quod etiam obſeruat S. Thomas exponens ſecundam decretalem. Quare neque quidquam eius Florenſi Monaſterio in Calabria conſtituto detrahi volunt Pontifices, quod eius fundatoris libellus fuiſſet in Concilio Generali damnatus. Vide hac de re Trithem. *libro de ſcriptorib. Eccleſiaſt.* Chronicon. *Hirſangienſe, pagina* 184. Matheum Pariſ. *in fine Henrici XI. Pegnam prima parte directorij.* Almaricus verò in eadem Decretal. Et Concilij Generalis capite damnatur, quod ad ſua dogmata, & hæreſim quam inſanam vocat Concilium, & quoad ſui memoriam de illius hæreſi Martinus Polonus in vita Innocentij III. Et Rigordus in Philippo Auguſto, vbi ait Almaricum licet in pace Eccleſiæ, vt putabatur, ſepultum fuiſſe ab Vniuerſo Concilio Pariſiis ſub Philippo Auguſto coacto, etiam poſt mortem excommunicatum, & damnatum, & à cœmeterio ſacro deiectum, & oſſa eius ac cineres per ſterquilinia diſperſa. Eius verò ſequaces fuiſſe combuſtos, parcitum tamen mulieribus & ſimplicibus. Idem habet Robertus Monachus in Chronico Altiſiodorenſi ad ann. 1211. Cæſarius Monachus Helbeſtatenſis *dialogorum libro quinto capite vigeſimo ſecundo*, ex quo Bzouius *ad ann.* 1209. *numero vndecimo.* Vincent. Bellouocenſis ſpeculi Hiſtorialis *libro vigeſimo nono capite* 107. Hæc igitur ſubiectio ſuorum dictorum Romanæ ſedi excuſat ab hæreſi, ideóque illam plerique ſcriptores vſurpare ſoliti ſunt: Sic Durandus *præfatione in commentarios ad magiſtrum ſentent.* Sic ſcribit, *quia interpretatio dubiorum S. Scripturæ ad S. Eccleſiam Romanam & Catholicam pertinet omnia opera noſtra, huius libri & ſequentium eius Correctioni totaliter ſupponimus, vtpotè quia pueritia in fide, & obedientia Romanæ Eccleſiæ nutriti ſumus, & in Romana Curia in Scholis Sacri Palatij veritatem S. Scripturæ docuimus, & per ſedem Apoſtolicam ad Epiſcopalem dignitatem, quamvis immeriti prouecti ſumus.* Quibus ſimilia habet in *fine lib.* 4. *ſentent.* Eáque de cauſa licet circa negationem immediati concurſus Dei cum creaturis circa quantitatem Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ, & alia quædam errare videri potuerit, nunquam tamen Hæreticus audiit

diit ſimili ratione, quamvis Pius quintus, & Gregorius Decimus-tertius Michaëlis Baij Louanienſis Academiæ Decani & Philippi II. Hiſpani in Concilio Tridentino Theologi propoſitiones in rigore & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento hæreticas erroneas, ſuſpectas, temerarias, ſcandaloſas & in aures pias offenſionem immittentes damnauerint, & earum deinceps propugnatores excommunicarint; Baij tamen nomini parcitum eſt, quia ſua omnia ſenſa ſemper ſubiecit Eccleſiæ, & miſſo ad ipſum à Pontifice Franciſco Toleto nondum Cardinali, ab eoque monitus humillimè Pontificis iudicio & monitis acquieuit, vti narrat Spond. *ad ann.* 1580. Idem præſtitit Ianſenius vt hæretici notam effugeret, proteſtaturque *tom.* 2. *lib.* 1. *cap.* 9. Sibi conſtitutum eſſe ſenſuum ſuorum vſque ad extremum ſpiritum ducem ſequi Romanam Eccleſiam, & Beatiſſimi Petri in Romana ſede ſucceſſorem, additque. Quicumque cum eo non colligit ſpargit; apud eum ſolum incorrupta Patrum ſeruatur hæreditas. Quodcumque ab iſta Petri Cathedra, in cuius communione à teneris vixi, & porrò viuere ac mori fixum eſt; ab iſto Chriſti Domini noſtri Vicario, ab iſto Eccleſiæ Chriſtianæ vniuerſæ capite, moderatore Pontifice præſcriptum fuerit teneo: *quidquid improbatum, improbo, damnatum damno, anathematiſatum, anathematiſo, ſimilia* ſcribit *lib.* 10. *de gratia Chriſti in Epilogo*: quòd ſi verè ſcripſit Ianſenius, & non ſubdole, non erit formaliter Hæreticus, ſed materialiter tantùm propter eius propoſitiones, & dogmata damnata à ſede Apoſtolica, fuit tamen frequens illa fraus Hæreticorum, vt fictis eiuſmodi proteſtationibus Catholicis, ipſique Eccleſiæ illuderent: Nam Pelagius in ſuo Symbolo ad Innocentium primum quod mendosè tanquam Hieronymi ad Damaſum refertur, inter eius opera *tom.* 9. ſubmittit ſuam fidem Pontificis iudicio, illi ſtare paratus, de qua Pelagij fraude expoſtulat Auguſt. *lib. de gratia Chriſti capit.* 30. *& ſeq.* Cœleſt. Pelagij Symmiſta ſimili arte Zozimum fallere tentauit, dixit enim ſe paratum errorem corrigere, & Literis Innocentij conſentire: quare deluſus Zozimus voluntatem illam approbans pro eo ſcripſit, vt teſtatur Auguſt. *lib.* 6. *in Iulian. cap.* 12. *& lib.* 2. *contra duas Epiſt. cap.* 3. atque facundus Hermian. *lib.* 7. *capit.* 3. vbi & alia Pontificum ea arte deluſorum exempla adducit, ſed deinde dolum aperuerunt PP. Africani Zozimo, qui eos tanquam Seuerius egiſſent cum Cœleſtio, qui ſe cum Innocentio conſenſiſſe teſtabatur, reſponderunt enim Patres ſub illa vniuerſali proteſtatione fraudem latere atque illam non ſufficere, niſi ſingillatim ſingula dogmata obiecta & damnata abiiceret, & damnaret cùm Innocentio; vide Auguſt. *lib.* 6. *in Iulian. cap.* 12. Et Baron. *an.* 417. Ipſe Lutherus non diſſimili fraude vſus eſt an. 1517. & 1519. S. Hormiſda R. P. ſcribens ad Auitum Viennenſem de ſimulatione & fictione Græcorum, qui Romanæ Eccleſiæ inhætere ſe velle dicerent, ſic ſcribit. *Quantum & Græcos ore potius proferuntur pacis vota, quàm pectore, & loquuntur magis iuſta, quàm faciunt: verbis velle iactant, quod operibus nolle declarant: quæ fuerint profeſſi negligunt: quæ damnauerint hæc ſequuntur.* Vt videas ſolemne eſſe omnibus hæreticis profiteri ſe cum Eccleſia Romana, eiuſque Pontifice conſentire, eiuſque iudicio ſtare Paratos, vt Catholici audiant, & hæreſeos notam fugiant ac euitent, quod vtrum verè fecerit Ianſenius non inquiro. Eius certè Conſectatores vt loquitur Vincentius Lerinenſ. qui Pontificum damnationem contemnunt, & impia dogmata, licet ſæpiùs damnata præfractè tuentur; atque ad Concilium Generale in quo eorum cauſa diſceptetur, prouocant, infamiam Hæreſis non effugient, certum enim eſt ex antiquiſſima & ab ipſis etiam Hæreticis conceſſa regula conſenſionem & communionem doctrinæ cum R. Pontifice ſignum eſſe rectæ doctrinæ & Catholicæ, diſſenſionem autem, notam prauæ & Hæreticæ.

Probatum igitur eſt omni teſtimoniorum genere 25
Romanum Pontificem legitimum Petri ſucceſſorem, poteſtatem habere res controuerſas fidei definire; atque ita primam Iuris Eccleſiaſtici partem, quæ dogmata fidei & morum continet tradere, declarare & proponere ac demum conſtituere: qua voce non ſignificamus ipſum poſſe facere de fide, quod antea non erat aut nouos vt dicunt articulos fidei condere, ſed proponere & declarare de fide credendum, quod priùs non habebatur vt tale, & ſicut cum Lex poſitiua iubet, aut prohibet aliquid quod iure naturali præceptum aut prohibitum erat, dicitur Ius illud conſtituere poſitiuè, & nouam etiam obligationem inducere, ita cum aliquid quod de fide quidem erat, ſed non tamen vt tale adhuc credebatur, aut proponebatur eratque in controuerſia, definitur eſſe de fide à legitima poteſtate, iamque de fide eſt, dicitur conſtitui de fide minus fortaſſis propriè. Quare pars illa Iuris Eccleſiaſtici quæ dogmata complectitur, dicitur etiam conſtitui ab eo qui dogmata fidei declarat, definit, & proponit toti Eccleſiæ, ad eaque admittenda obligat. Verùm ne Hæreamus in vocibus.

§. X.

Obiectio ex comparatione cum aliis Patriarchis.

Aduerſus Catholicam iſtam & clarè probatam aſ- 26
ſertionem plurima objiciuntur. Atque imprimis quæſtiones quidem fidei referri ſolere ex antiquo more ad R. Pontificem, ipſumque errores & Hæreſes damnare. Verùm id illi ſingulare non eſſe. Nam etiam eiuſmodi controuerſiæ ad reliquos Patriarchas delatas eſſe, immò & ad alios Epiſcopos dum excitatæ eſſent in ſuis Diœceſibus, Patriarchalibus & Prouinciis, qui & ad ſe delatas opiniones damnarunt, vt videre eſt in Annalibus Eccleſiaſticis, nihil igitur eximium & ſingulare hoc loco, & in damnatione Hæreſum habet Romanus Pontifex.

Reſp. Plurimum hac in parte differre R. P. à cæteris etiam Patriarchis. Nam ad illum ex toto orbe terrarum & vniuerſa Eccleſia deferebantur eiuſmodi controuerſiæ, ſecundò ipſe etiam de opinionibus & erroribus ipſorum Patriarcharum iudicabat, & quod minùs rectum erat damnabat, cum ipſiſmet Patriarchis, licet ipſi in ſuæ perfidiæ defenſionem numeroſas aliquando Synodos conuocaſſent vt in Dioſcoro Alexandrino, Ioanne Antiocheno, Pyrrho, Sergio, Acacio Conſtantinopolitanis videre eſt, & in Conciliis Africanis quæ vnà cum Agrippino, & Cypriano VII. Epiſcopis Carthagin. rebaptiſandos Hæret. ad fidem conuerſos adſtruebant, & in damnatione quarto-decimanor. quos Vniuerſæ Aſianæ Eccleſiæ acriter defendebant, quos proinde Victor Romanus abſciderat.

Tertiò Ipſi etiam Epiſcopi & Patriarchæ ad Romanum Pontificem pro tuenda fide Catholica & dam-

natione Hæreſum, atque propriæ fidei defenſione prouocarunt, vt videmus in Athanaſio, Ioanne Chryſoſthomo & aliis eiuſmodi pluribus.

Quartò Denique iudicia reliquorum Epiſcoporum nunquam accepta ſunt tanquam definitiones vltimæ, ab ijſque aut ad Roman. Pontificem, aut ad Concilia prouocatum eſt, ipſique Hæretici vt ſe contra aliorum ſententias tuerentur, caſque eluderent, Romam nauigarunt, vt vel communionem cum ſede Apoſtolica ſuffurarentur, aut ea loci habitatione mentirentur, aut per impoſturas, Litteras commendatitias vel pacificas extorquerent, vt Cyprianus & alij queruntur.

§. XI.

Errores Romanis Pontificibus falsò obiecti diluuntur.

27 Obijcies 1. Iudicium vltimum & definitiuum non poſſe tribui Romano Pontifici eiuſque Cathedræ, qui ſæpius in cauſa fidei ſicut & alij quidam Patriarchæ errauerit, vt videmus in Liberio Anaſtaſio II. Agapito, Honorio I. S. Zacharia Ioann. XXII. Et aliis, de aliarum omnium ſedium Patriarchalium Antiſtibus, erroribus & hæreſ. damnatis certiſſima res eſt, & omnium iudicio comprobata. Nam inter Alexandrinos notati ſunt Gregorius, Georgius, Lucius Dioſcorus, Timotheus, Ælinus, Petrus Magus. Inter Antiochenos damnati ſunt Paulus, Samoſatenus, Eulalius, Euzoius, Ioannes, Dominus, Petrus Cnaphæus, Macarius. Inter Hieroſolymitanos Ioannes Origeniſta, Saluſtius Anſemus, Heraclius, Hilarius. Inter Conſtantinopolitanos, Macedonius, Acacius, Sergius, Pyrrhus, Paulus, Petrus, Anaſtaſius, quorum errores corrigit S. Leo IX. *Epiſt.* 1. *ad Michaëlem & Leonem*, ipſoſque etiam Hæreſiarchas Conſtantinopoli ſediſſe, iam-pridem Sanct. Gregor. *lib.* 4. *Epiſt.* 32. Obſeruauit: At verò Romana ſedes omnium iſtarum ſordium expers perpetuò fuit. Audi Hieronymum *Epiſt.* 58. ad Damaſum *profligato à ſobole mala, Patrimonio, apud vos ſolos incorrupta ſeruatur Patrum hæreditas ibi ceſſite terra fœcundo, Dominici ſeminis paritatem centeno fructu refert: Sic obruta ſulcis frumenta in lolium, auenaſque degenerant: Nunc in occidente ſol Iuſtitiæ oritur, in oriente autem Lucifer ille, qui ceciderat ſupra ſydera, poſuit thronum ſuum. Vos eſtis Lux mundi, vos ſal terræ, vos aurea vaſa, & argentea, hic teſtacea vaſa, vel lignea virgam ferream, & æternum operiantur incendium.* Et Theodoretus *Epiſt.* ad Renatum Presbyt. *Tenet ſancta iſta ſedes gubernacula regendarum cuncti orbis Eccleſiarum; cum propter alia, tum quia ſemper Hæretici fœtor' expers manſit, nec vllus vnquam qui contrarium ſentiret, in ea ſedit, quin potius Apoſtolicam gratiam, Petrum oſtendit.* Idque ipſum tam ſæpè Pontifices ipſi ſcribunt & de ea eximia Prærogatiua gloriantur: Lucius I. *Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ, & Hiſpan.* Agatho *Epiſt. ad ſextam Synodum*, alijque plurimi affero vnum Ioan. VIII. *Epiſt.* 75. *credimus quod tam vos non lateat nunquam Apoſtolicam Beati Petri ſedem ab aliis ſedibus reprehenſam, cum ipſa alias omnes & præcipuè Conſtantinopolitanam ſæpiſſimè reprehenderit, aut ab errore liberauerit, aut certè in iis ipſi reſipiſcere noluerunt, ſententiæ ſuæ iudicio condemnauerit.* Impudentiſſimæ verò & effrontis foret audaciæ Pontifices Romanos Palam in Literis etiam Synodalibus, quibus alios Patriarchas damnant Hæreſeos dicere, ſedem Romanam omnium errorum ſemper immunem extitiſſe, & traditionem Apoſtolicam illibatam ſeruaſſe, ſi illi ipſi quos damnabant potuiſſent in os ingerere eaſdem ſordes, quas ipſi exprobabant, quidni ipſi ad Concilium Generale à ſententia Cathedræ eodem vitio Laborantis prouocaſſent, quod ſanè non fecerunt.

Iam verò quam falsò Pontifices aliquot Romani ab Hæreticis accuſentur, hac in parte docuerunt viri eruditi. Nam Liberium labis Hæreticæ expertem Oſtendit Baron. *anno* 356. *&* 367. Sander *libro ſeptimo, viſil. Monarch. num.* 121. Cocc. *tom.* 1. *libro ſeptimo, art.* 11. Bellarm. *libro quartò, de Pontif. cap.* 19. Ex quibus paucis rem definio. Liberium ad Exilium vſque in fide conſtantem fuiſſe nemo negat, atque etiam dum poſt exilium ſedi ſuæ reſtitutus fuit: quare Ambroſ. *libro tertio, de Virginib.* Et Beatæ memoriæ & virum ſanctum nominat. Et Epiphan. Hæreſ. 75. in exilio tamen tædio laborum inflexum aliquid de fidei conſtantia remiſiſſe ſcribit Hieron. *in Chronico, & in Cathalogo in fortunatiano.* Damaſus in vita Liberij, & demùm Athanaſ. *in epiſt. ad Solitarios.* Videturque ſignificare Hilarius *in libro aduerſ. Conſtant.* cum eum ſic compellat. *Vertiſti deinde vſque ad Romam bellum tuum, eripuiſti illinc Epiſcopum, & ô te miſerum, qui neſcio vtrùm maiore impietate relegaueris quem remiſeris.* Quia nempè non remiſit, niſi vbi Arrianis conſenſiſſe viſus eſt. Dico verò, peccauit Liberius Imprimis damnationi Athanaſij ſubſcripſit: Præterea cum Arianis Communicauit & Confeſſioni Sirmienſi & Antiochenæ conſenſit, quæ duo perſuaſerunt Hieronymo ipſum à fidei conſtantia inflexum fuiſſe, & aliis Arianum factum fuiſſe, eò quod Athanaſius non niſi ab Arianis fidei cauſa damnatus eſſet. Atque in iis quidem duobus grauiſſimè peccaſſe non diffitemur, atque ſuſpicionem Hæreſis ſaltem externæ Catholicis præbuiſſe. Nunquam tamen vel verè Hæreticum fuiſſe vel Hæreſim docuiſſe contendo. Nam conſenſit in damnationem Athanaſij, quam non propter fidei cauſam, ſed plura alia crimina prætexebant, factam fuiſſe Arian. qui Authoritate imperatoris, & minis atque exilio Liberij conſenſum extorſerunt, abſque illo enim ſuos omnes conatus inutiles eſſe ſciebant. Quòd verò ſtudio pacis communicauerit Arianis, & Confeſſioni Sirmienſi contra Photinum *editæ*, & Confeſſioni Antiochenæ edictæ in Encæniis, vt narrant Sozomen. *libro quarto, capite* 14. *Et Nicephor. libro nono, capite* 37. non docuit Hæreſim, quamvis enim à prima illa fidei formula Sirmienſi contra Photinum edita abeſſet vox Conſubſtantialis & ὁμοούσιον, ſed vox ſimilis in ſubſtantia eius loco ſubſtituta, eæ tamen Catholicæ erant, vti exponit ipſemet Hilar. *libro de Synodis* atque ea ex parte Virgilius Epiſcopus Tridentinus. *libro quinto, aduerſus Emycheten.* Synodum Sirmienſem Catholicam eſſe agnouit, ipſeque Auguſt. *Epiſtol.* 174. reſcribens Paſcentium Comitem Arianum, ſuam fidem explicate, oſtenditque in Deo vnam naturam & vnam ſubſtantiam, licet non vtatur voce conſubſtantialis, aitque nomen Græcum Homōnſicum in ſcripturis non reperiri, ſed rem quæ illa voce ſignificatur. In omiſſione tamen illius vocis latebant artes & fraudes Arianorum, qui illam in ſuis ſymbolis omittebant, alia ſanè mente quam Catholici qui eiuſmodi ſymbola aliquando non rejecerunt, & Catholica dici poſſe exiſtimarunt vt modo ex Hilario referebamus. Præter hæc quod Sozomen. Et Niceph. addunt Liberium antequam Sirmio diſcedere rediiſſe confeſſio-

confeſſionem in qua excommunicauit eos omnes qui negarent filium Patri in ſubſtantia & in omnibus aliis fuiſſe ſimilem. Malè tamen tacuit vocem conſubſtantialis licet eam neque damnarit, neque ipſâ vti prohibuerit, in quo verè fuiſſet hæreticus. Quarè ipſi Magdeburſenſes *centuria 4. cap.* 10. in Liberio fatentur ipſum fuiſſe Nicænæ fidei profeſſorem conſtantiſſimum, & propugnatorem acerrimum, quod probant ex Epiſtola ipſius ad Athanaſium de Incarnatione, cuius plagulam referunt, in qua Sabellio & Ario anathema dicit & Trinitatis conſubſtantialit. pluribus verbis explicat, adducunt deindè eius fidei confeſſionem, quæ & habetur in Concilio, demùm pulſum fuiſſe in exilium quod in Concilio Mediolanenſi noluerit Conſtantio in proſcribendo Athanaſio conſentire, quod totum retulit ipſe Athanaſ. *Epiſt. ad ſolitarios* & Theodoretus *lib.2. cap.*16. quorum verba ſuæ centuriæ inſeruerunt: Denique an tædio exilij conſenſerit Arianis dicunt incertum eſſe, & illud ſe in medio relinquere, & quid ad finem vitæ redditus ſuæ ſedi fecerit, nunquam proditum eſſe ſi ſubſcripſit damnationi Athanaſij lingua vel manu potius quàm mente ſubſcripſit, ad extremum conſtantem in fide Nicæna manſiſſe quod Macedonianos Romanæ Eccleſiæ reconciliarit, quod Baſil. teſtatur *Epiſt.*74. & Epiphan. *hæreſ.*75. & alij. Denique de cauſis reuocati Liberij ab exilio diuerſis à ſubſcriptione damnationis Athanaſij ex antiquis agunt. Quæ omnia adduxiſſe voluimus hoc loco, vt videas etiam Authoribus heterodoxis in Romanos Pontifices parum æquis Liberium falsò affirmari fuiſſe hæreticum, aut hæreſim docuiſſe, & ſi quid peccauit, imprudenti cum Arrianis conſortio delusus ipſorum fallaciis peccauit. Ex quibus etiam vides Arianæ perfidiæ manum ſubdolam quæ in mutilato libello, de Synodo Ariminenſi nomine Liberij edito inſeruit Epiſtolam Liberij quæ Athanaſium, quod Romam acerſitus venire recuſaſſet à ſua communione reiicit, & è contrario Epiſcopos Orientales ſuſcipit, quas literas ipſo ferè ſuæ Sedis initio ſcriptas hic Fulſarius affirmat; ſed hic dolus euidentior eſt quam vt fuſiùs refutari debeat, atque hactenùs de Liberij fide orthodoxa.

Venio ad Fœlicem quem etiam Arianiſmi damnant ſed falsò, verùm quidem eſt illum ab Acacio Cæſarienſi in Paleſtina, cæteriſque Arianis in locum Liberij in exilium iuſſu Conſtantij amandati ſuffectum eſſe, ac proinde cum illis communicaſſe, & Athanaſij damnationi ſuſcripſiſſe, cum tamen aliunde Orthodoxam fidem profiteretur, atque hanc Fœlicis ordinationem ab Arianis factam antiquorum teſtimonio pro-
29 bat Baron. *an.*355.17. *num.* 10. Quod ſi fateamur nulla prorſus fuit eiuſmodi ordinatio vt vides; nimirum per vim & tumultum ab Hæreticis, viuente verò, & legitimo Pontifice facta. Itaque Romanus populus ſic electo Pontifici communicare noluit, neque Eccleſiam in qua ille eſſet ingredi vt ait Theodoret. *lib.2. cap.*27. Quod ſi dicas cum authore libri de Romanis Pontificib. Fœlicem electum eſſe à Concilio Sacerdotum, ipſomet procurante Liberio non potuit, niſi ad adminiſtrationem Eccleſiæ inſtar Vicarij aut Coëpiſcopi, viuente proprio & legitimo Pontifice, pro cauſa fidei exulante ſubſtitui. Toto igitur eo tempore Pontifex Romanus non fuit, & ſi quos id temporis commiſerit errores, cathedræ Petri iure obijci non poſſunt.

Vbi verò Liberius quacumque tandem ex cauſa in ſuam ſedem redire facultatem habuit, ſcripſit Conſtantius, & Epiſcopi Sirmij coacti ad Fœlicem & clerum Romanum, vt Liberium reciperent, & ambo ſimul Romanam Eccleſiam adminiſtrarent, vt ſcribit Sozomenus. Liber tamen de Romanis Pontificibus ſcribit ita decretam eſſe in Synodo Sirmiana Liberij reſtitutionem, vt Fœlix deponeretur & ab omni adminiſtratione ceſſaret: Quidquid verò hac de re ſtatuas. Liberius quaſi victor in vrbem intrauit vt ait Hieron: *in chronico.* Verùm ita à ſe omnium animos abalienatos reperit propter turpem cum Conſtantio conſenſionem, vt Fœlicem quem prius ab Arrianis electum horruiſſent, tunc fidem aduerſus Liberij præuaricationem miris efferrent laudibus & ſequerentur; vndè magna facta eſt perturbatio & inter Liberianos ac Fœlicianos certamina & cædes vt ait Liber de Romanis Pontificib. tuncque Euſebij clerici Romani 14. Aug. martyrium contigit, vt habet Roman. Martyrolog. Ipſeque poſt paulò Fœlix cum Conſtantium hæreticum declaraſſet martyrium ſubiit, de quo cum diu dubitatum eſſet propter incertas veterum de eius exitu ſententias, iamque ageretur de eius nomine, aut ſaltem Martyrio expungenda ex Romano Martyrologio; contingit vt in Diaconia SS. Martyrum Coſmæ & Damiani effoſſa ſit arca marmorea; in cuius altero latere continebantur Reliquia SS. MM. Marci, Marcellini, & Tranquillini. In altero verò quòd interpoſita tabula lapidea diſtinguebatur corpus S. Fœlicis cum hac inſcriptione, *corpus S. Fœlicis Papæ & Martyris qui damnauit Conſtantium.* Ita refert Baron. *an.*357.*n.*18. vide de Fœlicis Martyrio Bellarm. *lib.4. de Pontif. c.*19. Ex his omnibus conſtat neque Liberium, neque fœlicem eius nominis ſecundũ fuiſſe Hæreticos & Arrianæ fidei ſectatores, quamvis Societate cum Arrianis non hæreſis quidem communicatione & Societate ſorderent. Quòd autem Hieronym. *in Chronico* ipſum Arianum vocat, aſſumentum eſt alicuius ſcioli, vt Marianus Victor. & Bellarm. *lib.4. de Pontif. cap.*19. obſeruant, cùm & veteres codices M. 56. ea voce careant, & Sophronij Græca tranſlatio nihil ſimile habeat, & denique Freculphus *lib.4. cap.*8. & Ado Vienn. *in Chronico* qui hunc locum ex Hieronymo verbatim referunt eadem voce abſtinuerint, & quis credat in hiſtoria tunc notiſſima Hieronymum & Ruffinum eiuſdem ætatis ſcriptores ita diuerſa ſentire & ſcribere vt Hieronym. Arianum dicat Fœlicem. Ruffinus verò *lib.2. hiſt. cap.*22. neget, ipſúmque ſequuti ſunt ipſi Centuriatores *Centuria 4. cap.* 10. *in Fœlice* 2. quamdiu Liber. Beroë in Thracia pro fidei confeſſione exulauit Fœlicem ei ſubſtitutum ſiue ab Arianis, ſiuè à Catholicis, non fuiſſe toto illo biennio verùm & legitimùm Pontificem Romanum 3. audita Liberij præuaricatione Pop. R. Et Sacerdotes elegiſſe Fœlicem qui pro Pontifice tunc ſe geſſit, quamvis propter vitioſum ingreſſum, aut intruſionem Optatus *lib.2. aduerſus parmen.* & Auguſt. *Ep.* 165. illum inter Romanos Pontifices minimè numerent, ſed ipſo omiſſo Liberio Damaſum ſubdant: Tunc verò Fœlix palam Arrianos abjecit, ipſúmque Conſtantinum excommunicauit, & damnauit, eáque de cauſa iuſſu impij Imperatoris capite minutus eſt. Defuncto Fœlice Liberius animoſior factus omnem cum Arianis communicationem abrupit, atque pro verò Pontifice ab omnibus agnitus eſt, & ad tollendum omne Schiſma; ordinatos à Fœlice in Clerum cum iiſdem ordinibus & honoribus recepit, atque ita factum eſt vnum Ouile, & vnus paſtor.

Liberio ſucceſſiſſe Leonem quendam in S. Hila- 30
rium parum æquum, quique effuſis viſceribus inſtar Arrij interierit diuinitùs punitus, referunt Centuriatores *l. c.* ex Conrado Hateſtatenſi in Chronico quod parùm prudenter in ſuum Speculum Hiſtoriale *lib.*14.

*cap.*23. *Vincentius Bell.* Congeſſit, cum eius fict. Leonis nullus antiquorum Chronologorum, aut Hiſtoricorum meminerit; certúmque ſit Leonem I. tempore Chalcedonenſis Concilij plurimis poſt annis vixiſſe.

31 Caluin. *lib.*4. *Inſtit. cap.*12. §.24. accuſat Siricium qui Epiſtola ad Himerium Epiſcopum Tarraconenſem matrimonium pollutionem vocauerit, ſed agit Syricius de matrimoniis illicitis, & coniugiis repetitis propter quæ pœnitentiam publicam egerant, vti ex ipſo Epiſtolæ textu ſapienter obſeruat Bellar. *lib.*4. *de Pont. cap.*10. *Bin. in notis ad eam Epiſt.*

32 Gratian. *diſt.*19. *cap. Ita dominus, & cap.*2. *Et cap. Anaſtaſius* accuſat Anaſtaſium II. quod ſerie conſenſu vniuerſæ Eccleſiæ communicauerit cum photino Diacono Theſſalonicenſi qui cum Acacio hæretico communicauerat 2. quod Acacium occultè reuocare voluerit, quem tamen Fœlix & Gelaſius damnarunt 3. quod Baptiſma, & ordines ab eodem Acacio collatos approbauerit, hiſque de cauſis diuinitùs à Deo percuſſum periiſſe. Hæc eadem obtrudunt Centuriatores *Centur.*6. *cap.*10. in Anaſtaſio.

Hanc Gratiani imperitiam caſtigant Albertus Pighius *lib.*4. *de Eccleſ. Hierarch. cap.*8. Couarr. *lib.*4. *variar. cap.*13. malitiam Centuriatorum Bellarm. *lib.*4. *de Pontifice cap.* 10. Et alij paſſim cum Baronio *an.*497. Nam Anaſtaſius ipſo ſui Pontificatus initio Legatos ad ſibi cognomine Imperatorem Anaſtaſium miſit pro pace Occidentalis & Orientalis Eccleſiæ, vt pacem conciliaret expuncto ex diphtychis Acacij nomine qui iam diù ante objerat, & quem proinde reuocare non poterat, iam mortuum tempore Fœlicis. Quin imò egit Anaſtaſius Imperator, vt feſtus vnus è legatis Pontificiis perſuaderet Pontificij ſubſcribere Zenonis Henotico, quod & ſe facturum perfide receperat, ſed Romam perueniens defunctum reperit Anaſtaſium Pontificem: Immò vbi innotuit Legatos Anaſtaſij Pontific. in Orientem miſſos ad pacem Eccleſiarum Conciliandam Apocriſiarij Alexandrini cum illis egerunt, vt in communionem Eccleſiæ Romanæ reciperentur, oblata fidei ſuæ profeſſione, ſed cum in ea ne quidem verbum facerent de Chalcedonenſi Synodo, & nomina Dioſcori, Timothæi, Æluri & Petri Magi in diphtychis retineri vellent, reiecti iure-meritò ſunt, vt videas quantum abfuerit Anaſtaſius à reuocando Acacio iam mortuo, qui de eius expungendo nomine egerit cum Anaſtaſio Imperatore in illa ipſa Epiſtola cuius fragmentum recitat. Neque minùs ineptè objicitur communicatio cum Photino, quæ alia non fuit, quàm quod Photinus contenderet vitioſam S. Leonis Epiſtolam, quam ex Archiuio Romano in ſuam integritatem reſtitui poſtularet, quod etiam hæretico negari non potuit; inſulsè deníque Gratian. *citata diſt.*19. *cap. Ita Dominus* objicit, quod in Epiſtola ad Anaſtaſium Imperatorem rata eſſe voluerit Baptiſmum & ordinationes ab Acacianis facta, cum id maximè Catholicum eſſet quoties in forma eſſentiali peccatum non fuit. Denique quod Gratian. dixit diuinitùs percuſſum Anaſtaſium iſta tentantem periiſſe, nihil facit aduerſariis. Inde enim apparet illum non fuiſſe Hæreticum externum & vt talem cognitum, & Deum ne fidem Romanæ ſedis inficeret hæreſi, ſubito eius interitu impediuiſſe. Cæterùm deluſus eſt Gratianus à libro de Romanis Pontificibus, à Laurentianis Schiſmaticis vitiato. Cum enim feſtus Legatus Anaſtaſij Pontificis Romam reuerſus ipſum obijſſe reperiiſſet; neque proinde ſubſcriptionem Henelici Zenonis ipſi perſuadere potuiſſet, conatus eſt illi ſufficere aliquem cui id ſuaderet, atque ita fidem Imperatori datam præſtaret. Quare vbi vidit Symmachum in Baſilica conſtantiniana legitimis ſuffragiis electum, ipſe pecunia & factione ſua Laurentium intruſit, quod Schiſma diutius durauit, ipſique Schiſmatici fabulas iſtas de Anaſtaſio ſparſerunt, quas imprudenter ſuis ſcriptis ex inani vulgi rumore Author libri de Romanis Pontificibus inſeruit, ex eóque Gratianus accepit, & Magdeburſenſes auidè ſcrutati ſunt.

Plurima etiam errata in antiquiores Pontifices 33 etiam Martyres objiciunt, quibus probant eos in fide erraſſe, & ne ipſi quidem Petro parcunt, eò quod & bis Chriſtum negarit, & gentes coëgerit Iudaizare, atque ita volunt mentitum eſſe Chriſtum, qui fidem Petri non defecturám promiſit, prǽterquàm quod Pontifex nondum erat, cum negauit, coactio verò illa gentium ad Iudaizandum falſa eſt, licet enim ipſe Iudaizarit cum Iudæis. Id tamen non edixit faciendum, & ille error non fuit prædicationis, ſed conuerſationis vt dixit Tertull. Sed de hoc facto fuſius egimus nuper. Linum proximum Petri ſucceſſorem Centuriatores Centur. 11. *lib.*2. *cap.*10. rident quod prohibuerit fœminas ingredi templum niſi linteis operto capite, quaſi id indignum eſſet Epiſcopali cura. Verùm quid in ea ſanctione edicitur contra fidem, id ne dignum fuit Apoſtolica cura. Et an non ridebunt Paulum qui 1. *Cor. cap.*11. iubet fœminas velato eſſe capite propter Angelos, quid metuebat Angelis: Paulus nonne ſe ſe ridendum Magdeburgenſibus propinauit.

Sed ridiculi ipſimet qui *ead. Cent. lib.* 2. *cap.*20. 34 arguunt Anicœtum qui memoriam ſiuè monumentum S. Petri conſtruxit, & ornauit, rideant & Conſtantinum qui idem Magnificentiùs dein de præſtitit: verùm cum noui heterodoxi Sanctorum Baſilicas & monumenta in Gallia dejecerint, non mirùm ſi ipſorum Symmiſtæ Magdeburgenſes ea ornamenta rejecerint.

Teleſphorum arguunt quod contra Pauli præceptum 35 ieiunium quadrageſimale, & ciborum abſtinentiam induxerit, miſſas multiplicarit, illis tempus, locum, & numerum præſcripſerit, cum cœna Domini non ſit certo alicui loco alligata, & Clericos ſupra plebem euexerit. Cum omnes ſimus vnum in Chriſto. Atque ita ex mente Magdeb. *Centuria* 2. *cap.*10. Contra fidem errauerit. Quæ omnia quàm leuia & inepta ſint & decantatas quæſtiones de ciborum abſtinentia, de Miſſis, & Clericorum dignitate alibi agitandis complectantur. Vnum dumtaxat moneo, cum Teleſphorus vicinus Apoſtolorum ætate iſta non inſtituerit, ſed iam priùs inſtituta ſeruari edixerit, fateantur, oportet ſe à veteris Eccleſiæ inſtitutis plurimum diſſentire.

Victorem quondam Hæretici, quaſi Chriſtum pu- 36 rum hominem eſſe diceret, traduxerunt, ſed meram fuiſſe calumniam docet Euſeb. *lib.*5. *hiſtor. cap.*28. Vbi eam refert. Quandoquidem illius inſaniæ authorem Theodotum ipſe Victor vt ibidem refert excommunicauit. Sed iam olim, quod monuimus Hæretici ſuos errores Pontifici Romani authoritate tueri voluerint, & ſe cum illo ſentire, quod fecit hoc loco Euſebi Artemon. Sic etiam Montaniſtæ litteras pacis à Zephirino mendaciis ſuffurati ſunt quas edoctus à Praxea adhuc Catholico ſtatim reuocauit, quod ſuperius obſeruauimus ex Tertulliano & ipſo Montaniſta *lib. aduerſ. praxeam* quare ineptiſſimè Rhenanus ad eius loci marginem apud Tertullianum ſcripſit *Epiſcopus Romanus montaniſat.*

Similia quædam Pontificibus objiciunt Magde- 37 burgenſes

burgenſes quæ ipſi errata exiſtimant, quia eorum hæreſim impugnant vt Vrbano, quod confirmationem inſtituerit, & per manus Epiſcopi impoſitionem dixerit accepi Spiritum Sanctum *Cent.*3. *cap.*10. Vbi & mentiuntur. Nam Confirmationis meminere antiquiores. *Et eius vſus habetur act.*8. *&* 19. Eiuſdem rationis eſt, quod ibidem arguunt Pontianum Vrbani ſucceſſorem quod dixerit Sacerdotes corpus Domini proprio ore conficere. Quod & Hieron. *Ep. ad Heliodor. dixit.*

38 Iidem *Centur.* 3. *cap.*6. *&* 7. Calumniam impingunt Cornelio, quod contra fidem docuerit ſolam aquam in calice offerendam, idque ineptiſſimè probant, ex eo quod Cyprian. *lib.*2. *Ep.* 3. *ad Cornelium*, plurima contra tunc errorem Aquariorum diſputet. Verùm eum errorem non affingit Cornelio ad quem ſcribit. Deindè ea Epiſtola quæ in editione pamelij eſt 63. non ad Cornelium R. P. Sed ad Cæcilium africanum quendam Epiſcopum ſcribitur, vti antiqua omnia exemplaria teſtantur.

39 Ad extremum quæ de Marcellini lapſu & Thurificatione Marti & Saturno facta in templo eſta Blandiente Diocletiano, & eiuſdem in Concilio Sinueſſano, Trecentorum Epiſcoporum circumferuntur dubiæ prorsùs fidei ſunt, cum & deprauata eſſe illa acta conſtet, ſibique parùm Conſtantia manifeſtum exiſtat, & neque Euſebius, neque Theodoretus, neque alij Græci antiquiores qui eius Martyrium commendant, eiuſmodi lapſus meminerint. Et S. Auguſtin. illum objicienti Petiliano Donatiſtæ audacter accidiſſe neget. *lib. de vnico Baptiſmo contra Petilian. cap.*16. *& lib.*2. *Contra liter. Petiliani cap.*92. Et quamvis eum lapſum atque acta Sinueſſana fateremur & fecerit aliquid contra fidem id non aut edixit, aut docuit, & PP. Sueſſ. pronuntiarunt primam ſedem à nemine iudicari.

40 Immorandum etiam non eſt in rejiciendis quæ aduerſus Innocentium I. & ab eo conſtituta arguunt Magdeburg. *centur.*5. *cap.*10. *quod Ep.*2. *cap.*12. Prohibuerit Virginem velatam nubentem aut fornicantem recipi ad pœnitentiam niſi mortuo eo cum quo peccauit, *& Ep.*18. ad Alexandrum Antiochenum ratum quidem eſſe Arrianorum Baptiſma, in eo tamen minimè conferri Spiritum Sanctum quia ſe ab Eccleſia ſeparauerit, *& Ep.*22. *cap.*1. Qui viduum dixit non poſſe fieri Sacerdotem, cùm Moſes iuſſerit Pontificem, & Sacerdotem ſibi coniungere Virginem, hæc objectio prauam Centuriatorum Imperitiam arguit, cum ex ipſa Epiſtolarum Innocentij quas citant lectione, conſtet ipſum agere de Sacris Virginibus quæ à ſuo adulterio ſeparari noluerint, quamdiù enim cum illis degunt, in incontinentiæ præſenti & continuo periculo, earum pœnitentia meritò tanquam ſimulata rejicitur, Arrianorum cæterorúmque Hæreticorum Baptiſma ſuſceptum ab eo qui eadem hæreſi polluitur, licet validum ſit, non tamen confert Spiritus Sancti gratiam cum recipiatur à peccante mortaliter, coniugium enim cum vidua eſt quædam bigamia. Vti tractatu de irregularitate explicuimus, quæ facit irregularem, eſtque impedimentum Canonicum ſuſcipiendi ordines, quod etiam Innocent. confirmat ex veteri Lege, non quod velit nos illa teneri ſed quia id multò magis decet Chriſtianum Sacerdotem, quàm Moſaïcum propter cauſas à nobis tractatu citato olim citatas.

41 Quid facias Laurentio Valla qui oratione de donatione Conſtantini Neſtorianiſmum impingit Cœleſtino, cum tamen ille Neſtorium damnarit vt conſtat ex toto Concilio Epheſino: O ineptum Grammaticulum.

Leoni quoque 1. *cent.*5. *cap.* 10. *obtrudunt*, quod 42
*Ep.*97. conſtituerit vt mulier quæ exiſtimat virum vel mortuum, vel è captiuitate non rediturum alteri licitè nubat, & ſi prior maritus redeat ipſámque repetat vel ſuſcipiat, ad eum ire debeat; ſi verò eum ſuſcipere nolit, cum poſteriori marito maneat, quod eſt inducere Polygamiam, vel matrimonij diſſolubilitatem, & manifeſtò peccare contra fidem, ſed quàm calumnioſè iſta objiciantur, ipſa Leonis Epiſtolæ lectio manifeſtari rogauerat Leonem Nicœtas: Aquileienſis Epiſcopus quid ſtatuendum eſſet de mulieribus quæ viris in captiuitatem abductis aliis ſe coniunxerant, redeuntibus deinde maritis quos vel mortuos vel nunquam redituros exiſtimarant R. & Leo neceſſe eſſe, vt legitimatum fœdera nuptiarum redintegrentur, omníque ſtudio procurandum vt recipiat vnuſquíſque quod proprium eſt 2. non eſſe iudicandum culpabilem illum & alieni Iuris peruaſorem, qui perſonam eius mariti, qui iam non eſſe exiſtimabatur aſſumpſit 3. Vt captiui poſt liberationem ſua recipiunt, vt in mancipiis vel agris videmus. *Quanto magis in coniugiorum redintegratione faciendum eſt, vt quod bellica neceſſitate turbatum eſt, pacis remedio reformetur* 4. Inde refert ſi viri reduces ſuas vxores cupiant ad eos redire debere vxores, neque puniendas ob poſterius coniugium 5. quod ſi aliquæ mulieres poſteriorum virorum amore captæ, nolint in legitimum redire conſortium, notandæ ſunt, & Eccleſiaſticâ communione priuandæ, quia excuſabiliter contaminationem criminis elegerunt, oſtendentes ſibimet pro ſua incontinentia, placuiſſe, quod iuſta remiſſio potuit expiare. Ex quibus non habetur aut diſſolui prima coniugia, aut probari poſterius viuente priore viro, ſed potius hoc poſterius redeunte priori viro abrumpendum eſſe, ad idque etiam Eccleſiaſticis cenſuris adigendum: quamquam id iſtud poſterius initum ſit, ex falsò aliquo rumore remiſſione iuſta expiandum eſſe, hoc eſt iuſtam ſubeſſe cauſam remittendi eiuſmodi noxam, qua remiſſione profectò non indigerent ſi minimè peccaſſent: Videas igitur quam inſulsè Centuriatores magno Leoni imponant ipſum docuiſſe tum matrimonij ſolubilitatem, tum viuente priori viro, mulieris cum altero nuptias.

Eiuſdem impoſturæ eſt quod *ead. cent.*5. *cap.*4. & 43
*cap.*10. Gelaſio imponunt docuiſſe *libro contra Eutychem* in altaris Sacramento manere Chriſti carnem, cum pane, & quod refertur *diſt.*2. *de conſecrat.* non poſſe ſine Sacrilegio vnam partem Sacramenti ſumi ſine altera, ſed id de Sacerdote Sacrificante dictum eſt. Liber autem ille contra Eutych. non eſt Gelaſij Pontificis vti docet Bellarm. *lib.*4. *de Pontif. cap.* 10. Licet Gelaſius quinque libros contra eandem hæreſim conſcripſerit: Hic verò vnicus eſt exiguus, & non Gelaſij vt dixi.

Grauius eſt quod Vigilio objiciunt, Nouatores ex 44
Breuiario Liberati *cap.*22. ipſum Epiſtola ad Theodoram Auguſtam probaſſe eius hæreſim Eutychianam. Et deindè damnationem de trium Capitulorum diuerſa ſenſiſſe, & modo ea damnaſſe, modo probaſſe.

Rem aliqui liberati locum corruptum fuiſſe, ſed eiuſmodi corruptionis nullum apparere veſtigium, dixit Bellarm. *lib.*4. *de Pontif. cap.*10. alij itaque reſpondent eiuſmodi Epiſtolam ab Hæreticis confictam eſſe, atque ita falſa fama laboraſſe Vigilium, cui Liberatus re non ſatis expenſa crediderat. Certum quidem eſt ex 6. *Synodo Act.* 14. Hæreticos Vigilij nomine ſcripſiſſe ad Iuſtinian. Et Theodoram, ſed an ea fuerit Epiſtola, cuius meminit Liberatus incertum manet. Quare quidquid de ea Epiſt. ſtatuatur,

nihil

nihil officiet integritati fidei Romani Pontificis, ſi rerum eo tempore geſtarum vera monumenta recolantur.

Vigilius igitur Romanus Diaconus ſæpiùs Pontificatum ambiuit. Nam 1. curauit vt à Bonifacio XI. in Synodo Romana in Baſilica ſucceſſor deſignaretur, hoc prætextu, quod Gothorum Reges qui Italiæ imperabant, Romani quoque Pontificis electionem ſibi vindicarent, quod vt impediret Bonifacius exiſtimauit ſibi ſufficiendum eſſe ſucceſſorem. Verùm cùm id & novum & hactenus intentatum omnibus videretur, reciſſum eſt ab ipſomet Bonifacio in alia Synodo, cuius meminit Anaſtaſius, & à Silueio *Ep. ad Vigilium*, & aliis ſucceſſoribus improbatum, exiſtimantque aliqui in pœnam eiuſmodi nouitatis Bonifacium illo ipſo anno ſubtractum fuiſſe, non tamen excidit ſpe obtinendi Pontificatum Vigilius, ad idque vſus eſt fauore Theodoræ Imperatricis Eutychianæ hæreſis protectricis hac occaſione. Cum enim eiuſdem Theodoræ conſilio poſt obitum Epiphanij Epiſcopi Conſtantinopolitani in eam ſedem impius Anthimus Epiſcopus Trapezuntinus in Ponto ſuffectus eſſet, qui foris quidem Catholicam fidem profitebatur, & probabat Concilium Chalcedonenſe, & coram Imperatore diſertis verbis teſtatus erat, ſe in omnibus aſſenſurum iis quæ Sedes Apoſtolica credenda præſcriberet, idemque ad cæteros Patriarchas ſcripſiſſet, occultè tamen Hæreticus Eutychianus erat, & ſeueri impiiſſimi Acephalorum Principis & Theodor. in impietate magiſter, eiuſque hæreſim qua licebat arte, omni conatu promouebat. Quare cum Agapitus R. P. Theodoti Regis Gothorum Barbarico Imperio Conſtantinopolim pacis conciliandæ cauſa ſe conferre coactus fuiſſet, vbi eò peruenit & variis libellis Orthodoxorum monitus eſſet de Anthimi hæreſi illum in ſalutationem & communionem ſuſcipere noluit, niſi libello oblato ſuam fidem profiteretur, & in ſuam ſedem Trapozuntinam reuerteretur, neque à ſententia ſua vllis Iuſtiniani & Theodoræ precibus dimoueri potuit. Nam cum Anthimus coram Imperatore interrogatus, duas in Chriſto naturas confiteri noluiſſet, Iuſtinianus tandem comperta fraude *humiliauit ſe*, inquit Anaſtaſ. *Et adorauit Beatiſſimum Papam Agapitum, atque Anthimum depoſitum à Pontifice expulit.* Immò Nicephorus *lib. 17. cap. 9.* Et acta Concilij Conſtanrinopolit. ſub Menna Anthimo ſuffecto *Act.* 1. idem ſignificant Anthimum libello oblato ab Archimandritis mox à ſede depoſitum fuiſſe, & ne in conſpectum quidem admiſſum. Electo Menna & ab eo data fidei Catholicæ profeſſione obijt ibidem. Conſtantinopoli Agapitus, & in Concilio denuò Anthimi poſt trinam, eandemque peremptoriam dilationem ex indulgentia Agapeti vt ait Mennias denuo damnatus, & depoſitus eſt audito Romæ Agapeti obitu Siluerius natione Campanus, & Hormiſdæ quondam Papæ filius, vi & authoritate Theodoti, Gothi, data etiam pecunia electus eſt. Liberatus tamen nihil de vi & data pecunia habet, neque credibile, eſt Siluerium qui damnans Vigilium ſuæ Sedis Inuaſorem ab ipſo datam pecuniam objecit, exprobraſſe crimen quod ipſemet prius Commiſerat, occaſionem igitur obitus Agapeti nactus Vigilius eius Diaconus qui & ipſum Conſtantinopoli ſequutus fuerat; Pontificatum ambiuit, egit cum Theodora Auguſta de eo obtinendo, promiſitque ſe Pontificem factum Synodum Chalcedonenſem damnaturum, Anthimum & Seuerum ſuæ communioni & ſedibus reſtiturum, atque ab ea Litteras ad Belizarum accepit, vt Vigilij electionem promoueret omninò, ſed Romam perueniens Vigilius inuenit Siluerinum electum & Agapeto ſuffectum, egit itaque Theodora cum Siluerio vt Anthimum reſtitueret, & ab eo repulſa ſcripſit ad Belizarum, vt aliquo quæſito colore Siluerium ſede pelleret, Vigiliumque ſuffici curaret, qui objecta calumnia de proditione cum Gothis inita, Siluerium vi & fraude captum habitu monachi Pataram Lyſiæ ciuitatem miſit, & Vigilium eadem vi & fraude renitente Clero & populo intruſit, & deinde eodem hortante Vigilio in Palmariam inſulam deduci curauit, ne quod imperator Patarenſis hortante Epiſcopo mandarat Romam reduceretur, inibique iudicium de Litteris proditoriis ab eo ſcriptis iudicium inſtitueretur quæ omnia habet Liberatus, additque Vigilium tunc temporis Litteras ad Theodoram & Epiſcopos Hæreticos dediſſe quibus eorum confirmabat, Hæreſ. atque Anathema dicebat iis qui duas in Chriſto naturas confiterentur. Hæ tamen Litteræ dubiæ omninò fidei ſunt, & ab Hæreticis confictæ, cùm non modo ipſarum Anaſtaſius non meminerit, & neque Theodora cum qua deinde de Anthimi reſtitutione altercatus eſt, neque à Theodoro Cæſarienſi, & à Menna, quos deinde excommunicauit, neque à Iuſtiniano, neque à V. Synodo, neque à facundo Hermianenſi, cum quibus circa tria capita plurima diſceptant, hæ Litteræ numquam ipſi fuerint exprobatæ. Si tamen verè ſcripſiſſe Liberatum contendis, cum id temporis Vigilius non fuerit Pontifex, ſed in eam ſedem intruſus viuente Siluerio legitimo Pontifice, eius errores officere non poſſunt RR. PP. dignitati & fidei; interim Siluerius habito quatuor Epiſcoporum qui ipſum conuenerant, in Palmaria conuentu Vigilium Romanæ ſedis inuaſorem, & emptorem Anathemate perculit, qua de cauſa, & arctiori cuſtodiæ traditus eſt, & variis ærumnis ita vexatus, vt ærumnis & inedia confectus objerit, anno ſequenti Martyrio, & miraculis clarus. Vigilius verò hæc audiens ſe ſe ſiue ſubdolè, ſiue ex animo in ordinem redegit, dignitate Pontificatus abdicata, qua demiſſione Cleri Romani conſenſum demeruit, qui turbas & Schiſma metuens ipſum in Pontificem elegit, cum & Catholicum ſcirent, & ſola ambitione peccaſſe cum Pontificia igitur dignitate eius Conſtantiam & Pontificij animi vigorem accepit. Nam more Majorum Litteras cum fidei profeſſione à Iuſtiniano, atque à Menna Epiſcopo Conſtantinopolitano per Dominicum Exconſulem accepit, quibus & ipſe ita reſcripſit *Epiſt. 2. & 3.* Vt ſe fidem Catholicam hactenus illibatè ſeruaſſe, & deinceps ſeruaturum prædicet, & confirmet omnia quæ à prædeceſſoribus ſuis geſta erant, ipſumque Anthimum vna cum aliis Hæreticis & Schiſmaticis excommunicet, atque ita omnem de reſtituendo Anthimo factam Theodoræ promiſſionem & ſpem adimat. Quæ omnia deinde egregiè præſtitit. Nam cum Conſtantinopolim à Iuſtino rogatus acceſſiſſet, vt turbas pro tribus Capitulis in Eccleſia exortas ſedaret, & à Theodora Auguſta de reſtitutione Anthimi, quam olim promiſerat, poſtularetur, non modo reſtitit, ſed etiam eundem Anthimum, & omnes Hæreticos Acephalos, Seuerianos, & Eutychianos, ſententia excommunicationis perculit, quod teſtatur S. Gregor. *lib. 2. Ep. 36. ad Hibern.*

Quod autem eidem Vigilio objicitur, ipſum in cauſa trium capitulorum variaſſe, & modo damnaſſe, modo recepiſſe longiorem diſputationem poſtulat. Hoc vnum modo ſufficiat vbi exiſtimatum eſt damnationem illorum capitulorum Synodo Chalcedonenſi præiudicare, Vigilium noluiſſe illa damnare, vbi verò compertum eſt errores in ſcriptis Theodori Mapſuertêni

ſuertêni

ſuerteni & Theodoreti. Contentos damnari & rejici dumtaxat, non verò eorum perſonas quas Synodus Chalcedonenſis receperat, vt Catholicas, eorum errorum damnationem approbauit Vigilius. Quod verò noluerit V. Synodo intereſſe, & poſt finitam in exilium à Iuſtiniano miſſus fuerit vnà cum Clero, qui cum eo erat eius animi robur non infregit, ſed ab eo tandem Liberatus Ducis Narſetis precibus: Quintam tandem Synodum, vbi vt dixi conſtitit, nihil detrahi Synodo Chalcedonenſi approbauit, & cæteri deinde Pontifices. Sed de quinta Synodo inferiùs agetur, nihil igitur erroris, vt vides, Vigilio Romano Pontifici, niſi per meram calumniam objici poteſt, quem vt Catholicum & Sanctum commendat Gregor. I. *lib.2. Epiſt. 36.* Caſſiodor. *lib. de diuin. lection. cap.1.* & alij.

Grauiùs videtur quod Honorio I. paſſim objiciunt Nilus *in libro de principatu Romani Pontific.* Et Centuriat. *cent.7. cap.10. & 11.* Aliíque Nouatores ipſum fuiſſe Hæreticum Monothelitam, quod probant 1. ex eius Epiſtolis ad Sergium Monothelitarum Principem, quarum vna refertur in VI. Synodo *act. 12.* altera *act. 13.* quibus eius doctrinam approbat 2. in illa ipſa *act. 13.* damnatur Honorius, & eius Epiſtolæ comburuntur, eáque damnatio ſæpiùs in ſequentibus actionibus repetitur 3. in VII. Synodo *act. vlt.* dicitur Anathema Honorio, Sergio, Cyro, & cæteris Monothelitis, ſicut & in Epiſtola quam ad vniuerſos Clericos Synodus ſcribit. Inn. VIII. quoque Synodo *act. 7.* legitur & probatur Epiſtola Concilij Romani ſub Anaſtaſ. II. in qua dicitur Honorius condemnatus à Concilio VI. Ipſe etiam Agatho in Epiſt. ad Conſtantinum Pogonatum Imperat. lecta in VI. Synodo *act.4.* dicitur Anathema Honorio tanquam Monothelitæ. Et Leo XI. Epiſt. ad eundem Imperator. in fine eiuſdem VI. Synodi lecta execratur eundem Honorium qui ſua hæreſi Sedem Apoſtolicam contaminauerit 4. denique id ipſum affirmant clariſſimi ſcriptores Græci, Latiníque; Tharaſius Conſtantin. *Epiſt. ad Patriarchas relata* in Synodo VII. *act. 13.* Et ibid. Theodorus Epiſcopus Hieroſol. *Epiſt. Synodica*; Epiphanius item Diaconus in diſputatione cum Gregorio Hæretico *in 6. actione* VII. Synodi. Pſellus in carmine de S. Synodis. Beda *lib. de ſex ætatibus in vita Conſtantini IV.* Liber. de Roman. Pontif. in Leone I. I. Itaque Honorium damnatum tanquam Hæreticum fatentur Canus *lib. 6. de locis cap. vlt. ſub fin.* Franc. Turrian. *opuſculo de* VI. Synodo Hieronym. à Rua controuerſia III. Scholaſtica & fuſiſſimè Franciſc. Combefiſius in hiſtoria hæreſis Monothelitarum.

R. Nihilominùs purum omnis Hæreticæ labis fuiſſe Honorium, quod affirmauit quoque Ioannes Papa apud Anaſtaſium initio Collectaneorum S. Maximus in diſput. contra pyrrhum Bellarm. *lib.4. de Pontif. cap.11.* Baron. *an. 633. & 681.* Andreas Scotus *in notis ad Photium ad cod. 19.* Coccius *tom. 1. lib.7.* Duuallius *de Pontifice parte 2. q.4.* Et alij complures, neque id fuerit operoſum demonſtrare.

Primò quidem quæcumque fuerit Monothelitarum hæreſis, an vnam tantum operationem eſſe voluerint in Chriſto, an vnam tantum facultatem, an verò quod verius exiſtimo & vnam δύναμιν, vnamque ſimul ἐνέργειαν, θέλησιν & βούλησιν affirmarint, vnamque operationem à voluntate diuina, quaſi per naturam humanam transfuſa, vt Eutychiani & Apollinariſtis fauerent, quos palam ſequi in Synodo Chalcedonenſi damnatos non audebant; quæcumque inquam Monothelitarum mens fuerit doctrinam illis contrariam, & verè Catholicam Honorium tradidiſſe confirmo illis ipſis eius Epiſtolis quas tanquam veras modo ſupponimus, quamvis non exigua ſit de ipſarum à Græcis vel confictione, vel ſaltem depravatione ſuſpicio, ſicut in V. Synodo fictitias Epiſtolas Vigilij Romani & Mennæ Conſtantinopolitani ſuppoſuerunt, quod in VI. Synodo *act. 12. & 13.* dum relegerentur acta V. Synodi liquidò deprehenſum eſt inuentis tribus quaternionibus ab Hæreticis actis V. Synodi inſertis, in quibus eiuſmodi Epiſtolæ Vigilij, & Mennæ repertæ ſunt. In priori igitur Epiſtola ad Sergium relata *actione 12.* VI. Synodi fatetur imprimis Chriſtum mediatorem Dei, & hominum operatum diuina media humanitate verbo Dei naturaliter vnita Græcè habetur τῆς ἀνθρωπότητος τῆς ἑνωθείσης αὐτῷ τῷ Θεῷ λόγῳ καθ' ὑπόστασιν. Hypoſtaticè vnita, eundemque operatum humana ineffabiliter, atque ſingulariter adſumpta carne diſcretè, inconfusè atque inconuertibiliter plena diuinitate ἀδιαιρέτως ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως, & qui coruſcauit miraculis in carne perfecta diuinitate, ipſe eſt qui caro effectus plenè Deus & homo paſſionis opprobria patitur, vnus mediator Dei & hominum in vtriſque naturis, & poſt-paulò quod diuinitati vnita eſt caro paſſibilis ineffabiliter, atque ſingulariter, vt diſcretè, atque inconfusè ſic indiuisè videretur coniungi, vt nimirùm ſtupenda mente mirabiliter manentibus. Vtrarúmque naturarum differentiis cognoſcatur vniri ὅτι τῇ θεότητι ἡνώθη ἡ παθητὴ σὰρξ ἀφράστως, καὶ μονογενῶς, ὡς διακεκριμένως καὶ ἀσυγχύτως, οὕτω καὶ ἀδιαιρέτως δόξῃ ἑνοῦσθαι. Nihil magis Catholicum dici potuit, idque & Neſtorium & Eutychem damnat, & inferiùs non vult quidem dici vnam, aut duas operationes in Chriſto, ſed vnum operatorem, vel operantem in duabus naturis multiformiter πολυτρόπως ἐνέργοντα. Et mox τὸν ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν ἐνεργοῦντα ἐν τῇ θείᾳ καὶ ἀνθρωπίνῃ φύσει. Vnum Chriſtum, & ipſum operantem in diuinitate & humanitate, quæ eadem repetit, & fuſiùs explicat Honorius *Epiſt. 2.* ad eundem Sergium lecta *actione* 13. VI. Synodi. *Debemus*, inquit, *propter ſimplicitatem hominum & amputandas inexplicabiles quæſtionum ambages ſicut ſuperiùs diximus, non vnam, vel duas operationes in mediatore Dei & hominum definire, ſed vtraſque naturas in vno Chriſto vnitate naturali Copulatas cum alterius communione operantes, atque operatrices confiteri, & diuinam quidem quæ Dei ſunt operantem, & humanam quæ carnis ſunt exequentem non diuisè, neque confusè, neque conuertibiliter Dei naturam in hominem, & humanam in Deum conuerſam edocentes, ſed naturarum differentias integras confitentes, vnus enim atque idem, humilis & ſublimis, æqualis Patri & minor Patre, ipſe antè tempora natus in tempore eſt, per quem facta ſunt ſæcula factus in ſæculo eſt, & qui legem dedit factus ſub lege eſt, vt eos qui ſub lege erant, redimeret, ipſe Crucifixus, ipſe Chirographum quod erat contra nos euacuans in cruce de poteſtatibus, & Principatibus triumphauit. Auferentes ergo ſicut diximus Scandalum nouellæ adinuentionis, non nos oportet vnam vel duas operationes definientes prædicare, ſed pro vna, quam quidam dicunt operatione, oportet nos vnum operatorem Chriſtum Dominum in vtriſque naturis veridicè confiteri, & pro duabus operationibus ablato geminæ operationis vocabulo, ipſas potiùs duas naturas, id eſt, diuinitatis & carnis aſſumpta in vna perſona vnigeniti Dei Patris inconfusè, indiuisè, atque inconuertibiliter nobiſcum prædicare propria operantes:* Non potuit illuſtriùs ſuam mentem explicare Honorius, & fidem Catholicam aduerſus Neſtorium, & Eutychem profiteri, atque ſcandala, quæ inde orta ſcripſerat Sergius, cum vnam voluntatem ſibi fauere dicerent Eutychiani, duas operationes ſuam hæreſim adſtruere Neſtoriani,

à Notariis exceptam, adhuc integram habemus: Cuius exitus hic fuit, vt Pyrrhus conuictus, pœnitens & Pſalmodiam decantans Romam acceſſerit, oblatóque fidei libello Theodoro Pontifici ab illo in Eccleſiam receptus, conceſſo etiam ipſi Patriarchatus titulo; quod & ipſius diſputationis Acta, & Theophanes, Photius, Anaſtaſius, & demum habent acta publica Conſtantinopolitana, cum inibi ſanctus Martinus P. R. in vinculis haberetur, vbi etiam refellitur quod factam à Pyrrho erroris ſui abiurationem, vi & tormentis extortam fuiſſe Hæretici cauſabantur. Eadem prætereà Maximi diſputatione excitati Africani Epiſcopi coëgerunt Concilia quatuor, nempè in Prouincia Byzacena, Numidia, Mauritania, & Proconſulari ad confirmanda dogmata Catholica, quia tam acriter propugnata viderant, inter hos tamen Primates non numeratur Carthaginenſis, qui tunc erat Fortunatus, ſiue Fortunius, quia tunc ille cum Paulo Conſtantinopolitano communicabat, quod indicant acta VI. Synodi Generalis. Patres igitur Africani Synodale ſcribunt, tum ad Theodorum Papam, Patrem Patrum, & ſummum omnium Præſulum Pontificem, vti nominauit de hæreſi à ſe damnata, tum ad Paulum Conſtantinopolitanum Monothelitam Commonitorium de abiuranda hæreſi, eámque monitionem ad Theodorum Papam dirigunt, rogántque vt per ſuos Reſponſales reddi curet Paulo, & ipſe ad eundem ſua quoque ſcripta dirigat, & ſi errorem dedoctus non abiiciat, illum excommunicationis ſententia percellat. Cur verò ſuas ipſi literas non miſerint Paulo, Sede Apoſtolica inconſulta, hanc rationem reddunt, quod antiquis regulis ſancitum eſſet, vt quidquid quamuis in remotis, vel in longinquis poſitis ageretur Prouinciis, non priùs tractandum, vel accipiendum eſſet, niſi ad notitiam Sedis Apoſtolicæ fuiſſet deductum: *Vt eius authoritate iuſta quæ fuiſſet pronuntiatio firmaretur, indéque ſumerent cæteræ Eccleſiæ, velut de natali ſuo fonte prædicationis exordium, & per diuerſas totius mundi Regiones puritatis incorruptæ, manarent fidei Sacramenta ſalutis.* Vide hæc omnia in Synodo Lateranenſ. ſub Martino *ſectione* 2. his acceptis Theodorus Apocriſiarios ſuos miſit ad Paulum Conſtantinopolitan. cum acerrimis literis quibus, & ipſum hortatur & fidei formulam præſcribit, & omnes qui ab Eccleſiæ ſententia diſſentirent anathemati ſubiecit, quod teſtantur Pauli Literæ ad eundem Theodorum redditæ in Concilio Lateranenſi *citato Secretario* 4. relatæ. Ex quibus etiam Concilij actus Paulum dum ſe, & ab Eccleſia Romana & ab Africana, totóque Occidente damnatum videret, perſuaſiſſe Conſtanti Imperatori, vt prætextu conciliandi pacem Eccleſiarum edictum, quod nominant typum ſanciret, quod ſilentium de tota controuerſia indiceret, & ne vna vel duæ operationes dicerentur in Chriſto. Verùm cùm iam aperta eſſet hæreſis Monothelitarum, & virus quo afflabatur Oriens proрupiſſet, typum illum ſubinde Patres Lateranenſis Concilij *Secretar.* 4. *&* 5. examinarunt & anathematiſarunt tanquam ſubdolum, atque reipſa Hæreticum; priùs tamen Theodorus Papa collecta Synodo Romæ, tum hæreſim Monothelitarum damnauit, tum Paulum anathemate perculit, & depoſuit, atque ipſum Pyrrhum denuò in errorem lapſum opera Olympij Exarchi audaciſſimi Hæretici excommunicauit, & quod etiam conſtat ex *Actione* 1. Synodi Lateran. Addúntque Annales Græci Theodorum ad ſepulchrum S. Petri de ſanguine Chriſti in atramentum diſtillato Pyrrhi excommunicati depoſitionem conſcripſiſſe: Pyrrhus verò in mercedem impietatis rediit in gratiam Imperatoris, & poſt Pauli obitum in priſtinam Sedem Conſtantinopolitanam, ſed priùs quàm obiret Paulus furore percitus in Sedis Apoſtolicæ Apocriſiarios Conſtantinopoli exiſtentes, & cæteros Orthodoxos contumeliis, cædibus, carceribus, aliiſque modis vexauit.

Theodoro ſeptimo, Pontificatus anno decedenti ſubrogatus eſt Martinus I. cuius electioni Conſtans Imperator conſenſit, & deinde velut in præuium ſcriptis ad eum literis, vt refertur in actis S. Andœni Rothomagenſis *cap.* 8. apud Surium 24. Auguſt. rogauit illum vt typo, & edicto ſuo ſubſcriberet, & ad eius in Italia promulgationem Olympium Exarchum in Italiam miſit, ſed id non modo recuſauit Martinus, neque minis Olympij impediri potuit, quo minus Concilium centum quinque Epiſcoporum impulſore S. Maximo Laterani indiceret, cui ipſemet præfuit, ideóque Concilium generale nominant, non modo ad iam damnatos Sergium, Paulum & Pyrrhum Conſtantinop. Epiſcopos damnandos iterum, ſed maximè ad impium typum Conſtantis, & vnà cum hæreſi vniuerſa Monothelitarum anathematizandam. Quare in eo lecta ſunt, non modo quæ contra hanc hæreſim variis in Prouinciis Catholici ſcripſiſſent, ſed etiam quæ ipſi Hæretici in ſui defenſionem edidiſſent, atque imprimis Theodori Pharanitæ Rex quæ cæteris ſumpſerant, qui cum Chriſtum incorporaliter ex vtero proceſſiſſe blaſphemaret, idcirco vnam operationem inuexerat, quibus omnibus diligenter expenſis aſſerta eſt è Catholica doctrina de Verbi-Incarnatione, & ſancitis aliquot Canonibus, damnata hæreſis Monothelitarum ipſiúſque Authores, & præcipui fautores Theodorus Pharanita, Cyrus, Alexandrinus, Sergius, Pyrrhus, & Paulus Conſtantinopolitani Epiſcopi, eorúmque omnia ſcripta damnata, & Heraclij Exthеſis, atque Conſtantis typus, ſcriptáque ad omnes fideles de rebus in Concilio geſtis Synodalis Epiſtola, atque vnà cum ipſa exemplaria Synodalium actorum, quin & Martinus Legatos ad Clodoueum & Sigebertum Francorum Reges miſit, vt ad ſe Epiſcopos doctrina præſtantes dirigeret, quorum Concilio in comprimenda hæreſi iuuari poſſet, & quibus Legationem Apoſtolicam in Galliis crederet, vt Romæ geſta in Prouincialibus Synodis vnanimi conſenſu firmarentur, ad Imperatorem quoque Conſtantem ſcripſit, eiúſque typum damnatum, Paulo non ipſi Imperatori tribuit, monuitque de retinenda fide Catholica, Ioannem Epiſcopum Philadelphum creauit Vicarium Sedis Apoſtolicæ in Oriente, vt Eccleſiæ Antiochenæ, & Alexandrinæ, aliiſque ſubiectis inuigilaret, quæ ab Hæreticis vel vitiatæ, vel vniuerſæ fuerant, vt iis pro authoritate prouideret, Paulum Theſſalonicenſem Epiſcopum ob hæreſim variarum crimina, & excommunicauit, & depoſuit.

His verò omnibus quæ Romæ fuerant acta, acceptis Imperator Conſtans furore excādeſcens, S. Maximum Abbatem, & S. Martinum Pontificem variis calumniis oneratos Vrbe expellere, & in exilium amandare ſtatuit. Quare S. Maximus ſeptuagenarius naui impoſitus incalceatus, & ſine amictu perductus eſt Conſtantinopolim vnà cum duobus Anaſtaſiis ſuis diſcipulis, vbi coram Senatu de obiectis ſibi criminibus audacter rationem reddidit, ac tandem Pauli Conſtantinopolitani ſuaſit, & Conſtantis Imperatoris iuſſu Traciam exul miſſus eſt, ad quem deinde Byziæ in eadem Tracia exulem Conſtans Imperator; & Petrus Conſtantinop. Pauli ſucceſſor impius honorificam

Legationem Paulum & Theodoſium Patricios, & alium Theodoſium in Bythinia Epiſcopum Monothelitarum doctiſſimum deſtinarunt, vt illum in ſuam ſectam adducerent, quibus è contrario Maximus Catholicam fidem perſuaſit, acceptóque ab illis iuramento de abiicienda hæreſi eos Conſtantinopolim idem Imperatori perſuaſuros remiſit, quibus abnuens Imperator, remiſit in Thracium Paulum Patricium, qui maximo eum honore maximum Conſtantinopolim adduceret,eúmque in Monaſterio ſi Theodoti collocauit, & miſſa iterùm Legatione vt cùm Eccleſia Conſtantinopolitana communicaret tentauit, ſed fruſtrà cum illa Eccleſiam hæreſi pollutam agnoſcere nollet, ideoque tandem probris & calumniis oneratum in Perberam in extremis Imperij finibus amandauit, vnà cum duobus ſociis Anaſtaſ. quos iterùm anno proximo Conſtantinopolim reduci imperat, ad cauſam de calumniis ipſis impoſitis coram Imperatore dicendam, ſed cum conſtanter in fide perſiſterent, variis ſuppliciis cruciati, agente imprimis Thoma Patriarcha, qui Petro extincto ſubrogatus fuerat, Præfecto Vrbis puniendi traditi ſunt, Maximo LXVV. annorum Viro & Anaſtaſio, qui ei per 37. annos adhæſerat variis tormentis laceratis, linguæ præciſè ſunt, & tamen diſtinctè atque articulatè fidem prædicare palam non deſtiterunt, dextræ quoque manus amputatæ nudi per forum circumducti ſunt, & iam tertio in exilium expulſi, maximus quidem in quoddam Alaniæ Caſtellum Ochimarium dictum, vbi triennium variè vexatur, obiit Anaſtaſ. in diuerſa loca Abſagorum amandati perierunt.

Maior difficiliórque fuit opera in expellendo Martino R. Pontifice, quàm Maximo Monacho; cùm enim Imperator vereretur ſolam ſui typi damnationem prætexere, variis eum conſuetis criminibus, proditionis, blaſphemiæ in Virginem, aliiſque eiuſmodi oneratum per Calliopam Exarchum, qui defuncto Olympio ſubſtitutus fuerat, manu armata ab Eccleſia Conſtantiniana, & Palatio Lateranenſi, nec repugnantem Podagræ doloribus afflictum exturbauit, atque Naui impoſitum in Orientem ad Cycladas Inſulas aſportandum curauit, vt tot malis fractus Imperatori tandem conſentiret, ſed cum inuicti animi Vir Conſtans perſiſteret, è Naxo Inſula Conſtantinopolim ad grauiora ſupplicia tranſlatus eſt; ibi enim ægrotus carcere incluſus, & calumniis coram Magiſtratibus appetitus Pontificiis inſignibus exutus eſt, & ſeruandus ferreis vinculis collo impoſitis, & toto corpore colligatus per Vrbem Conſtantinopolitanam publicè à nefariis carnificibus tractus eſt, & Cathenarum pondere, frigore, & inedia in obſcuro carcere conſumptus ad gladium denique damnandus, niſi Paulus Conſtantinopolitanus horum omnium Author moriens ſtimulis conſcientiæ agitatus necem Martini Imperatori diſſuaſiſſet. Quare Cherſonam in Ponto Euxino amandatus eſt, & Conſtantinopoli ſoluens Feria quinta, in Cœna Domini in ærumnoſiſſimum exilium Idibus Maij peruenit, & Calliopas Exarchus iuſſu Imperatoris Romæ egit, vt alius ipſi ſubrogaretur. Quare Clerus Romanus diu reluctatus; tandem veritus ne ipſi inuito præficeretur ab Imperatore, alius ei uſdem hæreſis fautor elegit Eugenium, cum Vicaria poteſtate quamdiu Martinus viueret: Paulo verò Conſtantinopolitano obeunti impius Pyrrhus bis Apoſtata ſuffectus eſt poſt plurimas contentiones cui poſt quatuor menſes extincto ſucceſſit, vt ſuperiùs monui, Petrus quoque Hæreticus, qui tamen vt ſe Catholicum fingeret, literas ad Eugenium Romæ pro Martino ſedentem, vt in communionem reciperetur miſit, ſed eiuſmodi literas doloſis ambagibus plenas Eugenius, Clerus, & Romanus Populus omninò reſpuerunt, & poſt Paul. Martinus duodecima die Nouembris indictione decimatertia, anno Chriſti 654. ærumnis confectus Cherſone in Ponto obiit fide illuſtris, & miraculis Clarus, eiúſque obitu Romæ audito Eugenius denuò ritè & legitimè eligitur, qui tamen anno ſequenti obiit,& in eius locum electus Vitalianus.

Qui ipſo initio ſuos Apocriſiarios cum Synodica de fidei Catholicæ Confeſſione ad Conſtantem Imperatorem miſit, quos ipſe vt ſibi miſſos Romanos, & Occidentales Concil. honorificè ſuſcepit, & confirmatis Romanæ Eccleſiæ priuilegiis remiſſt, & vnà librum Euangeliorum gemmis miræ magnitudinis exornatum offerendum Baſilicæ ſancti Petri ad Papam, additque Anaſtaſius ipſum emiſiſſe fidei Catholicæ profeſſionem, vt ſe Catholicum fingeret. Scripſit quoque Vitalianus ad Petrum Conſtantinopolitanum ad fidem Catholicam amplectendam. Cui ille reſpondit ſe fidem Veterum Patrum ſequi, eorúmque teſtimonia ſuis literis attexuit, ſed mira fraude, quæ in VI. Synodo *Actione* 13. detecta fuit:Conſtans autem relicta Conſtantinopoli, Romam ad limina Apoſtolorum anno 22. ſui Imperij venit, & Orthodoxum ſe gerens à Vitaliano Papa, qui ei ſexto ab Vrbe milliario occurrit, honorificè ſuſceptus eſt,præcipuas Eccleſias viſitauit, & eis dona obtulit. Ærea tamen ornamenta, ipſáſque tegulas ſanctæ Mariæ ad Martyres detraxit, & Conſtantinopolim miſit, exactiſque diebus duodecim Neapolim venit, indéque Syracuſas ſe recepit, vbi & Sedem Imperij collocare ſtatuerat, illóſque populos ſacrarum, profanarúmque rerum deprædationibus afflixit, vbi & in balneis occiſus eſt, eiúſque filius Conſtantinus Imperium tandem obtinuit, & in Siciliam venit, tyrannique Mezentium occidit, & qui in Patrem coniurauerant puniuit, rebúſque Occidentalis Imperij compoſitis Conſtantinopolim rediens Tiberum,& Heraclium fratres ſuos in Collegas aſſumpſit, dictus eſt Pogon. à promiſſa barba Catholicæ fidei cultor acerrimus.

Petro Cōſtantinopolitano ſecundo anno,ſuæ Sedis defuncto, ſubrogatus eſt Thomas æquè Hereticus, vti ſancti Maximi acta teſtantur, illi ſucceſſit Ioannes, atque iſti poſt quinque annos, & menſes nouem ſubrogatus Conſtantinus Diaconus & Oeconomus eiuſdem Eccleſiæ Catholicus, & Monothelitarum hoſtis acerrimus, vti habent acta VI. Synodi *Actione* 14. niſi tamen vitiata fuerint, ſed vnum tantum annum ſedit, & creatus in eius locum eſt Theodoſius Syncellus, & Vaſorum cuſtos, Hæreticorum impudentiſſimus, & ſuæ ſectæ propugnator acerrimus, Vitalliano Romano Pontifici ſubſtituitur Adeodatus, hinc verò domus ſiue domnus, ſiue Dominus,quo Præſule Theodorus Conſtantinopolitanus, & Macarius Antiochenus Monothelita Pontificum Romanorum hoſtis, perſuadere conati ſunt Conſtantino, qui iam ſolutus curis Bellicis de pace Eccleſiarum reſtituenda cogitabat, vt nomen Reuerendiſſimorum Patrum, vnius Honorij, quem à ſe ſtate mentiebantur, retento è ſacris Dyptichis eraderetur, atque imprimis Vitaliani, quod nuper in illa relatum fuerat, quod recuſauit Conſtantinus, ſed ſubinde ipſo inſcio, vel inuito, à Patriarchis Hæreticis deletum fuit, quandoquidem in VI. Synodo *actione* 8. de reſtituendo nomine

Vitulliani

Vitulliani actum eſt, eámque ob cauſam ipſum Theodorum Sede nouit Imperator, & Georgiuum ſubrogauit, qui deinde V I. Synodo interfuit. Nam Imperator de ea cogenda ad componendas controuerſias de Religione ptidem excitatas cogitauit, & ad R. P. ſcripſit, rogauítque vt ſuos Legatos mitteret vna cum Epiſcopis occidentalibus, & Monarchis quorum omnium ſumptibus Theodorus Italiæ Exarchus ſuo iuſſu neceſſaria ſubminiſtraret. Verùm iſtæ literæ à Don. iam demortui ſucceſſore Agathone receptæ ſunt, & initio Actorum V I. Synodo, referuntur eas Agatho Epiſcopis occidentalibus communicauit, monuítque de generali Synodo cogenda, & de particularibus Prouinciarum priùs habendis, quod in Italia, Gallia, & Anglia præſtitum eſt, atque hæreſis Monothelitarum vbique damnata, ipſéque Agatho vnum Romæ centum vigintiquinque Epiſcoporum eundem in finem celebrauit, cui etiam Epiſcopi aliqui Gallicani, atque è Britannia Epiſcopus Eboracenſis S. Vvalforidus interfuere extátque Epiſtola Synodalis ab Agathone, & vniuerſo Concilio ad Conſtantem & Collegas contra Monothelitas ſcripta, & alia à ſolo Agathone ad eoſdem Auguſtos Miſſa, vtraque refertur in V I. Synodo *Actione* 4. deſtinatáque eſt duplex legatio ad Synodum Conſtantinopolim, vna quidem à Concilio Romano Epiſcoporum. Altera Apoſtolica Sedis ab Agathone, delectíque ſunt in hanc rem Theodorus, Georgius Presbyteri, Ioannes Diaconus & Conſtantinus Subdiaconus S. R. E. Conteſtantur verò tum Agatho, tum Synodus ſuis literis ſe non mittere Legatos ad diſputandum de quæſtione controuerſa tanquam de re incerta, ſed ad docendum, quænam eſſet Sedis Apoſtolicæ traditio, & doctina, vt nihil præſumerent augere, minuere, vel mutare,& eos omnes qui hanc eandem fidem confiteri noluerint perpetuæ damnationis Reos eſſe declarauit.

Igitur die ſeptima Nouembris indictione nona, anno Chriſti 680. Imperatoris 13. ab obitu Patris ex quo autem viuo parente imperare cœperat 27. conuenerunt PP. magno numero, quem tamen Authores nobis incertum reddunt in Secretarium Palatij cognomento Trullum, ſedetúntque eadem ratione qua in Concilio Chalcedonenſi digniori, quidem loco à ſiniſtris Apoſtolicæ Sedis Petrus Patriarcha, Conſtantinopolitanus & Antiochenus Legati verò Apoſtolici, & primi ſententiam dixerunt, & ſubſcripſerunt: Eminentiori verò loco Conſtantinus Imperator cum ſuis Magiſtratibus ſedit quoties interfuit. Prima itaque actione Apoſtolici Legati reddita ſui Aduentus, & Legationis ratione expoſtularunt de Sergio, Pyrrho, Paulo & Petro Conſtantinopolitanis Epiſcopis & de Cyro Alexandrino, atque Theodoro Pharanita, qui nouam induxiſſent hæreſim de vna in Chriſto voluntate, petierúntque narrari cauſam huius erroris & originem nouitatis, quod Imperator iuſſit Aduerſat. parte fieri, quare Macarius Antiochenus, & alij quidam negarunt ſe aliud docuiſſe, quàm quod à Sanctis Patribus, & Conciliis traditum eſſet, Imperator iuſſit vt ea probarent, alioquin exirent è Synodo, quod Macarius præfidenter ſe præſtiturum promiſit. Itaque quinque ſequentibus actionibus lecta ſunt acta Synodi Epheſinæ, Chalcedonenſis & Quintæ, atque plurima Patrum dicta prolata à Macario, quæ diligenter à Legatis & vniuerſa Synodo expenſa, inuenta ſunt falſa,detruncata, & detorta, atque ex actiones reliquum annum tenuerunt ſequenti anno in ſeptima actione Patrum dicta tum ab Hæreticis tum à Catholicis prolata,lecta,examinata,& collata inter ſe ſunt, & cum Codicibus Patriarchicis per Georgium Conſtantinopolitanum, & Macarium Antiochenum *Actione* 8. Georgius Conſtantinopolitanus retulit Synodo vera eſſe loca quæ ex SS. Patribus Legati Apoſtolici protulerant,ſimúlque cum iiſdem SS. Patribus duas in Chriſto voluntates, & duas operationes fateri, & de nomine Vitalliani R. P. in Diptychis reſtituendo, quod à Theodoro ſublatum fuerat retulit, quam Georgij Confeſſionem cæteri Epiſcopi amplexi ſunt,cùm inſigni Agathonis præconio,cuius definitionem ſe tenere profeſſi ſunt vno excepto Macario, & Stephano Abbate, qui in ſuo errore ita procaciter perſtiterunt, vt Macarius ſe neque membratim conciſum, neque in mare proiectum ab ea fide diſceſſurum diceret, & ſe ad ſuum errorem ſtabiliendum Patrum ſcripta corrupiſſe iactaret; quare ab vniuerſa Synodo in eum conclamatum eſt,& pallium aliáque inſignia Patriarchalia ſublata. Sequenti deinde actione noua ſententia damnationis, & depoſitionis in eundem Macarium, & eius diſcipulum, ac ſectatorem Stephanum pronuntiata fuit tribus ſequentibus actionibus lecti, receptíque ſunt libelli quorumdam Palinodiam recantantium, lecta item & approbata Epiſtola Sophronij ad Sergium Conſtantinopolitanum,lecta & damnata Macarij, & aliorum Hæreticorum, & tandem *Actione* 13. lata eſt ſententia aduerſus omnes Hæreticos Monothelitas, & ſingulatim in Sergium, Pyrrhum,Petrum,Paulum Conſtantinopolitanos Epiſcopos,Cyrum Alexandrinum, & Theodorum Pharanitam Epiſcopum.

Actione 14. lecta ſunt Memnæ & Vigilij Papæ ſcripta de vna voluntate, quæ declarata ſunt eſſe ſuppoſita & reprobata. E contrario verò Athanaſij de duabus operationibus probata, actione decimaquinta, Polychiani Presbyteri Monothelitæ, leuitas & inſania deprehenſa & damnata. Cùm enim ſe diuinitùs monitum vnam eſſe tantum in Chriſto voluntatem diceret, & ſe mortuum ſuſcitaturum impoſita capiti eius, ſua profeſſione, & id ſpectantibus Patribus & populo fruſtrà tentaſſet, à populo vt Simon Magus habitus, & cum nollet hæreſim eiurare,à Synodo depoſitus & excommunicatus eſt, *Actione* 16. quidam Conſtantin. Presbyter Apameſenſis Synodo ſe obtulit, afferens modum conciliandi Monothelitas cum Catholicis,auditus eſt à Synodo, volebat nimirùm duas operationes eſſe in Chriſto, vnam tamen voluntatem, quia Chriſtus deſeruerat humanam voluntatem cum carne & ſanguine in Cruce, quod exploſum à Synodo fuit,& Conſtantinus cum ſua aſſertione Manichæis fauens damnatus *Actione* 17. fidei decretum lectum & approbatum eſt à Patribus omnibus,qui eidem ſubſcripſerunt quinque Conciliis Generalibus confirmatis, lectiſque eorum ſymbolis.Demum damnatio Monothelitarum Pronuntiata,& præſcriptio Epiſtolæ Agathonis Papæ,& Synodi Romæ ab ipſo coacta, & doctrina de vno operante,& volente in duabus operationibus & voluntatibus ex SS. PP. ſententiis approbata, vltima denique *Actione* 18. acclamatum Imperatori præſenti & Synodus denuò profeſſa eſt, ſe in ſua definitione ſequi Epiſtolam Agathonis, & literas Synodales Romani Cōcilij, ſubiicitur in actis Conſtantini Imperatoris edictum de fide Catholica, & eiuſdem Imperatoris Epiſtola ad Epiſcopos Synodi Romanæ, longè poſteà data, in qua commendat eorum ſtudium in defendenda fide Catholica, vnà cum Romano Pontifice, quem vniuerſalem Principem paſtorum nominat

nominat ciúſque vices tanquam ſancti Petri ſe ſequi profitetur, addítque Macarium Antiochenum eiúſque diſcipulos Synodi ſententia depoſitos probationi Sanctiſſimi Papæ traditos. Nam vt ait idem Imperator *Epiſtola ad Leonem* Agathonis ſucceſſorem iidem damnati Romanum Pontificem appellarant, idque veriùs eſt, quàm quod ait Anaſtaſ. eos in exilium Romam Miſſas. Epiſtola verò Synodalis ad Agathonem Romanum Pontificem in actis editis non reperitur: Extat tamen prima inter Epiſtolas Leonis eius ſucceſſoris in ea petit Synodus acta ſua confirmari, tanquam à primæ Sedis Antiſtite vniuerſali Eccleſiæ, ſtante ſupra firmam petram.

Ex hac longiori de hæreſi Monothelitarum narratione non fuerit opinor difficile obiectam Honorij damnationem Concilio reiicere: nam eam fictitiam eſſe, & acta Synodi vitiata inſerto Honorij nomine demonſtrat Bellarmin. *lib.4. de Pontifice, cap.11.* Baronius *anno Chriſti 681. numero quinto,* Binius *in notis ad VI. Synod.* & alij, fuiſſe enim ſolemne Græcis acta Synodorum, & ſcripta Patrum corrumpere quod de III. IV. & V. demonſtrat prolatis exemplis Turrecremata *ſeſſione 20. Concilij Florentini*, & Bellarmin. *loco citato*, & de iſta VI. idem affirmat Iulianus Cardinalis in eodem Concilio Florentino; ait enim ex Epiſtola Synodali Romani Concilij ſub Agathone ad VI. Synodum Miſſa, vbi in Confeſſione fidei aſſeritur Spiritus ſancti à Patre & Filio proceſſio nomen Filij Græcanica manu Abraham fuit, quod & prius aduertcrat Emanuel Caleca Græcus Author in Commentario aduerſus errores Græcorum, & in hac ipſa VI. Synodo Macarius Antiochenus Actione VIII. coram Patribus & vniuerſa Synodo ſe ad confirmandam ſuam hæreſim dicta Patrum variis modis corrupiſſe, quod & ab ipſa Synodo per quinque priores actiones dum examinarentur dicta Patrum & Synodorum, quæ aduerſarij afferebant verum eſſe omnibus inſpectantibus deprehenſum eſt, circa damnationem igitur Honorij fuiſſe vitiata iſta acta, & in illa ſubdole intruſum Honorij nomen teſtatur Anaſtaſius in hiſtoria Latina ex variis locis contexta, vt Cardinalis Sirletus refert apud Omphrum in additionibus ad Platin. in Honorio I. & mihi efficaciter probari videtur primò quidem, quia iſta damnatio ſolemnis Honorij à frequenti Synodo facta non magis latere potuit Veteres, quàm cæterorum Patriarcharum in eadem Synodo pronuntiata, & tamen Veteres, iique impenſi aut non admodum æqui Romano Pontifici, dum cæteros Patriarchas, & alios à Synodo damnatos recenſent, prorſus ſilent de Honorio Zonaras in Conſtantino IV. Theophanes Cerameus, Paulus Diaconus, & alij Latini quin & in ipſa VI. Synodo numeratis Theodoro Pharanita Cyro Alexandrino, Sergio, Pyrrho, & Paulo Conſtantinopolitano nomen Honorij tacetur.

Secundò, non potuit neque debuit damnare Honorium in dicta cauſa, & eius ſcriptis non examinatis non redargutis, & nunquam antea accuſatis, leuiſſimum ſiquidem fuiſſet eius iudicium longè aliter quam fieri ſoleat, vbi vel de vulgari Clerico damnando agitur, ſcimus enim quondam commotam fuiſſe Eccleſiam in damnatione Theodori Mopſueſteni, & ita ac Theodoreti, eo quod in pace Eccleſiæ obiiſſent, & de eorum dumtaxat reprobandis ſcriptis diſceptaretur.

Tertiò, licèt daremus verè ſcriptam fuiſſe Epiſtolam illam ab Honorio ad Sergium, ea tamen & verum ſenſum habuit, & in illum trahi facilè potuit, ac debuit vt oſtendunt S. Maximus, & Ioannes IV. ſuperiùs relati. Debuerunt igitur eum ſenſum examinare PP. & non præcipiti iudicio verba, ſaltem ambigua Summi Pontificis in deteriorem partem accipere, & tanquam Hæreticum Authorem cuius non haberent ſatis perſpectam mentem damnare; cur verò Pontificis Legati qui aderant non reclamarunt, & legitimum Honorij ſenſum non explicuerunt, quem ignorare non poterant ex iis quæ in eius defenſionem S. Maximus Martyr & Ioannes IV. ſcripſerant, & ex diſputationibus, quæ in eam cauſam fuerant inſtitutæ, nouerant, cum in eadem Synodo calumnias in Vitallianum, & eius Epiſtolam, atque etiam Memnæ Conſtantinopolitani iactatas quas & acerrimè reiecerint, & falſatas Epiſtolas euicerint. Honorium verò nulla præcedente de eo tractatione leuiter, & vno verbo damnari paſſi fuerunt, quis amabò id crediderit.

Quartò, profitetur Synodus ſe in omnibus Epiſtolam Agathonis ſequi & fidem amplecti, nempè Petrum eius ore loquutum; atqui Agatho in ſua illa longiori, & erudita Epiſtola ad Imperatorem Conſtantium, & eius collegas illibatam hactenus fuiſſe Apoſtolicam Sedem ab omni hæreſi, apertè teſtatur, quod tam fidenter iactare non fuiſſet auſus, ſi aduerſarij contra quos agebat illi potuiſſent Honorij ante pauciores annos defuncti apertiſſimam hæreſim obiicere, dum ille ſuorum prædeceſſorum in ea abolenda & impugnanda ſtudium celebrat: *Hac eſt*, inquit, *vera fidei regula, quàm & in proſperis, & in aduerſis viuaciter tenuit ac defendit, hac ſpiritalis mater veſtri tranquilliſſimi Imperij Chriſti Eccleſia, quæ per Dei Omnipotentis gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probabitur, nec Hæreticis nouitatibus deprauata ſuccubuit, ſed vti ab exordio fidei Chriſtianæ percepit ab Authoribus ſuis Apoſtolorum Chriſti Principibus illibata fine tenus permanet, ſecundum ipſius Domini Saluatoris diuinam pollicitationem, quam ſuorum diſcipulorum Principum ſacris Euangeliis faſſus eſt. Petre inquiens: Ecce Satan expetiuit vt cribraret vos, ſicut cribrat triticum. Et ego autem pro te rogaui vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Conſideret itaque veſtra tranquilla clementia, quoniam Dominus & Saluator omnium, cuius fides eſt, qui fidem Petri non defecturam promiſit; confirmare enim ſuos fratres admonuit, quod Apoſtolicos Pontifices, meæ exiguitatis prædeceſſores confidenter feciſſe ſemper cunctis eſt cognitum, quorum & puſillitas mea licet impar, & minima, pro ſuſcepto tamen diuina dignatione miniſterio, pediſſequa cupit exiſtere,* &c. Et mox: *Vnde & Apoſtolicæ memoriæ meæ paruitatis prædeceſſores Dominicis doctrinis inſtructi, ex quo nouitatem Hæreticam in Chriſti immaculatam Eccleſiam Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ introducere conabantur, nunquam neglexerunt eos hortari, atque obſecrando commonere, vt à praui dogmatis Hæretico errore, ſaltem tacendo deſiſterent, nec ex hoc exordium diſſidij,* &c. quæ falſa ſunt ſi Honorius fuit Hæreticus. Deinde SS. Patrum teſtimoniis, & Hæreticorum ſententiis, ac maximè Sergij, Cyri, & aliorum Doctorum Heterodoxorum dictis oſtendit ſuos prædeceſſores illos perpetuò monuiſſe, rogaſſe, increpaſſe, obſecraſſe, atque alio modo hortatos conatóſque medelam recenti vulneri adhibere, ex fraterna charitate non per inuidiam, aut per malitiam vel pertinaciam odioſam, ſed & auſis ſpiritualibus, vlnis optantes, atque exhortantes eos in Orthodoxæ fidei vnanimitate remeantes amplecti, eorúmque conuerſionē ad integrā Orthodoxæ fidei rectitudinē preſtolantes, quibus omnibus, & aliis quæ ſubiicit facilè fuiſſet

fuiſſet Monothelitis reſpondere ſe Honorium R. P. ſequi eiúſque fidem amplecti, his omnibus & ſimilibus ſuppoſititiam eſſe hanc Honorij damnationem & vitiata eſſe acta VI. Synodi demonſtrat Bellarm. *lib.4. de Pontif. cap.11.* Cuius diligentiam hac in parte commendat Baron.anno 681.num.29. & 683. num.3. Leonis II. fictas quoque exiſtimat quæ ſi dum acta Synodi corrupta,vt iam monui confirmat, Honorij damnationem probaſſet, damnandus ipſemet ait Baron. ſi non maiori diligentia innoxium ſuum prædeceſſorem damnaſſet: Si qui verò veteres vt Photius *lib. de Synodis*, Nilus *ſimili opere*, & incertus libelli Synodici Author Honorium inter damnatos recenſent, id faciunt ex vulgaribus actis corruptis, & vitiatis, quod idem dico de VII. Synodo *Act.vltima*, & Synodo VIII. *Act.7*. Adrian. II. cum Concil. Roman. & aliis qui damnatum à VI. Synodo Honorium fatentur, id enim habent ex peruulgatis actis. Hanc porrò actorum Synodi deprauationem factam eſſe à Theodoro Sycucello non leuis ſuſpicio eſt, fuerat ille à Conſtantino Imperatore antè triennium è ſede Conſtantinopolitana eiectus propter Monotheliſmum, & quod contra ſeueram Imperatoris prohibitionem nomen Vitaliani R.P. è ſacris Dipticis eraſiſſet,ſubſtituto in eius locum Georgio,qui in VI. Synodo egregiam operam præſtiterat, ſed eo poſt triennium defuncto Theodorus, qui in Synodo cum aliis Patriarchis Hæreticis dãnatus fuerat, Catholicum ſe fingens in ſedem volente Imperatore reſtitutus fuit,perſuaſitque vt Legatos Apoſtolicos aliquandiu detineret, & acta Synodi per illos dumtaxat Romam faciliùs mitteret. Interim verò ipſe acta quæ in Patriarchio aſſeruabãtur corrupit,& ſuum nomen ſubſtituto Honorio expunxit, itavt licet conſtet omnes Patriarchas Monothelitas damnatos eſſe, Theodorus tamen in actis nunquam cum aliis damnatur, ſed eius loco Honorius de quo nulla fuerat diſceptatio, qua fraude voluit & ſuam, & ſedis ſuæ quæ tot paſſa eſſet Patriarchas Hæreticos ignominiam leui lectura delere,& Romanum conſpurcare, atque hactenus de Honorio per calumniam traducto.

36 Alias calumnias & mendacia aduerſus Romanos Pontifices colligit & diſiicit Bellarm. *lib.4. cit. c.12.* quem ad eas licet vt Martin. I. qui epiſtola ad Auandum prohibuerit dari veniam, & pœnitentiam Diaconis & Presbyteris poſt ordinationem peccantibus, agit enim de venia qua reſtituerentur in priſtinam dignitatem.

Mentiuntur quoque Gregorium III. iuſſiſſe Bonifac. iterum ordinare ordinatos ab alio, quàm à R.Pontifice,quod in eius ſcriptis non reperitur,quod mendacium merum & purum eſt,cum voluerit dumtaxat ordinatos à non legitimis Epiſcopis denuò ordinari. Nam reuera non erant ordinati.

Neque veriùs eundem accuſant voluiſſe vxori ægrotæ, viro licitum eſſe aliam ſuperinducere: agit enim Gregorius de morbo impotentiæ, quæ eſt matrimonij impedimentum dirimens, & proinde matrimonium illud nunquam verum fuit, vult tamen Gregorius eam ſic à viro reiecta ab illo ſuſtentari & iuuari ſi indigeat, quandoquidem eius aliquando vxor habita eſt, refert hoc Gregorij dictum Gratian. 32. *q.7.cap.quod propoſuiſti*: ex eius *Epiſt. 3.ad Bonifac.*

Inter ſimiles nugas numero quod Nicolaus 1. *de conſecrat. diſt.4. cap.Canon.* Videatur probare Baptiſmum in nomine Chriſti, & non expreſſis diſtinctè SS. Trinitatis perſonis, contra quam Pelagius & Zacharias Pontifices etiam Romani ſtatuerant. Verùm de ea controuerſia, & mente Nicolai tomo ſequenti noſtri operis diſputabitur, vbi de Baptiſmo, cui calumniæ par eſt ea quam impingunt Stephano II. in quibuſdam reſponſis Cariſiaci datis *num.11.* vbi de Presbytero qui defectu aquæ in vino baptizauerat, ſic ſtatuit *nulla ei adſcribatur culpa, infantes ſic permaneant in ipſo Baptiſmo.* Hinc enim ſequitur materiam Baptiſmi eſſe poſſe vinum contra expreſſam Tridentini Concilij definitionem. Ego & calumniam eſſe dico, & hoc reſponſum vel fictum, vel detruncatum cum de eo nullibi conſtet, niſi in M. & Sc. quodam codice Monaſterij alicuius Gallicani de cuius fide fas eſt iure dubitare, & qui illud Gallicanis Conciliis, vel vna ſaltem notula monere debuit, quid de illo cenſendum quamquam & illud reſponderi poſſet, reſponſum illud priuatum eſſe non editum, & malè ab eo qui illud accepit relatum; aut non intellectum, atque adeo peſſimè ſcriptum & redditum, neque minus ineptiunt Magdeburgenſes dum Ioanni XIII. vel XIV. obiiciunt voluiſſe campanas baptizari & vocem & vulgo acceptam illis cærimoniis tribuant de quo etiam ritibus dicemus, *tomo 2.*

Sed maximè bachantur Nouatores in Gregorium VII. quem omnibus probris onerant ex ſuppoſito quodam libello Bennonis Cardinalis; ſed huius libri dubia omninò fides eſſe debet, cum illi veteres omnes eius temporis Authores reſtagentur, & eius Author fuerit Pſeudo Cardinalis creatus à Clemente III. Antipapa, quem in odium Gregorij Imperator eligi curauerit, quare mirum non eſt illum Schiſmaticum nefanda quæque contra Gregorium verum Pontificem ſcripſiſſe, quibus & ſimilia contra alios Pontifices venenato calamo, & maledica lingua ſparſerit. Nam Syluestrum II. Gregorium VI. Simoniæ accuſauit; alioſque viros probos calumniis dehoneſtauit, & improbos immeritis cumulauit laudibus, quid mirum ſi Sanctiſſimum Pontificem Gregorium VII. quem pro verò Pontifice minimè habebat, calumniis & mendaciis onerauerit, in gratiam Henrici tertij Imperatoris Gregorio inſenſiſſimi Schiſmaticus homo Baronius ann.1073. & Bellarm. *lib.4.de Pontif.cap.13.* & omnium fuſiſſimè Grethſerus in Apologia pro Gregorio quam inſeruit *tomo 2. defenſionum Bellarmini*, vbi ex 50. antiquis Scriptoribus Bennonem confutat & anno 1610. atque 1611. vitam illius laudem quam à Veteribus Scriptoribus compoſitam edidit,quæ omnia conſulas velim ad pleniſſimam Satyrici, & impudentiſſimi Schiſmatici Bennonis confutationem.

Intricatior videtur altercatio,quæ inter Formoſum & Stephanum VI. contigit. Nam Stephanus VI. acta formoſi prædeceſſoris ſui diſcedit, & ab eo ordinatos iterum ordinari præcepit Ioannes deinde IX. reprobauit acta Stephani, & acta Formoſi probauit, quod videretur Stephanus voluiſſe Sacramentum à virtute miniſtri pendere, qui eſt error in fide manifeſtus, ſubinde Sergius III. denuò acta Formoſi & Ioannis irritauit,& acta Stephani VI. probauit,neceſſe igitur eſt alterum ex his Pontificibus, qui contradictoria dixerunt, erraſſe.

Reſp. Tamen hunc facti errorem potius fuiſſe effectum odij, quàm defectum fidei, quod ex vera rei geſtæ narratione conſtabit Formoſus Cardinalis & Epiſcopus Portuenſis legatione ad Bulgaros conuertendos nobilis ad quam à Nicolao I.cum Paulo Populonienſi Epiſcopo delectus fuit tanquam magnæ ſanctitatis vir,ſed deinde neſcio quam ob causã à Ioanne VIII. damnatus,depoſitus, degradatus & in ſortem laicorum eius Pontificatus anno 4. Chriſti 870.

ſti 870. reiectus quod conſtat ex eiuſdem Ioannis, *Ep.* 27. data ad SynodũPontigonenſem in Gallia tunc celebratam, in qua de Formoſi damnatione Synodum monet, Quare Formoſus iurare coáctus à Ioanne ſe in perpetuum laica comunione contentum fore, vrbe recedit, abdicato Epiſcopatu, quem etiam ſe nunquam recepturum iurauit, ſed à Marino, vel vt alij nominant Martino II. Ioannis ſucceſſore ſtatim initio ſui Pontificatus an. 883. Solutus iuramento inſtantè præſtito, ſuæ dignitati & Epiſcopatui reſtituitur. Reſcidit enim Marinus omnia Ioannis acta & maximè Photij reſtitutionem, qua de cauſa Baſilij Imperatoris Conſtantinopolitani iram in ſe concitauit, extincto breui tempore Marino, eiuſque ſucceſſore Stephano VI. Formoſus Creatur Romanus Pontifex ann. 891. quem Luitprandus, *lib.* 1. *hiſt. cap.* 7. Religione, morum integritate, & doctrina laudatiſſimum fuiſſe teſtatur, idemque conſtat ex Anaſtaſio in Nicolao I. & ex Hincmari Remenſis literis, quas Flodoardus refert, *lib.* 3. *hiſt. Remenſis cap.* 20. Poſt quinque autem ſedis annos, & plurimos pro Eccleſia labores moritur an. 896. Creaturque non ſine tumultu an. 897. Stephanus VII. vel vt alij Numerant VI. qui furore in Formoſum concitatus, eius cadauer effoſſum veſtibus pontificalibus indutum in ſede Romani Pontificis collocauit, & plurima illi exprobrans, maximè de occupata ſede Apoſtolica, Sacris veſtibus exuj, tribus digitis quibus benedicere ſolitus erat, mutilari, ac demùm in profluentem Tyberim Coniici iuſſit, & omnes ab eo ordinatos gradu depoſitos, iterùm ipſe ordinauit, quorum omnium Incentorem & Anteſignanum Sergium fuiſſe ſcribit Luitprand. *lib* 1. *c.* 8. Stephanus autem collecta ſuorum Synodo Nefarium hoc ſcelus probari voluit, addit idem Luitprand. Formoſi cadauer poſtmodum à Piſcatoribus inuentum, & ad S. Petri Baſilicam deportatum à SS. Imaginibus ſalutatum fuiſſe, ipſe verò Stephanus ſedis Apoſtolicæ inuaſor ab ea pulſus eſt in carcerem, & ibidem ſtrangulatus anno 4. ſui Pontificatus, illi ſubrogatus Theodorus, cui poſt 20. dies extincto ſubrogatur Ioannes I X. Qui in Synodo Romana primùm, deinde in ampliori Rauennatenſi Epiſcoporum, actum Stephani aduerſum Formoſum reuocauit, quæ reuocatio ipſorumque combuſtio & Synodi tunc habitæ decreta eſt Ioann. IX. ſucceſſit Benedictus IV. cui Leo V. per dies quadraginta ſubrogatur, & quem Chriſtophorus expulit, & in carcerem detruſit, Chriſtophorum verò vi deturbauit, carceri incluſit, atque vitam Monaſticam amplecti coëgit Sergius III. Nefandus Formoſi Pontificis perſequutor, qui ſedem opera Adilberti Tuſciæ Marchionis inuaſit, & à Ioanne I X. in Synodo Romana & Rauennale fuerat excommunicatus cum aliis complicibus, & Luitprandus ait ex Diacono nomen Pontificis arripuiſſe, quamquam acta Synodalia ſub Ioanne IX. ipſum presbyterum nominent, hic ex veteri in Formoſum odio, omnia eius ſtatuta reſcidit, & ordinationes ab ipſo factas irritas eſſe decreuit, fuit iſte vita etiam turpiſſimus, vt qui ex nobili Scorto Marozia filium genuerit, qui deinde factus Pontifex Ioannes X I. dictus eſt, occupauit ſedem, quam inuaſerat Sergius per triennium.

Ex his vides nihil ex hac fideliſſima narratione iure obijci poſſe contra fidem Romanorum Pontificum, neque in illis argui hæreſim. Nam imprimis prima quæſtio fuit an Formoſus eſſet verus & legitimus Pontifex cum prius eſſet Epiſcopus Portuenſis: Quare à Stephano VII. poſt mortem damnatus & exauctoratus, qui & fuerens ab eo ordinatos, ordinari denuò voluit in eius execrationem, neque quidpiam ſtatuit de aliis ordinationibus, quandonam legitimæ forent. Deinde tum Stephanus V I I. tum Sergius I I I. Sedis pontificiæ Inuaſores, non veri Pontifices fuerunt, quare illorum decreta reſciſſa ſunt & ipſi damnati agente Ioanne IX. legitimo Pontifice in Synodo Romana vti diximus. In his enim perditiſſimis temporibus intruſus quiſque Pontifex res geſtas alterius abolebat, & Sigebert. *lib. de Scriptorib.* Narrat auxilium nobilem huius temporis Scriptorem ſcripſiſſe, Dialogum ſub perſona infenſoris, & defenſoris de ordinationibus, exordinationibus & ſuper ordinationibus Romanorum Pontificum, & ordinationibus, cuius diſputationis extat Epitome apud Papir. Maſſon. Quare in his turbulentiſſimis temporibus, & intruſis, extruſiſque Pontificibus nihil eſt quod nobis certò obijci queat, quo Romanorum Pontificum Hæreſis aliqua probetur.

Agapetum Hæreſeos accuſauit Iuſtinian. vt refert auctor appendicis ad Marcellinum, vbi & docet quàm immeritò id fecerit Iuſtinian. qui cum inclinaret in Eutychianiſmum ab Agapeto dedoctus eſt, quod teſtantur Paulus Diaconus in Iuſtiniano & Anaſtaſius in Agapeto, & tandem in Hæreſi Aphatar Sodocitarum mortuum Iuſtinianum tradunt ipſi Symchroni Victor Tunnenſis in Chronico Enagrius, *lib.* 4. Eutychius *in vita S. Eutychy*, & Theophanes, Cedrenus Nicephorus, Zonoras.

Sanctus Zacharias accuſatur ab Auentino, *lib.* 3. *Annal. Boiorum*, & Remerio Reinerio in Methodo Hiſtorica ad annum 745. quod damnauerit ſententiam Virgilij Presbyteri admittentis Antipodas, idque probant ex ipſis Literis Zachariæ ad S. Bonifacium hoc exordio, *Sacris liminibus.* Verùm eas parùm accuratè legere. Nam Virgilius non dicebat dumtaxat dari Antipodas, ſed alium mundum præter iſtum, alium Solem & Lunam, alios homines quàm qui ſunt ab Adamo geniti, Quare iuſſit Zacharias cogi Concilium in quo ſi Virgilius reus repertus eſſet, pelleretur ab Eccleſia, & eandem in rem ſcripſit Zacharias ad Vrilonem Bocariæ Principem ipſumque Virgilium reuocauit, & auditum non modo non damnauit, ſed & Epiſcopatu Saliſburgenſi auxit & in ſua ſemper communione retinuit, cumque Deus ipſe miraculis illuſtrem reddidit, vt habent eius acta edita ab Henrico Caniſio tomo VI. antiquarum lectionum, vide plura apud Baroni anno Chriſti 748. Vbi refert ex veteribus monumentis eundem Virgilium à Gregorio I X. in Sanctorum numerum relatum fuiſſe. Ex quibus Calumnia in S. Zachariam iactata prorſus euaneſcit. Difficiliùs videtur quod Mathæus Villanius affirmat Vrbanum V. diras infligentem Barnaboni Vice-comiti, inter cætera vinculum eius matrimonij cum vxore iam contracti, & conſummati diſſoluiſſe, nam id pugnat cum Oraculo Chriſti Mathæi 19. *Marci* 10. Lucæ XV. & Apoſtoli dicto ad Rom. 7. de indiſſolubilitate eiuſmodi matrimonij Iure diuino poſitiuo, quod etiam definiuit Conc. Trident. *Seſſ.* 24. *Can.* 7. de matrimonio itaque Chriſti verba interpretatur cõmunis patrum ſenſus apud Bellarm. *lib. de matr. cap.* 16. & Coccium *tom.* 2. *l.* 9. *art.* 3. Itaque quidam Juriſperiti qui eam ſolubilitatem diſpenſationi Pontificiæ concedebant meritò reiiciuntur à Conarru. *in* 4. *decr.* 2. *par. c.* 7. *§.* 4. *n.* 13. Cum igitur ageretur de diſſolutione matrimonij Validè contracti & iamdiu conſummati non potuit Vrbanus eius diſſolutionem vel iubere vel concedere ſine euidenti in fidem errore, non enim Villanius loquitur de ſola Thori coniugalis ſeparatione, neque quod Barnabonem Hæreticum & infidelem declaret,

Vrbanus

Vrbanus cauſa erat ſoluendi matrimonij vxoris Catholicæ cum ipſo contracti.

Reſp. Nihilominus hæreſim Barnabonis eiuſque infidelitatem iamdiu notam fuiſſe ex variis proceſſibus contra ipſum factis, eaque labe hæreſeos infectum fuiſſe quando matrimonium cum vxore Catholica contraxit, hæreſis autem aliquando fuit impedimentum dirimens matrimonium ſubſequens inter Catholicum & hæreticum. Etſi enim hodie eiuſmodi impedimentum dirimens non perſeueret vt monſtrat Sanch. *lib.7. de matrim. diſp.72.* & Serarius *iuſto opuſculo ea de re*, tamen fuit varius eius impedimenti vſus quod habet Baſil. Poncius *in appendice operis de matrimonio*, & ſolo vſu deſiit, vel igitur Vrbani tempore adhuc vigebat, vel cum nulla lege eſſet reuocatum res dubia erat, ſapienter igitur Vrbanus matrimonium Barnabonis Hæretici cum vxore Catholica diſſoluit etiam quoad vinculum, id eſt, inualidè contractum fuiſſe declarauit; & denuò contrahendum prohibuit, vti ſæpius fit in matrimoniis quæ cum aliis impedimentis dirimentibus fuere contracta, iure enim diſſoluuntur, id eſt, nulla eſſe & fuiſſe declarantur.

Ioannes XXII. Et Nicolaus III. ſeu vt alij dicunt IV. in definienda Chriſti & Apoſtolorum paupertate ita diſſident, vt alterum eorum circa fidem errasſe neceſſe omnino ſit. Nam Nicolaus in C. *exiit de verbo ſignificat in 6.* definit Chriſtum verbo & exemplo docuiſſe perfectiſſimam paupertatem, quæ in rerum omnium abdicatione conſiſtit, nullo ſibi prorsùs retento dominio neque in communi neque in particulari quod etiam affirmauit Clem. V. Clem. *Exiit de Paradiſo de verbor. ſignificat.* At verò Ioann. XXII. eam aſſertionem tanquam hæreticam damnat, falſumque eſſe contendit Chriſtum, & Apoſtolos nullius rei mobilis, vel immobilis proprium dominium ſiue in communi, ſiue in particulari habuiſſe *in Extrauaganti ad conditorem & extrau. cum inter nonnullos & extrau. Quia quorundam* quæ inter Sanctiſſimos Pontifices diſſenſio plurimas in Eccleſia turbas excitauit & Minoritas Franciſcanos contra Ioannem exciuit, authore præſertim ipſorum generali Michaële de Ceſena, & Ochamo, qui & plurima in Ioannem audaciſſimè & falſiſſimè ſcripſerunt, & ab eo ſecedentes Imperatori ſchiſmatico adhæſerunt; hanc tamen Pontificum diſſenſionem facilè conciliarunt, & reipſa nullum fuiſſe grauiſſimi Theologi demonſtrarunt Turrecremata *lib.2. ſumma cap.112.* Soto *lib.4. de iuſtitia q.1. art.1.* Bellarm. *lib.4. de Pontif. cap.14.* Suar. *tom.2. in 3. part. diſp.28. ſect.2.* Coquæus *in Antimornao tom.2. in* Antidoto *contra oppoſit.57.* Nit. Franciſc. *contra Bzouium an.1322.* Vadingh. *tom.3. Annal. minor.* anno eodem 1322. atque alij. Ex quibus Bellarm. ſapienter diſtinguit tres in hac Pontificum controuerſia quæſtiones, Prima eſt an dominium in rebus vſu conſumptibilibus poſſit ſeparari, quod negat Ioannes qui enim vtitur cibo, aut pecunia res illis ipſo vſu conſumit; ergo eius rei quam licitè deſtruit ſiue phyſicè ſiuè moraliter Dominus eſt: Nicolaus verò eiuſmodi dominii & vſus in ſimilibus rebus diſtinctionem poſſibilem eſſe contendit, quia dominium non conſiſtit in ſola deſtructione rei, ſed in facultate libera, ipſam quoquo libuerit modo deſtruendi itavt poſſit illam donare, vendere, mutare, corrumpere abiicere, & ad omnia quæ libuerit re illa vti ſine cuiuſquam alterius iniuria, quæ eſt communis acceptio dominij. Illa verò quam vſurpat Ioann. reſtrictior eſt, & non reciproca niſi poſſit rem illam liberè & omni quo voluerit modo deſtruere. Nam ſi illa poſſit ad certum dumtaxat aliquem effectum vti, & non ad alium quemlibet, non illius Dominus eſt quamvis vtendo conſumat v.g. Religioſus vtendo cibo, & potu, panem & alia obſonia atque vinum vſu conſumit ac deſtruit, non tamen poteſt vinum aut panem donare, vendere, aut permutare, ideóque eius vere Dominus perfectus non eſt deinde non habet cibi & vini vſum iuris indepentem in quo conſiſtit verum dominium, cum licet Religioſus vtatur cibo & potu ſibi ſubminiſtrato, ipſeque actuali vſu illum conſumat, non tamen illo vti poteſt, niſi dependenter ab alio qui illa in hoc aut alio caſu negare iure poterit. Quare Ioannis in hac quæſtione aſſertio minus probabilis eſt. Verùm hæc quæſtio non eſt in re pertinente ad fidem quod fatetur ipſemet *in extrau. quia quorundam*, ſed eſt quæſtio de natura dominij in qua variæ ſunt DD. ſententiæ; non diſſident igitur hac in parte Pontifices in materia fidei. Altera quæſtio erat an paupertas illa quæ omne dominium tam in communi quàm in particulari remouet ſit Sancta & meritoria, quod affirmat Nicolaus non modo in ſe ſe ſpectata, ſed etiam in Franciſcanis. Primum oſtendit exemplo Chriſti & Apoſtolorum qui id vitæ genus ſortiri ſunt, ſecundum oſtendit reiiciens quod opponebatur ipſos eſſe ſui homicidas, vel Deum tentando ſe ſe diſcrimini obiiceret, reſpondet enim ipſos non contemnere prouiſionem humanam, cum ex iis quæ liberaliter offeruntur, vel humiliter mendicando vel quæ acquiruntur, per laborem ſuſtenentur. Triplicemque illum viuendi modum contineri in Regula demonſtrat. Quod ſi omnes illi viuendi modi aliquando deficerent, in extrema illa neceſſitate non obligarentur ea Regula; denique licet illis omne dominium ſubtrahatur relinqui tamen vſum facti, qui à dominio diſtinguitur, & ab vſu Iuris etiam in conſumptibilibus vti fuſiùs probat, & denique dominium eiuſmodi rerum transferri in Sedem Apoſtolicam & Romanam Eccleſiam.

Ioannes verò in *Extr. Quia quorundam* non negat eam omnis dominij abdicationem in communi & particulari, eſſe ſanctam & meritoriā, ſed quoad vſum conſumptibilia non eſſe idoneam Franciſcanis, ſiue eorum perfectio, ſiue eius obſeruandi modus attendatur, ſiue Eccleſiæ ſubſequuta patientia, ſiue Romanæ Eccleſiæ commodum inſpiciatur, cum totum illud dominium inutile omninò ſit Romanæ Apoſtolicæ ſedi vſu facti conceſſo Franciſcanis. Quare illud omninò à ſe abiicit, pluribus vtitutque, etiam opinione negante in eiuſmodi rebus dominium ab vſu facti & iuris, diſtinguit indeque præſertim ad illam abiectionem dominij Romana Eccleſia ducitur, inde præterea oſtendit non eſſe quod Franciſcani iactent ſe profiteri paupertatem Religioſam omnibus aliis perfectiorem. Et ſanè licet eiuſmodi paupertas ſit aliis rigidior, & auſterior non ſequitur tamen eſſe perfectiorem, quia cum paupertas non ſit ipſa perfectio, ſed medium ad illam remouens impedimentum diuturnum, perfectioni acquirendæ, eius medij perfectio ſumenda eſt ex comparatione finis, qui per illud medium intenditur: Cùm verò immediati & intrinſeci finis diuerſarum Religionum, diuerſi ſint præter finem communem perfectionis: illi fines aliquando ſtrictiorem, aliquando laxiorem, ampliorem ſiue maiorem vel minorem abdicationem dominij poſtulant: indeque talis medij perfectio ſumenda, vt *Tomo III. huius operis* dicemus cum S. Thoma. Non diſputant igitur neque diſſident Nicolaus & Ioannes circa quæſtionem de fide, ſed vtrum Franciſcanorum rigida paupertas cum abdicatione dominij omnimodi, ſit cæteris perfectior, & illi communitati conuenientior, atque vtrum cohæreat cum vſu quem patitur Eccleſia,

cleſia,

cleſia, quæ in re inuehit eadem incommoda,quam dominium in communi & an R.Pontifex dominium illud ſibi retinere debeat quod Nicolaus in ſe ipſum contulit, & Ioannes abiecit, qua in re diſſentiunt Pontifices, non negat tamen Ioannes eam paupertatem,eiúſque profeſſionem eſſe meritoriam, quod Nicolaus aſſirmabat,in quo potuiſſet videri agitari controuerſiam ad materiam fidei pertinens, non modo enim Eccleſia potuit definire aliquid eſſe ſanctum & meritorium, ſi tale ſit,neque etiam non eſſe ſanctum, & meritorium ſi tale ſit, & ſi vtraque definitio vera eſſet, eſſemus in caſu perplexitatis, & vni vel alteri definitioni obediendo neceſſariò peccaremus.

Tertia Controuerſia erat, an Chriſtus talem paupertatem, quæ omnimodam abdicationem dominij in communi & particulari, etiam rerum vſu conſumptibilium profiteretur ſectatus fuiſſet & docuiſſet, id enim velle videtur *cap. Exiit de verb. ſignificatione.* Cum ait: *Quam & Chriſtus viam perfectionis oſtendens verbo docuit, & exemplo formauit, quamque primi fundatores militantis Eccleſiæ, prout ab ipſo fonte hauſerant, volentes perfectè viuere, per doctrinæ & vitæ exempla in eos deriuarunt.* Et quia obiiciebatur Chriſtum aliquando loculos habuiſſe, quos Iudas portabat, qui erat velut communitatis Apoſtolicæ Procurator, & ſeruabat ex iiſque & neceſſaria ad victum & veſtitum curabat, & pauperibus eleemoſynas miniſtrabat. *Reſp.* & Nicolaus Chriſtum ita viam perfectionis exercuiſſe, quod interdum infirmorum imperfectionibus condeſcendens, & viam perfectionis extolleret, & imperfectorum infirmas ſemitas non damnaret, ſic infirmorum perſonam Chriſtus ſuſcepit in loculis, atque hanc Chriſti in pluribus aliis condeſcenſionem ad infirma noſtra confirmat Nicolaus,atque ita docet Chriſtum aliquando perfectiſſimam & rigidiſſimam illam paupertatem verbo & exemplo docuiſſe, aliquando paupertatem laxiorem, minúſque rigidam exemplo demonſtraſſe, tanquam communem omnium Patrem, Doctorem. Ioan. verò *in Extrau. cum inter.* ait eſſe Hæreticum negare Chriſtum & Apoſtolos vllum habuiſſe quarumcumque rerum ſiue in communi, ſiue in particulari dominium;atque hanc quæſtionem quæ inter ſui temporis Scholaſticos agitabatur pertinuiſſe ad fidem fatetur ipſemet Ioannes initio huius Extrauagantis pluribus, vel igitur Hæreticus fuit Nicolaus, qui tale dominium Chriſto & Apoſtolis neget, & vt ait Ioan. Scripturæ ſacræ contradicat, vel Hæreticus habendus eſt Ioannes, qui aliquod eiuſmodi dominium Chriſto tribuebat, & ex ſacris Litteris probaſſe ſibi videbatur. Itaque Minoritæ plerique cum ſuo Generali Michaële de Ceſena & Ochamo illum hæreſis accuſarunt, ideóque ad Ludouicum Imperatorem Schiſmaticum defecerunt.

Reſp. tamen nullum inter iſtos Pontifices verum reperiri diſſidium, vti fuſiùs oſtendit ipſe Ioan. *in Extrauag. quia quorumdam,* & ſe neque pugnare cum Nicolao IV.neque cum Honorio III. Gregorio IX. Innocentio IV. Alexandro IV. prædeceſſoribus ſuis qui Minoritarum Regulam confirmarunt, adductis ipſorum verbis demonſtrat:& quidem quoad Nicolaum non dixiſſe ſuſtentationem Chriſti & Apoſtolorum eius in ſolo & nudo ſimplici conſiſtere vſu facti, *Cum quoad Chriſtum & Apoſtolos nullam præfatus prædeceſſor noſter Nicolaus in ſua declaratione fecerit mentionem.* Et mox: *Idem Nicolaus prædeceſſor noſter videtur ſenſiſſe quod Chriſtus, Apoſtoli etiam quoad proprietatem habuerint aliquid in communi, quia reſpondens obiectioni de loculis, ait illum ita docuiſſe viam perfectionis,vt interdum infirmorum imperfectioni, condeſcendens ſemitas imperfectorum non damnaret.* Ait verò Ioan. impertinens fuiſſet obiectio de loculis, niſi intellexiſſet Chriſtum etiam quoad proprietatem, loculos habuiſſe. Præterea ſi diceretur Chriſtum in loculis, habuiſſe tantummodo ſimplicem vſum facti, fruſtrà diceretur quod in perſona infirmorum Chriſtus habuit loculos: cum ſecundum eum perfectis etiam conueniat habere ſimplicem vſum facti. *Reſp.* & itaque Bellarm. *cap.* 14. *cit.* Ioannem hæreticum eſſe, aſſerere Chriſtum nihil vnquam habuiſſe proprij ſiue in communi, ſiue in ſpeciali,cum id apertè Scripturæ quæ pleriſque in locis contrarium affirmant, repugnet, vt ait ipſe Ioan. *Extrau. cum inter.* Nicolaus verò affirmat Chriſtum aliquando paupertatem illam rigidam cum omni abdicatione dominij cuiuſcumque verbo & exemplo, ſeruaſſe aliquando verò minus rigidam & communem, vt infirmitatibus imperfectorum condeſcenderet communis omnium Doctor, quæ duo non pugnant cum aſſertis à Ioanne, vt vides: rurſus Ioan. in citata *Extrau. cum inter.* damnat aſſertionem pertinacem tanquam ſacræ Scripturæ contrariam, ac proinde hæreticam, quæ ait Chriſtum, & Apoſtolos in iis quæ ipſos Scriptura habuiſſe teſtatur, ne quicquam habuiſſe ius iis vtendi, illa vendendi vel donandi, vel ex iis aliquid acquirendi, cum tamen Scriptura hæc omnia de præmiſſis feciſſe teſtetur, aut potuiſſe facere expreſsè ſupponat. Hæc verò non negat Nicolaus cum potiùs dicat cum Scriptura habuiſſe loculos, quibus vti poterat, ſine dubio ad ſibi & Apoſtolis neceſſaria comparanda. quod ius vtendi, & dominium vel erat penes Chriſtum vel penes communitatem, quam componebat cum Apoſtolis. Quis enim dicat dominium eleemoſynarum quas offerebant fideles manſiſſe penes offerentes, aut Chriſtum & Apoſtolos illis renuntiaſſe; quare hoc non contendit Nicolaus neque Ioannes illi aduerſatur. Ad maiorem itaque omnium iſtorum euidentiam.

Obſerua cum Suar. *ſect.* 2. *citata* Chriſti paupertatem conſiderari poſſe ante Baptiſmum cum priuatus in domo paterna victitabat,vel poſtquam collectis diſcipulis cum illis vixit,& Euangelium prædicauit.

Toto illo priori tempore victitauit Chriſtus de bonis parentum, aut ex ſuo fabrili opere, ac labore, an verò quidpiam vt proprium poſſederit, incertum admodum eſt, quamquam verius videatur immobilium bonorum dominium non habuiſſe, cùm neque parentum fuerit hæres, neque illis emendis, aut acquirendis nauauerit operam. Et ſi B. Ioſeph aliqua eiuſmodi habuerit, Virginem Sponſam hæredem ſcripſerit, an verò dominium mobilium aliquod habuerit, an potiùs contentus ſolo eorum vſu à parentibus conceſſo, totum dominium illis reliquerit,incertum omninò eſt.

Vbi verò Chriſtus baptizatus fuit non ſtatim neque ſimul Apoſtolos vocauit, & vt vnà cum illis faceret veluti corpus politicum, quod alicuius dominij in communi capax eſſet. Eo igitur tempore proprium dominium rerum aliquarum habuit in particulari, eorum videlicet quæ ipſi ad victum & veſtitum donabantur. Earum ſiquidem rerum liberum vſum,iúſque illis vtendi habuit neque facilè fingi poteſt apud quem illarum rerum dominium: tunc reſideret, neque ea ratio viuendi erat contra perfectionem, immò in ea paupertate & moderato dominio Chriſtus cæteris infirmioribus fuit exemplo.

Coacta familia & corpore politico ex Chriſto Apoſtolis conflato, Chriſtus habuit aliquod dominium in communi cum Apoſtolis;hoc eſt dominium illud erat penes communitatem ex Chriſto & Apoſtolis

ſtolis conflatam. Neque Chriſtus vllis bonis temporalibus alio titulo temporali potiri voluit, quàm vt pars & caput eius communitatis penes, quam reuera totum dominium erat. Fuit enim perfectionis Euangelicæ exactiſſima ratio & diſplicet quod Iuſtinianus *in præludiis ad Epiſtolas Pauli diſp.1.cap.4.à n.25.* negat eiuſmodi dominium illi communitati, & ſolius Chriſti eſſe voluit, qui non potuit eſſe æquali cum Apoſtolis iure, neque Apoſtoli ius aliquid in ipſum habere, quale tribuendum eſſet Apoſtolicæ communitati in Chriſtum, vti contingit in ſacris Cœtibus in ſuperiorem & caput communitatis, itaque Apoſtolici Collegij oblata, aut donata erant in dominio Chriſti vt Principis & capitis, cuius nutu & poteſtate omnia diſtribuebantur & conſumebantur, hæc inquam omnia non obſtant, cum & facilè fuerit & ad exemplum congruum Chriſti ſe abdicare dominio illi priuato aliquo titulo humano competenti, & Apoſtolos in communionem eiuſmodi temporalis dominij admittere, neque voluiſſe illud niſi tanquam eiuſmodi communitatis caput & partem, itavt adminiſtratio quidem penes illud eſſet, non verò dominium: quod non magis repugnat Chriſti Excellentiæ quod illi aliunde competebat, quam votum paupertatis,quod plures Theologi ipſeque Iuſtinian. emiſſum à Chriſto fatentur, licèt enim eiuſmodi votum abdicationem dominij includat, immò & ineptitudinem atque incapacitatem illud acquirendi, & Chriſtus non potuerit priuari ſibi pluribus titulis etiam humanis competenti dominio, neque illius ſe incapacem, ad illud reddere: quia tamen voto ſe obligabat ad non vtendum illo dominio niſi titulo membri & capitis communitatis politicæ,quam cum Apoſtolis conflabat, retinebat quidem dominium quo ſpoliari non poterat, ſed voto ligatum. Quare eius legitimo vſu carere volebat, vnde facilè intelligimus Chriſtum potuiſſe ſe ſpoliare dominio, quo nolebat vti niſi tanquam pars communitatis, & quod in illam tranſtulerat, atque hanc abdicationem dominij particularis, per quam nihil in particulari Chriſtus habebat, ſed ſolùm in communi tradunt Pontifices Nicolaus, & Ioannes in ſuis extrauagantibus. Itaque tota difficultas in quo videntur diſſidere nominati PP. eſt an Chriſtus aliquando rerum omnium proprietate, & dominio tam communi, quàm in particulari ſe abdicaret. In qua quæſtione aliud eſt actualis carentia dominij, aliud abdicatio dominij per propoſitum quoddam, votum & profeſſionem, qua quis fit ineptus, vt monebam, ad dominium retinendum, aut de nouo acquirendum. De priori illa actuali carentia dubitare vix licet aliquo tempore Chriſtum rerum omnium in particulari & in communi dominij caruiſſe, vt dum *Matth.8.* dicebat ſe non habere,vbi caput reclinaret, & cum *Luc.8.* piarum mulierum, quæ ipſum ſequebantur facultatibus ſuſtentabatur, & licèt aliqui excipiunt veſtes, quæ non ſolent à veſtito diſtingui, quarum dominium penes ipſum Chriſtum,vel apud communitatem,cuius ipſe pars erat,manebat, quibus etiam in Cruce caruerit,& fuerit ſpoliatus; ea tamen ſpoliatio non tollebat dominium prius, qualecumque tandem illud eſſet, atque hæc quæ de agimus actualis omnis dominij carentia, & priuatio ſufficit omninò vt Nicolaus Pontifex dixerit Chriſtum nobis dediſſe perfectiſſimum paupertatis exemplum tam in communi, quàm in particulari, & Chryſoſt. *hom.17. in 2. Epiſt. ad Cor.* ad illa verba: *Propter nos egenus factus eſt*, eam eximiam Chriſti paupertatem in Cruce oſtenſam eſſe, ait.

Quod attinet ad votum & decretum, ſiue profeſſionem paupertatis nihil habendi proprij, neque in communi, neque in particulari, illud Chriſtum aliquando, aut Apoſtolos emiſiſſe dubium non modo eſt, ſed etiam probabilius eſt votum illud non emiſiſſe, neque Chriſtum, aut Apoſtolos,ſi ſuam paupertatem ſanxiſſe fingamus, eam inſtituiſſe vitæ rationem & ſtatum in quo nihil eſſent habituri, neque in communi, neque in particulari, ac proinde eiuſmodi paupertatem non vouiſſe, cum in nocte cœnæ, & vitæ Chriſti extremo die haberent loculos, & vt appellat Nazianz. Crumenam, habebant dominium in communi rerum aliquarum,neque id Nicolaus negat, qui ait condeſcendiſſe infirmorum imperfectionibus tanquam communem omnium Doctorem, vnde neceſſariò colligitur. Chriſtum nunquam antea eiuſmodi viuendi genus, quod hoc dominium in communi non admittere t, vouiſſe, alioquin ab eo nunquam receſſiſſet, neque à perfectiori illo vt volunt ſtatu diſceſſiſſet; neque aliud voluit Ioan.de paupertate Chriſti in ſua Extrauaganti diſputans quamquam ſuam propoſitionem confirmet, ex eo quod in vſu, conſumptibilis dominium non diſtinguitur ab vſu, quæ diſtinctio nobis aliiſque improbatur,ſed rationes allatæ,tum à Pontificibus, tum ab ipſis Conciliis in confirmandis ſuis definitionibus non ſunt ſemper demonſtratiuæ, neque id ſanè neceſſe eſt. Cùm definitiones fidei ſupra rationem exiſtant, licèt cum ea non pugnent, vt agentes de fide *tom.2.* & in hoc ipſo libris poſterioribus, iterùm monebimus. Negamus igitur Chriſtum caruiſſe iſto dominio in communi, quia id ex Scriptura colligi nequit, immò contrarium potiùs ex illa infertur, ad perfectionem verò quam dicunt in abdicatione huius etiam dominij per votum reperiri, ſufficit quod eam aliquando paupertatem exercuerit, deinde paupertatis illius profeſſio non ſemper ad maiorem perfectionem pertinet, ſed pro ratione ſtatuum & perſonarum, id penſandum eſt, & verè Ioannes XXII. definit non eſſe perfectioni contrarium quidpiam in communi poſſidere. Contra Fratricellos, & cum Nicolaus dixit Chriſtum habendo loculos ſeſe infirmioribus, minúſque perfectis accommodaſſe, vt omnibus eſſet exemplo, non dixit Chriſtum fuiſſe tunc minus perfectum, aut minus perfectè pauperem, ſed ſolùm voluit in genere paupertatis minorem, minúſque rigidam eſſe illam quæ loculos habere permittit, & Chriſtum vtriuſque nobis exemplum dediſſe, vt appareat maiorem minoremve perfectionem in genere paupertatis comparandam eſſe cum perſonis,& vario ipſarum ſtatu. Quamvis reſpectu alicuius perſonæ,aut ſacri alicuius & religioſi cœtus rigidiſſima illa paupertatis profeſſio,quæ omnium dominium in communi, & particulari abdicat poſſit eſſe perfectior, illa tamen comparatione totius Eccleſiæ talis dici nequit, nempe vt non habeat bona communia, quæ ſaltem in dominio totius Eccleſiæ exiſtant, cùm talia habuerit, antiqua & primitiua Eccleſia, cenſetque Suar. *tom.2. in 3.part. diſp.28. ſect.2.* ea ratione dici poſſe Apoſtolos abdicaſſe dominium etiam in communi in communitate particulari, quæ erat peculiaris Congregatio Apoſtolica, & pars Eccleſiæ, quia omnia tunc erant ſub dominio Eccleſiæ, & quidquid ipſi habebant commune erat illis, cùm cæteris fidelibus Chriſti ſectatoribus.

Ex his omnibus concludimus nullum inter Pontifices in re fidei eſſe diſſidium, quia vt diximus Ioan. docuit Chriſtum aliquando habuiſſe rerum aliquarum dominium, vel in communi, vel in particulari, & contrariam aſſertionem eſſe hæreticam, & contrariam ſacræ Scripturæ, quod non negat Nicolaus,

colaus, immò dũ admittit explicat qua ratione loculos, & crumenam habuerit, deinde Ioannes non definit Chriſtum habuiſſe ſemper illud dominium vtrumque, quia ſolum affirmat quod in Euangelio continetur, in quo non traditur Chriſtum ſemper habuiſſe illud dominium. Quare fieri potuit, vt aliquo tempore vtroque dominio caruerit, quod Ioannes non negat, quare in fide non pugnant Pontifices.

Plurima alia obiiciunt Ioann. XXII. maximè quod dixerit animas Beatorum non viſuras Deum antè Reſurrectionem, ita Adrian. *in q. de confirmatione* & Okam *in opere 93. dierum*, ſed calumniam auxit Eraſm. *præfat. in lib. 5. Irenæi* coactum nimirum Ioannem opera Theologorum Pariſiẽſium cantare paliandiam coram Rege Philippo non ſine buccina, inquit, & teſtem allegat Ioannem Gerſon. *ſerm. de paſcat.* ſed impudentiſſimè ſtropham ampliauit Caluin. *lib. 4. inſt. c. 7. §. 28.* illum palam aſſeruiſſe animas eſſe mortales, & vnà cum corpore interire vſque ad Reſurrectionem, & citat in margine Gerſonem.

Reſp. Ioannem quidem ſenſiſſe non viſuras Deum ante Reſurrectionem, ſed non modo non definiuiſſe quidquam, & cum in ea agitanda quæſtione verſaretur ad eius definitionem mortuum eſſe, quod eius ſucceſſor Benedictus XXII. teſtatur *in Extrau. Benedictus Deus* & Ioan. Villan. *lib. 15. hiſt. cap. 13.* Ioannem ante mortem declaraſſe ſuam mentem, & ſe amplecti ſententiam, quæ aſſerit beatos ante mortem frui diuina viſione tanquam probabiliorem, donec aliud definierit Eccleſia mendacia à Caluino addita, confutat Bellarm. *lib. 4. de Pontif. cap. 14.* vt de Gerſone quem vixiſſe dixit cum Ioanne, cum tamen obeunte Ioanne nondum natus eſſet & ſimiles impoſturas ſycophante impudentiſſimo familiares quæ de Ioanne XXIII. & Benedicto XIII. à Concilio Conſtantienſi damnatis aſſerunt aliqui non fauent. Cum neuter ex illis in ſæuo illo ſchiſmatè fuerit verus Pontifex Eugenius autem IV. qui à Baſilienſi accuſatus eſt hæreſis, dumque depoſuit non vrget, nam ipſummet Concilium Lauſanæ continuatum ſua retractauit acta & Nicolaum Eugenij ſucceſſorem, ſextò tanquam verum Pontificem agnouit, ſed de eo Concilio plura apud Duuallum *de Pontifice parte 1.* Denique Innocentium VIII. Noruegis permiſiſſe vt ſine vino ſacrificarent, refert Volateran. *lib. 7. Geograph.* Verùm neque vllum ea de re decretum edidit, neque permiſit vt loco vini aliud quidpiam ſubſtituerent, ſed ſolùm Euchariſtiam in ſolo pane conficerent & conſecrarent, & denique mendacij conuinci poſſe videtur Volateran. cum eam conceſſionem datam dicit Noruegis ob vini defectum, nam licet ibi non naſcatur, aliunde tamen magna copia defertur vt videmus, neque tantam eius inopiam fuiſſe tempore Eugenij quæ illum ad eiuſmodi faciendam licentiam cogeret, vir prudens iudicauerit.

Vides igitur quàm inania ſunt quibus definitiones Pontificias de fide falſitatis alicuius arguere tentarunt nonnulli, quæ aliaque fuſiùs reiiciunt Bellarm. *lib. 4. de pontif. à cap. 8. ad 15.* Azor *tom. 2. lib. 5. cap. 4. q. 3.* Franciſc. Agricola *de primatu petri cap. 21.* Manet itaque quod Lucius 1. ſcribens ad Galliæ & Hiſpaniæ Epiſcopos iure dixit. *Hæc ſancta & Apoſtolica ſedes mater omnium Eccleſiarum Chriſti Eccleſia, quæ per Dei omnipotentis gratiam à tramite Apoſtolicæ traditionis nunquam erraſſe probatur, nec hæreticis nouitatibus deprauanda ſuccubuit, ſed vt in exordio normam fidei Apoſtolicæ percepit ab authoribus ſuis Apoſtolorum Chriſti principibus illibata ſine tenus manet ſecundum ipſius Domini ſaluatoris diuinam pollicitationem, qui diſcipulorum ſuorum principi fatus eſt in Euangelijs Petre inquiens, Ecce ſatanas expetiuit vt cribraret vos ſicut qui cribrat triticum. Ego autem pro te rogaui vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Quo Chriſti promiſſo omnes Pontifices & cæteri PP. ad adſtruendam illibatam & puram ſedis Romanæ & Petri cathedræ fidem ab ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio paſſim vtuntur.

§. XI.

An à definitione Romani Pontificis in rebus fidei prouocare liceat.

Quia hactenùs euicimus Romani Pontificis eſſe fidei controuerſias definire, neque id negare poſſunt aduerſarij, reſpondent nihilominus has definitiones Pontificias non eſſe vltimò vt loquuntur definitiuas, neque tales vt ab illis prouocari non poſſit, vt in alio Tribunali iterum retractentur, ſaltem in Concilio Generali, autè cuius vltimum iudicium & ſententiam veluti peremptorium non obligant, neque certæ, vt de fide habentur, eamque fuiſſe praxim Eccleſiæ, quæ voluit præcipuas & maximè diuturnas hæreſes, quæ Eccleſiam grauius commouerant in iudicio Concilij æcumenici denuò diſcuti & damnari, licet à Patriarchis aut etiam à ſummo Pontifice damnatæ iam eſſent vt videmus in Ariana, Neſtoriana, Macedoniana & Monothelitarum hæreſi, aliiſque ad quas damnandas coacta ſunt eiuſmodi Concilia, quæ alioquin & inutilia forent, ſi eorum ſententia neceſſaria non eſſet, & ſi ſuo iudicio nihil priori damnationi Pontificiæ adderent, ſaltem quoad obligationem, licet non quoad veritatem.

Fuit hoc ſolemne Hæreticorum & Schiſmaticorum effugium vt conſtabit ſtatim, poſſunt verò hoc loco tres excitari controuerſiæ, prima eſt an Concilium generale & plenarium ſiue pleniſſimum, vt loquitur Auguſt. quod tale dumtaxat eſt, quando illi Pontifex Romanus tanquam caput membris per ſeſe, vel per ſuos legatos præeſt, vt loquitur VI. Synodus, poſſit quæſtiones de fide certò & vltimò definire, ſecunda eſt an ſolus Pontifex non coacto generali Concilio poſſit eaſdem controuerſias definire, an verò ab illo ad Concilium fas ſit prouocare. Quæ quæſtio alia longè eſt ab ea, qua quæritur an Papa ſit ſuprà Concilium. Nam ſi ex eo quod Papa nequeat ſine Concilio Generali damnare aliquam hæreſim, ſequatur Concilium eſſe ſupra Papam, cum etiam Concilium nequeat ſine Pontifice de rebus fidei definire, ſequetur Pontificem eſſe ſupra Concilium æquo ſanè iure, quare cum iſtæ quæſtiones non ſeſe neceſſariò inuicem inferant, aut implicent ab hac vltima an Pontifex ſit ſuprà Concilium, vel è contrario Concilium ſuprà Papam, abſtinemus in hac diſceptatione, & in aliam commodiorem reiicimus. Tertia ſi Pontifex & Concilium diſſideant & diuerſa definiant; Pontifex v.g. affirmet propoſitionem aliquam eſſe hæreticam: Concilium verò neget: quid in eo diſſidio faciendum ſit, & cuinam ſententiæ inhærendum. Nam vtraque illa ſententia vltimò definitiua dici nequit, cum altera ex illis falſa neceſſariò ſit. An verò vtraque reiicienda erit, cum tamen alterutra ſit neceſſariò falſa, vel vera, cum vtraque falſa, vel vera ſimul eſſe nequeat, ex his tribus difficultatibus quæ ſanè diſtinctæ ſunt, primam & tertiam, ſequenti quæſtione explicabimus, de ſecunda dumtaxat modo diſceptamus.

Aio igitur prouocationem ad Concilium generale à definitione ſummi Pontificis in rebus fidei & damnatione hæreſeon, tanquam facta à iudice minus idoneo,

neo, incompetenti & ſufficientem poteſtatem non habente, non modo non neceſſariam ſed & ſæpius inutilem & illicitam eſſe: Atque imprimis affirmant apertè PP. non eſſe neceſſariam. Nam Gelaſius *ep. ad Epiſcopos dardaniæ.* Cum Euphenius Conſtantinopolitanus nollet Acacij nomen è ſacris diphtychis delere, eò-quod à ſolo Romano Pontifice & non à Synodo damnatus eſſet, pluribus oſtendit id iuris eſſe ſedi Apoſtolicæ & ait, *nec illa,* inquit, *prætermittimus quod Apoſtolica ſedes damnandi nulla exiſtente Synodo, quos oportuit habuerit facultatem* & *epiſt.* 13. quæ incipit. *Valdè mirati* multis, demonſtrat ſolius Sedis Apoſtolicæ authoritate iure damnatos Pelagianis Concilium generale poſcentibus, cum iam à duabus Synodis Africanis ab Innocentio, & Zoſimo Romanis Pontificibus confirmatis, damnati eſſent. Sic reſpondet Auguſtin. *lib.* 4. *contra duas epiſt. pelag. ſub finem libri.* Aut *verò congregatione Synodi opus erat, vt aperta pernicies damnaretur, quaſi nulla hæreſis aliquando ſine Synodi congregatione damnata ſit, cum potius rariſſimæ inueniantur præter quas damnandas talis neceſſitas extiterit.* Et mox cauſam reddit cur pelagiani Synodum poſtulent. *Verùm iſtorum ſuperbia, quæ tantum ſe extollit aduerſus Deum, vt non in illo velit, ſed potiùs in libero arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam captare intelligitur, vt propter illos orientis & occidentis Synodus congregatur. Orbem quippe Catholicum quoniam Domino eis reſiſtente peruertere nequeunt, ſaltem commouere conantur.* addit Auguſtin. poſt ſufficiens factum illis iudicium *conterendos,* non *amplius audiendos eſſe: Cùm potius,* inquit, *vigilantia & diligentia paſtorali poſt factum illis competens ſufficienſque iudicium vbicumque iſti lupi apparuerint conterendi ſint, ſiue vt ſanentur, atque mutentur, ſiue vt ab aliorum ſalute atque integritate mutentur.* Vides Auguſtinum appellare competens & ſufficiens iudicium, quo pelagiani à duabus Synodis Africanis authoritate Apoſtolica confirmatis, damnati fuerant, ac proinde vlteriori opus non eſſe, neque ampliori Synodo, quæ totum orbem commouerat, quod ipſum clariùs explicat alibi, vti aliàs retulimus: *Iam de hac cauſa duo concilia miſſa ſunt ad ſedem Apoſtolicam, inde etiam reſcripta venerunt, cauſa finita eſt, error vtinam finiatur.* Si cauſam Pelagianorum finitam dicit Auguſtin. vbi reſponſa ſedis Apoſtolicæ ad duo ad ipſum miſſa Concilio venerunt, quid opus eſt rem iam vltimò definitam retractare.

Palladius & Secundianus Epiſcopi Ariani Concilium Generale ad quod Orientales, occidentaleſque conuenirent, petebant. Quare cum in Concilio Aquileſenſi, cui præerat S. Ambroſius ab illo de explicanda ſua fide vrgerentur, ſic reſpondent. *Nos diximus probaturos nos Chriſtianos in pleno concilio, non vobis reſpondemus omninò in præiudicium futuri Concilij & mox vbi authoritas pleni Concilij non eſt, non dico nihilominus palladius & ſecundianus vetuſta perfidia homines* vt loquitur Epiſt. Synodalis ad Imperatores qui congregari Concilium poſtulabunt, de extrema parte orbis Romani à Concilio damnati, & anathemate percuſſi, atque Sacerdotio ſunt abdicati: Quam graue enim foret. *Si propter duos in fide carioſos* toto orbe eſſent Eccleſiæ Sacerdotibus deſtitutæ. In concilio Florentino ſeſſione 7. Epiſcopus Rhodienſis vbi oſtendit additamentum quod Symbolo à Romana Eccleſia factum, obiiciebant Græci illarum vocum *filioque procedit,* non eſſe additionem ſed explicationem, & declarationem veræ Doctrinæ, quod & aliæ Synodi, circa Symbolum Nicænum præſtierunt: quia inſtabant Græci non eſſe vocatos Epiſcopos Orientales, ad Synodum, in qua decerneretur hæc explicatio & declaratio apponenda ſymbolo, inter alia reſpondet, Romanam Eccleſiam non fuiſſe obligatam cæterarum Præſules aduocare ὐκ ἠνείλετο ἡ ρομαικεὶ ἐκκλήσια καλέσαι. Deinde vbi docuit numerum certum in Synodis non deſiderari, cum aliæ fuerint frequentiores aliis, hæc addit. *Quoniam igitur tanto patrum Occidentalium numero præſente Papa, cuius eſt reuocare Synodos, vt vel per teſtes veſtros oſtenditur, facta eſt illa in Symbolo explicatio, non videbatur neceſſarium, alios ad eam conuenire,* vides igitur non eſſe neceſſarium Concilium æcumenicum ad veram & vltimam fidei definitionem, idque oſtendit variis exemplis. Nam Stephanus Græcorum Doctor, qui & illum nonum martyrem vocabant Conſtantinopolitanos Hæreticos Synodum congregare volebant coram, ſic arguit. *Quomodo vos Synodum congregare audetis, & illegitimum veſtrum habere conuentum, non præſente Romanorum ſummo Pontifice, aut alio quopiam eius vicem gerente:* μὴ παπαρόντος τῦ τῶν ρωμαίων ἄκρου ἀρχιερέως, aliaque adducit, & de authoritate Romanæ Eccleſiæ in explicando Symbolo ſine Concilio ſic habet. *Quod verò authoritatem ita explicandi habeat Romana Eccleſia, vnam tantummodo ſententiam Græcam afferemus in præſens, qua demonſtrabitur hanc Petri ſedem, ſiue thronum ſolam eſſe, in qua ſit* poteſtas ἐξουσία explicandi fidem: propter quod nunquam *portæ inferi, hoc eſt hæreſes præualuere aduerſus eam, immò ne attigerunt quidem,* Eſt autem Epiſtola in ſermone de fide, nempè Cyrilli cuius & theſaurum allegat in ſcriptis: Cyrilli elucere præcipue Romani Pontificis authoritatem, ex quibus deinde concludit Rhodiorum Epiſcopus, non poſſe reiici à Græcis hanc Symboli explicationem, ſiue vt loqui ipſi maluerant, additionem à Romana Eccleſia factam quamvis ſine Orientalium & Græcorum Synodo, quod vnum maximè obiiciebant Græci cum ipſorum principe Epheſino Epiſcopo, *ſed hac in præſenti ſufficiant,* inquit, *ſi hoc vnum dicamus ab hac ipſa Eccleſia, cuius eſt explicare omnes fidei veritates, ſuſceptam eſſe hanc veritatem vtpote neceſſariam ad hominum ſalutem, &c. propterea Romana Eccleſia poterat & debebat facere quod fecit;* ſubinde Iulianus Cardinalis interlocutus rogauit legi Epiſtolam Agathonis, quam tota Synodus tanquam authenticam agnouerat, ſed ante eius lectionem priùs in pauca collegit, quæ fuſiùs diſputarat Rhodius & ad duo capita reuocauit primum dicit quotieſcumque error aliquis emerſerit, Papæ incumbere neceſſitatem docendi populos Catholicam veritatem poſtea dicit. Totam Chriſti Catholicam Eccleſiam & Patres omnes ſuſcepiſſe authoritatem Romanæ Eccleſiæ & ſecutos eſſe per omnia eius doctrinam, deinde iubet recitari illam Epiſtolam Agathonis ad VI. Synodum & in actione IV. recitatam, & laudatam in qua Epiſtola hæc duo capita capita habentur. Quare ſic colligit Iulian. *Hinc patet quoties de fide aliqua oritur dubitatio Romanum Pontificem debere ac teneri illam declarare, atque illo docente omnes Synodos & Eccleſiam vniuerſam debere eiuſmodi veritatem ſequi.* Vides igitur tantum abeſſe vt Iulianus Cardinalis & Rhodius Epiſcopus velint à Pontificis definitione ad Concilium generale prouocari poſſe, vt in frequenti & æcumenica Synodo concludant docentem Romanam Eccleſiam, veritatem aliquam, id eſt, illam definientem, ab omnibus Synodis & vniuerſa Eccleſia ſequi, quod ineptè concluderet ex dictis Iulianus eo loco, in quo ad vnum poſtremum illud caput tota controuerſia, propter quam conuenerat Synodus, quod Romana Eccleſia inconſultis & non conuocatis Orientalibus voces aliquas Symbolo addidiſſet. Quare tandem concluſum in ea Synodo eſt, & additionem illam ſiue potiùs explicationem

veram

veram eſſe,& legitimè à Romano Pontifice eo modo factam eſſe. Neque amplius de neceſſitate Synodi Oecumenicæ inquirendum eſſe.

His omnibus aſſentitur Petrus Chryſologus Rauennas Epiſcopus ſcribens ad Eutychem, qui ipſum de ſua hæreſi conſuluerat: *In omnibus autem*, inquit, *hortamur te Frater honorabilis, vt his quæ à Beatiſſimo Papa Romanæ Ciuitatis ſcripta ſunt obedienter attendas, quoniam Beatus Petrus, qui in propria ſede & viuit & præſidet, præſtat quærentibus fidem. Nos enim pro ſtudio pacis & fidei extra conſenſum Romanæ Ciuitatis Epiſcopi cauſas fidei audire non poſſumus.* Eutyches verò iam à Leone in Epiſtola ad Flauian. damnatus iudicari poſtulabat à Synodo, à qua mente ipſum auertit Chryſologus, non igitur exiſtimabat neceſſarium iudicium iſtud, ſed Summo Pontifici obediendum illi eſſe.

Huic pertinent ipſorum Pontificum Romanorum teſtimonia ſuperiùs adducta, quæ ex eo reiici non poſſunt, quod in propria cauſa loquantur, cùm enim plerique ipſorum & Martyrio & ſanctitate conſpicui fuerint, cogitare non poſſumus proprio ductos commodo in cauſa tam graui mentitos eſſe, maximè cum ad Epiſcopos vel etiam Synodos ſcriberent, quæ ſibi iniuriam fieri quærerentur, quod plenitudinem poteſtatis & cauſarum fidei iudicium abſolutè, & non conſultis Synodis ſibi arrogarent: Pontifices autem quorum aliquot verba nuper retulimus, omnes fidei controuerſias ad ſuam Sedem Apoſtolicam referendas dicunt, ab eáque iudicandas, neque Conciliorum Generalium mentionem vllam faciunt, vt Anaclet. *Epiſt.* 1. Euariſtus *Epiſt. Item* 1. Gelaſius *epiſt. ad Epiſcopos Dardaniæ*, aliíque antiquiores.

Neque abnuunt ipſamet Concilia Generalia, quæ Pontificem Romanum tanquam Doctorem & Magiſtrum fidei agnoſcunt, & vt loquitur Alexandrina, cui Athanaſius interfuit, ſcribens Fœlici Papæ. *Eum eſſe omnium profanarum hæreſeon depoſitorem, vtpotè Principem & Doctorem, capútque omnium & Orthodoxæ doctrinæ, ac immaculatæ fidei Magiſtrum.* Quare ad ipſum, ad eúmque referendas fidei Controuerſias paſſim fatentur Synodi, neque vnquam aut definitiones Pontificis damnari, aut ab ipſo iudicatas retractari damnant, aut retractant, aut ad ſe iudicium vltimum pertinere dicunt, quod tamen ſibi audacter tribuunt ipſi Pontifices in epiſtolis ad ipſas Synodos, aut Pontificij Legati præſentibus Synodis iactant, & denique iudicio & definitioni Pontificiæ ſtandum pronuntiant Synodi, quod ex ipſorum verbis, quorum aliqui in hac quæſtione nuper *maximè* §. Retulimus conſtat. Quare hoc loco vnum dumtaxat adducam ex Concilio Chalcedonenſi: *Veneramur ſecundum Scripturas & Canonum definitionem Sanctiſſimum antiquæ Romæ Epiſcopum, primum & maximum Epiſcoporum, & infra ſi quis Epiſcopus prædicatur infamis, liberam habeat ſententiam appellandi ad Beatiſſimum Epiſcopum antiquæ Romæ, quia habemus Petram refugij, & ipſi ſoli libera poteſtate loco Dei ſit ius diſcernendi ſecundum claues à Deo ſibi datas, & omnia ab eo definita teneantur, tanquam à Vicario Apoſtolici throni.* Hæc quidem verba non eadem habentur in vulgatis Concilij actis, afferuntur tamen à ſancto Thoma *Opuſculo* 1. *contra errores, ſeu falſas opiniones Græcorum*, vbi de Romano Pontifice, & de illius dignitate *cap.* quod Romanus Pontifex ſit primus & *cap.* quod eadem poteſtas quæ Chriſto illi collata ſit; ipſum autem agentem contra Græcos, falsò & ſubdolè hoc caput Chalcedonenſe, aliáque citaſſe, quis credat. Ridendum enim ſe & exſibilandum Græcis prodidiſſe, quin veriùs eſt eam Synodum à Græcis, vt & multas alias falſatam eſſe, hæc verò aliaque eo loco adducta & à pluribus approbata, & quæ ſanctus Thomas ex Cyrillo & maximo ſubiicit euidenter, oſtendunt definitionem Pontificiam non pendere ex Concilio, licèt œcumenico. Quare ad illud non eſſe neceſſariò appellandum, vt denuò ſententia Pontificia retractetur. Omitto alia recentiora Concilia, quæ eiuſmodi à Romana Eccleſia, ſiue Romano Pontifice Superiorem fieri poſſe appellationem negant, vt Lateran. ſub Alexandrin. III. refertur *cap. Licet de electione*: nam ait à Romana Eccleſia non poſſe ad aliquem haberi recurſum. Igitur neque ad Concilium, & Clemens V. in Concilio Viennenſi, & *Clement. de ſumma Trinit.* diſertè aſſerit pertinere ad Sedem Apoſtolicam declarare, quæ ibidem diſputat circa fidem & circa dicta Ioannis Euangeliſtæ: mitto quam plura alia, quia recentiora ſunt.

Secundò, tot ac tantis Patrum Synodorúmque teſtimoniis, quæ tota iſta quæſtione ſparſa ſunt: accedunt, eaque validiſſimè confirmant toties in hanc rem adducta Chriſti verba, quibus Ioannis vltimò conſtituit Petrum Paſtorem omium ſuarum atque vniuerſi ſui gregis, vti ex mente Patrum omnium ſuperiùs ſumus interpretati, quod pabulum & Paſtio eſt doctrina ſana, non venenoſa, aut mortifera, alioquin malè omninò creditæ ipſi fuiſſent oues, atqui non obligauit Chriſtus Petrum cogere Patrum Concilium ad porrigendum pabulum ouibus, examinandúmque quodnam ſit ſalubre, quod verò venenoſum, quamdiu enim expectanda eſſet cœtus eiuſmodi conuocatio, & quam ſæpè impoſſibilis, vt iterum vrgebimus inferiùs, neque per trecentos annos de pabulo ſibi porrecto, & doctrina ſibi propoſita, ſecuræ fuiſſent aues, cum toto eo tempore vti diximus, nulla fuerint Generalia Concilia. Totus igitur doctrinæ delectus, & pabuli iudicium, ac diſcretio, ſiue ſeparatio ſalutaris herbæ à mortifera fuit, penes Petrum illius temporis, hoc eſt Romanum Pontificem, qui etiam ſolus hæreſes tanquam venenatas herbas, & iudicauit & damnauit, quod ſæpiùs monere cogimur. Quare ex hac Petri in Paſtorem vniuerſalis Eccleſiæ inſtitutione à Chriſto facta, eius eſſe ſanam fidei doctrinam tradere & declarare, atque hæreſes certò damnare. Neque ea in parte falli colligunt paſſim Patres, quos dabunt Onuphri *libro primo, de Primatu Petri parte prima, capite ſecundo*, Stapletonius *libro ſexto, de principio, capite nono*, Franciſcus Agricola *de Primatu Pontif. capite quinto & ſexto.* Neque vlli PP. limitant hanc vniuerſalem ſuam doctinam ad Petrum & Pontificem loquentem, cum Concilio, aut in Concilio Generali, nec diſtinguunt à loquente extra Concilium, quoties res fidei declarat. & de illa excitatas quæſtiones definit, vel hæreſes aliquas damnat, vt videas nouiſſimam eſſe hanc diſtinctionem ab Hæreticis, vt ſuæ damnationis infamiam euitent, excogitatam, & ſanè cum ex iſto munere docendi Petro impoſito neceſſariò, conſequatur in ouibus obligatio ſumendi pabuli ſibi à Paſtore porrecti, hoc eſt aſſentiendi doctrinæ ſibi traditæ, ea doctrina non poteſt eſſe lætifera, alioquin ad illam obligarentur oues à Chriſto, qui non diſtinguit an Paſtor, quem ſibi elegit, doceat in Concilio Generali, an ſine illo, ſed quandocumque Paſtorem agit, & pabulum præbet, quod pabulum ex mente Patrum omnium diximus eſſe fidei doctrinam, vti etiam

vrget

vrget Bernardus in Apologetico pro Gregorio VII. quem Gretſet. Nuper edidit in *cap.* 23.

Alter ſolemnis in hanc rem locus eſt. *Math.* 1. vbi Chriſtus rogat pro Petro, ne eius vnquam fides deficiat, & ipſe conuerſus confirmet fratres ſuos: Neque Chriſtus promittit Petri fidem non defectutam, cum hac conditione ſi docent cum Concilio Generali, ſed ſimpliciter & abſolutè, neque iubet expectare ſuorum fratrum Conuentum, quem eam in rem cogat, ſed potius iubet Petro Fratres ſuos in fide nutantes, aut etiam ab ea diſcedentes ad illos conuerti, & eos confirmare: ipſe verò non indiget eorum confirmatione, quandoquidem eius fides indefectibilis eſt, ſiue nunquam deficiet. Volunt tamen aduerſarij nutantem eſſe Petri fidem, neque certam & firmam, donec conſenſu Concilij confirmetur; quandoquidem volunt à Petri definitione prouocandum eſſe ad Concilium, vt illa certa habeatur, teneamurque illi aſſentiri & damnare, quod damnauit, longè alio ſenſu quàm Patres ea Verba Chriſti interpretantur. Audi vnum Bernardum. *Epiſt.* 190. *ad Innocent. Oportet ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque & ſcandala emergentia in Regno Dei, ea præſertim quæ de fide contingunt, dignum namque arbitror ibi potiſſimum reſarciri damna fidei, vbi non poſſit fides ſentire defectum. Hæc quippe huius prærogatiua ſedis, cui enim alteri aliquando dictum eſt. Ego pro te rogaui Petre vt non deficiat tua, Ergo quod ſequitur à Petri ſucceſſore exigitur, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos, id quidem modo neceſſarium, Tempus eſt, vt veſtrum agnoſcatis Pater amantiſſimè Principatum. probetis zelum, miniſterium honoretis. In eo planè Petri impletis vicem, cuius tenetis & ſedem, ſi veſtra admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis, ſi veſtra authoritate conteritis fidei corruptores*, atque vbi fuſiùs contra nouas Hæreſes & dogmata diſputauit. Sic longiſſimam Epiſtolam concludit. *Hæc Domine Pater de labore manuum pueri veſtri qualiacumque tenetis aduerſus pauca quidem noua Hæreſeos capitula: Vbi ſi non aliud quàm.* Zelum agnoſcitis, tamen propriæ interim conſcientiæ. *Satisfeci: nam cum eſſet quod agerent pro iniuria fidei quam dolebam, opera mihi pretium arbitror, ſi illum monui cuius arma potentia Dei ad deſtructionem contrariarum aſſertionum, ad deſtruendam omnem altitudinem aduerſus ſcientiam Dei.* Exiſtimat Bernardus ſe ſatisfeciſſe ſuæ conſcientiæ: vbi monuit Pontificem de nouis Hæreſibus, cùm eius ſit ſua authoritate fidei corruptorem conterere, atqui ſi neceſſe eſt ad omnimodam Hæreſi deſtructionem plenario Concilio, quin ad illud indicandum hortatur Innocentium Bernard. alioquin profectò non ſatisfecit ſuæ conſcientiæ, ſimili ratione de ea Petri indefectibilitate in rebus fidei à Chriſto abſolutè promiſſa, & nulla appoſita conditione conuocandi fratrum ſuorum Concilium, ſed potius illos confirmandi ſi nutent, aut ni nutent argumentantur cæteri PP. Lucius. *Epiſt. ad Epiſcop. Galliæ & Hiſpaniæ.* Marcus *Epiſt. ad Athanaſium.* Fœlix *Epiſt. ad Benignum.* Agatho *Epiſt. ad Conſtantinum pogonatum Imperator.* Nicolaus I. *Epiſt. ad Michaelem.* Innocent. III. *Epiſt. ad Epiſcop. Arelatenſ.* Leo omnium grauiſſimè. *Ser. 3. de ſua Aſſumptione & ſerm. 3. de natali Apoſtolorum.* Quare concludamus Leonis IX. verbis, *à ſede Principis Apoſtolorum, à Romana videlicet Eccleſia, tam per eundem Petrum, quàm per eius ſucceſſores reprobata, conuicta, & expugnata ſunt omnium Hæreticorum commenta & fratrum corda in fide Petri, quæ hactenus non defecit, neque deficiet ſunt confirmata:* Vbi nam igitur ad hanc expugnationem & fidei confirmationem neceſſitas Conciliorum œcumenicorum.

Tertiò Veniamus ad ipſam Eccleſiæ praxim & perpetuum vſum. Nam primò per trecentos & ampliùs annos Pontifex ſine Generali Concilio fidei controuerſias definiuit, & damnauit Hæreſes, eæque definitiones & damnationes ab Vniuerſa Eccleſia ſunt acceptæ, & vbi deinde induci cæperunt Concilia Vniuerſalia, definitiones Pontificiæ nunquam ſunt reprobatæ, immò nequidem ferè retractatæ; aut ſi vnquam contigerit, id factum non eſt, niſi vt ſi qui variis prætextibus eas definitiones recuſarent; iterùm damnarentur, neque de ſententia in vniuerſo orbis Eccleſiaſtici cœtu denuò pronuntiata poſſent dubitare, & tunc priorem damnationem Pontificiam cum reuerentia ſuſceperunt PP. Atque etiam aliquando conſentaneum eſſe antiquorum ſanctorum dictis demonſtrarunt contra illos, qui ab illis diſſonam fuiſſe ex corruptis atque falſatis, vel ſuppoſitis veterum ſcriptis prætendebant, quod quam accuratè præſtitum ſit in VI. Synodo contra Monothelitas, qui Epiſtolam & definitionem Agathonis impugnabant, docebit ipſa Actorum illius Synodi lectio, prodant verò Aduerſarij aliquod Concilium legitimum, in quo Pontificia definitio, & ſententia vocata ſit in iudicium & reprobata, aut in dubium etiam vocata: Horum omnium illuſtre exemplum habemus in ipſa prima Synodo Nicæna, quæ duabus de cauſis coacta eſt, contra Arium nempe iam ſæpius in variis Conciliis Prouincialibus, & ſingularibus Patriarchis, atque præſulibus damnatum, & contra Quartadecimanos pro die celebrandi Paſchatis iam à Victore Romano Pontifice, licet totam ſibi fauentem Aſiam haberent, æquè damnatos, an quidquam contra eas definitiones dictum fuit.

Secundò omnia Concilia Generalia Romani Pontificis authoritate conuocantur, illiſque ipſe præſidet, vel præſens, vel per Legatos, omniaque deinde decreta Concilij ad ipſum confirmanda mittuntur, quæ omnia ex ipſis Conciliorum Actis & Annalibus Eccleſiaſticis probabuntur euidenter, *q. ſeq.* vt quid igitur neceſſarium erit à Pontifice ad Concilium in re fidei appellare, in quo ipſe præſidet? an patietur ſuam reſcindi ſententiam. Si verò id fieret, an ſibi contraria decreta confirmabit, ſuaque authoritate vim & Robur contra ſeipſum addet. An potius ſua eadem authoritate conabitur ab Vniuerſa Synodo probari. Itaque eiuſmodi prouocatio non detraheret reipſa authoritati Pontificiæ, ſed potius quanta illa ſit in Vniuerſum Eccleſiæ cœtum oſtenderet; quare nunquam, vti iam monui, à Catholicis facta eſt hæc prouocatio ſed ab Hæreticis, qui ſubterfugium apud Imperitos quærebant, neque vnquam illis benè ceſſit. Cùm eorum damnatio iterata magnificentiùs dumtaxat fuerit. Neque inde ſequitur inutiliter cogi Concilia, vt dicetur *q. ſeq.* citata.

Tertiò Concilia Generalia nunquam niſi Pontificiam ſententiam & definitionem ſequuta ſunt, quod quoties ipſe Pontifex præſens fuit manifeſtum eſt, dum verò per Legatos præfuit, ex eo conſtat quod commonitorium datum Legatis, vel Epiſtolas Pontificias ad Synodum datas venerabundi PP. ſuſceperint, laudibus ornarint, & ſecũdùm illas prorſus iudicarint, vt patet in Synodo Epheſina in Chalced. circa Epiſt. S. Leonis ad Flauian. & in VI. Synodo de Epiſtola Agathonis, itavt Pontifices ipſi ſuam definitionem quam ſequerentur potius, quàm vt de ea PP. Concilij iudicarent, miſiſſe videantur: & denique ſi quæ de-

creta minus recta iudicauerit Pontifex,illa neque confirmare volet, neque valere & obſeruari vult, immò ea reijciet, prohibebitque & demum conſtat appellationes à decretis eiuſmodi Concilij perpetuò admiſiſſe Pontifices. Quæ omnia ex q. ſequenti conſtabunt. Vides itaque minus eſſe neceſſariam hanc prouocationem à definitione Pontificia, circa fidem, ideòque nunquam quod ſæpius monere cogimur ab Orthodoxis, vſurpatam fuiſſe.

Quarta his omnibus accedit validiſſima ratio, definitio pontificia in cauſis fidei certa & immutabilis atque inuariabilis eſt, ergo ab illa prouocare ad Concilium neque neceſſarium, neque vtile eſt, quandoquidē ea omnis prouocatio alio fine non fit, quàm vt ea reuocetur re melius examinata, neque alia mens eſt prouocantium Hæreticorum, qui ſic infamiam, declinant & vim definitionis Pontificiæ, & tempus aliquod Lucrari ſe putant. Itaque primum noſtrum conſequens manifeſtum eſt, de primo verò antecedente vix poteſt eſſe difficultas. Si enim Pontifex proponat Vniuerſæ Eccleſiæ credendam de fide falſam aliquam propoſitionem,iam Petri fides deficit & portæ inferi præualent aduerſus Eccleſiam; contra Chriſti oraculum, & Paſtor à Chriſto conſtitutus venenatum pabulum porrigit ouibus, quod eſt commune Patrum & Theologorum argumentum; igitur certa eſt propoſitio à Pontifice propoſita, definitio fidei, & Hæreſis damnata ab ipſo, eſt vera & certa Hæreſis, alioquin erraret Vniuerſa Eccleſia ſententiam pontificis amplectendo, ad quid igitur ab ea appellatur cum mutari, variari, emendari & corrigi nequeat, quod in omni vera propoſitione verum eſt, & multo potioti iure in propoſitione fidei, cuius immutabilitas intrinſeca eſt. Deinde quæro quā certitudine propoſitio definita de fide certa ſit,certam enim eſſe,ne ipſi quidem Aduerſarij negare audent. An certitudine naturali, an ſupernaturali, primum dici nequit. Omnis enim naturalis certitudo oritur, vel ex eſſentiali connexione terminorum, quibus conſtat, inter ſe, & ex eorumdem terminorum penetratione, vel ex euidentia primorum Principiorum,deinde vel eſt certitudo ſcientifica, atque adeò per veram demonſtrationem à priori per cauſam, vel à poſteriori per effectum, aut deductionem ad Impoſſibilem & ſi quæ alia ſit,atqui eiuſmodi certitudo naturalis non reperitur in rebus fidei, quæ nobis ineuidentes ſunt & ſupra noſtram ratiocinationem efferuntur; quod ſi concedas eam certitudinem definitionis Pontificiæ circa rem de fide eſſe ſupernaturalem, quandoquidem naturalis eſſe nequit, erit certitudo fidei. Neque alia eſſe poteſt cum nitatur motiuo diuinæ Reuelationis, ſiue authoritatis diuinæ reuelantis mediatè vel immediatè. Confirmatur quia in eiuſmodi definitione ne quidem erit certitudo abſoluta; cum eiuſmodi certitudo extra fidem nunquam oriatur ex meritis motiui & clarè penetrata veritate,ſiue in ſeipſa, & in terminis, ſiue per nexum clarum cum veritate immediatè ac ex terminis conſpicua, quod fuſiùs oſtendunt ex S. Thom. & aliis Caietan. *libro primò poſterior. cap. vltimo dub.* 1. Et Albertin. 3. *princ. corollar.* 1. Vel igitur dicendum eſt definitionem Pontificiam non eſſe abſolutè certam, vel eſſe de fide certam, ac proinde immutabilem, fruſtráque ad eam reuocandam ad Concilium Generale appellari, deinde de ipſa definitione Concilij idem prorſus quæretur, an certa ſit, & an de fide, & aduerſus illam eadem prorſus obiicientur, quæ aduerſus Pontificiam opponuntur, ſi enim certa eſt, fidei certitudine debet eſſe reuelata mediatè, vel immediatè, quæ reuelatio mediata non cognoſcitur niſi per diſcurſum Theologicum, ſicut contingit in definitione Pontificia, neque etiam reuelatur immediatè alicubi Concilium œcumenicum definire rem de fide, & Vniuerſam Eccleſiam teneri illius definitioni credere tanquàm de fide; quod ſi dicas eſſe reuelatum, dum Eccleſia dicitur eſſe columnam & fundamentum fidei, eadem ratione dicam eſſe reuelatum de definitione Pontificia, ſiue Pontificem poſſe definire rem eſſe de fide, eiuſque definitionem veram & certam eſſe, quando reuelatum eſt, fidem Petri nunquam defecturam, & ipſum fratres ſuos confirmaturum, & dum iuſſus eſt totum, & Vniuerſum Chriſti gregem ex ouibus, agniſque conflatum paſcere. Improuide enim & imprudenter Chriſtus crediduſſet Vniuerſum ſuum gregem paſcendum Paſtori, qui poterat illis herbas venenatas & Pabulum mortiferum porrigere, quæ æquè oſtendunt definitionem Pontificiam veram certam & de fide eſſe, atque definitionem Concilij œcumenici, & verba illa quibus Eccleſia dicitur columna & fundamentum fidei, aliaque ſimilia non docent neceſſariam eſſe prouocationem à definitione Pontificia ad Conciliū,quandoquidem æquè certa eſt vtraque illa definitio, vel æquè incerta, & omnia quæ vnius certitudinem demonſtrabunt, vel impugnabunt, alteram quoque confirmare, vel conuellere poterunt, quæ erit igitur neceſſitas ab vna definitione ad alteram æquè incertam, aut non magis certam prouocandi.

Quintò denique non ſatis prouidiſſet Chriſtus ſuæ Eccleſiæ, ſi ad definienda fidei dubia, conuocanda neceſſariò forent Concilia Generalia, & ante eam conuocationem nihil certi haberemus, liceretque cuique pro ſuo arbitrio & ſenſu credere, aut non credere abſque periculo, & nota erroris. Neque ſatis prudenter egiſſet Chriſtus conſtituens ſibi Vicarium qui malis præſentibus & Hæreſibus Suborientibus mederi non poſſet, neque naſcentem Hydram conterere niſi poſt diuturnas moras & cum ſummis, vix que ſuperandis difficultatibus coacto Concilio Vniuerſali, intereaque temporis virus peruadet Eccleſiæ membra, & proſeminabitur Hæreſis, totque ſuccreſcent immanis Hydræ capita, vt vix ac non niſi per aliquot ſæcula exſcindi queant. Neque opus eſt explicare quot difficultates occurrant in eiuſmodi Conciliorum conuocatione,cùm per tercentos annos nullum haberi potuerit, ipſaque peculiaria, ſiue Prouincialia & Diœceſana Concilia paucorum Epiſcoporum in ſcriptis haberentur, vt factum conſtat initio S. Syluestri, qui Romanum Concilium in ſubterraneo loco, in quo nunc Eccleſia S. Syluestri & S. Mattini in montibus dicitur. Adde & peſtilentiam quandoque latè graſſantem, & bellorum tempeſtates, quæ eiuſmodi conuocationes impediunt, ſicut & ſumptus qui in deducendis reducendiſque fouendis & alendis Epiſcopis & Doctoribus ex qualibet orbis Chriſtiani parte,neceſſarij ſunt & denique diſpendium priuatarum Eccleſiarum præſulibus abſentibus,quod Ambroſ. vrgebat in Concilij Aquileienſis, *Epiſt. Synodica*, contra duos in fide Carioſos Arianos,qui Concilium Generale poſtulabant: Quare Hæretici qui vident has omnes difficultates cogendi Concilij Vniuerſalis illud importunè flagitant,vt intereà liberiùs debachentur, & impunè ſuæ doctrinæ virus ſpargant. Non igitur Eccleſiæ prouiſum ſatis eſt. Si Pontifex nequeat ſolus de fide pronuntiare, & Hæreſim damnare, atque vt loquebatur Auguſt. conterere denique; videmus à IV. Synodo Generali ad V. Fluxiſſe 102. annos à V. ad VI. 129. à VI. ad VII.

& Hæreſim damnare, atque vt loquebatur Auguſt. Concilium Lateranenſe, 223. Et ne ſingula percenſeam à Concilio Tridentino ferè centum anni lapſi ſunt. Quot verò amabò in illis interſtitiis infernus euomuit monſtra & in dies eructat, quæ nemo conterere potuit, ſi ad certas fidei definitiones & non obnoxias errori, neceſſarium fuit Concilium Vniuerſale, quàm malè fidei & Eccleſiæ conſultum fuerit.

His omnibus adde plurimas Hæreſes à ſolis Conciliis Prouincialibus, vbi illis acceſſit approbatio & confirmatio Pontificia fuiſſe damnatas, neque de eiuſmodi damnatione dubitatum fuiſſe propter confirmationem ipſorum à Pontifice factam, Quartadecimanos repreſſerunt Concilium Hieroſolymitanum ſub Narciſſo, Gallicanum ſub Irenæo, ponticum ſub Palma, Corinthium ſub Bachilo, Montaniſtas coërcuere variæ Synodi Aſiaticæ Nouatianos Carthaginenſis & Arelatenſis, Paulum Samoſatenum gemina Synodus Antiochena, Euſtathium Gangrenſis, Priſcillianum, Toletana Archontios, Neocæſarienſis, Manichæos, Ancyrana Donatiſtas in cauſa Cæciliani plures African. particulares, & denique Pelagianos, vt cæteros deinceps Hæreticos omittam, plures quoque African. fatentur tamen omnem Concilia Prouincialia non facere rem de fide. Quare quando id faciunt illis quidpiam, ex quo robur & authoritatem ita definiendi accipiant accedat, neceſſe eſt, quòd aliud non eſt quàm confirmatio & ſuffragium Romani Pontificis, tunc enim fit Iudicium competens & ſufficiens Iudicium, vt loquitur Auguſtin. aduerſus Pelagianos, *lib. 3. contra Iulian. c.7. veſtra verò inquit, apud competens iudicium communium Epiſcoporum, modo cauſa finita eſt, nec amplius vobiſcum agendum eſt, quantum ad Ius examinis pertinet, niſi vt prolatam de hac re ſententiam cum pace ſequamini.* Hoc autem Iudicium non fuerat niſi Prouincialis Synodi, cum ipſi maius, Vniuerſalis nempè Concilij deſiderarent, finitam tamen cauſam illo Iudicio dicit Auguſtin. quia vt iam ſæpius retulimus acta illa Synodalia Romam miſſa fuerant, indeque reſponſum venerat, & cum Pontificia approbatione remiſſa fuerant. Vides itaque definitionem Pontificiam cum Prouinciali, aliaque particulari Synodo ſufficere ad Hæreſeon damnationem. Quid igitur commouendus erit totus orbis Chriſtianus Conuocatione Concilij Vniuerſalis, ad damnationem quæ iam competenti & ſufficienti iudicio & examine Pontificis facta fuit.

E Contrariò verò ipſa etiam Generalia Concilia ſine ſententia Pontificis erraſſe conſtat, etiam præſentibus eius Legatis, quoties eius Commonitorium aut inſtructionem ſequuti non ſunt, vt vides in Epheſina Synodo quæ latrocinans dicta eſt, in Concilio Ariminenſi, Sirmienſi, & aliis. Vnde colligas definitionem Pontificiam & per ſe ſolam ſufficere, & authoritatem ac vim Synodis tum Prouincialibus, tum Vniuerſalibus addere, quam ex ſe ſe ſola, & Secluſo Pontifice minimè haberent.

Dixi Secundo Prouocationem à definitione Pontificia in rebus fidei ad Concilium Vniuerſale, eſſe Sæpius inutilem prouocationem, in quam non conuocationem; hæc enim ad plurima vtilis eſt, vt dicam *q. ſequenti.* Prouocatio verò quæ fit in iudiciis fidei à Pontifice ad Concilium, de qua ſola agimus inutilis ferè eſt, cum neque magis conſtituat rem de fide, de qua iam iudicauit Pontifex, neque maiorem imponat obligationem credendi, & ipſi prouocanti non proſit niſi declinandam damnationem & primò quidem non magis per eam prouocationem, & ſubſequentem Concilij definitionem ſi cogatur fidei dogma conſtitui, quam eſſet conſtitutum inde; conſtat quia vti nuper diſputabam ea definitio Pontificia immutabilis eſt, & quod de fide eſt, non poteſt deſinere eſſe de fide. Quare ſi Pontifex declarauit aliquid eſſe vel non eſſe de fide, non poterit Concilium quod vt legitimum ſit, continet ipſum Pontificem tanquam caput declarare contrarium, alioquin vel Pontifex vel Concilium errabit, non Pontifex alioquin Petri fides deficiet, quod futurum negat Chriſtus, non etiam Concilium quod ſi legitimum & non Acephalum eſt repræſentat Vniuerſam Eccleſiam, quæ eſt columna & fundamentum veritatis, ac fidei, & prætereà quæ eſt eius præcipua pars & Caput & qui illud confirmare debet, vnà cum illo erraret, fideſque Petri deficeret, debent igitur inter ſe in definitione fidei neceſſariò conſentire. Inutiliter itaque prouocabitur à Pontifice definiente, ad Concilium, quod idem omninò definire debebit.

Reſpondent aliqui Pontifices non definire niſi prouiſionaliter declarareque duntaxat, quid tenendum de fide ſit, donec Concilium œcumenicum rem expenderit, & quid ſentiendum ſit de ſumma lite ac controuerſia, ſententiam decretoriam ferens.

Hanc ego reſponſionem aliquando inter diſceptandum à Doctore quodam Theologo audiui non ſine rubore, quid enim illa aliud ſignificat quàm fidem eſſe mutabilem, quando-quidem tenemur per aliquot tempus quidpiam de fide credere, & deinde ſi aliter iudicetur à Synodo idipſum negare eſſe de fide. Certa non eſt igitur & fixa fides, ſed inconſtans & mutabilis, quo nihil abſurdiùs fingi poteſt. Quis verò neſcit quaſdam etiam extra fidem eſſe materias, in quibus eiuſmodi iudicia prouiſionalia ineptiſſima ſunt, vt cum de valore, vel nullitate actus diſceptatur. Si enim modo iudicatur, validus fuiſſe, ſemper iudicabitur Validus, & non pro vno tempore Validus, & deinde retractata ſententia inualidus. Exemplum habemus in matrimonio de cuius Valore dubitatur. Nam licet ab vno Iudice definiatur eſſe validus, ab alioque ſuperiori iudice ad quem appellatur inualidus decernatur, prior tamen ſententia non eſt prouiſionalis, & eiuſmodi vt pronuntiet licere coniugibus vti ſuo coniugio, donec de eius valore amplius diſceptetur, alioquin & illo vtentur, & liberos ſuſcipient ex vnius iudicis ſententia, & poſtmodum authoritate Iudicis diſſoluetur, aut ipſimet quæ iam ſibi faſtidio, & oneri ſunt, diſſolui curabunt: Itaque vtraque ſententia definitiua eſt, & ſi ab ea ad aliud tribunal diſceptanda ſit, non poſſunt vti, donec vltimo definiatur lis. Cùm enim matrimonium indiſſolubile ſit, non poteſt Iudex prouiſionaliter permittere eius vſum, cuius valor eſt adhuc in dubio & quod fortaſſis nullum fuiſſe declarabitur. Sic neque poteſt Eccleſia definire rem aliquam non eſſe de fide, & ſua illa definitione obligare me ad ita credendum per aliquod tempus, & deinde per aliam, eamque ampliorem ſententiam obligare vt credam rem illam eſſe de fide, quam ex priori ſententia, toto aliquo tempore tenebar credere non eſſe de fide, poteſt quidem Eccleſia liberum relinquere cuique credere rem aliquam eſſe aut non eſſe de fide, donec poſt accuratum examen definiatur eſſe aut non eſſe de fide, ſed ea ſententia non eſt prouiſionalis, neque obligat me ad credendum per aliquot tempus eſſe de fide, poſt quod accedente ſententia definitiua Concilij obligabor credere non eſſe de fide, atque ita mutare meam fidem ad quam obligabar per ſententiam prouiſio-

ralem Pontificis. Quare licet plures ſint quæſtiones & controuerſiæ circa res fidei, an reuera tales exiſtant, vel non exiſtant, illæ nondum ſunt definitæ, ne quidem prouiſionaliter, immò libera facultas eſt de iis quidpiam ſentiendi, aut non ſentiendi, quæ libertas non eſt ſententia, vel definitiua vel prouiſionalis. Nam etiam iſta poſterior obligat ad aliquid, quod facit omnis ſententia, niſi per appellationem ſuſpendatur. Talem autem volunt eſſe definitionem Pontificiam ij quos impugnamus, obligátque nos ad credendum quod de fide eſſe, aut non eſſe definiunt prouiſionaliter. Vſque ad nouam definitionem Concilij vniuerſalis, quod ſi aliter ſtatuat, mutabimus ex eius præſcripto noſtram fidem.

Quod verò obiiciunt Honorium imperaſſe ſilentium circa voces vnius aut geminæ voluntaris, & alios deinde Pontifices vetuiſſe quæſtiones aliquas agitari, aut circa eas alterutram contradictionis partem damnari, non fauet aduerſariis. Cum Honorius aliíque Pontifices nihil circa eas quæſtiones definierint, immò declararint controuerſiam nondum eſſe definitam, neque ſe illam definire, ſed in opinione relinquere, eo-quod nondum ſatis expenſa ſit, atque in eo dubio fas eſſe volunt, quam libuerit opinionem ſequi, itavt parati ſint amplecti quod vel ipſe Pontifex vel Concilium legitimum, ſi cogatur, amplectendum eſſe iudicauerit, neque qui tenuerit opinionem quam poſtmodum vel Papa ſolus, vel vnà cum Concilio damnauit, Hæreticus erit, cum caruerit pertinacia, paratúſque perpetuò fuerit Iudicium Pontificis & Eccleſiæ ſequi, *vti nuper dicebamus.* Deinde in eiuſmodi controuerſiis quas non definiunt Pontifices, quarúmque liberam ſentiendi optionem faciunt, ferè ſemper de modis loquendi agunt quos vſurpari vetant. Re tamen ipſa priùs conſtituta, vt nuper dicebamus de Honorio, qui imprimis explicuit, quid ſentiendum eſſet, credendúmque in Chriſto duas eſſe naturas diſtinctas & inconfuſas inter ſe, καθ' ὑπόστασιν vnitas vnumque eſſe operantem in duabus naturis ſecundum propria ſingularum, atque ita & Eutychem & Neſtorium reiiciebant; voce tamen vnius vel geminæ operationis aliquandiu abſtineri voluit, eo quod illis tum Neſtoriani, tum Eutychiani abutebantur; ex gemina enim operatione Neſtoriani duo operantes; ex vna confuſionem naturarum Eutychiani colligebant. Quare ſapienter voluit Honorius iis vocibus abſtinere, modo res ipſa teneretur, donec expertus eſt ſubdole eo ſilentio Monothelitas ſuam hæreſim, quæ Eutychianæ affinis, aut proles erat propagare. Similes fuere cauſæ, & rationes Pontificiæ, quæ aliquandiu quæſtiones aliquas indiſcuſſas relinquere, perſuaſſe, ne præcipitanter illas definiuiſſe viderentur. Quare eas permiſſiones non fuere definitiones fidei, ſed potiùs vt dixi non definitiones, neque dici poſſunt ſententiæ prouiſionales, vel decretoriæ.

Dicebam ſecundò, hanc prouocationem à Pontifice ad Concilium in rebus fidei, vix vnquam vtilem eſſe prouocanti, qui vbi deinde à Concilio damnatur, non magis conciliari definitioni, quàm Pontificiæ aſſentitur, ſed noua ſubterfugia quærit, & decretorum interpretationes. Sic Ariani poſt tot turbas excitatas in Eccleſia, & tot Synodos particulares, quarum iudicium vel declinabant, vel contemnebant; damnati tandem à prima Synodo Oecumenica plus quàm trecentorum Patrum, doctrina & ſanctitate atque etiam fidei Confeſſione illuſtrium, quàm Anaſtaſ. Sinait. *cap. 9.* ὁδηγοῦ Sanctiſſimam & Beatiſſimam Spiritus ſancti filiam, quaſi vnigenitam nominat, & omnes SS. PP. miris laudibus extulerunt, damnati an propterea quieuerunt: an Symbolum ab ea editum amplexi ſunt, an non contra vocem οὐσίας, vt ex eo eraderetur omnibus artibus contenderunt, an non tot alia Concilia in Oriente & Occidente coëgerunt, an non nouas fidei profeſſiones in illis cuderunt, quatuordecim ſæpè inter ſe diuerſas, cum earum cauſis accuratè recenſet Petau. *tom. 2. dogmatum Theologic. lib. 1. cap. 9.* in quibus omnibus οὐσίας & ὁμοουσίας nomina tanquam ſcopulum euitantes, illam cum Patre diuini Verbi cognationem, ac χύσιν variis modis explicarunt, vt verè Cyrill. *in Præfat. in lib. Theſaur.* ſcripſerit dicens multiplicem, ac multiformem fuiſſe Arij & Ennomij dogmatum errorem, variiſque modis veritatis fucaſſe, & adulteraſſe formam: ſimiliter inquit, Petauius ac meretrices faciunt, quæ deformitatem ſuam fuco, pigmentiſque variis & auro ac gemmis, ſericarúmque veſtium ornatu tegere conantur. Lutherani quantis clamoribus Concilium flagitarunt, vt coram eo iudicio ſtarent, aut caderent reiecta Pontificia authoritate. Et vbi tandem illud impetrarunt; ne quidem adeſſe voluerunt, & aduerſus illud horrendè conclamarunt, licerétque varias eiuſmodi appellationes Hæreticorum & Schiſmaticorum ad Concilium recenſere, quibus non aliud niſi comperendinationem Iudicij quærebant, vt interea ſuæ Sectæ patronos conquirerent, & hæreſis ſparſa ſemina ſimili fraude proteſtati ſunt ſe Eccleſiæ & Romani Pontificis iudicio ſtare velle, damnare quod damnaret, probare, quod probaret, ſed quam ſubdole; vt enim vetera taceam, videmus in vno Ianſenio, qui cum in ſuis ſcriptis, non ſemel id ſcripſerit; eius tamen conſectatores damnati à Pontifice, eius peruicaciter reiecta ſententia Concilium Generale appellant, neque poſſe abſque illo Pontificem propoſitionem aliquam damnare, vt Hæreticam plenis buccis iactant, atque apud imperitum vulgus vel Symmiſtas hæreſis infamiam vitare ſe exiſtimant. Ex quibus colliges hanc prouocationem ad Concilium ne ipſis quidem prouocantibus vtilem eſſe.

Dicebam tertiò, prouocationem ad futurum Concilium à Pontifice, tanquam minus competente Iudice in cauſis fidei illicitam eſſe, quia detrahit authoritati Pontificiæ, & Chriſti verbis, quibus conſtituitur Paſtor vniuerſi gregis Eccleſiaſtici. Quare ſapienter dixit Andreas Duvallius *tractatu de Pontific. part. 4. quæſt. 11.* vix excuſari à temeritate inobedientiæ, quàm vt plurimum fouet, multa diſſidia, magnóſque tumultus in Eccleſiam perpetuò inuexit. Deinde *concluſ. 1.* probat appellantes non modo illicitè facere, ſed etiam excommunicationem incurrere ex conſtitutione Iulij II. qui aliam Pij II. refert, atque ante has Conſtitutiones appellationes eiuſmodi fuiſſe damnatas oſtendit à Gelaſio ad Epiſcopos Dardaniæ, & refertur *can. Cuncta 9. quæſtione 3. Cuncta per mundum nouit Eccleſia, quod Sacroſancta Romana Eccleſia fas de omnibus habeat iudicandi, neque cuiquam de eius liceat iudicare iudicio. Siquidem ad illam de qualibet mundi parte appellandum eſt, ab illa autem nemo appellare permiſſus,* &c. *Sed nec illa prætermittimus, quod Apoſtolica Sedes ſine vlla Synodo præcedente, & ſoluendi quos Synodus iniquè damnauerat, & damnandi nulla exiſtente Synodo, quos oportuit, habuit facultatem, & hoc nimirum pro ſuo Principatu, quem B. Petrus Apoſtolus Domini voce, & tenuit ſemper, & tenebit.* Et *epiſt. ad Fauſtum.* Legatum vti refertur *eadem 9. quæſtione 3. Canon.* Ipſi ſunt & à Nicolao 1. *Epiſtola ad Michaëlem Imper. Ipſi ſunt Canones qui appellationes totius Eccleſiæ ad*

huius Sedis examen voluere deferri, ab ipſa verò nuſquam prorſus appellari debere ſanxerunt, ac per hoc illam de tota Eccleſia iudicare, ipſam ad nullius commeare iudicium, nec de eius vnquam præceperunt iudicio iudicari, ſententiámque illius conſtituerunt, non oportere diſſolui, cuius potius decreta ſequenda mandantur. Sapientérque reiicit Duvallius ineptam eorum interpretationem, qui hæc ita explicauit, vt à Pontifice ad nullum alium vel Patriarcham, vel Epiſcopum appellare liceat. Non verò ad Oecumenicum Concilium, quia cum Canones abſolutè, & ſimpliciter loquantur, & nihil diſtinguant. Nos etiam ipſi diſtinguere nihil debemus, neque vnquam dubitatum fuit vtrum à Papa, ad aliquem alium Prælatum licuerit appellare, cùm ipſe omnium primus & maximus perpetuò fuerit habitus. Probat deinde quia nunquam licèt à maiori ad minus, à ſuperiori ad inferiùs Tribunal appellare, atqui Concilium futurum quod nondum eſt, neque ſine magnis difficultatibus eſſe poteſt, eſt inferiùs Pontifice, qui actu exiſtit. Denique per eiuſmodi appellationes, inquit Duvallius, curſus iuſtitiæ præcluditur, lites redduntur immortales, opprimuntur Innocentes, & creſcit audacia apud improbos & ſceleratos, ita Duvallius, quæ aliaque à Sapientiſſimo Doctore loco citato diſputata. Si Valen. in cauſis, & iudiciis Canonicis & Eccleſiaſticis, de quibus modo non agimus, & in tomum tertium reiicimus, vbi de iudiciis Canonicis diſceptabimus, multo potiori iure valebunt in cauſis fidei: ex quibus omnibus, vides quomodo aſſeruimus Pontifici poteſtatem, cauſis fidei vltimo iudicandi.

§. XII.

De obligatione aſſentiendi definitioni Pontificia in rebus fidei.

Ex hac tandem fuſiori diſputatione ſequi neceſſariò videtur fideles omnes teneri definitionem Pontificiam amplecti, fuitque illa ſemper certa nota, qua Hæretici à Catholicis diſtinguerentur, quod iſtæ definitiones iſtas amplecterentur. Alij verò reiicerent. Et ſanè grex Paſtoris vocem audire debeat, membra capiti conſentire, atque ab eo regi, fruſtráque eſſet in Principe, aut Pontifice poteſtas imperandi, aut quidpiam declarandi, ſi nemo obedire teneretur, vt quid Iudex ſententiam pronuntiat, ſi illi adhærere litigantes minimè obligantur. Deinde vbi Pontifex rem quampiam eſſe de fide pronuntiauit ſe eam definitionem licèt non amplecti, licebit quoque eam reiicere, & contrariam illi definitioni ſentire. Atque ita donec noua Concilij acceſſerit definitio, nihil habebimus certum fide, magna profectò rerum omnium confuſione. Denique ea quibus aſſeruimus hanc definiendi poteſtatem in Pontifice. Probant quoque obligationem in fidelibus acceptandi eas definitiones: alioquin nulla erit certa fidei regula, neque vnquam damnari poterunt Hæretici. Nam etiamſi daremus neceſſariam eſſe Concilij definitionem, non magis illi obtemperabunt quam Pontificiæ, vt videmus in Arianis, & nuper in Lutheranis & Caluiniſtis, atque Huſſitis iam pridem, qui omnes in Concilio Conſtantienſi & Tridentino, atque etiam in antiquioribus damnati, eorum ſententiis & definitionibus non acquieuerunt, ſed eas impugnarunt, & variis quæſitis prætextibus contempſerunt, nouáſque hæreſes prioribus addiderunt. Et ſanè quæ iubent Concilio definienti parere, eadem iubent obſequi Pontifici, qui æquè ſaltem ſine æquali iure habet poteſtatem definiendi, & potiori iure caput & Paſtor Eccleſiæ conſtitutus eſt à Chriſto, quod non conuenit Concilio, quod eſt ipſemet grex ſimul cum Paſtore.

Hinc vides quam falsò velint aliqui demum, rem definitam à Pontifice eſſe de fide, quando eiuſmodi definitio acceptata eſt ab Eccleſia, quæ tota errare nequit, cùm ſit columna veritatis, aduerſus quam portæ Inferi prævalere non poſſunt ex Chriſti promiſſione. Neque enim definitiones fidei indigent acceptatione fidelium, ſed ad eam obligantur, neque ſunt de fide, quia acceptantur, ſed antecedenter ad acceptationem, ad quam ideò fideles obligantur, quia ſunt de fide, alioquin idem diceremus de definitionibus conciliaribus, eas eſſe de fide, quia ab vniuerſa Eccleſia acceptantur, tum in ipſo Cōcilio, tum extra illud. Ratio prætereà euidens eſt. Nam poteſtas definiendi, quidpiam eſſe de fide, & obligandi ad illud credendum, neque dependet, neque confertur à populo: nihil igitur definitioni per eiuſmodi poteſtatem latæ conferet, aut adimet, cùm ea definitio ſit vſus illius poteſtatis, quæ ſicut non confertur à populo, ita ab illo neque limitati, neque ampliati poteſt in ſua actione, aut vſu. Quare ſi vel eiuſmodi poteſtatis à ſe independentis vſum & actionem impediat, peccabit in illam poteſtatem, quod etiam videmus in poteſtate politica, quæ licèt fortaſſis initio tradita fuerit à populo, vbi tamen illam in Principem tranſtulit, non poteſt illam qua ſe abdicauit, iterùm reſumere, & Principi, eoque inuito illam coarctare, aut eius vſum aliqua ratione limitare, vel impedire, ſed tenetur omninò legibus iuſtis, & mandatis obtemperare, vt iterùm libro ſequenti videbimus. Cùm igitur poteſtas definiendi cauſas fidei à ſolo Chriſto, non à populo collata Pontifici fuerit, non poteſt eius vſus pendere ab acceptatione fidelium, neque eius definitiones legitimæ & validæ fient per acceptationem fidelium, qui eas acceptare tenentur, quoties fiunt à legitima poteſtate, quàm in Pontifice agnoſcimus.

Deinde vel definitiones iſtæ acceptantur tanquam fide diuina credendæ, vel non acceptantur tanquam certæ fide diuina, ſed tales fiunt per acceptationem, ſi primum dicatur, ſunt antecedenter ad acceptionem iam fide diuina certæ, atque vt tales ſupponuntur & cognoſcuntur, ſecundum verò dici nequit; ſic enim pertinerent ad fidem, & certæ fierent fide diuina per acceptationem, quod per abſurdum foret. Nam populus faceret quidpiam eſſe de fide, quod reuera tale non eſſet, & Chriſtus non dediſſet poteſtatem definiendi quæſtiones de fide Petro, eiúſque ſucceſſoribus, ſed fidelibus quibus obedire teneretur Pontifex caput, & Paſtor vniuerſalis, non oues Paſtori, & membra capiti. Sola igitur acceptatio fidelium nunquam faciat rem de fide, quæ antea non erat. Vnde autem id habent aduerſarij, cùm fides niti debeat reuelatione diuina mediata, vel immediata. Sapienter quidem docet Gillius *libro primo, tractatu 7. capite nono, num. 5.* ea quæ communi conſenſu Eccleſiæ habentur certa ex fide cenſenda eſſe, pertinere ad fidem. Ille ſiquidem communis conſenſus eſt firmum argumentum traditionis, & præuiæ reuelationis, ac veritatis per manus acceptæ, inde tamen non ſequitur rem quæ ante acceptationem fidelium non pertinebat ad fidem, poſita ea acceptatione incipere eſſe de fide, ſed ex ea acceptatione iam priùs fuiſſe traditum & definitum tanquam de fide. Cùm enim vniuerſa fidelium collectio fidem amittere, aut circa dogmata errare non poſſit, communis eius ſenſus de rebus

fidei, infallibilis norma veritatis haberi debet ideóque Auguſtin. *Epiſt. 86. ad Caſulanum. In his rebus vbi nihil certè ſtatuit Scriptura diuina mos populi Dei, vel inſtituta maiorum pro lege tenenda ſunt.* Atque ea de cauſa ex Communi Eccleſiæ vſu argumentantur aliquando Patres & Concilia Auguſt. *lib.* 1. *contra Iulian. cap.* 2. Sub fin. Cœleſtin. *Epiſtoſt. ad Epiſcop. Galliæ Decreto* 12. *contra Pelagium.* Ex vſu exorciſandi pueros. Concil. Trident. *ſeſſion.* 13. *cap.* 5. *& 6.* De cultu Latriæ Exhibendo Euchariſtiæ & *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. De neceſſitate Confeſſionis Sacramentalis. Sed omnis ille Communis Eccleſiæ ſenſus in iſtis aliiſque ſolemnibus vbique vſibus, ac moribus ſignum eſt traditionis & reuelationis per manus traditæ eſt quidem Eccleſia columna veritatis per ſuum caput cui Chriſtus tradendæ, & docendæ veritatis Prærogatiuam conceſſit, & cui quamdiu innitetur, eiuſque dictum ſequetur, nunquam Hæreſibus, & erroribus ſordebit. Si verò à capite viſibili ſejungeretur, quamvis vix contingere poſſet, vt omnes & ſinguli materiali ſaltem errore nunquam inficerētur, & quamuis id accideret perſeueraret tamen fidei perpetuitas in Eccleſia, incolumi & ſano capite perſtante, ſicut patiente Chriſto dicitur fides in Virgine ſola perſeueraſſe. His omnibus addo explicandum ſupereſſe aduerſariis, qualis debeat eſſe iſta acceptatio plebis, per quam definitiones de fide habent ſuum robur, an omnium & ſingulorum an ſimul & in communi an vbique, an in ſingulis quibuſque locis, aut à peritis dumtaxat, quomodo iudicabunt populi an definitiones ſint hic, & nunc acceptandæ; quæ omnia difficillimum fuerit explicare. Nam ſi dicas acceptari in Concilio Generali, quod eſt repræſentatiuè vniuerſa Eccleſia, reſtabit inquirendum an ea acceptatio Concilij debeat iterùm acceptari à populo vt faciat rem de fide, deinde an ſufficiat acceptatio negatiua an poſitiua tantùm, in vtraque enim erit difficultas. Denique ipſa etiam reſiſtentia, & oppoſitio quæ fit definitionibus de fide, ſiue à Pontifice, ſiue à Concilio, non facit rem definitam non eſſe de fide. Nam Ariani, iiſque Imperatores, fereque totus orbis terrarum Nicænæ fidei reſtitit per quam plurimos annos, hodieque Hæretici cum magna Europæ parte, Concilij Tridentini definitionibus reſiſtunt, eaſque rident, quis tamen Catholicus ab his Conciliis definita non eſſe de fide, dicat, quis illos Canones & dogmata reiiciat. Non pendet igitur Cauſarum fidei iudicium ac ſententia, eiuſque obligatio ab acceptatione populi & Eccleſiæ, quæ definitionem à legitima poteſtate factam acceptare, & amplecti tenetur, & ſi non acceptet, eius acceptatio non impediet quominus exiſtat de fide, quod definitum fuit eſſe de fide.

Inuidioſam hoc loco quæſtionem mouent Aduerſarij de infallibilitate Pontificis in definiendis fidei rebus, quam omni conatu negant Pontifici. Si enim infallibilis in definiendo non eſt. Cur tenebor illius amplecti definitionem; quare mihi nefas erit ſaltem ſuſpendere iudicium, donec habeam definitionem omninò certam & infallibilem, qualis eſt Concilij œcumenici.

Mihi neque otium neque animus eſt digredi ad hanc diſputationem de fallibilitate; aut infallibilitate Pontificia definientis ex Cathedra quidpiam, de fide illam vide agitatam & aſſertam à Duvallio, *Secunda part. de Pontific. quæſt.* 1. *Bellarm.* Et aliis, maximè verùm de fide ſit eſſe infallibilem in eiuſmodi Iudiciis Pontificem: Mihi in præſenciarum ſufficit monere ineptam eſſe ad rem, de qua modo diſputamus obiectionem iſtam. Infallibilitas enim vel fallibilitas Principis & Iudicis non excuſat aut obligat ad obedientiam, vel exequtionem ſententiæ, ſed poteſtas imperandi aut iudicandi. Quis enim dicat aut ſupremam curiam, aut ipſummet ſummo iure Principem eſſe in ſuis Iudiciis aut mandatis infallibilem, illi tamen modo non appareant prorſus iniqua parendum omninò eſt. Itaque cum Pontifex habeat poteſtatem iudicandi de rebus & controuerſiis fidei, Iudicio ipſius ſtandum eſt, neque quærendum an fallibilis, vel infallibilis ſit, modò non appareat euidenter ipſum re ipſa falli; alioquin Leges & Iudicia inutilia forent, liceretque omnia detractare prætextu, non falſitatis actualis, ſed fallibilitatis, eodemque modo diſputaremus de infallibilitate Concilij, eiuſque etiam definitiones eluderemus, ita Ariani Nicænam, aliique Hæretici alias Synodos falſas eſſe & erraſſe contenderunt, ideòque ipſorum decreta dejecerunt. Quare Ioannes XXII. *in extrau. Quoniam de verb. ſignificat.* Rectè dixit Clauim ſcientiæ, non eſſe ſolam ſcientiam, & eruditionem quandam eximiam, ſed poteſtatem docendi, quæ nomine Clauis deſignatur. Quidquid igitur ſtatuatur de fallibilitate, aut infallibilitate Pontificis parendum eſt eius definitioni in rebus fidei, niſi liquidò conſtet eum errare & Hæreſim docere, tunc autem deſinet eſſe Pontifex. Singulorum autem, non erit illud iudicium aut Hæreſis damnate vt vides, amplectendæ igitur ſunt eæ definitiones. Quare Cyprian. *lib. de Vnitate Eccleſ.* Hæreſeon & Schiſmatum hanc vnam cauſam eſſe docet: *Quod caput Eccleſiæ non quæritur, primatus Petri contemnitur, & Cathedra ac Eccleſia vna & Epiſcopatus vnus deſeritur.* Vide locum Paulò prolixiorem ex quo hæc pauca obſeruo. *Hoc eo fit,* inquit, *dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec magiſtri cæleſtis doctrina ſeruatur,* &c. *Loquitur Dominus ad Petrum. Ego dico tibi quia tu es Petrus &c. Super illum vnum ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oues ſuas, & quamuis Apoſtolis omnibus poſt Reſurrectionem ſuam parem tribuat poteſtatem, & dicat ſicut miſit me pater, &c. Tamen vnitatem manifeſtaret vnam Cathedram conſtituit, & vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem ſua authoritate diſpoſuit, &c. Primatus Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia, & Cathedra vna monſtretur* &c. *Hanc Eccleſiæ vnitatem qui non tenet tenere ſe fidem credit, qui Eccleſiæ renititur, & reſiſtit, qui Cathedram Petri ſuper quam fundata eſt Eccleſia deſeruit, in Eccleſia ſe ſe eſſe confidit.* Si ergo ex Cypriano Eccleſiam deſerit qui fidem & Cathedram Petri deſerit, aliudque diuerſum ab ea ſenit, obſtringimur profectò Cathedræ Petri ſiue Romani Pontificis definitiones in rebus fidei amplecti, vt in Eccleſia maneamus. Atque ea de cauſa Iudicium ſedis Apoſtolicæ perpetuò quæſitum fuit, quod initio huius diſputationis monuit Athanaſius, & cæteri Epiſcopi Ægyptij Thebaidos & Lybiæ *Epiſt. ad fœlic. ſemper anteceſſores noſtri, & nos à veſtra: Apoſtolica ſancta ſede auxilium Hauſimus, & noſtri. Vos curam habere cognouimus præfactam Apoſtolicam & ſummam expetimus iuxta Canonum decreta ſedem, vt inde auxilium capiamus, vnde prædeceſſores noſtri ordinationes & dogmata, atque ſubleuationes cæperunt.* Et mox. *Tu Porphanarum imperitorum atque omnium infeſtantium depoſitor, vt Princeps & Doctor, caputque omnium Orthodoxa Doctrinæ & Immaculatæ fidei.* Et ſanè fruſtrà omnes ad Pontificis Iudicium circa hæreſes adirent, ſi illud ſequi non tenerentur, & Epiſcopi Tarraconenſis Prouinciæ, *Epiſtola ad Hilarium Papam*, atque PP. Concilij Milenitani ad Innocentium primum contra Pelagianos, Baſil. quoque Epiſtola Romam per Sabium Diaconum data poſtularent, vt ſua

authorita

authoritate & definitione Hæreſes tunc exortas comprimeret, ſi eius authoritatem liceret contemnere, celebriſque eſt illa Hieronymi ſententia ad Damaſum *Epiſt*. 57. de tribus Hypoſtaſibus, vbi ſe vnius Damaſi fidem ſequuturum omninò affirmat, neque aut Conſilium cogi poſtulat, aut ſibi liberum relinqui aliud, quàm quod ipſe iudicarit ſequi.

§. XIII.

An Romanus Pontifex poſſit Leges, Vniuerſæ Eccleſiæ præſcribere.

Hactenus egimus de priori parte Iuris Canonici quæ continet dogmata doctrinæ fidei, & morum, quorum definitiones ad Romanum Pontificem pertinere diximus, venio ad poſteriorem partem ipſoque Canones, Leges Eccleſiaſticas, quas communiori nomine Iuris Canonici vulgò ſignificant, & de diſciplina externa, atque regimine Eccleſiarum diſponit, vt omnia in Domo Dei, quæ eſt Eccleſia, ordinatè fiant, quod iubet Paulus, quæriſmúſque cuius ſit eiuſmodi Leges Sancire, quoties communes ſunt toti Eccleſiæ & Vniuerſam obligant. Et primò quidem ſtatim apparet eam poteſtatem non eſſe penes ſingulos Epiſcopos, cum eorum Iuriſdictio non extendatur extra ſuas Diœceſes, aut Prouincias, quæ eadem ratio idem oſtendit de Synodis Diæceſanis, & Prouincialibus, quæ & ipſa præſcriptos limites habent, vti dicemus inferiùs. Sicut & Patriarchæ ſui Patriarchatus finibus conſcribuntur: Tota igitur quæſtio eſſe poteſt de Romano Pontifice & Synodis œcumenicis propter Vniuerſalem Iuriſdictionem, quâ pollere dicuntur. De Pontifice itaque diſputamus hoc loco, de Conciliis quæſtione proxima, & quidem hanc poteſtatem Vvaldenſis, Vvicleſiſtæ Michaël, Padanus, Lutherus, Caluinus aliíve negant, non modo Pontifici ſed ipſi etiam Eccleſiæ, cuius omnes Leges rejiciunt, & nolunt obligare in conſcientia: illos dabit Bellarm. *lib. 4. de Pontifice cap.* 15. Aliíque Hæreſeologi, ipſis acceſſit Vigorius Iuriſ-conſultus Richerij Aſſecla à Duuallio egregiè confutatus, *tract. de Pontifice part*. 3. Quæ eſt de Diſciplina Eccleſiaſtica, *quæſt*. 1. & 2. Nos quoque hos omnes impugnauimus hoc ipſo capite *quæſt*. 2. Vbi hanc poteſtatem in Petro & cæteris Apoſtolis aſſeruimus, & Leges à Paulo atque aliis latas Iudicauimus; nunc verò de Romano Pontifice dumtaxat diſputamus, quærimuſque an eam poteſtatem Sanciendi Leges etiam Vniuerſæ Eccleſiæ habeat, an verò ad id debeat cogere Synodum vel œcumenicam, vel ſaltem Romanam, aut ad minimum Cardinalium cœtum. Quidam enim cum non poſſint poteſtatem legiſlatiuam negare Pontifici, his conditionibus illam circumſcribunt.

Agnoſcimus igitur in Pontifice poteſtatem verè legiſlatiuam, neque illum ad cogendas eam in rem Synodos vel œcumenicas vel Prouinciales vel Conſiſtorium Cardinalium tenere, ſed vt prudenter & iuſtè agat, ſiue per ſe ſe, ſiue ex prudentum & eruditorum Concilio, quod omnis prorſus Legiſlator ſeruare debet, ne quid temerariò, præcipitanter, & iniuſtè agat, nos modo agimus dumtaxat de legumlatiua poteſtate, non de modo ea vtendi, quam poteſtatem in Pontifice agnouit perpetuò Eccleſia & reuera ſequitur ex dignitate capitis Eccleſiæ & Paſtoris Vniuerſalis totius gregis, ac denique in his omnibus Beati ſucceſſoris, quam illi vni conuenire demonſtrauimus hac ipſa quæſtione §. 1. cum & membra capite, & Grex à Paſtore regi debeant, eiuſque legibus obſequi, nomen quoque & munus Principis idem poſtulat; illud autem ipſi tribuunt Chryſ. *hom.* 22. *in* 1. *ad Corint*. Synodus Epir. *Epiſt. ad Hormiſdam*, & Monachi Secud. Syriæ ad eundem Hormiſdam Scribentes S. Epheſan. *Serm. de Transfigurat*. Petrus Damiani. *Serm.* 27. Goffridus Vindocin. *lib.* 1. *Epiſt.* 7. Sed luculentiſſimum huius nominis teſtimonium & reliquis præferendum habemus ex Concilio Nicæno. *Canon*. 39. Ex LXXX. Ex Codice Arabico Vulgatis à Franciſco Turriano ad calcem conſtitutionum Clementis, atque ab Alphonſo Piſano, *lib.* 3. *Concilij Nicæni*, *vt cunctis*, inquit, *Canon*, *ditionis ſuæ nationibus imperat Patriarcha & leges indicit*; & *vt à principio Petrus Christi Vicarius Religioni Eccleſiis, cæteriſque ad Chriſtum pertinentibus rebus præfectus, Principum Chriſtianorum Prouinciarum, & omnium gentium Dominus ac Rector erat: Ita ille cuius Principatus Romæ eſt, & Petro ſimilis, & authoritate par & Patriarcharum omnium Dominatum & Principatum obtinet. Huic Sanctioni, ſi quis repugnauerit totius Synodi decreto, anathemati ſubijciatur*, *verſio* Turriani quamuis non habeat eadem verba, eandem tamen omninò ſententiam exprimit, illam etiam affert, *lib.* 2. *de dogmaticis* vt & Auguſtinus Stenchus *lib.* 2. *de donatione Conſtantini*, & Alanus. *Corpus in Dialogis*. Nos verò retulimus Verſionem Piſani, quam adducit ex Arabico Codice, qui extat in Bibliotheca Marcelli Pontificis *num*. 44. quod iam monueramus §. 2. Huius quæſtionis. Suffragantur huic nomen-clationi Conſtantin. magnus in Edicto Valentinian. *in Nouella* inter Theodoſianos *tit*. 24. aliíque. At verò Principis nota Characteriſtica eſt poſſe Leges præſcribere.

Accedit continuus vſus quem dabit Michaël Rouſſellus *lib.* 1. *Hiſtoria Iuriſd. Pontificia cap.* 3. Conſtat enim Pontifices Romanos varias Leges etiam in remotiſſimis prouinciis tuliſſe. Nam Euariſtus ſcripſit & mandauit Epiſcopis Ægyptiis & Africæ de nuptiarum validitate & reſtitutione Epiſcoporum, qui abſque iudiciali forma electi erant. Alexander I. Legem tulit ad omnes Epiſcopos de Sacerdotum accuſationibus & querelis. Sixtus I. de contractu Sacrorum Vaſorum per ſolos Sacros homines reſcripſit. Teleſphorus de Ieiunio ſeptem Hebdomadarum antè Paſcha, deque hymno Angelico Sacræ Liturgiæ adiungendo præcepit. Anicetus ad Epiſcopos Galliæ ſcripſit de habitu, Tonſura, & Corona Clericorum, de Epiſcoporum ordinationibus & variis gradibus victor Aſian. de die quo celebrandum eſſet Paſcha; ſimilia videbis in Regiſtris & Litteris Pontificum SS. Leonis Gregorij I. & VII. Nicolaij I. Innocentij III. aliorumque, quæ numerare hoc loco faſtidioſum eſſet, ſolebant enim Romani Pontifices decretà quædam, & conſtituta generalia edere, quæ miſſa in Prouincias ordinem Diſciplinæ Eccleſiaſticæ vbique Sanciebant, Liberius impiam fidei formulam Ariminenſis Concilij in quod Conſtantis Principis Litteris, 300. Epiſcopi ex toto occidente conuenerant & omiſſa conſubſtantiali voce & formula Nicænam deleuerant, ſuis decretis confregit, & ne baptiſati ab Arianis denuò baptiſarentur, iuſſit, eaque decreta ad omnes prouincias miſit; quod teſtatur Siricius in ſuis decretis *cap.* 1. vbi *de non rebaptizandis Arianis quod non licet, cùm hoc fieri & Apoſtolus vetet, & Canones contradicant, & poſt caſſatum Ariminenſe Concilium, miſſa ad Prouincias à veneranda memoria prædeceſſore meo Liberio generalia decreta prohibent*. Quare frequentes habitæ ſunt in prouinciis Synodi, in quibus damnarant, quam in Concilio Ariminenſi fuerant amplexi perfidiam, & vt Liberij communioni reſtituerentur, quod ipſe Liberius teſtatur *epiſt*. 11. *ad Orientales*. Simili ratione cæteri Pontifices eiuſmodi decreta Ge-

neralia miſerunt ſic Siricius conſultationi Himerij Taraconenſis *epiſt.* ſic reſpondit vt velit ea ſeruari à quinque Prouinciarum Hiſpaniæ Epiſcopis. Vnde *decreto* 8. ſic habet. *Quid ab vniuerſis poſt hac Eccleſiis ſequendum ſit, quid vitandum generali pronunciatione decernimus: & ſubicit quamquam ſtatuta ſedis Apoſtolica vel Canonum venerabilia definita nulli ignorare ſit liberum.* Quare ſua decreta Canonibus exæquat. Sed Siricij authoritas maximè ſe prodit in ſancienda Lege de continentia Clericorum, circa vſum coniugij antè initiationem initi, licet enim ex antiqua conſuetudine ſeruaretur, non tamen Lege lata certis pœnis qui ſecus feciſſent plectebantur; Siricius verò *decret.* 7. Sic ſanxit. *Hi qui illiciti priuilegij excuſatione nituntur, vt ſibi aſſerant veteri hoc lege conceſſum, nouerint ſe ab omni Eccleſiaſtico honore, quo indignè vſi ſunt. Apoſtolica ſedis authoritate deiectos, nec vnquam poſſe veneranda attrectare myſteria, quibus ſe ipſi dum obſcœnis cupiditatibus vſi ſunt priuauerint.* Et deinde *non ſpem indulgentia tolli, ſi quilibet Epiſcopus preſbyter, Diaconus, quod non optamus, fuerit talis inuentus, iam nunc ſibi omnem per nos Indulgentia aditum intelligat obſeratum, quia ferro neceſſe eſt excidantur vulnera, qua fomentorum non ſenſerint medicinam.* Atque hoc Siricij decretum ad Africanas prouincias Macedoniam, Theſſaliam Græciam & Orientis Prouincias perueniſſe, ibique ſeruatum eſſe demonſtrat Marca *lib.* 1. *de concordia cap.* 8. *n.* 4. Innocent. in ſuis decretis quæ referuntur in Codice Canonum Romanæ Eccleſiæ *tit.* 21. *ſi ad aliquos forma illa Eccleſiaſtica vita pariter, & diſciplina qua ab Epiſcopo Siricio ad Prouincias commeauit, non probatur perueniſſe his ignorationis venia remittetur, itavt de cætero penitus incipiant abſtinere,* & mox *ſi quis autem ſciſſe formam viuendi Miſſam à Siricio deteguntur, neque ſtatim cupiditates libidinis abiecisſe, illi ſunt modis omnibus abiiciendi qui poſt admonitionem cognitam præponendam arbitrati ſunt voluptatem.* Vides igitur decreta Pontificia in Prouincias miſſa fuiſſe, & vim legis obtinuiſſe, eorumque infractores punitos fuiſſe. Ipſe vero Innocentius etiam ſedem Antiochenam totius diœceſeos Orientis caput ordinauit *decret.* 45. 46. & 47. Et Epiſcopo Antiocheno totius diœceſeos Orientis ordinationes vindicauit contra quoſdam Metropolitanos, qui ſuarum prouinciarum ordinationes ex longuo quodam vſu ſibi deberi contendebant. Quare Iulianus triginta poſt annos dixit in Concil. Epheſino *act.* 4. ſedem Antiochenam ex Apoſtolica conſuetudine à Romano Epiſcopo diſponi & Iudicium accipere; Zoſimus in decret. *c.* 1. *&* 2. Neophytos Clericos, qui recens è Monachorum, vel laicorum numero in Clerum adſcripti fuerant, quos Concilium Sardicenſe *can.* 13. ad ſummum Sacerdotium admitti prohibuerat illi Canoni pœnam appoſuit, & è gradu in quem euecti fuerant deiici, & prætereà eundem Canonem ampliauit; nam hos Neophytos ad Diaconatus & Presbyterium ordinari vetuit, Epiſtola ad Patroclum Arelatenſem; *Si cum Apoſtolus Neophytum Sacerdotio non ſtatim cumulari iubet, & hoc idem Canonum ſtatuta ſanxerunt: hoc addimus noſtra ſententia vt quiſquis de cætero, vel ſummo Sacerdotio vel presbyterij gradu, vel Diaconatus crediderit cumulandum, ſciat ſe & gradus ſui ſubire iacturam, nec non illum valitura eſſe qua contulit vt ſaltem ab ordinatione præcipitâ, metus iſte ſummoueat quos examinata diſcuſſio coërcere debuiſſet;* Cœleſtinus *epiſt.* ad Epiſcop. Viennenſ. & Narbonenſis Prouinciæ plurima de Clericorum amictu & ordinationibus conſtituas.

Ex quibus aliiſque videas Apoſtolica decreta ad Orientis, Occidentiſque prouincias miſſa fuiſſe, falſóque ad Gregor. VII. tempora nonnullos referre quam ſibi ſumpſerunt Romani Pontifices facultatem condendi Leges Eccleſiaſticas, eo-quod in eius dictatis reperiuntur hæc verba. *Illi ſoli licet pro temporum neceſſitate nouas Leges cùm ea* poteſtate vſi fuerint alij Pontif. multò ante Greg. vt docuimus, atque etiam ante Imperium Valentiniani III. quem hoc priuilegium feciſſe volunt nouatores conſtitutione in qua iubet pro lege eſſe quidquid ſanxit, vel ſanxerit Apoſtolicæ ſedis authoritas: Verùm hac conſtitutione, non confert Romanæ ſedi condendarum legum authoritatem, ſed iam antiquiorem vſum oſtendit, & iudicium S. Leonis ſua quoque authoritate principali aduerſus Hilarium Arelatenſem communiit. Cùm enim Hilarij Arelatenſis cum Epiſcopo Viennenſi contentio circa ordinationem ſæpius agitata, & tandem à S. Leone in Concilio Romano finita fuiſſet, & Hilarius damnatus: Leo ſuum iudicium contra Hilarij cauillationes à Valentiniano communiri voluit, quod egregiè præſtitit imperator citata conſtitutione, quæ inter Theodoſianas recenſetur numero XXIV. Et incipit. *Certum eſt nobis,* vbi & Apoſtolicæ ſedis primatum agnoſcit & ne quid inlicitum præter authoritatem ſedis eius præſumptio adtemptare nitatur. *Tunc enim demum Eccleſiarum pax vbique ſeruabitur, ſi Rectorem ſuum agnoſcat vniuerſitas,* deinde recenſitis Hilarij criminibus, qui Eccleſiæ Romanæ vrbis inconſulto Pontifice indebitas ſibi ordinationes Epiſcoporum ſola temeritate vſurpans inuaſit, &c. *his talibus, & contra imperij maieſtatem & contra reuerentiam Apoſtolica ſedis admiſſis per ordinem Religioſi viri vrbis Papa cognitione diſcuſſis, certa in eum ex his quos malè ordinauerat lata ſententia eſt, & erat quidem ipſa ſententia per gallias etiam ſine Imperiali ſanctione valitura. Quid enim tanti Pontificis authoritati in Eccleſias non liceret,* quæ verba diligenter expendenda ſunt nouatoribus, deinde addit curaturum ſe vt vetus conſuetudo ab omnibus Epiſcopis ſeruetur *ſed noſtram quoque præceptionem hac ratio prouocauit, nec vlterius vel Hilario quem adhuc Epiſcopum nuncupari ſola manſueti Præſulis permittit humanitas, nec cuiquam alteri Eccleſiaſticis rebus arma miſcere, aut præceptis Romani Antiſtitis liceat obuiare Auſibus enim talibus fides & reuerentia noſtri violatur imperij, nec hoc ſolùm quod eſt maximi criminis ſubmonemus. Verùm ne leuis ſaltem inter Eccleſias turba naſcatur, vel in aliquo minui Religionis diſciplina videatur: hoc perenni ſanctione decernimus, ne quid tam Epiſcopis gallicanis, quam aliarum prouinciarum contra conſuetudinem veterem liceat ſine viri venerabile Papa vrbis æterna authoritate temptare, ſed illis omnibuſque pro lege ſit quidquid ſanxit, vel ſanxerit Apoſtolica ſedis authoritas, itavt quiſquis Epiſcopus ad iudicium Romani Antiſtitis euocatus venire neglexerit, per moderatorem eiuſdem prouincia adeſſe cogatur, per omnia ſeruatis qua diui parentes noſtri Romana Eccleſia detulerunt.* Non potuit Valentinianus teſtari illuſtriùs ſuum ſtudium in tuendo Romani Pontificis primatu, & authoritate quam ipſi nullam confert, ſed in perſona Petri collatam acriter defendit, & tuetur Leo in Decretis *tit.* 1. *omnia decretalia conſtituta tam Beata recordationis Innocentij quam omnium deceſſorum ſuorum, qua de Eccleſiaſticis ordinibus & de Canonum promulgata ſunt diſciplinis cuſtodiri mandat.* Solebant Romani Pontifices frequentiùs Romanas Synodos ad conſultandum de decretis & legibus condendis cogere, quamvis ſolius Pontificis nomine deinde ederentur ſynodis ſucceſſit Concilium Cardinalium: Eorum enim, & conſilio & aſſenſu ſummus Pontifex regit diſponit, atque gubernat vniuerſam Eccleſiam, inquit, Turrecremata *lib.* 1. *de Eccleſia cap.* 10.

Confirmatur hæc ſedis Apoſtolicæ poteſtas legum

gum latiua, ex eo-quod quoties ſuboriebantur dubia circa diſciplinam Eccleſiaſticam, ea referebantur ad Pontificem Romanum,vt de iis pronuntiaret: eadem ratione qua dubia de fidei dogmatis ad ipſum quoque referebantur,vt ea declararet & definiret,vti ſuperiùs euicimus.Ex iis verò relationibus manifeſtò colligitur poteſtas iudicandi & ſanciendi, quæ ad dubias eiuſmodi quæſtiones diſſoluendas pertinebant; alioquin enim inutiles fuiſſent eæ relationes. Neque enim tantum Concilij petendi cauſa fiebant, quod teſtantur ij ipſi, qui ad Sedem Apoſtolicam in ſuis dubiis recurrebant,ſed vt eius ſententiam ſequerentur, eò planè modo quo Prouinciarum præſides, atque ipſi Præfecti Prætorio ad Principem negotio dubiæ quæſtionis referebant, eúmque conſultabant, vt eius deinde iudicium omninò ſequerentur, quod ſeruatum eſſe à Plinio, ſecundo cum à Trajano Principe ad ordinandam Bythiniam & Pontum miſſus eſſet, videre eſt in eius Epiſtolis. Quamvis enim ad cæteros quoque Patriarchas ſolerent eiuſmodi relationes fieri, vti ſignificat Hieronym. *Epiſt.*61. dum quæritur Ioannem Hieroſolymitanum ad Theophylum Alexandrin. de rediuiuis Origenis erroribus retuliſſe, cum Palæſtina ad Alexandrinum Epiſcopum non pertineret, ſed ad Cæſaream Metropolim, aut Antiochiam totius Orientis caput, ad quarum Epiſcopos referre debuiſſet, quia tamen Romana ſedes omnium caput erat,ad illam ex totius Orientis Occidentiſque Prouinciis referebatur,quod teſtatur ipſe Hieronym. qui apud Damaſum iis quæſtionibus relationibúſque reſpondendis vacabat: & ipſimet præcipui Patriarchæ tandem ad Romanum Pontificem referebant. Ideoque Cyrillus Alexand. Neſtorij hæreſim ad Cœleſtinum retulit. *Longa*,inquit,*Eccleſiarum conſuetudo ſuadet,vt eiuſmodi res ſanctitati tuæ communicetur.*Vide Epiſt.Cyrilli ad Cœleſtin.in Concilio Epheſino 1.*part. cap.*1. Cœleſtinus verò ad eam relationem Cyrilli, Romæ Synodum cogit, de fidei quæſtione decernit,Neſtorium damnat,à communione Catholica & ſede Conſtantinopolitan. deiicit, niſi impiam doctrinam eiuret.Mandat Cyrill. vt ſuam ſententiam exequatur, & ſuo loco ac poteſtate vſus illi Eccleſiæ proſpiciat. Quare coacta Epheſi Synodus Oecumenica Neſtorium denuò damnat ex Cœleſtini iudicio ad relationem Cyrilli dato,quæ omnia fiunt manifeſta ex Concilio Epheſino Cyrilli & Cœleſtini, atque ex ipſa Synodica Concilij de relationibus Pelagianæ hæreſis à Concilio Mileuitano & Carthaginenſi factæ ad Innocentium ex Epiſt.tum Conciliorum eiuſmodi,tum ipſius Innocentij, quæ ſunt inter Auguſtinian. 91. 96. & 106. diximus ſuperiùs hac ipſa quæſtione, ſed non poteſt adduci illuſtrius teſtimonium, quam ipſius Iuſtiniani,maximè in cauſis fidei, cuius Epiſtola ad Ioannem Pontificem, & Ioannis ad ipſum referuntur in Codice Iuſtinianeo *tit.de ſumma Trinitate.*

Iam verò quoad relationes quoad diſciplinam Eccleſiaſticam,patet ex Himenio Tarraconenſi referente quæſtiones ad Siticium Pontificem, quem conſulit, vt apparet ex ipſa Epiſtola Siricij. Idem videmus in exuperio Tholoſano,cui Innocentius I. *Epiſt.* ad ipſum ſic reſpondet: *Dilectio tua inſtitutum ſequuta prudentum ad Sedem Apoſtolicam referre maluit, quid de rebus dubiis cuſtodire deberet, quam vſurpatione præſumpta,quæ ſibi viderentur de ſingulis obtinere.* Reſponſa porrò Sedis Apoſtolicæ in Prouincias mittebantur, vt ſingulis conſtaret, quid in eiuſmodi dubiis tenendum demùm eſſet. Hinc tandem ortæ ſunt appellationes ad Sedem Apoſtolicam à Synodis, & à Clericis pluribus in cauſis, ipſiúſque Sedis Apoſtolicæ ſic appellatæ iudicia de quibus commodiori loco *tomo* 3. vbi de iudiciis Canonicis acturi ſumus. Interim adi eruditiſſimum de Marca *lib.*1. *de concordia, cap.*10. Et aliquot ſequentibus,non licet nobis tam ſæpè diuagari,& exerrare. Satis enim noſtro præſenti inſtituto fuerit oſtendiſſe, ex iſtis etiam ſolitis ad R. P. relationibus in dubiis Eccleſiaſticæ diſciplinæ, eius authoritatem in ferendis legibus ſanciendáque diſciplina confirmaſſe.

His omnibus obiici videtur *Canon. VI.* Concilij Nicæni quod Romani Pontificis poteſtatem, & iuriſdictionem intra breuiores ſuburbicariarum Eccleſiarum limites coërcet, aut ſaltem intra fines ſui Patriarchatus, ſicut cæteris omnibus Patriarchis certos terminos ponit, ait itaque Canon. *Antiqua conſuetudo ſeruetur per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim, vt Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem,quia & Vrbis Romæ Epiſcopo Pariliſmos eſt. Similiter autem & apud Antiochiam, cæteráſque Prouincias ſuis priuilegia ſeruentur Eccleſiis.* De hoc Canone magna eis eſt inter eruditos, alia mente quàm inter Nouatores,qui inde ſibi colligere videntur primò, Romani Pontificis Primatum à Patribus Nicænis inſtitutum, quod etiam in Concilio Chalcedonenſi *Actione* 16. dicitur ſecundò colligunt cum Balſamone tunc & Romanam & cæteros Patriarchatus primum inſtitutos fuiſſe, & Romano quidem Occidentalis dumtaxat Eccleſiæ curam demandatam, tertiò, ex verſione Ruffini multò anguſtiorem collatam illi Prouinciam,nimirùm ſuburbicariarum dumtaxat Eccleſiarum. Sic enim vertit Ruffin. Alexandrinus habeat curam Ægypti, ſicut Romanus habet curam Eccleſiarum ſuburbicariarum, quæ Romanæ Eccleſiæ Diœceſi peculiariter ſunt ſubiectæ. Quæ omnia ineptiſſimè colliguntur ab aduerſariis. Atque vt ab hoc poſtremo ordiar, Ruffini verſionem falſam eſſe conſtat, ex eo-quod neque in vulgatis exemplaribus, neque in verſione Dionyſij exigui, neque in Concilio Chalced. *Actione* 16. vbi iſte Canon refertur reperiantur eiuſmodi verba, & in antiquiſſimo Codice Vedaſti Attrebatenſis ante annos octingentos ſcripto. Sic legi teſtatur Pamelius in ſcholiis ad Cyprian. *ad lib.de vnitate Eccleſiæ num.*14. *Eccleſia Romana ſemper habuit Primatum. Reuera autem, & Ægyptus Lybiæ. Et Pentapolis, itavt Epiſcopus Alexandriæ harum omnium habeat poteſtatem: quoniam, & Romano Epiſcopo hæc eſt conſuetudo; ſimiliter autem & qui in Antiochia conſtitutus eſt, itaque & in cæteris Prouinciis, ſicut ſunt priuilegia Eccleſiarum.* Deinde Ruffini verſio & explicatio falſa ex eo demonſtratur, quod Pontificij Romano quem primum, & præcipuum Patriarcham agnoſcunt PP. exigui omninò ſuæ Prouinciæ limites aſſignentur, nimirùm ſuburbicariæ tantum Eccleſiæ quæcumque illæ tandem ſint Alexandrino & Antiocheno latiſſimæ Prouinciæ, huius præterea partitionis, ſi vera eſſet ineptiſſimam cauſam redderet, aſſignat enim Ægyptum, Lybiam & Pentapolim Alexandrino. Quoniam Epiſcopo Romano Pariliſmos eſt,quæ particulæ. Quoniam eſt rationalis. Quænam verò eſt iſta ratio habeat Alexandrinus Ægyptum Lybiam, & Pentapolim, quia Romanus Epiſcopus habet ſuburbicarias Eccleſias, quæ paucæ numero, & ſpatiis breues ſunt,quis ſapiens illum probandi modum, & vim argumenti probarit: vnde etiam reiicitur quoque Balſamon & Nilus,qui volũt eo Canone tribui totius Occidentis Eccleſias Romano Patriarchæ, ſed præterquamquod nullum de Occidente verbum habet Canon, manet ſemper ineptam rationem ſuæ diſtributionis reddi à Canone. Senſus enim erit antiquam conſuetudinem eſſe retinendam,

vt

vt Alexandrinus habeat curam Ægypti, Lybiæ & Pentapolis, quia vel quoniam ex antiquo more Romanus Pontifex habet curam Occidentalis Eccleſiæ, quàm apta eſt iſta conſequentia, Romanus Pontifex habet curam Occidentis, ergo Alexandrinus habet curam Lybiæ cur non etiam Africæ. Quare potius Alexandr. quàm Carthaginenſis aut alius quiſpiam: Denique nugātur nouatores, qui tunc primum Romanum Patriarchatum & cæteros diſtributis cuique certis Regionibus inſtitutum voluit. Cum Romanus antiquior multò fuerit, & Dionyſius Alexandrin. accuſatus ab Epiſcopis Lybiæ apud S. Dionyſium Romanum eius iudicio acquieuerit annis 60. ante Concilium Nicænum, & poſt illud Athanaſius & ipſi Ariani à Iulio Romam ad cauſam dicendam vocati ſunt, ipſeque Athanaſ. Epiſtola ad Fœlicem Romanum ſic ſcribit. *Nos enim ad quos tua maximè ſpectat cura, id eſt, omnes Epiſcopi præcipuè tuum mereri debemus iudicium, & non ab aliis deuorari.* Et mox. *vos ergo qui in ſumma ſpecula gratia Dei eſtis poſiti attendere eos, & opprimere oportet, qui in fratres ſeditiones & ſcandala excitant*, ipſeque Canon cùm iubet antiquam conſuetudinem ſeruari, manifeſtò indicat ſe nihil noui ſtatuere, ſed veterem vſum ſeruari velle.

Concilium verò Chalcedonenſe non fauet Aduerſariis. Cum enim poſt definitionem fidei abſente Imperatore, & Apoſtolicæ ſedis Legatis, patres conueniſſent, & primum locum Epiſcopo Conſtantinopolitano poſt Romanum aſſignaſſent, ſequenti deinde ſeſſione 16. præſente Imperatore quæſti ſunt Pontificij Legati, de iis quæ poſt eorum diſceſſum occultè geſta erant, petieruntque ab Imperatore, iuberet ea recitari, acta vno continebant PP. ſequutos exemplum centum quinquaginta Epiſcoporum, qui regnante Theodoſio congregati erant Conſtantinopoli, de nouæ Romæ priuilegiis egiſſe, vt ſicut ſeniori. Romæ propter imperium Ciuitatis priuilegia reddiderant, ita & nouæ Romæ æqua priuilegia & ſecunda poſt illum redderentur huic verò decreto Paſchaſinus, Lucentius & Bonifacius Pontificij Legati interceſſerunt, primò quod non conſcriptis Canonibus quorum meminerant Epiſcopi ſubſcripſerint, Secundo conſtitutis à 318. Epiſcopis, decreta 150. Epiſcoporum quæ etiam in Synodicis canonibus non habentur prætulerint, tertiò quod dicant hæc omnia ante annos ferè octoginta conſtituta fuiſſe: ſi enim ex tam longo tempore hoc beneficio vſi ſunt Epiſcopi Conſtantinopolitani, quid de illo mouere quæſtionem, ſi non ſunt vſi, quà cauſâ modo illud petunt, quarto quod ab Apoſtolico Papa, Leone nimirum, hoc mandatum haberent, quod & latum eſt: *Sanctorum quoque Patrum conſtitutionem prælatum nullâ patiamini temeritate violari, vel imminui ſeruantes omnimodis perſona noſtra in vobis, quos vice noſtra tranſmiſimus dignitatem ac ſiqui fortè Ciuitatum ſuarum ſplendore confiſi, aliquid tentauerint.* vſurpare, qua dignum & Conſtantia retundatis, quintò Paſchaſinus Legatus recitauit Canonem VI. 318. Sanctorum Patrum ſic ἡ ἐκκλησίας ρωμης πάντοτε ἔχε τὰ πρωτια, Eccleſia Romana ſemper habuit principatum, teneret autem & Ægyptus vt Epiſcopus Alexandrinus eſt. Deinde Conſtantinus Secretarius eundem Canonem ex Archeuio Conſtantinopolitana Eccleſia recitauit in hunc modum. *Antiqua conſuetudines teneant in Ægypto vt Alexandrinus Epiſcopus omnium habeat poteſtatem, quoniam & Romano Epiſcopo hæc conſuetudo eſt*, &c. Lectum prætereà Synodicum Concilij Conſtantinopolitani 150. Patrum ſub Nectario Epiſcopo, & Theodoſio Imperatore; vbi iubent PP. *vt ſecundum regulas Alexandriæ quidem Epiſcopus ea quæ ſunt in Ægypto diſponat, Orientis autem Epiſcopi, Orientem ſolum gubernent, ſeruatis autem primatibus ſecundum Canones Nicænos.* Demum rogatis omnium ſententiis Iudices Synodis ex ante geſtis dixerunt, *perpendimus omnem quidem primatum & honorem præcipuum ſecundum Canones antiqua Roma Dei amantiſſimo Archiepiſcopo conſeruari* concludunt tandem Epiſcopo Conſtantinopolitano primatum aliquem per certas regiones deferendum, quibus omnes patres conſenſerunt & miſſionem petierunt, Legati tamen Pontific. interfecerunt, petieruntque hæc geſta deleri, aut ſuam contradictionem actis inſcribi, conſtet quid Apoſtolico vniuerſalis Eccleſiæ præcipuo Epiſcopo referre deberent, vt ipſe aut de ſuæ ſedis iniuria, aut de Canonum euerſione ferre ſententiam poſſet. Ex his omnibus vides in antiquo Canone Nicæno VI. toties Citato, etiam à Græcis, qui ex illo putabant ſibi licere primatum poſt Romanum tribuere Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, nihil haberi quo ſignificetur ſe vel Primatum & priuilegia tribuere ſedi Romanæ, vel quo eius vniuerſalem iuriſdictionem circumſcribat certis regionibus, vel in alias partiatur. Ac proinde Canonem illum *num.* 28. Chalcedonenſem Clandeſtinâ fraude Anatolij abſentibus Pontificiis Legatis iure expunctum eſſe & non reperiri in mſc. Codice huius Cōcilij, neque in Latinis neque etiā in Collectionibus Dionyſij exigui & Iſidori, neque in antiqua collectione Latina quam nuper Chriſtophorus, Iuſtillus edidit, quamvis à Theodor. Balſamone, Zonara, & aliis collectoribus Græcis recenſeatur vt ſuo ſchiſmati faueant, reiecit enim illum eo ipſo tempore quo primum conditus eſt loco Epiſtola 61. ad PP. Calcedon. *epiſt.* 62. ad Maximum Antiochenum & alibi ſæpius, eo quod iura Alexandrin. & Antiocheni Epiſcopi à Nicæno conceſſa violabat, & prætereà falſa continebat, cum diceret Romano Epiſcopo Primatum conceſſum à Patribus Nicænis propter Romanæ Vrbis, quæ ſedes Imperij erat maieſtatem, cum ipſe Canon Nicœnus ſic ordiatur *Romana Eccleſia ſemper habuit primatum*, non igitur illum tribuit, ineptamque huius primatus rationem affert Canoniſtæ Clandeſtinus Chalcedonenſis quod Roma eſſet ſedes Imperij, alioquin Mediolanum, Rauenna Sirmium, Treueri, & Nicomedia quæ aliquandiu ſedes Imperij fuerunt, primatum quoque Eccleſiaſticum habere debuiſſent, vti argumentatur Gelaſius *epiſt.* ad Epiſcopos Dardania vide ad S. Leonem *epiſt.* 62. ad Marcian. Ex quibus vides non modo Canonem Nicænum vſque adeò à nouatoribus, Nilo, aliiſque Græcis ſchiſmaticis iactatum non officere Romano Pontifici, ſed potius eius ſupremam dignitatem agnoſcere, vt enim obſeruat Nicolaus, *epiſt. ad Michaelem Imperatorem*, nihil ſtatuit circa Pontificem Romanum, neque vllas ipſi Regiones aſſignat ſicut Alexandrino & Anthiochen. Eccleſia Romana, inquit, ſemper habuit principatum, antiqua autem conſuetudo *ſeruetur* Alexandrino verò tribuit Ægyptum Lybian Pentapolim quod autem addit, quoniam & Epiſcopo Romano hæc eſt conſuetudo, vt recitatur in Synodo Calcedonenſi. Significat ex Romana Eccleſia authoritate, quæ ſemper primatum habuit in vniuerſa Eccleſia Alexandrinum Epiſcopum Eccleſiarum Ægypti habere poteſtatem, quoniam ſic moris fuit Epiſcopo Romano illi concedere. Prætereà ſignificant Nicæni P.P. his verbis ſe formam Romanæ Eccleſiæ imitari, in Patriarcha Alexandrini & Antiocheni iure vindicando, vt habeant in aſſignatis ſibi regionibus ius ordinationum, quia Romana quoque Eccleſia quæ primatum ſemper habuit, vt fert initium Canonis, morem illum in Epiſcopos ſibi ſubiectos ſeruat, hunceque eſſe Canonis ſenſum fuſius oſtendit Turrian.

lib. 3.

lib. 3. contra Mag. pro Epiſtolis Pontific. *cap.* 3: conſtátque ex Anacleto *Epiſtola* 3. de illa formula Epiſcopi Romani, quam ab Apoſtolis accepiſſe oſtendit: atque ex hoc ipſo Canone Nicæno Leo I: ſcribens ad Marcianum *Epiſt.*54. reprehendit Anatolium Conſtantinopolitanum, quod Antiochenum ordinaſſet contra priuilegia Eccleſiarum, Sanctorum Patrum Canonibus inſtituta, & Nicænæ Synodi decretis fixa, & contra antiquitatis exempla, earúmque Regularum Nicænarum ſe Leo cuſtodem dixit: *Quoniam diſpenſatio mihi credita eſt*, inquit, *& ad meum tendit reatum ſi Paternarum Regularum ſanctionem, quæ in Synodo Nicæna ad totius Eccleſiæ regimen Spiritu Dei inſtruente ſunt condita, me quod abſit conniuente violentur.* Minatur deinde ipſi Anatolio, & ſic rogat Imperatorem. *Fratris mei Anatolij*, inquit, *nociturum ipſi ſi pergeret cupiditatem ſalubriter comprimatis.* Similia atque etiam grauiora ipſi Anatolio, qui ordinationem Antiocheni præſumpſerat, ſcribit *Epiſt.*53. quomodo igitur Leo iniuriam Nicænorum Canonum arguit, illóſque violare non patitur, ſi illius poteſtas ab iiſdem vel ad ſuburbicarias Eccleſias, vel ad ſolum Occidentem limitata fuit. Cur Canonem Chalcedonenſem, clandeſtinum & Anatolij fraude extortum ſine conſenſu Apoſtolicæ Sedis, imò contradicentibus illius Legatis tam acriter confutat & reiicit, quin ipſi reſpondet Anatolius, ne vltra iura ſibi à Nicæna Synodo conceſſa, efferat intra aſſignatas regiones contineat, nihilque illi eſſe cum Eccleſia Conſtantinopolitana Alexandrina, & Antiochena ipſi ſeſe tueantur. Cur earum defenſioni ſe immiſcet. Nicolaus quoque primus *Epiſt.* citata ad Michaëlem Imperatorem. Hoc Nicæno Canone nihil Collatum Romanæ Sedi, ſed ex eius forma ſumpſiſſe exemplum eius, quod Alexandrinæ tribueret. Sic enim ſcribit. Denique ſi inſtituta Nicænæ Synodi diligenter inſpiciantur, inuenitur profectò, quia Romanæ Eccleſiæ nullum eodem Synodus contulit incrementum, ſed potiùs ex eius forma, quod Alexandrinæ Eccleſiæ tribueret, ſumpſit *exemplum*: ſimilia ex Hincmaro Remenſi refert Turrian. *cap.* 3. citato. *Niceni* Canones Romani Pontificis Priuilegium ratum eſſe non voluerunt, cum ad exemplum eius etiam omnium priuilegia Prouinciarum iudicarunt *obſeruanda*. Plurima verò alia in hunc Canonem adducit Turrian. ex quibus oſtendit, ex hac Romana quam Canon allegat conſuetudine, ab ipſo Chriſto & Petro manante cæpiſſe diuiſionem Epiſcoporum, qui appellare poſſunt tandem ad Summum Pontificem. Itaque ex hoc Canone, Ius ordinationum & appellationum. De quibus potiſſimum agit Canon contra Meletium quas ſibi indebitas vſurpabat, colligit, nobis modo ſatis eſt eo Canone Iuriſdictionem Romani Pontificis non reſtringi à Synodo vti obiiciebant aduerſarij, de hoc porrò Canone VI. Nicæno fuſiſſimè diſputat Marc. *lib.* 1. *de Concordia*, *cap.* 3. per plura ſequentia, exiſtimátque componi tres Patriarchas Romanum, Alexandrinum & Antiochenum; de Iure Patriarch. de quo diſſerit, & quod maximè in ordinationibus conſiſtebat, de quibus contra Meletianos agit Canon. Igitur *cap.* 7. *num.* 6. ſic etiam ſeruata interpretatione Ruffini Canonem exponit, cum Iacobo Sirmundo, vt Alexandrinus Ægyptiacæ Diœceſeos *ἐξουσίαν* habere debet, eodem Iure quo Epiſcopus Romanus vtebatur in Diœceſ. Vrbicaria, ſiue vt loquitur Ruffinus in Eccleſiis ſuburbicariis quæ decem Prouinciis ſuburbicariis continebantur, quorum Prouinciarum & Synodus & ordinatio, & plena liberaque adminiſtratio ad Epiſcopum Romanum pertinebat, vt Epiſcopo Alexandrino in Ægyptiaca Diœceſi, & Antiocheno in Orientali, tribuebatur; quibus idem Ius Nicæna Synodus confirmat exemplo Iuris, quod Romanus Epiſcopus in ſuburbicariis Eccleſiis exercebat, atque hanc Eccleſiarum ſuburbicariarum notionem vſurpauit Ruffinus in ſua interpretatione, quæ reuerà vti initio oſtendimus verſio non eſt, alioquin falſa eſt, & contra fidem. Sed expoſitio vt oſtenderet non fieri comparationem duorum illorum Patriarcharum cum Romano. Ille enim & maiores & plures Diœceſes tenet, & principatum totius Eccleſiæ gerit, ſed tantùm habitâ ratione Eccleſiarum ſuburbicariarum, quare ea comparatio nihil prorſus derogat ſummæ dignitati Pontificiæ, ſed eius Patriarchatum Occidentis accipit, tanquam regulam ac menſuram qua metiatur Ius Patriarchæ Antiocheni & Alexandrini afféttque Marca Interpretem M. Sc. etiam Dionyſio antiquiorem, qui Canonem ſic expreſſit. Antiqui moris eſt vt Epiſcopus Vrbis Romæ habeat principatum, ne ſuburbicaria loca, & omnem Prouinciam ſua ſollicitudine gubernet, atque ita Metropolim Roman. per loca ſuburbicaria, & Diœceſim per Prouinciam deſignat. Hoc igitur Canone Nicæno, quancumque interpretationem ſequaris, nihil ampliſſimæ iuriſdictioni Romani Pontificis in ferendis legibus Eccleſiaſticis detrahetur, neque ad certa quædam loca & regiones reſtringitur, quod hoc paragrapho probandum ſuſceperamus.

§. XIV.

Senſus Eccleſiæ Gallicanæ de Romani Pontificis poteſtate definiendi dogmata fidei, & condendi Canones Eccleſiaſticos.

Quamuis vtraque illa poteſtas omni probatio- 73
num genere hactenus ſtabilita videatur; lubet tamen diſtinctiùs explicare quis fuerit noſtræ Eccleſiæ Gallicanæ ſenſus, vt ab ea inſulſam quorumdam calumniam depellam, qui libertatem Eccleſiæ Gallicanæ defectionem quandam à Sede Romana vel fingunt, vel ineptè interpretantur, quaſi libertas iſta aliter retineri non poſſit, quare dum liberam volunt, Schiſmaticam faciunt, & nobiliſſimum Eccleſiæ membrum à ſuo capite diuellunt; cùm tamen Gallicana Eccleſia in Romana ſemper Petri *Cathedra & Eccleſiam, unde vnitas Sacerdotalis exorta eſt*, agnouerit cum Cypriano *Epiſt.* 15. & Optato *lib.* 1. *aduerſ. Parinema.* Hunc verò Eccleſiæ Gallicanæ ſenſum facilè fuerit demonſtrare ex viris eruditione, pietate, & dignitate illuſtribus, qui in ea floruere, ſiue ſinguli conſulantur, ſiue in Conciliis coacti audiantur ſecundò, ex ipſis Romanis Pontificibus qui in ſuis literis ad Gallos Epiſcopos ſuam illam poteſtatem apertè ſignificant, tertiò ex ipſo vſu & praxi, atque recurſu in dubiis ad Sedem Apoſtolicam, quartò denique ex ipſis Principum Chriſtianorum edictis, neque ſigillatim teſtes omnes numerandos ſuſcipio; eſſet enim infinitæ operæ, ſed paucos illuſtriores & ſui ſæculi lumina. Ordior ab illuſtri Martyre & Epiſcopo Iræneo *lib.* 3. *cap.* 3. contra hæreſes. *Ad Romanam Eccleſiam*, inquit, *propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam.* Hincmarus Remenſis Epiſcopus eruditione & pietate celeberrimus ſæpiùs de Romani Pontificis auctoritate egit; ex quibus hæc pauca ex opuſculo aduerſus nepotem ſuum Hincmarum Laudunenſem *cap.* 5. Seligo, ibi enim agit de duobus ſuis & Synodi Iudiciis à Sede Apoſtolica reſciſſis, neque quæritur eam ſibi poteſtatem Sedem Apoſtolicam adrogare,

adrogare, ſed ſuſcipit & veneratur, docétque alias idem alibi actum, additque, *quia ſicut & de Redemptore noſtro in Ezechiele Propheta legimus* (cap.47.) *Apoſtolica Sedes funiculum in manu tenens, diuinæ diſpoſitionis intuitu, alterum intra menſuram electorum miſericordia adſciſcit, & alterum iudicio foras relinquit, vt & Redemptor noſter dum alios à ſuis iniquitatibus abſtrahens, alios in ſua iniquitate derelinquit, alibi funiculum trahit, & aliunde retrahit, & huc ducit quem aliunde ſubducit, quoniam in eadem Sede Dominus, velut in throno ſuo præſidens aliorum facta examinat, & cuncta mirabiliter, vt videlicet de ſua Sede diſpenſat, verum ſicut nos Apoſtolicæ Sedis præſtantiam fuimus amplexi, & ita & ipſa Sedes Apoſtolica ſcriptorum ſacrorum auctoritatem nobis rependit, & benignitatem paternitatis exhibuit.* Quid amabò dici magnificentius poterat ad Romani Pontificis auctoritatem, quibus & ſimilia ſæpiùs ſcribit; vt quid enim tam frequenter decreta Siricij Innocentij, Leonis, Gregorij, aliorúmque Pontificum adducit tanquam certas Regulas, eadémque ratione quæ Conciliorum Canones, vt quid ſcribens ad Nicolaum litteras, quas refert Hodoard. *lib.3. cap.11.* ipſum *Dominum, vnicè ſingularitérque ſuſcipiendum* Patrum Patrem, & *ſummâ veneratione honorandum compellat*, eiúſque in omnibus iudicio ſtare profitetur, ſed de his *tom.3.* vbi de Iudiciis Canonicis opere de diuortio, Lother. & Thebar. ſic habêt initio: *De omnibus dubiis vel obſcuris quæ ad recta fidei tenorem vel pietatis dogmata pertinent. Sancta Romana Eccleſia, vt omnium Eccleſiarum Mater & Magiſtra nutrix ac doctrix eſt conſulenda, & eius ſalutaria monita ſunt tenenda, maximè ab iis, qui in iis Regionibus habitant, in qibus, diuina gratia per eius prædicationem omnes in fide genuit, & Catholico lacte nutriuit, quos ad vitam præordinauit æternam, vnde quoniam ſicut B. Innocentius ad Decentium Eugubinum ſcribit Epiſcopum; manifeſtum eſt in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, atque Siciliam, inſulaſque interieſſentes nullam inſtituiſſet Eccleſiam, niſi eos quos venerabilis Petrus, aut eius ſucceſſores conſtituerint Sacerdotes; oportet ergo eos hoc ſequi quod Eccleſia Romana cuſtodit, à quo eos principium ſumpſiſſe non dubium eſt: ne dum peregrinis inſtitutionibus ſtudeant, caput inſtitutionum videantur amittere.* In Opuſculo L V. Capitulorum Caput X V I. agens de Metropoli Remorum, ait aſſerit à Sixto Pontifice: Sixtum primum ad Remenſem Metropolitam fuiſſe, directum Epiſcopum, indéque per quindecim Archiepiſcopos fuiſſe in Remenſi Parochia, idque conſtare, ait, ex domo, quem Analetus Epiſcopus de Sedium priuilegiis miſiſſe ſe dicit. Fuit igitur Romani Pontificis, ordinare Eccleſias, & Parochias, & alias aliis ſubiicere, tum ait: *Plurimas ſedes, licèt ſint Apoſtolorum Sedes, & aliæ principalium Ciuitatum, licèt diſparentur longinquitate terrarum, vna ſedet, ſunt magni Petri, Apoſtolorum Principis*, oſtendit deinde Sedem Alexandrinam, & Antiochenam ſicut & Romanam, B. Petri Sedem ex Leone, *Epiſt.7.* ad Dioſcorum Alexandrinum Epiſcopum, atque ex Beato Gregorio *lib.8. Epiſt.4.* ad Eulogium, Alexandr. iter Epiſcop. *Veritat. Miniſter, Petri ſequax, & ſanctæ Eccleſiæ prædicator ſcit, quia illa loqui potuiſti, quæ de Sede Petri Apoſtoli per os Doctoris ſonare debuerunt*: allegat Innocentium, *Epiſt.11.* ad Alexand. Antiochen. vbi agens de priuilegio, illi Sedi à Nicæna Synodo, tributo, ait id factum non tam pro Ciuitatis magnificentia, quàm quia primam primi Apoſtoli Sedem eſſe monſtretur, hac quæque Vrbis Romæ ſedi non cederet, niſi quod illa in tranſitu meruit iſta ſuſceptum apud ſe conſummatum gaudere alia, & Leone *Epiſtola 66.* atque ex variis B. Gregorij epiſtolis, in eandem rem profert Hincmarus, & pluribus illuſtrat. Deinde priuilegia Sedi Remenſi à Romanis Pontificibus data laudat. Et mox: *Vnde ſicut omnibus generaliter Epiſcopis conuenit, pro Romano Pontifice & ſpeciali Petri Vicario Dominum exorare*, velut, & traditio Eccleſiaſtica demonſtrat eidem, ab omnibus obediri, ſicut & Euangelica, & Apoſtolica, authoritate, maiorum traditione, atque ex antiqua conſuetudine neſcitur eſſe decretum hic à Prouinciæ Epiſcopis obediendum eſſe Metropolitano concludit Hincmarus, atque adeò Romanum Pontificem Metropolitanum vniuerſalem agnoſcit & poſt pauca: *Iuſtum eſſe perpenditur vt Papa Romano Prælato ei à vobis orationis deuotio & obeditionis dilectio rependatur, quod & in illis temporibus actum legimus, in quibus non adeò abundauit iniquitas, & refriguit charitas, ſicut modo in noſtris agitur.* Lege nimirum Epiſtolam Leonis ad Anaſtaſium, & inuenies, cum Athico, Metropolitano Epiſcopis Prouincia ſua Romam veniſſe ſine datis Iudiciis non retardatos metu ſublimiſſimæ inter mundanos apices poteſtatis per ſæuitiem hyemis, per iter aſperum & periculis plenum, per inuias niues, cum tanto labore, atque diſcrimine, vt ex his qui Epiſcopum comitati ſunt, quidam defecerint, vt cum & indigniſſima afflictione, quam pertulit lacrymabili actione, conquerentur *cap.34.* eiuſdem Opuſculi oſtendit in rebus certis & definitis, neque Synodum eſſe conuocandam, neque Sedem Apoſtolicam inquietandam, ſed quæ ſtatuta ſunt obſeruanda, idque quamplurimis apertiſque teſtimoniis demonſtrat. Conſule hoc caput, ne illud integrum hic exſcribere cogar, vide & *c.45.* vbi de Petro Paſtore totius ouilis Chriſti inſignia habet, & in omnibus ſanè Opuſculis Hincmari plurimam in Sedis Apoſtolicæ eminentiam, & obſequium illi debitum, paſſim reperire, en hæc pauca annotaſſe ſufficiat, addo dumtaxat *capite quarto, lib. de prædeſtinatione*, contra Goteſchaſcum. *Sequimur autem, quæ Catholica, & Apoſtolica nos docet Sancta Romana Eccleſia, quæ nos in fide genuit. Catholico lacte aluit, vberibus ſucco plenis, ad ſolidum cibum nutriuit, diſciplina Orthodoxa ad perfectum virum perduxit, & ad alios inſtituendum ſua probatione inſtituit, atque in doctrinali Cathedra fauente, & adiuuante Domino ſublimauit, quæ omnia confirmat.* Ex *Epiſt.29.* Innocentij ad Decentium Eugubinum Epiſcopum, quæ ſuperiùs adduxiſſe me memini.

Tertiò, Auitus Viennenſis Epiſcopus, quem præſtantiſſimum inter Gallos vocat Ennodius in vita B. Epiphanij, & in quo ſe peritia, velut in diuerſorio lucidæ domus includit & Turonus *lib.2. hiſt. c.34.* magnæ facundiæ, Iſidorus Heſpalenſis *c.23.* de Viris Illuſtribus, ſcientiâ ſæcularum literarum Doctiſſimus, Agobard. Lugdunenſis ſcribens aduerſus legem Gundobardi, fidẽ Catholicam, eloquentiâ facundiſſimum, ingenio acerrimum, ſacrarum Literarum expoſitorem ſuauiſſimum, & alibi Protinianorum Hæreticorum expugnatorẽ validiſſimum, quem denique Ado Viennenſ. in Chronico, eloquẽtia, & ſanctitate præcipuum commendat. Is igitur *Epiſt.87.* ad Hormiſdam P.R. ſcribens nomine totius Prouinciæ Viennenſis. Initio ipſum laudat, ex curâ peruigili in gregem per tota Vniuerſalis Eccleſiæ membra ipſi commiſſum. Deinde quærit quid factum de damnatione Neſtorij & Eutycheti, de cæteris, quoque Schiſmaticis. Tum addit: *Quia ſecuri vs non dicam de Viennenſi, ſed de totius Galliæ deuotione polliceor omnes ſuper ſtatu fidei veſtram captare ſententiam: Orate vt ſic nos perditorum profeſſio fucata non fallat, ſicut ab vnitate, quam regitis veritas comperta non ſeparat.* Reſpondit, Hormiſd. & cum cæteroſque

cæteróſque illius Prouinciæ Epiſcopos fuſiùs monet, quid in cauſa Schiſmatis actum fuerit: qui & *Epiſt.* 11. *ad Anaſtaſ.* ait ſe ab vltimis Galliis conſultum de eodem Schiſmate. *Pendent*, inquit, *anxia corda cunctorum: ab vltimis ad nos Galliis directa legatio, ſi quid de vnitate redintegrationis ſollicitudo noſtra promouiſſet. forma ſecuta conſuluit.* Idem Auitus *Epiſt.* 31. quæritur de Synodo palmari, qua de cauſa Symmachi Pōtificis iuſſu Theodorici iudicauit, licèt innocentem pronuntiarit, & nomine totius Cleri Gallicani quod ſtatum ſuum in lapſo vertice ſentirent. Additque, *quam Conſtitutionem, licèt obſeruabilem numeroſi Reuerendique Concilij reddat aſſenſus, intelligimus tamen ſanctum Symmachum Papam, ſi ſedulò primum fuerat accuſatus eum Sacerdotum ſuorum ſolatium potiùs adſciſcere, quam recipere debuiſſe iudiciū.* Et mox: *Non facilè datur intelligi, qua vel ratione vel lege ab inferioribus iudicetur.* Et infrà: *Reddet rationem qui ouili Dominico præeſt, qua commiſſam ſibi agnorum curam adminiſtratione diſpenſet; cæterum non eſt gregis Paſtorem propriū eligere, ſed Iudicis.* Idem Auitus *Epiſt.* 36. *ad Cenarium Patricium & Comitem patrimonij Regis Theodorici Scitis Synodalium legum eſſe, vt in rebus, quæ ad Eccleſiæ ſtatum pertinent, ſi quid fuerit dubitationis exordium, ad Romanæ Eccleſiæ maximum Sacerdotem, quaſi ad Caput noſtrum membra ſequentia recurratis.* Et mox: Cùm ergo vt dixi à Prouincialibus meis Conſulor, reſpondere etiam ego, ni Priorem Conſulam, non præſumo.

Quartò, Ieſſe Ambianenſis Epiſcopus *Epiſt. Encyclica* ad ſuos: *Nemo Catholicus contra Eccleſiæ auctoritatem, nemo ſobrius contra rationalem conſuetudinem, nemo fidelis, contra pietatis intelligentiam certare audet, ne Schiſmaticus inueniatur, & non Catholicus, ſequimur S. Romanæ Eccleſiæ auctoritatem, vt vnde Catholicæ fidei initia accepimus, inde exemplaria ſalutis noſtræ ſemper accipere debeamus, ne membra à corpore ſeparentur ſuo, ne Clauiger Regni cæleſtis abiiciat quos à ſuis diuerſos intelliget eſſe doctrinis*, concinit ipſi eiuſdem ſedis Ambianenſis Epiſcopus S. Godofred. qui ex Carthuſ. ad Paſchalem 11. ſic compellat. *O Paſtor Orthodoxæ Matris Eccleſiæ, qui Chriſtus voluit te ſuo loco illi præeſſe, vt lucem à tenebris verum à falſo diſcerneres; vt enim à capite membra reguntur, & ad illius nutum membrorum vitia corriguntur, ſic etiam à te Chriſtianorum omnium non facta dumtaxat, ſed etiam malæ voluntates comprimendæ ſunt.*

Quintò, Iuo Carnotenſis *ſerm.* 2. *de Cathedra Sancti Petri*, Paſtorem generalem ouium de vocat & deputatum excubiis Eccleſiarum, vide & *Ep.* 48. 88. plurimáque in ſuo decreto collegit ex variis & antiquis Canonibus, ac Patribus de legibus Pontificiis ſeruandis, déque eius iudiciis ſequendis. Et *Ep.* 241. ad Hunibaldum Antiſiodorenſem: *Non eſt vobis pugna neceſſaria, quia cauſa veſtra iam eſt Apoſtolica falce præciſa. Quam ſi coram Cleris & Laïcis inconſulto Summo Pontifice retractaueritis, maieſtatem Apoſtolicam offendetis, & cauſa veſtra, quæ nunc in tuto eſt iure cadetis.* Deinde oſtēdit Eccleſiaſticas cauſas non debere coram Iudice Laïco & Canonibus, & Pontificū maximè Iulij cuius verba refert agitari. Addit denique legibus prohiberi, ne Epiſcopus à Iudice ſæculari ad cauſam Eccleſiaſticam vocetur: *Vel cincti Iudicis ſententiæ ſubiiciatur.* Sic enim legendum & reſtituendum, ſapienter obſeruat Iuretus in notis, cùm aliquis Leo ineptè legiſſet Laïci Iudicis, alij ſubrogarant pro cincto ciuilem, alij accincta, cùm tamen hæc vox priſca ſit, & alibi ab ipſo Iunone *Ep.* 247. vſurpata & à Syluestro Papa in ſuis decretis, & Apollinari *lib.* 5. *Ep.* 7. *ad Thaumaſtum*, quam aliqui malè ſcribunt: Hilſeberto Cenouaneſi Epiſcopo. Sic verò nominabantur Iudices, quia cùm iudicabant, inſignes dignitates gerebant, cinculum Auguſtin. *ſerm.* 19. & refertur 23. 4. 1. *c. Militare quiſquis militia ſua cingulo vtitur dignitatis ſuæ miles aſcribitur.* Caſſiodorus *in Pſal.* 29. *ad illud præcinxiſti me lætitia. Perpende*, inquit, *verbum præcinxiſti, cingulum ſignificat, quod ad Iudicis pertinet poteſtatem. Nam cuncta poteſtas in ipſo vocabulo naſcitur conſtituta. Sic enim cinctum dicimus Iudicem, quando eius faſces, honoréſque declaramus.* Quod verò idem Iuo habet de Apoſtolica maieſtate, & iterùm reperit ſcribens ad Paſchalem *Ep.* 250. *Quoniam in oculis Apoſtolicæ maieſtatis aliquam præſumo me habere gratiam*; & alibi ſæpiùs vſurpat: vt *Ep. VIII.* 147. 157. 159. 201. 238. fuitque frequens illius æui Scriptoribus, hic loquendi modus. Ioan. Saliberienſis *lib.* 7. *Policrat. cap.* 21. *Nec ego Apoſtolicæ maieſtati & regiæ arbitror reluctandum.* Bernard. *Epiſtola* 168. *ad Eugenium. Alij venerantur maieſtatem in vobis*, & *Ep.* 261. Arnulphus Lugouienſis Epiſcopus, tribuit Ariano maieſtatem *Ep.* 8. & Alexandro *Epiſtola* 26. 27. 95. 64. & Apoſtolicæ maieſtatis faſtigium vocat *Ep.* 21. Petrus Damiana *Opuſc.* 17. Initio Hildebertus *Ep.* 18. Petrus Cluniacenſ. *Epiſt. ad Innoc. II.* & ad Eugenium *lib.* 6. *Epiſt.* 10. 12. & 42. qui plerique Scriptores Galli fuere, & in Gallia ſcripſere: quod nomen & diuinam quandam, & regiam, an ſpiritualem in Pontifice deſignat dignitatis: nam & Taraconum contentus nomine magnitudinis, illud maieſtatis repudiauit ex Plinio in Panegyrico; ſcio quidem laxatâ vocis huius ſignificatione, illam aliis quàm Pontificibus & Regibus tribui, & ſolùm magnitudinem, & præcellentiam ſonare. Quare Hugo Viennenſis Epiſcopus tribuit Petro Cluniacenſi *lib.* 6. *Epiſtola* 9. eiuſdem Petri, & Petrus Collenſis *lib.* 2. *Epiſt.* 5. Hugoni Cluniacenſi, verùm redeamus in viam.

Sextò, Ionas Aurelianenſis *lib.* 3. *de Imaginibus ſub finem*, conſultans Claudium Taurinenſem Iconoclaſtam, qui negabat Paſchalem dici poſſe Apoſtolicum, cum Apoſtoli cuſtos non eſſet, quod ſonat Apoſtolici vox. Reſpondet Ionas *Paſchalis vitam ob locutionis morſu cerneris impetere cum addis, Apoſtolicus autem dicetur, quaſi Apoſtoli cuſtos, cum non Apoſtolo: tanquam Pedagogus, vel certi adituus adhibeatur, ſed tantum Vicarius Apoſtolo ſubſtituatur*, &c. vides igitur agnoſcere Romanum Pontificem, Petri Apoſtoli, ſuſceptorem, & Vicarium, Apoſtoli gerentem vices, cum eadem plenaſſima poteſtate ordinaria, qua olim fungebatur, quàm in ſua ſede, vt loquebatur Leo, nunc exercet, per Pontificem, cui ea de cauſa nomen Apoſtolici à Patribus, & Conciliis paſſim tribuitur; aliis verò quandóque, ſed eum aliquo addito, quo à Romano Pontifice diſtinguantur, vti diligenter perſequitur Cariophillus, *lib. contra Nilum Theſſalonicenſem de poteſtate Papæ, cap.* 10. Eccleſia igitur Gallicana, vt videmus, in eius Scriptoribus R.R. Apoſtolicum & dicit, & agnoſcit eum plenaria Petri poteſtate illi ſuccedentem.

Septimò, S. Anſelmum Cantuarienſem, licet in Anglia Epiſcopum inter Gallicanos Patres & Scriptores numeramus, quia & Becenſis in Norman. prior, & Albis fuit, & diutiùs in Gallia, atque etiam Lugduni, vbi ſcribimus, exulauit, & in Auguſtâ Salaſſorum vrbe, inter Alpes natus Gallicanæ Eccleſiæ, iure accluſeri poteſt. Is igitur *lib. de Incarnat. Verbi, cap.* 7. Romanum Pontificem vocat Dominum & Patrem totius Eccleſiæ in terra, peregrinantis: non potuit paucioribus, neque illuſtrioribus poteſtatem Romani Pontificis commendare.

Octauò, ſequutus eſt S. Anſelmus Beatum Lanfranium ſuum in regimine Monaſterij Becenſis, & in Archiepiſcopatu Cantuarienſi prædeceſſorem, quem in Gallicis Scriptoribus annumeramus, cùm in Gal-

lia & vixerit & ſcripſerit, quamvis origine Par. eſſet. Is itaque *lib. contra Berengar. c.*1. nominat Nicolaum Totius Chriſtiani nominis Summum Pontificem. Non igitur aliquibus regionibus eius authoritatem poteſtatémque circumſcribit. Et *c.*2. *Incurris in illud quod Beati Doctores, ſi non eiſdem verbis, eiſdem tamen ſententiis, multis in locis concorditer aſtruxerunt, Hæreticum eſſe omnem hominem, qui à Romana & Vniuerſali Eccleſia in fidei doctrina diſcordat.* Indéque probat Berengarium eſſe Hæreticum. Et *Epiſt.*3. *ad Alexandrum Pontificem*, vocat, vbi totius Chriſtianæ Religionis ſummum ſpeculatorem, non ſanè niſi eſt omnibus quæ ad fidem maximè pertinent, inuigilent; quod & dixit Bernard. alloquens Eugenium *lib.* 2. *de Conſid c.*6. pergit Damſin. *in Epiſtola citata*, aitque illi totius mundi Sanctam Eccleſiam eſſe commiſſam. Venantius Fortunatus *lib.*3. *de vita Sancti Martini*. Sic cecinit: *Petra viua tenens fundamenta ſalutis.*

Nonò, Arnolphus Lexonienſis in Neuſtria Epiſcopus *Epiſt.*21. nominat Romanum Pontificatum faſtigium Maieſtatis Apoſtolicæ; quid etiam dixit Bernardus *Ep.* 237. & idem Arnolphus *Ep.* 19. ait eſſe Paſtorem & Epiſcopum omnium qui Chriſtiano nomine cenſentur.

Decimò, Alcuinus Britannus licet, & Eboracenſis, quia tamē Caroli M. Magiſter fuit & Turonibus obiit, in Corman. ſepultus, & plurium Monaſteriorum in Gallia, Abbas, Galliæ quoque ſcriptor dicendus eſt, *Ep. ad Adrianum*, ſic illum compellat. *Paſtor piiſſime in cuius beatiſſima lingua eſt æterna medicina ſalutis, per quam Cæli aperiuntur credentibus.* Quod prorſus falſum erit, ſi falſa fidei dogmata definiat. Et *Ep.* 68. *Quæ eſt* 8. *ad Adrianum:* ait hæres mirificæ poteſtatis ſicut Vicarius Sanctiſſimæ ſedis Petri; quia nimirùm ſuccedit Petro in Epiſcopatu & pari poteſtate, itaque eſt velut hæres ex-aſſe eorum quæ dignitati & officio Petri collata fuerant. Sed illuſtris eſt eius locus *Epiſt.* 72. *ad Leonem Papam. Ecce tu Sanctiſſime Pater Pontifex à Deo electus, Vicarius Apoſtolorum, heres Patrum, Princeps Eccleſiæ, vnius Immaculatæ Columbæ nutritor; in te fides reſplendet, deuotio fulget, Charitas abundat. Congrega nos filios Sanctæ Dei Eccleſiæ, paterna miſerationis affectu, tuis Sanctiſſimis Orationibus, & dulciſſimis ſacrarum Literarum exhortationibus intra firmiſſimum Eccleſiaſticæ ſolidat. ouile, ne aliquis ex nobis errabundus lupinâ rapacitate foris inueniatur deuorandus: nam ſplendentia cæleſtis militiæ agmina, Natiuitatis Domini noſtri Ieſu Chriſti gaudia, primò Paſtoribus qui ſupra ſuos vigilarunt greges, nuntiare venerunt: Ecce tuis Sanctiſſimis, Vigiliis, ad Paſtoralem ſollicitudinem probatiſſimè Archimandrita, Angelicas è ſupernis ſedibus adſtare viſiones non dubitamus, &c. vnde ego viliſſimus ſacratiſſimi Ouilis vernaculus, & morbida peccatis ouicula ſpe præcipuè bonitatis veſtræ animatus, ante Sanctiſſimos Paternitatis tuæ pedes animo proſtratus, ſuppliciter depoſco, quatenus duriſſima peccatorum meorum vincula, per Eccleſiaſticam Apoſtolicæ authoritatis poteſtatem ſoluere digneris, & paternæ pietatis precibus, curſum vitæ meæ, qui reſtat, ad perpetuæ portam Ciuitatis dirigere ſtudeas.* Hæc Pluſcula verba referre placuit, in quibus videas Alcuinum, Summum Pontificem totius ouilis Chriſti Paſtorem agnoſcere, quod etiam fert Archimandritæ vox, quæ ſignificat Præfectum & Curatorem ouilis, licèt id rideat Alciatus *lib.*1. *prætermiſſorum*, eò quod Mandria ſignificet pecus, ſed multorum agmen, vt apud Iuuenal. *Satyra* 3. *& Marc. lib.* 5. *Ep.* 23. vt ibidem Faruabius & Raderus obſeruant. Negari tamen non poteſt Mand. vocatas ſequi à quibus oues concludebantur, & qui eius Mandriarum curam habebant, Mandritæ dicebantur, quique illis omnibus Mandritis præerat Archimandrita, atque eo ſenſit S. Anſelm. *lib. de Vir. & cap.* 2. ait de S. Babyla Mandras Eccleſiæ aduerſus Truculentam Tyrann. rabiem ſolertia Paſtorali tuebatur. Rectè igitur ab Alcuino dicitur, Archimandrita Pontifex, vt qui omnibus ouium Chriſti Mandris ſingulíſque Mandritis, præpoſitus ſit, atque à Chriſto omnium ouium vniuerſalis Curator. Neque negamus Mandras dictas cellas Monachorum, atque ipſa Monaſteria, atque Archimandritam Præfectum Monaſterij ſonare, quod pluribus oſtendit Sauaro ad Sidon. *lib.*8. *Ep.*14.

Vndecimò, S. Bernardus vir ſui ſæculi decus ſingulare, quem ſingulis laudibus commendant, qui eâ ætate claruerunt Scriptores, licèt non adularetur Romano Pontifici, vt ex eius libris de conſideratione ad Eugenium conſtat; eius tamen auctoritatem, & poteſtatem paſſim agnoſcit, quod iam aliquoties in ſuperioribus oſtendimus, maximè ex *Ep* 92. *ad Innoc.* contra Abailardi errorem modo loca quædam inſigniora deſignabimus, ne in exſcribendo importuni ſimus. Hic igitur *Epiſt.*161. ſcribens ad Innocent. de Cæda Archebaldi Archidiaconi Aurelianenſis ſanguinem illum clamare de Stancia, ait: *Quid facis amice ſponſi, cuſtos Sponſæ Chriſti, Paſtor ouium Chriſti.* Et infra: *Vtiliſſimè in multis videtur iuſtiſſiméque eos Apoſtolica falce ab omni ſuccedere Eccleſiaſtica dignitate.* Et *Ep.*171. Eundem Innocentium rogat, vt Falconem electum Archiepiſcopum Lugdunenſem, Illuſtrem mentis generoſitate, ſanguine, ſcientia, & vitæ honeſtate & famæ integritate, quæ ne inimici quidem dentem vereatur. Probatur. Et honoris plenitudine, quæ ſola deerat, gaudia plebis ſolita benignitate, & deliberalitate accumulet. *Epiſt.*176. Ex perſona Alberonis, Treuerenſis Archiepiſcopis. Porrò Cenamontanam Eccleſiam, tam in noſtrò, quàm in Francorum regno noueritis fortem in fide pacificam, vt in vnitate, deuotam in veſtra obedientia promptâ ad ſeruitium, deinde hortatur contra tyrannum Siculum Schiſmaticum, *Ep.* 1. *ſeq.* 177. Idem Albero, eundem Innocentium de malis ſuæ Diœceſis, monet vt ſua prouidentia corrigat, quod ipſe Alber non poterat Pōtifice prohibente, quare ſubdit: *Verum hoc ſollicitudinem attendere velim, Creatoris iniuriam reſpicere ad creantes, & vires quas mihi ſubtrahitis, vobis minuitis, & contemptus meus & deiectio mea redundat in vos.* His ſubiungit acres literas nomine ſuo Bernardus, quæritúrque neminem Epiſcoporum in promptu habere vlciſci iniurias Dei, nulli licere illicita quæuis, ne in propria quidem parœcia caſtigare, quia nempè, *Quique flagitioſi & contentioſi de populo ſiue de Clero, etiam ex Monaſteriis pulſati currunt ad vos redeuntes iactant, & geſtiunt ſe obtinuiſſe tutores, quos magis vltores ſenſiſſe debuerant.* Quæ quærimoniâ licet iuſtâ viſâ ſit Bernardo, demonſtraret tamen quanta fuerit authoritas Romani Pontificis, & eandem ſequenti *Ep.*180. agens pro eadem Treuirenſis cauſa, ait: *Hoc ſolet habere præcipuum Apoſtolica Sedes, vt non pigeat reuocare quod à ſe forte deprehenderit fraude elicitum, non veritate promeritum. Res plena æquitate & laude digna, vt de mendacio nemo lucretur præſertim apud Sanctam & Summam Sedem. Epiſt.*188. ad Cardinales contra Abailardum: *Quoniam pro Hur & Aaron ſtat zelus & authoritas Romanæ Eccleſiæ ſuper populum Dei ad ipſam meritò referimus non quæſtiones, ſed læſiones fidei, & iniurias Chriſti, Patrum probra, atque contemptus, præſentium, ſcandala, pericula poſterorum.* Et *Epiſtola* 189. reddit rationem Innocentio, quomodo Abailardus, Goliatus, & eius armiger, Arnaldus de Brixia, qui in victu & habitu habentes formam & pietatis, & virtutem eius abnegantes, ipſum prouocauerint ad ſingulare certamen coram Conuentu Senonenſi, præſente etiam Rege, narrátque quid actum

actum ſit additque. *Verum tu ſucceſſor Petri iudicabis, an debeat habere refugium ſedem Petri, qui Petri fidem impugnat, tu inquam amice ſponſi prouidebis, quomodo liberes ſponſam à labiis iniquis, & lingua doloſa*, &c. vbi de Sopito Schiſmate gratulatus eſt: *Itaque ad conſummationem virtutum, & ne quid minus feciſſe videatur à magnis Epiſcopis anteceſſoribus veſtris, capite nobis Pater amantiſſime, vulpes, quæ demoliuntur vineam Domini donec paruulæ ſuæ: ne ſi creſcant & multiplicentur, quidquid talium per vos non fuerit, exterminatum à poſteris non deſperetur Epiſtola* 19. quum & ſuperiùs adduxi, *Oportet ad veſtrum referri Apoſtolatum pericula quæque & ſcandala emergentia, in regno Dei, ea præſertim quæ de fide contingunt, dignum namque arbitror ibi potiſſimum reſarciri damna fidei, vbi non poſſit fides ſentire defectum. Hæc quippe huius prærogatiua Sedis; cui enim alteri aliquando dictum eſt, ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua: Ergo quod ſequitur à Petri ſucceſſoribus exigitur, & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Id quidem modò neceſſarium tempus eſt, vt veſtrum agnoſcatis Pater amantiſſime Principatum, probetis zelum, miniſterium honoretis. In eo planè Petri impletis cuius tenetis & ſedem, ſi veſtrâ admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis, ſi veſtrâ auctoritate conteritis fidei corruptorem.* Deinde explicat Abataldi dogmata ſuæ Stullilogiæ, non Theologiæ. Deinde Epiſcopi qui Selonas conuenerant hac de cauſa, quid ea factum ſit, ſcribunt Innocentio nimirum, ab Abbate Clareualenſi conuictum, à loco & iudice quem ſibi ipſe elegerat, ſine læſione, ſine grauamine, vt ſuam prolongaret iniquitatem, Sedem Apoſtolicam appellaſſe: *Epiſcopi autem, qui propter hoc in vnum conuenerant, veſtra reuerentiæ deferentes, nihil in perſonam eius egerunt, ſed tantummodò capitula librorum eius à Sanctis Patribus condemnata, ne morbus ſerperit medicandi neceſſitati abiudicauerunt.* Et mox: *Proceſſimus in hoc negotio quo vſque auſi ſumus. Tuum eſt de cætero Beatiſſime Pater prouidere, ne in diebus tuis aliquâ hæreticâ prauitatis maculâ, decor Eccleſiæ maculetur. Tibi commiſſa eſt ſponſa Christi, amice ſponſi, tuum eſt eandem vni viro Virginem caſtam exhibere Chriſto*, non potuit illuſtriùs Synodus Senonenſis, & Bernard. Summi Pontificis in definiendis fidei dogmatibus authoritatibus teſtari. Illaque Innocentius Abataldum, eiúſque Capitula vt impia damnauit, reſcribens ad eoſdem Patres *Epiſtola* 194. inter Epiſtolas Bernardi, qui non ceſſauit eoſdem, Abataldum, & Arnaldum de Brixia impugnare, & Arnaldi quidem mores ac vitam. Ita deſcribit *Epiſtola* 195. *&* 196. vt videatur noſtros Ianſeniſtas depingere. *Epiſtola* 199. commendans Innocentio Guidonem Cariloci Abbatem, qui ad ipſum confugerat. Sic ſcribit: *Et quidem ex priuilegio Sedis Apoſtolicæ conſtat ſummam rerum, ad veſtram potiſſimum reſpicere ſummam authoritatem, & plenariam poteſtatem:* Epiſtola 238. *ad Eugenium. Peremptoriam dare ſententiam, ad depoſitionem Epiſcoporum ſolius Romani Pontificis noſcitur eſſe. Pro eo nimirum, quod etſi alij multi vocati ſint in partem ſollicitudinis, ſolus ipſe plenitudinem habeat poteſtatis.* Epiſtola 239. *Orbis Epiſcopum nominat.* Longior ſim ſi omnia quæ Bernardus circa Pontificiam poteſtatem, tum in definiendis fidei dogmatibus, tum in iis quæ ſpectant, ad diſciplinam Eccleſiaſticam, colligam, hæc pauca ſufficiant, lege libros eius de conſideratione ad Eugenium, in quibus plura in hanc rem comperies & maximè *lib.* 1. *cap.* 1. vbi de prouidentia vniuerſaliſſima ex munere Pontificis, & *lib.* 2. *cap.* 6. monet eius eſſe cernere orbem vniuerſum mentis prouidentia, & leuando oculos conſiderationis, videre regiones, ſi non ſunt magis ſiccæ ad ignem, quàm albæ ad meſſem, ſi non pro frugibus quæ putabantur, appareant vepres, aut veternoſæ arbores, non fructiferæ, niſi ſiliquarum porcinarum, aduerſus quas ſtringenda ſit ſecuris.

Duodecimò, Hugo natione Saxo, ſed Canonic. in cœnobio S. Victoris ad muros Pariſienſes, indéque Victorinus, vel à Sancto Victore, cognominatus, à Scriptoribus illius ſæculi plurium commendatus; & alter Auguſtinus, vel Auguſtini lingua dictus *lib.* 2. *de Sacramentis*, *cap.* 43. caput omnium Epiſcoporum nominat P. Rom. à quo nimirum influxum & motum accipiant.

Decimotertiò, Petrus Cluniacenſis Abbas Aruernus *lib.* 4. *Epiſt.* 43. *ad Innocent.* ſic ait: *Spiritus, Conſilij qui vbi vult ſpirat, qui per vos Eccleſia ſua per totum orbem diffuſa aſſiduè conſulit*, quia nimirum tota Eccleſia ab illo conſilium quærere, & accipere deberet, idcircò idem Petrus *lib.* 4. *Epiſt.* 24. ipſum Patrem communem vocat, & *lib.* 6. *Epiſt.* 27. Patrem Eccleſiæ, & eodem *lib... Epiſt.* 43. Patrem vniuerſalem, & *ibid. Epiſt.* 28. agens de Clerico à Briuatenſibus oppreſſo: *Ad illud vnum præcipuum & ſingulare oppreſſorum præſidium confugit, illud vnum & vltimum miſerorum Aſylum Apoſtolicum dico, auxilum elegit Abennacileum, ſcilicet, quod eſt in vmbraculum diei ab æſtu, & in ſecuritatem, & in abſconſionem à turbine & à pluuia.* Nimirùm quia in *lib.* 4. *Epiſt.* 25. *Rector ſummus Eccleſiæ Dei eſt.* Quidni igitur ad eum prouocetur, adi loca ſignata, vbi & alia in hanc rem reperies.

Decimoquartò, Abbo Floriacenſis *Epiſtola* ad Gregorium Papam, quæ eſt in eius vita *cap.* 12. vocat Doctorem Eccleſiæ, fidei Petram, regni clauem habentem. Eius igitur docere, & fidem ſuſtentare, &c.

Decimoquintò, Petrus Bleſenſis *Epiſt.* 68. *Sicut eminentiam Apoſtolicæ Sedis, Magiſtram omnium Eccleſiarum profitemur; ſic ab ipſa conſilia in ambiguis, in anguſtiis ſolatia, reſponſa in iudiciis expectamus.* Vnde *Epiſt.* 145. vocat R. P. Epiſcopum orbis, quod iam dixerat Bernard. & *Epiſt.* 27. Epiſcopum vnicè ſummum & ſingulariter generalem *Epiſt.* 145. Hæredem Sancti Petri, hoc eſt potientem eadem poteſtate, ad gubernandam Eccleſiam, quàm habebat S. Petrus, ſicut hæres ſuccedit in omnia iura decedentis; eandem nomenclaturam, dat aliis quidem Epiſcop. Bleſenſis, vt in Inſtitutionem Epiſcopi agens cum Vvigornienſi, ſed in illis ea hæreditas non eſt niſi immunita, in Pontifice integra, ſed audi illum ſub finem *Epiſt.* 27. Deum inuocantem contra Eccleſiam opprimentem. *Reſpiciat Dominus in faciem teſtamenti ſui, & non det in conculcationem vineam, quàm plantauit dextera eius Eccleſiam, quam acquiſiuit ſanguine ſuo, ſuſcitet ſpiritum Moyſ. & erigat cornu illius vnicornis Epiſcopi, illius ſummi & ſingulariter generalis; quatenus arripiat iudicium manus, vt cornu ſuo acriter contra Syriam, intonet contra Edoum, fulminet contra vitulos Bethel, contra Idola Ægypti, contra pingues vaccas Samariæ, contra Paſtores paſcentes ſeipſos, contra Iudices qui condunt iniquas leges, contra canes mutos non volentes latrare, contra Amphoram Zachariæ, contra vaſa Paſtoris ſtulti, contra ambitionem. Simonis Magi, contra Tyrannidem ſæculi, & ambitionem clauſtri, contra præuaricantes, contra arrogantes, contra oppreſſores pauperum, contra turbatores Eccleſiaſticæ pacis, & fidei ſubuerſores, quia nimirum Pontificis eſt; hæc omnia corrigere.*

Decimoſextò, Petrus Cellenſis *Epiſtola* 95. Egregiè

giè tradit Romani Pontificis eſſe per Vniuerſam Eccleſiam excitare deſides, & vrgere pigritantes, & *Epiſtola* 195. Eiuſdem eſſe Eccleſium reformare, ſicuti reformationis neceſſitas ingruerit, & *Epiſtola* 3. *Sum nomine Petrus. Petrinus radicatus, & fundatus in montibus Sanctarum auctoritatum, & in medio, vbi mater Eccleſia nidificat in foraminibus Petra, & in cauernis maceria, hinc non ex eo, niſi ad vocem rotarum, qua in ſe habent ſpiritum vita, ſtant, ac mouentur tanquam volubile cum animalibus ſtuas alas habentibus & oculos ante & retrò, ſecurus ſequor, quia facies Leonis pracedit, ne aliquid noceat: facies hominis, ne aliquid recipiat; facies vituli, ne vanitatis aliquid interueniat: facies Aquila, ne aliquid dubietatis remaneat vel tarditatis præpediat. Regula veritatis tornauit rotas iſtas in circuitu, & orbe, veritatis aterna, qua de mente diuina procedens, tanta apud Deum Maieſtatis eſt vt in ſummo vertice lucis inhabitabilis reſideat, tanta authoritatis, vt nullius ditioni ſubiaceat; tanta maturitatis, vt nunquam vultum deificum deponat; tanta certitudinis, vt nulla mutatio, aut viciſſitudinis obumbratio in eam incurrat.*

Decimoſeptimò, Sanctus Bernardus Turonenſis agens apud Paſchalem aduerſus calumniatores: *Noſtri loci conuentus,* inquit, *cuius legatione fungor, meaque paruitatis humilitas, rogatus veſtra maieſtatis præcellens ſublimitas, qua in eminentiori parte locata eſt corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia, more Capitis cateris inferioribus membris, regimen impendat, totiúſque corporis compagem: ſecundum regulas iuſtitia, reddentis vnicuique, quod ſuum eſt, in pace teneat, membro patienti condoleat, vtriuſque partem attentè diſcernens iuſtum iudicium faciat, nullius tranſitorij commodi conſiderans emolumenta, ſed aterna retributionis interminabilem fructum.*

Decimooctauò, Potho Prumienſis celebris Monaſterij pruimæ in Diœceſi Treuienſi Monachus & Presbyter (pertinet verò ea Diœceſis ad antiquam Eccleſiam Gallicanam) *libro quinto, de ſtatu domus Dei ſub finem:* affirmat quod ſicut Pater omne iudicium dedit filio, ſic filius omne iudicium in Eccleſia & populo Chriſtiano dedit ſuo Vicario.

Decimonono, eodem iure Rupertum Abbatem Turonenſem propè Coloniam, & antea in Sancti Laurentij Monaſterio propè tractum Galliæ nobis vindicamus, is igitur *libro ſecundo, de diuin. Offic. capite* 22. *ſub finem,* cùm monumentum ſit ſinceritatis, & veritatis eius, in cuius azimis nos epulari hortatur Apoſtolus expurgato veteri fermento, vt ſimus noua conſperſio: *Iure inter vitia legis antiqua ſigna reſeruata ſunt azima, Authore magno Pontifice Chriſto, & per ſuccedentem ſibi Beatum Petrum Romana Eccleſia fideliter delegata.* Quæ beato, *quod in fundamento ſuo petram iſtam excepit, quàm ſuo veritatis ore laudauit & beatificauit, tali ſtructura ſuper illam ædificata, vt contra omnes hæreſes perſtaret murus inexpugnabilis, & quacunque mundi ex parte periclitata fides ad illam confugit, mille Clypeos ex ea omnémque armaturam fortium, quo ſe defenderet pendentem, & præparatam inuenit.* Vide eandem *Epiſtola ad Pontific.* præfixa *libris de glorificat. Trinit.* vbi præcentorem Chriſtianæ fidei vocat; eſt verò præcentor, qui in Choro ſacram Hymnodiam dirigit, & quare Romanus Pontifex ſacram harmoniam moderatur, cui qui non concinit ingratam, & ſtridulam Cantilenam edet, vt ille quorum meminit Ioannes Diaconus *libro ſecundo, vita Sancti Gregorij,* qui naturali quodam fragore, quaſi plauſtra per gradus confusè ſonantia rigidas voces iactant, exaſperandis potiùs quàm mulcendis auribus.

Vigeſimò, Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus, quem & aliqui Cancellarium Regis Chriſtianiſſimi Roberti faciunt *Epiſtola* 22. Sic apud Pontificem queritur: *Omnipotens Deus tuam pater humilitatem reſpexit, & ſummo vt dicebat dignitatis apice ſublimauit, proinde totus mundus ad te conuertit oculos, téque vnum omnes beatiſſimum prædicant, contemplantur altitudinem tuam Sancte vir, & gaudent, quod eis ſimilitudine, omnium virtutum alludis. Reſpiciunt perſecutores Eccleſia, diſtrictionis tua baculum formidantes, ſuſpiciunt ij qui flagellantur ab impiis, & reſpirant ſperantes adhuc ſibi reſtare conſolationis remedium, de quorum numero ſum ego, magna & præclara Eccleſia puſillus Epiſcopus, qui tibi pater de anguſtiis meis querimoniam ſcribens auxilium tua pietatis imploro.*

Infinitum foret & laboris & operæ ſingulos alios ſigillatim compellere, rogaréque quis foret ſuâ ætate Gallicanæ Eccleſiæ ſenſus circa Romani Pontificis authoritatem, in definiendis fidei dubiis, ſeruandáque Eccleſiæ diſciplina, ſatiùs fuerit eos in Comitiis & Conciliis Eccleſiaſticis Gallicanis coactos audire, ne quidpiam aduerſus ſingulos, audaculus aliquis ſuſcipiat, conſulamus igitur Gallicanas Synodos.

Primò, Synodus Arelatenſis prima imperante Conſtantino, Pontifice Sylueſtro, Voluſiano & Amiano Coſſ. circa annum Chriſti 314. in cauſa Cæciliani, qui falsò accuſabatur, coacta, & licèt potiſſima controuerſia cogitanda eſſet Cæciliani falsè accuſati, plenariam tandem vocauit eam Synodus, inquam pluſquam ducenti Epiſcopi ex Italia, Africa, Gallia conuenerant, & Sylueſter miſſis ſuis Legatis Claudiano & Vito Presbyteris Eugenio, atque Cyriaco Diaconus præfuit, Synodicam ſcribit Synodus ad Sylueſtrum, de rebus in Synodo geſtis & Canonibus Sanctis, & imprimis optaſſet interfuiſſe Sylueſtrum. *Profectò,* inquit, *credimus, quia in eo ſeuerior ſententia prolata fuiſſet, & te pariter nobiſcum iudicante cœtus noſter maiori lætitiâ exultaſſet.* Addunt deinde rationem propter quam finito illo iudicio ad quod conuocati fuerant à Conſtantino Imperatore, alia quædam obſeruanda conſtituiſſent, quia nimirum cum ex variis conueniſſent, varia quoque communi conſenſu ſtatuenda eſſent, quæ ad ipſum mitterent, vt ipſe omnibus nota faceret: *Placuit etiam antequam à te qui maiores Diœceſes tenes per te potiſſimum omnibus inſinuari;* quibus verbis per maiores Diœceſes Patriarchales intelligunt, & cum per Sylueſtrum potiſſimum omnibus inſinuari poſtulent, agnoſcunt illum Vniuerſali Eccleſia ea ſeruanda dicere poſſe, quæ ſanè non faceret, niſi ea probaret: Cur verò ipſa Synodus ex tam diuerſis regionibus collecta Synodica Encyolica, cæteris omnibus à ſe decreta & conſtituta non inſinuat, ſed à Romano Pontifice inſinuari poſtulat, niſi quia ſciebat, illius ſolius eſſe ſuâ promulgatione & inſinuatione Vniuerſæ Eccleſiæ, ſiue omnibus eorum obſeruationem indicere poſſe. Ipſe verò Conſtantinus, ſiue literis ad Vicarium Africæ Ælaſium: ſic enim habet Pithæi & Sirmundi editio, & ad Chriſtum Syracuſanum, quibus cauſam reddit propter quam coactus eſt, hanc Synodum, in Gallia conuocare, ait ſe priùs ad Epiſcopum Romanum rem totam iudicandam in Concilio Romano remiſiſſe, neque deinde voluiſſe ad ſe appellantes audire. *Et contra* (inquit) quod ipſe ad eum reſponderit, fruſtrà eos id iactare, quippe cum res fuiſſet apud Vrbem Ro-

mum, ab idoneis, ac probatiſſimis viris Epiſcopis *terminata.* Tandem interpellatis continuis querelis ad iudicium iterum Eccleſiaſticum Epiſcoporum, quos Arelatenſem conuenire placuit, vbi vides non fuiſſe appellatum in cauſa fidei à Iudicio Romano, ſed in cauſa facti. Deinde Catholicos non appellaſſe, ſed Donatiſtas & Hæreticos, denique Legatos Apoſtolicos, illi Synodo præfuiſſe: & demum Synodum decretorum extrà cauſæ illius Iudicium confirmationem à Syluestro petiiſſe, vt per illum omnibus obſeruanda promulgarentur, & inſinuarentur.

Secundò, Synodus Arelatenſis *anno Chriſti* 444. S.Leonis III. Valentiniani Magni XIX. Qui præfuit Hilarius, Chelidonium Epiſcopum damnauit, quod inter nuptum, ſiue viduam ſuo adhibuiſſe conſortio diceretur, quod Apoſtolicæ Sedis auctoritas & Canonum ſtatuta prohibent, & quod ſæculari iudicio perfunctus, quoſdam Capitali damnaſſet aliquos ſupplicio eſt Chelidonius damnatus, Romam contendit ad Sanctum Leonem, ſecutus eſt & Hilarius, ſed ſuggeſtione Leon. obliti moræ impatiens, exitum Iudicis non expectauit: Chelidonum porrò abſoluit Leo, quod cauſa ei oblata non ſatis videretur probata, eâque de re graues literas ad Epiſcopos Prouinciæ Viennenſis dedit, quibus & Chelidonium abſoluit, proiectum Epiſcopum, cui ægrotanti alium ſubſtituerat Hilarius, reſtituit, plurima de ordinationibus, conſtituit, atque Hilarium poteſtate, Metropolitani in Prouinciam Viennenſem mulctauit, quæ omnia humillimè recepta ſunt, neque ab eo iudicio ad aliam Synodum generalem prouocatum. Leonis Epiſtolæ plagulam aliquam inferiùs adducemus. Ex quibus manifeſtum fiet, quanta foret eius in omnes Eccleſias authoritas.

Tertiò, Concilium Aranſicanum II. *anno Chriſti* 529. Childeberti Regis 18. ſub III. Felicis IV. R.P. Athalarici Italiæ Regis III. qui ad Galeſicaonem Baſilicæ Aliberio Patricio Conſtante Conuenerat V. nonas Iulias Decio Iunione V. Conſule, cùm de gratia & libero arbitrio, neceſſariò agendum eſſet, ſic præfatur. *Vnde id nobis ſecundum admonitionem, & authoritatem Sedis Apoſtolicæ, iuſtum ac rationabile viſum eſt, in pauca Capitula ab Apoſtolica Sede nobis transmiſſa, quæ ab antiquis Patribus de ſanctarum Scripturarum voluminibus in hac præcipuè cauſa collecta ſunt, ad docendum eos, qui aliter, quam oportet, ſentiunt ab omnibus obſeruanda proferre, & manibus noſtris ſubſcribere deberemus, quibus lectis qui hucvſque non ſicut oportebat, de gratia & libero arbitrio credidit, ad ea quæ fidei Catholicæ conueniunt, animum ſuum molinare non deferant.* Quamvis ante Canones, aut Capitula, in hac Synodo ſubſcripta à Sede Apoſtolica transmiſſa fuiſſent; geſtorum tamen approbationem deinde petierunt à Bonifacio II. vt patet, ex eiuſdem Epiſtola ad Cæſarium Arelatenſem, qui eidem Synodo primus ſubſcripſerat, cuiúſque rogatu, quæ in Synodo definita fuerant confirmata ſunt. Hanc Epiſtolam primus edidit Sirmundus ex Codice Foſſatenſi, in quo ſicut etiam alio conſimili Beatæ Mariæ Laudunenſis ea Epiſtola præfixa eſt Synodo ob reuerentiam Sedis Apoſtolicæ, cum poſt eam data ſit vt conſtat. Ipſi quoque Epiſtolæ in illo Codice Foſſatenſi, hæc adnotatio præponitur. In hoc loco continetur Synodus Aranſicana. *Quam per auctoritatem Sanctus Papa Bonifacius confirmauit. Et ideò quicunque aliter de gratia & libero arbitrio crediderit, quam vel iſta auctoritas continet, vel in illa Synodo conſtitutum eſt, contrarium ſe Sedi Apoſtolicæ & vniuerſæ per totum mundum Eccleſiæ eſſe cognoſcat.* Non aiunt autem iterum retractari poſſe, aut debere hanc controuerſiam in aliquo Concilio Generali, vti hodierni Ianſeniſtæ, qui propoſitiones, in ea Synodo damnatas ex auctoritate Sedis Apoſtolicæ, iterum examini Generalis Concilij ſubiici poſtulant, & vt aiebat Ambroſius, propter duos Carioſos totum orbem Catholicum commoueri. Sed audiamus ipſum Boniſacium in ſua Epiſtola ad Cæſarium, in qua ait eam approbationem Cæſarium popoſciſſe à Fœlice de Ceſſore pro Catholicæ fidei firmitate; ipſe verò reſpondet & ea quæ credenda ſunt, prout ea Synodus conſtituerat, atque eos Epiſcopos, qui crudelitatis initium eum ineptis Pelagianorum reliquiis præuenire ipſam gratiam opinabantur, reiicit & damnat, vide Sirmundi notas.

Quartò, Vaſenſe Concilium II. eodem anno, quo ſuperiùs Aranſicanum eſt celebratum, & Canone III. iubet in Eccleſiis frequentiùs *Kyrie Eleyſon* cantari, & in omnibus Miſſis *Sanctus, Sanctus*, quia tam in Sede Apoſtolica, quàm etiam per totas Orientales, atque Italiæ Prouincias id vſurpatur, & Canon. V. vt nomen Domini Papæ quicunque Sedi Apoſtolicæ præfuerit in Eccleſiis recitetur, neque potuit illuſtriùs ſuam in Sedem Apoſtolicam obſeruantiam teſtari.

Quintò, acta in cauſa & negotio contumelioſi Epiſcopi, Ioanne II. Pontifice, quæ nuper ex antiquis exemplaribus edidit Sirmundus, quanta eſſet in Gallia Romani Pontificis authoritas liquidò demonſtrant, erat contumelioſus Regenſis Epiſcopus, qui ob admiſſi criminis, & adulterij notam Epiſcopatu deiectus eſt, Monitus à Cæſario Arelatenſi Ioannes Papa, reſcribit dolere ſe de caſu; ſed tamen ſeruandum eſſe rigorem Canonum: *Atque adeò,* inquit, *prædictum ab ordine Epiſcopatus, noſtra ſuſpendit auctoritas,* deinde vt ordinante Cæſario Monaſterio includatur. Tertiò, eius loco conſtituatur viſitator, donec Eccleſia illa proprium Sacerdotem accipiat, demum ſubiicit Canones, ex quibus examinanda & iudicanda eſt cauſa, quorum Canonum in actis citatis hæc inſcriptio eſt. *Hi tituli Canonum quos nobis ſupra ſcriptus ſanctus, & Dominus meus Ioannes Papa Sedis Apoſtolicæ cum præfata auctoritate direxit.* Súntque iſti Canones ex Epiſtola Siricij Canonibus Apoſtolorum, & Canonibus Antiochenis inſerti, tum ab alio ſubiiciuntur alij Canones, ex quibus conſtat Clericos poſt crimina capitalia non poſſe ad honorem priſtinum reuocari. Hi ſunt Canon. quinque F. Nicenus, illíque conſentanei Canones Gallicani nimirum IV. Synodi Valentinæ; Canon IX. Aurelianenſi & Aranſican. I. *Canon.*23. quàm Synodum Iuſtianenſem appellat, à loco, & Eccleſia, in qua celebrata fuit & Canon XXII. Epaonenſis, denique Cæſarius ex Ioanne Papa & citatis Canonibus, contra aliquos qui ad indulgentiam inclinabant, agendum eſſe pronunciat, neque nimiam videri debere eam ſeueritatem, quæ neque Ioanni Papæ viſa fuerit, pluráque in hanc rem adducit, maximè illud Cypriani *libro de lapſis, imperitus eſt medicus, qui tumentis vulnera manu parcente contrectat, & abſconditum in profundis receſſibus virus, dum ſeruat exagerat, fuſiúſque in hanc rem diſputat.* & *Epiſtola* alia Ioannes vniuerſis per Galliam Epiſcopis, in qua reſpondet relationi ab eis ad ſe miſſæ de obiectis calumnioſo criminibus, & ait: *Ab hodierno vel officio cum noſtra cenſet remoueri authoritas, in Monaſterio recludi ad agendam pœnitentiam, & in Eccleſia deſtitutæ paſtorem viſitatę*

viſitatorem conſtitui. Similis argumenti literas ad Clerum Eccleſiæ, in qua contumelioſus fuerat Epiſcopus in qua *Epiſtola* hortatur, vt viſitatores prout Cæſarius ordinauerit, ſuſcipiant. Contumelioſus tamen innocentiæ præſumptione confiſus Apoſtolicam Sedem appellauit. Quare Agapetus Ioannis ſucceſſor ſcribit Cæſario ſe illi iteratam cognitionem induſiſſe: *Detegaturi*, inquit, *Deo noſtro adiuuante ſummus examen, vt ſecundum Canonum venerabilium, conſtituta ſub conſideratione Iuſtitiæ omnia, quæ apud fraternitatem tuam de huiuſmodi negotio acta geſtave ſunt, diligentiſſima veſtigatione flagitentur.* Quid verò inter ea de contumelioſo agendum ſit, eidem Cæſario præſcribit.

Sextò, Concilium Aurelianenſe III. Childeberti Regis 27. Siluerij Papæ II. Chriſti 538. *Canone IV.* vbi agit de Metropolitanorum ordinationibus: *Ipſe tamen Metropolitanus à Comprouincialibus Epiſcopis, ſicut decreta Sedis Apoſtolicæ continent cum conſenſu Cleri vel Ciuium eligatur, quia æquum eſt, ſicut Sedes Apoſtolica dixit, vt qui præponendus eſt omnibus, ab omnibus eligatur.*

Septimò, Leo Epiſcopus Senonenſis *Epiſtola* ad Childebertum Regem, deprecatur ne in Diœceſis ſuæ Parochia, vbi nunquam fuit, nouus, fiat Epiſcopus, claudit Epiſtolam his verbi: *Nam gloria veſtra optimè debet & credere & ſcire, quia ſi contra ſtatuta Canonum, quicunque Epiſcopum ſine conſenſu noſtro Meledone Epiſcoporum voluerit ordinare vſque ad Papæ notitiam, vel Synodalem audientiam, tam hi qui ordinauerint, quàm qui ordinatus fuerit, à noſtra erunt Communione diſiuncti*, vnde vides totam hanc litem ad Papam, vel Synodum remittere.

Octauò, Concilium Aurelianenſe IV. *ann.* 30. Childeberti. Vigilij Papæ II. Chriſti 541. *Canone I.* de celebritate Paſchæ ſic conſtituunt: *De qua ſolemnitate quoties aliquid dubitatur, inquiſita vel agnita per Metropolitanos à Sede Apoſtolica ſacra Conſtitutio teneatur.*

Nonò, Aurelianenſe V. *anno Chriſti* 549. Vigilij 10. Childeberti 38. *Canone I.* Eutycheti & Neſtorij ſectas damnat his verbis: *Quas etiam ſectas Sedes Apoſtolica ſancta condemnat ſimiliter, & cum ſuis auctoribus & ſectatoribus execrantes præſentis Conſtitutionis vigore anathematizamus, atque damnamus rectum, atque Apoſtolicum in Chriſti nomine, fidei ordinem prædicantes.* Non aliam rationem ſuæ fidei, & damnationis hæreſis affert Synodus: quam fides Sedis Apoſtolicæ, & ſimilem damnationem ab ea factam.

Decimò, Canones Romanorum, vt habet Pitheana editio, ſiue Synodus, Romanorum ad Gallos Epiſcopos, & Epiſtola Synodi, quia per morem Epiſtolæ conſcriptæ manifeſtò demonſtraui quantum Eccleſia Gallica Romanæ Eccleſiæ tribueret, & Sedi Apoſtolicæ, quantùmque ab illa penderet in omnibus, eiúſque decreta ſequeretur & veneraretur. Hos Canones edidit Sirmundus ſub finem tomi primi Conciliorum Galliæ.

Vndecimò, Stephanus VI. *anno Chriſti* 754. Pipini Regis tertio in Francia exiſtens in villa Carrhiaco Britannico, Monaſter. plurima reſponſa de quibus fuerit conſultus dedit, quæ Sirmundus *tomo* 2. Concilij Galliæ ex Codice S. Mariæ Laudunenſis vulgauit. Quæ inſtar legum & Canonum accepta ſunt, neque placet quod notat Sirmundus illa Monachis illis priuatim data fuiſſe; licèt enim Monachi illi, aut etiam alij eundem Pontificem, in eo Monaſterio commorantem interrogauerunt, reſponſa tamen ſunt vniuerſalia, quæ non ſolos Monachos, immò pauca omninò illos ſpectant, maximè cùm ferè omnia ex antiquis Canonibus & decretis Pontificum excepta ſint, & nos non aſſerimus hoc loco, niſi vt oſtendamus Pontificem ſuá vſum fuiſſe auctoritate in Gallia & decreta vel condidiſſe, vel renouaſſe.

Duodecimò, Concilium Compendienſe *anno Chriſti* 757. Pauli Papæ I. Pipini Regis VI. Canone IX. baptizatum à Presbytero, non baptizato, ſi in eo Baptiſmo inuocata ſit ſancta Trinitas ait, quia *hic Sergius Papa dixit:* indigere tamen manuum Epiſcopi impoſitione, nimirum ad Confirmationis Sacramentum, quia Georgius *Epiſcopus Romanus & Ioannes Sacellarius ſic ſenſerunt*, neque aliam rationem afferunt PP. in implicatis quæſtionibus definiendis præter authoritatem Romani Pontificis, & Legatorum Apoſtolicorum conſenſum; quod enim in vulgatis exemplaribus legitur emendauit Sirmundus in notis ex veteribus exemplaribus, & ſubſtituit Georgius verò Epiſcopus, & Ioannes Sacellarius, erant Legati Stephani IV. Pontificis ad Pipinum Regem, vt meminit ipſe Stephanus *Epiſt.* 8. Codicis Carolini, quem Gretſerus noſter edidit, idem mendum ineptit in *lib.* 5. *Capitulorum, cap.* 4. 5. *&* 6. *& cap.* 16. 17. 18. *&* 19. in quibus Benedictus Leuitas huius Concilij Canonic. adduxit.

Decimotertiò, in Concilio Ratiſponenſi *anno Chriſti* 792. Adriani Papæ XXI. Caroli Magni 24. Hæreſis Felicis, & Orgelan. præſente ipſo Carolo damnata eſt, ſed ab Adriano Apoſtolica auctoritate funditùs exterminata, audi Alcuinum *lib.* 1. *aduerſus Elipantum Toletanum, antequam ego eodem Sapientiſſimo Rege Carolo iubente veniſſem in Franciam, hæc eadem veſtri erroris ſecta, eodem glorioſo Principe præſidente, præſente fœlice, quem multum laudare ſoles, veſtræ partis tunc temporis, defenſore ventilata eſt, in celeberrimo loco, qui dicitur Raginiſburg. & Synodali auctoritate Sacerdotum Chriſti, qui ex diuerſis Chriſtiani Imperij partibus conuenerant, æterno anathemate damnata, immò & à beatæ memoriæ Hadriano Papa qui tunc temporis Romanæ Eccleſiæ, Apoſtolica auctoritate rexerat ſedem, funditùs exterminata*, addunt Annales incerti Authoris ipſum Felicem eam hæreſim præſente Synodo abnegaſſe, & demùm adductum in præſentia Hadriani Apoſtolici per Angilbertum Abbatem, Centulenſis Monaſterij miſſum iuſſu Caroli Regis, iterum facta Confeſſione damnaſſe, denique fœlix in Patriam redux ad inſaniam rediens anno Chriſti 794. Hadrian XXIII. Caroli XXVI. in Concilio Francofordienſi ex vniuerſi regni Francorum Italiæ, Galliæ, & Germaniæ Epiſcopis, coacto præſentibus Hadriani Legatis Theophylacto & Stephano Epiſcopis, atque ipſo iterum Carolo damnatus eſt, vnà cum Elipando; igitur cùm Elipandus Toletanus Epiſcopus, & Felix Orgelitanus Chriſtum Filium Dei adoptiuum, non naturalem delirarent, viderèntque ob nouam ſuam hæreſim Orthodoxos plurimùm commoueri ſcripſere, tum generales literas ad Sacerdotes, tum ſpeciales, ad Carolum Magnum, quibus ſuam nouam opinionem tuerentur, quibus acceptis Carolus, vti ipſe in ſua ad illos Epiſtola teſtatur, Synodum ex omnibus ſuæ ditionis Eccleſiis conuocari iuſſit, vt de iis deliberarent: *Immò*, inquit, *ad Beatiſſimum Apoſtolicæ Sedis Pontificem de hac noua inuentione noſtra deuotionis ter quatérque direximus miſſos: Siue cupientes, quid ſancta Romana Eccleſia edocta traditionibus, de hac reſpondere voluiſſet inquiſitione.* Itaque ſe ad illos mittere, ait: Primò, quid Dominus Apoſtolicus, cùm ſancta Romana Eccleſia ſentiret: Secundò, quod propinquiores Italiæ partibus Eccleſiæ, cùm Petro Mediolanenſi & Paulino Forouilenſi, ſeu Aquileienſi, Patriarcha ſentirent, & denique quid Epiſcopi Germaniæ,

maniæ, Galliæ, Aquitaniæ, & Britaniæ cenſerent, miſſis ſingulorum libellis, quibus vti Rogarant ſuum ipſe ſenſum ſubiungit his verbis, nec *veſtra me pancr. in conſenſione huius noua adſertionis locum admitto ſed apoſtolica ſedi & antiquis ab initio naſcentis Eccleſia, & Catholicis traditionibus totâ mentis intentione, tota cordis alacritate coniungo.* Epiſtola igitur Adriani ad Epiſcopus Galliciis ſpaniiſque Eccleſiis præſidentes ſic incipit. *Hadrianus Papa ſancta, Catholica atque Apoſtolica primaque Pontifex Sedis*, deinde ait ſe monitum à Carolo Rege de noua Elipandi Hæreſi, quam pluribus ſcripturæ ac Patrum teſtimoniis multiplicique ratione confutat, ad Extenum illos ad vnitatem Eccleſiæ redeant, hortatur, & ni faciant Anathemati ſubiicit. *Quod ſi exigentibus indignis meritis tam inſolubili eos malignus ſpiritus perfidia laquea, iuſto Dei iudicio ſtrangulamit, vt reſolui nequeant: ex authoritate prorſus ſedis Apoſtolica ac B. Petri Apoſtolorum Principis, & per eam quam illi magiſter & Dominus tradidit poteſtatem, & ſoluendi, ligandique licentiam tribuit, quod ſine graui marore, non poſſumus dicere, perpetuo eos anathematis vinculo religatis vltrici, cum ſequacibus ſuis vindicta plectendos, ac per hoc & à gremio Eccleſia & à noſtro Conſortio definit alienos.*

Miſſus quoque fuit libellus, Epiſcopi Paulini Aquileienſi, quem ſuo nomine & aliorum conſacerdotum Synodo Franco Furdienſi obtulit, aduerſus eundem Elipandum, ad quem millen. cenſuit Synodus. In eo Paulinus eam hæreſim ex ſcriptura, Patribus, & ratione grauiſſimè confutat & Epiſtolam quam Elipandus ſcripſerat, additque. *Eos etiam qui poſt tam tam ſaluberrimam definitionem, quam plenaria Synodus. Sancto afflata ſpiritu concorditer ſubtili ſinceritate terminanit falciſſimis eorum aſſertionibus, ſiue clam, ſiue in publica voce prabuerint aſſenſum, ſimili eos ſententia vindicta ſancimus eſſe plectendos: ſeruato per omnia iuris priuilegio ſummi Domini, & Patris Hadriani prima ſedis Beatiſſimi Papa*, ſequitur denique Synodica Concilij Francofurdienſis ad eoſdem Hiſpaniæ Epiſcopos in qua fuſiſſimè demonſtrant, & ſcripturas, & Patrum loca ab illis ſectariis fuiſſe corrupta, & ad veram fidem amplectendum hortantur. Tandem P.P. *Deo fauente*, inquiunt, *Apoſtolica auctoritate, atque piiſſimi. Domini noſtri Caroli Regis iuſſione commoti* damnant, Elipandi Toletani & Fœlicis Orgelitani, atque ſequacium ſententiam de Dei filij adoptione, reſpuunt *atque hanc hareſim funditùs à ſancta Eradicandam ſtatuunt.*

In eodem Francofordienſi Concilio *Can.* 8. Controuerſiam Viennenſis & Arelatenſis Epiſcopi definierunt P.P. ex lectis Gregorij, Zozimi, Leonis, & Simmachi, Romanorum Pontificum Epiſtolis, de Tarentaſia verò & Ebredino legationē eſſe deſtinandam ad ſedem Apoſtolicam tenendumque eſſe quidquid illa definiret, idem Fœlix Romæ vti Palinodiam recantarat, & libellum ſuæ Confeſſionis ſuper ſancta myſteria, & in confeſſione B. Petri, ſuper ipſius B. Apoſtoli Corpus poſuerat, in Patriam rediens eaſdem denuò hæreſes & blaſphemias docere capit, & in libello contra libell. contra Aleuinum ſiue Albinum ſcripto vulgauit, quare à Leone III. in Synodo Romana anno 799. Leonis eiuſdem quartò & Caroli magni 32. denuò & tertiò damnatus eſt exhautoritates, atque ab Eccleſia extorris factus, vti videbis ex huius Synodi exceptis quæ Sirmondus *tom.* 2. Conciliorum Galliæ edidit, ex quibuſdam ſchedis pithæanis, in quibus ſedis Apoſtolicæ auctoritatem in eiuſmodi definitionibus facilè deprehendes, & tandem Fœlix eodem ānno in Synodo Aquisgranenſi, ab Aleuino, commotus, Catholicam fidem ex animō, poſitâ omni ſimulatione profeſſus eſt & iam Romæ, à Papa Leone & 57. Epiſcopis, non vlla violentia, ſed ratione veritatis, vti oportuerat excluſam fuiſſe ſuam ſententiam fatetur, atque ita ad ſuos vrgelitanos præſcripſit eam confeſſionem inter Alcumi opera nuper edita repeties.

Magnus Carolus exeunte anno Chriſti 800. quarto Romam rediens, & in Baſilica B. Petri, cum Leone III. quem à Romanis iniquè, expulſum in ſuam ſedem reduci curarat, quæſtione habita de his qui Pontificem vexarant & pluribus cruciatibus torſerant, & cæcarant, linguáque murilarant, & cunctas crudelitates, ſiue omnes cruciatus in eum exercuerant quæ tamen ingenti miraculo recuperarat. Cùm Leo voluiſſet coram vniuerſo Cœtu de obiectis ſibi criminibus ſe purgare, omnes Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Abbates vna voce exclamarunt, *nos Sedem Apoſtolicam qua eſt mater omnium Eccleſiarum iudicare non audemus. Nam ab ipſa nos omnes, & vicario ſuo iudicamur, ipſa autem à nemine iudicatur, ſicut antiquus mos fuit, ſed ſicut ipſe ſummus Pontifex cenſuerit Canonicè obediemus.* Erant verò hi ferè omnes nobiliſſimi proceres Francorum vnà cum ſuo Rege Carolo, recens in imperatorem Coronato. Ipſe verò Pontifex profeſſus ſe prædeceſſorum veſtigia ſequi velle dixit, & in Ambone coram omnibus iurauit ſuper quatuor Euangelia, quæ ſibi obiecta erant crimina ignorare ſe iſta Anaſtaſius, in vita Leonis & Ademarus in vita Caroli magni.

Carolus magnus in ſelectis Capitibus quæ ſiue Rex ſiue Imperator edidit, & vulgauit Sirmundus *tom.* 2. cil. agens *titul.* 3. de purgatione Canonica Sacerdotum *citato cap.* 1. quæſtionem illam pridem à ſuis prædeceſſoribus ventilatam, ſed nondum definitam ait *vnde* inquit *ad conſulendum Patrem noſtrum Leonem Papam Sacerdotes noſtros mittimus, & quidquid ab eo vel à ſuis praceperimus vobis vna cum illis quos mittimus renuntiare non tardabimus*, & Capite 20. *ſed qualiter conſultu Domni, & Patris noſtri Leonis Apoſtolici, caterorumque Romanorum, Epiſcoporum, ad reliquorum, &c. definitum eſt vobis omnibus vtriuſque ordinis miniſtris ſcire volumus*, & cap. 3. *Praſbyteros criminoſos Canonice ad Synodum venientes iubemus, iuxta decreta Papa Innocentij cap. XXXIII. in medio collocari* & cap. 4. *omnibus vobis tam praſentibus, quàm futuris ſcire cupimus, quia ideo conſultui ſedis Apoſtolica & omnium noſtrorum Epiſcoporum erit de purgatione criminatorum Sacerdotum, tanta tractauimus, eámque cum teſtibus. ſicut in anteriori capitulò noſtro continetur fieri decreuimus, quoniam neſciebamus eandem cauſam à B. Gregorio Papa eſſe definitam, nam cum Vvormatia generalem conuentum habuiſſemus, allata eſt nobis à Riculſo mognutiacenſi metropolitano, in qua inter catera continebantur hac.* Eſt illa Epiſtola Gregorij VI. ſcripta ad Bonifacium, quæ incipit deſiderabilem. *& tit.* 4. de Chorepiſcopis, an Epiſcopilia, vt conſecrationes Clericorum exercerè poſſent. *Quod iurgium cum enucleatiùs diſcutere voluiſſemus, placuit nobis ex hoc Apoſtolicam ſedem conſulere iubente canonicâ auctoritate, atque dicente. Si maiores cauſa in medio fuerint deuoluta, ad ſedem Apoſtolicam, vt ſancta Synodus ſtatuit, & beata conſuetudo exigit, incunctanter referatur.* Ea igitur de cauſa, ait ſe miſiſſe Arnonem Archiepiſcopum ad Leonem Apoſtolicum, *vt quidquid ſuper his definiendum eſſet Apoſt. auctoritate à noſtris Epiſcopis Regulariter ſopiretur* qui reſpondit non eſſe neceſſe hæc iterare vel definire cum ſæpiſſimè à ſuis prædeceſſ. & multis ſanctis Epiſcopis atque Synod. ſanctorib. definita fuiſſent & ideo non eſſe

neceſſe ventilare ſed *definita tenere* , dicitque nulla munera. Epiſcopalia validè aut licitè attingere poſſe, ex quibus conſentanea Carolus ſeruanda edixit , & Multas etiam Epiſcopi, permittente præfato Apoſtolico Chorepiſcopos , & vt appellat villanos Epiſcopos hactenus tractarint, addit ſimile in Synodo Ratisburgenſi definitum fuiſſe , *quàm Apoſtolica auctoritate præfata prætextu habuimus* , inquit , vides igitur quâ veneratione Pontificem tum Carolus tum cæteri Franci ſiue Clerici ſiue laici ſuſceperint.

16. Cum Ioann. quidam Monachus Hieroſolymitanus quæſtionem mouiſſet in Gallia de proceſſione ſpiritus ſancti à filio , magna Synodus , inquit Ado Viennenſis in Chronico Aquis graui congregatur anno Chriſti 809. Regino eodem anno idem ait , ſed addit ,cuius definiendæ cauſæ , Bernarius Epiſcopus Vvormalienſis & Adabardus Abbas Monaſterij Corberæ Romam ad Leonem Papam miſſi ſunt , Sirmondus autem obſeruat tertium etiam fuiſſe Legatum Ieſſe Epiſcopum Ambianenſem,quod colligit ex vita ipſius Caroli , atque ex actis ipſius Legationis , ſiue ex Collatione Romæ cum Papa habita in Secretario B.Petri Apoſtoli , quam ex Smaragdo Abbate Sirmundus,exhibuit,in ea verò collatione cauſam definit Leo, & deinde cum,*Miſſis* diſputat an in Symbolo , tunc addendæ ſunt illæ voces , *Filioque procedit*, quod propter reuerentiam antiquarum Synodorũ,quæ non addiderant,neq;imperat,neque prohibet ſed liberum relinquit. Vides igitur magnam Synodum , vt loquitur Ado, vnà cum maximo Imperatore honorificam Legationem Romam miſiſſe vt à Leone definitionem agitatæ quæſtionis acciperent , quare in Concilio Arelatenſi V I. anno 813. Iuſſu eiuſdem Imperatoris celebrato , addiderunt PP. in profeſſione fidei. *Spiritum verò ſanctum , nec creatum, nec genitum, ſed procedentem ex Patre & filio profitemur.*

17. Concilium Moguntiacum anno Chriſti 831. Leonis III. 18. Caroli magni 45. Cano IV. *Iubet obſeruari ordinem Baptiſmatis, ſicut in decretis Leonis Papa ſub duobus continetur Capitulis*, Et allegatur Capitulum 11. & 12. afferunt & Siricium, ſic. *Si in qualibet neceſſitate opus fuerit ſacri vnda Baptiſmatis, omni volumus celeritate ſuccurri.* Quæ verba habentur,*in Epiſtola eius ad Himerium cap.* 2.

18. Anno Chriſti 802. Paſchalis Papæ VI. Ludouicus Pius Anno ſui Imperij IX. conuentum habuit Stiniaci in quo, fratribus ſuis reconciliatis , de iis quæ in Bernardum Nepotem ſuum admiſerat,atque aliis quæ perperam geſſerat , publicam exemplo Theodoſij Confeſſionem edidit , & Pœnitentiam accepit Vniuerſalem Synodum totius Imperij appellat Hincmarus Remenſis,& ſedis Romanæ Legatos illi interfuiſſe ſcribit, in libro de diuortio Latharij & Terberga, in reſponſione ad interrogationem V.

19. Cum Orientalis Eccl. grauiter inter ſe diſſideret de cultu & adoratione Imaginum , Michaël & Theophilus, Græci Imperatores Legatos ad Ludouicum Imperatorem miſerunt, qui inde etiam Romam proficiſcerentur pacis componendæ cauſa,Ludouicus petiit ab Eugenio I I. Papa, vt ipſi liceret Pariſiis in Palatio Cogere Epiſcopos alioſque viros doctos, qui Sanctorum Patrum varias ſententias & dicta de imaginibus colligerent ; ſit ea deinde collectio adiumento eſſet ad quæſtionem definiendam , hic conuentus habitus eſt anno Chriſti 824. Eugenij ſecundi I. & Ludouici XI. Hanc deinde collectionem , vnà cum actibus conuentûs Pariſienſis miſit ad Eugenium Ludouicus per Hieremiam Senonenſem, & Ionam Aurelianenſem Epiſcopos, quæ omnia conſtant & eius Epiſtola ad Eugenium, & commonitorio dato Legatis,ex quibus videas controuerſias fidei definiendas ad Romanum Pontificem & deinde ab Eccleſia Romana remiſſas, quamvis tunc Galli ſecus de cultu Imaginum ſentire videntur , quam Romana Eccleſia, nihil tamen definire auſi ſunt , & tandem Imaginum venerationem amplexi ſunt , ſed de hac controuerſia, atque colectione illa ex Sanctis Patribus accuratè agemus *tom.* 2. Noſtri operis.

20. Hincmarus in opuſculo de diuortio Lotharij in reſponſione, ad interrogat. V. ait Ludouicum Auguſt. in Synodo ac placito Generali apud Vvormantiam Apoſtolicæ ſedis & Papæ Gregorij commendatum. Legato cum aliis plurimis, de his quæ Epiſcopis in Synodis , per quatuor loca ſui imperij habitis neceſſariò & vtiliter nuper Inuenerant , &c. ex quibus Hincmari verbis in illa Synodo Vvermatienſi , quæ quatuor alia Synodi conſtituerant in Vvormatio relecta & probata, atque Legati Apoſtolici authoritate firmata fuiſſe , quare exiſtimatr Simondus in hac Synodo ſancita fuiſſe , illa tripartita Capitula quæ, in tertio illius Capitulari continentur & præterea alia Capitula , quæ poſt Synodum Pariſienſem edita ſunt, à Ludouico , in Collectione Benedicti Leuitæ, additionibuſque adnixus non expreſſo eius nomine occurrunt,fuit autem hæc Synodus Generalis Vvormatiens habita , anno Chriſti 829. & Ludouicis XVI. Gregorio IV. Pontifice , in his igitur omnibus Sanciendis à Synodis Gallicanis , & à Regibus Chriſtianis videas Romanæ ſedis authoritatem.

21. Concilium Vernenſe II. anno Chriſti 844. Caroli Calui V. Cano V. eos qui Sacrilega fœdera nuptiarum cum ſanctimonialibus fecerant ex Innocentij Papæ cenſura à communione ſuſpendit, & ſine publicà probatâque Pœnitentia recipi prohibet,non negari tamen vult viaticum morituris, ſi tamen pœnituerunt.

22. Elbo Deiectus à ſede Remenſi quod ex authorationis Ludouici Pij fuiſſet author in gratiã Lothar. Romam cum Drogone Metenſi Epiſcopo profecturus anno 844. Fruſtrà contendit à Sergio reſtitui, & Pallio donare, Intereà Hincmarum Creatum remenſem Epiſcopum accepit , & Lotharius egit apud Sergium in Elbonis decreti cauſam iudicio nouo retractari iuberet , ſed Elbo Iudicis aleam ſubire reformidauit , quare à conuentu Pariſienſi , cui Pontificij Legati intererant vocatus & ſe à ſede Remenſi deſiſtere iuſſus , nunquam de ea ſede repetenda cogitauit , licet vixerit ad annum 851. & Hincmari ordinatio rata & comprobata eſt à Leone IV. Cùm Largitione Pallij , res geſtas Papæ referentibus Epiſcopis & regalibus Epiſtolis ; ita Flodoar. *lib.* 3. *Hiſt. Rem. cap.* 2.

23. Concilium Turonenſe II. an. Chriſti 849. Leonis VI. III. Caroli Calui X. ab Epiſcopis 4. Prouinciarum celebratum , Epiſtola Synodica ad Nomenonum Britanniæ Ducem, illum de pluribus ſceleribus & inter alia redarguit. *Ad cumulum malorum auxiſti , temeritatem , & omnem, Læſiſti Chriſtianitatem , dum Vicarium B. Petri Apoſtolicum , cui dedit Deus primatum in omni orbe terrarum , ſpreuiſti : & in eo igitur Læſiſti Apoſtolos, quorum eſt Princeps Petrus , Læſiſti Epiſcopos,qui iam cum deo Regnant in cœlis, & miraculis coruſcant in terris : Læſiſti & nos qui etſi non habemus eorum meritum, idem tamen diuinâ gratiâ poſſidemus officium.* Et infrà, *niſi deponas perſuaſiones alienorum , oppreſſiones omnium ſocietates perditorum , & recipias admonitionem Apoſtolicam , noſtraque vnanimitatis , non tibi prodeſſet fides , nec quæcunque pietas aut bona opera.* Addunt & , alia quibus teſtantur Gallicani Patres , quam grauiter ferant iniuriam Apoſtolicæ ſedis & illius aduce Litteras non receptas.

Concilium

24. Concilium Remenſe præſidente Eugenio III. an. Chriſti 1148. *Can. 6. authoritate Apoſtolica prohibemus, vt nullus aduocatus præter ius & beneficium antiquitùs conſtitutum aliquid accipere vel vſurpare præſumat.* Loquitur de aduocatis Eccleſiæ, de quibus nos alibi, fuſiùs in tractatu de negotiatione, deinde *cant. 7.* Innouat decreta Innocentij circa continentiam Clericorum.

25. Concilium Senonenſe anno Chriſti 1528. Sub Clemente VIII. Archiepiſcopo Antonio à Prato Cardinali, & Galliæ Cancellario, contra Lutheranos, qui inter alia, dignitatem Pontificiam impugnabant, in generali decreto ſic ait. *Vniuerſos qui aliter quam Romana credit, & prædicat Eccleſia credere & pertinaciter aſſerere, attentant, eiuſdem Concilij authoritate velut Hæreticos, & pertinaces, à communione fidelium declaratos ſeparamus.*

26. Cum Montanus, Alcibiades, & Theodoſus in Phrygiæ & Aſyæ partibus, ſuam Hæreſim diſſeminaſſent, Eccleſiæ Galliarum vnum & alterum Concilium contra illam celebrarunt, vti ex Euſ. *lib. 5. cap. 3. & 5.* Colligit Boſquet Hiſtoriarum Eccleſiæ Gallican. *tom. 1. lib. 2.* & Bail *tom. 2. ſumma Conciliorum.* Ait eum Euſeb. Eccleſias Galliæ, Iudicium ſuum & ſententiam cum omni reuerentia, & fidei rectæ expoſitione tuliſſe ἰδίαν κρίσιν ευλαβῆ ϗ ὀρθοδοξοτάτην: non tamen Aſiaticos à ſua communione abſcidiſſe, ſed de his omnibus, & de Martyrum Lugdunenſium actis fratres Aſianos monuiſſe, ſcripſiſſeque ad Eleutherum ſummum Pontificem per Irenæum tunc Eccleſiæ Lugdunenſis adhuc Presbyterum, qui & de dogmate Montani, turbataque eius præſtigiis Eccleſia, aliiſque rebus geſtis Pontificem moneret, & ad conciliandam Eccleſiæ pacem hortaretur, ne ſi eos à communione remoueret & Aſiam totam abſcinderet.

27. Cum Martianus Arelatenſis in Nouatiani Hæreſim incidiſſet Fauſtinus Lugdunenſis Epiſcopus coacto Concilio, illum tanquam Hæreticum damnauit, omneſque cenſuerunt ſcribendum ad Romanum Pontificem Stephanum, & rogandum vt illum ſede deiiceret, quod Concilium, eò quod eſſet Metropolitanus, non Auſun. fuerant, cum id ad Pontificem pertineret. Monendum verò curarunt Pontificem per S. Cyprianum, vti habetur, *Epiſt. 67.* Cypriani ad Stephanum Papam. Stephanus, verò & acta Concilij Lugdunenſis probauit, & Martianum exauctorauit, ipſique Hæradam virum pium ſubſtituit, qui tamen deinde ab Arelatenſi plebe pulſus eſt. Vide citatam Cypriani Epiſtolam, in qua Romani Pontificis authoritatem facile aduertes, & Pamelij notas ad illam, atque Petrum Saxium in Pontificio Arelatenſi, qui addit Martiani nomen ab Elencho Antiſtitum Arelatenſium, qui in Archiuio Arelatenſi aſſeruatur, expunctum fuiſſe.

28. Cœleſtini Papæ Epiſt. VIII. moniti Galliæ Epiſcopi, Synodo coacta prædeſtinat. Damnarunt vti refert Hincmarus, *lib. 1. de prædeſtinat. cap. 1.* Vti eius Epiſtolę verba quædam refert addirque. *Ad cuius.* (Cœleſtini) *prædicti Galliarum Epiſcopi Synodum habuerunt, & huiuſmodi prauè ſentientes, aut reſipiſcentes, pietate Eccleſiaſticâ receperunt, aut in ſua vecordia, aut prauis ſenſibus perſiſtentes Epiſcopali atque Catholica, & Apoſtolicâ authoritate à conſortio fidelium ſegregauerunt*, Sicut Epiſtola *amicalis fauſti ad lucidum preſbyterum*, & libellus eiuſdem *lucidi*, *in Synodo porrectus demonſtrauit Epiſcopis.* Circa hoc tamen poſtremum & de tempore huius Synodi, quod Bail aſſignat anno 432. mouet idem difficultatem, mihi nunc ſufficit, hanc prædeſtinatianorum Hæreſim in Gallia primum damnatam, iuſſu Pontificis Cœleſtini, eiuſque authoritate Synodum coactam, ſiue Arelat. vt cenſet Bail, ſiue Alibi. Legatur ipſa Cœleſtini Epiſtola, nam ad ipſum quoque recurrunt iſti Prædeſtinationi Presbyteri.

29. Epiſtolam 110. B. Leonis contra Entichis errores ad Rauennium Arelatenſem, vt conuocatis conſacerdotibus illam communicaret, quod ipſe fecit, conuocatæ Synodi Arelatenſis, & Narbonenſis Prouinciæ anno 450. Synodus verò hic Pontifici Leoni Epiſt. 51. reſcribunt. *Exultauimus itaque Chriſto propitio, lectis beatitudinis veſtræ literis, & omni inſtructione patefacta omnes intra Gallias conſtitutos exultare mox fecimus: dolentes pariter pro his vobiſcum, qui Catholicæ fidei lumine derelicto in errorum tenebras inciderunt. Quæ Apoſtolatus veſtri ſcripta ita vt Symbolum fidei, quiſquis, redemptionis Sacramenta non negligit, tabulis cordis adſcripſit, & tenaci quoad confundendos Hæreticorum errores paratior ſit memoriæ commendauit, multi itaque in ea gaudentes pariter & exultantes recognouerunt fidei ſuæ ſenſum & ita ſe ſemper ex traditione paterna tenuiſſe, vt veſter Apoſtolatus expoſuit*, iure lætantur: *Nonnulli ſollicitiores facti, Beatitudinis veſtræ admonitione percepta, modis omnibus ſe gratulantur inſtructos, datamque ſibi occaſionem gaudent, qua libere ac fiducialiter, ſuffragante etiam Apoſtolicæ ſedis auctoritate eloquantur, vt afferat vnuſquiſque quod credit: quis autem Apoſtolatui pro hoc tanto munere, quod non ſolum Gallias, ſed tantum mundum velut pretioſiſſimis quibuſdam gemmis ornauit, dignus exiſtimer gratiæ poſſe perſolui doctrinæ, poſt Deum veſtræ; debet quiſquis fidelis, vt conſtanter teneat, quod credebat, debet etiam infidelis vt à perſidia ſua, agnita veritate diſcedat, Apoſtolicæ inſtitutionis luce perfuſus, erroris ſui tenebras derelinquat, magiſque ſequatur & credat, quod per os veſtrum Dominus noſter Ieſus-Chriſtus de Sacramento Incarnationis ſuæ docet, quam id teneat quod Diabolus humanæ ſalutis & veritatis inimicus inſtillat.* Et ſub finem gratias agunt Domino, quod tantæ fidei, tantæque doctrinæ, Apoſtolicæ ſedi; *Vnde* religionis noſtræ propitio Chriſto, fons & origo manauit, Antiſtitem dederit, placuit hanc plagulam ex Synodica referre, vt appareat quanti facerent Galliani Epiſcopi definitionem Romani Pontificis in materia fidei.

Concilium Remenſe an. 1049. à Sancto Leone IX. Quodam Tullenſi Epiſcopo Iudicatum ipſoque Pontifice Præſidente Celebratum, coram altare SS. Trinitatis, in quo ipſemet Corpus S. Remigij impoſuerat & ſuis humeris tulerit, vt ipſe ſanctus tantæ Synodi & Gallis maximè Epiſcopis præſideret; in eo conſtituit Leo annuente & ſuffragante Vniuerſali Concilio, Lectis, inquit Codex Remenſis. *Sententiis ſuper hac re olim promulgatis ab Orthodoxis Patribus declarandum eſt, quod ſolus Romanæ ſedis Pontifex Vniuerſalis Eccleſiæ primus eſſet & Apoſtolus*, & ibidem etiam *excommunicatus eſt.* S. Iacobi Archiepiſcopus Gallicienſis, quia contra fas ſibi vindicaret Culmen Apoſtolici *nominis*, ibidem etiam *Petrum* competentibus recitatis ſententiis pœna damnati ſunt excommunicationis, qui ipſius formæ formidantes aduentum hac de re profecti erant in expeditionem *Regis*, quam ſuæ abſentiæ à Synodo Pontificia conuocatæ, prætexebant excuſationem, in illis Synodi actis. Vides Leonem illicita quæ in Gallia fiebant ſummâ auctoritate emendaſſe, alioſue damnaſſe, alios ad futuras Synodos citaſſe, & alia plurima, quæ non niſi in ſummam auctoritatem Eccleſiaſticam cadunt, præſtitiſſe conſule ipſa acta.

29. Concilium Prouinciæ Senonenſis apud Meldunum Stephano Becard Archiepiſcopo anno 1299.

Bonifacio

Bonifacio vni Pontifici, & Philippo Pulchro regnante. Bonifacij Conſtitutiones & decreta recipit & promulgari mandat, eorumque copiam ſiue exemplar ſingulis Parrochis dare, vt earum obſeruantiæ inuigilent.

31. Concilium Rothomagenſe anno Chriſti 1581. à Cardinali Carolo Borbonio Rothomagenſi Archiepiſcopo celebratum, plurima dubia à Pontifice Gregorio XIII. propoſuit, eiuſque reſponſa, ac definitiones admiſit, refert ea, *Bail tom. 2. ſumma Conciliorum in additione, in qua plurima Concilia recenſet.*

32. Concilium etiam Burdigalenſe anno 1582. Antonio Sancico Archiepiſc. ſua decreta. XXXV. titulis ſubmittunt, *cum humilitate & obedientia ſanctæ Romana Eccleſia iudicio emendanda, & corrigenda.* Ideoque miſſa ſunt ad Gregorium XIII. qui & Archiepiſcopo non ſine laude & commendatione reſcripſit.

33. Eodem anno Ludouicus à Guiſia Cardinalis Remis Concilium indixit, petiitque à Pontifice id ipſi licere cum nondum accepiſſet Pallium, cum eſſet Remenſis Archiepiſcopus. Quare Gregorius cum eo tunc diſpenſauit, contra Bonifacij VIII. Conſtitutionem, petiit deinde actorum confirmationem ab eodem Pontificè cuius breue reperies ſub finem Canonum illius Concilij apud Bail. *Tom. 2. ſumma Concilium.*

34. Simon Maille Archiepiſcopus Turonenſis eodem anno 1583. Synodum Turonibus celebrat, quid ſua omnia decreta Iudicio & Cenſuræ Pontificiæ ſubmittit, ab eoque facultatem abſoluendi ab Hæreſi, aliaque poſtulat, ſub finem etiam Concilij adijciuntur duæ Epiſtolæ vna ipſius Simonis Archiepiſcopi ad Gregorium, quæ poſtulat Decreta probari, vel emendari, altera Gregorij ad Archiepiſcopum quæ remittit decreta probata & emendata.

35. Concilium Bituricenſe Reginaldo Beluenſi anno 1584. viuente Gregorio XIII. eius deinde Canonibus ſubiungitur Breue Apoſtolicum confirmationis per Xiſtum V. in quo teſtatur decreta fuiſſe emendata, mandatque ne aliter edantur.

36. Aquenſe Concilium anno. 1585. ſua decreta ad Xiſtum V. mittit ſolitis verbis: *quæ in ea decreta confecimus, qua maiori poſſumus reuerentiâ, atque humilitate mittimus ad ſanctitatem veſtram eiuſque cenſuræ, ac iudicio ſubiicimus, rogamuſque vt ea ſapientia ſua meliora facere, atque Apoſtolica auctoritate confirmare, & munire ad ſpiritualem huius Eccleſia & Prouinciæ adificationem promouendam velit.* Cui & Xiſtus reſcripſit, & decreta emendata remiſit. Atque hæc pauca ſufficiant, vt demonſtremus quàm conſtans, & perpetuus fuerit Gallicanæ Eccleſiæ ſenſus in variis Synodis diuerſis in locis & ætatibus coactæ circa auctoritatem ſedis Apoſtolicæ, in dubiis fidei, morum & Diſciplinæ Eccleſiaſticæ definiendis.

Quod ipſum tertio validoque argumento probare licet ex Epiſtolis & decretis Romanorum Pontificum ad Eccleſias Gallicanas & Epiſcopos directis & ſummâ veneratione ſuſceptis, atque executioni mandatis, tanquam certis regulis ad quas omnia exigerent, non minori obſeruantiâ, quam ad Sacros Conciliorum Canones. Ordior ab iis Pontificibus quorum ſcripta, & Epiſtolæ in dubium reuocari non poſſunt, ne quis Cauillis locus remaneat.

1. Innocentius primus Epiſtola ad Victricium Rotomagenſem anno Chriſti 404. Honorij Imperij X. alij 15. Kalend. Martias Honor. VI. mittit Regulas circa Diſciplinam Eccleſiaſticam Seruandas *Quia*, inquit, *Romana Eccleſia normam ac regulam ad auctoritatem magnopere poſtulaſti, voluntati tuæ, morem admodum gerens digeſtis vitæ, & morum probabilium Diſciplinas annexas Literis meis miſi: per quas aduertant Eccleſiarum regionis veſtræ populis, quibus rebus ac Regulis Chriſtianorum vitam ſuâ cuiuſque profeſſione valeat contineri, qualiſque ſeruetur in vrbis Romæ Eccleſiis Diſciplina*, deinde iubet has quas mittit Regulas publicari. *Erit dilectionis tuæ per plebes finitimas, & conſacerdotes noſtros, qui in illis regionibus propriis Eccleſiis præſident regularem hunc librum, quaſi didaſcalcum & monitorem ſedulò inſinuare, vt & noſtros cognoſcere, & ad fidem confluentium mores valeant docendi ſedulitate formare.* Deinde tradit XIII. Canones ſeruandos in quibus in 8. *Siquæ autem cauſæ vel contentiones tam ſuperioris quam inferioris ordinis fuerunt exortæ, vt ſecundum Synodum Nicænam congregatis eiuſdem Prouinciæ Epiſcopis Iurgium terminetur, nec alicui liceret ſine præiudicio tamen Romanæ Eccleſiæ, cui in omnibus cauſis debet reuerentia cuſtodiri relictis his Sacerdotibus, qui in eadem Prouincia Dei Eccleſiam nutu diuino gubernant ad alias conuolare Prouincias, quod ſi quis forte præſumpſerit, ab officio clericatus immotus velut iniuriarum reus ab omnibus iudicetur, ſi autem inanes cauſæ in medium fuerant deuolutæ ad ſedem Apoſtolicam ſicut Synodus ſtatuit poſt Epiſcopale iudicium referantur.*

Epiſt. ad Exuperium Tholoſanum X. Kalend. Martias Stilicone II. & Anthemio VV.C.C. Conſulibus plura quoque decreta mittit hoc Exordio, *& quidem, dilectio tua inſtitutum ſequuta prudentium, ad ſedem Apoſtolicam referre maluit, quid de rebus dubiis cuſtodire deberet, potiuſquàm vſurpatione præſumpta, quæ ſibi videatur de ſingulis obtinere.* Capite 2. vult contra veterem conſuetudinem ſeueratorem, pœnitentibus in extremo vitæ dari & pœnitudinem, & communionem quàm prior conſuendi negabat, vt homines reuocaret à lapſu. *Sed poſtquam*, inquit, *Dominus noſter pacem Eccleſiis ſuis reddidit, iam terrore depulſo communionem dari abeuntibus placuit & propter domini miſericordiam, quaſi viaticum profecturis & ne nouatiani Hæretici negantis veniam, aſperitatem, ſanitiam ſequi videamur, tribuitur ergo cum pœnitentia extrema, cominus in homines eiuſmodi, vel in ſupremis ſuis pœnitentes, miſerante ſaluatore noſtro, vt à perpetuo exitio vindicentur.* Cap. 6. qui ſani libri Canonici negant.

Idem ad Epiſcopos Synodi Tholoſanæ, quamquam alij contra fidem antiquarum Collectionem Legant, Toletanæ plurima decernit ad emendanda quæ, per Hyſpan. peccabuntur, Epiſcopi ſiquidem Hiſpani eâ de cauſa Tholoſam conuenerant. *Patres noſtri*, inquit, *Epiſcopus Hilarius & Elpidius partim vnitatis amore permoti, partim qua laborabat prouincia pernicie, vt oportuit excitati, ad ſedem Apoſtolicam commearant & in ipſo ſinu fidei, violatam intra prouinciam pacem, Diſciplinæ rationem, eſſe confuſam, & nullo contra Canones Patrum, contempto ordine, reguliſque neglectis, in vſurpatione Eccleſiarum fuiſſe, commiſſa*, &c. Quare quæ ſeruanda ſunt decernit Pontifex de recipiendis ab Hæreſi conuerſis, vnde ortum fuerat diſſidium inter plures Epiſcopos 2. de Epiſcopis & Alienis Eccleſiis 3. de cauſa Ioannis Epiſcopi 4. de vitioſis ordinationibus, 5. de admittendis in clericatus ordinem.

2. Zoſimus Epiſt. ad Epiſcopos Galliæ XI. Kalend. April. Honorio Auguſto XI. & Conſtantio II. Conſulibus, confirmat Priuilegia Metropolitani Arelatenſis, ipſique Viennenſem, Narbonenſem primam & ſecundam tanquam ad eius Pontificium pertinentes tribuit.

Et eodem anno die X. Kalend. Octobris Epiſtola ad Africæ, Galliæ & Hiſpaniæ Epiſcopos Deurſo & Tuentio Epiſcopis illicitè à Proculo Maſſilienſi in Eccleſiæ Arelatenſis præiudicium ordinatis ſcribit, & poſt

poſt multa de eorum Epiſcoporum criminibus & damnatione ſic tandem edicit. *Quæ de re ad ſanctitatem veſtram & per totum orbem, vbicumque & quacunque terrarum ſonus Catholicæ Religionis exiit, ſcripta direximus, fratres Cariſſimi ne Tuenſium, & Vrſum in communione Eccleſiæ, in quocumque Eccleſiaſtico gradu à qua in totam anathematizati ſunt, ſuſcipiendos eſſe ducatis & remouendæ ſunt à ſancto corpore putridæ carnes, & à maſſa, ſanctificationis acidum, exetrandúmque fermentum, de quibus plura ſcribere pudori fuit, cum illis pudori non ſit tanta feciſſe.* Non potuit illuſtriùs ſuam authoritatem teſtari.

Ipſo quoque eodem anno III. Kalend. Octob. ſcribens Zozinus ad Epiſcopos Prouinciæ Viennenſis & Narbonenſis, ſecundæ, contra Proculum Maſſilienſem qui ſibi Metropolitan. ius in Narbonenſem ſecundam, & ſimplicium Viennenſem, qui idem ſibi in Viennenſem arrogabat, ſua iura in eaſdem Prouincias Arelatenſi Metropolitano tuetur, ex antiqua conſuetudine, quod idem, circa primam Narbonenſem præſtat Epiſtola ad Hilarium Epiſcopum Narbonenſem eodem die datâ. *Ergo licet ſola quæ in ſede Apoſtolica habita ſunt, poſſent geſta ſufficere; tamen etiam hac te auctoritate conſtringimus vt præſumptioni tuæ, quam extuliſſe contra veterem conſuetudinem videbaris modum noueris iuſtæ præſcriptionis indictum, neque æſtimes tibi vlterius Pontificatum de ordinandis Sacerdotibus vindicandum.*

Illa etiam ipſâ die Ad Patroclum Arelatenſ. de Proculi Maſſilienſis damnatione ſcribit, & repentinas, Neopſytorum promotiones prohibet. *Si enim Apoſtolus Neopſytum Sacerdotio non ſtatim cumulari iubet & hoc idem Canonum ſtatuta ſanxerunt: hoc addimus noſtra ſententia, vt quiſquis de cætero vel ſummo Sacerdotio, vel prælati gradu: vel diaconatum crediderit cumulandum, ſciat & ſe gradus ſui ſubire iacturam nec in illum valitura eſſe, quæ contulit; vt ſaltem ab ordinatione præcipiti metus iſte ſummoueat, quos examinata diſcuſſio coërcere debuiſſet.* Vides non modò Legem Apoſtolicam, & Canonum ſcita ampliare, ſed etiam grauem eorum violatoribus pœnam infligere.

Epiſtola deinde data III. nonas Martias Honorio XII. & Theodoſio VIII. Auguſt. Coſſ. ad eundem Patricoclum, hortatur auctoritate Metropolitani quã ipſi ſedis Apoſtolicæ pronunciatione firmauit, proculi auſus & conatus compeſcat. In eandem ſententiam hac ipſa die, ſcribit, ad Maſſilienſem, miraturque Proclum, in conſueta adhuc fronte durare, & oblitum penitùs pudoris, quotidie dignâ damnatione committere.

3. Bonifacius anno Chriſti 419. Honori XXV. ſub die, Idas Iunias Monaxio quintum Conſule ad Epiſcopos Galliæ. Maximum Valentinæ ciuitatis Epiſcopum ſæpiùs apud ſe accuſatum, cùm perpetuo vocatus Iudicium declinaſſet, Iudicari mandat ab ipſis, & Synodum, ad hanc cauſam ante diem Kalend. Nouembrarum Congregari: *Vt ſi adeſſe voluerit, præſens ſi confidet, ad obiecta reſpondeat: ſi verò adeſſe neglexerit, dilationem ſententiæ de abſentia non lucretur.*

Epiſtola verò ad Hilarium Narbonenſem die V. Idus Febr. Honorio XIII. & Theodoſo X. Auguſtis Coſſ. agit contra Patroclum Arelatenſem, qui Epiſcopum in Eccleſia Lutenenſi ordinarat, iubetque vt nullus contempto Metropolitan. ordinetur Epiſcopus, & ita concludit. *Quod idcircò dicimus, vt aduertat Charitas tua adeò nos Canonum cautius præcepta ſeruare, vt ita conſtitutio quoque noſtra definiat, quatenus Metropolitani ſui, vna quaque Prouincia in omnibus rebus ordinationem ſemper expectet.*

4. Cœleſtinus *anno Chriſti* 428. Valentiniani III. Imp. ann. 3. VIII. *Kalend. Aug.* Flauiis fœlice, & Tauro VV. Coſſ. Scribens ad Epiſcopos Prouinciæ Viennenſis, & Narbonenſis, ſic ait, *in ſpeculis Conſtitutis, vt vigilantia noſtra diligentiam comprobantes, & quæ coërcenda ſunt reſecemus, & quæ obſeruanda ſunt ſanciamus circa quamvis longinqua ſpiritualis cura non deficit, ſed ſe per omnia, quâ nomen Dei prædicatur oſtendit: nec notitiam noſtram ſubterfugiunt, quæ in euerſiones regularum nouella præſumptionis authoritate tenéantur.* Deinde vetat morem miniſtrandi in Eccleſia amictus pallio & Lumbis præcinctis 2. Iubet in mortem vltimam pœnitentiam non denegari 3. Promotionem ad Epiſcopatum faciendam, per gradus Eccleſiaſticos, neque aut Laïcos, aut criminoſos aſſumendos, & alia nonnulla edicit. Danièli Epiſcopatum, ad quem obrepſerat abrogat cauſam Epiſcopi Maſſilienſis, Iudicandam Synodo delegat.

Altera Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ, quoſdam Presbyteros qui in diſciplinatas quæſtiones vocantes in medium pertinaciter audeant prædicare aduerſantia veritati ad ſe delatos à Proſpero & Hilario, quorum ſollicitudinem laudat, mouet hortatúrque Epiſcopos illos compoſcant, ne illis copiam diſputandi faciant, ne conuenire ſit, hoc tacere. *timeo,* inquit, *ne magis ipſi loquantur, qui permittunt illis talibus cauſis, non caret ſuſpicione taciturnitas, quæ occurrit veritas, ſi falſitas diſpliceret, meritò namque cauſa nos reſpicit ſi ſilentio faueamus errori, &c. Recurrerunt ad Apoſtolicam prædicti ſedem, hæc ipſa nobis quæ teneat perturbatio conquerentes.* Hæc & alia Cœleſtinus, maximè quod ſuos errores Auguſtini authoritate, iuſtè excuſare molirentur. Vides igitur quæſtiones illas fidei ad Cœleſtinum Romanum Pontificem delatas. Et quia iidem Hæretici Iactabant ea tantummodò ſe ſequi & probare, quæ Sacratiſſima Beati Apoſtoli ſedes Petri contra inimicos gratiæ Dei per miniſterium præſulum ſuorum ſanxit & docuit, idcircò diligenter addit Cœleſtinus ſuæ illæ Epiſtolæ, quid Rectores Romanæ Eccleſiæ de Hæreſi, quæ eorum temporibus exorta fuerat, iudicauerint, & contra nocentiſſimos liberi arbitrij defenſores quid de gratia Dei ſentiendum cenſuerint: itavt etiam, inquit Africanorum Conciliorum quaſdam ſententias iungeremus, quas vtique ſuas fecerunt Apoſtolici antiſtites cum probarunt tandem, concludit Cœleſtinus. *Ad confitendam gratiam Dei, cuius operi, ac dignationi nihil penitus ſubtrahendum eſt ſatisfuiſſe credimus, quidquid ſecundum prædictas regulas Apoſtolicæ ſedis nos ſcripta docuerunt, vt prorſus non opinemur Catholicum quod apparuit præfixis ſententiis eſſe contrarium.* Vides quam fidei regulam præfigat Cœleſtinus Gallicanis Epiſcopis.

5. S. Leo magnus *Ep.* ad Epiſcop. Prouinciæ Viennenſis. *Imprimis veritatem quæ antea Legis, & Prophetarum præconia continebatur, per Apoſtolicam tubam in ſalutem Vniuerſitatis exiiſſe: ſed huius muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, vt id in Beatiſſimo Petro Apoſtolorum omnium ſummo principaliter collocaret, atque ab ipſo quaſi quodam capite dona ſua vellet in corpus omne manare, & diuinitatis particeps facere, qui auſus fuerit à Petri ſoliditate recedere nobiſcum, itaque veſtra fraternitas recognoſcat Apoſtolicam ſedem pro ſui reuerentia, à veſtra etiam Prouincia Sacerdotibus Innumeris relationibus eſſe conſultum, & per diuerſarum quemadmodum vetus conſuetudo poſcebat appellationem cauſarum aut retractas aut confirmata fuiſſe: Iudicia* deinde contra Hilarium Arelatenſem agens, qui contrarium attentarat Chelidonium Epiſcopum, quem Halarius damnarat, retractato iudicio abſoluit, proiectum

ctum Epiſcopum cui ægrotanti, alterum idem Hilarius ſubſtituerat, in integrum reſtituit Hilario Metropolitani dignitatem, & poteſtatem in Prouinciam Viennenſem adimuit, Leontium Epiſcopum dignitate & Priuilegio Metropolitani ornat. Sed cum extincto Hilario, Rauennius ſucceſſor cæteri Epiſcopi Prouinciæ poſtularent, vt ipſe honor Hilario ablatus reſtitueretur, & ſe Viennenſ. apud eundem Leonem apponeret. Leo Controuerſiam ita compoſuit. *Epiſtola* ad eos data III. *Nonas Maij*, Valentiniano Auguſt. VII. & Auieno V.C. Coſſ. *Vt Viennenſ. Vicinis ſibi quatuor oppidis præſidebat, id eſt Valentiæ, & Tarentaſiæ, & Geneuæ, & Gratianopoli, & cum his ipſa Vienna ſit quinta, reliquæ vero ciuitates eiuſdem Prouinciæ ſub authoritate Arelatenſis, & ordinatione conſiſtant, quem pro modeſtiæ ſuæ temperamento, ita futurum credimus ſtudioſum Charitatis, & pacis, vt ne quaquam ſibi credat ablatum, quod fratri videtur conceſſum eſſe.*

Idem Leo Epiſtolam ſuam dogmaticam ad Flauianum Conſtantinop. in qua myſterium Incarnationis contra Euthychetem, *explicat*, mittit ad Rauennium Arelatenſem cum cæteris Epiſcopis communicandam, quæ miris præconiis excepta eſt, vt ex variis ad ipſum Epiſtolis conſtat, & maximè ex Synodicæ Epiſcoporum Galliæ cum ſuſcriptionibus 33. Epiſcoporum, *quæ* inquiunt. *Apoſtolatus veſtri ſcripta, itavt Symbolum fidei, quiſquis redemptionis Sacramenta non negligit, tabulis cordis adſcripſit, & tenaci, quo ad conſumendos errores paratior ſit, memoriæ commendauit, &c.* Quare Leo ad eoſdem Epiſcopos Galliæ reſcribens Epiſtola data Kalendis Febr. Herculario V. C. Conſule damnato Entiche & Dioſor. à Synodo Chalcedonenſi Sexcentorum Epiſcoporum cum Vicariis Apoſtolicæ ſedis, ſic ait: *Euidenter apparuit, hanc eſſe verè Apoſtolicam fidem, & diuinæ pietatis fonte manantem quam ſinceram, & ab omni fæce totius erroris alienam ſicut accepimus, prædicamus & Vniuerſo iam mundo conſentiente defendimus, extinctis toto orbe dogmatibus, quæ vel præſens Hæreticus auſus eſt inferre, vel ſubſequens diſſimili quidem commento ſed impietate compari.* Et mox poſt explicatam Neſtorij & Enthichet. Hæreſim. *Quæ Diabolicorum ſenſuum prodigioſa commenta, ſancta nunc Synodus humilitatis noſtræ ſcriptis, auctoritate Domini mei Beatiſſimi Petri Apoſtoli, & marito roboratis, Religioſa Vnanimitate conſentiens abominando*, ab Eccleſia Dei, *amputauit*, altera deinde Epiſtolâ ad eoſdem Gallicanos Epiſcopos mittit exemplar ſententiæ, quam Paſchaſinus & cæteri Vicarij ſedis Apoſtolicæ in Concilio Calcedonenſi pronuntiarunt aduerſus Dioſcorum Alexandrinum, enarratis enim eius ſceleribus ſic aiunt. *Vnde ſanctus ac Beatiſſimus Papa caput Vniuerſalis Eccleſiæ Leo Apoſtoli præditus dignitate, qui Eccleſiæ fundamentum, & Petra fidei per nos Vicarios ſuos ſancta Synodo, conſentiente Petri Cæleſtis regni ianitor nuncupatur, Epiſcopali eum dignitate nudauit, & ab omni Sacerdotali opere fecit exterrem ſupereſt vt Congregata Vniuerſalis Synodus Canonicam contra prædictum Dioſc. proferat iuſtitia ſuadente ſententiam.*

Denique Idem Leo rogatus ab Epiſcopo Formilienſi Theodoro de pœnitentia in exitu vitæ conſtitutis, ſi eam aliquo iudicio deſideraſſe comprobentur, reſcribit ad eundem IV. Idus Iunias Herculano V. C. Conſule illum imprimis cum ſuo Metropolitano debuiſſe agere, deinde ſimul ſi opus foret, inſtrui Poſacrem deinde non in eo caſu negatiuam pœnitentiam edicit.

6. Hilarius Epiſt. ad Leontiuam Arelatenſem, data III. in nonas Nouemb. an. 462. Queritur quod ſe non monuerit de Hermetis temeritate qui Narbonenſem Epiſcopatum inuaſerat: Quare iubet inquiri & ad ſe referri, deinde Epiſtolâ ad Variarum Prouinciarum Galliæ Epiſcopos, data III. nonas Decembris G. L. P. Seuer. Aug. Conſule, acceptis Legationib. & examinata cauſa in Concilio Romano, de eodem Hermete ſtatuit, illumque ita Narbonenſi Eccleſiæ præſidere permittit, ita vt tamen careat ordinandorum Epiſcoporum poteſtate, in ſingulis Prouinciis Cōcilia quot annis iudici mandat & ne Epiſcopi ſine Metropolitani formatis Litteris in aliam Prouinciam proficiſcantur. Quod ſi non potuerint obtinere, cauſam diſcutiat Arelatenſis cum duobus Metropolitanis, quia verò Leontius Parrochias à predeceſſore ſuo Hilario alias malè tranſlatas repetebat, Iudicium permittit Epiſcopis Conuenientibus Pontifex. Denique ne prædia Eccleſiaſtica alienentur, niſi cauſam alienationis probarit Concilium prohibet.

Epiſtola ad Leontium Arelat. data VI. Idus Octob. Baſil. V.C. Conſule an. 463. Cum accepiſſet Hilarius Hunonici Magiſtri militū ſermone, mamertum Viennenſem Epiſcopum inuitus Dienſibus, qui ad Eccleſiarum eius numerum, quem ei Apoſtolicæ ſedis deputarat authoritas, minime pertinebant hoſtili more occupans ciuitatem, Epiſcopum conſecrare præſumpſiſſe, iubet Leontium de hac cauſa in conuentu Synodali annuo, cui ipſe præſidebat cognoſcere, & deinde *omnium* (inquit) *Literis noſtræ intimare notitiæ, vt quod ſancto ſpiritu dictante eſt faciendum, ad comprimendos conatus illicitos, ordinemus.* Subinde ad Epiſcopos qui Mamerti cauſā in Synodo cognouerant, VI. Kalend. Martias, per Antonium Cœpiſcopum quem ad ſe legarant, præſcribens plurima de Mamerti præſumptione in Iniuriam Leontij conqueſtus, iubet vt per veratium Epiſcopum moueatur Mamertus ab ordinationibus indebitis, ordinis ſui & Priuilegiorum pericula in poſterum obtinere qui verò fuerat Denſibus à Mamerto ordinatus, Leontij Arelatenſis Epiſcopi, à qua conſecrari debuit, arbitrio confirmetur. In eandem etiam ſententiam ſcribit ad Epiſcopos Prouinciæ Viennenſis, Lugdunenſis, Narbonenſis, primæ & ſecundæ, Alpinæ. Idem denique Epiſtola ad Leantium, Veranium, & Victurum Epiſcopos, illis cauſam inter Ingenium, & Auſcanum Epiſcopos quoad Parochias quaſdam diiudicandam mandat.

7. Symmachus anno Chriſti 499. Epiſt. data III. Kalend. Nouemb. P. C. Paulini Y. C. ad Æonium Arelatenſem monet, vt tum ipſe, tum Viennenſis Epiſcopus. Romam certos homines mittant, qui de ipſorum controuerſiis probè inſtructi, ſedi Apoſtolicæ allegᵃnda ſuggerant.

Altera Epiſtola ad eundem Æonium reſcindit Symmachus, quæ eius Prædeceſſor Anaſtaſius in Viennenſi controuerſia Innouarat, & antiqua ſedis Apoſtolicæ decreta iubet obſeruari.

Idem Symmachus Conſultus à Cæſario Arelatenſi varia ad ipſum decreta mittit Epiſtola data VIII. Idus Nouembris probo V. C. Conſule libellus verò à Cæſario oblatis ſit incipiebat. *Sicut à perſona Beati Petri Apoſtoli Epiſcopatus ſumit initium, ita neceſſe eſt vt diſciplinis competentibus ſanctitas veſtra ſingulis Eccleſiis, quid obſeruare debeant, euidenter oſtendat*

Idem Cæſarius poſtulauit à Symmacho confirmari quæ circa diuiſionem Prouinciæ Viennenſem & Arelatenſem, à Leone Conſtituta fuerant, quod & præſtitit Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ eodem anno & probo Conſule data & Epiſtola ad Cæſarium data III. Idus Iunias F. L. Senatore V. C. Conſule huic Epiſtola præfixit Sirmundus Tom. I. Cono. libellum ad Ægedio Abbate in eandem rem Symmacho oblatum quid ſic incipit. *Quantum omnibus Eccleſiarum*

Pontificibus

Pontificibus, quæ in toto orbe diffuſa, Apoſtolica ſedes ſibimet vindicat Principatum, & Synodalibus decretis firmior eius præcellit authoritas, tantum poteſtatis ſuæ prouiſione dudum à ſeſe conceſſa debes inconcuſſa ſeruare, quatenus Arelatenſis Eccleſia firmatur Priuilegiis ſuis.

8. Fœlia Papa IV. à Cæſario Arelatenſi Conſultus Laicis ad Sacerdotium antè probationem non promouendis reſcribit Epiſtola, *data 3. nonas Februarias.* P. C. Mauortij. V. C. reſcribit ad Cæſarium, & pluribus quæ conſtituerat approbat.

9. Contumelioſus Regenſis Epiſc. cum ab Epiſcopatu propter admiſſi criminis notam deiectus eſſet, cauſaque deuoluta ad Pontificem Ioannem II. cuius hac in cauſa ſtudium & Iudicium conſtat ex variis eius Epiſtolis, quaſi ex antiquis exemplarib, primus in lucem edidit Sirmondus Tom. 1. Concil. Gallican. Nam Epiſtola prima ad Cæſarium Arelat. contumelioſum ab Epiſcopatus ordine ſua auctoritate ſuſpendit, deinde in Monaſterium à Cæſario recludi mandauit; demùm vt viſitatorem in eius Eccleſia viduata conſtituit: tandem ſubiicit Canones ad quos examinanda eſt tota illa cauſa.

Epiſt. 2. ad Epiſcopos Galliæ præcipit loco contumelioſi viſitationem in eius Eccleſia conſtituit, ſimili argumento ſcribit ad Clerum Regenſem in Ep. 3.

10. Cum contumelioſus ad ſedem Apoſtolicam appellaſſet, Agapetus Ioannis ſucceſſor Epiſtola ad Cæſarium Arelatenſem data XV. Kalend. Auguſtas. P. C. Paul. Iunioris V. C. quid interim agat præſcribit.

11. Vigilius Papa Pallium quod Auxanius Arelatentis miſſa Legatione poſtulerat, aliquandiu differt, donec certiorem faciat Imperatorem propter, diſſidiū quod illi erit cum Childeberto Rege. *Epiſt.* 1. deinde *Epiſt.* 2. ad eundem illi & Pallium concedit, & Vicarium ſuum in Gallia conſtituit, qua etiam de re. *Epiſt.* 3. Scribit ad Epiſcopos Galliç eiuſque muneris partes explicat, eodemque Auxonio vt cauſam prætextati, Epiſcopi cognoſcat, mandat. *Ep.* 4. *defuncto* Deinde Auxonio, & in eius locum ſuffecto Aurelianó, ei quoque ſuas vices in Gallia delegat. *Epiſt.* 5. Qua de re monet Epiſcopos Galliæ, *Epiſt.* 6. Numeramus hoc ordine Ep. Vig. cum Sirm. quod idem in ſequentibus Pontificibus breuitatis cauſa præſtabimus.

12. Pelagius Sapando Arelatenſis vices ſuas in Gallia delegat, & illi Pallium mittit Ep. 5. apud Sirmundum, eaque de re ad Childebertum Regem Scribit, Epiſt. 6. apud quem etiam conqueritur ſequenti Epiſt. 7. quod contra ſedis ſuæ Priuilegium Iudicium alterius Epiſcopi ſubire iuſſus fuiſſet, quare id emendari poſtulat à Rege, & ne quid contra Regulas Eccleſiaſticas committatur, deinde Ep. 9. miſſo ad eundē Regem tomo Leonis & ſuæ fidei profeſſione addita, rogat vt caueat ne quâ in Galliis per Hæreticos exaltari diſſidia ſinat.

13. Cum Salonius Ebredunenſis, & Sagiſtarius Vapingenſis plurima ſcelera perpetraſſent, maximè in victorem Tricaſtinum Epiſcopum Synodo Lugdunenſi à Guntrando Rege, ea de cauſa conuocato, Nicætio Patriarcha conuicti, & damnati atque Epiſcopatu priuati ſunt. Adierunt tamen Regem Guntramnum, qui eis fauebat, petieruntque licentiam ad eundi Romam ad Papam cum Regiis Litteris, Ioannes verò Pontifex huius nominis 3. iniuſte exauctoratos locis ſuis reſtitui Iubet, eamque in rem ſcribit Regi, quod & factum eſt, iuxta tandem inde emendatione conſequuta, ita Turonenſ. *l.* 5. *Hiſt. c.* 20. Cum enim ad ſolita ſcelera rediiſſent & præterea rei maieſtatis fierent, in Concilio deinde Cabilonenſi Pelagij II. an. 2. C. 519. iterum Epiſc. deiecti ſunt, & B. Marcelli Baſilic. ſub cuſtodia detruſi, vnde tamen fuga lapſi ſunt, & in eorum ciuitatibus alij Epiſc. ſubrogati ex Tur. *l.* 5. *c.* 28.

14. S. Gregor. Ep. 1. apud Sirm. Tom. 3. Virgilium Arelat. & Theodorum Maſſilienſ. monet, ne Iudæos vi & neceſſitate cogant ad ſuſcipiendum Baptiſma, ſed ſuaui prædicatione pelliciant. Ep. 3. eidem Virgilio Pallium mittit, & illi vices Apoſtolicas mandat, docetque rationem, quam eo munere & pallij vſu gerere ſe debeat labem Simoniacam & repentinam promotionem Laicorum, ad Epiſcopatum ſeuerè prohibet, de eo porrò Vicariatûs munere Vigilio commiſſo cæteros Galliarum monet Ep. 4. ipſumque Childeber. Regem, cuius petitione hæc omnia Virgilio conceſſerat Ep. 5. plurima alia ſuis Epiſt. Pontifex in Gallia præcipit, & commendat, quæ ſingillatim enumerare Longioris foret operæ Nam *Epiſt.* 19. ad reſpectam Abbatiſſam Maſſilienſem plurima Priuilegia ſuo Monaſterio in honorem Caſſiani conſecrato impertit, interque alia eximi, ab Epiſc. cura, quamvis ille culparum Caſtigationem retineat, & *Ep.* 23. ad Serenum Epiſc. Maſſilienſ. Imagines in Eccleſiis, non eſſe confringendas, quod idem habet Ep. 39. Ep. 24. ad Syagriū & alios Epiſc. de Simoniacis & Neophytis, dé vetitis mulierum, & Clericorum contuberniis, quæ omnia in Synodo tractari iubet, & ad ſe per Cyriacum Abbatem referri, Ep. 25. ad Aregium Vapincenſem illi & eius Archidiano Dalmatic. vſum permittit, Synodo, & Syagrium conuocandæ intereſſe permittit. Ep. 26. Syagrio Auguſtodin. Pallij vſum concedit, & in eius Eccleſia, primum in ea Prou. poſt Lugd. locum obtineat *Ep.* 29. ad Virgilium Arelatenſ. confirmat Priuilegia Monaſterio Arelatenſi per Virgiliū Papam conceſſa *Ep.* 33. & 34. Parrochias Epiſc. Taurin. ſubtractas, illi reſtitui vult, *Ep.* 2. *l.* 42. Ætheriæ Lugdunenſi, vt ſuæ Eccleſiæ Priuilegia, quæ in Romanis Scriniis non reperiuntur mittat, ſe hactenus Irenæi ſcripta non inueniſſe: multa denique contra Simoniac. & de Synodis aduerſus eos cogendis ad Epiſc. Regem & Regin. crebris Epiſt. vrget. Præterea de Priuilegiis Monaſteriis, & Xenod. conceſſit. Agit *Ep.* 57. 58. 59. 60. & 61.

15. A Deo datus Papa Priuilegium, & immunitatē Monaſterio S. Mart. Turonenſi concedit anno 670.

16. Greg. II. an. 719. Bonifacium Presbyterum, vt fidem gentibus annuntiet, mittit, eumq; Epiſc. Carolo maiori domis Franciæ, aliiſque commendat antiquis Epiſtolis, ſed placet Sacrament. quod ipſe Bonifacius Romæ dum Epiſcopus ordinaretur præſentes hoc loco referre, ex Sirm. *tom.* 1. *Conc.* indicatus, &c. Eundem Bonif. Ep. inſtruit circa varias q. propoſitas ſucceſſit.

17. Gregorius III. qui Pallium Archiepiſc. Bonifacio donat, illique poteſtatem facit nouos Epiſc. inſtituendi. *Ep.* 1. & *Ep.* 14. Iubet ab Epiſcop. Boiariæ, & Alemaninæ ſuſcipi, tanquam vices agentes ſedis Apoſtolicæ & in Boiaria Epiſcop. inſtitutos probat. *Ep.* 7.

18. Zacharias Gregorio ſuffectus confirmat geſta à Bonifacio, eiuſque variis quæſtionibus reſpondet, eaque reſponſa pro decretis habentur. *Ep.* 1. & 2. At verò *Ep.* 3. ad Francos & Gallos, in Bonifacij monitis obtemperent hortatur, Ep. 4. mittit Bonifacio Pallia ſua pro tribus Metropolitanis & de duobus Pſeud. à Prophetis, in Francia deprehenſis, quid faciendum ſit ſtatuit, & *Ep.* 5. non ſolum in Boiaria ſed etiam per totam Galliam ſuas illi voces delegat, qua de re etiam ad Epiſcopos Galliæ & Germaniæ ſcribit. *Epiſt.* 6. Denique *Epiſt.* 7. Bonifacio mandat non iterandum Baptiſmum quem imperitus Sacerdos infractis verbis miniſtrat *Ep.* 9. diuerſis quæſtionibus à Pipino maiore domus, & ab Epiſcopis, Abbatibus, & proceribus Francorum conſultus reſpondet, eaque reſponſa & Capitula in Synodo recitari mandat Bonifacio *Epiſ.* 10. aliaque de miniſtro Baptiſmi & cæteris quibuſdam eidem Bonifacio reſcribit *Ep.* 11. Cæteris Epiſcopis Zacarias variis à Bonifacio propoſitis quæ-

ſtionibus reſpondet, & Monaſterio Fuldenſi Priuilegia indulget Epiſtola 15.

19. Stephanus II. varia reſponſa exiſtens in Catiſiaco villa, Britaniaco Monaſterio, ad diuerſa conſulta dedit, quæ primus edidit Sirmondus Tom. 2. Conc. ex Codice S. Mariæ Laudunenſis, idem priuilegium Fulrado Abbati, eiuſque ſucceſſoribus indulſit circa libertatem Monaſteriorum, quæ ipſi per diuerſæ Franciæ loca condiderunt.

20. Paulus Papa ſacram menſam à Pipino Rege ſuo deceſſori Stephano oblatam ſuſcipit & conſecrat B. Petro *ep. 5. & ep. 6.* eidem gratias agit, demiſſo ad ſe Sabano, in quo Pipini filia ſacris vndis abluta ſuſcepta fuerat: eſt autem Sabanum linteum quo facies, & manus tergebantur, de quo plura Mart. in Lexico.

Remedius Pipini Frater Monachos Romam mittit ad diſcendam Pſalmodiam, quos Paul. Simeon. ſcholæ Cantorum diſciplina tradidit, vti ſcribit ad Pipinum Epiſt. nona, plura alia in indiculo Epiſtolarum Pauli ad Pipinum videbis, ex quibus & ſummam Pipini obſeruantiam & Pauli in Gallia authoritatem facilè colliges, ſimiliaque deprehendes in Stephan. III Literis ad Carolum & Carolomanum Reges.

21. Hadrian. Ep. ad Tilpinum Remenſem priuilegia antiqua illius Eccleſiæ confirmat & de Lul. Epiſcopo Mognutino inquiri & ad ſe referri mandat.

Et *epiſt. 2.* ad Carolum Magnum petit vt Leonem Archiepiſcopum coërceat, qui priuilegia Eccleſiæ Romanæ in exarchatu, & Pentapoli ſibi arrogabat.

Atque vt omittam quæ frequentibus & mutinis inter Hadrianum & Carolum literis de mutinis illorum obſequiis conſtant, habemus Hadriani Capitula quæ Romæ Ingilrammo Mediomatricæ vrbis Epiſcopo tradidit ſub die XIII. Kalend. Octobris indictione IX. in Galliam deferenda, & quorum aliqua Regum noſtrorum Capitularibus inſerta ſunt, in quibus de iudiciis & accuſationibus, atque appellationibus plurima edicuntur, in illis portò obſerua Capitulum III. *nullus Epiſcopus niſi canonicè vocatus, in legitima Synodo, ſuo tempore Apoſtolicâ auctoritate conuocata (cum iuſſione Domini & meritis Beati Petri Apoſtoli, ſingularis congregandorum Conciliorum authoritas, & ſanctorum Canonum, ac venerandorum Patrum decretis multipliciter priuata tradita eſt poteſtas, &c.* Atque hoc Caput inſeritur additione IV. Capitul. Cap. 12.

Capite 9. quod refertur *lib. 6. capitular. cap. 28. ſaluo Romanæ Eccleſiæ in omnibus primatu manifeſtum eſt, quod illa quæ ſunt per vnamquamque prouinciam, ipſius Prouinciæ Synodus diſpenſet*, Cap. 20. vbi de accuſatione Epiſcopi, *ſi ipſe Metropolitanum aut iudices ſuſpectos habuerit, aut infeſtos ſenſerit, apud primatum diœceſeos, aut apud Romanæ ſedis Pontificem Iudicetur* refertur *lib. 8. Capitula cap. 284.*

Cap. 23. *Placuit, ſi Epiſcopus accuſatus appellauerit Romanum Pontificem, ad ſtatuendum quod ipſe cenſuerit,* refertur *lib. 7. cap. 235. cap. 39. Conſtitutiones contra Canones, & decreta præſulum Romanorum, vel bonos mores, nullius ſunt momenti.* refertur *lib. 7. cap. 265. cap. 42. & prouincialis Synodus retractetur, per vicarios Romani Pontificis ſi ipſe decreuerit*, lib. 8. cap. 267.

Idem Hadrianus Magniario Abbati S. Dionyſij eiuſque Monaſterio concedit, vt liceat illi proprium habere Epiſcopum, ſicut ipſi à Stephano iuniore fuerat indultum integrum priuilegium, adducit Sirmundus *tom. 2. Concil. in Hadriano.*

Precibus item Caroli magni pallium Hermemberto Bituricenſi Archiepiſcopo, concedit Apoſtolica auctoritate, idem Hadrianus *epiſt. 9.* ad eundem Carolum. In tertia demùm Caroli Romam profectione, oblata illi Romæ eſt ab Hadriano collectio, tum Canonum tum decretorum etiam Pontificum, ab Honorio ad Gregorium iuniorem, qui eſt ille ipſe liber, qui Codex Canonum, dicitur, à Nicolao Papa *Capite ſi Romanor.* & in editione Pariſienſi inſcribitur, Codex Canonũ vetus Eccleſiæ Romanæ, hæc omnia teſtantur plurima in Bybliothecis Gallicanis exemplaria quibus præfigitur Epiſtola Hadriani ad Carolum, quæ primis ſingulorum verſuum literis hunc titulum reddit. *Domino excelſo filio, Carolo Regi Hadrianus Papa:* Ipſam Epiſtolam ex vetuſtiſſimo Codice ſancti Germani ipſius Caroli magni, tempore exarato Sirmundus *tom. 2.* Conc. dabit.

Epiſt. 10. ad Carolum oſtendit miſſos Regios non debere ſe immiſcere electioni Archiepiſcopi Rauennat. quod ſi poſt Sergij Archiepiſcopi obitum Huicbaldus ab ipſomet Carolo ad Stephanum Papam directus ſe his immiſcuerit, id factum, quia ipſemet Stephanus, eundem Huicbaldum Rauennam miſit, vt Michaëlem illius ſedis inuaſorem ex ipſa Rauennate Eccleſia expelleret.

Ipſe denique Carolus Hadriano Epitaphum ſcripſit, & in eius tumulo incidi voluit, quod refert Sirmondus: quæ res ſuauiſſimum filij in Patrem amorem ſplendidè teſtatur.

22. Gregorius IV. Vehementem Epiſtolam ſcripſit ad Epiſcopos per Galliam & alias prouincias Conſtitutos, de Aldetico Cenonanenſi non alibi quam apud ſedem Apoſtol. accuſando, vbi & ius appellatinis ad Sedem Apoſt. grauiter confirmat. Hanc legas velim, & nos onere illam integram exſcribendi leues.

23. Sergius II. Progoni Metenſi à Loth. Imperatore Romam cum filio Ludou. Miſſo: Vicarij Sedis Apoſtolicæ munus & dignitatem conceſſit *anno* 844. qua dignitate poſt Sancti Bonifacij obitum, Pipini, Regis Caroli & Ludouici, Imperatorum temporibus nemo perfunctus fuerat, quod teſtatur Hincmarus Epiſt. VI. Cap. XXIX. Serg. Epiſt. ad Epiſcopos Tranſalpinos ex Codice Metenſi S. Arnulp. edidit Armund. *tom. 3.* In ea Epiſtola Vicarij Apoſtolici partes deſcribit Sergius.

24. Leo IV. Prudentio Epiſcopo Tricaſſino monaſterium ab Ademaro Conſtructum conſecrari mandat *Epiſt. 1.* Epiſcopos Britaniæ Simoniacos in Concilio iudicandos monet, & eorum variis conſultationibus reſpondet *Ep. 2.* at verò Ep. ad Lotharium Aug. ſcribit Leo Alteo Epiſc. Aug. Dunenſi ſe pallium non concedere, quoniam id ab ipſo ſanctiſſimo Gregorio factum vſque ad ſua tempora, non fuiſſet vſurpatum, itaque ſe non *poſſe præfixos patrum terminos immutare.* Conſtat prætetea ex Epiſtola Hinemari ad Nicol. noluiſſe Leon. confirmare Synod. Sueſſionenſem pluribus de cauſis. I. quia acta Synodi ad ipſum non deſtinarant. at quia Legati Apoſt. illi non interfuerant, neque literæ Imperatoris, id petebant, & denique quia à Synodo damnati ſedem Apoſtolicam appellarant & in eius præſentia audiri & iudicari poſtulabant.

25. Nihilominus deinde Benedictus III. Epiſt. 1 ad Hincmarum eandem Synodum Sueſſionenſem confirmauit, & Hincmaro Remenſi priuilegia conceſſit.

Epiſtola vero ſecunda ad Epiſcop. in regno Caroli conſtitutos mandat vt Hubertus Clericus plurimorum Scelerum inſimulatus, intra 30. dies Romam veneric de obiectis Criminibus reſponſurus.

26. Nicolaus ſuam authoritatem Pontificiam ſplendidè tuitus eſt in cauſa Ergetrudis vxoris fugitiuæ Bononis, diuortio Lothorij, & Benthergæ controuerſia Cænonienſis Epiſcop. & Monachorum S. Karileſi cauſa Rothaldi Sueſſionenſis Epiſcopi in Synodo Syluanactenſi malè depoſito, confirmat Synodum Seueſſionenſem anni 83. & Priuilegia Remenſis Eccleſia *Epiſtola 25.* Monaſterio Corb. Priuilegium indulget. *Ep. 29. & 30.* de Hilduino Comeracenſis Eccleſiæ inuaſore, reiiciendo, vt Hincmaro ſua

libertas

libertas & auctoritas ſeruetur, Ep. 33. Priuilegium Monaſterio S. Chariles confirmat. Ep. 41. Rotlando Epiſcopo Arelatenſi vices ſuas delegat. de cauſa Vltrad, & Sociorum, aliiſque Nicolai in Gallia & ſcriptis & Geſtis, longa eſſet, ſed omnibus nota narratio quam vel qui annales illius temporis legerit ignorare non poteſt.

27. Hadrianus VI. mandat Synodo Tricaſſinæ, vt Nicolai nomen ſcribant in diptychis, nec quidquam contra eius decreta teneretur, Ep. V. Pallium Vlfado concedit, *Ep.* 2. & 3. Plura alia de Areturedo, ſequentibus Epiſtolis, & de Valdrada iterum, tum de Hincmaro Laudunenſi ſedem Apoſtolicam appellante. Ep. ij. & pluribus ſequentibus.

28. Ioannes VIII. Vices ſuas in Gallia & Germania committit Angiſiſ. Archiepiſcopo Senonenſi, Ep. 1. verum non ſedi Senonenſi ſed eius Archiepiſcopo, confertur hæc dignitas, quod obſeruandum eſt aduerſus eos, qui indè primatum Senon. probare ſe putant.

Epiſt. 2. Hincmarum Laudunenſem ritè Iudicio Epiſcopali depoſitè affirmat ex ratione Caroli Imperatoris, & Hincmarum Remenſem alium Eccleſiæ Laudunenſis præficere vult.

Epiſt. VII. ad Vniuerſos Gallos & Germanos mittit damnationem Formoſi Epiſcopi Gregorij Nomenclatoris, & aliorum qui Romæ in Synodo fuerant excommunicati, atque hanc excommunicationem ſeruari mandat authoritate Apoſtolica.

Cum Burgadilenſis Prouincia à Paganis eſſet deuaſtata, Caroli Calui Imperatoris precibus Fratrem Burdigalenſem Archiepiſcopum transfert in Eccleſiam Biturcenſem Ioannes VIII. *Epiſt.* 8. 9. 10. & 11.

Roſtagno Arelatenſi ſuas vices in Gallia & Pallij vſum concedit, *Epiſt.* 26. & 29.

Concilium Celebrat. Trecis an. 578. ad quod variis Epiſtolis Epiſcopos diuerſis vocauit, qui & conuenere, eius acta Leges: in ea denuo Lambetum & ad Albertum Eccleſiaſticarum Rerum Inuaſores excommunicat, & Priuilegium monaſterio Floriacenſi indulget, cauſam inter Verchenſ. & Auenionenſem Epiſcopos committit Arbalenſi & Narbonenſi Archiepiſcopis Epiſt. 45. & Epiſc. Britanniæ parere Epiſcop. Turonenſi à cuius obedientia ſe ſubſtraxerant, Iubet Ep. 46. Vvifredum Epiſcop. Venetienſ. qui cum excommunicatis, communicarat, prohibet Celebratione Miſſarum Ep. 51. Impuberes qui alium Occiderant, ordinari poſſe poſt peractam pœnitentiam decernit. Ep. 52. ad Edonem Bellouac. Epiſcopum, & aliis quibuſdam Litteris de ſimilibus caſibus Conſultus reſpondet vt Ep. 53. de Roſtagni vxore fugitiua quam ad ſe venire Iubet, Ep. 54. ne ſponſus ſponſam ab alio corruptam ducat, ad Ep. 58. non ſeparandum virum ab vxore qui filium ſuum vrgente neceſſitate Baptiſauit, addit alia in reliquis Epiſtolis, quæ ſigillatim recenſere nihil attinet hoc loco. Epiſt. 70. Iubet Viennenſ. Archiepiſc. Romam ſe conferre, vt de ſibi obiectis ſe purget & reſpondeat, & Ep. 75. eundem arguit, quod Optando Epiſcopo in carcerem detruſo, alium in Eccleſia Geneuenſi conſtituerat, itaque alium ſuæ ſedi præcipit reſtituere & ad Synodum ad ſibi obiecta diluenda venire idem Epiſt. 74.

29. Marinus Papa conceſſit Priuilegium Monaſterio Solemniacenſi.

30. Ioann. Papa X. Ep. 1. ad Herimanuam Archiep. Colonienſ. Iubet illum venire Romam vnà cum Hilduino & Richario, qui de Tungenſi Epiſcop. contendebant. Idem habet *Ep.* 2. ad Carolum III. Regem.

Atque hæc pauca ſufficiant ad oſtendendum Eccleſiæ Gallicanæ ſenſum.

75 Circa poteſtatem Pontificiam in declarandis fidei dogmatibus & definiendo iure Eccleſiaſtico, atque dirimendis controuerſiis, quæ ſubindè ſunt exortæ, quarum cognitio ad ſedem Apoſtolicam, vbi maiores fuerunt, deuoluta eſt, quod enim continuo vſu prioribus illis ſæculis & Meroningiis, atque Carlouingiis. Imperantibus obtinuit, idem conſequentibus ætatibus multo illuſtriùs, & frequentiùs factitatum eſt, ita vt nihil attineat hoc loco, vti propoſueram vſum & praxim hac in parte adducere, cùm illam ex ipſis Pontificum Romanorum Epiſtolis & reſcriptis, Gallorumque ad illos pronocationibus, ac demùm variis ſententiis ab ipſo vſque initio Chriſtianæ in Gallia fidei repetierimus. Ipſi Romani Pontificem in Gallia Epiſcopatus & Diœceſes inſtituerunt, diuiſerunt, ampliarunt, minuerunt; Epiſcopos, Archiepiſcopos, & primates crearunt, reos exauthorarunt, innoxios tutati ſunt & à ſede pulſos reſtituerunt, excommunicarunt, abſoluerunt, & ad ſuum tribunal vocarunt, lites vltimò iudicio dirimerunt, Priuilegia conceſſerunt, dignitate ſpoliarunt, Concilia indixerunt quibus vel ipſimet, vel per ſuos Legat. præfuerunt. Synodorùm acta vel probarunt vel reiecerunt; Vicarios Apoſtolicos in vnam, vel plures Prouincias, vel in Vniuerſam aliquando Galliam miſerunt. Denique ſi quod grauioris momenti in rebus Eccleſiaſticis dubium & controuerſum fuit, ipſorum iudicio tandem ſtetit: Quare nullibi Clariora illuſtrioraque Pontificiæ poteſtatis argumenta reperias, quam in Eccleſia Gallicana, quæ ſemper Pontificum decreta, & Canones ab eo miſſos tantâ reuerentia ſuſcepit, vt in Concilio Turonenſe II. *Cano.* 20. Vbi de Virginibus iuxta Pauſim & Innocentij ſententiam decreuit, hæc addat. *Quis Sacerdotum contra decreta talia, quæ à ſede Apoſtolica processerunt agere præſumat.* Et mox. *Quorum auctorum valere poſſit prædicatio, &c.* Vides itaque Eccleſiam Gallicanam ne authores quidem & ſcriptores recepiſſe, niſi quos Romani Pontificis authoritas probaſſet, & Concilium plenarium totius Galliæ, hoc eſt ex Epiſcopis & proceribus regni à Carolo Caluo Rege Pontigone Coactis, anno. 876. Can. 1. *Vt honor, dono & ſpiritali Patri noſtro Ioanni ſummo Pontifici, & Vniuerſali Papæ ab omnibus conſeruetur: & quæ ſecundum Sacrum ſuum Miniſterium auctoritate Apoſtolicâ decreuerit, cum ſumma veneratione ab omnibus ſuſcipiamur, & debita illi obedientia in omnibus conſeruetur.*

Iam verò relationes & conſultationes in omnibus dubiis factas, etiam à Gallicanis Epiſcopis ad ſedem Apoſtolicam, nuper apertè docuimus. Abſtineo nunc nomine appellationis de cuius origine & vſu dicemus *tom.* 3. Vbi de Iudiciis Canonicis: quare ne fuſiorem controuerſiam hoc alieno loco perſtringere Cogar, vſurpo potiùs nomen conſultationis & relationis, hæ enim voces promiſcuè vſurpantur in digeſtis & Codice tum Theod. tum Iuſtiniano & modò ſufficiunt noſtro inſtituto, vt oſtendam in rebus dubiis tum fidei tum diſcipl. Scholaſt. fuiſſe à noſtris Gallis conſultam ſedem Apoſtolicam, ſiue ad illam grauia omnia dubia fuiſſe relata, quod non fuiſſe peculiare Gallis, teſtantur Orientis & Occidentis Synodicæ Conſultationes ad Romanum Pontificem, quibus reſpondendis ſe operam nauaſſe apud Damaſum teſtatur Hieronymus Epiſt. 11. ad Ageruchiam, *cum*, inquit, *in Carthis Eccleſiaſticis iuuarem Amaſum Romanæ vrbis Epiſcopum & Orientis atque Occidentis Synodicis conſultationibus reſponderem.* Quare cum Cyrillius Alexandrinus crebris ſuis Litteris nihil apud Neſtorium proficeret, ea de re monuit Cœleſtinum, vt tanto malo prouideret, *longa*, inquit, *Eccleſiarum conſuetudo ſuadet vt eiuſmodi res ſanctitati tuæ communicetur.* Cœleſtinus in Synodo Romana Neſtorium damnat & gradu mouet

& Cyrillo mandat, vt ſuam ſententiam ſuo nomine, & vice executioni mandet, quod & deinde præſtitit Epheſina Synodus, vbi in ſententia aduerſus Neſtorium dicit, ſe ad id cogi & ex antiquis Canonibus, & ex Literis Cœleſtini, qui ad relationem Cyrilli Neſtorium Sacerdotio priuauerat. *Coacti*, inquiunt, *per Sacros Canones & Epiſtolam ſanctiſſimi Patris & commu. Cæleſtini Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi, Lacrymis ſubindè perfuſi ad Lugubrem hanc contra eum ſententiam venimus : ἀναγκαίως κατεπειχθέντες ἀπὸ τε τῶν κανόνων* &c. in relatione verò Synodi ad Imperatorem vbi narrant ſe damnaſſe & exauthoraſſe Neſtorium, *Laudantes Deo Dilectum magnæ Romæ Epiſcopum Cæleſtinum, qui prius Impia dogmata Neſtorij condemnarit, ipſoſque ſua ſententia anteuerterat, Proſpiciens ſecuritati Eccleſiarum & fidei à ſanctis Apoſtolis, Euangeliſtis & Patribus traditæ.* De relatione Concilij Mil. & Carthag. ad Innocent. contra Pelagianos plurima diximus nuper, de relationibus verò à Gallicanis Epiſcopis, diximus quoque ex Innoc. I. Epiſt. I. ad Exemperium Tholoſanum, cuius verba denuò reddo, *dilectio tua inſtitutum ſequuta prudentum ad ſedem Apoſtolicam referre maluit. Quod de rebus dubiis cuſtodire deberet, quam vſurpatione præſumpta quæ ſibi viderentur, de ſingulis obtinere*, & inferiùs, *cap. 3. Si quæ autem cauſæ, vel contentiones inter Clericos tam ſuperioris ordinis, quàm inferioris fuerant exortæ, vt ſecundum Nicænam Synodum Congr. eiuſdem Prouinciæ Epiſc. iurgium terminetur, nec alicui liceat, ſine præiudicio tamen Romanæ Eccleſiæ, cui debet in omnibus cauſis reuerentia cuſtodiri, relictis his Sacerdotibus, qui in eadem Prouincia Dei Eccleſiam nutu diuino gubernant ad alias conuolare Prouincias, ſi autem maiores cauſæ in medio fuerint deuolatæ ad ſedem Apoſtolicam, ſicut Synodus ſtatuit, & vetus conſuetudo exigit, poſt iudicium Epiſcopale referantur.*

Quæ Innocentij verba iam ſuperiùs adducta, & ad Epiſcop. Tholoſ. manifeſtò indicant in Galliis Canonem Nicænum ita fuiſſe intellectum & ſeruatum, vt licet nefas eſſet in Eccleſiaſt. cauſis ad Iudicium extra Prouinciam prouocare, exciperetur tamen Romana Eccleſia, ad quam omnibus quarumcunque Prouinciarum Epiſcopis & Clericis liceret confugere, & prætereà vbi cauſæ maiores eſſent, poſt Epiſcopale iudicium ex Synodi Nicænæ mente, & antiqua conſuetudine liberum eſſet de tota cauſa ad ſedem Apoſtolicam referre, quod & Innocent. ſcribit vbique receptum fuiſſe, & ab Epiſcop. Gallic. factitum fuiſſe, ſatis indicat. Et Pelag. Epiſt. ad Ioannem Epiſcop. Conſtantinop. ait *maiores & difficiles quæſtiones vt ſancta Synodus ſtatuit, & beata conſuetudo exigit, ad ſedem Apoſtolicam ſemper referantur.* Hæc omnia confirmat Leo. *Epiſt. ad Epiſc. Prouinc. Vienn. nobiſcum itaque fraternitas, veſtra recognoſcat Apoſtolic. ſedem, pro ſui reuerentia, à veſtra etiam Prouincia Sacerdotibus innumeris relationibus conſultam, & per diuerſarum quemadmodum vetus conſuetudo poſcebat appellationem cauſarum aut retractata, aut confirmata eſſe iudicia.* Quæ verba denuò hoc loco adducere cogimur. Atque hæc perpetua, & accurata Pontific. decrector. & Legum in Gallia obſeruatio, veraque opinio eſt, ratio propter quā optima inſtituta, & vera norma diſciplinæ Eccleſiaſticæ, atque incorrupta fides conſtans in Gallicana Eccleſia, perſeuerauerit, quod teſtatur Innocent. Ep. ad victricium Roto-magenſ. *propter eos igitur qui vel ignorantia vel deſidia non tenent Eccleſiaſt. diſciplin. & multa non præſumenda præſumat rectè poſtulaſt: in illis partibus iſtiuſmodi quam tenet Eccleſia Romana, forma ſeruetur, non quod noua aliqua Imperentur, ſed ea quæ per deſidiam aliquorum neglecta ſunt ab omnibus obſeruari cupiamus; quæ tamen Apoſtolica, & Patrum traditione ſunt conſtituta.* Sanè vti Irenæus noſter Romanam Eccleſ. tanquam Principaliorem, dicebat fidei depoſitum cuſtodire, ita & normā Eccleſiaſt. diſcipl. ſemper ſeruaſſe & maiorum inſtituta, non noua verò Imperaſſe; quare Liberiùs in Ep. ad Conſtant. Imperat. *Nunquam mea ſtatuta, ſed Apoſtolica ſemper firmata & cuſtodita perfeci, ſecutus ordines, moremque maiorum nihil addi Epiſcopatui vrbis Romæ, nihil minui paſſus ſum*, eadem de cauſa Leo, *in decretis tit. 5. omnia decretalia conſtituta tam beatæ recordationis Innocentij quam omnium deceſſorum, quæ de Eccleſiaſticis ordinibus, & de Canonibus promulgata ſunt diſciplinis.* Cuſtodiri mandat. & Ep. 1. *ad Epiſc. Prouinc. Vien. non noua inſtituentes, ſed vetera renouantes vt in ſtatus conſuetudine, quæ à noſtris Patribus nobis eſt tradita perduremus.* Eadem tradit Valentinian. in edicto quo Iubet Leonis P.P. Conſtitutionibus & dictis obſequi Hilar. *P. ep. 11. ad Epiſcopos Galliæ quia*, inquit, *Chriſtianorum quoque Principum Lege, decretum eſt, ne quidquid Eccleſ. earumque Rectoribus pro quiete omnium Domini Sacerdotum, atque ipſius obſeruantia diſciplinæ, in aufferendis confuſionibus Apoſtolicæ ſedis Antiſtes ſuo pronuntiaſſet examine, veneranter accipi tenaciterq; ſeruari cum ſuis plebibus Charitas veſtra cognoſceret: nec vnquam poſſent conuelli quæ ex Sacerdotali Eccleſiaſt. præcipuè fulcirentur & regia.* Quibus verbis neq; Hilar. neq; nos contendimus Pontificum authoritatem in condendis legibus Eccleſiaſticis, à Valentiniano, aut alio quopiā Imperatore deriuatam fuiſſe, Pontifex cum eam ex ſua Capitis & Paſtoris Vniuerſ. dignitate habeat, ſed rationem reddit propter quàm Principum quoq; authoritate illâ iuuetur ad Eccleſiæ nimirùm pacem, & vt aiebat in ſua nouella Valentinian. *Ne leuis ſaltem inter Eccleſ. turba naſcatur, vel in aliqua minui relligionis diſciplina videatur.* Qua etiam de cauſa non præcipiti quodam & cœco Impetu; relationes & conſultationes Prouinciarum miſſæ ad Pontificem remittebantur, ſed conſultæ expendebantur in Concil. Rom. vt diſcuſſis diligenter omnibus reſponderetur, quoniam vt ait Leo, *in decretis cap. 13. adiuuante gratia Dei faciliùs poterit prouideri, vt in Eccleſiis Chriſti nulla ſcandala, nulli naſcantur errores, Cum Coram beatiſſimo Petro Apoſtolo, id ſemper in communi tractandum ſit, vt omnia ipſius conſtituta, Canonumque decreta apud omnes Dei Sacerdotes, inuiolata permaneant.* Hæc tamen reſponſa ad eiuſmodi conſultationes, vnius duntaxat Pontificis nomen præferebant; quia in illo erat τὸ κῦρος, rerum agendarum : vnde Iulius. *Epiſt. ad Oriental. apud Athanaſ. Apolog. 2.* inquit, *nam etſi ſolus ſim qui ſcripſi non meam tamen ſolus ſententiam, ſed omnium Italorum, & omnium in his regionibus Epiſcoporum ſcripſi, certè ad conſtitutum tempus conuenere Epiſc. & eius ſententiæ fuere, quam vobis iterùm ſignific.* Et Synodus Rom. coacta an. 484. *in Ep. ad Conſtant. quoties intra Italiam propter Eccleſiaſticas cauſas præcipuè fidei, colliguntur Domini Sacerdotes, conſuetudo retinetur, vt ſucceſſor præſulum ſedis Apoſtolicæ, ex perſona cunctorum totiùs Italiæ Sacerdotum, iuxta ſollicitudinem ſibi Eccleſiarum omnium competentem, cuncta conſtituat*, qui caput eſt *omnium*, & ſub finem, *Beatiſſimus vir Fœlix caput noſtrum Papa & Archiepiſcopus.* Hæ porrò conſultationes, & relationes dubiorum in fide & diſciplina, atque poſteriori, deinde ætate poſt Concilium Sardicenſe, appellationes è Iudiciis Epiſcoporum ad Romanorum Pontificem, factas fuiſſe paſſim in Galliis, illorumque reſponſa & decreta tanquam Canones Synodales accepta fuiſſe; Hactenus euicimus, ni fallor & Gallicanæ Eccleſiæ ſenſum erga Romanam ſedem demonſtrauimus, ſed Illuſtriſſimum harum conſtitutionum & relationum Exemplum recentiſſimùm habemus, cum Clerus Gallicanus ex vniuerſo Cleri conſenſu

nup.

nup. exorta Hæreſi Ianſeniana ad Pontificem retulit eiuſque iudicium expetiit, & tanquam diuini ſpiritus oraculum ſuſcepit, exceptis quibuſdam iiſque Paucis Ianſenij partiariis, qui damnatas quidem à Pontifice propoſitiones Hæreticas fatentur ſed nolunt eas eſſe Ianſenij, ipſique ſoli oculos habent quibus hominis libros Legant toto reliquo orbe cæcutiente.

77. Vltimum argumentum Gallicanæ Eccleſiæ, circa poteſtatem Pontificiam ducebam ex edictis & obſeruantia Principum, qui Galliis Imper. ſiue ij Rom. ſiue Gothi ſiue demùm Franci fuerint, nam Valentiani III. Conſtitutionem, qua Leges à Romanis Pontificibus conſtitutas ſeruari mandat, ſuperiùs retulimus, ſub Gothis verò & Francis Principibus, etiā primæ ſterpis liberam fuiſſe Romani Pontificis authoritatem in Gallia nemo negat, de Codice Canonum Caroli magno ab Hadriano oblato nuper egimus, monuitque ſtatim Carolus Epiſcopos ſuos executioni decretorum inuigilarent, ipſeque plurima ex illis capita pro varia temporum neceſſitate ſuis Capitularibus inſeruit, & in Capitulare aquis-grauenſe datum anno 789. tranſcripſit vbi *c.* 58. ſic ait *ſi quis Sacerdotum contra conſtituta decretal. præſumptioſè agat, & corrigi nolens, ab officio ſuo ſummoueatur*; Quod in Capitularium libros *lib.* 1. *cap.* 58. *ab* Auſegiſo relatum eſt, *& lib.* 7. *capitul. cap.* 205. deſcribitur illud Hadriani *cap.* 39. *conſtitutiones contra Canones & decreta Præſulum Romanorum, vel bonos mores nullius ſunt momenti.* Quod verò antiquorum Pontificum ante Syricum Epiſtolæ decretales non reciperentur à quibuſdam Gallis, cauſa erat, quod illæ ſuppoſitæ & falſæ cenſerentur. Vnde grauis orta lis eſt inter Nicolaum primum & Hincmarum Remenſem, in qua non certabatur an decreta Pontificum ſeruanda & recipienda forent, ſed an ea decreta verè à Romanis Pontificibus Emanaſſent & Litteræ quibus illa continebantur veræ, & Pontificiæ eſſent, an verò nothæ & ſuppoſititiæ qua de controuerſia dicemus inferiùs, ſed quidquid de illa ſtatuas indè nihil arguitur contra verám Pontificiam authoritatem.

87. Iam verò ſi de obſeruantia qua noſtri Principes proſequuti ſunt Pontifices iagam nihil magis tritum in annalibus noſtris eſt, nihil magis toto orbi Chriſtiano notum, ita vt aliorum regnorum Principes qui ſe hodie Romanorum Pontificum hoſtes profitentur, quam ſint ab antiqua Regum noſtrorum Chriſtianitate degeneres ſe prodant, cum tamen ſe inde regiam authoritatē tueri videri velint, dū illam Spirituali tanquam ſibi infenſæ opponere Conantur. Nam Clodouæus Coronam auream P. R. obtulit vt habet Anaſtaſius in Hormiſda, de cultu Pipini Regis, Caroli magni, Ludouici p. 11. & filiorum eius atque cæterorum eiuſdem ſtirpis Principium non eſt quod omnibus obuia deſcribam, neque ea quæ hodie Imperat Piiſſima Capetiorum ſterps, prioribus, pietate, religione & fidei zelo cedit, vt & antiquiores annales & cotidiana experimenta teſtantur; quare in his Immorandum non eſt.

§. XV.

Senſus Academiæ Pariſienſis circa poteſtatem Romani Pontificis in fidei controuerſiis, & diſciplina Eccleſiaſtica.

Non poſſum Illuſtriori teſtimonio Romani Pontificis in definiendis fidei dubiis & controuerſiis, atque in Eccleſiaſtica diſciplina continenda, continuam authoritatem demonſtrare, quam ex nobiliſſimæ Pariſienſis Academiæ ſenſu, cum enim eius eruditionem commendent ipſimet Pontifices, & ipſa Gallicana Eccleſia grauiſſimis in controuerſiis eam conſuluerit eius teſtimonium neque R. P. neque ex Eccleſia reiicient, neque cæteri opinor ſuſpectum habere poterūt, ſic enim Alexand. IV. ad Academiam Neapol. reſcribit 18. Kal. Maij, anni ſui Pontificatus, Chriſti 1255. & refertur integra Epiſtola in eius regeſto Vaticano & apud Vvading. *tom.* 2. *annali minor & in defenſorio priuilegiorum fratrum mendicantium*, Excuſo Pariſiis in 8. anno 1507. eius etiam fragmenta dabit Spondanus Anno Chriſti 1255. *num.* 5. *&* 6. *quaſi Lignum vitæ in paradiſo Dei & quaſi lucerna fulgoris in domo Domini eſt ni Sancta Eccleſia Pariſienſis ſtudij diſciplina. Hæc quippe velut fœcunda eruditionis parens ad irrigandam ſterilem orbis faciem fluuios de fontibus ſapientiæ ſalutaris cum impetu foras mittens, vbique terrarum, Dei lætificat ciuitatem, & in refrigerium animarum fragrantium ſiti iuſtitiæ, aquas doctrinæ diuidit publicè in plateis. Ibi nimirum ordinatus eſt per prouidentiam conditoris, ad opus, ad cuſtodiam, Doctorum ordo præcipuus, vt ad vitæ fructum rationabilis creaturæ deducat affectum, ne in guſtum mortis vetita veteris præuaricationis illecebra ſeducatur. Ibi humanum genus ignorantiæ cæcitate deforme, per cognitionem veri luminis, quæ ſcientia pietatis aſſequitur, reddita viſionis ſpecie reformatur: ibi præcipuè dat Dominus ſponſæ ſuæ os & ſapientiam ac linguam eruditam, cui reſiſtere nequit omnis aduerſitas improborum & altera Epiſt. anno ſequenti data Pariſijs peritiæ ſummæ ſinus de ſua ſcientia ſumma plenitudine replens orbem, & tanquam fulgidus ſal doctrinæ, per totum orbem claræ intelligentiæ lumen fundens depellit ignorantiæ tenebras, ruditatis abſtergit Caliginem, aufert Imperitiæ nubilum, promit illuminationis auroram, cognitionis pandit ſerenum, lucidúmque ſcientiæ monſtrat diem, rigat documentorum ſuorum fluentis Paradiſi omnem terram, & bonorum influentia dogmatum inſtruit, & imbuit vniuerſum copioſis & dulcibus ſapientiæ fructibus, reficiens Eccleſiam, mundum paſcens: quia de Pariſiis velut de parentis ſinu partus ſcientiarum plurimi prodeunt, de ipſa rectæ ac perfectæ ſoboles gignuntur diſciplinæ: hinc procedit inclita doctorum proſapia: huic alta progenies prouenit peritorum, quibus Chriſtianus illuſtratur Populus; & fides Catholica roboratur. Hunc profectò amanitatis & communitatis locum vniuerſæ artes de totius orbis ambitu ſibi habitaculum communiter elegerunt, & conſideratis cæteris ſæculi manſionibus, deliberatione quaſi concordi ſuam fixerunt ibi immobilem ſtationem. Hæc eſt egregia literarum ciuitas, artium vrbs famoſa, eruditionis ſchola præcipua, ſumma ſapientiæ officina, & potiſſimum ſtudiorum gymnaſium. Hic conuerſantur & degunt ſcientiæ: hic firma & læta Societate conuiuunt, hic ſuas habent & poſſident Cathedras, hic ſua profunda & arcana veritatis magiſterij inſinuatione reuelant. Et cuiuſque ipſarum propria virtus ſuo ibi propitio, innoteſcit affectu. De Pariſiis fons limpidus ſcientiarum emanat, de quo potant cunctarum populi nationum, ibi erumpit altus puteus ſcripturarum de quo profunda intelligentiæ pocula mundus haurit.* ex quibus aliiſque quæ Pontifex adiicit, quam eximia fuerit Pariſienſis Academiæ eruditio magnificentiſſimè explicat: quare mirum non eſt, ſi tum ipſe tum eius prædeceſſor Gregorius, alijque Pontifices tam illuſtribus priuilegiis eām ornarunt, atque aliquando conſuluerunt, eiuſdem verò incenſum in ſedem Apoſtolicam ſtudium prodidit indefeſſus in ſapiendis ſchiſmatis, & ſedis Apoſtolicæ dignitate retinenda propugnandáve labor: quem & noſtri, & Eccleſiæ annales ſæpiùs teſtantur, quare facturum me operæ pretium exiſtimaui, ſi in celeberrima iſta contra nouos, vetereſque heterodoxos, controuerſia de Romani Pontificis in definiendis fidei dubiis & temperanda Eccleſiaſtica diſciplina authoritate, quam hactenus omni teſtimoniorum genere ſtabilimus

mus poſt explicatum Eccleſiæ Gallicanæ ſenſum, ad extremum, quænam fuerit eruditiſſimæ totóque orbe celeberrimæ Academiæ mens inquireremt, vt omnibus conſtet nos non vniuerſalis modo Eccleſiæ, ſed & Gallicanæ imprimis, atque Pariſienſis Academiæ in nobiliſſima quæſtione inſiſtere, vt hoc verò perficiam duplici via progrediar. Imprimis enim totius Academiæ in vnam coactæ definitionem, & edicta inquiram: deinde inſigniores aliquot eiuſdem Academiæ Doctores, qui eruditione & pietate clari fuerunt, interrogabimus quænam fuerit mens ipſorum in hiſce quæſtionibus, quamvis enim eiuſmodi Academiarum, etiam nobiliſſimarum definitiones, non ſint omni ex parte infallibiles, vt obſeruauit Picus Mirandulanus *in ſua Apologia q.*1. illas circa quoſdam articulos allegans, Caietan. *in cap.*5. *de Ente & Eſſentia*. 4.*q*. Ferrariens *lib.*2. *contra gent.cap.*93. ipſique fatentur Pariſienſes noſque alibi denuo monebimus, communis tamen & conſtans ſapientum authoritas, & magni faciendæ, & ſingularis alicuius, quamvis eruditi iudicio præferenda eſt, maximè tamen dum aliundem validis rationibus & reliquorum eruditorum ſenſu paſſim eius opinio confirmatur, vti contingit hoc loco, in quo Pontificiam authoritatem circa iudicandas fidei & diſciplinæ Eccleſiaſticæ controuerſias, tam multis & certis argumentis demonſtrauimus, quibus nobiliſſimæ Academiæ ſenſum placuit adiungere, ne tam illuſtri authoritate quidam abuti pergant, atque imperitis fucum faciant.

80 Audiamus igitur Pariſienſis Academiæ edicta & definitiones: Anno LXXX. 1644. Facultas Theologiæ Pariſienſis damnauit Philippum Brachetum Millitorium qui in ſuo Henotico ſiue pacifieus dixerat nefas eſſe conſulere aut interpellare S.Sedem, niſi vbi eius iudicium certum & irrefragabile haberemus, *ſecundum* inquit, *verum & ſolum ſtatum in quo omnes eius in fide definitiones ſunt infallibiles, qui ſtatus eſt in Concilio vniuerſali hanc propoſitionem* ſic configit Academ. *hæ propoſitiones inquantum infallibilitatem Eccleſiæ vniuerſali in nullo alio ſtatu quam in ſolo Concilio Oecumenico congregata tribuit, & ipſam aliquo tempore legitimi vſus pœnitentiæ cognitione caruiſſe, ſupponunt temerariæ ſunt, ipſi Eccleſiæ iniurioſa & hæretica*, ita refert Bail Doctor Pariſienſis *in ſummo Concil.tractatu de triplici verbo Dei an extra Concilia generalia nulla ſit certa definitio in rebus fidei*, Cum enim acta & regeſta Pariſienſis Academiæ legere & voluere non liceat; non poſſumus illa niſi ex illis qui ſumma fide ea referunt, nos adducere, quod idem in eiuſmodi definitionem allegationibus facere cogimur, nobiſque ſatis eſſe debet authoritates probatas afferre, earumque fidem publicam ſequi. Eadem facultas libros Marci Antonij de dominis Archiepiſcopi S. Palatenſis de republica contra Romanum Pontificem, & Eccleſiam Romanam ſcribens graui cenſura confodit, agente clariſſimo & eruditiſſimo viro Iſamberto, tunc temporis Academico Syndico ex ea cenſura quam integrum refert Bail *tractatu citato*. Placet definitiones aliquot excipere, dixerat Marc-Antonij initio Eccleſiam, ſub Romano Pontifice non eſſe amplius Eccleſiam, ſed Rempublicam quandam humanam ſub Papæ Monarchia, tota temporali quam propoſitionem Academia dixit *hæreticam, calumnioſam & ſcandaloſam*.

*Lib.*1.*cap.*3.*n.*18. diſparitatem ait Marcus poteſtatis inter Apoſtolos, eſſe humanum inuentum, in ſacris Euangeliis, & diuinis ſcripturis minimè ſubſiſtens, Academia, *Hæc propoſitio eſt hæretica & ſchiſmatica de iuriſdictione Apoſtolica ordinaria, quæ in D. Petro ſubſiſtebat intellecta.*

Anton. eodem *cap.*3.*n.*23. ait Monarchiæ formam non fuiſſe immediatè in Eccleſia à Chriſto inſtitutam. *Academ hæc propoſitio eſt hæretica ſciſmatica ordinis hierarchici ſubuerſiua & pacis Eccleſiæ perturbatiua.*

*Cap.*8. *n.*10. Anton. vt reſtringat iuriſdictionem Pontificiam, quam vt aliis vidimus P.P. paſſim ſtabiliunt, in illis Chriſti *verbis paſce oues meas*. Interpretatur ea de Iſraëlitis, qui ſoli tunc erant oues Chriſti, vnde ad illas ſe miſſum dicebat ſed audi Academiam.

Hæc propoſitio in verbo ſolos Iſraëlitas, eſt hæretica & ignorantiam craſſiſſimam authoris prodit.

*Cap.*12.*n.*5. Anton. probat Ioannem-Hus qui doceret non dari in Eccleſia vnum Caput ſupremum, & Monarcham præter Chriſtum, Chriſtiani per multos miniſtros ſuam Eccleſiam ſine vno iſto Monarcha regere perfectè, & gubernare, eamque eſſe doctrinam Catholicam à Sanctis Patribus egregiè explicatam & confirmatam, quid ad hæc Academ. Hæc propoſitio eſt *Hæretica quoad ſingulas partes.*

*Lib.*2. *Anton.* eandem Monarchiam deſtruere, & Ariſtarenciam totis viribus inducere conatur. Sed ab *Academia* ſimili ratione, & Chriſtianiſſimo vigore confoditur: nam *c.*1. ſic habet: *Anton. ſicut Apoſtoli ſimul & inſolidum Ariſtocraticè curam gerebant cum poteſtate æquali, & vniuerſali: ita Epiſcopi omnes ſimul & inſolidum, eandem regunt Eccleſiam ſinguli cum plena poteſtate*, Academiæ verò cenſura eiuſmodi eſt. *Hæc propoſitio hæretica eſt, & Schiſmatica quoad vltima verba ſinguli cum plena poteſtate.*

Pergit Ant.n.13. *Epiſcopi dicuntur Apoſtolorum ſucceſſores, qui in eorum officio quod erat Apoſtolorum omnium commune ſuccedunt omnes in omnibus inſolidum.* Pergit & *Academia. Hæretica eſt & Schiſmatica, cum agat de iuriſdictionis Apoſtolicæ poteſtate*, & n.15. *Anton. in poteſtate* 88 *vniuerſali ſuccedunt Epiſcopi non modò vniuerſi ſed etiam ſinguli: Academia verò Hæretica eſt & Schiſmatica, vt duæ præcedentes.*

*Cap.*8. eiuſdem libri 2.*n.*13. totum ſuum virus effundit Antonius in Romanam Eccleſiam his verbis: *Dico Romanam Eccleſiam, & ex magnitudine Ciuitatis, & ex quod eam duo primi Apoſtoli fundauerunt Petrus & Paulus, & ex aliis Capitibus, extra ius diuinum habuiſſe, vt ſemper reputata ſit Eccleſia principalis; non tamen Domina & Regina ſuper vniuerſas Chriſti Eccleſias: neque Auguſtinus, neque vllus ex antiquioribus Patribus ſummam Eccleſiaſticarum rerum in Romana Eccleſia poſuerunt. Erat ergo & eſt Eccleſia præcipua nobilitate, exiſtimatione, dignitate, nomine, & dignitatis authoritate, non regiminis & Iuriſdictionis principatu*, quibus verbis perfidus Apoſtata omnium tum veterum, tum recentiorum Schiſmaticorum argumenta collegit, vt vno velut ariete Romanam Eccleſiam concuteret, ſed operoſam illam machinam vno verbo ſufflamin. *Academia. Hæc propoſitio eſt Hæretica, & Schiſmatica, quatenus apertè inſinuat Romanam Eccleſiam Iure diuino authoritatem in alias Eccleſias non habere.* Et ſanè eundem eſſe Academiæ, & antiquorum Patrum ſenſum in hac parte, iam olim demonſtrauimus. In progreſſu ſui operis non meliùs ſapit Anton. nam *lib.*3. *c.*8. *n.*14. affirmat vnumquemque Epiſcopum Iure diuino eſſe vniuerſalem. Academia verò ſic pronunciat, *hæc propoſitio eſt Hæretica & Schiſmatica vnitatis Eccleſiæ ſubuerſiua.*

Similes alias propoſitiones, ex eodē *l.*3.*c.*20.*n.*42. & 44. & ex *lib.*4.*c.*1.*n.*1. & *n.*25. & *c.*2.*n.*11. & 56. & *c.*3.*n.*2.7.19. damnat Academia. Sed prænotanda cenſura propoſitionis quæ habetur *cap.*7.26. & 119. quibus ſuam impiam doctrinam affingit Facultati Pariſienſi. Sic enim ait: *Poteſtatis plenitudo vt optimè docent Pariſienſes, data eſt Eccleſiæ vniuerſæ, hoc eſt omnibus & ſingulis Epiſcopis inſolidum.* Reſpondet verò Academia,

Academia, & de impacta calumnia quæritur: *Hæc propoſitio*, inquit, *eſt contumelioſa in facultatem Pariſienſem, in particula ſingulis Epiſcopis.* Pergit. Calumniari Sycophanta n. 9. *Pariſienſ. doctrina enucleatè intellecta*; nihil diſcrepat à mea his libris tradita doctrina, & ab ipſa veritate, & mox: *Schola itaque Pariſienſis & noſtra eſt & reipſa poteſtati ſtudet Ariſtocraticæ non Monarchicæ, quare ex eius quoque doctrina Papatus nullo popoteſt ſolido ſubſiſtere fundamento.* Verum meram eſſe impoſturam importuniſſimi Calumniatoris clamat Academia: *Mera*, inquit eſt, *contra facultatem Pariſienſem impoſtura.* Et tamen ſunt etiam hodie quidam adeò protetui, ſimiles calumnias in os ingerentes nobiliſſimæ Academiæ, quia verò videbat Antonius ſibi quædam Concilia Generalia aduerſari, & viros quoque ſanctitate & eruditione illuſtres, ea omnia contemnit & deſpicit, & per vim applauſiſſe Monarchiæ dicit. Nam *cap.* 10. *&* 11. ſic habet: *Concilia occidentalia, vt Lateranenſ. ſub Innocentio, vt Lugdunenſe ſub Gregorio X. & Florentinum ſub Eugenio Monarchiæ Romanæ Eccleſiaſticæ, iam dominantis applaudere tanta Monarchia ſunt coacta.* Hanc propoſitionem cenſet Academia falſam, calumnioſam, & ſcandaloſam: *cap. verò eodem num.* 99. damnationem Vvicleſti & Huſſi negantium Primatum Papæ ſic eludit: *Vt dicat Patres Conſtantienſes Monarchiam quidem Eccleſiaſticam tenuiſſe, ſed communiſſimo iam errore infectos, quam propoſitionem quoad vltima verba Hæreticam, & Concilium Conſtantienſe contumelioſam Prouinciæ.* Cenſura Pariſienſis. Eandem contumeliam agnoſcit *num.* 45. vbi Antonium, Bedam, Anſelmum, Hugonem, Victorium, & Bernardum, inter Monarchicos deceptos reponit, cæteros verò inquit poſteriores: *Magna ex parte Paraſytos & Aſſentatores, malaque fidei deceptores & contra propriam ſcientiam & conſcientiam contentioſos, & verboſos diſputatores iſthac in cauſa reiicimus, ne dicam contemnimus.* Vides ſcelerati impoſtoris frontem, qui & Concilia & Sanctiſſimos Doctores & nobiliſſimam Academiam probris proſcindat, eo quod ſibi aduerſarios experietur.

81 Mauclerus Doctor Sorbonicus in ſuo opere de Monarchia 4. *part. lib.* 8. *c.* 6. Cuius inſcriptio eſt, *quæ fuerit Catholicæ Facultatis Pariſienſis de ſupremo Monarchicóque Romani Pontificis ſuper omnem Chriſti Domini Eccleſiam principatu Confeſſio, eiúſque in ipſum Monarchiam Vniuerſalis Eccleſiæ Patrem omnium fidelium Sanctiſſimum pietas obedientia, & honor*, pluribus oſtendit ex ipſiuſmet Academiæ definitionibus, illius famam aduerſus iniurias & calumnias, quibus Monarchomachi cum Auſa nefario ſine fronte, & turpiter lacerabant, iactabántque Pariſienſem Theoſophiæ facultatem, ſuis ſemper à Partibus ſtetiſſe, & aduerſus ſupremum Monarchicúmque Romani Pontificis Principatum ſeriò pugnaſſe, quod quam falſum ſit palam nos, ex illo excepimus, affert imprimis eiuſdem Pariſienſis Academiæ decreta ann. 1330. contra Marcilij de Padua, & Ioannis de Landuno errores, qui in libro primo regeſti Pariſienſis facultatis concluſionum cenſurarúmque tales recenſentur. Primò, quod B. Petrus Apoſtolus, non fuit plus caput Eccleſiæ, quam quilibet aliorum Apoſtolorum, nec habuit plus authoritatis, quàm habuerunt alij Apoſtoli, & quod Chriſtus nullum Caput Eccleſiæ ſuæ, nec aliquem ſuum Vicarium in terris conſtituit. Secundò, quod ad Imperatorē ſpectat, corrigere Papā, punire inſtituere & deſtituere. Tertiò, quod omnes ſiue Papa ſiue Archiepiſcopus ſiue Sacerdos ſimplex, quicūque ſunt æqualis authoritatis, ex inſtitutione Chriſti, ſed quod vnus habeat plus authoritatis, quàm alius, hoc eſt, ſecundum quod Imperator conceſſit plus vel minus & ſicut conceſſit reuocare poteſt, quarto & vltimo quod Papa, vel tota Eccleſia ſimul ſumpta nullum hominem quemcunque ſceleratum poteſt punire, punitione coactiua, niſi Imperator dederit eis auctoritatem. Hos omnes porrò errores, velut ſacræ fidei contrarios, & fidei Catholicæ inimicos, Hæreticos, ſeu hæreticales & errores cenſura edicit. Immò cum aliqui eiuſmodi errores lingua vulgari edidiſſent, quod Ioanni XI. iure meritò diſplicuerat, quare egit pro viribus Academia, vt eiuſmodi tranſlatores deprehenderet, vt ipſos ſua cenſura coërceret.

Anno Chriſti 1442. aduerſus Theſes Nicolai 82
quadrigari Auguſtiniani declarauit Academia dignitatem Hierarchicam Romani Pontificis à Chriſto immediatè inſtitutam, ab illa verò cæteras omnes Prælatorum, Paſtorúmque Eccleſiarum Dei, quæ ſub cœlo ſunt poteſtates dignitatéſque ſub Chriſto Domino, eóque ſic ordinante, ratione iuriſdictionis, limitationis, diſpenſationiſque miniſterialis deriuari per manaréque ingenuè confitetur, vnde Innocentij VIII. in Academiam Pariſienſem. Affert. quem teſtatus eſt *Epiſtola* ad ipſam facultatem ſcripta anno 1486. cum ad ipſum à ſententia Pariſienſis Epiſcopi prouocaſſet ipſa facultas aduerſus Ioannem *Laillier* Presbyterum, & in Theologia licentiatum, qui plures errores aduerſus Eccleſiam, & Sedis Apoſtolicæ ſanctitatem & dignitatē docuerat anno 1484. die penultima Iulij in ſua Sorbonica: hi verò errores ex Codice regeſti feruntur à Mauclero 1. *Petrus*, non habuit à Chriſto poteſtatem ſuper alios Apoſtolos, neque Primatum omnes Hierarchiſantes æqualem poteſtatem acceperunt à Chriſto, ita quod curati ſint æquales in poteſtate, regimine, & iuriſdictione. Tertiò, Summus Pontifex non poteſt remittere, viatoribus totam pœnam iis debitam ratione peccatorum ſuorum virtute indulgentiarum, etiamſi iuſtè & rationabiliter dantur. Quartò, ſi vultis quod ego loquar de ſummo Pontifice, ego vaſtabo totam Galliam, *ie gaſteray tout*, vel *ie troubleray tout*. Quintò, Summus Pontifex Ioannes non potuit condemnare, de Poliaco, nec facere decretalem *vas Electionis*. Sextò, quod decreta & decretales Summorum Pontificum non ſunt, niſi trupſæ. Septimò, Eccleſia Romana non eſt Caput aliarum Eccleſiarum.

Anno 1523. ſcripſit Academia ad ſupremum Se- 83
natum, contra errores Ludouici de Berquin Secta Lutherani, qui contra Romanum Pontificem, eiúſque auctoritatem plurima garriebat. Damnauit prætereà Melanchthonis impia dogmata contra R. Pontificem & Sedem Apoſtolicam, ſunt iſta nempe Lugdunenſe Concilium, quia libros decretalium comprobauerat pro impio habendum. Secundò, omnium Chriſtianorum ſunt Claues ſimúlque Sacerdotes omnes Chriſtiani. Tertiò, Conſtitutio Pontificis *ad Abolendam de Hæreticis* palam eſt, quia execratur omnes qui de Sacramentis aliter ſentiunt, aut docent, quam vel docet, vel obſeruat Romana Eccleſia. Quartò, extant abominabiles Pontificiarum legum Codices. Quintò, Papa non habet Ius condendi leges; quos omnes errores confixit ſua cenſura Pariſienſis Academia.

Anno verò 1534. Similia dogmata Ioannis Mo- 84
rand Doctoris Theologi, & Canonici Ambianenſis, qui Romano Pontifici, cæteriſque omne Ius ſanciendi leges Eccleſiaſticas negabat: ſic damnauit vt habetur in Codice. Secundò, Concluſionum & Cenſurarum Pariſienſ. Facultatis ab anno 1533. *Chriſtus Petro, Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus poteſtatem reliquit ſtatuendi & condendi leges ædificationi & vtilitati fidelium accommodatas dicens. Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit. Hinc fit vt hæc propoſitio*

prætendens ex verbis illis Chriſti. Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata, rectè dicat, quod nulla debeant eſſe leges in Eccleſia vltra expreſſas in ſacris eloquiis, à debita ſubditorum ad Prælatos & Superiores obedientia perperam retrahens, & poſitiuas Eccleſiæ leges ſchiſmate deſtruens ex peruerſo ſacrarum litterarum ſenſu demunitur, & hæreſis eſt damnata perfectorum Hæreticorum Valdenſium Vvicleffi & Lutheri.

85 Anno 1535. cum Germani Lutherani Confeſſionis ſuæ quoſdam articulos per Dominum Delangei du Belai Regium Legatum miſiſſent ad Franciſcum, per illos tradi iuſſit Doctori Balue à facultate ad ipſum deputato, vt ab eadem facultate diligenter examinarentur, eos facultas damnauit: & ſuam cenſuram ad Regem ſcripſit. *Primò*, inquit, *ab illis petatur, an velint militantem Eccleſiam in Iure diuino fundatam confiteri, in fide & moribus errare non poſſe, atque huius Caput viſibile ſub Chriſto Domino diuinitùs conſtitutum fuiſſe* ann. 5. *Petrum dum viueret, & poſt eius obitum in pari dignitatis ſuprema gradu Romanos Pontifices illi ſucceſſiſſe ingenuè profiteri velint.* Et mox: *Item petatur ab illis Germanis erroneis, verùm velint fidem Summorum Pontificum Canonibus, atque decretis adhibere, eiſque vt fideles omnes decet, obedire, quibus vniuerſalis Eccleſia toto orbe diffuſa paret, & obtemperat.* Deinde ſingulis Germanorum articulis ſuam notam adiecit facultas; & quidem circa primum qui erat de ſuprema Romani Pontificis auctoritate. Sic ait: *Firmiter tenendum eſt Hierarchiam Eccleſiaſticam, quàm politiam Eccleſiæ nonnulli vocant, non ſolùm Sanctam eſſe & vtilem, ſed etiam Iure diuino inſtitutam, quæ vſque ad conſummationem ſæculi perduratura eſt, nec in humana ſitum eſſe poteſtate illā inſtituere, aut deſtituere, cuius quidem Hierarchiæ Eccleſiaſticæ eodem Iure diuino Monarchica poteſtas eſt Papalis, cui quilibet fidelium ſubeſſe dignoſcitur, cui ſubdita dignitas Epiſcopalis adiungitur, & Piebana ſiue Parochialium Curatorum, quibus omnibus iuxta gradus ſuos competit oues Chriſti paſcere; nec tamen ſi aliqua à Patribus Sanctè inſtituta, in quæ lapſu temporis inciderint abuſus, non immutatur, tamen aut deperit fides, aut aliqui fidei articuli neceſſarij veniunt delendi.* Anno 1542. facultas apud Mathuri-
86 nenſem coacta, ſic edixit: *Certum eſt Concilium Generale legitimè Congregatum vniuerſalem repræſentare Eccleſiam, in fidei & morum determinationibus errare non poſſe. Deinde nec minus certum vnum eſſe Iure diuino Summum in Eccleſia Chriſti Militante Pontificem, cui omnes Chriſtiani parere tenentur, qui quidem poteſtatem habet conferendi indulgentias.*

Anno 1558. damnauit Academia, hanc Ægidij Bigolij Doctoris Theologi, Lad. propoſitionem, *nempè Claues Eccleſiæ, non ſolùm fuiſſe promiſſas S. Petro, ſed etiam aliis Apoſtolis æqualiter.* Habetur verò in quarto Codice facultatis anni 1561. eo anno 18. Iunij inter articulos Regi Carolo IX. oblatos à facultate hunc legi. *Eccleſia Vniuerſalis viſibilis quæ errare non poteſt habet in Chriſto Ieſu vnum Caput viſibile, quod eſt Sanctiſſimus noſter Pater Romanus Pontifex. Qui omnes Chriſtiani, ſi ſalui eſſe velint, obedire tenentur.* Et in oratione Parœnetica ad eundem Regem per ſe deputatum habita: *Omnia proſperè, feliciterque, ô Princeps, in regno tuo ad honorem, nutum, deſideriúmque ſucceſſerunt, quandiù populus iſte tuus ſucceſſione continua à S. Petri temporibus ad hunc vſque diem vnum Caput viſibile, Principémque in ſpiritualibus ſupremum, Chriſtianorum omnium Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti Vicarium in terris fideliter agnouit, eúmque conſiderata ſpiritualis maieſtatis excellentia deuotè, religioséque coluit.*

Anno 1554. prima Decembris in æde Collegij Sorbonici, dum Senatus decreto diploma Pauli III. ann. 1543. & Iulij III. ann. 1550. in fauorem Societatis IESV emiſſum examinaretur, ſic in ſuo decreto præfantur: *Antequam verò ipſa Theologiæ facultas tanta de re, tantique ponderis, tractare inciperet, omnes & ſinguli Magiſtri noſtri, palam aperiéque profeſſi ſunt, nihil ſe aduerſus Summorum Pontificum authoritatem, & poteſtatem, aut decernere, aut moliri, aut etiam cogitare velle, imò verò omnes & ſinguli, vt obedientiæ filij ipſum Romanum Pontificem, vt Summum & Vniuerſalem Chriſti Ieſu Vicarium, & Vniuerſalem Eccleſiæ Paſtorem, cui plenitudo poteſtatis à Chriſto data ſit, cui omnes vtriuſque ſexus obedire, cuius decreta venerari, & pro ſe quiſque tueri, & obſeruare teneantur, vt ſemper agnouerunt & confeſſi ſunt: ita nunc quoque ſincerè fideliter, & libenter agnoſcunt, & confitentur*; quibus omnibus aliiſque adductis iure Mauclerus exclamat, in eos qui ſuæ in Pontificem rebellioni & Schiſmati, celeberrimæ toto orbe Academiæ authoritatem oſtendere per ſummum ſcelus, & maledicentiſſimam calumniam, veriti non ſunt, nos alia adiicimus.

Nam Andreas Duvallius incautiſſimum Acade- 87
miæ Sydus *tractatu de Romano Pontifice parte 2. tit. de infallibilitate 4.4. ſub finem, fol. 766.* Sic habet; Doctores illi qui in Comitiis Scholæ Generalibus errores de Mar. Condemnarunt, his verbis vſi ſunt: *Ad Sanctam Apoſtolicam Sedem pertinet authoritate iudiciali ſuprema, circa ea quæ ſunt fidei iudicialiter definire.* Vnde Duvallius Vigorium arguit, qui ipſum tanquam deſertorem, & veluti perduellem Scholæ Pariſienſis traducere præſumeret: non potuit nobiliſſima Academia ſuum de Romani Pontificis authoritate, in Vniuerſam Eccleſiam, ſenſum illuſtriùs teſtari; quàm dum in ſuis definitionibus, & publicis editis ſæpiùs Vniuerſalis Eccleſiæ Caput & Paſtorem diuino Iure à Chriſto conſtitutam, Chriſti Ieſu & non Eccleſiæ, vt quidam fingebant, Vicarium, ſupremum Monarcham ac Principem, cui omnes fideles ſi ſalui eſſe velint, obſequi teneantur, qui leges condere valeat, & de rebus ac dubiis fidei vltima, & definitiua ſententia iudicare poſſit, diſertè pronuntiauit.

His addo Concilium Conſtantienſe magnam partem ex Gallis & Epiſcopis, & Doctoribus conflatum, quod hunc Vvicleffi errorem damnauit: *Non eſt ſcintilla apparentiæ, quod oporteat eſſe vnum Caput in ſpiritualibus regens Eccleſiam, quod ſemper cum militante conuerſetur, & conſeruetur.*

Huic tam illuſtri teſtimonio, ſingulorum eiuſdem Academiæ Doctorum ſenſum placet adiicere, eorúmque præcipuos, qui variis ætatibus eam facultatem ſua eruditione & pietate, ſigillatim rogare, vt liberè quid ſententiam expromant, ne tantum communi cæterorum opinione quodammodò abreptiuis ipſorum ſentiant pedibus iuiſſe videantur.

Ordior à Petro Lombardo qui Magiſtrum ſententiarum Schola Pariſienſis hactenus dixit, & coluit: *Is enim in 4. diſtinct. 24.* ſic habet: *Vnus inter Apoſtolos Princeps extitit Petrus: cuius Vicarius & ſucceſſor eſt Pontifex Summus: vnde & dicitur Apoſtolicus, qui & Papa vocatur, ſcilicet Pater Patrum.* Et inferiùs vbi de Patriarchis: *Omnium Summus eſt Romanus* agnoſcit: igitur Magiſter Petri Principatum & Romani Pontificis, quem omnium Patriarcharum Summum nominat, Patrem Patrum, Petri Vicarium, & ſucceſſorem, de nomine iſto Vicarij S. Petri, quod Romano Pontifici tribuit Magiſter; diximus ſuperiùs *num. 8.* eſſeque minus propriam locutionem, quamvis olim à pluribus vſurpatam ad deſignandum alicuius ſucceſſorem.

Qui ſubinde in eadem Academia vel Commentarios

tarios in Magiſtrum ediderunt, vel alia quapiam occaſione de Hierarchia Eccleſiaſtica, vel Romano Pontifice ſcripſerunt, Magiſtri veſtigiis, inhæſere, ipſiúſque etiam aliquando verba vſurparunt; aliquot ex his Authores adduxit ſuo more Carthuſian. in eam *diſt.14.lib.4.ſent.q* 8.

Nam Alb. lib. de Miſſa explicans illa verba Canonis: *Vna cum famulo tuo Papa noſtro:* ait his verbis peti adiunctionem & vnitatem Eccleſiæ, & aſſociationem Capitis cum corpore myſtico, hoc eſt Chriſti cum Eccleſia, addit deinde *cum Papa noſtro*, *quia ipſe eſt Pater Patrum, ſucceſſor Petri, Vicarius Chriſti, per ipſum inſtituitur communio, ſeu adiunctio iſta.* Oſtendit deinde hanc adunationem reperiri in Cœlis, & Angelis, ideóque vocari ordines Cœli à Iobo propter relationem ad vnum, tum in natura, vbi ramuſculæ ad virgas *virga* multæ, ad ramum rami multi ad ſtipitem vnum, multique ſtipites ad vnam infiguntur, & colliguntur radicem, vt omnia folia fiant ſucci, qui in radice conſiſtit. Plurima membra in vno capite adunantur, & ab illo beneficium accipiunt Chriſti opus fuit diſperſa in vnum colligere, & ex Dionyſio lex diuinitatis eſt, per prima reducere media, & per media vltima, demum id apparet in corpore Chriſti myſtico, in quo, inquit, omnia *ad vnum rediguntur quæ Petri clauibus committuntur. Hæ Claues vt plenitudo poteſtatis in vno monſtretur, & ab illo in aliis ſecundum partem ſollicitudinis deriuetur, iuxta illud, dabo Clauem Dauid ſuper humerum eius, & figam paxillum in loco fideli, & erit in ſolium gloriæ domus Patris ſui. Paxillus iſte eſt Petrus, ſeu eius ſucceſſor, eò quod ſibi imminet totum Eccleſiæ tabernaculum. Gloria verò non eſſet tota ſuper eum ſuſpenſa, niſi in ſua diſpoſitione, patrocinio, atque regimine haberet omnem Eccleſiæ poteſtatem, & gloriam,* &c. Comm. *cap.16. Matth. dabo tibi Claues ſingulariter, non quod ſingulariter acceperit Petrus, ſed quia in vnitate ordinis Eccleſiæ vnus eſt, qui accipit in plenitudine poteſtatis, qui eſt ſucceſſor Petri, & Petrus poteſtate, alij autem in eadem vnitate accipiunt cum parte poteſtatis, eo quod vocantur in partes ſollicitudinis.*

Secundò, Alenſis *4.part.q.20.memb.6.à 3.* diſputans de Clauibus, quas datas, ait in lege gratiæ ad vtilitatem Eccleſiæ: *Voluit*, inquit, *Deus quoſdam in alios plures habere poteſtatem, deinde illos in alios pauciores, & ſic ſemper, quouſque perueniretur, ad vnum ſcilicet Papam, qui & ſub Deo immediatè eſt ſecundum illud Eccleſiaſt. 5. Excelſo excelſior alius, & ſuper hos quoque, eminentiores ſunt alij: & inſuper vniuerſæ terræ, Rex imperat ſeruienti, ſcilicet Papa. qui vocat ſe ſeruus ſeruorum: vt ſicut triumphans Eccleſia eſt vna, ſic & militans: & corpus triumphantis cum corpore militantis vnitur in vno capite: vnde dicitur lapis angularis, qui facit vtraque vnum.* Epheſ.1. *Ipſum dedit Caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus eius: & ſic inter infinita membra, & ſupremum Caput ſunt Prælati medij: ſicut in cœlo inter idem Caput & Angelos, ſunt certi ordines accipientes illuminationem, & tradentes* quæſt.23.memb.3. *Comparans Summum Pontificem cum Epiſcopis, qui ipſi etiam ſunt ſponſi Eccleſiæ. Inter hos inquit Summus Pontifex præcipuè qui eſt totius Vniuerſalis Eccleſiæ Sponſus & Rector.* Et mox: *Ipſi competit totius ſpiritualis Theſauri diſpenſatio, ſecundum quod curam habet de tota Eccleſia, & omnibus eius filiis: vnde omnes ſunt eius filij, & ipſe eſt Pater omnium.*

Tertiò, Bonauentura in breuiloquio *6.part.cap.13. Cum ordo ſit ſupernaturalium poteſtatum, non tantum reſpectu aliorum Sacramentorum diſpenſandorum, verum etiam reſpectu ſui, & poteſtas ſupra poteſtatem eſt poteſtas excellens: ideo ſibi non competit ſimplex poteſtas: vt eſt in ordine Pontificis, ſed etiam eminentia poteſtatis, eiuſmodi eſt in his, quorum eſt ordines ordinariè diſpenſare. Cumque excellentia, quantò plus deſcendit tantò plus dilatatur: & q[uo] magis aſcendit eo magis vnitur, hinc plures ſunt Epiſcopi, quàm Archiepiſcopi, pauciſſimi Patriarchæ, & vnus Pater Patrum, qui Papa meritò appellatur, tanquam vnus primus & ſummus Pater, ſpiritualis omnium Patrum, atque cunctorum fidelium Hierarcha præcipuus, atque vnus ſponſus, Caput indiuiſum, Pontifex Summus generalis, ac plenus Chriſti Vicarius, fons, origo & regula iſtorum principatuum Eccleſiaſticorum, à quo tanquam à ſummo deriuatur ordinata poteſtas vſque ad infima membra ſecundum quod exigit præcellens dignitas in Eccleſiaſtica Hierarchia.* Sed audi eundem Seraphicum Bonauenturam eiuſdem Pariſienſis Academiæ Clarum lumen, initio expoſitionis Regulæ Sancti Franciſci in illud: *Honorius Epiſcopus vbique non vſque alicuius partis ſolum, ſed totius vniuerſalis, in cuius figuram legitur, ſed quod ſtante Ieſu in littore maris Petrus ſuccinxit ſe, & miſit ſe in mare, alij verò diſcipuli venerunt, per mare intelligitur ſæculum quod ſuſcepit Petrus à Domino gubernandum. Per nauigium autem intelliguntur variæ ſortes diſcipulorum, qui in variis mundi partibus Pontificium ſuſceperunt, vnde & duæ fuerunt naues propter Circumciſionem & præputium ſecundum Auguſtini ſententiam ſuper illud. Hinc Petrus à Petra dictus à Domino poſitus eſt Eccleſiæ fundamentum, tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, vbi Rabanus, vt omnes per orbem credentes intelligant, quia quicunque ab vnitate & ſocietate illius ſegregant ſeipſos, nec à vinculis peccatorum abſolui, nec ianuam poſſunt regni cœleſtis intrare. Hinc Petro Dominus dedit ſuper alios Apoſtolos ordinariam poteſtatem, dicens, & tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos in huius rei figuram, dicitur in libro Sapientiæ, quod in veſte, quàm habebat Aaron, totus erat orbis terrarum. Quod ſi vnus non eſſet qui in omnes exercere poſſet iuriſdictionem, vbi maneret ſtatus Eccleſiæ? Si partibus diſcordantibus non eſſet, qui poſſet manum mittere in ambabus, fuiſſet Synagoga fœlicior, quam Eccleſia, quia illa habebat vnum Summum Pontificem, qui omnes diſcordias poterat terminare*, vt patet in Deuteronomio(*cap.17.*) vides Sanctum Doctorem ſuam ſententiam de Summa & vniuerſali Pontificis authoritate ex Scriptura, Patribus, & ratione egregiè confirmare.

Quartò, Sanctus Thomas, pluribus in locis hanc Romani Pontificis in definiendis fidei controuerſiis, & conſtituenda diſciplinæ Eccleſiaſticâ auctoritatem, atque Monarchiam adſtruit, quæſtiones ſupra Septuaginta. Ex variis eius operibus, circa hanc auctorita- 90
tem collegit inſignis Pariſienſis Theologiæ Doctor Bail, *in Summa Conciliorum tractatu de triplici verbo Dei*, quem adire licebit: ego pauca hoc loco Iudico dumtaxat Rationem Capitis Summi quod eſt Chriſtus, & aliorum Capitum ſapienter diſtinguit *3.p.q.8.* quam conſulis, maximè Arb. vbi nihil Chriſto detrahit, dum Caput etiam Petrum nominans demonſtrat, quod voluere P. P. tum Græci, tum Latini, dum eo nomine Petrum paſſim vocitarunt, quod oſtendit Coëffetau. *in Antonium de Dominis, lib.cap.1.* iſtéque Cauſabonus *Exercit.15.* ad Annal. Baron. ait, ſine cauſa quoſdam bonos viros exclamare, quaſi aliquod tyrannicè ſaperent, ſiue illi tituli Petro attribuantur, ſiue Romano Pontifici, ſed non eſt ita, & ibidem *cap.16.* verba Nazianzeni *orat.30.* homilia de creatione Doriorum, quæ aliqua de Baſilio interpretantur, ad Romanum Pontificem refert, quem Caput agnoſcit & deſignat, cum ait ſplendidæ Ciuitati præſidere: ſic enim Romam nominat carmine de vita ſua: ſed redeo ad Sanctum Thomam.

Primò agitur *in 4.diſt.25.q.7.* demonſtrat dandum

eſſe ſuperiorem aliquem in Eccleſia, eò quod vbi multa ſunt, in vnum ordinata oporteat eſſe aliquod regimen vniuerſale ſuper Regitiua particularia: nam cum bonum commune ſit diuinius, quàm bonum ſpeciale, neceſſarium eſt ſuper poteſtatem regitiuam quæ communicat bonum ſpeciale, dari poteſtatem regitiuam vniuerſalem reſpectu boni communis, aliàs non poterit eſſe colligatio ad vnum, quare cum Eccleſia ſit vnum corpus, vt iſta dignitas ſeruetur, debet dari poteſtas regitiuâ reſpectu totius Eccleſiæ, ſupra poteſtatem Epiſcopalem, qua vnaquæque Eccleſia ſpecialis regitur, quæ eſt poteſtas Papæ; ad id verò quod obiicitur, poteſtas quæ datur Petro omnibus Apoſtolis datam quoque eſſe: Apoſtolorum verò ſucceſſores eſſe Epiſcopos. Reſpondet S.R. hanc poteſtatem primò datam ſoli Petro, vt oſtenderetur, quod ab eo in alios deſcenderet, ideóque Petro ſingulariter dictum eſt, *Confirma fratres tuos.*

Idem demonſtrat *lib.4. contra gentes*, cap.77. *Manifeſtum eſt autem, quod quamvis populi per diuerſas Diœceſes, & Ciuitates diſtinguantur, tamen ſicut eſt vna Eccleſia, ita oportet eſſe vnum populum Chriſtianum, ſicut ergo in vno ſpeciali populo Chriſti requiritur vnus Epiſcopus qui ſit totius populi Caput, ita in toto populo Chriſtiano requiritur, quod ſit vnum totius Eccleſiæ Caput.* Idem deinde demonſtrat ex vnitate fidei, quæ per vnius ſententiam conſeruatur, & per diuerſas ſententias violatur, quia vnius regimen optimum; pax enim & vnitas ſubditorum eſt finis regiminis, eius verò pacis & vnitatis cauſa congruentior eſt vnius, potiùs quam multorum regimen; Chriſtus autem non deeſt Eccleſiæ in neceſſariis, & optimum in ea regimen conſtituit. Denique ſimilitudo Eccleſiæ militantis cum triumphante, in qua vnus Deus præſidet, hanc Capitis vnitatem exigit, & vt fuit vnum ouile, & vnus Paſtor, licet ſit Chriſtus, tamen cùm præſentiam eſſet ſubſtracturus, debuit aliquem conſtituere; qui loco ſui Vniuerſalis Eccleſiæ curam gereret quod præſtitit, dum Petro Claues tradidit, illúmque iuſſit paſcere ſuas oues.

Lib. contra errores Græcorum, *cap.66.* Romanum Pontificem Chriſti Vicarium, & Petri ſucceſſorem primum & maximum omnium Epiſcoporum eſſe probat ex Canone Nicæno, à nobis nuper allato, & ex Scripturis, atque Chryſ. *in Matth.* dum Apoſtolorum interrogationem explicat, quis maior foret in regno cœlorum ait, cum illos paſſos eſſe ſcandalum humanum; quod tamen cordis non ſuſtinebant, quod viderent Petrum ſibi præferri, & præhonorari.

Cap.71. eiuſdem tractat. eundem R. Pontificem cæteris omnibus Patriarchis præferri probat ex Cyrillo, qui affirmat ſolius Apoſtolici Throni Romanorum Pontificum eſſe, reprehendere ſtatuere, corrigere, diſponere, ſoluere, ligare, & Chryſoſtom. in acta vocat Petrum Sanctiſſimum verticem Apoſtolici Throni & Paſtorem bonum.

Ibid. c. 69. ait hunc Chriſti Vicarium, Prælationem Vniuerſalem in totâ Chriſti Eccleſiam obtinere, cùm Synodus Chalcedon. acclamarit Leoni Papæ, *Leo Sanctiſſimus & Oecumenicus Patriarcha per multos annos viuat*, & Chryſoſt. *ſuper Matth. dixerit filius qui Patris eſt, & ipſius filij poteſtatem Petro vniuerſalem conceſſit vbique terrarum, & homini mortali omnium quæ in cœlo ſunt, dedit auctoritatem, dando ei Claues, ad hoc vt etiam Eccleſiam vbique amplificet.* Et *homil.85. in Ioan.* Iacobum. Localiter in loco terminat, Petrum autem totius orbis Magiſtrum & Doctorem ordinat, *& in acta.* Petrus à filio ſuper omnes qui filij ſunt poteſtatem accepit, non vt Moyſes in gente vna, ſed in vniuerſo orbe, ex his Patrum & aliis, Scripturæ dictis vniuerſalem Petri Romanique Pontificis poteſtatem colligit S.Thomas, qui *ibid. cap.66.* affirmat errorem eſſe negare hunc vniuerſalis Eccleſiæ Primatum, quod verò Gregorius nomen Oecumenici, & vniuerſalis recuſauit; vt refertur *cap. nullus diſt.49.* id non factum, ait S. Thom. *lib. contra impugnantes Religionem*, quod non habeat auctoritatem immediatam & plenam in qualibet Eccleſia, ſed quia non præficitur cuilibet & particulari Eccleſiæ, vt proprius & ſpecialis illius Eccleſiæ Doctor, quare *in 4.diſt.*15. ait neminem in ieiunio ab Eccleſiæ præcepto poſſe diſpenſare præter illum, qui eſt Caput totius Eccleſiæ vel loco Capitis, ſcilicet Papam. Hanc autem Capitis rationem, & quomodo à Chriſto Capite diſtinguatur explicat 3.*part. quæſt.*8. *art.6.* & quomodo Chriſtus ſit ſponſus Eccleſiæ, taliſque etiam dicatur R. Pontifex aperit *Opuſc. contra impugnantes Religion.* quamquam, & ab illo in 4. *diſtinct.*38. ſponſi Paranymphus, & amicus nominetur, quia Virgines non ſibi, ſed Chriſto deſponſat: Infinitæ foret operæ ſingula S.Doctoris loca percurrere, quibus hanc Papalem poteſtatem docet, vide ea omnia in vnam falcem diligenter collecta à Baillio, vti iam monui; hæc verò ſufficiant ad demonſtrandum quænam fuerit S.Doctoris mens circa Romani Pontificis poteſtatem in regenda Eccleſia.

Quid autem poſſit circa Controuerſias fidei definiendas, non minus apertè explicat, non imprimis *in 4.diſtinct.7.quæſt.4.* negat poſſe illum nouos articulos fidei facere, aut abrogare, ſicut neque noua Sacramenta inſtituere poteſt, quia cùm Eccleſia fundetur in fide & Sacramentis, & præſupponatur ad miniſtrorum omnium operationem, non poſſunt miniſtri qui ad fundationem Eccleſiæ, cuius miniſtri ſunt, pertinent inſtituere, neque ipſe prouidere Pontifex, licèt primus & Summus miniſter ſit, quare neque articulos fidei condere, neque Sacramenta inſtituere, aut abrogare poterit, aut in illis diſpenſare, verbi gratiâ, nequit ſtatuere, vt quis ſine Baptiſmo ſaluetur, aut ſine Confeſſione, quamvis in quibuſdam præceptis merè Eccleſiaſticis, circa Sacramenta diſpenſare valeat, quatenus præcisè Iure dumtaxat Eccleſiaſtico obligant.

Nihilominus pertinet ad Papam, quæ ſunt fidei determinare, quod S.Doctor *Opuſc. contra errores Græcorum, cap. 7.* probat ex Cyrillo *in Theſaur.* vbi monet, vt tanquam membra maneamus in Capite noſtro Throno Apoſtolico, Romanorum Pontifice, à quo noſtrum eſt quærere, quid credere, quid tenere debeamus, deinde, quia S.Maximus *Epiſt. ad Orientales*, ait omnes fratres orbis, qui Dominum ſincere ſuſceperunt, & vbique terrarum & Catholicæ, veram fidem confitentes, in Eccleſiam Romanam tanquam in Solem reſpicere, & ex ipſo Sole lumen Catholicæ, & Apoſtolicæ fidei recipere.

Ait tertiò, S. Doctor ordinationem & editionem Symboli ad Romanum Pontificẽ pertinere 2.2.*q.*1.*& vlt.* quia cum noua editio Symboli neceſſaria ſit, ad vitandum inſurgẽtes errores, ad illius auctoritatem pertinet editio Symboli, ad cuius auctoritatem pertinet, finaliter determinare, ea quæ ſunt fidei vt ab omnibus inconcuſſa fide teneantur, hoc autem pertinet ad auctoritatem Summi Pontificis, ad quem maiores & difficiliores Eccleſiæ quæſtiones referuntur, vt dicitur *in decret. diſt.43.* vnde & Dominus *Luc.22.* Petro dixit, quem Summum Pontificem conſtituit: *Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*, & huius ratio eſt quæ vna fides debet eſſe totius Eccleſiæ, quod ſeruari non poſſet, niſi quæſtio fidei, & de fide exorta terminetur

per

per eum qui toti Eccleſiæ præeſt, vt ſic eius ſententia à tota Eccleſia firmiter teneatur, & ideò ad ſolam auctoritatem Summi Pontificis pertinet noua editio Symboli, ſicut alia omnia quæ pertinent ad totam Eccleſiam, vt congregare Synodum generalem, & alia huiuſmodi. Hæc Sancti Thomæ, quæ licet paulò longiora, placuit adducere, & maximi Doctoris ſenſum apertum habeas, quia verò abiiciebatur nouam Symboli editionem prohibitam fuiſſe ab Eccleſia ſub anathemate ab Epheſina Synodo, & à Chalcedonenſi *actione* 4. quod verò ab Vniuerſali Eccleſia conſtitutum eſt, non ſubeſt vllius hominis poteſtati. R. Sanctus Thom. *ad* 2. hanc prohibitionem intelligendum eſſe, de priuatis perſonis dumtaxat, ad quas non pertinet de fide determinare; neque enim prohibetur ſequens Synodus æquè generalis, nouam editionem & Symboli fidei facere, non quidem diuerſam, aut aliam fidem continentem, ſed magis explicatam, quod perpetuò à Synodis propter exortas nouas hæreſes, & noua dubia ſeruatum fuit. Vnde inquit S. Thom. *Pertinet ad Summum Pontificem, cuius auctoritate Synodus congregatur, & eius ſententia confirmatur.* Deinde Papam, dum quæſtiones de fide determinat, non teneri cogere Synodum vniuerſalem, affirmat S. Thom. *in qq. de potentia Dei, quæſt.* 10. *art.* 4. *Sicut*, inquit, *poſterior Synodus habet poteſtatem interpretandi Symbolum à priori conditum, ac ponendi aliquid ad eius explicationem, ita etiam Romanus Pontifex hoc ſua auctoritate poteſt, cuius ſola auctoritate poteſt Synodus: & à quo ſententia Synodi confirmatur, & ad ipſum à Synodo appellatur, quæ omnia patent ex geſtis Concilij Chalcedonenſis, ſic dicentis, non eſt neceſſarium quod ad eiuſmodi expoſitionem faciendam vniuerſale Concilium congregetur, cum quandoque id fieri prohibeant bellorum diſſidia, ſicut in VI. Synodo legitur, quod Conſtantinus Auguſtus dixit, quod propter imminentia bella vniuerſaliter Epiſcopos congregare non potuit, ſed tamen illi qui conuenerunt quædam dubia in fide orta ſequentes ſententiam Agathonis Papæ determinauerunt, ſcilicet quod in Chriſto ſint duæ voluntates & duæ actiones, ſic Patres in Chalcedon. Synodo congregati, ſequuti ſunt ſententiam Leonis, qui determinauit Chriſtum eſſe in duabus naturis poſt Incarnationem, atque hactenus S. Thomas.* Ineptè verò Lorca *in* 2 2. *q.* 1. *art.* 10. dixit Sanctum Thomam per Summum Pontificem intellexiſſe Concilium Generale, cum ipſamet S. Doctoris verba mentem eius ſatis explicent, & tota textus Acolythia, & alioquin, cum ait Summum Pontificem poſſe diſpenſare in lege, æquè liceret docere, ſed poſſe tantum Concilium Generale, quod idcircò cogendum videlicet eſt. Neque S. Doctor aliud vult, cum ait 2 2. *quæſt.* 4. *art.* 2. *ad vltim.* auctoritatem determinandi de fide, & damnandi hæreſim eſſe principaliter in Summo Pontifice; non enim vult etiam alios idem poſſe, ſi agamus de finali & irretractabili definitione, ſed alios quoſdam poſſe quidem iudicare de fide, ſed non finaliter, & irretractabiliter.

Quintò, Durandus à Sancto Portiano, quem Ioannes Gerſon Doctorem reſolutiſſimum nominat, cuiúſque Lectionem conſuluit Nauarri Collegij Pariſienſis ſtudioſis, qui & dignitate Auicienſis Eccleſiæ fuit Epiſcopus, quamvis in pluribus à Sancto Thoma Coætaneo diſſideat, in quæſtione tamen quam verſamus de poteſtate Summi Pontificis, cum eo prorſus conſentit. Nam *in* 4. *diſtinct.* 24. *quæſt.* 5. *n.* 5. ſic habet: *Poteſtas quæ data eſt vni in ſuo fonte non eſt in aliis, niſi deriuata & limitata pro illius voluntate, ſed poteſtas Iuriſdictionis, quæ eſt ad regendum populum, tota & in ſuo fonte data fuit ſoli Petro & ſucceſſoribus eius, quando cura Eccleſiæ ipſi fuit commiſſa, dicente Domino Ioannis vltimo, paſce oues meas; hoc enim nulli aliorum Apoſtolorum dictum eſt, nec tunc, nec ante, nec poſt, ergo talem poteſtatem plenam, & perfectam habet ſolus ſucceſſor Petri, qui ob hoc Papa dicitur, quaſi Pater Patrum, in aliis autem non eſt niſi deriuata, & limitata, prout Papæ placet, inter quos gradus infimum tenent ſimplices Sacerdotes, quibus de Iure cuius Papa eſt conditor, aut nulla iuriſdictio competit, aut vt excommunicare pro furtis notoriis, & huiuſmodi in locis vbi hoc de conſuetudine obtinent, ſupra autem ſimplices Sacerdotes ſunt Epiſcopi, qui habent iuriſdictionem ordinariam ſuper totam Diœceſim, ſuper hos autem ſunt Archiepiſcopi, qui non ſolum habent iuriſdictionem in ſua Diœceſi, ſed ſuper totam Prouinciam in quibuſdam caſibus, ſuper omnes denique Papa collocatur, penes quem reſidet plenitudo, & primitiæ huius poteſtatis, & hoc eſt rationabile, quia optimum regimen vnius multitudinis eſt, quando regitur per vnum ſupremum à quo deſcendit auctoritas regendi in medios & vſque ad infimos, & propter hoc regimen eſt optima politia ſecundum Philoſophum* 2. *politic. Sed regimen Eccleſiæ optimè eſt à Chriſto inſtitutum: ergo in tota Eccleſia debet eſſe vnus vniuerſalis Rector à quo deſcendat auctoritas regendi in medios vſque ad Rectores infimos, & hic eſt Papa, & propter hoc ſtat vnitas Eccleſiæ, quod omnia membra ſunt ſub vno Capite, qua de cauſa illi qui hanc poteſtatem negant Schiſmatici dicuntur, quaſi vnitatis Eccleſiæ diuiſores.* Deinde reliqua illa quæſtione oſtendit Durandus in poteſtate ordinis & conſecrationis ſecus contingere, cùm æqualis illa ſit in omnibus Sacerdotibus, atq; Epiſcopis quod quomodo ſit intelligendum fusè docebimus *tom.* 3. huiuſce operis, nobis in præſentiarum ſatis ſit oſtendere, quænam fuerit celeberrimi Doctoris in Academia Pariſienſis mens circa poteſtatem iuriſdictionis, cuius plenitudinis fontem, ac totalitatem in ſolo Summo Pontifice, reſidere dicit, in cæteris verò limitatam, & reſtrictam, ex voluntate Pontificis.

Sextò, pro eadem Pontificis auctoritate in definiendis fidei Controuerſiis Duvall. 2. *part. de Pontif. quæſt.* 4. adducit Hernæum Armoricum, Henricum Gandauenſem, & Ioannem de Celluio, ambos Societatis Sorbonicæ ſocios, quamvis eorum loca non notet, neque verba adducat, quæ nos afferemus, & quidem Ioannes de Cellara *in* 4. *diſt.* 24. *quæſt.* 14. & 7. *Dominus Papa*, inquit, *regit Vniuerſalem Eccleſiam, & meritò poteſt vocari Rex, quod ex illo.* Cantu Eccleſiæ comprobauit *Simon Petre antequam vocarem te, noui te, & ſuper plebem meam te conſtitui.* Atque hanc Supremam Monarchicámque poteſtatem, non ab Angelis, non ab Apoſtolis, non ab Vniuerſali Eccleſia, ſed immediatè ab ipſo Deo Chriſtóque Romanum Pontificem accepiſſe firmiter fidei certitudine defendit. Henric. *quodlib.* 6. *quæſt.* 23. de Hierarchia Militantis Eccleſiæ diſputans. *Iſte*, inquit, *Hierarcha primus poſt Chriſtum ſuper Vniuerſalem Eccleſiam Petrus erat, cui ambas claues tradidit*, &c. vbi quæ circa temporalem iuriſdictionem addit, vt nobis non probata, amittimus. Tum ſubiicit *Romanam Eccleſiam ſolus ipſe fundauit & ſupra Petram fidei mox naſcentis erexit, qui B. Petro æternâ vitâ Clauigero cœleſtis Imperij: Iura* commiſit inferiùs, ait diuerſas, & particulares Hierarchias diſtingui ſecundum Pontificum diſtinctionem, ita quod ſingulæ Hierarchiæ in ſingulos Pontifices terminantur, quibus de iure communi ſubſunt ſinguli in ſua Hierarchia contenti, & mediantibus ipſis omnes in vna vniuerſaliter Hierarchia ſubſunt, Summo ipſorum Pontifici Hernæum à Duvallio allegatum mihi videre non licuit.

Septimò, Thomas ab Argentin. Doct. Pariſienſis 93
ibidem in Comitiis generalibus ſui Ordinis Generalis

talis electus & ab Alliacenſi aliquando laudatus *in 4. diſtinct. 24. quaſt. 1. art. 1. concluſ. 1.* oſtendit in multitudine Eccleſiaſtica non eſſe Confeſſionem, quia in ea eſt ordo quem Verbum Dei, fons Sapientiæ in excelſis conſtituit, cum primò per ſeipſum immediatè direxit, quando iuxta vaticinium Baruch in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt, poſteà Vicarium conſtituit, ſcilicet B. Petrum, & Spiritum ſanctum, qui eſt ſpiritus Sapientiæ & intellectus, miſit ad perfectè dirigendum, tam Vicarium conſtitutum, quàm ſubiectum ſibi populum. Et *diſtinct. 25. quaſt. 1. art. 8. Ad cuius intellectum, cum igitur iuriſdictio ſpiritualis cuiuſlibet Sacerdotis dependeat à Summo Pontifice, apud quem ſolum reſidet iuriſdictionis plenitudo, tam in fieri, quàm in conſeruari, ipſe eam quotidie poteſt dare & auferre huiuſmodi iuriſdictionem, prout ad ſtatum Eccleſia gubernandum ipſe viderit expedire.*

94 Octauò, Dionyſius Carthuſianus *in 4. diſtinct. 25. quaſt. 1.* allegat in hanc rem duos celeberrimos Doctores Pariſienſes Petrum Paludanum & Alliocenſem: *Sciendum*, inquit, *quod plenitudo & vertex Eccleſiaſtica poteſtatis, qua in ſolo Papa eſt ſubiectiuè, tria complectitur, vt ex diuerſis Doctoribus colligitur, praſertim ex Scripturis B. Petri de Palude, ac B. Petri de Aliaco, primum eſt Sacerdotium, & in hoc cateris Sacerdotibus eſt aequal. ſecunda poteſtas Epiſcopalis, qua eſt de genere qualitatis, & in hoc aequalis eſt Epiſcopis cateris, tertium eſt iuriſdictio ſumma vniuerſalis, qua vniuerſis eſt altior, & hoc eſt relatio, qua nec manet in Papa, quando deſinit eſſe Papa, per liberam ceſſionem, aut alio modo, alia verò duo manent in eo.* Et quidem Petrum de Palude Aquitanicum facit Maucler. *4. parte de Monarch. lib. 8. c. 5. q. 9.* Fuit is Patriarcha Conſtantinopolitan. & Doctor Pariſienſ. eadémque ſcripſit de Papæ Monarchia, quæ Durandus nuper adductus, inquit Mauclerus, idem quod legenti Durandum citatum & Paludanum *in 4. diſtinct. 24. quaſt. 6. art. 1.* Patebit, vbi ita concludit Petrus *ſuper omnes iſtos Papa Petri ſucceſſor Chriſti Vicarius collocatur, vt in cubito arca ſummitas conſummatur.*

95 Nonò, Petrus de Aliaco Cardinalis, & Epiſcopus Cameracenſis, Gerſonis Magiſter in quæſtione Veſperiatum *articulo* 2. poſt varias diſtinctiones tres ponit concluſiones, quarum prima eſt. Quod Petrus Apoſtolus ex Chriſti inſtitutione Principatum habuit Vniuerſalis Eccleſiæ. Deinde ad declarationem huius primæ concluſionis tres ponit iterum propoſitiones. Prima quid in Petro, & cæteris duplex fuit, poteſtas ordinis & regiminis. Secunda, quod in Petro, & cæteris æqualis fuit poteſtas ordinis, & in ſingulis fuit ordo Sacerdotalis. Tertia, in Petro & cæteris Apoſtolis non fuit æqualis poteſtas regiminis, ſed ex Chriſti inſtitutione, in hac poteſtate Petrus fuit maior & præfuit aliis, ideò in multis primam ordinis poteſtatem ligare, & cohibere habuit in eis. Vnde quod huiuſmodi poteſtas ex Chriſti inſtitutione, in eo maior fuerit, quàm in aliis ex verbis Chriſti concluditur, quod ipſe ibidem oſtendit, & *in quaſtione de re ſumpta in prima concluſione*, demonſtrat Petrum, & Chriſti Vicarium in quantum Caput Eccleſiæ, habuit Monarchiam ſpiritualem, non tamen regiam temporalem, quod nos quoque vltrò fatemur; & *in tractatu de Eccleſia auctoritate*, quem ſcripſit in Concilio Conſtantienſi ann. 1417. *1. part. cap. 1. concluſ. 2. Dominus contulit Petro pro ſe & ſuis ſucceſſoribus auctoritatem diſponendi Miniſtros Eccleſia, & determinandi iuriſdictionem, dicens paſce oues meas, id eſt. ſis Paſtor & Pralatus generalis, ad quem pertinet diſpoſitio & regimen generale ouium, & ouilis, & ſic quamvis omnes Apoſtoli eandem habuiſſent à Chriſto poteſtatem, & aequalem Clauium & iuriſdictionis, non tamen iuriſdictionem, ſiue materiam ſubiectam ſecundum aliquos, habuit aliquis niſi Petrus, & cui committere voluit; & ita ſecundum hunc intellectum in Petro fuit iſta plenitudo poteſtatis, quam tamen poſtea diuiſit aliis, vocans eos in partem ſollicitudinis*, & concluſ. 3. *Petrus & quilibet eius Vicarius, Pontifex Summus potuit dici Caput Eccleſia, inquantum principalis eſt inter Miniſtros, à quo tamen tanquam à principali Hierarcha & Architecta aliquo modo dependet totus miniſtrorum Eccleſiaſticorum ordo. Vnde licet cateris Apoſtolis generaliter dictum ſit, quacunque ligaueritis, ita tamen, quia hoc ſingulariter Petro dictum eſt, ideò ſpecialiter dicitur accepiſſe Claues propter principalitatem, quàm à Chriſto pra cateris immediatè ſuſcepit*, &c. Addit Petrum tenuiſſe quatuor annis Cathedram Eccleſiæ, nullam ſibi particularem Eccleſiam eligendo, deinde Antiochenam appropriauit, & demum Romam, *concluſ. 5. Negare Eccleſiam Romanam eſſe Caput omnium Eccleſiarum, eſt Hareticum, ſicut negare Summum Pontificem eſſe Caput Eccleſiarum.* Obſerua autem Alliacenſem has & cæteras concluſiones quas eo Capitulo adducit nominare fundamentales: *Et in ſpeculo conſiderationis ſermone habito in Concilio Conſtantienſi Epiſcopali auctoritati nimis detrahunt, qui definire praſumunt Epiſcopos non poſſe impiis Diœceſibus errores in fide & moribus notare, ſcandaloſos cum peritorum Conſilio condemnare; ſicut enim hoc poteſt generaliter in Vniuerſali Eccleſia Sinanime, ille Epiſcopus qui dicitur habere plenitudinem poteſtatis. Sic inferior Epiſcopus vocatus ab eo in partem ſollicitudinis, hoc vtique poterit particulariter in ſua Diœceſi, ſicut in particulari Eccleſia.* Et eodem *tractatu 3. part. cap. 1.* obſeruat Romanum Pontificem eſſe Caput triplicis Eccleſiæ primæ, & principaliter Eccleſiæ Vniuerſalis, ex illo paſce oues meas, quod non de illis vel his particulariter dictum eſt, ſed de omnibus generaliter, deinde eſt Caput Eccleſiæ particularis, ſcilicet Romanæ. Tertiò, eſt Caput *Concilij Generalis, quod videlicet Eccleſiam repraſentat reſpectu, cuius tamen ipſum eſt quoddam Eccleſia particularis, ſumens veritatem ab auctoritate Summi Pontificis, in eo actualiter vel ſpiritualiter praſidentis*, &c. Et infrà ait omnem Petro datam eſſe plenitudinem iuriſdictionis per illa verba paſce oues meas, & *concluſ. 2.* ait plenitudo iuriſdictionis, *propriè loquendo ſolum reſidet in Summo Pontifice (Petro ſuccedente) quia propriè aliqua poteſtas plenè dicitur eſſe in aliquo, quia illam poteſt generaliter exercere, & miniſterialiter diſpenſare, hac autem eſt in ſolo Papa, & non propriè in aliqua communitate, quia ſecundum Philoſophum actiones ſunt ſuppoſitorum*; & concluſ. 3. *Plenitudo huiuſmodi poteſtatis tropicè, & alio modo aequiuoc. eſt in Vniuerſali Eccleſia, & in Concilio Generali ipſam repraſentante.*

Decimò, Cardinalis Alliacenſis auditor Ioann. 96
Gerſon. Magiſtri veſtigiis inſiſtens *lib. de poteſtate Eccleſ. conſid. 10. Poteſtas Eccleſiaſtica*, inquit, *eſt formaliter & ſubiectiuè in ſolo Romano Pontifice.* Et mox: *Tandem ex his pracedentibus poſſumus deſcribendo dicere, quod plenitudo poteſtatis Eccleſiaſtica eſt poteſtas ordinis & iuriſdictionis, qua à Chriſto collata eſt ſupernaturaliter Petro, ſicut Vicario ſuo & Monarcha, primò pro ſe & ſucceſſoribus legitimis vſque in finem ſaculi ad adificationem Eccleſia Militantis, pro conſecutione fœlicitatis aterna. Et in Epilogo eiuſdem tractatus* conſid. 2. *Plenitudo poteſtatis Eccleſiaſtica, ſic propriè ſumpta non poteſt eſſe de lege ordinata, niſi in vnico Summo Pontifice, formaliter & ſubiectiuè, alioquin Eccleſiaſticum regimen non eſſet Monarchicum, & habere poſſet multiplex Caput ex aquo, quod apertè eſt Hareticum, & tractatu de auferibilitate Papa* conſid. 8. *Auferibilis eſt, aut*

mutabilis

mutabilis lege ſtante qualibet politia Ciuilis Monarchica,ſeu regalis,vt fiat Ariſtocratica,& non ſic de Eccleſia quæ in vno Monarcha ſupremo per vniuerſum fundata eſt à Chriſto, &c. *quia nullam aliam politiam inſtituit Chriſtus immutabiliter Monarchicam, & quodammodo regalem,niſi Eccleſiam,& oppoſitum ſentientes de Eccleſia, quod ſecundum fas eſt eſſe plures Papas, aut quid quilibet Epiſcopus eſt in ſua Diœceſi Papa, vel Paſtor ſupremus æqualis Romano, errant in fide & vnitate Eccleſiæ, contra articulum illum, & in vnam Sanctam*, &c. *Etſi pertinaces maneant, iudicandi ſunt Hæretici, ſicut Martinus de Padua, & quidam alij. Idem de ſtatibus Eccleſiaſticis*,cap.de ſtatu Papali conſid. 1. *Status Papalis inſtitutus eſt à Chriſto ſupernaturaliter & immediatè tanquam Primatum habens Monarchicum, & regalem in Eccleſiaſtica Hierarchia, ſecundum quem ſtatum vnicum & ſupremum, Eccleſia militans. Dicitur vna ſub Chriſto: quem ſtatum quiſquis impugnare, vel diminuere, vel alicui Eccleſiaſtico ſtatui Particulari coequare præſumit, ſi hoc pertinaciter facit, Hæreticus eſt, & Schiſmaticus impius,atque ſacrilegus: cadit enim in hæreſim toties damnatam expreſsè à principio naſcentis Eccleſiæ vſque hodie; tam per inſtitutionem Chriſti de Principatu Petri ſuper alios Apoſtolos, quam per traditionẽ totius Eccleſiæ in ſacris Eloquiis ſuis & generalibus Conciliis*.& de ſtatu Prælatorum,conſiderat.3. *Status Prælationis Epiſcopalis habuit in Apoſtolis & ſucceſſoribus vſum vel exercitium ſuæ poteſtatis ſub Papa Petro,& ſucceſſoribus eius tanquam ſub habente, vel habentibus plenitudinem fontalem auctoritatis.* Et tract. de examinat.doctrinarum conſid.1. *Debet cum maturitate maximè,& non ſine grandi neceſſitate Reipublicæ determinatio, fieri in materiis fidei maximè condendo articulum vniuerſaliter obligantem*, &c. *Hæc auctoritatis grauitas eſt in generali Concilio, necnon in Summo Pontifice conſeruanda.* Vide ſequentes conſiderationes, in quibus licèt exiſtimet à Papa ad Concilium poſſe appellari:Papam tamen dicit iuridicum examinatorem in terris, poſt Concilium Generale,vel in ipſa *conſid.*2.

97 11. Almainus *de poteſtate Eccleſiaſt.c.4. ſub fin. Eſt maior poteſtas ſecundum inſtitutionem Chriſti in vno quam in ſingulis:imò in vno eſt ſuprema, & in quibuſdam aliis eſt ſolum poteſtas inferior ad illam quæ eſt ſuprema, & aliis vocatur poteſtas Papalis, & eſt libera facultas propinqua vtendi poteſtate Eccleſiaſtica, in quemlibet Chriſtianum. Ideo reſolutoriè dicendum eſt ad iſtam ſecundam quæſtionem quod quantum ad iuriſdictionem, quæ reſpicit forum exterius, quod non eſt in ſingulis Sacerdotibus æqualis, ſed eſt vna ſuprema, ſcilicet. & in ipſo Papa etiam ex inſtitutione Chriſti,& non ſolum ex humana.* In eodem prætereà c.4.dixerat ex communi PP.conſenſu, quod Chriſtus nullos homines vnquam ſubdidit alicui niſi Petro,quando fecit *eum Curatum* Vniuerſalis Eccleſiæ,illo verbo, paſce oues meas,tunc Chriſtus contulit poteſtatem iuridicam Petro,& cunctos Chriſtianos ſignatos charactere Baptiſmali fecit ſubiectos; Petro ſubiectione iuridica;contrarium contingere ait in Epiſcopis: nam Epiſcopatus ſunt diuiſi à Petro & ſucceſſoribus eius,vel ab Epiſcopis.

98 12. Venio ad recentiora tempora:Iſambertus Regius in Theologia Pariſienſi Profeſſor *tomo tertio*, *in 3.partem*, S.Thomæ *de Sacramento Ordinis, diſp.* 1. *artic.*3. negat Papatum eſſe ordinem, & imprimere characterem, ſed ſolummodò tribuere electo iuriſdictionem ampliſſimam in omnes,& ſingulos Chriſtianos. Et *tractatu de Iudice Controuerſiarum*, vbi oſtendit neceſſarias conditiones in eiuſmodi iudice, & neque in Scriptura, neque in ſpiritu particulari reperiri, tandem *diſputatione vltima Ap.* ait hunc Iudicem eſſe Eccleſiam, quo nomine, ait ſe intelligere Eccleſiam vt congregatam; & includentem ſuum ſupremum Caput: *Nam*, inquit, *diſputare an Eccleſia condiſtincta à Summo Pontifice ſit ſupra illum, an verò è contra, nihil facit ad præſentem controuerſiam.* Ergo Authore Doctiſſimo Viro Eccleſia, ſine ſuo Capite etiam congregata non eſt ſupremus Iudex controuerſiarum, neque proinde non exiſtente Pontifice,aut incerto vt in ſchiſmate,aut nullo modo intereſſente, nihil poterit de fide definire,& iudicare; ſimile quid dicit Gamachæus *in* 2.2. *quæſt.*1.*cap.*12. dicit enim *veram ac propriè dictam fidei regulam in ordine ad nos eſſe Eccleſiam Vniuerſalem, ſiue Concilium Generale, prout ex Capite viſibili Summo Pontifice Romano, aliiſque ſimul membris conſtat.* Inferiùs verò ait infallibilem fidei regulam, non in ſolo Summo Pontifice abſque Eccleſia,nec in ſola Eccleſia abſque Pontifice reponendam. Quod ſe affirmare dicit propter varias grauium Authorum quos allegat ſententias; ipſe verò mediâ ſua ſententiâ illos conciliat. Deinde tamen ad obiectionem V. Concilium Triminenſe, & alia quædam erraſſe concedit,quia non fuerũt à Summo Pontifice conuocata, ſaltem non approbata, nec confirmata.Ex quibus colliges,quod nuper inferebamus Concilium Generale,ſine Põtifice,nihil poſſe definire de fide,quod ſi neque id poſſit Põtifex,ſine Cõcilio quid factum trecentis annis, in quibus neque habita ſunt, neque haberi potuerunt Concilia Generalia,& tamen innumeræ hæreſes dãnatæ ſunt à Pontifice. *Reſp.*quid etiam fiet quotidiè cõtra nouas hæreſes,cùm nõ poſſint cogi Cõcilia Oecumenica,vti iam pridem argumẽtabamur,& in hæreſis Ianſenianæ dãnatione probauit Eccleſia Gallicana.Deinde Alm. *tr. citato de poteſtate Eccleſiaſtica,c.5.*negat plenam poteſtatem ſpiritualẽ ex æquo poſſe ſtare in duobus,ſtante lege Euangelica;quod probat illo *c.5.propoſit.*2.atqui ipſe aliique omnes fatẽtur illam eſſe in Põtifice;ergo in illo ſolo ſiſtere fateri debẽt.Non placet verò diſputare hoc loco,cur Gammachæus & Iſambertus voluit Concilium,ſine Papa errori obnoxiũ eſſe,& non poſſe definire rem fidei, cũ Papa verò poſſe.Papa igitur auctoritatem illã auxilio confert, quod etiã magis oſtenditur,ex eo quod iidem Doctores doceãt Concilia vel non conuocata,vel non confirmata à Pontifice errare poſſe, & minimè definire controuerſias fidei, neque dicas cauſam eſſe,quia Concilium ſine Capite non eſt integrum, ac proinde non repræſentat Vniuerſalem Eccleſiam:nam idem contingit,quando præcipua Eccleſiæ membra non adſunt,vt Alex.Patriarchæ Conſtantin. & alij, & tamen tunc modò adſit Pontifex per ſe, aut ſuos Legatos, & Concilij decreta confirmet,iudicat de controuerſiis fidei, hæreſ. damnat,ſuiſque decretis fideles omnes obligat. Cum tamen deficientibus Primariis Eccleſiæ membris non repræſentet Vniuerſalem Eccleſiam,& ſi Caput adſit quamvis; reliqua membra adſunt, inutiliter definiat; vt in Concilio Arimienſi, & aliis videmus; videant igitur iſti DD. quomodò ſibi cohæreant, nobis ſufficit hoc loco quod in Pontifice plenitudinem poteſtatis agnouerint,verùm iſta mittamus idem Gamachæus *tractatu citato de ordine, cap.9. fol.684. colum.2. Clariſſimi Theologi ſuſtinent Epiſcopos habere poteſtatem characteris à Chriſto, non tamen poteſtatem iuriſdictionis; ſed hanc à Summo Pontifice accipere*,quàm ſententiam cum non improbet Gamachæus,non potuit illuſtriùs iuriſdictionem ſupremam Romani Pontificis explicare.

13. Illuſtriſſimus Epiſcopus Vaurenſis Doctor Sorbonicus Dom. de Raconis *lib. Gallico de ſuprema Petri poteſtate ſect.5. c.2.art.3.pag.421.* ait Eccleſiam ædificatam fuiſſe laboribus & curis, & Prædicatio-

nibus Apoſtolorum , ſed gubernari auctoritate vnius ſolius Capitis, neque eam gubernationem per ſupremum in alio reperiri poſſe, quàm in eo qui tanquam Caput recepit ſupremam auctoritatem Clauium , ad ligandum & ſoluendum, paſcendas oues & agnos,&c. confirmandos fratres,quæ omnia ſoli Petro conceſſa ſunt à Chriſto, & *eod.tract.ſect.*1.*c.*5.*a.*2.§.5.*pag.*249. Eccleſiam Romanam , ait nominari Catholicam & & Vniuerſalem, quia ratione ſui Capitis, quod vnum eſt in perſona,& vniuerſali potentia,& auctoritate,influit & communicat vnionem omnibus Eccleſiis particularibus, quæ alioquin ſeparatæ, auulſæ, & ſchiſmaticæ forent , non ſolum ſi non amplecterentur, & reiicerent fidem Eccleſiæ Romanæ,ſed etiam niſi immobiliter coniunctæ manerent, cùm eius Caput ſucceſſor Petri,cui tota & Vniuerſalis Eccleſia credita & commiſſa fuit,*eod.c.*5.§.6.*pag.*251.quidquid luminis, & doctrinæ in Doctoribus,auctoritatis in Prælatis & Paſtoribus, roboris & immobilitatis in lapidibus domus Dei,quæ eſt Eccleſia,reperitior id totum pendet, & connexum Pontifici Romano,quem Chriſtus conſtituit in Eccleſia tanquam Caput,Solem,& fontem ad motum totius corporis,quod eſt Eccleſia,&c.

100 13. Huic addo alium non minus ſcientia , pietate, Religione,& eloquentia tota Gallia Clarum Epiſcopum Maſſilienſem Nicolaum Cœffetcau DD. Pariſienſem in opere de ſacra Monarchia,cōtra Antonium de Dominis Spalatenſem quondam Archiepiſcopum. Igitur *lib.*1.*c.*1. pluribus & Patribus Græcis & Latinis,atque ex ipſis etiã Synodis Chalcedonenſi,& Nicænæ oſtendit,Pontificem Petri ſucceſſorem eſſe Caput Eccleſiæ & Caput Capitum,hoc eſt Præſulum;ex Theodoro *ſtudita Epiſt.*33.*lib.*1. quæ eſt 3.*ad Leonem Papam:*neque hac in parte derogari dignitati Chriſti, qui primarius Caput eſt,quia ſecundarium iſtud Caput influit dumtaxat ſecundum exteriorem gubernationem , indéque plura loca Pauli , quæ de influxu interno ſecundum gratiam loquuntur, luculenter explicat,*c.*11.ineptiſſimum Marci-Antonij argumentum conſule ductum,ex eo quod Chriſtus Apoſtolos conſtituiſſet miniſtros, diſpenſatores Oecumenos. Inde enim negat illis tributã fuiſſe aliquam poteſtatem,aut iuriſdictionem , ſed omninò improbè. Cùm & ipſe Chriſtus miniſter *Rom.*15.& miniſter Circumciſionis *Rom.*8.dicatur à Paulo, qui ſe Chriſti miniſtrum nominat, & tamen ſuam poteſtatem oſtentat, cùm Corinthiis venturum ſe in virga minatur , quæ verba Chryſ.*hom.*14.*in* 1.*ad Cor.*ſic interpretatur *quid eſt in virga non caſtigatione & ſupplicio, hoc eſt de medio tollere, ſiue necare,quod quidē Petrus fecit in Sapphyra, quod ipſe Elyma Mag. non enim iam hoc dicit tanquam ſeipſum cum illis conferens, ſed cum auctoritate.* De eadem facta Apoſtolis poteſtate cum Chriſtus illos miſit egregiè diſputat Chryſoſt.*in Ioan.c.*20.*hom.*56. vide & Aug. *in Pſ.*44.*ad illa verba pro Patribus tui,nati ſunt tibi fily.*

*Cap.*4. Vicarij Chriſti nomen Petro aſſerit contra Spalatenſem negantem , vt illum Spiritui ſancto tribueret,*c.*5. Primatum Petri diligenter adſtruit aduerſus Spalatenſem,qui illum poſitum in eo eſſe volebat, quod ætate,vocatione,& amoris in Chriſtum feruore primas inter Apoſtolos tenuiſſet,non in auctoritate & iuriſdictione, ſiue in Eccleſiæ adminiſtratione, quod confutat noſter Doctor omni genere teſtium;atque in ad ipſum luculenter ſolemnia illa Chriſti verba:*Tu es Petrus & ſuper hanc Petram*, eruditiſſimè expendit *cap.*6. *cap.*verò 7. locus *Matth.*16. *Tibi dabo Claues regni cœlorum* , *cap.*8. Illa alia Chriſti verba : *Paſce oues meas* , ex Patrum, omnium ſenſu ad firmandum Petri Principatum , & Monarchiam reiectis Spallatenſis & Hæreticorum calumniis & ineptiis ſolidè interpretatur. Atque ad hanc Catholicam veritatem confirmandam omnes eximias Petri prærogatiuas adducit *cap.* 9. & contra Heterodoxorum ipſiúſque Spalatenſis calumnias acerrimè tuetur,quas prærogatiuas impius Antonius Phalerus nominat. Demum Patrum veterum dicta, quibus Petri Primatum fatentur ; ineptè ab Antonio de Primatu tantum perſonali,& qui à Petro in ſucceſſores non promanarit , explicari demonſtrat toto *cap.*10. quæ autem ex Scripturis corrumpit, & in Monarchiam Petri rebellis Apoſtata coacetuat diſcutiuntur toto *cap.*11.integro Ariſtocraticum autem regimen,quod loco Monarchiæ in Eccleſiam induxit Antonius, diſturbat validè noſter Epiſcopus *cap.*12. & quæ ille ex Scripturis , & Patribus obiicit , contra eorum mentem Allat. docet, & quæ contra dignitatem Monarchiæ affert aduerſarius , vt illi politiam Ariſtocraticam præponat , tanquam politiarum omnium optimam pluribus reiicit. Quia porrò Antonius, vt ſuam Ariſtocratiam confirmaret, volebat Apoſtolis omnibus æquè commendatam fuiſſe Eccleſiam à Chriſto, vt eam æquali poteſtate regerent,Apoſtolis verò ſucceſſiſſe Epiſcopos , nullo diſcrimine poteſtatis. Noſter eruditus Epiſcopus diſcrimina plurima inter Apoſtolos & Epiſcopos affert , & qua ratione dicantur Epiſcopi ſucceſſiſſe primis Apoſtolis explanat *lib.*2.*cap.*1. maximè quod Epiſcopis certis ſedibus, ex antiquo etiam Eccleſiæ more fuerint affixi, cùm Apoſtolorum iuriſdictio & poteſtas nullis Regionum limitibus circumſcripta foret , de Epiſcoporum porrò ſucceſſione, denuò fusè diſputat *cap.*2. & 3. quo etiam poſtremo loco, de qualitate Epiſcoporum & Presbyterorum, propter Hieronymi verba quædam eruditè diſſerit, *cap.*5. *eiuſdem lib.*2.*hac habet in Spalatenſem* , qui Scholam Pariſienſem in ſui patrocinium allegarat : *Hoc loco tantum monuerim Scholam Pariſienſem,qua doctiorem,aut ſapientiorē Sol nullam vidit vnquam ſuſcepiſſe ſibi perpetuam propugnationē pro omnibus ornamentis Pontificis,ac ſemper ſuum aduerſus illam , ſtudium , & affectum declaraſſe, atque pro viribus elaboraſſe, vt omnes intelligerent quanti Vicarium Chriſti, Petri ſucceſſorem Chriſtianæ plebis parentem , ac Eccleſiæ Summum Rectorem facerent.* Itaque etiam nuperrimè ſceleratum Spalatenſis librum in perniciem Ordinis Hierarchici ſcriptum damnauit , Authori Anathema dixit , ac flammis dignum impium opus pronuntiauit , ſpeciatum verò cenſuit Hæreticum eſſe dogma quo Epiſcopi Pontifici exequantur : contra hanc verò fictitiam æqualitatem *capite quinto & ſexto, illius libri pugnat Coëffeteau , & Pontificum Monarchiam* adſtruit , quod & præſtitit *cap. ſequenti* 7. atque alibi , ſed de his aliiſque poteſtatis Pontificiæ præ reliquis Epiſcopis prærogatiuis fuſiùs *tomo* 3. vbi de vniuerſa Hierarchia diſceptabimus , fuſiùs agendum nobis erit aduerſus omnes Heterodoxos; & alios, qui ſpecie pietatis illi clanculum fauent, ſatis nobis hoc loco fuerit demonſtraſſe eruditiſſimi Epiſcopi & Doctoris Pariſienſis celeberrimi,mentem, & Iudicium de Pontificia auctoritate & Monarchia, integro hoc opere,neque attinet ſingula loca ſignare iis paucis,quæ nuper annotauimus contenti. Addam dumtaxat illud *lib.*4.*c.*7. *Quo Pariſienſem Scholam ab impia calumnia,qua importunus,*& ſtolidus illam onerauerat,tanquam ſtudentem Ariſtocratiæ , & non Monarchia validiſſimè liberat ex cenſura qua impij Apoſtatæ dogmata confodit Academia , quam nos nuper retulimus , & ipſe Coëffeteus citato capite adducit.

14. Michaël Mauclerus Pariſinus & Doctor Sor- 101
bonicus ingenti volumine de Monarchia *duobus tomis*

mò diſtincto, ſacram & Eccleſiaſticam Monarchiam, & ſupremum Romani Pontificis Principatum acerrimè & eruditiſſimè tuetur *toto opere*, ita vt non ſit opus ſingularem aliquem locum notare, ſed ipſum opus conſulere;in eo enim vbique & in qualibet pagina doctrinam iſtam de Pontificia Monarchia deprehendes,ſed imprimis *parte* 1.*&* 4.quare eius verba adducere inutile omnino foret.

15. M. L. Bail Doctor Pariſienſis & propœnitentiarius,in apparatu ad Summam Conciliorum 55.an
102 *extra Concilia Generalia nulla ſit certa definitio in rebus fidei*: oſtendit pluribus Romanum Pontificem, loquentem ex Cathedra, quod quid ſit ibidem explicat, in rebus fidei, nec falli, nec fallere poſſe, nec alioqui Sedeat in Cathedra peſtilentiæ, & oues quas illi paſcendas Chriſtus credidit, pabulis paſcat venenatis, & falſa illis dogmata proponat, & quæ aduerſarij Ianſeniani obiiciebant validè refelli; ſimilia tradit paſſim toto illo opere,maximè in notis ad Concilium Tridentinum & Florentinum.

16. Omiſſis verò aliis recentioribus Doctoribus Pariſienſibus; vnum dumtaxat de cuius eruditione,
103 pietate, & illuſtri nominis fama, nemini dubium eſſe poteſt, vt faſtidioſam diſputationem tandem abſoluam, placet adiicere: ille enim vnus omnium inſtar nobis eſſe poterit. Is eſt Dominus Andreas Duvallius Doctor Sorbonicus, & regius in Academia Pariſienſi Profeſſor, in tractatu quem de ſuprema Summi Pontificis poteſtate inſcripſit. Contra Edmundum Richerium Doctorem Theologum & Collegij Cardinalitij in Academia Pariſienſi Archididaſcalum & Simonem Viguorium regium Conſiliarium,& Iuris vtriuſque conſultiſſimum,qui multa contra Pontificiam auctoritatem cenſerant. Richerius quidem in ſuo libro de Eccleſiaſtica, & Politicâ poteſtate,ſed is vno ante obitum anno meliora ſapuit, & propoſitiones quæ bonis offenſionem dederunt Catholicæ Romanæ, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Iudicio examinandas ſubiecit, eamque Matrem & Magiſtram omnium Eccleſiarum, & infallibilem veritatis Iudicem agnouit. Ipſam Richerij Syngripſam integram refert Duvallius initio ſui operis. Simon verò Vigorius, qui in Edmundi Richerij patrocinium Commentaria in reſponſionem Synodalem Concilij Baſilienſis ediderat,quinque ferè annis ab ea editione, librum contra nouatores Veterum Patrum teſtimoniis, & Pontificum decretis refertiſſimum ſcripſit, illúmque & Commentaria:illa aliaque opera Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſubiecit, quare illum in communione Sedis Apoſtolicæ obiiſſe coniicit. Duvallius refert quoque in Antiloquio damnationem libelli Richerij ab Epiſcopis Senonenſis Prouinciæ factam Pariſiis 9. die Martij ann.1612. & ab Epiſcopi Aquenſis Prouinciæ in Synodo Prouinciali 24. menſis Maij anno eodem 1612. Aquis Sextiis. Sed veniamus ad ipſam Controuerſiam, quàm modò verſamus de Pontificia poteſtate ſanciendi leges Eccleſiaſticas, & pronuntiandi de fidei Controuerſiis, atque ita condendi Ius Eccleſiaſticum, quàm Controuerſiam Duvallius accuratè explicat.

Nam *prima parte ſui operis*, *quæſtione* 1. poſt definitam poteſtatem Eccleſiaſticam, eiúſque diſcrimina à Laïca poteſtate allata aduertit priorem illa ſignificare in Scripturis nomine Clauium *Matth.* 16. *Iſaia* 22. *in Apocal.*3. quæ Clauis ſiue poteſtas duplex eſt, vna ordinis,altera iuriſdictionis, de qua ſibi dumtaxat diſputandum eſſe monet, eiúſque præcipuos actus aſſignat, quorum primus eſt condere leges Eccleſiaſticas, qui licèt diuinitùs ius non indudant, obligant tamen conſcientiam, quod probat ex 15. *Matth.* 18. *&* 23. *Ioan.* 20. *ad Hebr.* 13. & ſanè poteſtas iſta iuriſdictionis omninò eſſet abſque poteſtate imperandi, & obligandi, alioquin erit auctoritas dumtaxat conſultiua, nullaque eſt politia in qua eiuſmodi poteſtas aliqua non reperiatur, éſtque omninò neceſſaria in Eccleſia, cùm neque Chriſtus, neque ipſi etiam Apoſtoli omnia ad regimen & adminiſtrationem Eccleſiæ præceperint, præterquam quod ea ipſa imperandi, & condendi leges quam acceperunt,poteſtas quaque vſi ſunt Apoſtoli,ad eorum ſucceſſores deriuata eſt,Chriſtus verò pauciſſima imperauit.Alter huius poteſtatis effectus,eſt infallibilis determinatio de rebus fidei & morum, quod probat ex *Ioan.*20. *Luca* 10.*&* 1.*ad Tim.*3.Eaque auctoritas neceſſaria eſt, ne circumferamur omni vento doctrinæ, in hoc verò actu duo diſtinguit, vnum eſt iudicium infallibile de veritate aliqua, quale erat in Prophetis, quibus adeò quidpiam reuelabatur, alterum eſt auctoritas proponendi quidpiam fidelibus,& obligandi illos ad id credendum,atque ratione huius auctoritatis,hæc determinatio Eccleſiæ dicitur ad poteſtatem iuriſdictionis pertinere. Et eſt tertius actus huius poteſtatis quem Duvallius quintum numerat, diſpenſatio in Iure Eccleſiaſtico, cùm eiuſdem poteſtatis Ius ſit aliquod ius condere, illúdque vel totum vel partem eius abrogare: *A poteſtate autem Eccleſia*, inquit, *quæ in Prælatis & præſertim in ſupremo omnium nempe Romano Pontifice reſidet Ius poſitiuum ſiue Eccleſiaſticum proficiſcitur.* Additque etiam in quibuſdam quæ Iuris diuini ſunt, poſſe per hanc Eccleſiaſticam poteſtatem diſpenſari, & quomodo id fieri poſſit,explicat,quod & nos *lib. ſeq.* fuſiùs exprimens, & *lib.* 3. diximus.

Conſtituta aliqua poteſtate Eccleſiaſtica, quærit qualis illa ſit *q.*2. probatque pluribus illam eſſe Monarchicam, atque omiſſis Doctorum Catholicorum teſtimoniis,illa dumtaxat Pariſienſium adducit Alliacenſis Gerſonis,Almaini, Ioannis de Celaia,quæ nos etiam nuper retulimus: *Hoc autem ita certum eſt*, inquit Duvall. *vt à quoquam citra fidem negari non poſſit*: quod confirmat ex Scripturis, Conciliorum aliquorum definitione, & vnanimi Patrum veterum omniúmque Catholicorum conſenſu.

Hæc verò Monarchia temperatur aliqua Ariſtocratia, quia non ab vno ſolum moderatore res Eccleſiæ, ſed etiam ab optimatibus,nimirum Epiſcopis, inſolidum adminiſtrentur Iure diuino,& inſtitutione Chriſti, qui vnamquamque poteſtatem ad Eccleſiæ regimen neceſſarium inſtituit: Pontificiam quæ ſuprema eſt: Epiſcopalem quæ media,& Presbyteralem, quæ *Infima*: id oſtendit in Petro,Apoſtolis & Septuaginta duobus diſcipulis. Rationem reddit,quia cum Eccleſia per totum orbem eſſet diſſeminanda, & Pontifex vbique locorum præſens eſſe non poſſet,nec omnibus & ſingulis Eccleſiæ negotiis per ſe intendere, conſentaneum fuit per regiones & Ciuitates ſub vno ſupremo moderatore Optimates conſtitui, qui ab illo vno dependerent, & ab eodem ſi quando peccarent, emendarentur. Addit deinde Epiſcopos non eſſe meros Pontificis Vicarios, ſed ſuis Eccleſiis inſolidum præfici & titulariter eas tenere & regere,quod probat ex Cypr. *tract. de ſimplicitate Clericorum*, refértque 24. *quæſt.*1. *Can. loquitur.* Deinde ex matrimonio quod inter Epiſcopum, & Eccleſiam contrahitur *cap. inter corporalia*, *de tranſlatione Prælati.* Inde tamen non corruit Monarchia Eccleſiaſtica; ſicut neque regalis politia, ex multitudine Principum & Optimatum, qui ſuas dictiones inſolidum obtinent, cum omnes Regi tanquam ſupremo Domino

mino pateant, eiuſque iuſſa exequantur, & ſi quid in ſua adminiſtratione deliquerint, maximè ſi proditionis aut rebellionis; atque vt loquitur Feloniam incurrerent, puniuntur à Rege. Cum igitur Epiſcopi maneant perpetuò ſubiecti Pontifici, illorúmque poteſtas ab eodem Pontifice tanquam à fonte; capite & radice dependeat Monarchiam Eccleſiæ minimè deſtruunt, imò conſeruant & tuentur.

Licet verò hæc omnia certa fateatur apud omnes Duuallius, pugnandum tamen ſibi ſumit contra Vigorium, qui Monarchiam Eccleſiaſticam non eſſe abſolutam ſed dependentem contendebat, quare variis diſtinctionibus inter abſolutum & reſpectiuum allatis atque diuerſis poteſtatis abſolutæ generibus, aſſerit tandem contra Vigorium poteſtatem Eccleſiaſticam Legum quarundam cancellis eſſe concluſam, vt iuris Domini & naturalis, atque etiam ſtatus Eccleſiaſtici, quem totum euertere nequit; atque adeò non eſſe ſimpliciter abſolutam, eſſe tamen aliunde abſolutam ſecundum quid & in rebus ſpiritualibus æqualem ſupremæ Monarchiæ regum pro rebus Ciuilibus; ſunt enim aliqui Reges qui habent poteſtatem monarchicam, quidem ſed validè diminutam & reſtrictam, cum nullam Legem condere, nulla tributa, & vectigalia exigere, & alia huiuſmodi præſtare queant ſine Comitiis regni aut procerum conſenſu, quales feruntur eſſe Reges Aragón. Alij verò ita abſoluti & independentes exiſtunt, vt in conſultis optimatibus & regni proceribus, atque etiam vniuerſalibus Comitiis, hæc omnia præſtare queant, etſi quandoque optimatum Conſilio vtantur, id faciunt vt omnia prudentiùs conſultiúſque faciant, nō ex quadam neceſſitate, aut poteſtatis defectu. Eiuſmodi Reges Gall. exiſtunt, quamvis enim ex Inclita conſuetudine eorum edicta ſoleant à ſupremis Curiis approbari, & vt loquuntur verificati, ab illa tamen approbatione ſeu verificatione ſuam vim nullo modo mutuantur, cum ea dumtaxat requiratur, vt omnibus conſtet de Regis voluntate, eaque ſit ſolemnis promulgatio Regiæ mentis ac voluntatis: affirmat autem Duuallius Eccleſiæ Monarchiam in ſpiritualibus & Eccleſiaſticis eiuſdem rationis cum Monarchia Regum poſterioris generis v.g. Galliæ noſtræ, ſicut enim illi licet nihil contra ius naturæ, & generalem aut potius fundamētalem imperij ſui ſtatum moliri aut præſtare, quem nihilominus quod res ciuiles, & regni adminiſtrationem à nullo alio quam à Deo dependent, nullique alteri geſtorum ſuorum rationem reddere tenentur. *Ita ſupremus Eccleſiæ Monarcha, etſi legibus diuinis & naturalibus ſit ſubiectus, ſtatumque Eccleſiæ generalem conuellere aut delere non valeat, in illius tamen poteſtate eſt ius Eccleſiaſticum aut in parte aut in toto abrogare & de eo cum fidelibus, vt vitium fuerit diſpenſare, peccabit forſan iſtud præſtando, vt etiam Rex qui legibus ciuilibus à ſe ipſo conſtitutis non obtemperat, ſed interim factum, eius vim & robur obtinere, non deſinet.* Secundo quemadmodum Reges ſecundi generis Inconſultis proceribus & non conuocatis generalibus Comitiis leges edicunt, quibus ſubditos in conſcientia obligant: ſic Eccleſiaſticus Princeps leges Eccleſiaſticas abſque Conciliis Prouincialibus, & generalibus ſancire, & fideles ad earum obſeruationem pœnis etiam adhibitis adigere iuſtè poteſt. Tertio ſicut in Regno Galliæ quilibet optimates ſuam à Rege, & non ab alio poteſtatem accipiunt, hoc enim ad eſſentialem Monarchiæ rationem requiritur: ſic in Eccleſia Epiſcoporum & Patriarcharum Poteſtas à ſupremo Monarcha Chriſti Vicario dependet, quod variis argumentis confirmat 4. Reges Poſterioris generis hoc eſt abſoluti vrgentibus Regni negotiis generalia nonnunquam iudicant Comitia, quibus ipſi per ſe, vel per deputatos præſunt, tempore verò horum Comitiorum generalium non minus ſunt Regni Monarchæ, quam antea: Immò tunc Clariùs, & ſplendidiùs maieſtas eorum relucet: ſunt enim velut Sol in medio planetarum cum ſcilicet in Regni ſolio vultu ſuo, vt inquit, Salomon, diſſipantes omne malum. Sic ſummus Eccleſiæ Monarcha, graſſante hæreſi aut ſchiſmate, aut Eccleſia quomodocumque afflicta, aut periclitante cogit generalia Concilia, eiuſque ſolius eſt ea cogere niſi in caſibus, quos infrà recenſebimus, iiſque per ſe vel Legatos præeſt: quo tempore nemo Monarchiam eius deperditam, aut imminutam affirmabit: aliàs ſtatum eius funditus euerterent Generalia Concilia, atque etiam quod eſt contra naturam Eccleſiæ, quæ vſque ad conſummationem ſæculi in eodem ſtatu vi promiſſionis Chriſti conſiſtet, ac perſeuerabit, formam Eccleſiaſtici Regiminis immutaret, nam tunc non eſſet amplius Monarchica, ſed Ariſtocratica, quod hæreticum eſt & *ſchiſmaticum.*

Quintò Regibus poſterioris generis non conuenit Dominium deſpoticum vt falsò aſſentatoris, inſtar contendit vigoris: etſi enim Regis Galliæ Regium dominium omninò ſit independens & abſolutum, nulloque modo precarium, neque aliter quam per Dei gratiam mediante paterna ſucceſſione quæſitum: non enim gallia Regis ſui ſerua eſt; ſed tantum ei ſubdita: ſic etiam licet principatus Eccleſiæ non ſit deſpoticus, nec cum Chriſtianis tanquam cum ſeruis & mancipiis ſe gerit ſupremus illius Monarcha, nihilominus Eccleſiaſticus principatus dici non deſinet vel abſolutus eo ſenſu, quem exponimus, vel æque perfectè Monarchicus ac Regis Galliæ *principatus.* Hæc omnia confirmat tandem Duuallius cenſura Pariſienſis Academia in Spalatenſem quam Integram vti alias monuimus.

Quæſtione III. Inquirit cuinam ea ſuprema Eccleſiæ poteſtas conueniat, & oſtendit non fuiſſe datam Eccleſiæ communitati, ſed vni ac ſoli ſummo Pōntifici non aggregationi ex ipſo & optimatibus ſupremas Eccleſiæ claues datas eſſe à Chriſto quod demonſtrat, quia Chriſtus non collectiuè, ſed ſeorſim Apoſtolis & quidem perſonæ Diui Petri tanquam omnium ſupremæ contulit quod probat, primò ex *Matth.* 16. vbi eas Claues Petro promittit, quem locum fuſiſſimè explanat & omnia Vigorij contraria argumenta diluit. 2. idem demonſtrat *Ioan.* 20. vbi Chriſtus Petrum conſtituit paſtorem, ſuarum ouium; quem locum eruditio verſat Duuall. *q.*4. & Patrum teſtimoniis quod à nobis pridem actum eſt, illuſtrati, indeque *quæſt.*5. Colligit Petrum iure diuino, Primatum inter Apoſtolos habuiſſe non ab Apoſtolis electum poſt Chriſti Aſcenſionem fuiſſe, vti ineptè contendebat Vigorius, & ſanè ſuperuacanea fuiſſet ea elatio, quid enim à Chriſto iam inſtituto deerat ad poteſtatem quod ab Apoſtolis conferendum aut ſupplendum eſſet, neque id voluit Almain. licet, dixerit *tract. de Eccleſiaſtica poteſtate cap.*8. Chriſtum eligendo Petrum præueniſſe Eccleſiam faciendo, quod ipſa poſt eius Aſcenſionem infallibiliter factura erat, atque adeo Petrum quidem à Chriſto fuiſſe electum, ſed per Accidens & nomine Apoſtolorum, quos de induſtria præuenire voluit, vt ſoli prædicationi Euangelij vacarent neque ſuperiorum electionibus deſtituerentur, quam Almaini opinationem merum ſomnium iure nominat Duall. nullo ſcripturarum aut Patrum teſtimonio probatum, prætetquamquod quærendum reſtat, quiſnam Almaino reuelarit Eccleſiam, infallibilites Petrum electurum in Caput, & Pontificem, cur non Andream eius maiorem fratrem: Cur non Ioannem

nem quem diligebat Ieſus, cur non Iacobum Minorem Chriſti conſanguineum; maximè cum Petrus cæteris rudior & tanto muneri impar appareret, vti obſeruat Chryſoſtomus.

Conſtituto D. Petri Primatu pergit Duvallius, contra Vigorium & Richerium oſtendere ſupremum in Eccleſia Monarcham eſſentialem eſſe Eccleſiæ, atque adeò aliquem ſucceſſiſſe Petro, in ratione Capitis & Paſtoris vniuerſalis, illúmque alium non eſſe, quàm Romanum Pontificem, quod totum exequitur *q.6.* omni genere argumentorum, quorum pleraque nos primis huiuſce noſtris quæſtionis paragraphis adduximus. Illi verò Summo Pontifici, atque Petri ſucceſſori Primatum orbis diuino Iure conuenire *q.7.* conſequenter demonſtrat, & tandem *q.8.* Pontificem Romanum eſſe Caput Eccleſiæ, miniſteriale minus præcipuum, & inſtrumentarium explicat, ſi cum Chriſto primario Capite comparetur, non verò ſi cum Eccleſia componatur, cum ab illa ſuam poteſtatem non accipiat, quare Chriſti non Eccleſiæ Vicarius dicitur, & licèt quandoque Eccleſiæ miniſter vocetur; id fit quia Eccleſiam regit & adminiſtrat; eſt tamen Caput eſſentiale Eccleſiæ, quod ſoli Chriſto tribuendum eſſe contendit Richerius, & Pontificem eſſe dumtaxat Caput accidentale, quæ certè opinio, inquit Duvall. *Hæretica, Schiſmatica & temeraria eſt*, & probat, quia de fide eſt Eccleſiam eſſe viſibilem, & eius ſtatum eſſe Monarchicum, illi igitur eſſentiale eſt Caput viſibile & Monarcha, plures alias rationes addenſat, quas vide.

Quia verò Pontifex ratione ſuæ Monarchiæ ſupremæ, non modò leges Eccleſiæ ſancire poteſt, ſed res credendas proponere, quod facere non poteſt, ſi ipſe in fide erret, de Pontificis infallibilitate in rebus fidei proponendis, & diiudicandis accuratè diſputat Duvallius 2. *parte ſui operis contra* Vigorium & Richerium, à qua quæſtione nos omninò abſtinemus; Doctores, qui rem iſtam diligenter diſputant, in vtramque partem conſule.

106 Diximus initio Principis Monarchæ eſſe leges ſancire, illiſque ſuam rem publicam temperare, quandoquidem ipſis tota politia & regni diſciplina maximè temperatur, idcirco de diſciplina Eccleſiaſtica diſſerit Duvallius, tertiâ ſui operis parte, quæréque an Summus Pontifex, quem antea ſupremum Monarcham eſſe ſtabiliuit, poſſit leges & Canones ſtatuere abſque Concilio ſaltem Ariſtocratico, hoc eſt abſque Synodo vel generali vel particulari; id enim contendit Vigorius, Vualdenſ. Marſilium Paduanum, Lutherum, Caluinum, Petrum Martyrem, & alia ſimilia portenta ſequutus.

Affirmat igitur noſter hic Doctor Pontificem id poſſe, probatque, quia conſtat Pontificem plurima de fide ſtatuiſſe, hæreſes damnaſſe & Canones ſanciuiſſe abſque Conciliis Generalibus, quod ſe in ſuo Elencho demonſtraſſe dicit, & nos id ipſum per trecentos annos ante coacta Concil. Generalia feciſſe monuimus, alias hac quæſtione, illuſtribus exemplis, abſque particularibus Synodis idem præſtari poſſe potiori iure liquet, & quamvis aliquando aliud vſurparint, & vel Epiſcopos Romanæ Prouinciæ, vel Cardinales ad ſimilia de fide Iudicia, damnationem Hæreſium & legum ſanctionem coëgerint, vt Cornelius in nouati errore, & Stephanus contra Dantiſtas, inde non ſequitur teneri ad eum modum ſeruandum: *Quia immò*, inquit Duvallius, *abſque vlla Synodo, vel conſultatione Cardinalium viros Doctos in Concilium adhibendo poteſt Pontifex pro ſuæ poteſtatis Monarchica plenitudine & errorem damnare, & leges ferre, quæ in conſcientia fideles obligent, ſimúlque ardua qualibet Eccleſiæ negotio tractare, eodem prorſus modo, quo Reges qui propter ſuam Monarchicam poteſtatem abſque Senatu, vel Comitiis, vel officiariis, verè & propriè edicunt.* Inde colligit Duvallius *concluſio* 2. leges Summorum Pontificum abſque Synodis latas & promulgatas obligare, & adſtringere fideles in conſcientia. Hæc porrò ſufficiunt, vt celeberrimi Doctoris & Profeſſoris Pariſienſis ſenſum de ſtatu Monarchico Eccleſiæ, eiúſque Monarcha Romano Pontifice perſpectum habeamus; ſcripſit ille in luce Academiæ Pariſienſis, contra duos celeberrimos Antimonarchas, quorum vterque Pariſiis Romanum Pontificem è ſolio deturbare, & cæteris Epiſcopis æquare ſuis libellis, conabatur, neque exiſtimandum eſt Duvallium, contra mentem Academiæ, quidpiam ſuis ſcriptis communi omnium plauſu exceptis. edidiſſe.

17. Ioannes D. Artis ſacrorum Canonum in Academia Pariſienſi Regius Profeſſor, cuius laudes nuper proſequuti ſumus, Pontificis Romani Primatum, & eius in definiendis fidei rebus, ac condendis legibus Eccleſiaſticis, auctoritatem manifeſtò demonſtrat. Ille igitur *tractatu de beneficiis, cap. 3. Papatus ergo eſt ſumma dignitas, quæ alias omnes in ſe complectitur, & omnes antecedit: nam Romanus Pontifex omnibus Eccleſiaſticis præeſt inſtar Regis ex ea poteſtate, quam Dominus Petro, cuius Papa eſt ſucceſſor, dedit*; probat pluribus atque ex Eucherio Lugdunenſi, *ſermo in Vagili Petri. Dicit Dominus Petro, paſce oues meas, priùs agnos deinde oues commiſit ei, quia non ſolum Paſtorem, ſed Paſtorem populorum conſtituit, paſcit igitur Petrus agnos, paſcit & filios, paſcit & matres, regit & ſubditos & Prælatos, omnium igitur Paſtor eſt, quia præter agnos & oues in Eccleſia nihil eſt.* Inter Patres verò quos recenſet D. Artis, Hilarius eſt Pictauienſis & Gallicanus Epiſcopus *in cap. 16. Matth.* addit & plures rationes in eandem rem, & poſt multa ſic colligit: *Primatus ergo Eccleſiæ Petro competit, Primatúſque inter Apoſtolos*, & poſt aliqua: *Quia verò D. Petrus Primatum tenuit in Eccleſia conſequenter, & Summus Pontifex eiúſque Cathedra eſt omnium prima*, probat ex Conciliis Nicæno, Epheſino & aliis, ſubinde recenſet effectus plenæ poteſtatis, quam Chriſtus Petro dedit, plenitudinem enim poteſtatis Petro, datam ait S. Thom. *Opuſc. contra errores Græcorum, c. 32.* Primus autem effectus eſt, vt omnium Eccleſiarum cura ad ipſius curam pertineat: *Secundus, vt à ſententia Papæ nulli fas ſit pronocare, niſi ad ipſummet Papam.* Tertius eſt canonizatio Sanctorum, qui ſolius Romani Pontificis auctoritate facienda eſt, *Opuſc. de ſtatu Eccleſiæ, c. 15. Diximus D. Petrum ſpecialiter aſſumptum fuiſſe à Chriſto in conſortiũ indiuiduæ vnitatis, eique nouæ iuriſdictionis poteſtatẽ datã fuiſſe à Chriſto, his verbis, paſce oues meas, in ipſos Apoſtolos, nec tamen Chriſt. Cùm dedit hanc poteſtatem Petro abrogaſſe, poteſtatem aliorum Apoſtolorum, ſed tantum in eo derogaſſe, vt mutato aliquatenus ſtatu Eccleſiæ, Apoſtoli qui regebant Eccleſiam indiſtinctè indiuiduè, & in communi ſub Chriſto tãtum fuiſſe Capite, quaſi eius miniſtri. Eam poſtea regerent, adhuc quidem indiſtinctè, & in communi propter neceſſitatem Eccleſiæ, ſed ſub Chriſto, & ſub Petro ſimul eius Vicario & Eccleſiæ Rectore, ita vt Chriſtus videatur hanc vltimam formã dediſſe Eccleſiæ, dando ei Epiſcopum & Hierarcham, quæ antea nullum habebat præpoſitum præter Chriſtum, & ita Chriſtus reduxerit Eccleſiam ad vnum Caput viſibile, & fecerit illam alio modo vnam; quod ad eius perfectionem videbatur neceſſarium, vt eſſet inter Apoſtolos qui Chriſtum repræſentaret. Verùm iſtam poteſtatem conceſſit Petro Chriſtus, eúmque ita Paſtorem fecit Eccleſiæ, vt voluerit Præfecturam eius eſſe*

communicabilem duobus modis; ſuis quidem ſucceſſoribus in totum, aliis verò inferioribus in aliquo gradu; & ita alios Apoſtolos fieri etiam Paſtores, alicuius Eccleſiæ, ſed interim exercere poteſtatem ſibi à Chriſto iam datam indiſtinctè & communiter, vt ante; ſub ipſo tamen Petro, qui eam exercebat ſub ſolo Chriſto, neceſſitate ædificanda id requirente, vt omnes promiſcuè in ea laborarent & ædificarent ſupra Petram ſecundam, ſicut ædificauerant ſupra primam Petram, nempè Chriſtum, vnde factum eſt vt Petrus fuerit primus Epiſcopus Eccleſiæ perfectè, atque diſtinctè, primuſque Hierarcha à Chriſto Domino conſtitutus. Denique primus qui Eccleſiam habuit in Titulum. Alij verò Apoſtoli imitatione formæ à Petro, & Chriſto conſtitutæ, titulum acceperint in Eccleſia Chriſti, & velut lumen de lumine, Eccleſiam de Eccleſia Petri fecerint, ſine vlla tamen imperfectione, id eſt, non tanquam eius Vicarij, ſed tanquam veri Epiſcopi poſt acquiſitionem illius ab eis factam. Hæc omnia tradit D. Artis quibus & Petri Monarchiam, ac Principatum, & aliorum Apoſtolorum & Romani Pontificis Petri ſucceſſoris præcipuam poteſtatem, & Epiſcoporum cæterorum iura explicat, qua ſingulis conſequentibus Capitulis oſtendit, reliquo tractatu de Hierarchia *cap.6.* aſſerit Summum Pontificem Hierarchia contineri, quia eſt principalior Hierarchia pars, & omnium Epiſcoporum Archiepiſcopus, aliiſque ex cauſis.

106 18. His Pariſienſibus Doctoribus placet addere illuſtriſſimum, ſapientiſſimum & omni eruditionis genere percelebrem, Pariſienſem quoque Archiepiſcopum Petrum de Marca, qui in ſuo opere de concordia Sacerdotij & Imperij Romani, Pontificis auctoritatem paſſim profitetur & confirmat, atque ne ſigula eius loca referam magno faſtidio lectoris; placet eius vti appellat definitiones exſcribere, & reſponſionem, quàm edidit ad notas Lucæ Hoſt. aperire; ſic igitur ſcribit in concordia, & in libello de huius operis eruditione, Barcinone confecto 19. Martij ann. 1646.

1. *Supremam in rebus Eccleſiaſticis auctoritatem per Galliam exercuiſſe Romanum Pontificem, Iudiciis ad relationes & appellationes redditis ab eo tempore quo fides Chriſtiana in Galliis*, floruit ad hanc vſque ætatem *lib.1. de Conc.c.10. 2. Papam Iure diuino eſſe Vniuerſalis Eccleſiæ Caput, atque adeo Gallicanæ, quæ eſt illius membrum lib.1. Conc. c.2.* 3. Generalia decreta à Romanis Pontificibus, in Gallias, æquè ac in reliquas Prouincias Miſſa, quæ magno applauſu ab Imperatoribus Romanis, deinde à Francorum Regibus poſt conſtitutum Regnum vſque ad hanc ætatem ſuſcepta ſunt *lib.1. cap.7. & cap.9.*

4. Nullum eſſe crimen cuius cauſa Papa deponi poſſit: excepta hæreſeon publicè profeſſæ cauſa. Quod verum eſſe teſtimoniis veterum docetur, & prætereà hanc eſſe antiquam Eccleſiæ Gallicanæ definitionem demonſtratur *lib.1. cap.11.*

5. Papam abſoluere poſſe & diſpenſare valdè & licitè à Canonibus Conciliorum Generalium etiam ſine cauſa, dummodo hæc diſpenſatio, non tendat ad labefactandum Eccleſiæ ſtatum, vbi noua planè ratione de toto hoc negotio differtur iuxta iuris antiqui regulas, atque præſentem vſum *lib.3. cap.14. & 15.*

6. Libertates Eccleſiæ Gallicanæ conſiſtere in vſu & praxi Canonum, atque decretalium, tam veterum, quam recentiorum, eáſque non pendere à ſola praxi, antiquorum Canonum, vbi oſtenditur neceſſitate cogente Pontifices variis temporibus pro bono publico Eccleſiæ ad nouas leges condendas progreſſos eſſe *lib.3. cap.2. & cap.6.*

7. Papam præter eum Primatum, quo vniuerſæ Eccleſiæ præeſt, ſolum eſſe & immediatum Occidentis Patriarcham *lib.1. c.3.4.5.6. & 7.* Regibus verò non competere Ius aliquod Epiſcopatum vel Metropol. inſtituere, multo minus Patriarch. *lib.2. cap.8. & 9.*

8. Appellationum ab vſu ob Canones violatos cognitionem ſaltem reſtringendam eſſe & terminandam eo fine, vt ob ſcandalum emergens executionem interim impediat eius iudicati, quod à Iudice Eccleſiaſtico latum erit, aduerſus Conſtitutiones Eccleſiaſticas, attamen Curiis ſupremis nos licere de negotio principali, quod Eccleſiaſticum pronuntiare, vſumque contrarium alienum eſſe à mente & à praxi, veterum Principum & Regum Chriſtianiſſimorum *lib.4. cap.10.*

9. Regibus commiſſam eſſe à Deo rationem Eccleſiæ, vt edictis ſuis Decretorum & Canonum promulgatorum executionem vrgeant, non autem vt abitratu ſuo leges condant, in iis quæ fidem, aut Eccleſiaſticam diſciplinam reſpiciunt *lib.2. c.6.7.10.11. & 12.*

10. Concilij Tridentini Regulas fidei omnes, & diſciplinas præcipuas, Conſtitutionibus regiis admiſſas, cætera verò & Concilium ipſum publicari poſſe, quandocunque Regibus Chriſtianiſſimus conſtabit nullam eſſe ſuſpicionem motuum ex ea promulgatione in Regno excitandorum, quod aſſertum eſt aduerſus Magiſtratuum Regiorum opinionem, qui ad libertatem Regni pertinere putant, vt Concilium Tridentinum nullo caſu, vel tempore publicetur, *l.2. c.17.*

Non potuit illuſtriùs ſuum & Galliæ ſenſum, circa auctoritatem Pontificiam explicare & circa, illam Controuerſiæ definire Sapientiſſimus Archipræſul, quàm iſtis pronunciatis, neque vllum ſupereſſe poſſe dubium de auctoritate Summi Pontificis, in definiendis fidei controuerſiis, & diſciplina Eccleſiaſtica conſtituenda apparet.

Vnica videtur Antimonarchis reſtare obiectio eáque, vt placet grauis circa mentẽ Eccleſiæ Gallicanæ, & Pariſienſis Academiæ; cum enim negent paſſim Papæ infallibilitatem in Iudicio cauſarum & controuerſiarum fidei, & cum tam in illis quæſtionibus, quam in iis, quæ pertinent ad diſciplinam Eccleſiaſticam, Pontificem ſubiiciant Concilio Generali: non videtur Pontifex poſſe definire vltimò fidei Controuerſias, neque abſque Concilij Generalis aſſenſu ſancire leges Eccleſiæ; neque proinde condere Ius Eccleſiaſticum, quod vnum quærimus hoc loco, quandoquidem Ius illud diximus *c.2.* duo præcipuè continere, dogmata nimirum & Canones. 107

Reſp. Quæſtiones de infallibilitate Pontificis in Iudiciis fidei, & de auctoritate Concilij Generalis, eſſe longè diuerſas quæſtione de eiuſdem Pontificis auctoritate in Eccleſiam, cuius Caput & Paſtor, ac Princeps eſt, vti hactenus, itẽ omni teſtimoniorũ, & rationum genere euicimus, atque ex ipſo ſenſu Gallicanæ, & Pariſienſis Academiæ demonſtrauimus, duas alias quæſtiones de Pontificis infallibilitate, & ad Concilium Generale ſubiectione, modo non expendo, cum non ſint ita connexa, cum priore de Primatu Pontificis, vt inuicem diuelli non poſſint, & ſeorſim diſputari: nam quia celeberrimi Doctores, qui vel primi quæſtionem de auctoritate Concilij ſupra Papam excitarunt, vel fuſiùs & vehementiùs illam pertractarũt, & Aliacenſis, Gerſon, Æmainus Ioannes Maior, & alij qui Concilio Generali Pontificem ſubiecerunt; eiuſdem tamen Pontificis poteſtatem in totam Eccleſiam eámque Monarchicam agnouerunt, Aliacenſis Gerſonis, & Almanij verba quæ nuper retulimus, idque ipſum fuſiùs obſeruauit Author vitæ Gerſonis, nuper Pariſiis editioni ipſius operibus præfixæ, atque ne circa duas iſtas quæſtiones aliquis mihi faceſſat negotium, cenſeo cum eruditiſſimo Duvallio *in opere de ſuprema Pontific. auctoritate, part.2.* quæ tota eſt de

Romani

Romani Pontificis infallibilitate & circa authoritatem Pontificis in Concilium œcumenicum, aut de contrario Concilij in Pontificem, *part.* 3. *q.* 9. *&* 10. & *totâ parte* 4. *maximè quæſt.* 7. 8. 9. 10. 11. *&* 12. Quibus locis inuidioſas iſtas quæſtiones in vtramque partem diſputat & neutram opinionem, erroris aut temeritatis multo minus Hæreſim damnat.

CAPVT IV.

An Concilia poſſint conſtituere ius Eccleſiaſticum.

QVÆSTIO I. *Quid & quotuplex ſit Concilium.*

QVÆSTIO II. *De Conciliorum Generalium neceſſitate.*

QVÆSTIO III. *Quis Concilia Generalia indicere poſſit.*

QVÆSTIO IV. *Quis Conciliis Generalibus & Eccleſiaſticis præſidere poſſit.*

QVÆSTIO V. *Quinam Conciliis Generalibus intereſſe debeant.*

QVÆSTIO VI. *De authoritate Concilij Generalis in definiendis dogmatibus & conſtituenda Diſciplina Eccleſiaſtica.*

NEmini dubium eſt ius Vniuerſale Eccleſiaſticum quod ſiue dogmata ſiue Canones & Leges Eccleſiaſticę diſciplinæ allendas Vniuerſam Eccleſiam obligat, non poſſe niſi à ſuprema aliqua in Vniuerſam Eccleſiam poteſtate conſtitui, illa porrò ſuprema poteſtas non niſi in Pontifice vel in Concilio Generali reſidere, atque vt ait Gerſon, & qui illum ſequuti ſunt, Almarius & cæteri deinde Pariſienſes in Pontifice reſidet formaliter & tanquam in ſubiecto, in Concilio relatiuè finaliter & ſuppletiuè de Pontificis authoritate & Monarchia ſpirituali, atque etiam Eccleſiæ ſtatu Monarchico diſputauimus hactenus, quantum inſtituti ratio poſtulat, videlicet ad ſanciendas Leges & definienda dogmata, reſtat vt eadem ratione de Conciliis agamus & eorum in conſtituendis Legibus Eccleſiaſticis, ac fidei controuerſiis de iudicandis auctoritatem ſpectemus, neque eum animus eſt omnes de Conciliis excitatas quæſtiones percurrere, maximè quæ vel ab Hæreticis vel ab aliis, ad minuendam Pontificis Romani auctoritatem excitatæ ſunt, dirimere illas enim vel in tertium operis tomum reiiciemus, vel eruditis Theologis recentioribus, maximè Pariſienſibus ventitandas relinquemus.

QVÆSTIO I.

Quid & quotuplex ſit Concilium.

Concilij nomen vnde, n. 1. 2. 3. *&* 4.
Concilium quid, n. 5. *&* 6.
Concilij diuiſio, n. 7.

1 COncilium ſiue Conſilium nomen Fullonum eſt apud verronem, *lib.* 5. *de Lingua Latina. Apud Fullonem*, inquit, *veſtimentum dum cogitur Conciliari dicitur.* Et Metaphoricè ad animum transferri putat, ſicque dicetur mens reminiſci cum ea quæ tenuit mens ac memoria cogitantur, & cogitando reperuntur, cum enim fulloniæ ſint duæ partes, prima veſtes pedum inſultu eluere & cogere, altera candeſcit, prius illud dicitur Conciliari alterum expolire, eoque alluſit Plautus in pœnulo.

Placet Concilium M. Imo etiam vbi expoliuero magis hoc tum demum dices, nunc etiam rude eſt.

Itaque Concilium ſcribendum erit, à Con. & Salco, indeque ſaltus Fullonius apud Senec. *Epiſtola.* 15. *curſor & cum aliquo pondere manus mota : & ſaltus vel ille qui in altum corpus leuat : vel ille qui in longum mittit : vel ille, vt ita dicam Saliaris, vel vt Contumelioſus dicam Sillonius & Conſiliari à Conſultu, quod veſtes pedum conſultu cogerent*, inde Titm. de Fullonibus. 2

Tertia hæc Noua eſt.

Quaſi vbi tu ſolitus pedibus argutarier dum compeſcis cretam & veſtimenta eluis.

IOſeph Scaliger, *in coniectan. in varronem legit Concilium & Conciliari*, à Ciliciis, ex quibus fiunt κιλίκια quæ nos dicimus ſeura ſiue ſentra, nempè, τὰ ἐκ τριχῶν συντιθέμενα. Itaque Conciliare eſt, τὸ συμπιλεῖν cogere πιλεῖν, ποιεῖν, συμπατεῖν.

Alij Concilium deducunt *ab eſſe conſitum*, atque in quibuſdam veteribus Exemplaribus Legi Concilium teſtatur Pierius *in* 9. *Æneid.* Verius eſt dici à Conſulendo V. in I. conuerſo, inquit Voſſius, *Conſulo* verò à *Salio*. A in M. V. abeunte, vt *à quatio percutio*, à conculcare Conculco. *à Conſulere Conſultum* Senatus conſultum Iuris Conſultis, & in conſultus, ſiue conſilio ex Serino Virgili, *in tertium Æneidorum.* 3

Inconſulti abeunt ſedemque odere Sybille.

Conſultor qui conſilium dat, conſulere igitur cum plures Concilia & ſententias ſuas coniungunt.

Alij conſilium deducunt à conſidendo & à conceſſu in D. Conuerſo, atque ita conſilium ſit, quaſi conſidium, alij volunt à Sileo quia in deliberando Silentio ſit opus, Feſtus ſiue Paulus. *Conſilium vel à conſulendo dicitur, vel quod in vnam ſententiam plurium mentes conſiliant (aliàs conſidant) & conueniunt : ſed à Silentio credibilius dictum putatur quo maximè inuenitur.*

Concilium à conſilio diſtingunt hodie Grammatici, quod primum ſit coëtus, eorum qui coguntur aut vocantur ſuas ſententias dicturi, aut de re quapiam deliberaturi, conſilium ſit ſententia conſultantium, aut deliberantium, hoc tamen diſcrimen inter conſilium & Concilium in veterum libris non inueniri, ſed promiſcuè conſilium & Concilium ſcribi, obſeruat Voſſius ex Pierio, *ad primum* Georg. *&* 2. *Æneid.* Ne tamen à communi vſu recedamus Concilium accepimus hoc loco pro ceſſu aut conceſſu eorum, qui de re quapiam deliberaturi conueniunt, ad idque vocentur.

Hanc porrò Concilij vocem ductam à Ciliis 4
oculorum volunt, quia in Concilio omnes id vnum ſpectant cuius cauſa deliberant, ita vidiculè Gratian. *diſt.* 15. *Concilium*, inquit, *dictum eſt à communi intentione*, eò quod in vnam dirigant, *Omnium mentis obtutum, Cilia enim oculorum ſunt. Vnde qui ſibimet diſſentiunt.* Non agunt Concilium, quia non conſentiunt in vnum. Rectè igitur Feſtus Concilium *à Concalendo*, hoc eſt *conuocando*. Calare enim eſt καλεῖν vocare, inde Kalendæ rationem reddit Varran. *lib.* 5. *de Lingua*

Latina. Ex lectione reſtituta & emendata à Scaligero, *in coniectan. primi dies menſium nominati Kalenda, ab eo quod iis Kalentur eius menſis nona, à Pontificibus quintena, aut ſeptimana ſint: futura in capitalio in curia Calabra ſic dies te quinque Calo iuno nouella. Septem te dies Calo Iuna nouella.* Totum ritum explicat diſtinctiùs Macrob. *lib.* 1. *cap.* 16. Ex quibus reiicias figmenta Balſamon. *in can.* 62. *Concilij* 6. Suſpicatur Scaliger in verbis Varronis Legi poſſe Iana non Iuno Nouella, eo quod ex eodem in libris de re ruſtica Iana dicatur Luna, Legi quoque poſſet, *Couella pro Nouella*, eò quod Couum, veteres dicerent cœlum, ergo Iuno Couella ἡ οὐρανία, ſed redeamus in viam Calare ſignificat vocare, inde Calator, Calendæ, Calata, comitia, incalare, intercalare, incalationes, inuocationes, inde denique à Concalando ſiue conuocando Concilium, quod conſulendi, & deliberandi causâ, conuocetur cœtus hominum, qui cum in vnum coëant & ſententiis conſpirent, dicuntur vocari in Concilium, inde Conciliare, Conciliator, Conciliatrix, & inconciliare, apud veteres variâ ſignificatione, ſed in his Grammaticis Hærendum modò non eſt.

5 Maneat quod maximè in rem noſtram facit Concilium eſſe comitia, conuentus Vniuerſæ cuiuſque gentis, Vniuerſi populi deliberantis ac decernentis de publico negotio apud. Tulli. *lib.* 2. *de finibus* §. 77. & *l.* 2. *de Legibus* §. 31. vbi *quid magnis quàm poſſe augures ſummis Imperiis, & ſummis poteſtatibus comitia tollere 1. Concilia vel inſtituta dimittere, vel habita reſcindere.* Eodem ſenſu eadem vox ſæpiùs vſurpatur à Cæſare. *lib.* 1. *de bello Gall. cap.* 7. *Legati totius ferè Galliæ petierunt à cæſare vti ſibi Concilium totius Galliæ in certam diem ipſius voluntate facere liceret eâ re permiſsâ diem Concily conſtituerant, & ne quis enuntiaret inter ſe Sanxerunt*, & *lib.* 7. *cap.* 6. *Veremgetor. dixit vnum Concilium ſe totius Galliæ effertur, cuius conſenſui ne orbis quidem terrarum poſſet obſiſtere.* Et alibi ſæpius atque apud Lunum ſimilia Leges, ex quibus reiicias quodam lælius fœlix apud Gellum. *Qui non Vniuerſum populum, ſed partem aliquam adeſſe iubet, non comitia ſed Concilium debet.* Iam enim docuimus apud bonos authores Concilium eſſe etiam Vniuerſi populi, & de minori quoque certorum virorum conuentu: & Collegio res-publicas & priuatas apud principem: forenſes & Iudiciarias apud curiam: politicas apud Vrbanum Magiſtratum diſceptante vſurpari, eſt igitur Concilium cœtus & conuentus legitimus de aliquo negotio diſceptantium, ſiue negotium illud ſit commune, ſiue priuatum, ſiue Sacrum, ſiue profanum & politicum, ſicut curia dicebatur tum locus in quo Senatus conſidet, quia vt ait Varro *l.* 2. *de vita populi Romani apud nonium propter curam, locus quoque, quo ſuam quiſque Senator confert, curiam appellat*, tum Sacræ ædes, in quibus Sacra ſua peragebant ſingulæ tribus, & ſicut Senatus in curia ſua, res humanas, ita in Sacris, *hiſce curiis Sacra curabantur*: Quare Varro. *lib.* 6. *de L. L. curiæ duo generum. Nam & vbi curarent Sacerdotes Rex diuinas vt curiæ veteres: & vbi Senatus human. vt curia hoſtilia. Quod primus Ædificauit Hoſtilius Rex.* Et idem Varro. *lib.* 4. *curiones dicti à curiis, qui fiunt vt in his Sacra faciant.* Sic igitur Concilium vocatur conuentus Legitimus diſceptantium, ſiue de rebus Humanis ſiue de diuinis, primum illud eſt vel publicum & comitia gentis, vel priuatum pro variis rebus apud Principes, aut færum, vbi verò deliberatur de diuinis, nominatur quoque Concilium, ſed Sacrum & Eccleſiaſticum aut etiam abſolutè, nullo eum addito intelligitur ex communi vſu Sacrum & Eccleſiaſticum, atque in ea vulgari ſignificatione nomen illud hoc capite vſurpamus.

Quod definit Duuallius, *tractatu de ſuprema Pontificis in Eccleſiam poteſtate part.* 4. *q.* 1. Cœtum quendam Prælatorum alicubi in pium finem conuenientium. Quæ definitio mihi videtur Vniuerſalior, & neque naturam eiuſmodi Cætuum neque eorum cauſas ſatis aperire. Malim igitur definire conuentum Legitimum procerum Eccleſiæ ad diſceptandum de fide & communi diſciplina Eccleſiaſtica coactum, quibus verbi cauſas omnes huius conuentus deſcribimus, finalem quidem, quia ad fidem adſtruendam, vel ad diſciplinam Eccleſiaſticam conſtituendam, conſeruandamve inſtituitur efficientem, quia cum legitimum conuentum nominamus, ſignificamus non cœtum quemlibet Eccleſiaſticorum etiam Prælatorum, aut procerum Eccleſiaſticorum Concilium dici poſſe, niſi legitimè & ab habente poteſtatem conuocetur certo & debito modo, ſiuè Legibus & iure conſtituto materialem cauſam deſignant illæ voces, *de fide & diſciplina Eccleſiaſtica*, diſceptandi cauſa, quia materia, ſiue res de qua in eiuſmodi cœtibus deliberandum eſt, ſunt res ad fidem vel Diſciplinam Eccleſiaſticam pertinẽtes, cum etiam dicimus cœtum procerum Eccleſiaſticorum, ſignificamus eos, ex quibus componitur eiuſmodi cœtus, & qui ſunt velut materia ex qua conſtant, nimirum proceres & Prælati Eccleſiaſtici. Forma denique Conciliorum deſignatur, cum definimus legitimum conuentum, ad hoc enim ſeruandus ordo eſt tum conſidendi, tum deliberandi, tum ſubſcribendi ſolemnis & legè præſcriptus. Quæ omnes Conciliorum cauſæ deinceps explicabuntur. Hinc tamen videas, quemlibet cœtum, & conuentum ſiuè Conſeſſum virorum Eccleſiaſticorum non eſſe Concilium, niſi conueniant ad tractandum de fide vel Eccleſiaſtica diſciplina: licet ſit conſeſſus, etiam Eccleſiaſticus. 6

Concilium porrò multiplex dicitur Generale, ſiue œcumenicum & particulare: ad prius illud inuitantur omnes orbis Chriſtiani Epiſcopi, in eoque de fide & re omnibus communi diſceptatur, vt ait Concilium IV. Toletanum anno 33. coactum. *capite* 3. *ſi cauſa fidei eſt aut qualibet alia Eccl. communis, Generalis totius Hiſp. & Galliæ Synodus conuocetur: ſi vero nec de fide nec de communi Eccleſiæ vtilitate tractabitur, ſpecialis erit Concilium vniuſcuiuſque Prouinciæ, vbi Metropolitanus elegerit peragendum.* Hoc tamen Concilium Toletanum non fuit Generale, ſed nationale totius gentis Iuſſu Siſenandi Regis coactum, vbi enim Cinthilæ Regi, qui primus pulſis Romanis totum Hiſpaniæ Regnum obtinuerat, ſucceſſit, Siſenandus vt ſibi Imperium confirmaret totius gentis & omnium Prouinciarum, Synodum congregauit, præfuit igitur res diſceptanda in Synodo ad plures vel pauciores pertinebit, Concilium erit Vniuerſalius, & quidem ſi de non vna dumtaxat Prouincia vel gente agatur, ſed de cauſa totius orbis Chriſtiani, erit Concilium Vniuerſale Generale, œcumenicum & pleniſſimum, ſi verò de vna tantùm gente aut Prouincia, erit Concilium particulare maius, vel minus ſcilicet nationale aut Prouinciale, quare partitio Concilij in Generale & non Generale eſt adæquatè cuius verumque deinde membrum ſubdiuiditur, & Generale quidem quadruplex faciunt, vnum eſt approbatum & confirmatum, alterum neque probatum, neque confirmatum, tertium partim probatum & confirmatum, partim reiectum, quartum neque approbatum neque reiectum, neque confirmatum, quæ diuiſio vt vides materialis dumtaxat eſt, vel accidentalis. Particulare, vt dixi, eſt nationale, Prouinciale, & Diœceſanum, quænam verò fuerint Concilia Generalia 7

neralia approbata vel improbata, ſiue ex toto, ſiue ex parte noſtrum non eſt modo demonſtrare. Hæc enim omnia commodiùs vltimo tomo diſputabuntur, agemus hoc loco dumtaxat de iis quæ ad Concilia Generalia requiruntur: deinde eadem Methodo de Conciliis particularibus, & non Generalibus aliquid addimus.

QVÆSTIO II.

De Conciliorum Generalium neceſſitate.

Omnimodam neceſſitatem volunt Hæretici, num. 1.
Reÿcitur ea neceſſitas, n. 2. 3. & 4.
Vtilia tamen ſunt ea Concilia, n. 5.

1 OMnimodam Conciliorum œcumenicorum neceſſitatem adſtruunt Hæretici, *qui volunt*, vt aiebat Ambroſius: *Commoneri totum orbem Chriſtianum, propter duos Carioſos ſenes*, quos alioqui nunquam ſatis damnatos fatentur, niſi à Generali Concilio damnati ſint, atque hac vna reſponſione tutos ſe exiſtimant, & ſententias Pontificias & Synodorum atque Epiſcoporum rident, hos noſtri Iamſeniani æmulantur, qui licet à tribus Pontificibus damnati: & à Gallicanorum Patrum iterato conſeſſu omnes iſtas cenſuras tanquam bruta fulmina contemnunt, quod ſi Hæreticis concedatur haberi Synodum Generalem, in qua, eorum doctrina, & peruerſa dogmata communi conceſſu examinentur, illius Synodi coactionem omnibus artibus impediunt, eaſque conditiones & Leges præfigi volunt, quæ & temerariæ, atque inſolitæ ſunt, & à nullis antiquis Synodis vſurpatæ, quaſque rident nunquam ab Eccleſia Catholica ferendas, atque ita Synodos Generales negant, dum maximè eas ſe percipere fingunt, & in ſuis Hæreſibus obſtinati hærent, iactantque ſe Concilio Generali rationes ſuæ doctrinæ paratas eſſe, ſic in coactione Concilij Tridentini factum à Lutheranis ſcimus.

2 Dicendum eſt primò Concilia Generalia non ſunt abſolutè neceſſaria, ita Bellar. *lib. 1. de Conciliis cap. 10.* Duuall. 4. *parte de authoritate Pontific. cap. 1.* Et alij paſſim ipſaque teſtatur experientia, cum pluſquam trecentis annis abſque Conciliis eiuſmodi perſeuerarit Eccleſia, totque illo tempore damnatæ fuerint Hæreſes, ſopita Schiſmata, & feliciter gubernata Eccleſia, quod confirmatur expenſione rationum propter quas eſſe neceſſaria Concilia volunt.

Et primò quidem ad comprimendas Hæreſes neceſſaria non ſunt, quæ enim excitatæ ſunt Hæreſes, damnatæ ſunt à Pontificibus ſine Concilio Generali, de Valentinianis, Marcionitis, Apellianis, aliiſque conſtat ex Tertulliano *de præſcription.* de aliis antiquis diximus, *cap. ſuperior.* Et Annales Eccleſiaſtici loquuntur.

Obiiciunt aliqui Hæreſes à Pontificibus in Synodis Romanis damnatas & denuò à Conciliis œcumenicis cenſura confixas eſſe. Nam Macedoniani quos Liberiùs & Damaſus damnarant à Concilio Conſtantinopolitano iterum damnati ſunt, Neſtorius à Synodo Epheſina poſt Cœleſtini damnationem in Concilio Romano, Petrus Anthiochenus à Fœlice tertio primùm, deinde iterum ſententiam tulit à Synodo V. Conſtantinopolitana, Paulus, Pyrrhus, & Sergius ab Agathone damnati, deinde à VI. Synodo Conſtantinopolitana: ſecunda item Nicæna damnauit Iconomachas, quod idem præſtiterat Gregor. tertius & ita de aliis.

Reſp. hinc maximè probari, quod contendimus 3
Conciliorum Generalium auctoritatem minimè neceſſariam eſſe, & Romani Pontificis damnationem neceſſariam eſſe, nam neque omnes Hæreſes prius damnatas ſingillatim damnarunt Synodi Vniuerſales, ſed in genere dumtaxat, ac proindè legitimè damnatas ſuppoſuerunt & ſi quam ſingillatum iterum damnarunt, id non fecerunt retractando iudicium prius Romani Pontificis, neque vnquam probarunt, quod Pontifex damnarat, neque de eius ſententia tanquam à Iudice minùs competilatè lata diſceptarunt, neque vnquam conqueſtæ ſunt, quod Romana Eccleſia ipſis inſciis & inconſultis doctrinam aliquam damnaſſet & Romanam in omnibus ſententiam ac commonitorium ab ipſo Pontifice ſine Legatis datum ſequuti prorſus ſunt P.P. vti aliàs monuimus, non igitur neceſſariæ ſunt ad Hæreſeon damnationem addequod vt ait Duuall. neque in hunc finem neceſſaria ſunt Hæreticis, neque Catholicis hæc Concilia, non illis quidem qui definitiones Generalium Conciliorum contemnunt, atque Romanorum Pontificium ſententias, quod in antiquis Hæreticis conſtat, & in Lutheranis ac Caluiniſtis nouiſſimè erga Concilium Tridentinum vidimus. Non ſunt autem neceſſaria Catholicis. Quia inquit Duval. loco citato, cum Pontificis infallibilitatem in definiendo agnoſcant, eius iudicio & definitioni facilè, acquieſcunt.

Secunda cauſa neceſſitatis Conciliorum affertur ex ſedandis Schiſmatis, cum plures de Pontificatu Romano, & Vniuerſali contendunt: eius enim controuerſiæ iudicium non videtur eſſe, niſi penes Vniuerſalem Eccleſiam, quæ à Synodo œcumenica repræſentatur. Verùm neque iſta ratio omnimodam neceſſitatem oſtendit. Nam Schiſmata Nouati cum Cornelio Vrſicij cum Damaſco, Laurentij cum Symmacho, Anacheti cum Innocente II. Caroli cum Alexandro II. Georgij, cum Vrbano IV. ſine Concilio Generali compoſita ſunt, & quæ alia ſunt excitata ſunt, ſimili ratione ſopiri potuerant, Schiſma quidem horrendũ quod inter res de Romana ſede contendentes, illis omnibus abiectis, & in eorum locum ſuſfecto Martino V. compeſcuit Conſtantienſe Concilium, inde tamen demonſtrari non poteſt in Vniuerſum ad ſedendas huiuſmodi controuerſias, quoties in Schiſma erumpunt neceſſarias eſſe Vniuerſales Synodos, non enim negamus dari poſſe caſum adeò impeditum, in quo Synodus Vniuerſalis non modò vtilis ſed etiam neceſſaria eſſe poſſit, ſed negamus id ordinariè verum, & neceſſarium eſſe cum aliis modis Schiſmata extincta ſint, atque etiam poſſint. Immò nunquam ad illa Schiſmata coactum fuerit Concilium Generale Pater vnum Conſtantienſe ſed ad eam rem Concilia Romana, & Prouincialia, aliaque media ſuffecerunt.

Aliæ verò cauſæ quæ ad aſtruendam Conciliorum Generalium neceſſitatem afferri ſolent, non videntur etiam idoneæ, vt ad morum correctionem, & Diſciplinæ Eccleſiaſticæ vitia, nam ei rei ſufficiunt Concilia Prouincialia & Prælatorum Vigiles curæ, quod ſi dicas hanc reparationem & reformationem aliquandò neceſſariam eſſe in capite & omnibus membris ſicut & caput verum hoc eſt Romanum Pontificem, non pariturum Synodo particulari; ac proinde neceſſarium eſſe Vniuerſale.

Reſp. Hanc capitis reformationem vel neceſſariam 4
eſſe vel in doctrina, vel moribus, ſi hoc tantum

poſtre

poſtremum dicatur, non ſunt attendendi mores Pontificis, ſed vt monebat Chriſtus, obediendum Phariſæis, in Cathedra Moſis, licet eorum exempla ſequenda non ſint: Quare aliis viis corrigi, & emendari poterit Pontifex, iſtudque medium, factionem potiùs & contentione quam emendatione creabit, eadem ratione facile fuerit cæteras huius neceſſitatis cauſas, propter quas ſapientiſſimè & vtiliſſimè coacta ſunt generalia reiicere, ſi de abſoluta neceſſitate agitur.

5 Quare dicendum eſt vtiliſſima eſſe quandoque Concilia Generalia, ac proinde ſapienter interdum vſurpari quod & fatentur P.P. Gregor. *cap. ſicut ſancto.* Vbi quattuor prima Concilia ſicut quatuor Euangelia veneranda eſſe edicit. Hieronym. *Contra Luciferianos*, qui omnes controuerſias hoc vno Eccleſiæ Sole ſiccari, Cœleſtinus Epiſtola ad Synodum Epheſinam, & alij Apoſtolorum exempla, qui *act.* 15. quamvis ipſi plenitudinem poteſtatis & ſcientiæ accepiſſent à ſpiritu ſancto, in diſceptanda tamen controuerſia de Legalium obſeruatione & vtrum noui Chriſtiani ad illam obligandi forent, voluerunt Concilium Eccleſiaſticum Hieroſolymis indici, non poſſunt etiam efficaciùs & ſuauiùs quæ circa fidem & diſciplinam conſtituta ſunt, perſuaderi fidelibus quàm Epiſcoporum ſuorum, qui Concilio interfuerunt, ſcripſeruntque auctoritate neque vllus ignorare poterit, quod communi totius orbis Chriſtiani, & Eccleſiæ conſenſu fuerit definitum. Neque Hæretici maiore pudore ſuffundi, & ignominiæ probro affici, quam dum ſe vident communi totius Eccleſiæ, conſenſu reiici, damnari, & Anathematiſari, neque maiore conatu morum & diſciplinæ abuſus emendari quam à ſingulis Prælatis, qui ſuos mores prauos perſpectos habent, & quod magis expedit ad continendam diſciplinam, & mores emendandas, poſt liberam diſceptationem communi ſententia definierint. Quare iure Synodica reſponſio Concilij Conſtantienſis Synodorum frequentationes dixit eſſe agri dominas culturas, & irrigationes, & cum nondum de fide definitum habeamus Romani Pontificis definitiones eſſe de fide in materia fidei ac morum, illaſque eſſe infallibiles. Nemo tamen dubitat definitiones Conciliis Generalis legitimi, probati & confirmati à Romano Pontifice, qui illi per ſe aut ſuos Legatos præfuit, in iiſdem materiis eſſe infallibilis & de fide: Nemo illis, quamtumvis perfrictæ frontis, & duri oris, reſiſtere poterit. Denique cùm aliquando Iudicium Romani Pontificis inſtaurandum ſit, vel per ipſum, vel per Concilium futurum id fieri debet, idque præſtitit ad ſedandas graues Eccl. diſſenſiones, quare ſummi Pontifices tunc neceſſaria fatentur Concilia Generalia, & ab ipſis præcurrantur, idque aliquandò factum ſcimus, ſed non niſi ad controuerſias communes diiudicandas, quod rarò admodum contingit, & neque inde Concil. Generalium neceſſitas abſoluto colligi iure poteſt, inde neque ducenda eſt prouocatio & appellatio à Pontifice ad Concilium, quod explicamus *tom.* 3. de Iudiciis Canonicis, qua ratione Gregorius VII. *lib.* 9. *Epiſt.* 20. Recludeſcente inter Romanam Eccleſiam & Henricum Germaniæ Regem diſſidio anno 1080. miſit ſe curaturum, *vt Synodus Generalis congregetur in loco apto & oportuno, vt ad eam fine vndique terrarum, clericalis ordinis & laicalis amici vel inimici ſine tremore conuenire*, ibique diſceptandum ait, quis cauſa fuerit ne inter Pontificatum & regnum concordia fieret: quam pacem operante domino cœpit & poſtulat, in eodem Concil. ſtabilire & comprimere, ſed de his omnibus *tom.* 3. diſputabimus, vt & de appellationibus ſatis ſit inpræ-ſentiarum Concilia Generalia non eſſe neceſſaria, quamuis vtilia ſint, vt patet ex ipſo Eccleſiæ vſu, quæ iam à mille ſexcentis annis pauciſſima habuit, in illiſque cogendis immenſam paſſa fuit difficultatem.

QVÆSTIO III.

Quis Concilia Generalia poſſit indicere.

Status quæſtionis, num. 1.
Quomodo Principes indicunt aliquando Concilia ibid.
Martiani Synodus indicentis Ep. n. 2.
Duvallij ſententia, num. 3.
Antiquus Canon non poſſe indicere Concilia ſine Romano Pontifice, n. 4. 5. & 6.
Conſtans huius Canonis vſus, num. 7.
Vniuerſales authoritate Pontificis conuocata numerantur, n. 8. 9. 10. *&c.*

Loquimur de Concilio verè & propriè Generali, 1 & plenario ab Auguſtino de Conciliis Africanis agente, & vt ab aliis appellatur, de huiuſmodi Concilio vltima quæſtione huius capitis, agimus quoque de iudicatione authoritatiua, qua propter authoritatem indicentis omnes & ſinguli imitati & vocati, niſi adſit cauſa & excuſatio Legitima & à Canonibus probata teneantur adeſſe, vel ſi rationabiliter impediantur aliquem mittere, qui ſuas vices agant in Concilio, non verò de iudicatione tantum inuentatoria, qua Principes aliquandò in grauiſſimis, & communibus Eccleſiæ cauſis inuitant Epiſcopos ad cogendum Concilium, vt communi conſenſu Eccleſiæ difficultatibus occurrant, aut iudicatum Iam Concilium adire hortantur & vrgent, quæ indictio Concilij authoritatiua quidem dicitur à Duvallio, ſed per modum facti, & executionis, non iuris, quaſi Principes habeant ius Imperandi propriè huiuſmodi Generales conceſſus, ſed cum ſint protectores defenſoreſque Iurium Eccleſiæ & Apoſtolicæ ſedis, ſi Epiſcopi à Pontifice conuocati venire & parere recuſent, ad id à Principibus compellantur, quâ ratione Martianus Imperator Epiſtola ad Leonem R. P. quæ eſt 33. in prima parte Concilij Chalcedon. ait, *tuam ſanctitatem, Principatum in Epiſcopatu diuina fidei, poſſidentem*, τὴν σὴν ἁγιωσύνην ἐπισκοπεύουσαν ϗ ἄρχουσαν τῆς θείας πίστεως, *inuitantes, atque rogantes, quatenus omni impiò ſublato errore per celebrandam Synodum te auctore maxima pax circa omnes Epiſcopos fidei Catholica fiat.* Deinde decimo Calendas Septembris miſſæ ſunt Literæ Conſtantinopoli à Marciano Imperatore ad Leonem Epiſcopum à quibus rogatur, eò ſe conferre dignetur, & Synodum celebrare, vel ſi hoc ei graue videbitur ſuis Litteris ſignificet, vt Sacris Litteris Epiſcopis vocatis, in qua placuerit ciuitate fidei conuenientia decernuntur, τὰ ἁρμόζοντα ὁρισθῶσιν. Sic verò habent Litteræ Marciani. *Supereſt vt ſi placuerit tuæ Beatitudini in has partes aduenire, & Synodum celebrare hoc facere religionis affectu dignetur, noſtris vtique deſideriis veſtra ſanctitas ſatisfaciet, & Sacra Religioni, quæ vtilia ſunt decernet; ſi verò hoc oneroſum eſt, vt tu ad has partes aduenias: hoc ipſum nobis propriis Litteris tua ſanctitas manifeſtet, quatenus, in omnem orientem & in ipſam Thraciam Illyracum Sacra noſtra Littera dirigantur, vt ad quendam definitum locum vbi nobis placuerit,*

omnes

omnes ſanctiſſimi Epiſcopi debeant conuenire, & quæ Chriſtianorum Religioni & fidei Chriſtianæ proſint, ſicut ſanctitas tua ſecundum Eccleſiaſticas regulas definierit, ſua diſpoſitione declarent.

2. In qua Epiſtola obſeruare I. Ipſi non imperare & & indicere Synodum, ſed inuitare Pontificem vt ipſemet Conſtantinopolim adueniat, ſynodúmque celebret, & quæ Religioni ac fidei vtilia erunt, decernat, quo caſu nullam aliam generalem Synodum Imperator expoſcit. Deinde ſi moleſtum ſit Leoni adire, Conſtantinopolim id ſignificet, Imperatori VI. Cogar in aliquem locum Synodum ex Orientis, Thraciæ & Illyrici Epiſcopis, nihil de Epiſcopis Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ & reliquis Occidentis agit, vel quia nolebat Synodum niſi Orientalem, cum in iis locis Enthichetis hæreſis vigeret, vel quia non dubitabat illos Pontificis Romani ſententiæ, & totum Occidentem acceſſurum, cuius Romanus Pontifex erat peculiaris Patriarcha. Quartò, ait Marcianus Synodum quam cogere meditatur, declaraturam, quod Romanus Pontifex definiuerit, ſecundùm Eccleſiaſticas Regulas. In literis Marciani ad Epiſcopos, *vt Nicæ. quam primùm conuocata erat Synodus*, Conueniant id ſe facere dicit. Et Epiſtola ad Anatolium Conſtantinop. de eadem coïtione Synodi. Vides igitur qualis ſit iſta Imperatoria ad Synodum imitatio ex conſenſu nimirum & literis Leonis Pontificis, qui etiam fecerat Imperatori facultatem deligendi locum Synodi ſibi vtilem & commodum, provt ipſimet, literis relatis petierat, eadem ratione Conſtantinus & Ireneæ VII. Synodum Niceæ iuſſu Romani Pontificis ſe conuocaſſe dicunt. Gregor. *lib. 9. regeſti ep. 54.* Theodoricum Francum hortatur, vt contra graſſantes Symoniacos Synodum Congregari iubeat, & maximè Carolus IX. Iuſſit Regni ſui Epiſcopos ad Concilium Tridentinum proficiſci, vti ab ipſo petierat Pius IV. Vides igitur iſtas Principum inuitationes, ſiue conuocationes, non arguere illam in Conciliorum cœtum, authoritatem, cum vel inuitarint dumtaxat, aut non niſi Pontificum hortatu, vel iuſſu id præſtiterint; nos verò loquimur hoc loco de indictione, aut conuocatione auctoritatiua vti explicuimus. Quæſtio verò de duobus dumtaxat eſt, nimirum de Romano Pontifice & Imperatore quis illorum hanc auctoritatem indicendi Concilij Generalis habeat, an verò vterque ſaltem illâ præditus exiſtat. In qua quæſtione ſic habet Duvallius *q. 12.* citata, *de fide eſt non eſſe Imperatoris aut alius Pontificis, ſed ſolius Romani Pontificis Concilium œcumenicum iuridicè & ex auctoritate conuocare.* Quæ ſententia eſt etiam Bellarmini *cap. 12. lib. 5. de Conciliis*, & aliorum Catholicorum, maximè contra Nouatores ſcribentium, placuit tamen in hac tota materia vtrum maximè Duvallium, non ob inſignem modò peritiam ſequi, ſed quia cum in luce Pariſienſis Academiæ in qua magna laude profeſſorum Regium egit, ſcribat, nemo dicet opinor nos aſciti illius Academiæ, quam impenſe Colimus, diſſerere in tota iſta de Concilij Controuerſia cum celeberrimi illius Doctoris veſtigia teramus, & Doctrinam ſequamur, atque etiam ſtabiliamus.

Probatur imprimis ex antiquiſſimo Canone Eccleſiaſtico, quem referunt Socrates *lib. 2. cap. 5. Latino, & 8. Græco*, & Sozomen *lib. 3. cap. 9.* Cum enim Euſebiani coëgiſſent Concilium Antiochiæ, in quo Georgium Cappadocem, Athanaſ. ſubſtituerant. Notat Socrates Iulium Epiſcopum Romanum, neque per ſe, neque per ſuos legatos, ad illud acceſſiſſe. *Cum*, inquit, *Canon Eccleſiaſticus iubeat non oportere abſque ſententia Epiſcopi Romani decreta Eccleſiis ſancire.* Ἀλλὰ μὴν οὐδὲ Ἰούλιος παρῆν ὁ τῆς μεγίστης Ῥώμης ἐπίσκοπος, οὐδὲ μὴν εἰς τὸν τόπον αὐτοῦ ἀπέσταλκέν τινα, καίτοι, κανόνος ἐκκλησιαστικοῦ κελεύοντος μὴ δεῖν παρὰ τὴν γνώμην τοῦ ἐπισκόπου Ῥώμης, τὰς ἐκκλησίας κανονίζειν. Idem refert Sozom. *Iulium* nempè *cum Orientalibus expoſtulaſſe quod contra leges Eccleſiæ ipſum ad Synodum non vocaſſent. Nam leges eſſe Sacerdotal. quæ pronuntiat acta illa irrita eſſe, quæ abſque ſententia Epiſcopi Romani conſtituuntur.* Hi porrò duo Hiſtorici ſunt hunc Canonem hauſiſſe videntur, ex Epiſtola ipſius Iulij ad Orientales apud Athanaſium *Apologia 2. An Ignoratis*, inquit, *hanc eſſe conſuetudinem, vt primum nobis ſcribatur ſicque hinc quæ iuſta ſunt definiantur. Si ergo talis ſuſpicio in eum Epiſcopum inciderat, huc eam oportebat ad iſtam Eccleſiam deferri*, ἢ ἀγνοεῖτε ὅτι τοῦτο ἔθος ἦν πρότερον γράφεσθαι ἡμῖν, καὶ οὕτως ἔνθεν ὁρίζεσθαι δίκαια, εἰ μὲν οὖν τι τοιοῦτον ἦν ὑποπτευθὲν εἰς τὸν ἐκεῖ ἔδει πρὸς τὴν ἐνταῦθα ἐκκλησίαν γραφῆναι. Primum igitur de Athanaſio & alij quæ Communem Eccleſiæ ſtatum attinebant, oportuit ex recepta conſuetudine & Canone Eccleſiaſtico ad Romanum Pontificem ſcribere, vt ex illius ſententia audita, deinde in Concilio Negotia tractarentur, quare ſubdit Iulius. *Nam* ſi vt dicitis, *omninò in culpa fuerint*, *oportuit ſecundum Canonem & non iſto modo iudicium fieri, oportuit ſcribere omnibus nobis, vt ita ab omnibus quod iuſtum eſſe decerneretur.* Ex hoc igitur Iulij reſponſo Collegiſſe videntur Socrat. & Sozomen. neceſſitatem ſententiæ Romani Pontificis cogendi Synodos & Canone Eccleſiaſtico, vti obſerua de Marc. *lib. 5. de concordia cap. 11. 12.* qui & ait in verbis Socratis Papæ τὴν γνώμην, non deſignari nudum ſuffragium, ſed prærogatiuam ſuffragij, atque inſignem quandam authoritatem, quandoquidem illius γνώμης & ſententia deffectus irrita reddit Synodorum decreta, atque hanc vocis γνώμην, & ſententiæ ſignificationem, vt auctoritatem cum ſuffragio communitam deſignet, probat deinceps Marca *n. 6. 7. & 8.* tum ex Canone VI. Nicæno quo ſtatuitur illum non eſſe pro Epiſcopo habendum, *qui præter ſententiam Metropolitani* aut vt vertit Dionyſ. *præter Conſilium*, & vetus interpres *præter arbitrium* χωρὶς γνώμης μητροπολίτου fuerit ordinatus, vbi vides γνώμην pro ſuffragio & auctoritate Metropolit. vſurpari, idem oſtendit ex Canone Apoſtolico 33. *vel* 35. vbi Collectio ſuffragiorum Epiſcoporum dicitur γνώμη *& ex Canone 39. vel 40. ex quo* ſupraſcripta eſt pars vltima Canonis 57. Laodiceni, quo prohibentur Presbyteris & Diaconis aliquod agere ἄνευ γνώμης τοῦ ἐπισκόπου, ſine ſententia & auctoritate Epiſcopi in Concilio Chalcedonenſi poſt damnationem Dioſcori, cum rogarentur Epiſcopi Diœceſeos Ægyptiacæ, vt illi ſubſcribentur & Epiſtolæ Leonis recuſarunt id tentare, donec in locum Dioſcari alius fuiſſet, Alexandrinus Epiſcopus Ordinatus *in omnibus*, inquiunt, *Expectamus ſententiam Sanctiſſimi Epiſcopi, & Petimus veſtram Clementiam expectari Præſidis noſtri ſententiam, quia in omnibus eam ſequamur: Nam & ſanctiſſimi Patres qui in Nicæna Synodo Congregati ſunt trecenti decem & ſexto hanc regulam dederunt, vt ſequatur omnis Ægyptiaca Reg. Archiepiſcopum magni nominis Ciuitatis Alexandrinæ, & nihil abſque ipſo agatur ab aliquo ei ſubiacente Epiſcopo*, & inferiùs dum vrgerentur iidem Epiſcopi, vt eandem fidem cum œcumenica profitentur, iterum erant vt ordinatio ſui Epiſcopi expectaretur. *Quatenus* inquiunt *iuxta veterem conſuetudinem illius ſequerentur ſententiam. Quod ſi extra voluntatem præſidis noſtri aliquid faciamus: ſicut præſumptores & non ſeruantes ſecundum Canones antiquam conſuetudinem omnes Ægyptiacæ Regiones inſurgant in nos.*

Vnde colligere licet primatus Patriarchalis, ἐξουσίαν,

&

& authoritatem in eo verſatam fuiſſe ex Canone Nicæno, vt omnes Epiſcopi nihil arduum agerent aut definirent, ſine Patriarchæ ſententia *παρὰ γνώμην*, & decreto & Prærogatiua ſuffragij, quam etiam iudices definitionem ſunt interpretati, *παρὰ γνώμην καὶ διατύπωσιν*. Quare non modò ipſi iudices ſed ipſe Paſchaſinus Pontific. Legatus delationem Ægyptiis, quam poſtulabant, conceſſit, quod igitur concedit Patriarchæ Alexandrino concedit, vt ei ſubiecti Eſpiſcopi nihil, *παρὰ γνώμην*. Ipſius validè agant, hoc ipſum in Conciliis œcumenicis tribuit Romani Pontifici Socrates & ſententiæ prærog tiuam, itavt nihil in eiuſmodi Conciliis poſſit præter eius ſententiam, quam vel per Epiſtolam vel per Legatos, qui eius vice Synodo præſidebant, Explicabat Pontifex, decerni poſſit.

Atque ex his apparere poteſt quiſnam ſit ille Canon Eccleſiaſticus, quem Socrates & Sozomenus adducunt, illum non alium eſſe quàm Canonem VI. Nicænum exiſtimauit, *de Marca cap. 12. citato n. 3.* Cum enim ille Canon Primatum Romani Pontificis præ cæteris Patriarchis fateatur, vt illum in Synodo Oecumenica II. & Indices cognitores in Calcedonenſi Actione XVI. ſunt interpretati, *perpendimus*, inquiunt, *quidem omnes primatum & honorem præcipuum ſecundum Canones antiquæ Romæ, Dei amantiſſimo Archiepiſcopo conſeruari.* In eodemque Concilio Calcedonenſi Paſchaſinus Legatus protulit ex vetuſtiſſimo Codice Lemina huius Canonis, *quod Eccleſia Romana ſemper habuit primatum. ἡ ἐκκλησία ῥώμης πάντοτε ἔχε τὰ πρωτεῖα*, cum igitur Nicæna Synodus primum dignitatis locum in Romano Pontifice agnoſcat, eam illi omninò tribuit dignitatem quam, in Ciuili politia obtinuerant, qui Principem locum tenebant, nimirùm primam ſententiam & ſuffragij prærogatiuam, ita vt, *μὴ δεῖν παρὰ τὴν γνώμην τοῦ ἐπισκόπου ῥώμης τὰς ἐκκλησίας κανονίζειν. Non oporteat præter Romani Epiſcopi ſententiam & arbitrium Canones Eccleſiis præſcribere.* Si enim, vt aiebant Epiſcopi Ægyptij, in Synodo Calcedonenſi antiquum ius, atque ex Canone Nicæno, erat Patriarchæ Alexandrino, vt nihil ſine eius ſententia, & præter illam liceret Epiſcopus illi ſubiectis, in eoque erat Patriarchalis authoritas, nihil quoque licuit præter ſententiam Epiſcopi Romani Epiſcopis ipſi ſubiecti, qui non ſunt Epiſcopi ſolius occidentis, cuius ipſe eſt Particularis Patriarcha, ſed Epiſcopi totius orbis, quorum ille caput, & Princeps eſt, vti omnes Synodi etiam Oecumenicæ à nobis alias relatæ fatentur, cum igitur Nicæna Synodus in Canone illo VI. Pontificem Romanum ſupra omnes Patriarchas agnouerit ipſi eximium aliquid concedere debuit, & cùm cæteris indulſit, vt præter eorum ſententiam, Patriarchatus eorum Epiſcopi, nihil definire audeant, neque Epiſcopi dumtaxat Patriarchalis occidentis, ſed & alij omnes præter ſententiam Romani Pontificis nihil ſtatuere poterant κανονίζειν & Canones vllos in Synodo Generali ferre. Quod ſi etiam in Synodis Generalibus nihil præter Pontificis ſententiam conſtitui poſſit, multò minùs ſine eius ſententia cogi ad condendos Canones poterunt, & ſanè apud Alphonſum Piſanum, *lib. 3. Concilij Nicæni Canon.* 1. Hic igitur non debent præter ſententiam Romani Pontificis Concilia celebrari, habemus quoque Nicæni Canonis quem nuper attulimus, teſtem Iulium, ex quo illum refert Gantrin. 5. 4. 4. *c. nullas*, ſed audiamus illam ex ipſo Iuliæ. *Epiſt. 1. ad Orientales vnanimiter in prædicta Nicæna ſtatuerunt Synodo, vt nullus Epiſcopus niſi in Legitima Sinodo, & ſuo tempore Apoſtolica authoritate conuocata ſuper quibuſdam criminibus pulſatus audiatur, id eſt iudicetur vel damnetur finaliter præſumptum à quibuſdam fuerit, in vanum deducatur quod egerint, nec inter Eccleſiaſtica vllo modo deputetur. Ipſi verò primæ ſedis Eccleſiæ Conuocandarum Generalium Synodorum, cura & Iudicio Epiſcoporum ſingulorum Priuilegio Euangelicis & Apoſtolicis atque Canonicis conceſſa ſunt, inſtitutis, quia ſemper maiores cauſæ ad ſedem Apoſtolicam multis authoritatibus referre præceptum eſt*, Leo *porro dudum à ſanctis Apoſtolis, ſucceſſoribuſque tetum in præfatis antiquis decretũ fuerat ſtatutis, quæ hactenus ſancta & Apoſtolica tenet Eccleſia, non oportere præter ſententiam Romani Pontificis Concilia Celebrare, nec Epiſcopum damnari, &c.* Fuſiùs eum iſta proſequitur. Vnde apparet non repetere dumtaxat Iulium hoc Priuilegium ex Nicæna Synodo, ſed ex antiquioti etiam vſu & conſuetudine, & ex ipſa ipſius Romanæ Eccleſiæ dignitate quia *ſicut B. Petrus Apoſtolus primus fuit omnium, ita & hæc Eccleſia ipſius nomine conſecrata, Domino inſtituente prima & caput ſit Cæterarum & ad eam quaſi ad matrem, atque apicem omnes maiores Eccleſiæ cauſæ, & iudicia Epiſcoporum recurrant, &c.* Teſtatur deinde Iulius ſe non Paſſurum, hunc antiquum morem & Canonem impunè Violari. *Et vos ſcitote hunc typum deinceps non eſſe paſſuros, ne quæ ad hanc ſpecialiter ſanctam pertinent ſedem, ſicut Iudicia Epiſcoporum & maiores Eccleſiæ cauſæ, vt Paulò ſuperiùs prælibatum eſt, vos patiamur nobis inconſultis inuadere abſque veſtri ſtatus periculo.* Quibus poſtremis verbis minatur ſecus facientibus exhauctorationem, & abdicationem ſtatûs ac dignitatis: Quare addit, *Si quis ab hodierna die & deinceps Epiſcopum præter huius ſanctæ ſedis ſententiam damnare, aut propria pellere ſede præſumpſerit ſciat ſe prærecuperabiliter, & damnatum & propriè carere in perpetuum honore, eoſque abſque huius ſedis ſunt eiecti ſententia vel damnati huius ſanctæ ſedis authoritate, ſcitote priſtinam recipere communionem, & in propriis reſtitui ſedibus, quoniam & priùs à tempore ſcilicet Apoſtolorum, hæc huic ſedi ſanctæ conceſſa ſunt, & poſtea in memorata Nicænâ Synodo propter prauorũ hominum infeſtationem, atque Hæreticorum perſecutionem & inſidiantium molimina fratrum ſunt concorditer ab omnibus roborata, vt magis ſinguli prauideant, ne talia audeant perpetrare, & caueant ſi non propter Deum, & amorem fratrum, tamen propter opprobrium hominis ruborem ſuum atque Canonicam vltionem, Saltem hac timore & verecundia compreſſa ſilentioque comprimatur amputato ſcilicet totius amputationis exceſſu, quia nullus debet præſumere quæ ſibi non videntur eſſe conceſſa quàm culpam nullo modo potuiſſet incidere, ſi vnde conſecrationem honoris accipitis, inde legem totius obſeruantiæ ſumeretis, & B. Apoſtoli Petri ſedes quæ vobis Sacerdotalis eſt*, Mater dignitatis, *eſſet Eccleſiaſtica Magiſtra rationis*, & deinde de vnitate Corpotis Eccleſiaſtici in Chriſto, *præcipuè exigit concordiam Sacerdotum, quibus etſi dignitas communis non eſt, tamen ordo generalis eſt, quanam & inter Beatiſſimos Apoſtolos in ſimilitudine honoris fuit, quædam diſcretio poteſtatis: & cum omnium par eſſe elatio vni tamen datum eſt, vt in cæteris præmineret, de qua forma Epiſcoporum quædam orta eſt diſtinctio, & magna ordinatione prouiſum ne omnes ſibi omnia vindicarent, ſed eſſent in ſingulis Prouinciis ſinguli, quorum inter fratres haberetur prima ſententia & rurſum quidam in maioribus vrbibus conſtitui ſolicitudinem ſuſciperent ampliorem, per quos ad vnam Beati Petri ſedem Vniuerſalis Eccleſiæ cura conflueret & nihil vſquam à ſuo capite diſſideret.* Non potuit Illuſtriùs Apoſtolicæ ſedis Priuilegium

adſtruere

adſtruere Iulius,neque altiùs eius originem repete re quàm à Petri principatu & ex ordine inter ipſos Apoſtolos, à Chriſto conſtituto, connexione corporis, & vnitate Eccleſiæ cum ſuo capite, quam connexionem non inſtituit Nicæna ſed eius conſernationem ſuis Canonibus curauit, vt omnia ex ſententia ſedis Apoſtolicæ, nihilque præter eius ſententiam in cauſis maioribus, & communibus Epiſcoporum Iudiciis, & Conciliis Generalibus fieret. Quare non videtur mihi ſcrupuloſiùs inquirendum, vnde Socrates & Sozomenus Canonem Eccleſiaſticum quem ablegant, deſumpſerint, ab ipſa enim Petri in Pontificem inſtitutione & in reliquos Apoſtolos præeminentia, & forma dignitatis Epiſcopalis, eorúmque omnium cum capite ſuo conquerere, illam ſapienter deducit Iulius,quam deindè & vſus conſtans comprobauit, & Concilia inquit ignorantiam prætexeret ſuis Canonibus conſtituerunt, in iiſque Nicænum quod fuit primum Oecumenicum.De fide verò Iulianæ Epiſtolæ,nulla inter Catholicos poteſt eſſe dubitatio vt oſtendit Binius in notis ad illam & nos vltimo tomo dicemus.

5 Eadem ferè verba legimus apud Marcell. I. Iulio antiquiorem, *Ep.* 1. *ad Salom. & alios Epiſcopos Anthioch. Prouincia,* quibus ſcribit de Primatu Romanæ Eccleſiæ, quam Epiſtol. veram & non ſuppoſitiã eſſe oſtendit Binius in notis ad illam, & Duvallius, *q.* 2. *de Conciliis* noſq; vltimo huius operis tomo.

7 Omiſſis tamen his dubiis antiquorum Pontificum Epiſtolis, ne cum aduerſariis Seueriùs agere videamur,habemus Conſtantem & certum huius Priuilegij Romani Pontificis vſum, nempe abſque eius conſenſu & authoritate non poſſe conuocari Vniuerſalia Concilia, nam in Synodo Calcedonenſi. *Act. I.* Legati Leonis Romani dixerunt ſe in mandatis habere, ne Dioſcorum in Synodo conſidere paterentur, cumque interrogarentur à Iudicibus quod crimen illi impingerent Licentiùs vnus Legatus reſpondit Dioſcoro reddendam eſſe rationem iudicij. *Quia cum perſonam iudicandi non haberet, præſumpſit & Synodum auſus eſt facere ſine authoritate ſedis Apoſtolicæ, quod nunquam factum eſt nec fieri licet.* Petrus Chryſolog. Rauennas Epiſcopus. *Epiſt. ad Entychet. nos enim pro ſtatuto pacis extra illum conſenſum Romanæ Ciuitatis Epiſcopi, cauſas fidei audire non poſſumus: Macedonius* Patriarcha Conſtantinop. Anaſtaſio Imperatori Calcedonenſis Concilij nomen abolere Salagenti, reſpondit id fieri non poſſe ſine Concilio Oecumenico, cui Papa præſideret, χωρὶς οἰκουμενικῆς συνόδου ἐχούσης πρόεδρον τὸν τῆς μεγάλης ῥώμης ἐπίσκοπον οὐδὲν ποιεῖν ἐγχωρεῖν. Ita Theodorus Agnonaſtes. Quinta Synodus cui Vigilius licet Conſtantinopoli, præſens accedere noluit, Vniuerſalis Synodi nomen non obtinuit, donec Vigilius ſuo conſtituto definitionem Synodi confirmauit, & Iuſtinianus Vigilio conſenſit, Βιγίλιος συνταῶ συνθεμένου καὶ τὸ τῆς πέμπτης συνόδου συνέδριον, vt dicemus ſtatim, Pelagius II. Epiſt. 8. contra Ioannem Conſtantinopolit. qui ſibi nomen Oecumenici vſurpabat, & ea de cauſa Synodum Generalem conuocarat: *Generalium Synodorum conuocandi authoritas Apoſtolicæ ſedi Beato Petro ſingulari Priuilegio eſt tradita, & nulla vnquam Synodus rata legitur, quæ Apoſtolica authoritate non fuerit fulta, quapropter quidquid in prædicto veſtro conuenticulo, (quia Synodus taliter præſumpta eſſe non potuit,) ſtatu iſtis ex authoritate ſancti Petri Apoſtolorum Principis, & Domini Saluatori voce, qua Beato Petro authoritatem ligandi, atque ſoluendi ipſe Saluator dedit, quæ etiam poteſtas in ſucceſſoribus eius indubitanter tranſiuit, præcipio omnia quæ ibi ſtatuiſtis & vana & caſſa eſſe, vt deinceps nunquam appareant & ventilentur, etenim Saluatores, multis denuò Apoſtolicis & Canonicis, atque Eccleſiaſticis inſtruunt regulis, non debere abſque ſententia Romani Pontificis Concilia Celebrari, quapropter vt iam dictum eſt rectè non Concilium, ſed veſtrum conuenticulum, vel Conciliabulum caſſatur, & quidquid in eo actum eſt, Irritum habetur & vanum, vos quique deinceps vt nullius hortatu talia præſumatis, ſi Apoſtolica ſedis communione carere non vultis. Huius Epiſtolæ meminit ipſe Gregorius Pelagij ſucceſſor. Hincmar. lib. de Synodis cap.* 18. *ne mireris quod ipſorum Conciliorum authoritate Romano Pontifici adſcribamus, nam nulla Concilia rata leguntur, quæ Apoſtolica authoritate fulcita non fuerunt, plura ſimilia* habet ex antiquis, *cap.* 20. *opuſculi cap.* 55.

Verùm percurramus omnes Synodos Oecumenicas, doceamuſque ſingulas Romani Pontificis iuſſu coactas fuiſſe, quamvis ea cura ſuperflua videri modò poſſit, cum enim *q. ſequenti* oſtenſuri ſimus ſingulos eiuſmodi Romanos Pontifices, per ſuos Legatos præfuiſſe, eadem operâ eaſdem Synodos conuocaſſe demonſtratum eſſe videri poterat: paucis tamen de ipſa conuocatione agendum hoc loco, deinde de præſidentia docebimus, & quidem Synodum Nicænam contra Arrianam perfidiam à Conſtantino & Syluestr. congregatum dicunt P.P. Sextæ Synodi in Prophonetico ad Conſtantium Imperatorem. Κωνσταντῖνος ὁ ἀεὶ σέβαστος καὶ Σίβεστρος ὁ ἀοίδιμος τὴν ἐν Νικαίᾳ μεγάλην τε καὶ περίβλεπτον συνέλεγε σύνοδον. Ruffin *lib.* 1. *cap.* 1. ait Conſtantium conuocaſſe Synodum de ſententia Sacerdotum. Alexandri quidem Alexandrini Epiſcopi, qui id Litteris ſuis à Conſtantino petierat ex Epiphan. *Hær.* 68. Oſij qui cum à Syluestr. Pontifice miſſus eſſet ad componendas res Alexandrinas, de cogendo Concilio auth. fuit ex Sozom. *lib.* 1. *cap.* 16. Qui cum Legatus eſſet Syluestri, quis dicat authorem fuiſſe conuocandi Concilij Generalis abſque ſententia Syluestri, cuius vices agebat apud Conſtantinum, Imperator igitur indixit Synodum ſuis Litteris, quibus ad eam hortatus eſt Epiſcopos, iiſque ſumptus in viam ſuppeditauit. 8

II. Synodus fuit Conſtantinopolitana Pontifice Damaſo, contra Macedonium operâ Theodoſij quod Patres VI. Synodi in Proſphonetico dicunt & vetuſti quidam Codices Vaticani ita habent apud Baron. *Sententiam de damnatione Macedonij & Ennomij Damaſus confirmari, &c.* Ipſeque Damas Epiſt. ad Epiſcopos Illyrici, teſtatur decreta Synodi nullius momenti eſſe, cui ipſe per ſe, vel per Legatos aſſenſum non præbuiſſet. Denique licet illa Synodus & ſolis Epiſcopis Orientalis conſtiterit, relatione ad Romanam Eccleſiam, atque mutuo totiùs Occidentis, & Orientis conſenſu Macedonij Hæreſis, cæterǫque prauorum dogmatũ peſtes extinctæ ſunt, & Concil. illud Oecumenici authoritate per Vniuerſam Eccleſ. celebratum eſt, inquit Marc. *l.* 5. *Concord. c.* 4. *num.* 3. quia tandem Damaſius illi conſenſit. *Vide* Baron. *an Chriſti* 553. *num.* 224. 9

III. Synodus Oecumenica quæ fuit Epheſina I. conuocata fuit à Cœleſtino, qui & vices ſuas Cyrillo Alexandrino credidit, cum enim Neſtorius Epiſcopus Conſtantinop. duas in Chriſto perſonas induxiſſet & monitus à Cyrillo, non modò impietatem ſuam non emendaſſet, ſed apud Cœleſt. ſe tueretur, Cœleſtinus coacto Romæ Concilio Neſtorem dãnat, & Sacris ac fidelium communione excludit, niſi intra dies decem, Sacrilegam nouitatem damnet; quia verò ſciebat Neſtorium gratia apud aulicos va- 10

K lere.

lere, ſuamque præſentiam neceſſariam fore, quam tamen præſtare non poterat grauibus de cauſis, Cyrillo Alexandrino ſuas vices mandat, *& quia*, inquit, *Epiſt. ad Clerum & popul. Conſtantino, noſtra in tanta negotio propemodum præſentia neceſſaria videbatur vicem noſtram propter marina, & terrena, ſpatia ipſi ſancto fratri meo Cyrillo delegauimus ne morbus iſte longitudinis occaſione graſſetur.* Deinde ad Cyrillum Scribens ſuam illi non modò vicem, ſed & locum & authoritatem mandauit, *quamobrem, noſtræ ſedis authoritate adſcita, noſtraque vice, & loco cum poteſtate vſus, eiuſmodi, non abſque exquiſita ſeueritate ſententiam exequens.* Itaque Cyrillus Synodo Epiſcopis ex Ægyptiaca Diœceſi conuocata. Alexandriam, ex eius ſententia Neſtorium per Epiſtolam Synodicam conteſtatur. *Vnà cum Synodo Romana cui Cœleſtinus præſuit*, vt iuxta tempus à Pontifice definitum reſipiſceret. Quod ex Synodica Cyrilli, & Concilij. Alexand. Conſtat. Quare ipſamet Synodus Epheſina, *in relatione ad Imperat. act. 3. docet.* Cœleſtinum ſuas vices commiſiſſe Cyrillo, cum nihilominus Neſtorius Inſanire pergeret, Cœleſtinus alteram Romæ Occidentalium Epiſcoporum Synodum habuit, in qua prioris contra Neſtorium meminat., cumque eius hortatu Epheſium Concilium Generale Theodoſius Coir voluiſſet, Cœleſtinus Arcadium & Proiectum Epiſcopos, & Philippum Presbyterum ad Synodum miſit, qui vnà cum Cyrillo eius præſentiam ſupplerent: *ἀναπληρῶσαι τὴν παρουσίαν*, vt Patres in eadem relatione loquuntur, ipſe verò Cœleſtinus Epiſt. ad Theod. *hanc Synodo quam eſſe iuſſiſtis noſtram præſentiam exhibemus*, & in Epiſt. ad ipſam Synodum, *direximus pro noſtra ſollicitudine ſanctos fratres, & conſacerdot. noſtros vnanimes nobis & probatiſſimos viros, Arcadium & proiectum Epiſcopos, & Philippum Preſbyterum noſtrum, qui iis quæ aguntur, interſint, & quæ ſtatuta ſunt exequantur.* De Cyrillo verò iam monuerat vti diximus: Quare acta Synodalia *Act. I.* Sic etiam. *Confidentibus in ſanctiſſima Eccleſia, quæ appellatur Mariæ religioſiſſimis & ſanctiſſimis Epiſcopis Cyrillo Alexandriæ qui & Cœleſtini, Sanctiſſimi Sacratiſſimique Romanæ Eccleſiæ Archiepiſcopi locum obtinebant, & inuento Heroſolymorum, &c.* Atque ea de cauſa Cyrillus præfuit Synodo Epheſinæ, quia Primus Pontificus Legatus erat, eius vices egebat Balſamon. vir, alioqui Romanis Pontificibus infenſus *Tit. vni nomo Canonis cap. 1.* ait. *Cum non poſſet Cœleſtinus adeſſe Epheſi, & Iudicare Neſtorium, viſum eſt vt Sancto Cyrillo à Cœleſtino permitteretur huic Synodo præſidere, vt itaque conſtaret eum habere ius & authoritatem Papæ ſedis cum Phrygio & condemnauit Neſtorium, ab eodem erga tempore, cum eodem Prygia ſacrificant, & procedant Patriarchæ Alexandrini.* Quæ verò differentur, eſſet inter Cyrillum, & alios Legatos Apoſtolicos, dicam *q. ſequenti.* Vides igitur & Neſtorium primum à Cœleſtino damnatum, eiuſque iuſſu conuocatam fuiſſe Synodum primam Epheſinam, quod vnam modò quærimus. Photius *lib. de ſeptem Synodis* Cyrillum & Cœleſtinum præſediſſe huic Synodo ait & Cyrillo mandatas fuiſſe ſuas vices à Cœleſtino, quanquam Photius perpetuò dum Præſides Synodorum nominat, priori ſemper loco Epiſcopum Conſtantinopolitanum recenſeat, quod non fecit Nilus Metropolit. Rhod. in ſimili opere de Synodis, quamvis non ſit Pontificibus Romanis æquior.

Quod attinet ad ſecundam Synodum Epheſinam quæ Lattocinium dicta eſt à Vett. cum Euthiches Archimandrit. Conſtantinopolitan. vnam in Chriſto naturam Impie docuiſſet & à Flauiano Conſtantinopolitano vnà cum Synodo XXX. Epiſcoporum Sacerdotij & Monaſterij adminiſtratione, ea de cauſa fuiſſet amatus Euthiches, ad Leonem Roman. Pontificem recurrit, à quo nundum de rebus geſtis à Flamino edocto, nihil obtinere potuit. Quare ipſe Leo. *Epiſtola* 8. monet vt quam primùm ei omnia referat, *& ideò quia dilectio tua de tanta cauſa nos videt neceſſario eſſe ſollicitos, quam pleniſſimè & lucidè Vniuerſa nobis, quod ante facere debuit, indicare feſtinet*, Euthiches autem opera Chryſapſij Eunuch. qui Principis ingenio abutebatur, Synodum Epheſ. cogendam Inpetrat, Leo geſtis Epiſcopatibus à Flauiano acceptis Enthichetis imperitiam damnat & *Epiſtola ad Flauianum.* Incarnationis Myſterium luculentiſſimè explicat contra Neſtorij & Enthichetis impia dogmata, Theodoſio ſe ad Concilium inuitanti ſcribit neceſſariam non videri indictionem, cum de quæſtione inibi agitanda non poſſe vlla ſuboriri dubitatio, ne tamen Pij Principis ſtudium in tuenda fide videretur contemnere illi ſedis Apoſtolicæ authoritatem adhibuit, & Iulianum Epiſcopum Puteolanum, Renatum Præsbyterum, & Hilarium Diaconum, qui vice ſua intereſſent, delegauit, quibus tamen. *Secundum cauſam ſatis ſibi & geſtorum*, ſerie & ipſius. Enthichetis profeſſione, patefactum euidenter & plenè, quid, *ſeruandum eſſet oſtendit.* Quare nihil videbatur huic Synodo deeſſe, vt legitima cenſeretur, cùm indicta fuiſſet à Theodoſio euocato Leone ſummo Pontifice, vt ſuæ ſedis authoritatem huic Synodo adhiberet, ita ipſe Leo. *Ep. 15. quæ eſt ad Synodum Epheſin. 2. religioſa Clementiſſimi Principis fides ſciens ad ſuam gloriam maximè pertinere, ſi intra Eccleſiam Catholicam nullius erroris Germen exſurgeret, hanc reuerentiam diuinis detulit inſtitutis, vt ad ſanctæ diſpoſitionis effectum authoritatem ſedis Apoſtolicæ adhiberet, tanquam ab ipſo Beatiſſimo Petro cuperet declarari, quid in eius Confeſſione laudat:* Denique miſſi Legati Apoſtolici plenum, & Legitimum Concilium efficiebant, quæ omnia Dioſcori & Enthichetis artes diſturbarunt. Nam enthyches præuidens, certò ſe damnandum, obtinuit Principis reſcriptum, quo Flaminans & Socij inter Reos ſedere, iubebantur, cum tamen in hoc inſtaurato iudicio, Iudicem ſedere deberent, deinde ſimili peculiari reſcripto Dioſcoro primatum Synodi deferri, vt Legati Apoſtolici, vel hac iniuria pulſati diſſederent, vel nouis contentionibus animum Theodoſij exulcerarent: obreptum autem fuiſſe Piiſſimo Principi, inde patet quod ille Primatum Dioſcoro decernere ſe dicat, *Secundum Canones.* Cum enim Nicæna Synodus primum locum Romano tribuat, ſecundum Alexandrino; cui tamen Synodus Conſtantinopolitana prætulerat Epiſcopum Conſtantinopolitanum, illeque id temporis eſſe Flauian. cuius cauſam agir tunc volebant, & inter Reos ſedere: Quare cum abeſſet Romanus Pontifex, eius locus deberi videbatur Epiſcopo Alexandrino, Exemplo Cyrilli qui eum in priori Epheſina obtinuerat, ſubticuerunt autem Cœleſtinum Romanum ſuas vices delegaſſe, admiſſi Legati Apoſtolici in conceſſum Epiſcoporum admitti noluerunt, ſed petierunt vt Leonis ſcripta quæ hactenus occultata fuerant, quibuſque eorum Legatio & mandata continebantur, legerentur, quod explicat Liberatus Carthagin. *in Breuiario cap. 12. Eccleſiæ Romanæ Diaconi vices habentes Papæ Leonis aſſidere non poſſe ſunt eò quòd non*

fuerit

fuerit data præceſſio ſanctæ ſedi eorum inſuper etiam quod non lecta fuerat ad flamianum Epiſtola in Enthichetis damnatione, à Papa Leone ſcripta, & occultata fuerat Epiſtola eius per ſupra memoratos Legatos ad ipſam Synodum directa. Quare ipſo initio Synodi poſt recitatas Principis Litteras euocatatias, Hilarius Diacon. poſtulauit, vt Leonis Litteræ per Legatos directæ ad Synodum, Legerentur, & Dioſcor. inter-locutus ſepties iurauit, ſed id omninò procuratorum, ſed falsò, quare Epiſcopi Otientales & Aætius Archidiaconus, ea de re quæruntur in Conc. Calcedon. *act.* 1. aduerſus iudices, & Concilij Epheſini præſides Dioſcorum, Iuuenalem Hieroſolymorum, & Thalaſſium Cæſar. Epiſcopos, Dioſcorus reſpondit ſe primò & ſecundò, interloquutum vt relegerentur, Iuuenalis eo momento illatam quandam Epiſtolam Imperatotis, quæ lectionem, illam diſtulerit, de qua nullus deinceps loquutus eſt Thalaſſius ſe non fuiſſe eius auctoritatis, vt ipſe ſolus lectionem illam decernere poſſet Dioſcoro, nihilominus à Paſcaſino Legato Pontificio obiicitur, hoc omnem in Concilio Chalcedonenſi, *ὐδὲ τὴν ἐπισολὴν ἀναγνωσθῆναι συνεχώρησε τῦ μακαριοτάτυ πάπα λέοντος*, non concederunt igitur Legati, neque pro illis ſe geſſerunt, ſed ad fuetunt tanquam ſpectatores, & omnibus quæ in perniciem fidei fiebant audacter contradixerunt: Quare cum Dioſcorus à Iuliano ſuffragium exigit, & reſpondit vnà cum ſtilaro priùs legendam eſſe Leonis Epiſtolam; Quare randem Dioſcorus poteſtatis eſt Legatos ſibi eſſe ſuſpectus, eò quod à Flauiano domo & conuiuio fuiſſent excepti. Qui agendi modus ita ipſos aduerſarios & Dioſcotum ſuppuduit, vt ipſamet acta corruperint. Cum enim in Concil. Chalcedon. *Act. I.* Legetentur hæc verba Reſidentibus Dioſcoro Alexandilæ & Iuliano Epiſcopo agent vices, & tenente locum Sanctiſſimi & Beatiſſimi Romanæ Eccleſiæ Leonis Orientales Epiſcopi mendacij redarguetunt, acta reclamarunt. *Eiectus eſt, nullus ſuſcepit nomen Leonis.*

His ita per vim Epheſi geſtis Entych. reſtituto, & Flauiano damnato Leo Pontifex Romæ coactâ Synodo, & Hilario quæ per vim & terrorem geſta eſſent. Narrante omnia illa acta conſtanter damnauit, & reſcindit, deinde vt omnia faciliùs componerentur Theodoſ. monuit de Generali Synodo intra Italiam, vnà cum Epiſcopis Orientalibus celebranda, quod etiam Valentianus apud Theodoſum vrſit, cuius Epiſtola refertur 1. *par Concily Chalcedon. cap.* 25. *quatenus*, inquit, *Beatiſſimus Romanæ Ciuitatis Epiſcopus, cui primatum Sacerdotij ſuper omnes antiquitùs contrahit locũ haberet, ac facultatem de fide & Sacerdotibus iudicare*, ſed Theodoſius ſempet à Chryſaph. deluſus, reſpondit ſe curaturum, ne Nicæni Concilij fides quidquam luderetur, non videri iudicium de perſonis repetendum Flauianum, qui oblato libello ſedem Apoſtolicam applanerat fato-functum eſſe, eique ſucceſſiſſe Anatolium Epheſi à Dioſcoto otdinem, cuius ordinationem, vt probaret rogabat, reponit Leo *Ep.* 34. & 35. Gratam ſibi eſſe Nicæni Concilij commendationem, de Anatolij verò ordinatione nihil poſſe ſe ſtatuere, donec ipſi conſtet de ſincera eius fide, ideò relegat Patrum teſtimonia de Incarnatione Dominica, & Cyrilli Epiſtolam in actibus primæ & Catholicæ Synodi Epheſinæ, & ſuammet ipſius Epiſtolam ad Flauianum. *Non aſpernetur etiam meam Epiſtolam recenſere, quam pietati patrum per omnia concordare reperiet, cumque à ſe hoc, quod eidem profuturum ſit, experi deſiderarique cognouerit; Catholicorum ſententiis toto corde conſentiat: ita vt ſinceram communionis fidei profeſſionem abſolutiſſima ſubſceptione coram omni clero & Vniuerſa plebe, declaret, Apoſtolicæ ſedi, & Vniuerſis Domini Sacerdotibus & Eccleſiæ publicandam.* Ea potrò de cauſa quatuor ad Theodoſium Legatos miſit Leo Abundium & Aſterium Epiſcopos, Baſilium & Senatorem Ptesbyteros, qui ipſum & Anatolium in eandem fidei Conſenſionem inducerent, & efficaci remedio prouiderent omnibus, atque ita pax Eccleſiaſtica conſtitueretur, vt ſin minus de Concilio, intta Italiam celebrando agerem, ſed antè Legatotum aduentum obiit Theodoſius, cui Martianus ductâ in vxorem Pulcheria Auguſti Theodoſij ſorore ſucceſſit, & Leonis Legatos honorificentiſſimè ſuſcepit, & vna cum Imperio Eccleſiæ curam; Quare Leonem pet Litteram ſimul cum Pulcheria hortatus eſt in Orientem occideret & inibi Synodum celebraret, tum Nicæam Bythiniæ Epiſcopos conuocauit ad Synodum habendam, quæ deinde Chalcedonem grauibus de cauſis tranſlata eſt, noluit illi intereſſe Leo, ſed Legatos, ſua authoritate inſtructos ad illam miſit, *Amplectendum eſt*, inquit, *Ep.* 47. *Clementiſſimi principis plenum Religionis Conſilium: quo ſanctam fraternitatem veſtram, ad deſtruendas inſidias Diaboli, & ad reformandam Eccleſiaſticam pacem voluit conuenire Beatiſſimi Petri Apoſtoli iure atque honore ſeruato: adeo vt vos quoque ſuis ad hoc Litteris inuitaret vt venerabili Synodo noſtram præſentiam præberemus, quod quidem nec neceſſitas temporis, nec vlla conſuetudo poterat permittere, tamen in his fratribus, Paſchaſino & Lucentio Epiſcopis, Bonifacio & Baſilio Preſbyteris, qui ab Apoſtolica ſede directi ſunt, me Synodo veſtra fraternitas exiſtimet præſidere, nec ſeiunctam à vobis præſentiam meam confidat, qui nunc in Vicariis meis adſum, & Iamdudùm fidei Catholicæ prædicatione non deſim.*

Ex quibus omnibus euidenter conſtat Chalcedonenſem Synodum, quæ fuit IV. Generalis, à Leone Marciani Imperatore ope conuocatam & indictam fuiſſe.

V. Synodus de tribus Capitulis nimirùm Theodo- 13
ri Mapſuerteni ſcriptis contra Apollinarem, quibus Noſtorio & Enthicheti præluſerat; Epiſtola Ibæ ad Marim Perſam, & Anathematiſamus Theodoreti contra Cyrillum, cum enim ex illis Synodum Chalcedonenſem mortuo Marciano Imp. qui illam perpetuò tuitus eſt, plurimi non modò Dioſcori, & Enthychetis, ab illa damnarorum, fautores ſed & Catholici improbarent Iuſtinianus Imp. ſuas Impij Theodoti Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopi, qui & Origeniſta & ſecta Acephalus erat, prætexiu ſedandi grauiſſimas turbas Alexandriæ à Thimotheo Æluto & Petto mago, Anthiochiæ à Seuero, & Conſtantinopoli à Neſtorianis excitatus, publico edicto Theodorij Mapſueſteni Libros, Theodoteti, Anathematiſamas aduersùs Cyrillum, & Ibæ Epiſtolam damnauit & proſcripſit. Hæc enim capitula dicebat eſſe Theodorus Cæſareæ Epiſcopus, propter quæ tum Eutychiam, tum aliis Synodum Chalcedonenſem abhorrerent, quod ea ttia eiuſmodi capitula probaſſet. Quod falsò, mninò dicebat, nam Theodoretum, & Ibam poſt dignam pœnitentiam, & dictum Anathemæ Neſtorio & veræ fidei profeſſionem in Epiſcopatus ſuos à quibus deiecti fuerant, reſtituit Synodus & Chalcedonenſis, de Theodoto Mapſueſteno, neque quæſitum, neque definitum quidquam eſt, licet Epiſtola iſta in qua Theodori laudes continebantur fuerit recitata, intimamus porrò ſuo illo edictis, turbas non ſopiuit ſed excitauit; Inde cum plurimæ eæque graues

excitatæ ſunt contentiones inter ipſos Catholicos, cum alij factam iniuriam Synodo Chalcedonenſi quærerentur, alij è contrario hanc trium Capitulorum damnationem abſque Synodi illius iniuria fieri potuiſſe, contenderent, quare viſum tandem & Vigilio Pontifici qui tunc Conſtantinopoli aderat, & Iuſtiniano Imperatori, Synodum generalem cogendam Conſtantinopoli, cuius iudicio tota controuerſia definiretur, cum enim Vigilius Iuſtiniani edicto initio reſtitiſſet; vtpotè qui de rebus fidei ſua authoritate edicebat, conſenſit tandem vt in Concilio vniuerſali Controuerſia dirimeretur expertus enim fuerat Imperatores defenſores Concilij Chalcedonenſis & trium Capitulorum oppugnatores nunquam eius edicto obtemperatores, niſi Epiſcoporum Iudicio & authoritate Pontificia confirmaretur. Egit itaque Iuſtinian. apud Pontificem Vigilium vt Synodus eius authoritate indiceretur, volebat autem Vigilius in Sicilia aut in aliqua Ciuitate Italiæ maritima Synodum haberi, ſed tantum de loco acquieuit Imperatori, modo par numerus Occidentalium & Orientalium vocaretur, ob ſchiſmatis periculum ſi aliter fieret, cum occaſione illius edicti Epiſcopi Affricani & Occidentales alij ab Orientalibus ſeiunxiſſent, quod probauit Imperator, & interim dum Epiſcopi Occidentales expectantur edictum ſuum de tribus Capitulis ad Vigilium Pontificem examinandum miſit, vt ſententiam ſuam ſcripto mandaret, qui Impetratis viginti dierum iudiciis propter ægram valetudinem, conſtitutum ſuum quod recitat Baron? & in ſexta collatione, in conceſſu Epiſcoporum relectum eſt miſit ad Imperatorum, dum quinta Collatio ſiue ſeſſio celebratetur, ipſe quidem non interfuit Synodo, quamvis ſæpiùs inuitatus fuerit vt Synodo præſideret per tres Patriarchas & XVII. Metropolitas ad illum miſſos; quibus vltimâ vice Iuſtinianus tres patricios & quæſtorem ſuum adiunxit, qui ſententiam ſuam ſeorſum à Synodo ſe peracturum reſpondit, quare Synodus ſibi liberum eſſe duxit de propoſita re decernere & Vigilij ipſius mentem ſe ſequi teſtata eſt *Collat.* 8. Vigilius Denique acquieuit Synodo, & illam approbauit confirmauitque, quo autem tempore, quove modo id fecerit, incertum eſt, cæteri deindè Pontifices idem fecerunt, cum in ea non de rebus, ſed de perſonis ageretur; vides Gregorij *lib.* 1. *ep.* 24. *lib.* 3. *epiſtol.* 4. *lib.* 2. *epiſtol.* 10. *lib.* 7. *epiſtol.* 53. *Leo* 11. *epiſtol. ad Conſtantinum* Imperatorem Hadrian. *epiſtol. ad Neſtorium* & omnes denique Synodi conſequentes, quare per eam Pontificiam approbationem habita eſt Synodus Eocumenica, vt obſeruat Synod. VI. *Vigilio*, inquit, in Proſphonetico ad Conſtantium Actio 18. *Iuſtinianus conſenſit, & quinta Synodus conſtitit, &c.*

6. Synodus Agathonis iuſſu & Concilio, ſiue conſenſu à Conſtantin. Pogonato Imperatore conuocata eſt, quid ipſi PP. in eius Actione 18. in ſermon. Proſphonetico ad Conſtantinum fatentur, recenſem enim in primis hæreſem authoritate Pontificum & Principum damnat. Arian. Sylueſtri & Conſtantini in Nicæna Synodo, Macedonij, Damaſij & Theodoſij opera Conuocata, Conſtantinopoli Synodo, Damaſi autem fidei Adamatum dicunt Neſtorij in Epheſina à Cœleſtino & Cyrillo, Enthychetus à Leone in Chalcedonenſi opera Marciani Imperatoris & vt appareat omnia Leonis opera & definitione tranſacta eſſe, ſic aiunt. *Leonis igitur tuba vel potius tabula, tanquam Leonis rugitus viriliter vociferans ex Roma, interim Archimandritam beſtiam perterruit, & à Monarchico grege proiecit, eiuſque Phantaſiam, atque opinionem reprobauit, & euaneſcere fecit.* Quod aiunt P.P. Martianum Imperatorem, Anatolium Conſtantinopolitanum Antiſtitem, cum omni Chalcedonenſi Synodo, complexos eſſe diuinitùs ſcriptam tabulam θεόγραπτον δέλτον Leonis addunt & Vigilium atque Iuſtinianum, in quinta Synodo conſenſiſſe, eóque exemplo Conſtantinum Pogonatum VI. Synodum Congregaſſe, & ad illum Agathonem ſuos miſiſſe Legatos, Agathonem omnium cæterorum Antiſtitum eminentiſſimum qui præſiderent ὁ τῆς πρεσβυτάτης ῥώμης καὶ ἀποστολικῆς ἀκροπόλεως ἀρχιερατικώτατος ſe dogmaticis illius literis conſentientes hæreſim Monothelitarum tunc graſſantem arguiſſe & ſe illius traditiones ſecutos eſſe, ſicut illam & ante Synodum, & vnà Synodo amplexus erat, ἡμεῖς τε γὰρ ταῖς ἐκείνου, καὶ πρὸ ἡμῶν καὶ συν ἡμῖν ἐκεῖνος ταῖς ἀποστολικαῖς τε καὶ πατρικαῖς ἠκολουθήσαμεν παραδόσεσι lucem veritatis ex Occidentis partibus effuſiſſe, cartham quidem atramento illicitam: Petrum verò per Agathonem fidei miſteria eloquutum χάρτης καὶ μέλαν ἐφαίνετο καὶ διὰ Ἀγάθωνος ὁ πέτρος ἐφθέγγετο, in Synodica verò ad Agathonem, cum dicunt à Chriſto datum Medicum, qui peſtem hæreſeos Catholicæ fidei remediis ὀρθοδοξίας φαρμάκοις curaret, ipſum eſſe in thorico primo vniuerſalis Eccleſiæ πρώτῳ θρόνῳ τῆς οἰκουμενικῆς ἐκκλησίας, ſtantem ſupra firmam Petram; ſe eius diuinas ad Imperatorem literas perlegiſſe, & tanquam à ſummo Apoſtolorum vertice diuinitùs ſcriptas agnoſcere, ὡς ἀπὸ τῆς κορυφαίας τῶν ἀποστόλων ἀκρότητος θεολογηθέντα γινώσκομεν atque illis ſæuam hæreſim confodiſſe & eius nefandæ ſectæ Princeps damnaſſe, ex ſententia inquiunt de iis prius lata per ſacras veſtras literas τοῖς ἀναθέμασιν ἀπελαύνομεν, κατὰ τὴν τοῖς ἱεροῖς ὑμῶν γράμμασιν ἐν αὐτοῖς προψηφισθεῖσαν ἀπόφασιν. Denique in hac damnatione tribuunt Spiritui ſancto illuſtrationem, Pontifici doctrinæ informationem, Imperatori tuitionem, & defenſionem Synodi, Gregorio Conſtantinopolitano Epiſcopo primam ſententiam & primum conſenſum definitioni Agathonis, è veteri ſcilicet more, cum enim Princeps rogabat ſententias in Senatu, conſulit, aut primus Senator primam ſententiam publicè, ſiue coram omnibus adſtantibus dicebat; Hic verò ſuis literis Agatho ſententiam definierat, quærebatur verò ſententia & conſenſus Synodi, quem primus adhibet primis Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui tunc Alexandrinum præcedebat *Sic nos Spiritu ſancto illuſtrati, veſtráque inſtituti doctrina infeſta dogmata Impietatis depulimus, rectam Orthodoxiæ Semitum Complanantes; piiſſimo ac ſereniſſimo noſtro Imperatore Conſtantino, ſapienter & diuinitùs confouente nos in omnibus ac tuente, deinde vno ex nobis regnantis huius Conſtantinopoleos ſanctiſſimo præſule aſſentiente imprimis.* Vt videas omnia ex doctrina Agathonis peracta, tandem contendunt ſententiam Synodi denuò ſcriptam confirmari ab Agathone, quod eius ſucceſſor Leo II. præſtitit confirmauitque definitionem. Concilij authoritate & αὐθεντίᾳ B. Petri eius literæ, vt & Conſtantini ad ipſam habentur in fine actorum VI. Synodi.

7. Synodus Hadriani Romani Pontificis Hortatum ac Conſtantino & Irene Matre Conſtantinopoli primum Coacta, deinde Nicæ Bithimiæ tranſlata eſt, cum enim Leo Iſauricus Iudæorum & Arabium, atque Beſertis cuiuſdam & Conſtantini Epiſcopi Nicol. fraudibus illuſus, bellum Sacris imaginibus indixiſſet, eaſque non modò è Sacris priuatiſque ædibus, vel exturbari, vel eradi iuſſiſſet,

ſiſſet, ſed etiam veterem Saluatoris ſtatuam ad Æneam vrbis Conſtantinopolitanæ portam excelſo loco collocatam ferro diſiicit & communi Iuſſiſſet, & à frememte atque armata plebe regij apparatores, ac miniſtri fugati, violatique fuiſſent, Leo furore ſuccenſus & Imagines diſiici iuſſit, & earum cultores immanibus tormentis vexauit, vnuſque Germanus Conſtantinopolitanus Antiſtes vir & Litteris & ſanctitate illuſtris, ſe furenti Imperatori obiicit & variis Litteris ad Epiſcopos, ipſumque Conſtantinum mali omnis authorem monuit, vt fidem ac Religionem antiquam retinerent. Leo blandè quidem Germanum in ſuam mentem pertrahere tentauit, ſed vbi ſe nihil proficere vidit, eum minis & contumeliis oneratum regia amandauit, cæteroſque præſtantes viros in iiſque Ioannem Damaſcenum variis pœnis mulctauit. Quare Gregorius II. coacta Romæ Synodo grauibus Litteris Imperatorem monuit, ne ſe diuinis rebus immiſceret, neque traditiones Apoſtolicas conuelleret, deſineretque tandem Eccleſiam perſequi, quibus ille exalaratus Germanum Conſtantinopolitanum exauthorauit illique Anaſtaſium hominem improbum ſuffecit, Gregorius itaque illum tandem Anathemate perculit, quam iniuriam vt vlciſceretur Leo claſſem ſuſtruit, vt Gregorium & Italiam vexaret, vectigali nouo Calabris & Siculis impoſito, & Romanum in illis partibus ſuo fiſco & ærario addixit: ſed eius claſſis procella Lacerata ad litus maris Adriatici obruta eſt. Gregorius deinde III. Qui ſecundo ſucceſſerat, Legatum mittit ad Leonem, cum grauiſſimis Litteris Gregorium Romanæ Eccleſiæ Presbyterum, ſed ille fraudibus variis, deluſus, deinde anno detentus exilio Leonem adire non potuit, neque ceſſauit Gregorius graſſante quantùm licuit malo, occurrere, coacta enim Synodo coram Confeſſione Beati Petri imprimis oppugnatores imaginum excommunicauit, deinde Conſtantinum defenſorem ad Leonem cum Literis denuò miſit, ſed in vincula coniectus diuturno carcere, ſiti ac fætore & fame Cruciatus, vix Leonis manus euaſit, intereà Deus Laboranti Eccleſiæ ſuccurrens Leonis animum frangere curauit, ciuitatum defectionibus peſtilentiâ, & variis belli cladibus, quibus Imperium vaſtatum eſt, & immani terræ motu, qui per duodecim menſes regiam vrbem concuſſit, quibus non melior factus, Leo tandem inter euentus infœlicem exhalauit animum, cui ſucceſſit iniquior Patre filius Conſtantinus, à conſpurcato Baptiſmi Lauacro Copronifimus nominatus, vir ex omnium ſcelerum colluuie conflatus, qui ſtatim bellum Sacris omnibus, Chriſto, Beatæ Virgini, ſanctis & eorum Imaginibus acerrimè indixit; Quare eius impietatem, cuius Conſtantinopolitani execrati Artabuſdum Curopalitem eius 2. ſororis coniugio affinem, quique contra ipſam arma mouerat, eligunt in Imperatorem, Beſerem tot malorum authorem trucidant, imagines ſacras ſuis locis reſtituunt Compron. Imperio exuunt, qui collectis viribus terra mari obſidet vrbem Curap. captum oculis priuat, filios eius capite damnat & in omnes perduelles inſaniſſimè ſæuit, in ſuæ etiam Hæreſis fautores furens Anaſtaſium Pſeudo Patriarcham virgis cæſum, & Aſello impoſitum, & per vrbem circunductum rurſum Patriarchali ſedi reſtituit, ſed poſt Paulò inter concionandum, ſua excrementa per os egerens, infelicem exhalauit animam, non deerant Romani Pontifices, Zacarias, Stephanus & Paulus ſuo muneri, vt Imperatorem omnibus artibus ab impietate reuocarent, quibus ille efferatior factus, vt ſuæ impietati colorem aliquem induceret, coëgit Synodum ex 738. Epiſcopis, quorum duces erant Theodoſius, Epheſinus, & Pallas Pergenſis Epiſcopi; homines audaciſſimi in qua imaginum vſus damnatur; Conſtantinus Monachus Mortalium nequiſſimus ſedi Conſtantinopolitanæ præficitur, Germanus Conſtantinopolitanus, Ioannes Damaſcenus; & Georgius, Cyp. Epiſcopus Anathemate feriuntur, quibus acceptis Stephanus Pontifex in Romana Synodo impiam hanc Conſtantinopolitanam abrogauit, quod teſtatur Hadrianus Epiſtola ad Carolum, reſiſtens prætereà Sceleſtiſſimo homini, quam plures pietate & fide illuſtres viri, ſed immani Tyranni furorem exagitarunt, Monachos enim ſubcribere compulſos, & Pallio & cucullo depoſito inite coniugia compulit, & vitam ſordidis artibus ſuſtentare, Monaſteria ſuis militibus diſtribuit, Patrum Codices Sacrum ſuppellectilem, reliquias & alia eiuſmodi flammis addixit, Senatores imaginum cultores neruis, & vinculis mulctauit; omneſque iure-iurando Sacrilego adegit; nullum deinceps cultum ſe exhibituros imaginibus, eò denique impietatis Sceleſtiſſimus homo efferata mente progreſſus eſt, vt Chriſti diuinitatem negandam cogitaret, quod cùm ſuo Patriarchæ communicaſſet, illeque imprudens eiuſmodi conſilia propalaſſe publicè virgis cædi, conſpicit, per vrbis compita raptari & in ſordidiſſimis locis iugulari iuſſus eſt. Tandem cum Capronynius expeditionem aduersùs Bulgaros ſuſcepiſſet Arcadrapoli Læthali & Ignota Medicis ægritudine correptus, & in nauigium impoſitus miſerandam efflauit animam, *ſept. 14. dies indict. 14.* Chriſti 775. Moriens ſe ob Dei genitricem dehoneſtatem æterno damnatum incendio, teſtatus, eique deinceps venerationem tribui iuſſit & Sacras Imagines reſtitui.

Hinc iaculeſſit Leo Filius paternæ impietatis hæres, qui Catholicum Principio ſe ſimulans, poſtquam ſibi largitione popularem auram quæſiuiſſet, in apertam Hæreſis profeſſionem eripit, quam & Sacrilegio cumulauit, radiantem enim Lapillis coronam, quam in maiori Eccleſia dedicarat olim Mauric. detractam ſuo capiti impoſuit, quod ſcelus pœna ſubindè diuinitùs eſt ſubſequuta, erumpentibus ex eodem capite Carbunculis, ex quibus ardens exorta Febris, breui hominem extinxit, reliquit Hæredem Conſtantinum ſub matris Iren. tutela, quam Athenis oriundam duxerat, piiſſimæ fœminæ vnà cū filio ſtatim de reſtituenda fide & de ſedandis turbis cogitauit, atque Imprimis de Patriarcha Conſtantinop. creando cùm enim Paulus abdicato Patriarchatu in Monaſter. ſeceſſiſſet, vt de ſubſcripta Synodo Copron. pœnitentiam ageret, eâque ratione inferorum pœnis quibus ſe addictum, ob impiam illam ſubſcriptionem dicebat, Taraſ. quamvis Laicum ſed magnis virtutibus celebrem præficiendum curarunt, qui onus detrectauit, niſi Auguſti Synodum quam primùm indicendam curarent; quare tum Thoraſius, tum Imperatores Litteras ad Adrianum Pontificem dederunt, vt ſua authoritate Synodus indiceretur, àd eamque de more ſuos Legatos mitterent, qui Synodo præſiderent, qui cum Conſtantinopolim perueniſſent Iconomachi ſeditione excitatæ aduersùs Epiſcopos, quæ cum ne ab Imperatoribus quidem ſedari potuiſſet, demùm poſt Annum Nicæum, tranſlata eſt Synodus.

In qua tum conuocanda tùm regenda eminuit ſedis Apoſtolicæ authoritas, quæ & priorem Capron. 16
abrogauit, & hanc Nicænam indixit, atque illi per ſuos Legatos præfuit, quare Imperatores in Sacra diuali Epiſtola, ad Adrianum poſt damnatam

Iconomachiam ſic aiunt. *Vnde nunc conſtanter cum mundo corde, & vero cultu quæ ad Deum pertinent. Vna cum omnibus ſubditis noſtris & his ſacerdotibus doctiſſimis locuti ſumus & cum Concilio decreuimus, vt fieret vniuerſale Concilium & Rogamus veſtram paternam beatitunem vt det ſeipſum: aſcendat huc in ſtabilitatem & firmitatem antiquæ traditionis, ſuper venerabilibus imaginibus* & infrà *& tanquam verus primus ſacerdos, & is qui in loco & ſede Sancta & ſuperladibilis Apoſtoli Petri Præſidet, ſicut dictum eſt aſcendat.* Hadrian. verò Epiſt. ad Conſtantinum iubet imprimis illum Concil. quos Coptonym. aduerſus imagines coëgerit Anathematizari, præſentibus ſuis Miſſis, *imprimis*, inquit, *Pſeudoſillogum illud, quod ſine Apoſtolica ſede enormiter & irrationabiliter, nequiterque contra ſanctorum venerabilium Patrum traditionem de ſacris imaginibus actum eſt anathematizetur præſentibus Miſſis noſtris.* Et ſanè Act. VI. dum Acta Synodi Copronimianæ releguntur ad Inſcriptionem œcumenicæ Synodi. *Quomodo* inquiunt Patres *magna & vniuerſalis, quam neque receperunt, neque concordauerunt reliquorum præſules Eccleſiarum, ſed Anathemati hanc transmiſerunt: non habuit enim adiutorem illius temporis Romanum Pontificem, vel eos, qui circa ipſum ſunt Sacerdotes, nec etiam per Vicarios eius, neque per Encielic. Epiſtolam, quemadmodum lex dicit Conciliorum*, quæ poſtrema verba diligenter notanda ſunt. *act.* 2. lectæ ſunt literæ Hadriani ad Conſtantinum, Irenenm & ad Tharaſium, quibus reſtitutionem imaginum iuxta veterem Eccleſiæ morem præſcribit, *in memoriam venerationis.* His lectis Romani Legati ſic rogauit ſententiam. *Dicat nobis ſanctiſſimus Patriarcha Tharaſius regiæ ciuitatis ſi conſentiat literis ſanctiſſimi Papæ ſenioris Romæ, an non* conſenſit Tharaſius multis. *Paulus Apoſtolus*, inquit, *cum Romanis ſcriberet Approbans ſtudium ſinceræ fidei eorum, quam in Chriſtum verùm Deum habebant: ſic ait fides veſtro annuntiatur in vniuerſo mundo, hoc teſtimonium neceſſarium eſt, & inconſultò agn. qui conatur reſiſtere.* τούτῳ τῇ μαρτυρίᾳ ἀναγκαῖον ἐστὶ καὶ ἄλογον ἡ γένηται τὸ ἀντιτάσσεσθαι, tum Synodus ab iiſdem Legatis Rogata, an eaſdem Sanctiſſimi Papæ Literas admitteret, reſpondit, ſequimur & ſuſcipimus & admittimus, ἑπόμεθα, καὶ δεχόμεθα, καὶ προσδεχόμεθα *in actione* 8. Tharaſius in Epiſtola ad Adrianum, in qua reddit illi rationem eorum quæ Nicæ geſta ſunt. *Veſtra ergo fraterna & ſummo Pontifi. is decorata ſanctitas, cum his ſcilicet ſanctis Patribus, per Deiloquas ſuas doctrinas quodammodo ſermocinata & ab eis accepta veritatis verbo, ſpinoſas herbas quæ nunc geminauerunt fideliſſimorum & piiſſimorum Imperatorum veritati concordans euellere Mach. Spiritus feſtinauit mittens, ſecundum ſcriptam ſibi petitionem noſtram, ad vniuerſalem Synodum faciendam æquinoc. viros Princip. Apoſtolorum Petri, &c.* & Inferius quidem Chriſtum in Synodo Caput fuiſſe conſtitutum propoſitis in ſancta ſede Euangel. quæ toti cæteri iudicij ſincerè ferendi neceſſitatem imponerent; deindè relectis ante omnia literis Hadriani Chriſtum per eas veluti quibuſdam ſpiritualibus cibis vniuerſas fauiſſe, ipsúmque Hadrianum, velut oculum quendam ad rectam veritatis viam corpus vniuerſum direxiſſe ὡς ὀφθαλμὸς τὸ ὅλον σῶμα πρὸς τὴν τῆς εὐθείας καὶ ἀληθείας τρίβον ἐπιδείξαντες itaque Hadriano authore & vt loquitur Concilium Chalcedonenſe ἀρηγῷ omnia decreta ſunt. VIII. Synodus in cauſa Ignatij & Photij ab Adriano Pontifice, & Baſil. Imperatore Conſtantinopoli celebrata, Pontificiam authoritatem tum in conuocatione, tum in ipſa actione manifeſtiſſimè prodit & quidem illum Adrianum indixiſſe, Imperatorem verò ſuo Auxilio; atque ſua operâ eam promouiſſe, docet Epiſtola Hadriani ad Baſilium. *Volumus ergo*, inquit, *per veſtræ pietatis induſtriam numeroſum celebrari Concilium, cui noſtri quoque miſſi præſidentes, & culparum perſonarúmque differentias liquidò cognoſcentes, iuxta quod in mandatis acceperunt ſingulorum liberè diſcretiones coërceant*, & reſidetur *act.* 1. verſionis Anaſtaſij, qua verò authoritate ſe geſſerint Legati, conſtat ex ipſa actorum Synodalium Actione, nam ſedes Apoſtolica libellum Legatis dedit, quo Epiſcopi lapſi prioribus turbis promitterent ſe obtemperaturos conſtitutis à Nicol. I. & Hadrian. II. tunc Pontifice aduerſus hæreticos & ſchiſmaticos, libellúmque ea de re ſua & teſtium à ſe adhibitorum ſubſcriptione munitam traderent Apocryſiariis Romanis, cui libello in prima actione relicto aſſenſum præbuit illumque præbuerit vniuerſa Synodus 2. actione 2. admiſſi ſunt Epiſcopi Præsbyteri & Monachi, qui aduerſus Ignatium adhæſerant perfido libello prædicto, ſubſcripſerunt implorata prius Romanæ ſedis & totius Synodi Clementia, vt reſtituerentur & reſtituerentur, quod factum deinde aliquot Conſtantinopolitanæ Diœceſeos Epiſcopi, Pontificiam authoritatem non æquo animo ferentes improbarunt & ſuggeſſerunt Imperatori Baſilio vt Anaſthaſius Bibliotheſcarius qui præſens aderat, refert in notis ad. Primam actionem huius Synodi *non bene factum fuiſſe quod Eccleſiam C. P. tanta ſubiectione Romanæ ſubdi Eccleſiæ permiſerint, itavt hanc ei tanquam Dominæ Ancillam tradiderunt.* Quibus quærelis permotus Baſil. clam omnia Chyrographa à Legatorum ſcriniis ſubripi iuſſit, ſed Legatis expoſtulantibus de illata iniuria Baſilius opera Anaſtaſij, qui præſens aderat omnia reſtitui præcepit iſtaque adiecit. *Ego quidem Magiſtram Eccleſiaſticorum negotiorum ſedem Apoſtolicam per meos Legatos adij*: & ideò veſtram præſentiam præſtolatus, vt veſtro decreto & *Solertia Eccleſia noſtra remedia ſanitatis acciperet, & nos non noſtris motibus, ſed veſtra ſententia Parenius* 3. Epiſtola ad Ignatium docet conciliabula à Photio, aduerſus Nicolaum I. & Ignatium coacta reſciſſa fuiſſe, Synodi Romanæ decreto, quod in Concilio œcumenico recens recitari, ſubſcriptionibus omnium Epiſcoporum Roborari, & in Eccleſiarum Archiuia referri mandat *& poſt Lectionem* inquit, *Synodus Act. 3. ex verſione Anaſtaſij Epiſtola Sanctiſſimi Vicarij ſenioris Romæ dixerunt eſt Canonicè & Synodice, acta Epiſtola, hæc ſancta & vniuerſalis Synodus dixit. Canonica & ordinata, & plena iuſtitia eſt Epiſtola, quæ lecta eſt Sanctiſſimi Papæ Hadriani.* Hactenus vidimus authoritate Romani Pontificis Synodos omnes Oecumenicas Orientales indictas fuiſſe, opera tamen Principum & Imperatorum non placet autem recentiores Synodos Latinas adducere, cum de illis id multò certiùs ſit & in re adeò perſpicua immorandum non ſit amplius.

Hanc eandem aſſertionem euincit ipſa ratio: Cum enim Concilium Generale ex omnibus Patriarchis, Metropolitis & Epiſcopis conſtet. Ille ſolus in vnum locum cogere pro Imperio poteſt, qui in illos omnes iuriſdictionem habet, & illos ſuis iuſſis obligare ad parendum, quod nullus aut Patriarcha & primus aut alius vllus Prælatus præter ſummum Pontificem poteſt, cum ille vnus vt aliàs demonſtrauimus, ſit Eccleſiæ Princeps, & Caput: Imperator autem aut Princeps laïcus nequeat Epiſcopis in rebus Eccleſiaſticis, quibus ſe immiſcere non debet, imperare, quamvis illi & plurimum conferre poſſint indicendis Conciliis, cum aut illa poſtulant, aut vbi indicta ſunt conuocant, conuocata tuentur, locum in ſuis ditionibus liberum præbent, iter tutum præſtant, & ſumptus ac impenſas ſuppeditant,

ne

nequid per vim agatur, liberáque ſunt omnium ſuffragia vel per ſuos homines, aut ſuammet præſentiam ſatagant, quare nunquam aut inuitis, aut inconſultis Imperatoribus, cæteriſque ſupremis Principibus indicta ſunt Concilia Generalia, immò ipſi Principibus repugnantibus cogi non potuerunt. Plura de hac conuocatione & indictione Conciliorum Generalium, vt legitima ſint à Pontifice Romano facienda dabunt Staplutani *lib. 1. de Principiis, cap.* 10. Bellarm. *lib. 1. de Conciliis, cap.* 12. & Hieronymus Albanus *lib. de oppugnata Pontificis dignitate 2. parte.* Moneo dumtaxat quod iam obſeruauimus, Imperatoriam auctoritatem neceſſariam ad hanc conuocationem fuiſſe, vt eam authenticam temporaliter redderet, & obligaret ad externam executionem; cùm præſides Prouinciarum, aliique Magiſtratus exequi mandarent, quæ ſancita fuerant. Hinc factum vt initio actorum Conciliorum Oecumenicorum dicuntur conuocata, Authore religioſiſſimo Imperatore, cùm tamen dicat Athanaſ. *Epiſtola ad ſolitari*, neget vnquam res Eccleſiaſticas ab Imperatoribus iudicatas. Πότε κρίσις ἐκκλισίας παρὰ τῦ βασίλεως ἔιχετο κύρος, quare ſingula eiuſmodi Concilia, tum à Pontifice *Reſp.* tum ab Imperatore dicuntur, vt fuſiùs oſtendit Cardinalis Perrarius in reſponſione ad Regem Britanniæ *cap.* 42. etſi quando ipſi Pontifices ſibi ſolis auctoritatem conuocandi Concilia vindicant, non excludunt auctoritatem Imperatoriam, qua vt dicebamus, executionem, & alias cauſas temporales de quibus diximus, ſed alias Patriarchas maximè C.P. qui vſurpatis nomine Oecumenici, ſibi etiam ius ſumere volebant cogendi Concilia Oecumenica, vt obſeruat ibidem Perronius; ſi tamen coacta fuiſſent obligarent in conſcientia, quod etiam fieret hodie ſi ſub Turca malo, & infideli Principe cogerentur.

QVÆSTIO IV.

Quis Concilio Generali præſidere debeat.

Princeps Laicus non poteſt præſidere Synodis, num. 1. 2. & 3.

Epiſcopi vnà cum R. Pontifice interſunt Synodis tanquam iudices per ſe, aut ſuos Legatos, num. 4.

Primatus & præſidentiæ iura. Et nota num. 5. & 6.

In his ius relationis & confirmationis, n. 6.

Primum locum in conſeſſu, & ſubſcriptionibus obtinuerunt perpetuo Legati Pontificis, n. 7. 8. 9. 10. 11. 12. & 13.

Quod in ſingulis oſtenditur. Idem datum Ius relationis, & ſententiæ cum prærogatiua ſuffragij, num. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. & 22.

In ſingulis Synodis Oecumenicis demonſtratur.

HÆc quæſtio ex proximè ſuperiori definita videtur, ſolus enim Romanus Pontifex, per ſe, aut per ſuos Legatos, ſiue Vicarios, vel per Epiſtolam Encyalicam, quam Synodus approbet, & ſequatur præſidere poteſt, quod hactenus in octo Synodis Orientalibus demonſtrauimus, & iterum paucis in præſentiarum oſtendimus contra Centuriat. *Centuria* 4. *cap.* 7. Caluin. *lib.* 4. *Inſtitut. cap.* 7. §. 1. & 2. Carolo Molinæ, *in conſil. de non recipienda Synodo Tridentina*, §. 4. & alios qui contendunt Imperatoris eſſe Conciliis præſidere, & illâ auctoritate ſuâ confirmare, quod quam alienum ſit à ratione, & ab ipſo Eccleſiæ vſu, & perpetuâ praxi nemo ſanè non videt: cum enim Concilia Generalia non cogantur, niſi vt de fide communi Chriſtiana, vel de diſciplina Eccleſiaſtica inquiratur, firmetúrque fides Catholica, & contrariæ hæreſes damnentur, atque vt Sancta Eccleſiæ inſtituta probentur, & ſanciantur, ſtatim apparet eorum definitionem vel inſtitutionem non eſſe Iuris Cæſarei, ac proinde neque dirimendis fidei controuerſiis, & ferendis legibus Eccleſiaſticis, præeſſe oportere ſanè, vt ſæpiùs argumentantur Patres, & ipſi Pontifices, Chriſtus non ædificauit ſuam Eccleſiam, niſi ſupra Petri Petram, illum ſui totius gregis Paſtorem conſtituit, non Cæſarem; ſoli Petro & Apoſtolis ligandi & ſoluendi poteſtatem fecit, nullâ Principum mentione, quare poteſtas illa quæ diuinitùs tantùm conferri poteſt, cùm omnem naturæ ordinem ſuperet, tribui nemini debet, niſi cui Chriſtus illam diſertiſſimè, indulſerit; non diminuit ille Principum auctoritatem conſtituto Eccleſiæ Paſtore Petro, ſed neque illam auxit, aut ampliauit gemina geminæque ſunt poteſtates, neque vna debet alterius inuadere iura. Quare Theodoſius *Epiſt. ad Synodum Epheſini, cap.* 35. *Candidianum*, inquit, *ad ſacram veſtram Synodum abire iuſſimus, ſed eâ lege & conditione, vt cum quæſtionibus & controuerſiis, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quiddam commune habeat*, περὶ των δογμάτων γινομέναις ζητήτεσιν χοινωνῖσαι. *Nefas eſt enim* ἀζεμιτὸν, *qui Sanctiſſimorum Epiſcoporum Catalogo adſcriptus, non eſt, illum Eccleſiaſticis negotiis & conſultationibus ſeſe immiſcere.* Vides quàm longè abfuerit Theodoſius ab ambienda Concilij Oecumenici præſidentia, quem imitatus Valentinianus, ne quidem Synodum indicere, vti ſollicitabatur ab Epiſcopis Orientalibus ad reſtaurandam fidem conſubſtantialitatis auſus eſt, reſponditque apud Sozonienſ. *lib. 6. cap. 7. Sibi qui vnus à Laicorum numero erat, non licere ſe huiuſmodi negotiis immiſcere, & ideò Sacerdotes & Epiſcopi, quibus hæc cura ſunt, ſeorſum per ſe vbicumque ipſis libitum fuerit in vnum conueniant.* Quo reſponſo ab Hiſpatiano Legato ſuo dato Lamp. Epiſcopi Orientales conuenere. Idémque Valentinianus reſponſum quod Hiſpatiano dederat; edito ſanciuit. Cuius meminit Ambroſ. cum recuſaſſet de fide cum Auxentio Hæretico in Conſiſtorio Principis diſputare *lib. 5. Epiſtola* 35. *Nec quiſquam contumacem me iudicare debet, hoc cùm aſſeram, quod auguſtæ memoriæ Pater tuus non ſolum ſermone reſpondit, ſed etiam legibus ſuis ſanxit; in cauſa fidei vel Eccleſiaſtici alicuius Ordinis eum iudicare debere, qui nec munere impar ſit, nec iure diſſimilis; hæc enim verba reſcripta ſunt, hoc eſt Sacerdotes de Sacerdotibus voluit iudicare, & quando audiſti, clementiſſime Imperator, in cauſa fidei Laicos de Epiſcopis iudicaſſe. Ita ergo quadam adulatione curuamur, vt Sacerdotalis Iuris ſimus immemores, & quod Deus donauit mihi, hoc ipſe aliis putem eſſe credendum, ſi docendus eſt Epiſcopus à Laïco*, quid ſequetur: *Laicus ergo diſputet, & Epiſcopus audiat; Epiſcopus diſcat à Laïco. At certè ſi vel Scripturarũ ſeriem diuinarũ vel vetera tẽpora retractemus, qui eſt qui in cauſa fidei obiiciat inquam Epiſcopos ſolere de Imperatoribus Chriſtianis, non Imperatores de Epiſcopis iudicare.* Et ſubinde: *Si conferendum de fide Sacerdotum debet eſſe iſta collatio; ſicut factum eſt ſub Conſtantino auguſtæ memoriæ Principe, qui nullas leges ante præmiſit, ſed liberum dedit iudicium Sacerdotibus.* Si ergo piiſſimi Principes, ne quidẽ diſputationibus de fide præſidere ſuſtinuerint, quâ ratione Concilio Oecumenico, in

quo de fide decernuntur præſidere contendunt. Quod ſi aliquando Conciliis eiuſmodi præſentis fuerũt, non ipſi iudicarunt, aut præſides ſe geſſerunt, ſed vt de Conſtantino dicebat Ambroſius liberum Sacerdoribus iudicium reliquerunt, quod non eſt profectò præſidem agere; quod ſi aliquando edictum de fide pronunriarunt, & illud Pontifices approbaſſe viſi ſunt. Reſpondendum eſt cum Agapete, Epiſtola ad Iuſtinum, qui eius edictum amplecti ſe ait: *Non quia Laici auctoritatem prædicationis admittimus, ſed quia ſtudium fidei veſtræ Patrum regulis conueniens confirmamus, atque roboramus.* Quæ Pontificis reſponſio in omni ſimili caſu adhibenda prorſus eſt, idem Ambroſius aduerſùs Palladium Arrianum Epiſcopum, in actis Concilij Aquileienſis; ſi tamen ea acta vera ſint, & non potiùs diſputatio Vigilij aduerſùs Arianos, qua de re Petrus Chifflet. *in vindiciis Vigilij Tapſenſis, c.* 5. & nos tomo vltimò tomo noſtri operis; ſic igitur ſiue Vigilius, ſiue Ambroſius, *Etſi in multis impietatibus deprehenſus ſis, erubeſcimus, tamen vt videatur qui Sacerdotium ſibi vindicat à Laïcis eſſe damnandus. Ac per hoc, & in hoc ipſo quoniam damnandus eſt, qui Laïcorum expectas ſententiam, cum magis de Laicis debeant Sacerdotes iudicare, eum pronuntio Sacerdotio indig.* Quis igitur affirmet Principes Laïcos non modò iudicare Sacerdotes, aut cum Sacerdotibus, in cauſis fidei, de quibus ſolùm agimus, ſed etiam Sacerdotum & Epiſcoporum eiuſmodi iudicio præſidere debere Maximus Abbas, & Martyr inclytus collatione cum Principibus habitâ in Secretario anno 655. & à Patre Sirmondo editâ Magiſtratui Conſtantinopolitano typum à Conſtante Imperatore de vna voluntate, in Chriſto obtrudent. & conſentire iubentibus reſpondit non eſſe Principis de dogmatibus decernere: *Quoniam*, inquit, *quærere ac definire de ſalutaribus Eccleſiæ Catholicæ dogmatibus:* cùm verò illi vrgerent. Ergo non eſt omnis Chriſtianus Imperator *etiam Sacerdos:* reponit liberrimè Maximus: *Non eſt neque enim adſtat altari, neque poſt ſanctificationem panis exaltat eum dicens, Sancta Sanctis, neque baptizat; neque Chryſmatis confectionem patrat; neque facit Epiſcopos, vel Preſbyteros, aut Diaconos; neque linit Eccleſias, neque Indicia Sacerdotis fert, imperſumerale ſcilicet, & Euangelium, quemadmodum Imperij coronam & purpuram.* Deinde reiicit quod abiiciebatur de Melchiſedecho, qui ſimul Sacerdos & Rex extitit; illum enim Chriſti ſimul immortalis Regis & Sacerdotis, non verò aliis Regibus, ac in re præmiſſa, demum concludit in Dyphtichis ſacris Principum nomina vnà cùm plebe, non cum Clero deſcribi, eodémque ordine ipſorum in ſacrificio mentionem fieri: *Verumtamen quid volumus per multa diſcurrere: inter ſacras Oblationes ſupra Sanctam menſam poſt Pontifices, Sacerdotes & Diaconos, omnéſque ſacratum Ordinem cum Laicis Imperatores memorantur, dicente Diacono, & eorum qui in fide dormierunt Laïcorum Conſtantini, Conſtantis & cæterorum. Sic autem & viuorum memoriam facit Imperatorum poſt ſacratos omnes.* Eulogius Preſbyter cum à Valentis Præfecto vrgeretur, cum ipſo Valente communicare, ſimili modo reſpondit. *Nunquid cum Imperio eſt etiam Sacerdotij dignitatem conſequutus.* Facundus Harmianenſis *lib.* 2. *cap.* 3. *Dixi Chriſti* ſolius eſſe cum Sacerdotio Regnum habere, quoniam etſi quidam Reges in eius venturi figuram Sacerdotis functi ſunt, tamen cum manifeſta lux veniret in mundum, vmbras remouens futurorum, mitti alteri dedit quod ſibi ſingulare ſeruauit, ſed in diuerſ. ſua dona diſtribuens, ſic quæ propria ſunt, Sacerdotis Regibus interdixi. Quo circa quemadmodum vir ſapiens, non iudicaret prophanum hoc velle videri, quod ſolus eſt Chriſtus; ex quibus videns impium poſteriorem, & apertam æui Græcorum adulationem, qui omnia Sacerdotum munera ſuis Imperatoribus tribuerunt, ipſumque etiam docendi Officium: nam Demetrio Cliomateno Archiepiſcopo Bulgariæ, Princeps eſt Doctrinæ Eccleſiaſticæ Princeps κοινὸς τῶν ἐκκλησιῶν ἐπιστημονάρχης, ſed inſignis eſt in hac probroſa adulatione Theodor. Balſamo in meditat. de Patriarchatu, vbi omnia Patriarchæ munera Imperatori tribuit.

3. Maneat igitur Imperatores & Principes Laïcos Synodis Oecumenicis præſidere non poſſe, idque ad ſolos Epiſcopos pertinere, neque omnibus eiuſmodi prærogatiuam, concedi, ſed ſoli Romano Pontifici, ſiue ipſemet interſit, ſiue ſuos Legatos & Vicarios ſuo nomine adeſſe iubeat, quod probant omnia quæ hoc & ſuperiori capite attulimus, vt oſtẽderemus ipsũ eſſe totius Chriſti gregis Paſtorem, illique cum quadam prærogatiua datam eſſe, ligandi ſoluendique poteſtatem aliáque eiuſmodi, quæ hoc loco repetenda minimè ſunt, quare conſtantem & perpetuam Eccleſiæ praxim hac in re placet potiùs afferre.

4. Primò quidem obſerua cum de Marca *lib.* 5. *Concor. cap.* 3. *num.* 7. non modo Romanum Pontificem, ſed aliàs etiam Epiſcopos miſiſſe quandoque ſuos Legatos ad Concilia, non modò Diœceſana, ſiue vt modo loquimur nationalia, ſed etiam Oecumenica, qui & ſua totius Prouinciæ auctoritate inſtructi, de rebus in Synodo propoſitis decernant ſuo & Prouinciæ, vel Patriarchæ, ſiue etiam Epiſcopi nomine à quibus mittuntur. Sic enim iubet Concilium Carthagin. III. cap. 3. *Singulis quibúſque annis Concilium conuocetur, ad quod omnes Prouinciæ quæ primas ſedes habent, de Conciliis binos, aut quantos delegerint, Epiſcopos mittant.* Ideo paſſim habentur Legati Prouinciarum Numidiæ, Mauritaniæ, Biſarrenæ, Tripolitanæ, & cæterarum, qui porrectis ſuæ Legationis literis, & in acta redactis à Concilio admittebantur, vt videre eſt in Concilio Carthagin. anno 403. habito, & quia certi fines ſolebant Legatis præſcribi, conſtitutum deinde eſt, vt habetur in collatione Africana cap. 94. *Vt libera Legato ab omnibus Prouinciis ad Concilium dirigeretur.* In Epiſtola Synodica Concilij Aquileienſis Legati Gallorum, nimirùm Viennenſis & Narbonenſis Prouinciarum Conſtantius & Iuſtus. In Epheſina Synodo Philippus Presbyter Pontificius, & ipſe Legatus, ait Epiſcopos Orientales, aut Occidentales per ſe, aut per ſuos Legatos adfuiſſe. Verùm diſcrimen magnum eſt inter Legatos, Pontificios, & aliorum Patriarcharum, Epiſcoporum, aut Prouinciarum, ſi quando ad Synodum Oecumenicam deſtinentur, quod licèt omnes iſti Legati æquè ac Romani eorum à quibus mittuntur, vices agant, præſentiam & ſuffragia exhibeant, Romani eâ iuriſdictione augentur, quæ illis ſeclusâ Legatione non competeret, ſic Paſchaſinus & Licentius Epiſcopi, & Bonifacius Presbyter Legati Pontificij in Concilio Chalcedonenſi gaudent Iure conſeſſus, relationis, & ſuffragij prærogatiua, propter Legationem ſibi à Leone iniunctam ad confodiendum Eutychem, quibus priuilegiis cæteri aliorum Epiſcoporum Legati, & Vicarij non gaudent: nam ſuo nomine ſuffragia ferre poſſent, etſi Legati non eſſent.

5. Obſeruandum ſecundò, Primatum & præſidentiam in Concilio tria maximè continere priuilegia. Primum eſt conſeſſus, & quod inde ſequitur ſubſcriptionis prærogatiua. Secundum eſt ius rogandæ ſententiæ, ſiue ius relationis vel interlocutionis. Tertium ratihabitio, ſiue approbatio & confirmatio, quando Pontifex ipſemet non interſit, alioquin

Synodus

Synodus Canonica & legitima haberi non poterat: ex illis conſeſſus & ſubſcriptionis prærogatiua manifeſta ſunt, cùm nemo neget Principem locum in conſeſſu deberi Præſidi, vt & primam ſubſcriptionem, ius verò rogandæ ſententiæ, & Ius relationis & ſuffragij prærogatiuam ad hanc præſidentiam pertinere, diſces etiam ex veteri politia Romana, in qua Ius relationis fuit non minima pars poteſtatis conſularis; negotium nempè de quo Senatus conſulendus erat, referebatur & exponebatur à conſule: *De iis*, inquit Polybius, *lib.8. Quæ deliberanda incumbunt referunt* (Conſules) *ipſique vniuerſam decretorum Senatus rationem gubernant.* Quia nimirum ſine ea ratione Senatuſconſultum fieri non poterat Tacit. *lib.15. annal.* de Thraſea in Senatu orante: *Magno aſſenſu celebrata ſententia, non tamen Senatuſconſultum perfici potuit abnuentibus Coſſ. ea de re relatum.* Licuiſſet quidem Conſulibus ea de re ad Patres referre, ſed iis aliter viſum: Nam quamvis *liceret Patribus quoties Ius dicendæ ſententiæ accepiſſent quæ vellent expromere, relationémque in ea poſtulare*, vt affirmat idem *tract. lib.3.* pendebat tamen à Conſulum arbitrio, an referrent ea de re ad Senatum, cùmque conſulerent, ſolemnia relationis verba & Suetonij *Caligula cap.15.* hæc colligit Lipſius *ad librum 15. Annal. tacit.1. Quod bonum fœlixque ſit C. Cæſari de re Patres conſcripti, quid fieri placet*; abſentibus aliquando Conſulibus, aut præuaricantibus, aut tacentibus, aliqui ex Principibus ampliſſimi Ordinis, verbi gratiâ, Conſules deſignati, vel aliquis Prætorum, aut Tribunorum referebant; relatione autem factâ Coſſ. rogabant ſententias, initio ducti ab eo qui Princeps Senatus, vel Senator primæ ſententiæ dicebatur, numerabant Senatum, & ſi opus erat diuidi Senatum, & decretum tandem pronuntiabant & iuuante tandem Republicâ. Cum Imperatores ſibi poteſtatem ſingularem vindicaſſent, Ius quoque relationis ad Imperatorem tranſlatum eſt, quare Auguſto decreta in perpetuum tribunitia poteſtate permiſſum eſt vnam de quacumque re vellet relationem facere, etiam præſente Conſule, vt aſſerit, Dion. 54. *lib.* auctum deinde eſt hoc Imperatorum Ius: nam Auguſto, tantum licitum erat vnam tantum relationem facere, hoc eſt de vno tantùm negotio ad Senatum referre, Ius deinde ſecundæ, tertiæ, quartæ, & quintæ relationis cæteris Imperatoribus permiſſum eſt; hoc eſt de duobus, tribus, aut quatuor, quinque negotiis ad Senatum referre; ſic enim cum Lipſio *loco citato*, & de Marca Ius illud Interpret. non vti exiſtimant alij, quod liceret Imperatori de eodem negotio ſemel iterum, tertio, quartò, & quinto referre. Qua lege Imperium delatum eſt, eadem quoque conſtitutum fuit, vt ei Senatum habere, relationem facere, remittere, Senatuſconſultum per relationem diſcretionémque facere liceret. Relationem porrò remittere, eſt in aliud tempus, dimittere, aut illam omninò ſupprimere: referendi verbum, exprimit Græc. χρηματίζειν, & γνώμην εἰς βουλὴν εἰσφέρειν ſententiam in Senatum referre; Imperatores vbi retulerant, eo quos vellent ordine primo videlicet VII. vel ſecundo loco dicebant ſententiam, quare Piſo apud Tacitum *lib.1. Annal.* ſic ad Tiberium *Quo loco cenſebis Cæſaris ſi primus, habebo quod ſequar; ſi poſt omnes vereor*, ne imprudens diſſentiam. Itaque dicebant in Senatu ſententiam Principes, non verò Conſules, qui niſi referente Cæſare ſententiam non rogabantur: non erat etiam vlli certæ formulæ adſtrictus Cæſar, in dicendâ ſententia, & duriorem Senatus ſententiam poterat mitigare.

Præterea relatum Principis cum prærogatiua ſuffragij fiebat per orationem, quam per quæſtores in Senatu ex ſcripto recitabant, & inde ſubſequuta Senatuſconſulta dicebantur. *Auctore Principe* fieri. Tacit. *lib.3. Annal. Paucis poſt diebus Cæſar Auctor Senatus fuit Sacerdotio tribuendi*, & *lib.15. Auctore Principe ſanxere*, & *lib.2.* Orationem Principis ſecuto Patrum conſulto, & Vlpian. *l. Cùm hoc ſtatu 32. D. de donat. inter virum & vxor.* Cum hic ſtatus eſſet donationum inter virum & vxorem, quem anteà retulimus. Imperator noſter Antonius Auguſtus antè exceſſum Diui Seueri Patris ſui, oratione in Senatu habitâ Auctor fuit Senatui, Cenſendi, Fuluio Æmiliano, & Nummo Albino Coſſ. vt aliquid laxaret ex Iuris *rigore.* Illa igitur relatio cum prærogatiua ſuffragij, & oratio Principis continebat quandam auctoritatem cenſendi, immò & definiendi, modò conſenſu & ſuffragiis Senatus adiuuaretur. Senatus etiam decreta ſummâ auctoritate definiebantur, ideoque Senatus Ius facere poterat *l.9. D. de legibus*, & Senatuſconſulta perpetuam per ſe firmitatem obtinebant *l. vnic. C. de Senatuſc.* Theodoſius verò voluit leges à Proceribus Palatij & à Senatu tractandas. *Vt*, inquit, *vniuerſorum conſenſus noſtræ ſerenitatis auctoritate firmetur.* Tandem imperante Iuſtiniano totâ illâ Senatûs auctoritas vel periit, vel omninò elanguit, quare Leo ſapiens vel Philoſophus *Nouella* 78. abrogauit legem digeſtorum, quæ tribuebat Senatui Iuris condendi facultatem; poterant verò Principes, non conſulto Senatu Conſtitutiones edere; & negotio terminare, quia populus totam illis ſuam poteſtatem contulerat, quando tamen Senatus conſulebatur, Summo Iure vtebatur in decernendo.

Diſtinguenda ad extremum eſt relatio Principis ad Senatum, aut ad populum à relatione, quæ fiebat ad Principem à Magiſtratu, aliove quopiam, in quæ quærebantur ab eo, ſuo arbitrio, & æquitate definiret. Habes Codicem de relationibus *lib.7.* cum Index in diſceptanda lite dubius refert. Negotium ad Principem, quid ſtatu velit, cum conſulens. Vnde *l.1. Cod. eod. quoties ad noſtram ſententiam, Iudex ſe pollicetur relaturum, conſultationis exemplum litigatoribus illicò edi apud acta iubeat: vt ſi cui fortè relatio minus plena, vel contraria videatur.* Is refutatorias preces. Similiter apud acta offerebat hinc etiam dicti referendarij, qui ſupplicum preces ad Principem referebant; & vt ait Caſſiod. *lib.6. variorum in eorum formula*, cauſarum ordines Principi exponebant, interpellantium vota cognoſcebant, & iis reſponſa reddebant; quibus videntur noſtri libellorum ſupplicum Magiſtri ſucceſſiſſe, duplex igitur erat relatio, altera Conſulis, vel Principis ad Senatum, cum prærogatiua ſuffragij, altera Senatûs ipſius vel Magiſtratus ad Principem.

Simili ratione in diſciplina Eccleſiaſtica, duplex quoque fuit relatio, vna ad Concilium Oecumenicum ipſius Præſidis, quâ expoſitâ re rogabat PP. quid de quæſtione propoſita ſentirent, dicebátque ſuam ipſe ſententiam cum ſuffragij prærogatiua; altera erat relatio cauſarum in dubiis fidei, & diſciplinæ, quæ à Prouinciis vel Diœceſibus fiebat, tum primò Metropolitis & Patriarchis, tum vltimo ab ipſis proceribus Metropolitis, & Patriarchis ad Sedem Apoſtolicam, de hac vltima relatione & conſultatione fuſiùs de Marca *lib.1. Concordia, cap.10.* & nos aliquid dicemus *tom.3.* vbi de Iudiciis Canonicis modo de relatione ad Concilium, quàm eſſe ipſius Præſidis dicemus ſtatim.

6. Tertium priuilegium præſidentiæ Concilij Oecumenici quo ſolo nunc agimus, eſt approbatio, confirmatio, & definitio, ſiue per Epiſtolam ad Synodum, & à Synodo ad Pontificem Miſſam, ſiue per Epiſtolam ſcriptam ad Synodum congregandam,

quo de fide decernuntur præſidere contendunt. Quod ſi aliquando Conciliis eiuſmodi præſentis fuerũt, non ipſi iudicarunt, aut præſides ſe geſſerunt, ſed vt de Conſtantino dicebat Ambroſius liberum Sacerdotibus iudicium reliquerunt, quod non eſt profectò præſidem agere; quod ſi aliquando edictum de fide pronunciarunt, & illud Pontifices approbaſſe viſi ſunt. Reſpondendum eſt cum Agapete, Epiſtola ad Iuſtinum, qui eius edictum amplecti ſe ait: *Non quia Laici auctoritatem prædicationis admittimus, ſed quia ſtudium fidei veſtræ Patrum regulis conueniens confirmamus, atque roboramus.* Quæ Pontificis reſponſio in omni ſimili caſu adhibenda prorſus eſt, idem Ambroſius aduersùs Palladium Arrianum Epiſcopum, in actis Concilij Aquileienſis; ſi tamen ea acta vera ſint, & non potiùs diſputatio Vigilij aduersùs Arianos, qua de re Petrus Chifflet. *in vindiciis Vigilij Tapſenſis, c. 5.* & nos tomo vltimò tomo noſtri operis; ſic igitur ſiue Vigilius, ſiue Ambroſius, *Etſi in multis impietatibus deprehenſus ſis, erubeſcimus, tamen vt videatur qui Sacerdotium ſibi vindicat à Laicis eſſe damnandus. Ac per hoc, & in hoc ipſo quoniam damnandus eſt, qui Laïcorum expectat ſententiam, cum magis de Laicis debeant Sacerdotes iudicare, cum pronuntio Sacerdotio indig.* Quis igitur affirmet Principes Laïcos non modò iudicare Sacerdotes, aut cum Sacerdotibus, in cauſas fidei, de quibus ſolùm agimus, ſed etiam Sacerdotum & Epiſcoporum eiuſmodi iudicio præſidere debere Maximus Abbas, & Martyr inclytus collatione cum Principibus habitâ in Secretario anno 655. & à Patre Sirmondo editâ Magiſtratui Conſtantinopolitano typum à Conſtante Imperatore de vna voluntate, in Chriſto obtrudent. & conſentire iubentibus reſpondit non eſſe Principis de dogmatibus decernere: *Quoniam*, inquit, *quærere ac definire de ſalutaribus Eccleſiæ Catholicæ dogmatibus:* cùm verò illi vrgerent. Ergo non eſt omnis Chriſtianus Imperator *etiam Sacerdos:* reponit liberrimè Maximus: *Non eſt neque enim adſtat altari, neque poſt ſanctificationem panis exaltat eum dicens, Sancta Sanctis, neque baptizat; neque Chryſmatis confectionem patrat; neque facit Epiſcopos, vel Preſbyteros, aut Diaconos; neque linit Eccleſias, neque Indicia Sacerdotis fert, superſumerale ſcilicet, & Euangelium, quemadmodum Imperij coronam & purpuram.* Deinde reiicit quod abiiciebatur de Melchiſedecho, qui ſimul Sacerdos & Rex extitit; illum enim Chriſti ſimul immortalis Regis & Sacerdotis, non verò aliis Regibus, ac in re præmiſſa, demum concludit in Dyphtichis ſacris Principum nomina vnà cùm plebe, non cum Cleto deſcribi, eodémque ordine ipſorum in ſacrificio mentionem fieri: *Verumtamen quid volumus per multa diſcurrere: inter ſacras Oblationes ſupra Sanctam menſam poſt Pontifices, Sacerdotes & Diaconos, omnéſque ſacratum Ordinem cum Laïcis Imperatores memorantur, dicente Diacono, & eorum qui in fide dormierunt Laïcorum Conſtantini, Conſtantis & cæterorum. Sic autem & viuorum memoriam facit Imperatorum poſt ſacratos omnes.* Eulogius Preſbyter cum à Valentis Præfecto vrgeretur, cum ipſo Valente communicare, ſimili modo reſpondit. *Nunquid cum Imperio eſt etiam Sacerdotij dignitatem conſequutus.* Facundus Harmianenſis *lib. 2. cap. 3. Dixi Chriſti* ſolius eſſe cum Sacerdotio Regnum habere, quoniam etſi quidam Reges in eius venturi figuram Sacerdotis functi ſunt, tamen cum manifeſta lux veniret in mundum, vmbras remouens futurorum, mitri alteri dedit quod ſibi ſingulare ſeruauit, ſed in diuerſ. ſua dona diſtribuens, ſic quæ propria ſunt, Sacerdotis Regibus interdixi. Quo circa quemadmodum vir ſapiens, non iudicaret prophanum hoc velle videri, quod ſolus eſt Chriſtus; ex quibus videns impium poſteriorem, & apertam æui Græcorum adulationem, qui omnia Sacerdotum munera ſuis Imperatoribus tribuerunt. ipſumque etiam docendi Officium: nam Demetrio Cliomateno Archiepiſcopo Bulgariæ, Princeps eſt Doctrinæ Eccleſiaſticæ Princeps κοινὸς τῶν ἐκκλησιῶν ἐπιστημονάρχης, ſed inſignis eſt in hac probroſa adulatione Theodor. Balſamo in meditat. de Patriarchatu, vbi omnia Patriarchæ munera Imperatori tribuit.

3. Maneat igitur Imperatores & Principes Laïcos Synodis Oecumenicis præſidere non poſſe, idque ad ſolos Epiſcopos pertinere, neque omnibus eiuſmodi prærogatiuam, concedi, ſed ſoli Romano Pontifici, ſiue ipſemet interſit, ſiue ſuos Legatos & Vicarios ſuo nomine adeſſe iubeat, quod probant omnia quæ hoc & ſuperiori capite attulimus, vt oſtẽderemus ipsũ eſſe totius Chriſti gregis Paſtorem, illíque cum quadam prærogatiua datam eſſe, ligandi ſoluendique poteſtatem aliáque eiuſmodi, quæ hoc loco repetenda minimè ſunt, quare conſtantem & perpetuam Eccleſiæ praxim hac in re placet potiùs afferre.

4. Primò quidem obſerua cum de Marca *lib. 5. Concor. cap. 3. num. 7.* non modo Romanum Pontificem, ſed aliàs etiam Epiſcopos miſiſſe quandoque ſuos Legatos ad Concilia, non modò Diœceſana, ſiue vt modo loquimur nationalia, ſed etiam Oecumenica, qui & ſua totius Prouinciæ auctoritate inſtructi, de rebus in Synodo propoſitis decernant ſuo & Prouinciæ, vel Patriarchæ, ſiue etiam Epiſcopi nomine à quibus mittuntur. Sic enim iubet Concilium Carthagin. III. cap. 3. *Singulis quibúſque annis Concilium conuocetur, ad quod omnes Prouinciæ quæ primas ſedes habent, de Conciliis binos, aut quantos delegerint, Epiſcopos mittant.* Ideo paſſim habentur Legati Prouinciarum Numidiæ, Mauritaniæ, Biſarrenæ, Tripolitanæ, & cæterarum, qui porrectis ſuæ Legationis literis, & in acta redactis à Concilio admittebantur, vt videre eſt in Concilio Carthagin. anno 403. habito, & quia certi fines ſolebant Legatis præſcribi, conſtitutum deinde eſt, vt habetur in collatione Africana cap. 94. *Vt libera Legato ab omnibus Prouinciis ad Concilium dirigeretur.* In Epiſtola Synodica Concilij Aquileienſis Legati Gallorum, nimirùm Viennenſis & Narbonenſis Prouinciarum Conſtantius & Iuſtus. In Epheſina Synodo Philippus Presbyter Pontificius, & ipſe Legatus, ait Epiſcopos Orientales, aut Occidentales per ſe, aut per ſuos Legatos adfuiſſe. Verùm diſcrimen magnum eſt inter Legatos, Pontificios, & aliorum Patriarcharum, Epiſcoporum, aut Prouinciarum, ſi quando ad Synodum Oecumenicum deſtinentur, quod licèt omnes iſti Legati æquè ac Romani eorum à quibus mittuntur, vices agant, præſentiam & ſuffragia exhibeant, Romani eâ iuriſdictione augentur, quæ illis ſecluſâ Legatione non competeret, ſic Paſchaſinus & Licentius Epiſcopi, & Bonifacius Presbyter Legati Pontificij in Concilio Chalcedonenſi gaudent Iure conſeſſus, relationis, & ſuffragij prærogatiua, propter Legationem ſibi à Leone iniunctam ad confodiendum Eutychem, quibus priuilegiis cæteri aliorum Epiſcoporum Legati, & Vicarij non gaudent: nam ſuo nomine ſuffragia ferre poſſent, etſi Legati non eſſent.

5. Obſeruandum ſecundò, Primatum & præſidentiam in Concilio tria maximè continere priuilegia. Primum eſt conſeſſus, & quod inde ſequitur ſubſcriptionis prærogatiua. Secundum eſt ius rogandæ ſententiæ, ſiue ius relationis vel interlocutionis. Tertium ratihabitio, ſiue approbatio & confirmatio, quando Pontifex ipſemet non intererat, alioquin

Synodus

Synodus Canonica & legitima haberi non poterat: ex illis conſeſſus & ſubſcriptionis prærogatiua manifeſta ſunt, cùm nemo neget Principem locum in conſeſſu deberi Præſidi, vt & primam ſubſcriptionem, ius verò rogandæ ſententiæ, & Ius relationis & ſuffragij prærogatiuam ad hanc præſidentiam pertinere, diſces etiam ex veteri politia Romana, in qua Ius relationis fuit non minima pars poteſtatis conſularis; negotium nempè de quo Senatus conſulendus erat, referebatur & exponebatur à conſule: *De iis,* inquit Polybius, *lib.8. Quæ deliberanda incumbunt referunt* (Conſules) *ipſique vniuerſam decretorum Senatus rationem gubernant.* Quia nimirum ſine ea ratione Senatuſconſultum fieri non poterat Tacit. *lib.15. annal.* de Thraſea in Senatu orante: *Magno aſſenſu celebrata ſententia, non tamen Senatuſconſultum perfici potuit abnuentibus Coſſ. ea de re relatum.* Licuiſſet quidem Conſulibus ea de re ad Patres referre, ſed iis aliter viſum: Nam quamvis *liceret Patribus quoties Ius dicendæ ſententiæ accepiſſent quæ vellent expromere, relationémque in ea poſtulare,* vt affirmat idem *tract. lib.3.* pendebat tamen à Conſulum arbitrio, an referrent ea de re ad Senatum, cúmque conſulerent, ſolemnia relationis verba & Suetonij *Caligula cap.15.* hæc colligit Lipſius *ad librum 15. Annal. tacit.1. Quod bonum fœlixque ſit C. Caſari de re Patres conſcripti, quid fieri placet;* abſentibus aliquando Conſulibus, aut præuaricantibus, aut tacentibus, aliqui ex Principibus ampliſſimi Ordinis, verbi gratiâ, Conſules deſignati, vel aliquis Prætorum, aut Tribunorum referebant; relatione autem factâ Coſſ. rogabant ſententias, initio ducti ab eo qui Princeps Senatus, vel Senator primæ ſententiæ dicebatur, numerabant Senatum, & ſi opus erat diuidi Senatum, & decretum tandem pronuntiabant & iuuante tandem Republicâ. Cum Imperatores ſibi poteſtatem ſingularem vindicaſſent, Ius quoque relationis ad Imperatorem tranſlatum eſt, quare Auguſto decreta in perpetuum tribunitia poteſtate permiſſum eſt vnam de quacumque re vellet relationem facere, etiam præſente Conſule, vt aſſerit Dion. 54. *lib.* auctum deinde eſt hoc Imperatorum Ius: nam Auguſto, tantum licitum erat vnam tantum relationem facere, hoc eſt de vno tantùm negotio ad Senatum referre, Ius deinde ſecundæ, tertiæ, quartæ, & quintæ relationis cæteris Imperatoribus permiſſum eſt; hoc eſt de duobus, tribus, aut quatuor, quinque negotiis ad Senatum referre; ſic enim cum Lipſio *loco citato*, & de Marca Ius illud Interpret. non vti exiſtimant alij, quod liceret Imperatori de eodem negotio ſemel iterum, tertio, quartò, & quinto referre. Qua lege Imperium delatum eſt, eadem quoque conſtitutum fuit, vt ei Senatum habere, relationem facere, remittere, Senatuſconſultum per relationem diſcretionémque facere liceret. Relationem porrò remittere, eſt in aliud tempus, dimittere, aut illam omninò ſupprimere: referendi verbum, exprimit Græc. χρηματίζειν, & γνώμην εἰς βουλὴν εἰσφέρειν ſententiam in Senatum referre; Imperatores vbi retulerant, eo quos vellent ordine primo videlicet VII. vel ſecundo loco dicebant ſententiam, quare Piſo apud Tacitum *lib.1. Annal.* ſic ad Tiberium *Quo loco cenſebis Caſaris ſi primus, habebo quod ſequar; ſi poſt omnes vereor*, ne imprudens diſſentiam. Itaque dicebant in Senatu ſententiam Principes, non verò Conſules, qui niſi referente Cæſare ſententiam non rogabantur: non erat etiam vlli certæ formulæ adſtrictus Cæſar, in dicendâ ſententia, & duriorem Senatus ſententiam poterat mitigare.

Prætereà relatum Principis cum prærogatiua ſuffragij fiebat per orationem, quam per quæſtores in Senatu ex ſcripto recitabant, & inde ſubſequuta Senatuſconſulta dicebantur. *Auctore Principe* fieri. Tacit. *lib.3. Annal. Paucis poſt diebus Caſar Auctor Senatus fuit Sacerdotio tribuendi*, & *lib.15. Auctore Principe ſanxere*, & *lib.2.* Orationem Principis ſecuto Patrum conſulto, & Vlpian. *l. Cùm hoc ſtatu 32. D. de donat. inter virum & vxor.* Cum hic ſtatus eſſet donationum inter virum & vxorem, quem anteà retulimus. Imperator noſter Antonius Auguſtus antè exceſſum Diui Seueri Patris ſui, oratione in Senatu habitâ Auctor fuit Senatui, Cenſendi, Fuluio Æmiliano, & Nummo Albino Coſſ. vt aliquid laxaret ex Iuris *rigore.* Illa igitur relatio cum prærogatiua ſuffragij, & oratio Principis continebat quandam auctoritatem cenſendi, immò & definiendi, modò conſenſu & ſuffragiis Senatus adiuuaretur. Senatus etiam decretâ ſummâ auctoritate deſiniebantur, ideoque Senatus Ius facere poterat *l.9. D. de legibus*, & Senatuſconſulta perpetuam per ſe firmitatem obtinebant *l.vnic. C. de Senatuſc.* Theodoſius verò voluit leges à Proceribus Palatij & à Senatu tractandas. *Vt,* inquit, *vniuerſorum conſenſu noſtræ ſerenitatis auctoritate firmetur.* Tandem imperante Iuſtiniano totâ illâ Senatûs auctoritas vel petiit, vel omninò elanguit, quare Leo ſapiens vel Philoſophus *Nouella 78.* abrogauit legem digeſtorum, quæ tribuebat Senatui Iuris condendi facultatem; poterant verò Principes, non conſulto Senatu Conſtitutiones edere; & negotio terminare, quia populus totam illis ſuam poteſtatem contulerat, quando tamen Senatus conſulebatur, Summo Iure vtebatur in decernendo.

Diſtinguenda ad extremum eſt relatio Principis ad Senatum, aut ad populum à relatione, quæ fiebat ad Principem à Magiſtratu, aliove quopiam, in qua quærebantur ab eo, ſuo arbitrio, & æquitate definiret. Habes Codicem de relationibus *lib.7.* cum Iudex in diſceptanda lite dubius refert. Negotium ad Principem, quid ſtatu velit, cum conſulens. Vnde *l.1. Cod. eod. quoties ad noſtram ſententiam, Iudex ſe pollicetur relaturum, conſultationis exemplum litigatoribus illicò edi apud acta iubeat: vt ſi cui fortè relatio minus plena, vel contraria videatur.* Is refutatorias preces. Similiter apud acta offerebat hinc etiam dicti referendarij, qui ſupplicum preces ad Principem referebant; & vt ait Caſſiod. *lib.6. variorum in eorum formula*, cauſarum ordines Principi exponebant, interpellantium vota cognoſcebant, & iis reſponſa reddebant; quibus videntur noſtri libellorum ſupplicum Magiſtri ſucceſſiſſe, duplex igitur erat relatio, altera Conſulis, vel Principis ad Senatum, cum prærogatiua ſuffragij, altera Senatûs ipſius vel Magiſtratus ad Principem.

Simili ratione in diſciplina Eccleſiaſtica, duplex quoque fuit relatio, vna ad Concilium Oecumenicum ipſius Præſidis, quâ expoſitâ re rogabat PP. quid de quæſtione propoſita ſentirent, dicebátque ſuam ipſe ſententiam cum ſuffragij prærogatiua; altera erat relatio cauſarum in dubiis fidei, & diſciplinæ, quæ à Prouinciis vel Diœceſibus fiebat, tum primò Metropolitis & Patriarchis, tum vltimo ab ipſis proceribus Metropolitis, & Patriarchis ad Sedem Apoſtolicam, de hac vltima relatione & conſultatione fuſiùs de Marca *lib.1. Concordia, cap.10.* & nos aliquid dicemus *tom.3.* vbi de Iudiciis Canonicis modo de relatione ad Concilium, quàm eſſe ipſius Præſidis dicemus ſtatim.

6. Tertium priuilegium præſidentiæ Concilij Oecumenici quo ſolo nunc agimus, eſt approbatio, confirmatio, & definitio, ſiue per Epiſtolam ad Synodum, & à Synodo ad Pontificem Miſſam, ſiue per Epiſtolam ſcriptam ad Synodum congregandam,

dam, aut iam congregatam, cui conſentaneæ Concilium decernit.

His poſitis non erit difficile demonſtrare Pontificem Romanum per ſe, aut ſuos Legatos omnibus Conciliis Oecumenicis legitimis præſediſſe, quandoquidem in ipſis tria illa præſidentiæ munera, nullo planè repugnante obtinuit.

7. Et primùm quidem in conſeſſu & ſubſcriptione, locum Romani Pontificis Legatos obtinuiſſe dubium eſſe nequit. Primò, quidem in Synodo Nicæna præſediſſe Oſium Epiſcopum Cordubenſem teſtatur Athanaſ. *in Epiſt. ad ſolitor.* & de fuga ſua, cum & ipſi Arriani Præſidem Synodorum illum appellaſſent. Socrat. *lib. 9. c. 13. Græco, & 9. Latino*, nomina Patrum Nicænorũ recenſens orditur ab Oſio Cordubæ Epiſcopo, Vitione, & Vincent. Presbyteris, quibus ſubiungit Alexandrum Ægypti, Euſtachium Antiochiæ & Macharium Hieroſolymorum Epiſcopos, ſeruato ordine quam habent Nicæni Canones. Denique primus Concilio ſubſcribit Oſius, cum Vitione & Vincentio Romanæ Eccleſiæ Presbyteris: eos autem fuiſſe Pontificios Legatos, facilè fuerit oſtendere, & quidem de Vitione & Vincentio conſentiunt omnes. De Oſio dubitant aliqui, eo quod Euſebius *lib. 3. de vita Conſtantini*, agens de Concilio Nicæo id tacuerit, quem Euſebij locum referunt, eodem modò Socrat. *lib. 1. cap. 5.* Sozom. *lib. 1. cap. 16.* & Theodoret. *lib. 1. cap. 7.* verùm ex eodem Euſebij loco contrarium refert Gelaſ. Cizirenus in Actis Concilij Nicæni. Ipſe enim ex Hiſpanis valdè celebratus Oſius obtinens locum magnæ Romæ Epiſcopi Sylueſtri, cum Presbyteris Romæ Vit. & Vincentio, cum pluribus aliis conſidebat, atque vt videas nihil hac in parte additum eſt Gelaſio nuper ex Bibliotheca Vaticana, & Codice Conſtantinopolitano, Photius in ſua Bibliotheca Codice 88. teſtatur ſe hæc eadem in Actis Nicænis, à Ciziren. collectis legiſſe, idémque de Oſio teſtatur in libello de ſepteni Synod. quare Euſebij *locum citatum*, Mutilum fuiſſe pluribus oſtendit de Marca *lib. 5. de Concord. cap. 3. à num. 5.* illiúſque Mat. exemplar nact. fuiſſe Sozomenũ, Socratem, & Theodoretum, & ne quid aliud, quàm quod in Mutilo Codice Ruperorum retuliſſe. Deinde ad ipſum demonſtratur; cùm enim ex Athanaſio, & ipſis Actis conſtet Vit. & Vincentium Romanos & Presbyteros in conſeſſu, & ſubſcriptione, omnibus Ægypti & Orientis Patriarchis, ac Epiſcopis Prælatos fuiſſe, id ſanè obtinere non poterant, niſi ſuæ Legationis iure, cum nequidem Epiſcopi eſſent: cum verò Oſius eadem Prælationis prærogatiua vnà cum illis Presbyteris, gauiſus ſit, id non potuit obtinere, niſi vi Legationis ſuæ Pontificiæ: cur enim Epiſcopus Occidentalis omnibus Patriarchis & Prælatis Orientalibus præiuerit, vel igitur doceant, id illi à Synodo Nicæna tributum fuiſſe, vel Conſtantini iuſſione & delegatione πρεσβείαν, illi fuiſſe conceſſam, quod nunquam docebũt, vel fateantur, oportet illum vnà cum duobus illis Romanis Presbyteris Legatione, Pontificia functum fuiſſe; itaque illius Legationis delatum ipſi fuiſſe primam partem & Synodi præſidentiam. Quod verò plures Authores, tum veteres, tum recentiores Presbyteros iſtos Romanos Legatos Pontific. dicant, non meminerint autem Oſij, id tamen non negant, & iiſdem cum Legatis illis duobus Pontificiis prærogatiuis, & iuribus vſum oſtendunt. Ratio autem propter quam eos diſtinguunt, mihi non ineptè videtur, quod cum iam ad Conſtantinum Oſius, qui & contra Arium Alexandriæ Synodum coëgerat, & cum eiuſdem hortatu Synodum Generalem indixerat, Sylueſtro Authore vt diximus. Eodem quo hactenus vſus fuerat Pontificij Legati munere, in Nicænâ Synodo functus fuit, cui Vitionem, & Vincentium Romanos Presbyteros adiunxit Sylueſter, qui omni pari Legationis munere fungerentur, & iiſdem Sedis Romanæ priuilegiis vſi, ac primi conſederunt, ſubſcripſerúntque, Prælati omnium aliarum etiam primarum Patriarchis & Epiſcopis. Denique ſi Oſius Legatus non fuiſſet, alij Legati Prælati ipſi fuiſſent, ſicut ſunt Prælati omnibus Patriarchis & Epiſcopis. Cùm tamen ipſe ſemper primus ſedeat, ſubſcribat & loquatur, atque ſine dubio relationem habuerit, quod quidem ex actis, quæ rerum geſtarum ſeriem euanarent, adſtringendum eſſent, ſi illa integra haberemus, cum Nicænos dumtaxat Canones, eoſque etiam Mutilatos habeamus, de quibus vltimò tomo operis. Iam verò confirmationem & approbationem Concilij Nicæni, à Sylueſtro factam in Concilio III. Romano tradunt eius Concilij acta. Cum enim Nicæni Patres conſtitutiones ad Pontificem miſiſſent, ab eoque confirmari petiiſſent auctoritate Pontificia per Synodum, quæ legitur apud Alphonſum Piſanum *lib. 4. in Act. Concilij Nicæni*, cui reſpondet quoque Sylueſter Epiſtola ad Concilium, eodem *lib. relata*, & indicta Romæ Synodo ex Italia, aliiſque Prouinciis ducentorum & ſeptuaginta quinque Epiſcoporum, & Nicææ Acta iterum confirmauit: *Sylueſter Epiſcopus Sanctæ & Apoſtolicæ Sedis Vrbis Romæ dixit. Quidquid in Nicæa Bithyniæ conſtitutum eſt, ad robur Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ à Sanctis Sacerdotibus trecentis decem & octo noſtro ore conformiter, confirmamus. Omnes qui auſi fuerint diſſoluere definitiones, ſancti & magni Concilij, quod apud Nicæum Congregatum eſt ſub præſentia piiſſimi & venerandi Principis Conſtantini, Auguſt. Anathematizamus & dixerunt omnes. Placet.* Vide Baron. 325. Fœlix Papa III. *Epiſt. 4.* teſtantur PP. Nicænos eam Confirmationem à Sylueſtro petiiſſe. *Domino ad B. Petrum dicente. Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: eam vocem ſequentes trecenti decem & octo Patres, apud Nicæam congregati confirmationem rerum, atque auctoritatem S. Romanæ Eccleſiæ detulerunt.* Maneat igitur Sylueſtrum Romanum. Pontificem primæ Oecumenicæ Synodo Nicænæ præſediſſe per ſuos Legatos, qui primas in omnibus partes ſupra Patriarchas omnes habuere, & quam deinde ipſe eiuſdem Synodi rogatu confirmauit, tum propriis Epiſtolis ad ipſam, tum in Synodo Romanâ 275. Epiſcoporum.

8. Concilio Sardicenſi vero & legitimo, atque etiam Oecumenico, præfuit Iulius Romanus per Oſiũ, Philox. & Areludan. ſuos Legatos, & illud cogi curauit: cum enim poſt Nicænum Concilium Ariani Imperante Conſtantio Bacharentur, eiuſque fidem & Hamaoſim deſtruere conarētur, & maximè in Athanaſium furerent, eúmque cum aliis aliquot Epiſcopis in Concilio ſuo Antiocheno, & è ſua Sede Alexandrina exturbaſſent, ille cum reliquis ad Iulium Romanum Pontificem recurriſſent, Iulius miſit in Orientem Elpidio, & Philozeno, Epiſcopos ad Synodum Romanam, in qua Athanaſij cauſa examinaretur, inuitauit, ſed illi Antiochiam regreſſi Athanaſ. & Iulium, qui vſurpaſſet ſibi poteſtatem ſoluendi, quæ in ſuo conciliabulo conſtituerant, iniuriis conſciderunt: quare Iulius vt turbas ſedaret, egit cum Conſtante, vt Conſtantio fratri perſuaderet, Synodum vniuerſalem ex vtroque Imperio conuocarent, in qua cauſa Athanaſij & nouæ formulæ fidei ab Arianis conſcriptæ expenderentur. Electa ab illis eſt Sardica nobilis Thraciæ Ciuitas Illyrici Iniſiæ confinis, atque inter Imperium Orientale & Occidentale, in quam Epiſcopi, ea triginta ſex Prouinciis conuenerunt *numero 376.*

Præſide

Præſide Oſio, & Philoxeno & Archidamo Legatis Pontificiis, verùm cum Ariani viderent omnia Canonicè in Concilio geri, neque ſe in Athanaſium, & ſocios iam in Romanam Communionem acceptos quicquam proficere poſſe, ſeptuaginta ſex Epiſcopi Ariani Philippolini acceſſerunt, ibique & nouam fidei formulam cuderunt, & Athanaſium, ac Iulium damnarunt, ſuumque illud Conciliabulum, etiam Sacerdocenſe nominarunt, vnde acta eſt in veteribus Scriptoribus obſcuritas, de qua alibi tenus poſtremò. In præſentiarum ſatis nobis ſit, verum & legitimum Sardicenſe Oecumenicum Concilium fuiſſe Iulij R. P. auctoritate coactum, qui illi per ſuos præfuit: Oſius quidem ex veteri ſuâ Legatione in Orientem & Concilio inibi celebranda. Philozenus verò & Archidamus, ex noua ad hoc Concilium deſtinatione, qui ter primo loco ſubſcripſerunt, & Oſius Epiſcopus Legationis Caput perpetuò relationem fecit, & *Can.* 3. de appellationibus, deiectorum Epiſcoporum ad Romanum Epiſcopum ex tota Eccleſia deferenda, & de Legatis ad Iudicia retractanda mittenda retulit, quod placuit Patribus. Itaque ſanciuerunt, & deinde Epiſtola Synodica, ad Iulium omnia Synodica ad Sedem Apoſtolicam, tanquam ad Caput omnium Eccleſiarum referenda eſſe profeſſi ſunt.

9. Epheſinæ primæ vniuerſali, item Synodo præfuiſſe Cyrillum Alexandrinum tanquam Legatum Cœleſtini Pontificis, vnà cum Arcadio, & Proiecto Epiſcopis, atque Philippo Presbytero, oſtendimus *quæſt. ſuperiori,* quare Proiectus in Concil. Epheſino *part.* 2. *act.* 3. inquit, *propterea & ego quoque auctoritate Legationis Apoſtolicæ Sedis vnà cum fratribus ſententiæ executor exiſtens definio.* Cur verò Cyrillo Cœleſtinus adiunxerit tres alios Legatos, hanc rationem reddit de Marca *lib.* 5. *Concord. cap.* 4. *num.* 7. quia cum Theodoſius perſuaſus à Neſtorij Partiariis, Cyrillum ex inuidia & contentione in Neſtorium aduerſus, quem iam à Cœleſtino fuerat deputatus, Synodum generalem indixiſſet, neceſſarium exiſtimauit, Cœleſtinus alias præter Cyrillum Legatos mittere, qui & poſteriores curas deferrent, & Cyrilli anathematiſmos confirmarent, ideóque inter Cyrillum & alios Legatos diſcrimen fuiſſe, quod Cyrillus non mitteretur à Cœleſtino, ſed eius vices auctoritati ordinariæ adiunctas ſuſceperat, & tum proprio iure tum aſſitatio, & extraordinario cenſebat, reſpondebat, quæ ei qui locum præſidis tuebatur iuſſu Principis, aut Præfecti Prætorio, quique eodem iure adminiſtrabit omnia, quæ Præſes ſi adeſſet; alij verò Legati agebant, ſupplentes locum Sedis Apoſtolicæ totiúſque Synodi, Occidẽtalium Epiſcoporum, inquit, Cyrill. *Concilij Epheſini, part.* 1. *Act.* 3. & ſolo iure Legationis, quam miſſi ſunt ad Synodum, ea quæ in mandatis ſibi iniuncta erant velut formulæ addicti, exequebantur, ideóque in Legationis conſortio cedebant dignitate Cyrillo, erant quoque illi poſteriores tempore & inferiores iure: perturbatum porrò quidpiam in actis apparet: nam in cenſendo primus aliquando loquitur Philippus, aliàs in ſubſcriptionibus Cyrillum & Arcadium ſequitur, Iuuenalis Hieroſolymorum Epiſcopus, aut Proiecto, ac Philippo præfertur, aliàs Cyrillum & Philippum excipit, Iuuenalis, quem Arcadius & Proiectus ſequuntur; alias Iuuenalis tres & Legatos ſubſcribendo antecedit, quæ fuit Librariorum & exſcriptorum oſcitantia: nam verus illorum ordo ex litteris Cœleſtini, ad Synodum & Theodoſium, atque ex ipſa Synodo 2. *part. Act.* 3. & 4. deſumendus eſt, in his verò omnibus, poſt Cyrillum recenſentur Arcadius & Proiectus Epiſcopi, & Philippus Presbyter.... neque placet quod vir eruditus Cardinal. Perron. *cap.* 35. exiſtimauit Philippum idcircò Prælatum Arcadio, aliquando quod Philippus miſſus eſſet à latere Pontificis, reliqui duo à Synodo Romana: nam hi omnes in ſubſcriptionibus ſe Sedis Apoſtolicæ, & Eccleſiæ Romanæ Legatos dicunt, & omnes Legati Pontificis dicebantur miſſi ex latere, vt videbis in Leone *Epiſt.* 19. *ad Iulianum Bocenſem.*

10. Secundam Synodum Epheſinam Dioſcori artibus Chryſapſij opera à Theodoſio indictam minimè neceſſariam exiſtimabat Leo, quia talis quæſtio erat agitanda, de qua non poſſet, aut deberet dubitari; vt tamen aliquid Imperatori concederet, & eius ſtudiis auctoritatem Sedis Apoſtolicæ accommodaret ad illam, Iulianum Epiſcopum Putitolanum Renatum, Presbyterum & Hilarium, Diaconum, delegauit, quia vice ſua Conuentui intereſſent, vt habetur in eius Epiſtola ad Theodorum & Pulcheriam, & ad Synodum ipſam, ſed cum à Dioſcoro ſibi timente non eo honore, quo debebant Legati fuiſſent excepti, omnia per vim acta fuerunt, Dioſcori opera, & Eutych. abſolutus, non modo Synodus vniuerſalis, aut legitima, non fuit, ſed latrocinium nuncupata, & omninò damnata à Concilio Chalcedonenſi, & Dioſcorus ab eodem tanquam reus Sixti iuſſus; ac deinde exauctoratus, vt diximus *quæſt. ſuperiori*, illique obiectum fuit, quod Legatos Apoſtolicos non admiſiſſet, & omnia αὐθεντικῶς pro Imperio & auctoritate & non ordine ac Canonicè, ſiue ἀκολυτῶς egiſſet: quare hinc Sedis Apoſtolicæ in Synodis præſidentia Confirmatur potiùs quàm infringitur, cùm ex non admiſſis Legatis Apoſtolicis; nulla & inualida fuerit habita à ſequenti Chalcedonenſi, quàm Leonem & indixiſſe, & illi per ſuos Legatos præfuiſſe totámque Synodum non aliud dẽfiniuiſſe, quàm quod Leo Epiſtola ad Flauianum, quem Tomum Leonis nominabant, P. P. docuerat in eadem maximè Synodo Romani Pontificis dignitatem & Primatum eminuiſſe teſtantur omnes, & *quæſt. ſuperiori* ſatis docuimus.

11. Quinta Synodus de tribus Capitulis nullos habuit Legatos Pontificios, cum ipſe Vigilius Pontifex adeſſet Conſtantinopoli, & neque per ſe adeſſe voluerat, neque ſui vice quemquam deputare, quomodo tamen deinceps, tum ab ipſo Vigilio, tum ab aliis Romanis Pontificibus probata, ac confirmata fuerit, atque ita vniuerſalis & legitima habita, qualis non fuerat, ante approbationem & confirmationem Pontificiam ſatis diximus pro inſtituto *quæſt. proxima ſuperiori.*

12. Sexta Synodus contra Monothelitas auctoritate Agathonis habita ſecundum eius litteras Synodicas, tanquam à Diuo Petro dictatas, Monothelitas damnauit, præſidentibus Apoſtolicis Legatis, in hac tamen Synodo tria genera Legatorum Sedis Apoſtolicæ notantur; alij enim Vicarij Agathonis dicebantur, alij Legati totius Concilij Apoſtolicæ Sedis, nempè Epiſcopi Theſſalonicæ & Corinthi, quàm diſtinctionem ſic explicat de Marca *lib.* 5. *Conc. cap.* 6. *num.* 4. Conſtantinus Pogonatus vnitatis Eccleſiæ ſtudioſus & diſſidium ex ea hæreſi inter Orientem & Occidentem natum tollere ſatagens; ſcripſit ad Domnum Papam, vt aliquot viros Religioſos & eruditos Conſtantinopolim mitteret, auctoritate & libris inſtructos, qui cum Patriarcha C. P. & Machario Antiocheno de dogmate controuerſo inquirerent. Itaque rem nouam omninò poſtulauit; qui enim ad Synodos Legati Sedis Apoſtolicæ mittebantur, vices Romani Pontificis gerebant, atque etiam Romani Concilij, in quo eorum Legatio decernebatur Con-

ſtantinus

ſtantinus autem contendit à Pontifice vt non ſolum mittat ſuæ perſonæ Vicarios, ſed etiam Romani Concilij Legatos, nimirùm duodecim Metropolitas, & quatuor Abbates, cum enim probè ſciret Conſtantinus Romanam ſedem inuidia laborare apud Orientales, quod Martinus in ſua Synodo damnaſſet Sergium & Pyrrhum Monothelitas exegit, vt maior fides Legatis Apoſtolicæ ſedis haberetur, mitti etiam Legatos Concilij Romani ſiue Occidentalis, quod non modo ex Italia, ſed & ex aliis prouinciis Imperio minimè ſubiectis conſtabat, poſtulant, itaque domui ſucceſſor Agatho Imperatoris, piis votis annuit & Legatos cum diſtinctione deſtinauit. Primò Theodorum & Georgium Presbyteros, atque Ioannem Diaconum qui ſuam vicem implerent, deinde Concilij Occidentalis vice Ioannem Portuenſem & Ioannem Regis & Abundantium Teuipſanæ Ciuitatis Epiſcopos cum aliquot Clericis, & Monachis, quod docet Conſtantinus Epiſtola ad Georgium Conſtantinopolitanum, atque hæc diſtinctio in ſubſcriptionibus ſeruata eſt, primo enim loco ſubſcribunt Theodorus & Georgius Presbyteri Eccleſiæ Romanæ & Ioannes Diacon. locum tenentes Agathonis Papæ. Secundò loco Georgius Epiſcopus Conſtantinopolis nouæ Romæ, tertio loco Petrus Presbyter Vicarius ſedis Alexandriæ. Quartò Theophanes Epiſcopus Antiochiæ F. Georgius Presbyter locum tenens Theodori Presbyteri & Vicarij Apoſtolicæ ſedis Hieroſolymorum, interiectis deinde tribus Epiſcopis Theſſalonicæ Cypri & Rauennæ, nouo deinde loco ſubſcribit Ioannes Epiſcopus Portuenſis *Legatus tertius Concilij Apoſtolicæ ſedis Romæ.* Vndecimo Baſilius Gortynæ Epiſcopus, qui ſe etiam dicit Legatum Concilij quem abundantiùs & Ioannes Legati ſequuntur, ex quibus vides Legatis qui vices Agathonis gerebant primum locum & honorem fuiſſe delatum Legatos verò, Concilij Romani ſiue Occidentalis, poſt Patriarchas atque etiam aliquot Metropolitas locum obtinuiſſe quæ viri erudtiſſimi obſeruatis notanda enim eſt, vt appareat Legatos ipſiuſmet Pontificis omnibus Prælatos etiam Patriarchis, quamvis Presbyteri & Diaconi dumtaxat forent.

7. Synodus ſtudio Conſtantini, & Irecius aduerſus Iconoclatas coacta fuit anno 787. illorum hortatu Adrianus legatos Apoſtolicos miſit Petrum Archypresbyterum Eccleſiæ ſancti Petri & Petrum Abbatem S.Sabæ, qui eius nomine Concilio præfuerant & primum locum, obtinuerunt, Tharaſius verò Conſtantinopolitanus ſecundum vti omnia acta declarant.

Octauæ denique Synodo aduerſus Photium. Donatus & Stephanus Epiſcopi & Marianus Diaconus vicarij Legati, Miſſi, Apocriſarij ſeu locum tenentes, Hadriani II. vt eos nomine Anaſtaſius Biblyothecarius, præfuerant, habemus hactenus in Antiquioribus Synodis, neque enim per recentiores, cum lectoris faſtidio eundum eſt, primùm locum in conceſſu & in ſubſcriptionibus Legatos Pontificios obtinuiſſe quod erat quoque Primatus, & præſidentiæ ſignum ſiue effectus, videndum modo eſt an & relationem, & ſententiam cum prærogatiua ſuffragij habuerint, quod erat alterum, illudque certiſſimum præſidentiæ argumentum vti nuper diximus, atque vti breuitati conſulamus quid in celeberrimo aliquo Concilio cuius fideliſſima acta feruntur animum manibus factum fuerit inquiramus, indè enim quod in aliis geſtum certò ſit licebit inquirere, adeamus igitur Concilium Chalcedonenſe, toto orbe celeberrimum, quod ſumma auctoritate atque ſummo imperio & cogi voluit Leo vt *queſt. ſuperiori* diximus, & eadem coactum auctoritate texit nam 1. Epheſinam Synodum reſcindit & Latrocinium illud, vti nominabant P.P. Caſtigat, 2. à ſua Communione remouet eius Synodi participes 3. ſuos Legatos Conſtantinopolim deſtinat, qui ſuam de Incarnatione Epiſtolam Anatolio ſubſcribendam deferant 4. Vbi ſubſcripſiſſe Anatholium retulit cum Legatis, pluresque Orientales Epiſcopos communionis Roman. cupidos dolere, quod Dioſcoro adhæſiſſent 5. De his pœnitentibus admiſſæ culpæ ſtatuit *ep.40. ad Anatolium* vt coram Anatolio & ſuis Legatis ſatisfaciant, maléque geſta condemnent & communioni reſtituantur, de Dioſcoro verò & Iuuenali totius turbationis auctoribus præſcribit Anatholio, vt præſtet quæ Legati facienda dixerint, & eorum memoria in ſacris non recitentur. 6. Deinde *ep.46.* omnes difficultates quæ oriuntur in eo negotio ad ſe trahit, v.g. ſi primores aliqui reſipiſcant *maturioribus* Apoſtolicæ ſedis Conciliis reſeruat, vt examinatis omnibus atque perpenſis, de earum actionibus quid Conſtitui debeat, *æſtimetur* & mox; *Ac ſi de aliquibus ampliùs fuerit deliberandum celeriter ad nos relatio dirigatur, vt pertractatâ qualitate cauſarum noſtra quid obſeruari debeat ſollicitudo conſtituat*; vbi vides Leonis Epiſtolam vim ſententiæ, & definitionis canonicæ obtinuiſſe, illaque hæreſim in Oriente damnatam, à toto orbe fuiſſe, Synodum quæ ipſi fouerat reſcidiſſe & perturbationis auctorem ſuo iudicio reſeruaſſe, qua ſimili ratione Pelaſiana hæreſis à Zozimo præſcripta eſt, vt Auguſtin. & Proſper reſtantur 7. Si qui Epiſcopi rebus à ſe definitis diſſentiant, rogat Marcianum & Palaſerium, vt Synodum vniuerſalem cogi concedat, vt in correctionis remediis omnibus conſulatur: Epiſtola enim 3. Legatos ſuos ad Theodoſium mittens, *vt verò aliqui à puritate noſtræ fidei atque patrum auctoritate diſſentiant Concilium vniuerſale intra Italiam, ſicut Synodus quæ hanc ob cauſam Romæ conuenerat, mecum petit, clementia veſtra concedat: vt in vnum conuenientibus nobis his qui aut ignorantia, aut errore prolapſi ſunt correctiones remediis conſulatur* & *Ep. ad Pulcheriam* 35. *à qua nimirùm fidei profeſſione* quam ſua Epiſtola ad Flauianum explicuerat, *ſi forſitan ab aliquibus diſerepatur vniuerſale Concilium Sacerdotum, haberi intra Italiam Clementia veſtra annuente iubeatur, qua remotâ arte fallendi tandem pateat, quid altiore tractatu coerceri debeat, aut ſanari*: 7. Marcianus & Pulcheria Synodum vniuerſalem cogi volunt, vt omnia Leone authore Pontifice definiantur & decernantur. Quare Marcian. *epiſt. ad Leonem c.1. part. Concilij Chalcedon. cap.34. relata ſic verò hoc oneroſum, vt tu ad has partes aduenias, hoc ipſum nobis propriis litteris tua ſanctitas manifeſtet. Quatenus in omnem Orientem, & in ipſam Thraciam & Illyricum ſacræ noſtræ literæ dirigantur, vt ad quendam definiendum locum, vbi nobis placuerit omnes ſanctiſſimi Epiſcopi debeant conuenire, & quæ Chriſtianorum Religioni atque fidei Catholicæ proſint, ſicut ſanctitas tua ſecundum Eccleſiaſticas regulas definiuerit, ſua diſpoſitione declarent.* Pulchria verò Epiſt. ſua ad eundem Leonem, *ibidem relata* cap.35. *facto concilio & de Catholica confeſſione & de his Epiſcopis, qui ante hoc ſegregati ſunt, ſicut fides & Chriſtiana pietas exigit, te authore decernant.* Itaque vnâ cum relatione Pontificis & ſententia cum prærogatiua ſuffragij vniuerſæ Synodi conſenſus accedebat, quare illa αὐτεντία auctoritatem quidem & iudicium includebat, cui deindè conſentiebat Synodus, quæ idcircò ne temerè videretur aſſentire Epiſtolæ & definitioni Pontificiæ, diligenter expendebat, vtrum cum ſcripturis, Patrum dictis ac fidei Canonibus & Regulis conſentiret, atque ita definitione Pontificis & Synodi declaratione, fidei

Doctri-

doctrina firmaretur & hæreſes damnarentur; quare cum in Chalcedonenſi Concilio exigeretur ratio eorum quæ in ſecunda Epheſina perperam decreuerant, excuſauit Dioſcorus quod à Theodoſio non ſibi ſoli data eſſet auctoritas αὐθεντία, ſed Iuuenali quoque Hieroſolymorum, & Thalaſcio, Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopis, & ſuo, aliorúmque Collegarum iudicio, cui Synodus vniuerſa conſenſerat. Octauò, coacta igitur Chalcedon. Synodo Leo ſuos ad illam Legatos deſtinauit, & ſuis literis, ad Synodum ſuam fidem cum ſuffragij prærogatiua conſtituit, perfidiam Eutychetis in Epiſtola ad Flauianum à ſe damnatam ſignificauit, pulſos Epiſcopos à ſuis ſedibus, eo quod non recepiſſent Eutychetis hæreſim, reſtituendos omninò decreuit. Cæteris verò, ſi errorem abiurarent, honorem conſeruandum eſſe. *Vnde fratres chariſſimi*, inquit Leo *Epiſt. 47. reiecta penitus audacia diſputandi contra fidem diuinitùs inſpiratam, vana errantium fidelitas conquieſcat, nec liceat defendi quod non liceat credi. Cum ſecundùm Euangelicas auctoritates, ſecundum Propheticas voces, Apoſtolicamque doctrinam, pleniſſimè & lucidiſſimè per literas, quas ad B. memoriæ Flauianum Epiſcopum miſimus, fuerit declaratum, quæ ſit de Sacramento Domini noſtri Ieſu Chriſti, pia & ſincera confeſſio.* Subinde de reſtituenda diſciplina Eccleſiaſtica, quæ occaſione variarum hæreſeon mirum quãtum collapſa fuerat, ſic ſtatuit: *Quia verò non ignoramus, per prauas æmulationes multarum Eccleſiarum ſtatum fuiſſe turbatum, plurimoſque Epiſcopos, qui hæreſim non receperunt, ſedibus ſuis pulſos & in exilia deportatos, atque in locum ſuperſtitum alios ſubſtitutos, vulneribus his primitus adhibeatur medicina iuſtitiæ; nec quiſquam ita careat propriis, vt alter vtatur alienis, cùm ſi, vt cupimus, errorem omnem relinquant, nemini quidem perire honor debeat; ſed illis qui pro fide laborarunt, cum omni priuilegio oporteat ius proprium reformari.* 9. relectis actione 2. Synodi Symbolis Nicæno, & Conſtantinopolitano & Cyrilli Epiſtola ab Epheſina Synodo confirmata, & denique Epiſtola Leonis ad Flauianum, cuius lectioni acclamarunt PP. hanc eſſe Apoſtolorum & Patrum fidem, Petrum per Leonem locutum, ſe omnes ita credere, eamque Epiſtolam à Dioſcoro ſuppreſſam, & ne legeretur impediuiſſe in 2. Epheſina Synodo, de quibuſdam tamen eius Epiſtolæ locis quibuſdam Illyricianis, & Palæſtinis Epiſcopis, neque contentis interpretatione, quam Ælius Archidiaconus Conſtantinop. & Theodorus attulerunt, licet reliqua Synodus nihil dubij ſupereſſe diceret, interlocuti Iudices voluerunt dubitantes Epiſcopos in domum Anatolij C.P. conuenire & à cæteris omnibus qui non ſubſcripſerant Epiſtolæ doceri. 10. Act. 4. interrogantibus Iudicibus quænam eſſet de fide ſententia? reſpondit Paſchaſinus Legatus Synodum eam amplecti fidem quam Nicænum, Conſtantinopol. & Epheſinum Concilia expoſuerant, quamque Leonis Epiſtola declaret. Interlocuti tamen Iudices declarandum dixerunt à ſingulis Epiſcopis, an Epiſtol. cum Concilio Nicæno, & Conſtantinopolitano conſentiret, quod ſtatim profeſſus eſt Anatolius C.P. & ſe Epiſtolæ ſubſcripſiſſe. Paſchaſinus verò Legatus eam interlocutionem iniquo animo ferens retulit, nemini dubium eſſe, quin Epiſtola Leonis antiquis fidei Symbolis concordaret; quod ſtatim omnes & ſinguli Epiſcopi teſtati ſunt, ſéque omnes illi ſubſcripſiſſe; quare Illyriciani, & Palæſtini ſibi omnem ſcrupulum, quem ex linguæ vocis ambiguitate ſumpſerant, à Legatis ſublatum eſſe, atque adeò ſe quoque Epiſtolæ ſubſcripſiſſe dixerunt.

11. Quia Monachi quidam Eutychetis partiarij turbas excitarunt, Iudices interlocuti ſunt vt proponeretur formula fidei, quæ omnibus credenda complecteretur. Concepta formula act. 5. relecta eſt, & ab omnibus Epiſcopis probata, cùm tamen ambiguitate quadam laboraret, & aliquo modo aduerſari Leonis Epiſtola videretur, reclamarunt Legati cum aliquot Epiſcopis Orientalibus his vocibus: *Si non conſentiunt Epiſtolæ Apoſtolici, & Beatiſſimi Viri Papæ Leonis, iubete nobis reſcripta dari, vt reuertamur, & ibi Synodus celebretur.* Diſcordiam ſedare cupientes Iudices poſtularunt, vt aliquot à Diœceſibus ſingulis Epiſcopi vnà cum Legatis & Anatolio coram Magiſtratibus in Oratorio de fide tractarent; verum reclamarunt Epiſcopi, nihil addendum definitioni, ſe quidem Leonis Epiſtolam omninò ſuſcipere; quæcunque tamen in illa continebantur nolle addi definitioni. Controuerſia tota erat circa has voces quibus Leo dixerat vtriuſque naturæ proprietatem in vnam coiuiſſe Perſonam ἀσυγχύτως ἀτρέπτως, καὶ ἀδιαιρέτως. Quare re ad Imperatorem relatâ, voluit vt vel Epiſcopi ſecundùm interlocutionem Iudicum diſceptarent, vel vt quiſque per ſuum Metropolitanum fidem ſuam ſine ambagibus exponeret; quod ſi neutrum vellent, ſcirent Synodum in Occidentem transferendam, cum neque ſic contentio ceſſaret. Iudices interrogarunt Epiſcopos Dioſcorum, an Leonem ſequerentur; & cùm omnes ſe Leoni adhærere reſpondiſſent, ſapienter detulerunt, definitioni addendum, cum duas in Chriſto naturas eſſe vnitas inconfusè, inconuertibiliter, & inſeparabiliter, ſecundùm iudicium Leonis, cui ſe adhærere omnes palam profitebantur. Cõcepta eſt igitur omnium conſenſu formula, recepta Epiſtola Leonis, & omnia dubia eodem modo, quo in eadem Epiſtola, explicata, & deinde act. 6. relecta & confirmata præſente Marciano, qui iterum interrogauit PP. an ex omnium conſenſu definitio edita fuit; quare Synodi conſenſum ſuo edicto confirmauit, pœnis in contumaces decretis.

12. Hinc vides quod obſeruauit quoque de Marca *c. 9. cit. n. 4.* 1. omnes Epiſcopos Leonis Epiſtolæ ſubſcripſiſſe, quod eius auctoritatem omninò auget, cum ſolis decretis ſubſcribatur; non autem Epiſcoporum ſuffragiis. 2. Nefas viſum eſt Synodo, vel vno verbo ab ea Epiſtola diſcedere, & omnes ambiguitates ex Leonis præſcripto, atque eius verbis tollere, atque declarare quod Leo definierat, illique proinde tribuit ius relationis, cum prærogatiua ſuffragij. In Epiſtola itaque Synodica poſt Concilium aiunt PP. Leonem fuiſſe in expoſitione fidei Petri interpretem, ſéque ipſo duce & auctore fidei veritatem Eccleſiæ filiis deprompſiſſe: ὅθεν καὶ ἡμεῖς ὡς ἀρχηγῷ σοὶ τοῦ καλοῦ πρὸς ὠφέλειαν χρησάμενοι τῆς ἀληθείας, καὶ τῆς ἐκκλησίας τέκνοις τὸν κλῆρον ἐδείξαμεν, ſed vno ſpiritu, vnâ conſpiratione, atque concordia, confeſſionem fidei declaraſſe, Chriſto ſpirituales delicias, per literas Leonis Epiſcopis, in Synodo, veluti in conuiuio quodam conſidentibus, præparante.

Ipſius Synodi initio iuſſit Leo per ſuos Legatos 13
Dioſcorum ab Epiſcoporum Sede amoueri, & inter reos conſtitui; quod Act. 1. factum retulimus *q. ſuperiori*, & licet Iudicibus id durum videretur, & in eo defuncti Theodoſij auctoritatem minui, tandem Legatis id fieri vrgentibus id factum, ſicut & Theodoretus Cyri, qui in ſuum locum reſtitutus fuerat à Pontifice in Concilium admiſſus omninò eſt.

Cum quæſtio Canonica de Dioſcoro præſenti- 14
bus Magiſtratibus, inſtitui & diſceptari non poſſet, illis recedentibus totus ordo iudicij à Legatis Pontificiis conſtitutus fuit: *Noſtram paruitatem*, inquiunt Act. 3. *huic ſancto Concilio pro ſe præſi-*

dere præcepit (Leo) ideóque neceſſarium eſt hæc quæ in medium præferuntur per noſtram inter locutionem diſceptari, Paſchaſinus igitur vbi porrectos aduerſum Dioſcorum libellos recitari iuſſiſſet, & tribus edictis eum ad Synodum ſe ſiſtere recuſantem euocaſſet, ter eandem Synodum interpellauit, quod de illo agendum videretur. Reſpondit Synodus Canonicis pœnis ſubiiciendum. Et Iulianus Hypəporum Epiſcopus, petiit à Legatis, vt quoniam ipſi locum Leonis tenerent inflictas à Canonibus pœnas contra Dioſcorum decernerent: *Omnis enim & tota vniuerſalis Synodus concors efficitur veſtræ ſanctitatis ſententia.* Tunc re citatis Dioſcori flagitiis, eiúſque in ſuo ſcelere obſtinatione cenſuit à Synodo condemnandum ipſeque Leonis auctoritate condemnauit his verbis, quæ retulit Leo in Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ, quibus exemplar ſententiæ aduerſus Dioſcorum latè ſcripſit; Paſchaſinus autem Latinè loquebatur: *Vnde Sanctus ac Beatiſſimus Papa Caput vniuerſalis Leo per nos, vt Legatos ſuos Sanctâ Synodo conſentiente Petri Apoſtoli prædictus dignitate, qui Eccleſiæ fundamentum & Petra fidei, & cœleſtis Regni ianitor nuncupatur, Epiſcopali eum dignitate nudauit, & ab omni Sacerdotali opere, fecit extorrem, quare ſuper his congregata venerabilis Synodus Canonicam contra prædictum proferat iuſtitiâ ſuadente iuſtitiam.* Hæc inquam ſunt ipſa Paſchaſini Dioſcorum damnantis verba, vti Leo ipſe refert Latinè verò loquebatur & pronunciabat, Legatus in Græco tamen omittuntur, & reddita non ſunt verba: *Caput Vniuerſalis Eccleſiæ*, & iſte *Petri Apoſtolica prædictus dignitate*, aliáque ſubſtituta quâ fide non liquet ſatis eſt damnationem pronuntiatam eſſe à Legato nomine Leonis de Synodi conſenſu: nam ſcribuntur omnium Epiſcoporum ſuffragia, qui Dioſcorum reiiciunt, nulláque additur formula nomine Synodi concepta, quamvis ſubiiciatur, Comonitorum miſſum ad Dioſcorum nomine Synodi quo monetur ipſum Epiſcopatu deiectum fuiſſe iudicio Synodi, quod omninò longè aliud eſt ab exemplari ſententiæ a Patribus ſubſcriptæ; ex his tamen factum vt poſteriora Concilia Occidentalia ſæpiùs nomine Pontifices, *ſacro approbante Concilio*, concipiantur exemplo, videlicet huius formulæ *Leo per nos Vicarios ſuos Sanctâ Synodo conſentiente.*

Hanc eandem relationem neceſſariam eſſe contendebant iidem Legati Pontificij, cum in eadem Synodo ageretur de noua iuriſdictione Epiſcopo C.P. volebant enim priùs à Leone decerni, vt deinde eius auctoritati Epiſcopi conſentirent & ſubſcriberent, quod teſtantur PP. in Epiſtola Synodica: *His ita conſtitutis*, inquiunt, *vehementer exiſtere tentauerunt.* Legati nimirùm *proculdubio* à veſtra prouidentia inchoari, & hoc bonum volentes, vt ſicut fidei ſic bonæ ordinationis vobis deputetur *effectus*, quod cum vt Imperatoris & Senatus cuiúſque deſideriis ſatisfacerent, expectari non potuiſſet, ſe ita conſtituiſſe, non dubitantes, quin Leo hoc quoque decretum probaret, quare rogant enixè Pontifices, vt ſuo decreto iudicium Synodi honoret, &, ſicut in rebus fidei ipſi Pontifici conſenſum ſuum adhibuerunt, ita Pontifex Primatus ſui iure, quod decet filiis, impendat, conſenſum, ſcilicet, & confirmationem τῶν πεπραγμένων βεβαίωσιν τε καὶ συγκατάθεσιν.

16 Hoc idem Ius relationis Cœleſtinus habuit in Synodo Epheſina; cum enim ipſe in Romana Synodo Neſtorium damnaſſet, & niſi ſuam eiuraſſet hæreſim, cum ab Vniuerſalis Eccleſiæ communione remouiſſet, cuius ſententiæ executionem Cyrillo mandarat, illéque in Alexandrina Synodo per Synodica monuiſſet Neſtorium, niſi intra tempus à Cœleſtino præſtitutum reſipiſceret, ſe à Communione Eccleſiæ alienum, & intereà Epheſina Synodus vniuerſalis, vbi literis Cœleſtini & Cyrilli Epiſcopi coacta Synodus in Neſtorium ter vocatum, & contumacem ſententiam pronuntiauit: *Coacti*, inquiunt, *PP. per ſacros Canones & Epiſtolam Sanctiſſimi Patris noſtri Cæleſtini Romanæ Eccleſiæ Epiſcopi lachrymis deinde perfuſi, ad lugubrem hanc contra eum ſententiam neceſſario venimus.* Vides quantâ auctoritas fuerit Epiſtolæ Pontificiæ, quæ neceſſitatem iniecit Synodi Patribus, pœnas quas ſacri Canones in contumaces indixerant, ipſi etiam Neſtorio intelligere; quare poſt aduentum Legatorum Arcadij, Proiecti, & Philippi Epheſini damnato iam Neſtorio à Cyrillo firmus Cæſareæ Epiſcopus dixit, primam ſententiam tuliſſe Cœleſtinum, & formam huius negotij per priores ſuas litteras, ad Cyrillum præſcripſiſſe, lectis itaque poſterioribus literis ad Synodum Epheſinam, & à Legatis delatis, quibus ſuam ſententiam de fide confirmabat: *Omnes Reuerendiſſimi Epiſcopi ſimul acclamauerunt. Hoc inſtitutum iudicium, nouo Paulo Cœleſtino, nouo Paulo Cyrillo, Cœleſtino cuſtodi fidei, Cœleſtino cum Synodo concordi, Cœleſtino vniuerſa Synodus gratias agit, vnus Cœleſtinus, vnus Cyrillus, vna fides Synodi, vna fides orbis terrarum.* Inquit, *Act.* 2. *Epheſina*, quibus acclamationibus conſenſum ſuum ac approbationem ſententiæ ac iudicio Principis, tum Senatus, tum Synodus præbere & teſtari ſolitus erat. Non enim temerè, incongruè, & pro cuiuſque libito acclamabatur, ſed vnus præibat, ac formulam acclamationis concipiebat, quem reliqui ſequebantur, eaſdem, quoque voces repetebant, idque aliquando ſæpiùs modulatione quadam, quæ omnia in actis excipiebantur, vt videre eſt aliquoties in Auguſtæ hiſtoriæ Scriptoribus, & Cauſabonus in Vulcalij Auiodinm Caſſium annotauit: Salmaſius verò in Vopiſcum obſeruat aliquando Senatuſconſulta facta fuiſſe Solis acclamationibus, nullis ſententiis dictis, quod factum refert Pallio in Valeriani cenſura, alias poſt acclamationes interrogabantur Senatores, quod ſeruatum eſt in electione tacita Imperatoris apud Vopiſcum; communiter tamen incipiebant à ſententia dicenda quam ſequebantur acclamationes approbantium ſententiam eius, qui primus dixerat, vt apud Capitolium in maximo, & Balbino Sabino, qui ſententiam dixerat acclamatum eſt vno conſenſu: *Æquum eſt iuſtum eſt. Sabini ſententiæ omnes conſentimus.* Alias breuior erat ſolemnis illa formula *omnes.* De variis iſtis acclamationibus quæ Principibus fiebant variis de cauſis, vide Iacobum Gothofredum *in libro ſeptimo, Cod. Theodoſ. tit.* 20. *lib.* 2. & Franciſcum Bernardinum *ſeptimi libris de vterum acclamationibus.* Et plauſis, quoties verò fiebant acclamationes in Senatu & iudicio per illos teſtabantur conſenſum & approbationem ſententiæ, eius cui acclamabatur, vnde & in acta referebantur acclamationes, atque earum numerus; mos verò iſte acclamandi à Senatu & foro ad ſacra traductus eſt, atque in Eccleſiaſticis iudiciis, & Conciliis maximè vſurpatus, quod teſtantur acta Epheſina & Chalcedonenſia, & quandoque acclamationes præcedebant rogationes ſententiarũ alias ſubſequebantur, erantque certiſſima ſigna cõſenſus vniuerſalis, totius Synodi, quæ ſentẽtiã eius qui relationẽ fecerat amplectebatur, quod totum in

in Epheſina Synodo ſeruatum circa Cœleſtini Epiſtolam & ſententiam vidimus. In Concilio Sardicenſi Oſius Romani Pontificis Legatus, vt ſuperiùs diximus, refert de rebus conſtituendis, ita vt primam ſententiam addat, tum Patrum ſuffragia rogat, qui omnes tranſeunt in Oſij ſententiam, quod ſi aliqui Epiſcopi Canones quoſdam propoſuerunt, id factum Oſio conueniente: nam vbi Olympius Epiſcopus vltimum Canonem ſuggeſſiſſet, *Oſius dixit: ſuggerente fratre & Coëpiſcopo noſtro Olympio; etiam hoc placuit.*

18 In ſexta Synodo ab Agathone & Conſtantino Pogonato coacta, contra Monothelitas quos iam Martinus damnarat, & eam damnationem Synodus Romana, & Occidentalium, atque Agatho duabus litteris ad Conſtantinum per Legatos datis, qui Synodum præſederunt, atque ipſo ſtatim initio præſente Conſtantino, toti Synodo de quæſtione propoſita retulerunt, & quandam eſſe de hac quæſtione Apoſtolicæ Sedis ſententiam Pontificiis literis expreſsè ſignificarunt, errorem vnius voluntatis damnarunt, & à Conſtantinopolitanis rationem huius nouitatis exegerunt: quia verò Imperator iudiciorum Ordini imminebat, eſt interlocutus, & quia Macharius Antiochenus Monothelit. contendebat ſuam opinionem prioribus Conciliis, & Maiorum traditioni conſentire, iuſſus eſt id oſtendere, quare detecta impij Hæretici fraude, & variis falſitatibus, ipſe cum ſuis ſectatoribus damnatus & anathemati ſubiectus eſt, Chriſtiana fide ſtabilita ſecundum definitionem Agathonis, cuius Epiſtolæ recitatæ ſunt *Act.*4. deinde *actione* 7. Legati retulerunt teſtimonia Patrum, qui duas voluntates, & operationes affirmabant. Interrogatique à Principe Georgius. C. P. & Macharius Antiochenus an definitioni Agathonis conſentirent petierunt tempus ſibi concedi, vt loca Patrum cum Codicibus, qui in Patriarchia aſſeruiebantur, conferrent, & demum Georgius denuò interrogatus à Principe, faſſus eſt recitata teſtimonia in Relationibus Agathonis, conuenire cum exemplaribus authenticis, ideoque ſe relationes accipere profeſſus eſt, quare in eam ſententiam omnes Epiſcopi: verum & Epiſtolas Agathonis *tanquam à Spiritu ſancto dictata per os Sancti ac Beatiſſimi Principis Apoſtolorum, Petri & digito prædicti ter Beatiſſimi Papæ Agathonis ſcriptas*, vt ibidem loquitur Demetrius Epiſcopus præuidos, & denique duas ſe voluntates profeſſi ſunt credere. *Act.*10. coram Synodo publica collatione locorum, quæ Agatho allegarat, & Hæreticorum qui contrarium docebant; tandem *Act.*7. facta eſt fidei definitio iuxta Epiſtolas Agathonis, & Concilij Occidentalis, cum Confeſſione duarum voluntatum; quæ definitio relecta eſt *actione* 18. Idémque conſtat ex Synodica Concilij ad eundem Agathonem, in qua Patres ſe eius literas ſequutos magnificis verbis fatentur, contendúntque vt denuò venerabili reſponſo ſuo Synodi ſententiam confirmet, quod Leo II. eius ſucceſſor præſtitit, vti ſuperiùs annotauimus.

19 In VII. Synodo contra Iconocl. ab Hadriano I. opera Conſtantini & Iren. coacta Ius relationis Pontificiæ enitunt: nam miſſis ſuis Legatis quos & Apocryſiarios vocat, Conciliabulum à Conſtantino Copronymio aduerſus imagines, coram ſuis Legatis anathematizari iuſſit. Deinde ſuis literis ad Conſtantinum & Irenem, & ad Taraſium C. P. imaginum reſtitutionem, iuxta veterem Eccleſiæ morem fieri præſcripſit 3. *Actis* in Synodo literis Pontificis, Legati rogarunt Taraſij ſententiam. *Dicat nobis*, inquit, *Sanctiſſimus Patriarcha Taraſius Regiæ Ciuitatis, ſi conſentiat literis Sanctiſſimi Papæ ſenioris Romæ vel non.* Qui eius definitioni ſe ſubſcribere dixit. Quartò, rogarunt Synodum an literas eaſdem amplecteretur, quæ eas ſe ſequi, ſuſcipere, & admittere teſtata eſt. Quod verò Legati Pontificij paſſi ſubinde ſunt Tharaſium ordinem totius Synodi ſuis interlocutionibus conſtituere, quaſi ſolo conſeſſas priuilegio, & τῇ προεδρίᾳ, contenti, videntur, quibuſdam de ſua dignitate aliquid detraxiſſe, ſed reſpondet de Marca *libro quinto, Concord. capite decimoquarto, numero quinto*, illos præcipuum Caput ſui Iuris, & Primatum omninò tenuiſſe, cùm ſententiam à Patriarchis, & cæteris, atque tota Synodo petierunt, in cæteris Capitibus, quæ maiorem linguæ Græcæ peritiam requirebant, permiſiſſe Tharaſio, vt pro more omnia illa expediret, & ſolitum ordinem conſtitueret, qui tamen ſuâ auctoritate illud onus non ſuſcepit, ſed & Synodi delegatione, ſiue Legatorum, & totius Synodi mandato ad ſuggeſtionem Epiſcoporum Siciliæ.

20 In VII. denique Synodo omnia à Legatis Apoſtolicis & Sedis Apoſtolicæ peracta fuiſſe euidentiſſimum eſt ex ipſis actis, & iis quæ nuper ſatis fusè pro noſtro inſtituto retulimus. Nam primi Epiſcopi lapſi iuſſi ſunt profiteri ſuâ, & teſtium ſubſcriptione ſe omnibus quæ aduersùs Hæreticos & Schiſmaticos à Nicolao Primo, & Hadriano II. decreta erant & continebantur libello per Legatos ad Synodum à Sede Apoſtolica directo. Seruaturos eamque ſuam proteſtationem ſubſcriptam Legatis tradere. Secundo libello *Act.*5. lecto tota Synodus aſſenſa eſt, & Monachi ac reliqui rei libello ſubſcripſerunt, implorata Synodi clementia; & denique Donatus Legatus Pontificius Synodo, ſic ſubſcribit: *Ego Donatus gratiâ Dei Epiſcopus Sanctæ Oſtienſis Eccleſiæ locum obtinens Domini mei Hadriani Summi Pontificis, & vniuerſalis Papæ, omnia quæ ſuperiùs leguntur huic Sanctæ & vniuerſali Synodo Præſidens vſque ad voluntatem eiuſdem exam. Præſulis, promulgaui, & manu propria ſubſcripſi.* Iiſdem planè verbis ſubſcribunt Stephanus Epiſcopus Nepeſinus, & Marianus Romanæ Eccleſiæ Diaconus, reliqui duo Legati Apoſtolici. Hactenus de Synodis Orientalibus, in quibus R. P. habuiſſe Ius relationis cum prærogatiua ſuffragij, oſtendimus. Idem certum eſt de Synodis Occidentalibus, quas ſigillatim innumerare nihil attinet, duo tamen illuſtriſſima exempla notare viſum eſt.

21 Primum eſt in Synodo Romana ſub Hilario Papa anno 467. Idem Hilarius refert prouidendum eſſe, ne legis diuina præcepta, Nicænorum Canonum conſtituta, & Apoſtolicæ Sedis decreta circa ordinationum tenorem admittantur, ſuam verò eſſe altam curam: *Quia nos*, inquit, *qui potiſſimi Sacerdotis adminiſtramus officia, talium tranſgreſſorum culpa reſpiciet, ſi in cauſis Dei deſides fuerimus inuenti*, &c. Refert deinde de bigamia, de illiteratis & aliis. Poſt eam autem relationem ab vniuerſis Epiſcopis, & Presbyteris acclamatum eſt. *Exaudi Chriſte Hilario vita dictum ſexies.* Et refert deinde Hilarius alicubi in Hiſpania pleroſque Sacerdotes in mortis confinio conſtitutos in locum ſuum alios deſignatis nominibus ſubrogare, vt ſcilicet non legitima expectetur electio, ſed defuncti gratificatio, pro populi habeatur aſſenſu, iuſſit itaque Pontifex Aſcanij Epiſcopi Tarraconenſium, & Comprouincialium, quibus ſignificabat Nundinarium Barchinonenſium Epiſcopum, ſibi Irenæum ſucceſſorem deſignaſſe, quod ipſi

Epiſcopi probarant, ſecuti defuncti Iudicium, & meritum deſignati, aliorúmque vota; & ſuum decretum rogant auctoritate Apoſtolicâ firmari, ab vniuerſis acclamatum eſt, vt hæc reſcindantur, rogamus dictum eſt ſepties vt diſciplina ſeruetur, rogamus dictum eſt VIII. & poſt eum tamen conſenſum vniuerſalem Synodi per frequentem acclamationem expreſſam, ſpeciales ſingulorum ſententias Hilarius rogauit: ſex primores Epiſcopi ſuas ſententias vniformiter dixerunt, & conſentan. ab Hilario propoſitis ab vniuerſis: Deinde acclamatum eſt, *Sententias fratrum omnes ſequimur, omnes confirmamus, & obſeruandas eſſe decernimus*, ſequutæ ſunt deinde iteratæ acclamationes, & tandem Hilarius Papa *Synodo* præſidens dixit: *Quoniam præſentis definitionis formam, quæ ſecundum ſanctorum eſt ſtatuta in omnium Eccleſiarum notitiam peruenire decernimus, ne quicquam pro ſui poſſit ignoratione licere, quod non licet, edere geſta notariorum, ſollicitudo curabat.* Exinde Hilarius ſcripſit ad Aſcanium & Comprouinciales Synodicam, quæ incipit. *Poſtquam litteras veſtræ dilectionis*, in qua *capite tertio*, iubet Irenæum à Barchinonenſi ſede remoueri, & in propriam redire.

22 Non minus illuſtre eiuſdem relationis exemplum & ſententiæ cum prærogatiua ſuffragij ſuppeditat nobis Synodus Romana ſub Symmacho coacta, ab illo ann. 449. a. 72. duobus Epiſcopis ad tollendum ambitum, & ſchiſma, quod eo natum fuerat in eiuſdem electione Symmachi; quare ille ita refert ad Synodum *Concilium dilectionis veſtræ, neglecta hyemis aſperitate ſollicitudo pro Eccleſiaſtica immanitate ſpecialiter congregauit, vt Epiſcopalem ambitum & confuſionis incertum vel popularem tumultum, quem per ſubreptionem diaboli vſurpatione aliquorum tempore ordinationis meæ conſtat exortum, communicato pariter tractatu, in futurum poſſimus robuſtè, ac viuaciter amputare: atque ideo caueamus in poſterum ne ſubuerſio diſciplinæ, aut audacia præſumentium geſtiat tentare ſimilia, & pari adiunctione tractemus expreſſis, ſcilicet, ſententiis, ſancientes quid circa Romani Epiſcopi ordinationem debeat cuſtodiri*: poſt ſententias & varias repetitáſque acclamationes Symmachus dixit: *Acclamationes veſtras Synodique iudicium præſentia geſta ſuſcipient.* Et poſt paulò: *Ea quæ ad ſopiendos veternoſæ præſumptionis errores, ad inſenſa rebus Eccleſiaſticis ægritudinis moribus, quibus vniuerſalis afficiebatur Eccleſ. deliberatio Religioni congrua pacique conſtituit, firmitatem perpetuam ſortiantur, vt præſtante Deo, quem paſtorem cuſtodem rerum conſtat, eſſe bonarum Synodal. ordinatio vrgeat, atque omnes ſine perſona alicuius diſtinctione conſtringat, contra ſi quis ſub qualibet occaſione venire præſumpſerit, indicta ſuperiùs diſtinctione plectatur.*

23 Maneat igitur ex longiori iſta diſputatione ſolum Romanum Pontificem per ſe, vel ſuos Legatos Oecumenicis Conciliis præſidere, in illiſque & ſuos etiam Vicarios primum locum in conſeſſu, & ſubſcriptionibus habere, Ius relationis, atque ſententiæ cum prærogatiua ſuffragij obtinere, & denique confirmationem, atque approbationem definitionis, ad Pontificem ſpectaret, quæ neceſſaria omninò eſt, vt iterum dicemus *quæſt. 6.* hoc nihilominus Ius relationis non impedit, vti conſtat ex dictis libertatem ſuffragiorum Synodi, quæ etiam à præſidibus rogantur, manétque Concilij auctoritas, & neceſſitas quam 2. *q.* conſtituimus.

QVÆSTIO V.

Quinam Synodo Oecumenicæ intereſſe debeant.

Status quæſtionis, num. 1.
Soli Epiſcopi Iudices in Conciliis aſſident, num. 2.
Quinam Epiſcopi conuocari debeant, n. 3. & 4.
Poſſunt Cardinales intereſſe, n. 5. *&* *Abbates*, num. 6.
Cæteri Clerici non poſſunt, etiamſi Parochi & Curiones, niſi delegati, n. 7. 8. & 9.
Diluuntur obiecta à Vigorio, n. 10. 11. 12. & 13.
Quinam Laici intereſſe poſſint, n. 15. & 16.

QVæſtio inſtitui poteſt, tum de Clericis, tum de Laicis, deinde variis de cauſis aliqui intereſſe poſſunt Synodo Oecumenicæ; de illa enim ſolum loquimur in præſentiarum, vel vt indicent & definiant, vel vt conſulant, & materiam tractandam examinent, vel vt Patribus miniſtrent, notent, verbi gratiâ, ſcribant acta, Codices relegant, vel denique vt impediant, ne quid turbatum oriatur & ſecuritatem præſtent Patribus. 1

Dico primò, ſolos Epiſcopos ex ſua dignitate habere, vt tanquam Iudices interſint Oecumeniæ Synodo, in eaque ſententiam ferant; quod Catholici omnes fatentur, ratio manifeſtiſſima eſt; cum enim iſta Concilia ſint vera iudicia, in quibus damnarentur hæreſes, fides aſſeritur, diſciplina Eccleſiaſtica conſtituitur, & quandoque ipſorum Epiſcoporum cauſæ, aliæve Eccleſiaſticæ iudicantur. In iis Ius ſuffragij & ſententiæ, non poteſt eſſe, niſi in illis qui ratione ſuæ dignitatis & numeris, atque ordinationis ſunt Eccleſiæ Principes & Iudices, quales ſunt ſoli Epiſcopi, quo nomine intelligimus ipſos etiam Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, & Metropolitas; in hac argumentatione maior & minor propoſitio, certæ videntur de fide: nam Concilium eſſe Iudicium, cuius ſententia fideles Chriſtiani obligentur, liquet, tam ex poteſtate legiſlatiua, quàm in Eccleſia eſſe pridem oſtendimus, & quæ ſine dubio in Concilio reſidet, tum ex Canonibus ab Apoſtolis latis in Concilio Hieroſolymitano *act.* 15. liberant enim gentes Apoſtoli ab omnium legalium obſeruatione; iubent tamen abſtinere à ſanguine & ſuffocato, *actione* verò *cap.* 16. Paulus percurrens ciuitates iubet ſeruari dogmata ab Apoſtolis in eo Concilio conſtituta. Deinde Chriſtus *Matth.* 18. apertè iubet fratrem peccantem denuntiandum eſſe Eccleſiæ: *Si verò*, inquit, *Eccleſiam non audierit, ſit tibi velut Ethnicus & Publicanus.* Concilium vniuerſale eſt Eccleſia Congregata, ſuis igitur ex dictis & ſententiis obligat ad parendum, at ſanè ſæpiùs ſuas leges violantibus dicunt anathema: iam verò ſolos Epiſcopos eſſe Principes, & Patres Eccleſiarum, quis neget, maximè, cùm illi Apoſtolis ſucceſſerint, vt alibi indicauimus, & *tom.* 3. vbi de Hierarchia, dicturi ſumus. Deinde in Conciliis, tum fidei dogmata, tum Conſtitutiones omnibus ſanciuntur, tum Epiſcoporum quandoque inſtituantur Iudicia, & ſtatim apparet, non debere iudicari Epiſcopos ab inferioribus Clericis, qui etiam doctrinam aliam quam ab Epiſcopis acceptam, plebes docere nequeāt, immò neque docere, niſi annuēte & permittēte Epiſcopo; ſa uet his 2

his omnibus continua praxis Eccleſiæ, nam in omnibus Concilij Oecumenicis Epiſcopi ita ſubſcribunt vt definire ſe dicant. *Ego N. Epiſcopus N. definiens ſubſcripſi*, nulli verò alij ſubſcribunt, niſi nomine Epiſcoporum à quibus ſui vice deſtinati ſunt, & Euſebius aliique ſcriptores, dum de Conciliis loquuntur, & cauſas eorum cogendorum, memorant, perpetuò dicunt eſſe conuentus Epiſcoporum.

3 Vt verò ſit Concilium Generale, vocari debent omnes Epiſcopi ex Vniuerſo. Si fieri poſſit, qui per ſuos Vicarios adſint, quare ex diuerſis nationibus conueniunt, quod ipſe vſus docuit hactenus, nam dum in Oriente celebratum eſt Concilium, pauci omninò ex Occidente adfuerunt, & fuere ſolum Legati Pontificij, quibus aliquando adiuncti ſunt Legati Concilij Occidentalis & ſæpius Romani, quod ex variis Italiæ, Galliæ, & Hiſpaniæ Epiſcopis coactum fuerat, vti ſuperiùs annotauimus & ex Conciliorum, actis conſtat, nam in Nicæno interfuit vnus Epiſcopus, ex Gallia vnus, item ex Hiſpania, & Affrica, & duo Presbyteri ex Italia, vnus item ex Hiſpania & Affrica, & duo Presbyteri ex Italia, in Concilio II. quid fuit Conſtantinopolitanum, & in Epheſino nulli ex Occidente fuerunt, ſed Damaſus & Cœleſtinus qui Epheſino ſuos Legatos miſerat, illa confirmarunt nomine ſuo atque Epiſcoporum Occidentis, quos Romæ collegerat Concilio Chalcedonenſi, non inter fuerunt niſi Legati Leonis Pontificis, qui miſit ad Synodum Literas quibus Epiſcopi Italiæ, Galliæ & Hiſpaniæ in ſuis Synodis Leoni in omnibus ſe conſentire profitebantur, eadem ratione in Conciliis Occidentalibus, licet Oecumenicis pauci omninò ex Oriente ad fuerunt, vt conſtat ex Lateranenſi ſub Innocentio III. Lugdunenſi ſub Gregorio X. Viennenſi ſub Clemente V. & denique Tridentino, vnde ſapienter colligit Bellarm. *lib. 1. de Concil. cap.* 17. Sæpiùs Concilia nationalia ſuperare numero Vniuerſalia, quamvis ſint inferiora authoritate vt patet. Nam Concilium Vniuerſale C.P. habuit tantùm Epiſcopos 150. ex variis nationibus, Concilium autem Carthaginenſe ætate Auguſtini numerauit 217. Epiſcopos teſte Proſpero.

4 Debent porrò potiſſimùm conuocari primarij Patriarchæ, qui vel ipſi adſint, vel ſuos Vicarios & Legatos mittant. Nam VII. Synodus eam quam Conſtantinus Copronymus 328. Epiſcoporum Conſtantinopoli coëgerat, ex eo negant PP. ſubſequent. VII. dici poſſe Vniuerſalem, quod illi neque Papa Romanus neque cæteri Patriarchæ interfuiſſent per ſe aut ſuos Legatos, neque illi conſenſiſſent. *Quomodo autem*, inquiunt, *Act. VI. magna & Vniuerſalis, quam neque receperunt neque Concordauerunt reliquarum præſules Eccleſ. ſed anathemati hanc tranſmiſerunt, non habuit enim adiutorem illius temporis Romanum Papam, vel eos qui circa ipſum ſunt Sacerdotes, nec etiam per Vicarios eius neq; per Emcyclicam Epiſt. quemadmodum Lex dicit Conciliorum, ſed nec ſibi conſentientes Patriarchas Orientis Alexandriæ, ſcilicet Anthiochiæ ac ſanctæ Ciuitatis, vel Comminiſtros & ſummos Sacerdotes, qui cum ipſis exiſtunt.* Inde quoque S. Maximus Synodum quandam à Phyrro monothelita cũ quo diſputat allegatam reiicit quia qui conuenerant, *nullis Epiſt. commendatitiis* nec Epiſ. à Metropolitanis, neque Metropolitani à Patriarchis, non Epiſtolæ neque ſubſtituti ab aliis Patriarchis *miſſi eſſent* & Metaphraſtes in vita Stephan. Iunioris. *Qui Oecumenicum Concilium iſtud vocari queat, quod nec Romanus Antiſtes citra cuius authoritatem nullo modo fieri poteſt, vt res Eccleſiaſtica ad normam dirigantur, gratum, habuit non Alexandrinus; comprobauit nec Antiochenus, nec denique Hieroſolymitanus? Vbinam eorum libelli lecti ſunt, ſi aut quinam per diuerſa loca miſſi ſunt, in quibus falſum veſtrum Concilium confirmaretur, vt hac ratione Oecumenicum cenſeri poſſit.* Rationem reddit Anaſtaſius Byblyoth. *quia tunc perfecta eſt generalitas Eccleſiæ cum omnes eiuſmodi ſedes vniformes ſunt*: Quare inde VIII. Synodum contra Photium Vniuerſalem probat *in præfat. ad illam* quod illa Romana Pontifici, eius definitionem amplexa, conſenſerat, ſicut & cæteræ Patriarchales ſedes. *Cum Chriſtus*, inquit, *in Corpore ſuo quod eſt Eccleſia, tot Patriarchales ſedes, quot in cuiuſque mortali corpore ſenſus locauerit, profectò nihil generalitati deeſt Eccleſiæ, ſi omnes illæ ſedes vnius fuerint voluntatis, ſicut nihil deeſt motui corporis, ſi omnes quinque ſenſus integræ communiſque fuerint ſanitatis inter quas videlicet ſedes, quia Romana præcellit non immeritò viſui compraatur qui profectò cunctis ſenſibus præminet, acutior illis exiſtens, & communionem ſicut vnus eorum cum omnibus habens.*

5 Præter Epiſcopos poſſunt intereſſe Concilio Vniuerſali Cardinales, licet non Epiſcopi quod ſunt de Conſilio Papæ, & vnum quodammodo corpus vnà cum ipſo ad Vniuerſalem Eccleſiam ordinandam efficiant, vti dicemus alibi. Petrus Damiani. *Epiſt.* 20. *ad Cadol. lib.* 1. *& libro* 2. *Epiſt.* 1. illis partem regiminis Vniuerſalis tribuit, & Bern. *lib.* 4. *de conſid. cap.* 6. *& Epiſt.* 188. Qui monet eorum eſſe Vniuerſalis Eccleſiæ ſcandala præſcindere ſurgentes auellere ſpinas, ſedare querelas, quare vocabat collaterales, & coadjutores Pontificis, ad regimen verò Vniuerſalis Eccleſiæ maximè ſpectant Vniuerſalia Concilia & quæ in iis conſtituuntur, ſed de dignitate Cardinal. plura *tom.* 3.

6 Non tantum Cardinalibus ſed etiam Abbatibus & Ordinum Regularium præpoſitis Generalibus datur ſedes inter Iudices Concilij Generalis, quod Conſtat ex Tridentino & Florentino, atque in quibuſdam Conciliis Orientalibus Archimandritæ & Monarch. maximè in Chalcedonenſi, vbi auditi ſunt dum Eutychetis inſaniam tuerentur, & deinde rogati vtrum definitioni Synodi conſentirent, ſed tunc non ſedebant vt iudices, ſed vt Rei aut Partiarij aut defenſores Reorum in examinanda cauſa, non in definienda ſapienter, verò illos ſedere in poſterioribus Synodis vnà cum cæteris iudicibus permiſſum eſt, cum ipſi Prælati & Paſtores in Eccleſia ſint & Eccleſiaſtica proindè dignitate conſtituti, fruanturque Iuriſdictione tum interna tum externa.

7 Cæteri Clerici atque etiam Prælati, ſi qui ſint Epiſcopis inferiores poſſunt quidem deputari, vt interſint Synodis, tanquam vices gerentes Epiſcoporum, non verò proprio nomine intereſſe tanquàm Iudices, quod poſtremum Patet ex dictis, primum verò conſtat ex vſu, cum Legati Pontificis neque ſemper Epiſcopi, immò neque Presbyteri aliquandò fuerint, ſed Diaconi Romanæ Eccleſiæ, & tamen primis antè Epiſcopos ſederint, & ſubſcripſerint atque ius relationis cum prærogatiua ſuffragij habuerint, quæ ex ipſis actis Conciliaribus conſtant, vt nos *q. ſuperiori*, diximus.

8 Dixi verò cæteros omnes Clericos niſi delegentur non poſſe aſſiſtere Synodo Vniuerſali tanquam iudices, ac proinde neque Parochos & Curiones excipio contra Vigorium qui contrarium contendit, quoque accuratè confutat eruditus Duvalli. *part.* 4. *de Romano Pontifice quæſt.* 3. Quia cum in eiuſmodi Synodis tractentur vel controuerſiæ fidei aduerſum Hæreticos, vel diſciplina Eccleſiaſtica ad nullum iſtorum

iſtorum Curiones poſſunt: nam quoad fidei dogmata inferiores omnes Sacerdotes Epiſcoporum ſententiam ſequi non ferre debent, qui neque Patres Eccleſiaſtici dici poſſunt, neque Apoſtolorum ſucceſſores, qui præcones fidei fuerunt, neque illa gaudent exteriori iuriſdictione, quibuſque non incumbit ex officio Euangelium prædicare, & fidem contra Hæreticos tueri, ſed fidei duntaxat prima clementia & doctrinam, vt vocant Chriſtianam docere, niſi auctoritate ab Epiſcopis, aut Summo Pontifice accepta purgent.

Illuminant quidem, dum Sacramenta Baptiſmi, & pœnitentiæ miniſtrant, ſed Epiſcopi perficiunt, dum fidei myſteria explicant & docent. Morum verò Regulas & Diſciplinæ Canones ferre non poſſunt, cùm ipſi iuriſdictione careant, & Regulas ab Epiſcopis latas obſeruare & promulgare teneantur: nam & poteſtatem illam legiſlatiuam in ſolis Epiſcopis agnoſcit Marcian. qui *Act.*8. *Concilij Chalcedonenſis*, vult ſua conſulta iudicio Epiſcoporum probari. *Quædam*, inquit, *Capitula quæ ſunt ad honorem veſtræ Reipublicæ vobis ſeruauimus, decrant eſſe iudicantes vobis hoc regulariter formari per Synodum, quam noſtra lege ſanciri.* Denique non poſſe Parochos eſſe Iudices in cauſis Epiſcoporum, quæ aliquando in Conciliis definiantur patet. Cum ſuperiori ab inferiore iudicari non poſſit, neque debeat: hæc omnia Duvallius quibus adde perpetuam Eccleſiæ praxim, quæ ad ſua Concilia Oecumenica nunquam eiuſmodi Parochos, aut vocauit, aut admiſit, niſi ſi quos Epiſcopi tanquam ſui Vicarios delegaſſent, aut etiam ſecum adduxiſſent ex Concilij ipſius venia, ideóque Concilia maximè plenaria Epiſcoporum Conuentus vocantur, vt Auguſt. *lib.*2. *de Baptiſmo, cap.*7. *& Epiſt.*119. *cap.*19. & pulcheria cum Marciano imperans, *Epiſtola ad Concilium Chalcedon. præambul.* ait ſe non vocaſſe ad illud Clericos, Monachos, & Laïcos, & ſi qui veniam reiici velle, niſi quos Epiſcopi locum adduxerint, & *Act.*1. cum P. ad Martinianum Archimandritam mitterent, vt adſcriberet, reſpondit id ſuum non eſſe, ſed Epiſcoporum, & *Act.*4. cum Clerici & Monachi Dioſcoro fouerent, Synodum ingreſſi eſſent vniuerſam acclamatum. *Mitte foras ſuperfluos Synodus & Epiſcoporum non Clericorum.* Immò in ipſa 11. Epheſina Synodo, quæ prædatoria nominata eſt, cum Dioſcorus vocaſſet Presbyterum ad ſubſcribendum, id recuſauit, quod id conueniret Epiſcopis ex officio, ipſeque Theodoſius iunior, qui vt diximus opera Chryſaphii Eunuchi eam Synodum indixerat, negauit *Act.*3. eum qui non ſit in ordine Sanctiſſimorum Epiſcoporum, debere, poſſeque ſe immiſcere tractatibus Eccleſiaſticis, quæ in Conciliis ſine dubio diſceptantur, & definiuntur. Hunc denique vſum teſtantur Eccleſiaſtici Annales, in tot enim, tántque frequentibus Synodis, nunquam legitur Presbyteros, aut Parochos & Curiones ad illas vocatos, quod manifeſtum eſt in controuerſia de Paſcha, de qua tot Synodi, tum in Oriente, tum in Occidente celebratæ fuit, maximè Victore Pontifice, de quibus ſic habet Euſeb. *lib.*5. *c.*23. *Ob quam cauſam Conuentus Epiſcoporum, & Concilia per ſingulas Prouincias conuocantur.*

9 Huic Conſtanti Eccleſiæ praxi addit Duvallius has rationes. Primò, non poſſent vocari Parochi, quia & ex eorum omnium abſentia damnum putaretur, & nullus locus eos capere poſſet, cum in tota Gallia ſupra ſeptuaginta millia numerentur; pauci autem & aliquot duntaxat vocari non debent, cùm omnes ſuâ dignitate pares ſint, æquali in ſuum gregem poteſtate; neque appareat, cur aliqui debeant aliis præferri ſine iniuria; & nulli ſuo iure priuandi ſint, nam ſi maiores eliguntur, qui ampliſſimo gregi præſunt, illorum abſentia maius præiudicium afferret. Adde quod plebis maior numerus non facit digniorem Parochum, nullúmque illi ampliùs Ius præ aliis tribuit, neque dicas eligendos eſſe à Collegis aliquos: nam illa electio ſupponit illos habere Ius aſſiſtendi Concilio, quod negamus, & Ius illud dare non poteſt, neque aliis adimere. Poterit quidem illis Pontifex dare Ius intereſſendi ex priuilegio, & etiam examinis ac conſultationis cauſa acceſſere. Secundò, numerus Parochorum pluribus partibus Epiſcopos ſuperiores, atque ita ipſi definirent controuerſias, & Concilium regerent, eáque ratione ſuperiores ab inferioribus regerentur. Tertiò, Epiſcopi qui ampliores necti eſſent Diœceſes, & plures haberent Parochos, ſi omnes illos ſecum ducerent, in quam vellent ſententiam Synodum trahere, vel inuitam; hæc & alia Duvallius.

10 Plurima obiicit Vigorius, ſed admodum leuia primum eſt in Concilio Hieroſolymitano *Act.*5. adeſſe non modò Epiſcopi, ſed & ſeniores *conuenerunt & Apoſtoli*, inquit Luc. *videre de verbo hoc*: ſeniores autem erant Presbyteri. *Reſp.* Vt non diſputem hoc loco, an per ſeniores intelligantur ſoli Presbyteri, qua de re fuſiùs *tom.*5. nego ſeniores illos in eo Concilio ſediſſe tanquam Iudices & ſententiam dixiſſe: nam & Petrus ſententiam dixit: cui Iacobus aſſenſus eſt & dictam variè confirmauit, totáque Synodus conſenſit, vti ex ipſo textu conſtat. Facta fuerat priùs magna quæſtionis huius quæſtio & diſceptatio, ſiue conſultatio, cui interfuiſſe ſeniores, & ſimul conſultaſſe non negatim, & cum prima iſta Synodus forma fuerit reliquorum, quæ ſubindè in Eccleſia magno numero celebratæ ſunt, mirum omninò eſſent nunquam ſeniores & Presbyteros, ſiue Clericos ſediſſe tanquam Iudices; neque ſuis ſententiis quidquam definiuiſſe, ſi in illa prima & Apoſtolica id Ius habuerint.

Sibi ratione reiicitur, & illud aliud Vigorij Athanaſium adhuc Diaconum interfuiſſe Nicæno Concilio: nam verum eſt Athanaſium Comitatum eſſe Alexandrum ſuum Epiſcopum, & vehementiſſimè contra Arium, eiúſque fautores diſputaſſe, ſed ſententiam tuliſſe, tanquam Iudicem, & ſubſcripſiſſe Concilio definiendo, negamus. Acta enim de eius definitione, & ſubſcriptione prorsùs ſilent: quod idem dico de Coëpiſcopis, qui eidem Concilio adfuerunt: illi enim verè Epiſcopi erant in aliena Diœceſi miniſtrantes, ſed de illis alibi; ineptiùs verò addit de Legatis Pontificis Syluestri; illi enim primas habuerunt ipſoſque Epiſcopos præceſſere, non quia Presbyteri, ſed quia Legati vicem Romani Pontificis ſupplentes, vt & in cæteris deinceps Conciliis, in quibus fuerunt aliquando Diaconi Legati. Similia ſunt quæ Vigorius affert de quibuſdam aliis: nam vel fuiſſe Epiſcopos, vel Legatos Pontificis, aliorúmve quorundam Epiſcoporum contendimus, & ex illis auctoribus, quos allegat Vigorius, conſtabit, ſi verò & non falsè afferantur, non negauimus etiam Abbates, & alios quoſdam Presbyteros, in aliqua dignitate conſtitutos ex indulgentia Pontificia, ipſiúſque Concilij poſſe intereſſe, & cum cæteris P. P. iudicare, vt contingit in Lateranenſi ſub Innoc. III. duodecim Abbates, & per plures Priores conuenticales, & in Florentino ſub Eugenio IV. Diaconi quidam Græci, & multi Abbates Occidentales ſubſcripſerunt: nos tantùm contendimus hoc loco eos omnes non habuiſſe ex ſeſe, & ex ſola Presbyterij, aut Clericatus dignitate Ius in Synodo Oecumenica, aliave propria definiendi.

11 Obiicit Vigorius magni Sapientiſſimique Viri authorita-

authoritatem Ioannis Gerſonis Academiæ Pariſienſis Cancellarij; qui *tractatu de origine Iuris*, & *de Reg.* inferiores iſtos & maiores, vt vocat Prælatos habere Ius definitiuæ ſententiæ ratione ſui ſtatus, & non ex ſolo priuilegio. Gerſoni conſentit Almainus *lib. de ſuprema poteſtate Eccleſ.* Illuſtris & ipſe Pariſienſis Doctor. Aſſurgo & magno Sapientiſſimi Cancellarij nomini. *Reſp.* Tamen ipſiſſimis verbis, Illuſtris quoque in eadem Academia Profeſſoris hac ætate, Andreæ Duvallij, qui ad hanc ipſam auctoritatem à Vigorio allatam, ſic habet: *Reſpondeo propter vnum, aut alterum Doctorem Pariſienſem, qui contra communiorem & veram ſentētiam abierit, non eſſe ſingularē aliquam opinionem toti Scholæ Pariſienſi affigendam; noli quidem à Caſtris Scholæ mea quantum conſcientia ferre poterit diſcedere: ſed ſi ab vno, aut altero Doctore diſſentiant; nemo eſt qui mihi iure poſſit ſuccenſere: neque enim vnus ille, aut alter Doctor ſibi amplius arrogauerit, quam Auguſtinus, qui ſuarum opinionum non tam acer, & pertinax defenſor erat vt eas ab omnibus pro veris & indubitatis haberi vellet*, &c. *Quapropter etſi Gerſonem, & Almanum magni ſemper fecerint, & etiamnum faciam; eorum tamen Iudicium non eſt apud me præiudicium, præſertim vbi de rebus Summi Pontificis ſermo eſt, cum tempore Schiſmatis vterque quod ſecunda parte notauimus floruerit.* Hactenus Duvallius, qui & Doctor & Profeſſor Pariſienſis & ſocius Sorbonicus, & pietate, atque eruditione clariſſimus, cui ſi licuit ab opinione magni Gerſonis deſidere, vbi ſingularis viſa eſt, cur nobis quoque idem non licebit, cum ea tamen obſeruantia & honore, qui maximè verò & Doctori Chriſtianiſſimo debetur.

12 Obiicit tertiò, Vigorius Presbyteros & Diaconos pluribus Conciliis Prouincialibus, tum Romæ, tum alibi interfuiſſe, in quibus definitiuam ſententiam tulerunt & hæreſes damnarunt, multáque eam in rem exempla congerit, quæ ſigillatim expendere ad alia properanti non vacat. Ex illis enim nihil aliud efficitur, quam poſſe interdum ad eiuſmodi Concilia, quæcunque illa ſint, ſiue Prouincialia, ſiue nationalia, ſiue Oecumenica vocari, vt inter Iudices ſedeant, ſed ex priuilegio, non quod hoc illis debeatur ratione ſuis ſtatus & dignitatis, alioquin deberent perpetuò vocari; quid verò in ſingulis exemplis tuam labore congeſtis, à Vigorio contigerit, an ſententiam & definitionem tulerint, an verò dumtaxat diſputarint, aut conſulerint, aut teſtes definitioni adfuerint, illique aſſenſerint, an Epiſcoporum ſuorum Legati, vices eorum obierint, illorúmque loco ſubſcripſerint, an fuerint vocati, an tantùm Epiſcopos Comitati cum illis acceſſerint, inquirendum eſſet, per Oratium quod modo, in tam longo opere non laboramus.

13 Ad extremum Vigorius cum Richerio Curiones, cum Epiſcopis æquat, ſequutus Ætium, qui apud Epiphan. *hæreſ.75.* Presbyteros æquales faciebat Epiſcopis, vt ſe de non obtento Epiſcopatu ſolaretur; ſequuti ſunt deinde Ætium Nouatores, adhæſitque illis ex parte Vigorius, dum Presbyteros Curiones exæquat, contra certum & communem totius Eccleſiæ ſenſum, qui hanc opinationem iure merito confligit; vti fuſiſſimè oſtendimus ſuo loco *tom.3. operis* ad eam enim modo digredi foret abſonum.

14 Maneat igitur in Conciliis Oecumenicis ſolos Epiſcopos Iudices eſſe, alios verò Clericos, ex priuilegio, & non iure proprio ratione ſtatûs & dignitatis deputari poſſe; nihilominus Clerici admittebantur ad conſultandum & diſputandum, vt dixi ad legenda acta & vt Notariorum, aliorumve miniſtrorum officio fungerentur, atque hactenus de Clericis.

Quod attinet ad Laïcos æquè certum eſt nullos reipſa quidem Principes & Imperatores interfuiſſe 15
tanquam Iudices; & ipſi ita de ſe profeſſi ſunt, vt Conſtantinus in Concilio Nicæno, quod teſtatur Ambroſius *Epiſt.32.* & Athanaſ. *in Epiſtola ad ſolitarios*, ait aduerſùs Conſtantium, qui in Concilij primas tenere volebat: *Si Iudicium Epiſcoporum eſt quid cum eo commune habet Imperator*, & Hoſius eidem Conſtantio apud eundem Athanaſium: *Ne nobis in eo genere præcipe, ſed ea potiùs à nobis diſce: tibi Deus Imperium commiſit, nobis ea quæ ſunt Eccleſiæ concredidit.* Et mox: *Quis enim videns eum in diſcernendo Principem ſe facere Epiſcoporum, & præſidere Iudiciis Eccleſiaſticis, nam meritò dicat, eam ipſam deſolationem abominationis eſſe, quæ à Daniele dicta eſt.* Leontius apud Suidam in eius vita Conſtantio Præſidenti in Concilio exprobrat quod propriorum bellorum, ſcilicet, aliorúmque Ciuilium negotiorum oblitus in alienis, id eſt, Eccleſiaſticis, tam curioſum ſe præberet. Iſque fuit piiſſimorum Principum ſenſus Theodoſij & Marciani, Conſtantini. Ipſi enim non damnarunt Arium, Neſtorium & Eutychetem, ſed Nicæna, vt Epheſina, atque Chalcedonenſis Synodus, quibus ipſi non interfuerunt tanquam Iudices, ex quibus Theod. *Epiſt. ad Synodum Epheſinam*, quæ refertur *part.1. Candidianum ad ſacram veſtram Synodum abire iuſſimus, ſed ea lege & quæſtione, vt cum quæſtionibus & controuerſiis, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil commune habeat*, *ϗ μηδὲν μὲν ταῖς περὶ τῶν δογμάτων γινομέναις ζητήσεσιν κοινωνῆσαι.* Nefas eſt enim eum qui in Sanctiſſimorum Epiſcoporum Cathalogo adſcriptus non eſt, illum Eccleſiaſticis negotiis & conſultationibus ſe immiſcere *ἀθέμιτον γὰρ τὸν μὴ τοῦ καταλόγου τῶν ἁγιωτάτων ἐπισκόπων τυγχάνοντα τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς σκέμμασιν ἐπιμίγνυσθαι*, & Valentinianus Imperator vti nuper referebamus ex Sozom. *lib.6. cap.7.* reſpondit Epiſcopis Orientis, qui Synodum pro reſtauranda conſubſtantialitate poſcebant, ſibi è Laïcorum numero non licere eiuſmodi negotiis ſe interponere *ἐμοὶ μὲν ἔφη μετὰ λαοῦ τεταγμένῳ οὐ θέμις τοιαῦτα πολυπραγμονεῖν* permiſit tamen Epiſcopus vbi vellent conuenire, reſcripto verò & lege cauit à ſolis Sacerdotibus fidei cauſas iudicandas eſſe, cuius edicti verba refert Ambroſius, vti & nos & illa diximus Marcian. *Orat. ad Chalcedon. Synod. Act.4.* fatetur ſe non vt Iudicem adeſſe: *Nos enim, inquit, ad fidem confirmandam non ad potentiam aliquam exercendam, exemplo Religioſi Principis Conſtantini Synodo intereſſe voluimus, ne vel vlterius populi prauis ſuaſionibus ſeparentur.* Interfuiſſe Patricius Florentius Imperatoris Theodoſij mandatæ Synodo Conſtantinopolitanæ, ſub Flauiano Epiſcopo contra Eutychetem, ſed cum legerentur acta iſtius Synod. in Chalcedonenſe, & recitaretur interlocutum Florent. his verbis: *Qui non dicit ex duabus naturis, & duas naturas non credit rectè.* Retulit Florentinus, ſe nihil tale interlocutum eſſe, quia ſibi nefas erat de dogmatibus decernere: *οὐ γὰρ ἐγὼ οἷός τε ἤμην δογματίζειν*: interfuiſſe tamen Synodo, quia tractabatur de fide, vt ait diſertè Imperator in reſcripto *ἐπειδὴ λόγος περὶ πίστεως ἐστι*: quæ nimirum & omnibus communis & impenſior tuendæ curæ principibus incumbit, vt dicam inferiùs, quod explicat Nicolaus I. Epiſtola ad Michaëlem Imperatorem: *Dicite quæſumus vbinam legiſtis Imperatores anteceſſores veſtros in Synodalibus Conuentibus interfuiſſe, niſi forſitan in quibus de fide tractatum eſt, quæ vniuerſalis eſt, quæ omnium communis eſt, quæ non ſolum ad Clericos verum etiam ad Laïcos, & ad omnes omninò pertinet Chriſtianos, vos autem non ſolum Synodo in cauſa Sacerdotis Ignatij, ſcilicet, Collectæ interfuiſtis, verum etiam nume-*

L 4 roſæ

roſa ſecularium millia ad videndum, eius opprobrium aggregaſtis, cum enim ad Imperatorem pertineat, communem fidem edictis, & Legibus, atque etiam. *Si res ita poſtulet gladio, non eſt abſonum illum eius definitioni intereſſe, non tamen definire & in ea cauſa Iudicem agere*; Quare VIII. Synodus *Con. 12. perlatum eſt ad nos non poſſe ſine Principum præſentia Concilium agi, atqui nuſquam Sacri Canones ſanciunt, vt ad Synodos ſæculares Principes cogantur, ſed ſolos Epiſcopos*: Nempe ad aliquid ſtatuendum, οὐδαμοῦ δὲ οἱ θεῖοι Κανόνες συνέρχεσθαι κοσμικοὺς ἄρχοντας ἐν τοῖς συνόδοις νομοθετοῦσιν. Quare nec alias reperimus eos in aliis, quã Oecumenicis Conciliis interfuiſſe, ὅθεν οὐδὲ πλὴν τῶν οἰκουμενικῶν συνόδων παρουσίαν αὐτῶν γεγενημένην εὑρίσκομεν, non tamen ſicut dubia ad νομοθεσίαν, ſed vt definita & præſtari curarent rationem reddit Synodus. Nefas enim eſt Principes ſæculares rerum quæ Dei Sacerdotibus contingunt ſpectatores fieri, οὐδὲ γὰρ θεμιτόν ἐστι γίνεσθαι θεατὰς τοὺς κοσμικοὺς ἄρχοντας τῶν τοῖς ἱερεῦσι τοῦ θεοῦ συμβαινόντων πραγμάτων. Vides ergo Imperatores neque Præſides neque Iudices Synodorum Oecumenicorum quibus interfuerunt ſediſſe, hinc quoque factum vt Imperatores Conſtantinus, Theodoſius & Marcianus non niſi poſt Epiſcopos ſubſcriberent, quod fatetur Baſilius Imperator in hac ipſa VIII. Synodo, cum enim finita Synodo Legati ſubſcribendum eſſe dicerent & primo quidem loco id facere rogarentur Imperatores. καὶ ὑπογράψωσιν πρότερον, οἱ φιλόχριστοι βασιλεῖς. Reſpondit Imperator Baſylius. *Noſtra ſerenitas imitata maiores noſtros Conſtantinum magnum, Theodoſium Martianum & cæteros, vult illa quoque poſt omnes Epiſcopos ſubſcribere, ſed quia veſtra ſanctitas nos tali honore dignatur, ſecundùm omnes demum ſanctiſſimos Vicarios ſubſcribemus.* ἀλλ' ἐπεὶ ἀξιοῖ προτιμηθῆναι ἡμᾶς ἡ ὁσιότης ὑμῶν, ὑπογράψομεν μετὰ τὴν ὑπογραφὴν πάντων τῶν ἀποστελέντων τοποτηρητῶν Quod ſeruatum eſt, quamvis autem honorem conceſſus in quibuſdam Synodis detulerint Imperatori ob reuerentiam tantæ maieſtatis, non idcircò vllam vnquam iudicandi & definiendi Prærogatiuam contulerunt.

16 Interfuerunt aliquandò & alij Laici, ſiue cum imperatore ſiue ab illo miſſi vt tuerentur Synodum, contra ſeditioſorum impetus & ipſius etiam Synodi turbas ſedarent, collationem Codicum inſpicerent, curarentque omnia, ex ordine & Canonice fieri, ad aliaque eiuſmodi, nam ipſæ etiam diſputationes Clericor. & Theologorum fuere, quia cum ſuæ cauſæ confiſa Synodus etiam diſputatores Laicos permittere voluerit, vti factum in Nicæna ſcimus, in qua Propéſi & Ethnici diſputantes audiri & cõfutati ſunt. Denique quia toties aduerſarij conſenſum Imperatorum eorumque Litteras ad Iudicendam cogendamque Synodum neceſſarias fuiſſe obtrudunt, id mirum eſſe non debet propter Leges quæ conuentus illicitos & collegia prohibebant. *l. 2. de coll. illicitis & L. conuenticula. c. de Epiſcop. & clericis.* Deinde etiam ne qui erant ſub alicuius Principis ditione, ex ea exirent ad celebrandos conuentus, ſine venia Principis, & vt Imperator ſumptus ad viam ſuppeditaret, illamque tutam etiam copiis militaribus aduerſus Hæreticos & gentiles præſtaret. Hæc enim omnia ſola, & inermis Eccleſia non poterat.

QVÆSTIO VI.

De auctoritate Synodi Oecumenicæ in definiendis dogmatibus & conſtituenda Diſciplina Eccleſiaſtica.

Conciliorum auctoritas, n. 1.

Concilia Generalia legitima & confirmata definiunt Dogmata, n. 2. & 3.

Explicantur Chriſti verba de Eccleſia, numero 4. 5. 6. 7. 8. & 9.

Explicantur & illa Ioan. 16. docebit vos omnem veritatem, n. 10.

Et illa act. 15. viſum eſt ſpiritui ſancto, numero 11.

Eadem auctoritas Conciliorum ratione demonſtratur, n. 12. & 13.

Eiuſmodi Concilia debent eſſe plenaria, numero 14.

Et à Romano Pontifice confirmata & quomodo, n. 15. & 16.

Obiecta de Legatis, abſente Pontifice, numero 17.

Duvall. de his ſententia fuſiùs explicata, numero 18. 19. 20. 21. 22. 23. & 24.

Conciliorum Generalium auctoritas in definiendis Legibus & conſtituenda Diſciplina, num. 27.

Conſtans certaque eſt omnium opinio, magnam eſſe Conciliorum Generalium auctoritatem, cum ipſimet Hæterodoxi, quoties vrgentur, atque etiam damnantur ſiue à Pontifice, ſiue ab aliis ad Concilium Generale, tanquàm ad ſupremam poteſtatem prouocare ſoleant: Quare in Vniuerſum nemo dubitat de Concilij Generalis auctoritate, quod fuſiùs oſtendit Campianus ratione 4. ad Academiam, ſed videndum ſingillatiùs eſt, quibus in rebus emineat ea authoritas, quantave ea ſit, an ſuprema, an indefectibilis, an non quia verò tribus maximè de cauſis Concilia coguntur, quamvis rarò niſi eiuſmodi Concilia ad dubia fidei dogmata & definiendis damnandiſque Hæreſ. ad diſciplinam Eccleſiaſticam ſanciendam, ſiuè ea de nouò ſtabilienda ſit, ſiue iam lapſa reſtituenda, & denique ad cauſas Epiſcoporum, atque etiam Eccleſiarum diiudicanda, ſiuè eæ cauſæ ſimiles ſint dumtaxat, ſiue Criminales exiſtant, cogantur, quod enim aliqui quartam cauſam cogendi Concilij Vniuerſalis, adducunt ad prouidẽdum neceſſitatibus Eccleſiæ, ad aliquam ex præmiſſis referri poteſt, quid igitur in hoc triplici genere cauſarum poſſit Concilium, paucis omninò iudicandum eſt, ſi quæ enim grauiores occurrant difficultates, in decurſu totius operis commodiori loco explicabuntur. Ne omnia vnum in locum non ſine perturbatione congeſſiſſe videamur, ordior itaque à dogmatum definitione. 1

Dico primò Concilia Generalia legitima, & à verò ac legitimo Pontifice confirmata poſſe definire dogma fidei, Hæreſes damnare, tenerique Chriſtianos omnes parere eius definitioni quæ retractabilis non eſt, in hanc aſſertionem vtpotè Catholicam, omnes conſentiunt 2

conſentiunt contra Luther. *Act.* 28. *&* 29. & in *libr. de Conciliis*, & Caluinum *lib.* 4. *cap.* 9. qui cum ſuis Aſſeclis exiſtimant omnia Concilia quæcumque, illa ſint errare poſſe, neque enim aliam ipſe fidei regulam quam ſcripturam & Spiritum ſanctum internum agnoſcunt. Probatur primò, ex illo *Matth.* 18. *vbi duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ego ſum in medio eorum.* Ridet Caluinus argumentum ex eo loco iūctum illo tamen vtuntur R. P. Chalcedonus *Epiſt. ad Leon ſub fin.* 3. *partis* : aliqua paſſim à Bellano *libro ſecundo de Concil. capite* 2. adduct. PP. quidem Chalcedonenſes, vbi Leonem commendarunt, quod fuiſſet vocis B. Petri conſtitutus interpres, *πᾶσι τῆς τοῦ μακαρίου πέτρου φωνῆς ἑρμηνεὺς καθιστάμενος*, deinde de vnanimi ſua definitione hæc addunt, *hi enim vbi ſunt duo, aut tres Congregati in nomine eius, ibi ſe in medio eorum fore perhibuit : quantum circà quingentos viginti Sacerdotes familiaritatem potuit demonſtrare, qui & patriæ & labori ſuæ confeſſionis notitiam prætulerunt, quibus tu quidem, ſicut caput membris praees in his qui tuum tenebant ordinem, beneuolentiam præferens, ὡς κεφαλὴ μελῶν ἡγεμόνευες, ἐν τοῖς τὴν σὴν τάξιν ἐπέχουσι τὴν εὔνοιαν ἐπιδεικνύμενος. Imperatores verò fideles, ad ordinandum decentiſſimè præſidebant πρὸ εὐκοσμίαν, ſicut Zorobabel & Jeſum Eccleſia tanquam Hieruſalem ædificationem, renouare circa dogmata annitentes.* Probat itaque Synodus præfuiſſe in ſua definitione Chriſtum, qui promiſit ſe futurum in medio paucorum, qui ſuo nomine conueniſſent, cum & Synodus pluſquàm qui ngentorum Sacerdotum in fide conueniſſet, ipſique præeſſet tanquam Caput membris, Leo Apoſtolicus vocis & confeſſionis Petri conſtitutus omnibus interpres, qui in ſuis quoque Legatis præſens aderat, illi non vocem modo, ſed & ordinem *τάξιν* ſibi datum tenebant, ipſeque Leo per illos ſuam beneuolentiam & rectam mentem, ſententiam æqui & recti conſtitutionem εὔνοιαν oſtendebat, quam verò diuerſæ eſſent Imperatorum partes demonſtrant P.P. illi enim, ſuo quoque modo præſidebant, ſed non vt quæſtionem fidei definirent, ſed vt omnia decenter, & cum recto ordine fierent πρὸς εὐκοσμίαν, ea planè ratione quâ Zorobabel & Ieſus templi ac Hieroſolymorum ruinis reſtaurandis præerant, ſic enim piiſſimi Principes Eccleſiæ diſciplinam, & dogmata reſtituere curabant pro ſua Imperiali poteſtate, vt ea quæ Patres definierant, omninò ſeruarentur, quæ præſidentia alterius & ordinis & authoritatis erat à Pontificia, qui tanquam Caput Eccleſiæ membris præerat, & tanquam de confeſſione Petri, de diuinitate Chriſti, interpres omnibus conſtitutus, in ſuis Legatis aderat ſuum ordinem in omnibus ſeruantibus, qui nempe quæ habebant in mandatis Synodo ſummâ fide & diligentia exponebant, atque ita Pontificis bonam mentem & rectam ſententiam εὔνοιαν præferebant, quam PP. vnanimi conſenſu ſequuti prorſus ſunt, Imperatores verò Synod. conſenſu ſubſcripſere, quare Legati Pontificij & Epiſcopi ſic ſubſcribant *decretis definiens ſubſcripſi* Proſphonetico verò Imperatoris, quod eius Laudes & acclamationes continet, Apoſtolici Legati & Patriarchæ ſubſcribunt deprecando. Ego Theodorus deprecans ſubſcripſi, quia ſunt vota quibus vitam & fœlicitatem Imperatoribus apprecantur, id totum conſtat ex ſexta Synodo *Act.* 18. At verò Imperatores, vt dixi Synodicis decretis ſimpliciter ſubſcribunt & definitioni, non dicunt autem ſe definire, ſed legiſſe & conſentire definitioni factæ, vt Conſtantinus in VI. Synodo ἀνέγνωμεν καὶ συνῃνέσαμεν legimus & conſentimus, & ait ſe Concilium conuenire voluiſſe & curaſſe, vt ſecundum Sacras ſcripturas, antiqua Concilia & Patrum doctrina de controuerſia vnius aut duarum voluntatum in Chriſto iudicarent, cum tamen P.P. in Epiſtola Synodica ad Agathonem fateantur, ſed perlectis eius veræ confeſſionis litteris ac piiſſimum Imperatorem directis, quas vt à ſummo Apoſtolorum vertice diuinitas præſcriptas agnocunt, hæreticam prauitatem deputaſſe Conſtantino Imperarore, ad decernendum hortatore & adiutore impietatem euertiſſe.

Ricard. alloquens Concilium Tolletanum I. quid anno 589. Pelagio II. Pontifice cogi iuſſerat ad Arianam Hæreſim à Gothis abiurandam. *Vnde*, inquit, *valdè perneceſſarium eſſe perſpexi veſtram in vnum conuenire beatitudinem, habens ſententia Dominica fidem, qua dicit vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo ſum in medio eorum. Credo enim Beatam ſanctæ Trinitatis diuinitatem huic ſancto intereſſe Concilio.* Cœleſtinus Epiſtolam ſuam ad Synodum Epheſinam quæ refertur, *act.* 2. eiuſdem Synodi ſic exorditur. *Spiritus ſancti teſtatur præſentiam congregatio Sacerdotum. Verum eſt enim quod Legimus quia nec poteſt veritas mentiri, cuius in Euangelio iſta ſententia eſt : Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi & ego ſum in medio eorum, quod cum ita ſit, ſi nec huic tam breui numero ſpiritus ſanctus deeſt, quando magis eum nunc intereſſe credimus, quando in vnum conuenit tanta turba Sacerdotum.* Innocentius R. & ipſe Pontifex docens, *cap. de quibus cauſis diſt.* 20. Vnde petenda ſit ſolutio quæſtionum, ait, quoties ex Libris veteris teſtamenti, quatuor Euangeliis, & ſcriptis Apoſtolorum, non poteſt ſolui quæſtio ad diuina ſcripta Græca recurrendum eſſe, illis verò deficientibus hiſtorias Catholicas à Catholicis Doctoribus ſcriptas voluendas eſſe & exempla Sanctorum perſpicaciter conſulenda. Quod ſi his omnibus inſpectis, huius quæſtionis qualitas non lucidè inueſtigatur ſeniores Prouinciæ, Congregat, & eos interrogat, faciliùs namque inuenitur, quod à pluribus ſenioribus quæritur, *verus enim repromiſſor Dominus, ait ſi duo ex vobis, vel tres conuenient ſuper terram in nomine meo de omni re quamcunque petierint fient illis à Patre meo.* Hunc eundem locum adducunt Polycarpus. *lib.* 7. *tit.* 3. Burch. *l.* 3. *cap.* 128. Iuo *part.* 4. *cap.* 70. Sed non iudicant qualis fuerit iſte Innocentius, & ſanè non videtur eſſe Innocentij I. cum inter eius Epiſtolas quas habemus minimè reperiatur, non fuit etiam Innocent. II. cum Burchadus & Iuo ante illum ſcripſerint, & tamen eum locum allegant. Quare videtur omninò tribuendus Innocentio I. Cuius aliquam Epiſtolam quàm modò non habemus iſti collectores, legerint : ſed quidquid ſit de authore illius loci, cum ab aliis Pontificibus, atque etiam Synodis in eundem finem & ſenſum illa verba vſurpentur, in eundem quoque ſenſum iure-meritò à nobis vſurpari poſſunt, nempè ad ſignificandam Chriſti, & ſpiritus Sancti aſſiſtentiam, atque præſentiam Conciliis Oecumenicis legitiuis, & in Chriſti nomine coactis.

Obiicies hæc Chriſti verba in quemlibet hominum cœtum etiam particularem qui in nomine 4
Chriſti conuenerint cadere. Neque rationem eſſe, cur illa Conciliis potiùs generalibus, quam aliis quibuſvis attribuamus. Deindè ſenſus Litteralis eſt de correctione fraterna, & oratione, de quibus eo loco Chriſtus agebat, & P. P. qui adhærent Litteræ explicant, apparetque ex ipſa totius textus Acolythia, nam Chriſtus ait, *Si peccauerit inte frater tuus, vade & corripe eum inter te, & ipſum Solum* : illudque primur Chriſti Concilium, quod dixit etiam Plautus.

Amicum caſtigare ob meritam noxiam
Immane eſt facinus, verùm in ætate vtile & [illegible] ...ucibile.
Si te audierit, Lucratus eris fratrem [illegible], quibus verbis

verbis monet Chriſtus, ne eâ caſtigatione noſtra potiùs commoda aut victoriam quam amici ſalutem ſectemur. *Si te audierit, ἐὰν σε ἀκούσῃ*, ſi monitus paruerit, *ἐκέρδησας ἀδελφόν σε*, cum noſtra tantum res temporaria agitur illius ſalus æterna *κερδαίνειν*, eſt ad bonam frugem reuocare ac proindè in viam ſalutis reducere, ſic enim vox ea accipitur. 1. *Cor. cap.* 9. 19. 20. 22. Et Petri III. V. quod quomodo fiat explicat Iacobus. *cap.* 5. *verſu vltimo*, ſic quod dicitur. *Geneſ. cap.* 12. *v.* 5. animas quas fecerant, ſiue acquiſiuerant, in Charam Chaldæus exponit quas ſubiecerant Legi, pergit Chriſtus, *quod ſi non audierit adhibe adhuc vnum aut duos teſtes, vt duorum vel trium teſtium iudicio per omne verbum quod dicitur dilut.* 1. 19. 14. Quæ Lex ad facti controuerſias, pertinens in prouerbium tranſiit; itavt de rebus aliis vſurpetur vt videbis Ioan. *cap.* 8. *v.* 17. *&* 2. *Cor. cap.*13. *v.* 1. ratio verò præcepti Chriſti eſt, vt is qui peccauit, ſi te vnum non eſt reueritius, illos ſaltem duos aut tres, adhibitos reuereatur, illorum conſenſu motus, iniquitatem facti ſui agnoſcat. Demùm ſi neque peccans coram teſtibus obiurgatus non audierit, non ſe emendarit. *Die Eccleſiæ*, coram multis increpa, exponunt aliqui *κατὰ κοινον*, inquit Iuſtinus vt ſcilicet ei eueniat, *ἐπιτιμία ὑπὸ πλειόνων*, vt ait Paul. 2. *Cor. cap.* 3. 6. *&* 1. *ad Thimoth. cap.* 1. *v.* 20. *ἔλεγξις ἐνώπιον πάντων*, vt vel ſic ad rectam, viam reducatur, motus tot Piorum patrum Improbantium cõſenſione. Nihil porro nouum à Chriſto præcipi, ſed morem rectè introductum à Iudæ ce probari exiſtimauit Grotius, *in notis ad illud Mathei caput*, habebant illi varia corpora diſciplinæ inſtituta vt Phariſæorum, Iudæorum, & inter Legis peritas diuerſas Scholas, Philo vocat, *ὁμίλους κοινὰς, συλλόγους, κοινὰς συνόδους*, Pythagoriſt. ſuum cœtum vocabant, *ὁμαῖον, ἱερὸν σύλλογον*, interprete Herocle, in his cœtibus tractabatur, quæ ad concordiam atque *εὐταξίαν*, cuiuſque cœtus pertinebant, huiuſmodi cœtum, manente adhuc Lege Chriſtus colligere cœperat quam Hæbreo more, עדה diſcipuli autem ſcribentes *ἐκκλησίαν*, ſiue *συναγωγήν*. Promiſcua enim erat harum vocum ſignificatio vti pluribus ex variis ſcripturæ locis oſtendit, idem Grotius *in cap.* 16. *Matthæi*, *v.* 18. Vbi etiam obſeruat Eccleſiam frequentiùs nihil aliud ſignificare, quam populum Iſraëliticum cum igitur in loco quem verſamur, doceat dumtaxat Chriſtus quomodo errantes reducamus in rectam viam eoſque lucremur, neque de publicis Iudiciis illum agere putat Grotius, neque, mittere corrigentes ad *πρεσβυτέριον τῆς συναγωγῆς*, ſed ad multitudinem, *τῶν ὁμοζήλων*, eorum qui eadem inſtituta ſectarentur, cuius tamen multitudinis iudicia ſeniores moderabantur quem morem à Chriſtianis quoque ſeruatum teſtatur, Tertulian. *Omnes*, inquit, in cœtum & Congregationem, hoc eſt inquit Grotius *ἐκκλησίαν*, vt ad, *Deum quaſi manu facta precationibus orantes*, & ibidem etiam exhortationes, caſtigationes & cenſura diuina. Et mox, *Præſident probati quinque ſeniores.* Ad igitur particulares congregationes & Eccleſias Chriſtum ait, mittere corrigentem vt peccatorem, ſiue fratrem in ſe peccantem & iniuria afficientem coram illa Eccleſia accuſet, quod ſi nec Eccleſiam illam audierit habendũ eſſe tanquam Æthnicum & publicanum, *ἔστω σοι ὥσπερ ὁ ἐθνικὸς καὶ ὁ τελώνης*. Hæbræi dicunt ſit tibi ſeruus vilis, hoc fas tibi ſit amicitiæ vinculum ſoluere, & familiarem eius conuictum fugere, & quando tot monita contempſit, libero te illius cura habe eum quo loco habes *ἐθνικὸν*, à religione prorſus alienum aut Iudæum quidem ſed *ἁμαρτωλὸν*, quaſi flagitioſæ vitæ quales habebantur, *τελῶνας, καὶ πόρνας*, quibus debebantur communia humanitatis officia, quod male negabant aliqui Iudæorum, ſed ea tantùm quæ ad propriorem amicitiam pertinent. Addit Grotius hæc verba, eſſe permittentis non Imperantis Chriſti, neque in illis agi de excommunicatione, quanquam ad eum ex hoc loco non abſurdè duci argumentum fateatur, neque tamen eſſe idem habere aliquem pro ſocio vili, *ἀποσυνάγωγον ποιεῖν*. Hoc enim eſſe totius cœtus, illud ſingulorum, & eius maximè qui iniuriam, etiam accepit ad quem etiam pertinent quæ ſtatim proximè ſequuntur. *Quæcumque alligaueritis ſuper terram erunt Ligata & in cœlo & quæcunque ſolueritis ſuper terram ſoluta & in terra, & in cœlo.* Quare Origenes ait viderit omnibus dicta qui ter peccantes arguerint, modum verò huius Ligationis & ſolutationis explicat Auguſtin. *homil.* 15. *de verbis Domini, ſi fratrem habes pro Ethnico & publicano, ligaſti illum in terra: ſi correxeris fratrem, illum ſoluiſti in cœlo.* Et Theophilactus. *Si tu offenſum habes eum qui te iniuria affecit ſicut publicanus & gentilis erit ille & in cœlo talis, ſi autem ſolueris eum, hoc eſt ignoueris, eris ei & in cœlo condannatus non enim ſolum quæ ſoluunt Sacerdotes ſunt ſoluta, ſed quæcunque & nos iniuria affecti vel ligamus vel ſoluimus, & ipſa erunt ligata vel, ſoluta.* Ex mente igitur horum Diligat qui alterum culpæ conuincit, ſoluit qui eum rectis monitis ad pœnitentiam adducit, atque etiam pro ipſo Deum, præcatur ait Grotius, atque ita hæc verba, cum proximè ſequentibus connectit, dixerat Chriſtus ſi hic ſoluerimus, vel ligauerimus in cœlo quoque Ligatum vel ſolutum fore, hoc verò confirmat Vniuerſali propoſitione. Si duo ex vobis conſenſerint, *συμφώνησωσιν. Super terram de omni re quacunque petierunt fiet illis à Patre meo.* Deus nempè præſtat quidquid duo concorditer petunt. V. S. ſi qui fratrem admonuit, & frater admonitus aut ſi qui alij fuerint admoniti, Deum precantur vt culpam condonet pluribus enim in ſe concordibus Deum largitur quod petunt, quæ propoſitio Vniuerſalis reſtringenda eſt ſuis conditionibus vt ſi Ioannes IX. *v.* 31. vbi Deus peccatores dicitur non audire & in *Epiſt.* 1. *cap.* 3. *v.* 25. 22. *Si cor noſtrum non reprehenderit nos, & mandata diuina cuſtodiamus*, & aliæ reſtitutiones alibi opponuntur probat denique Chriſtus exaudiendos à Patre qui concorditer quidpiam ab illo petierint, addit. *Vbi enim duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſunt in medio eorum.* Vides igitur ex hoc Litterali commento eo toto loco Chriſtum agere de condonandis culpis & iniuriis & variis correctionis, gradibus, quibus ſeruatis ſi emendari nolit, habendum eſſe veluti Ethnicum & publicanum, & vel ſoluendum remittendo iniuriam, vel ligandum habendo illum pro gentili, & cuique illum eſſe poteſtatem ligandi & ſoluendi, quod ratum erit in cœlo ſi concorditer id petierint à Deo, qui omnibus in vnum conſentientibus largitur, quod petunt, nam vbi aliqui congregati fuerunt in nomine Chriſti ipſe eſt in medio eorum, neque quidquam aliud agi quàm de iniuriis, & oratione pro illarum condonatione, quod patet ex teſtis expoſiti Acolithia, quid verò ex his erui poteſt ad Conciliorum Generalium definitiones indefectibiles.

Vt huic difficultati faciamus ſatis fateor quidem 5.
Chriſtum de correctione fraterna & modò illam faciendi agere, & in quibuſdam ad Iudæorum morem tradere tamen aliqua pronuntiata, Vniuerſ. & propoſitiones quæ non ſunt ita reſtringenda, ad rẽ quæ tunc diſceptatur, vt ad alias materias accõmodari in illiſq; propter ſuam indefinitam ſignificationem, & vniuerſalitatem verificari non poſſint, atque ad diuerſas concluſiones probandas aſſumi, quod paſſim præſtant P. P. &

PP.& Concilia, itaque non ſunt ſemper neceſſariò connectendæ, cum materia in qua prolatæ ſunt, ſed diuelli poſſunt ab illa & ad alia probanda aſſumi; neque Grotij proinde explicatio, quamvis maximè literæ adhærens videri poſſit, nobis probatur.

6 Igitur Chriſtus fratrem, quem ſuperiùs *v.*10. puſillum appellauit, ſi quid fortè peccauerit, non eſſe ſeueriùs, & tanquam hoſtem, ſed vt fratrem tractandum etiamſi in nos ipſos peccauerit, & nos iniuriâ affecerit, vnde ait: *ſi peccauerit in te*, quia tunc maximè acerbi & acres eſſe ſolemus, cùm eos qui in nos peccauerint obiurgamus; voluit itaque ſapientiſſimè Chriſtus pauorem iniicere, vbi maximum periculum erat, ne præcipites ageremur. Ex illa verò peccatorum ſpecie totum genus, intelligendum eſt, & niſi quid abſit fraterna correctio adhibenda eſt, quod aliquis illud *peccauerit in te*, explicant priuatim teſolo ſciente, quaſi tunc priuatim corrigendus eſſet peccans, & ſi publicè peccent, publice quoque corrigendos eſſe. Malè exponunt, cùm Luc. *cap.*17. 3. contrarium ſignificet: *Si peccauerit in te frater tuus increpa illum, ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi.* Neque ſanè peccata, quæ vel contra Deum, vel contra proximum fiunt diſſimulanda ſunt, id rariùs proficiamus, quando nos ipſi oſtendimur, vix tum omittimus corruptionem; intelligo etiam de quolibet peccato, ſiue veniali, ſiue mortali, debet eſſe priuata correptio, adiicit ſtatim modum correptionis. Primò enim *corripe eum inter te, & ipſum ſolum*, quæ affirmatio continet tacitam negationem, (hoc ſenſu vti explicat Molina, ſi peccauerit frater tuus, ne continuò eum accuſes, neque continuò, tum ad Eccleſiæ iudicium deferas: priùs peccatum corrige, *ſi te audierit lucratus erit fratrem tuum*, quæ eſt regula correctionis: quamdiu enim eſt ſpes ſpiritualis lucri corrigendus eſt frater: cum non eſt, aut accuſandus eſt coram Eccleſia, ſi fructus ſperetur, aut ſi non ſperetur Domino relinquendus: poſt primam autem admonitionem, ſi non corrigatur adhibendus erit vnus vel duo teſtes, vt ſeuerior reprehenſio ſit, & pudere eum incipiat, & conſtet teſtibus corrigentem ſuo functum eſſe officio, cum coram Eccleſiæ teſtibus adhibitis accuſare poſſit, vt faciliùs perſuadeat ipſi Deo peccauiſſe, cum corripiens non ſolus id affirmet, ſed duo etiam aut tres teſtes idem aſſeuerent, & in eam cauſam Chriſtus adducit legem Deuteronomij *cap.*17. 6. & *cap.*19. 15. Sed ſi nec illis crediderit peccans & reus, licebit ad Eccleſiæ iudicium fratrem deferre. *Quod ſi non audierit eos dic Eccleſiæ*; quod verò aliqui nomine Eccleſiæ Synagogam interpretantur, faciunt contra Auguſtini mentem, qui in *Epiſtola ad Romanos, & in Pſalm.*81. obſeruat nunquam in Nouo Teſtamento Synagogam nomine Eccleſiæ appellari, quod hoc maximè loco verum eſt, cùm Chriſtus huic Eccleſiæ ad quam deferendum eſſe vult Patrem tribuit ligandi & ſoluendi poteſtatem, & Apoſtolos alloquatur: vnde etiam apparet abſurdè quoſdam nomine Eccleſiæ Chriſtianorum omnem multitudinem intelligere, cum neque ad omnem multitudinem deferri poſſit peccatum fratris, neque ad vnum ſolũ & inutiliter ad omnes deferretur, & illi multitudini non ſit collata poteſtas ligandi & ſoluẽdi & apud ipſos Iudæos ſoli ſeniores, & præcipui quique haberent poteſtatem, aliquem eiiciendi & excommunicãdi, & perpetuus ac Conſtans Eccleſiæ vſus ita doceat, licebit eum igitur coram multitudine accuſare & arguere, non tamen à tota multitudine iudicabitur, neque aliud voluit Tertullian. locis à Grotio relatis docetque ipſe Paul. qui *prima ad Cor.*5. *verſ.*3. & 4. inceſtuoſum Corinthium, abſens licet corpore ſed ſpiritu præſens iudicauit, & congregatis Corinthiis in nomine Domini, tradidit Sathanæ, non dicit autem Corinthiorum Eccleſiam illum iudicaſſe & Sathanæ tradidiſſe. Vbi igitur peccans Eccleſiæ fuerit denuntiatus, ſi eam non audierit, habendus erit ſicut Ethnicus & publicanus hoc eſt vitandus erit illorum inſtar nempè vt cum ſe ab Eccleſia alienatum viderit reſipiſcat, & vt aiebat Paul. 1. *ad Cor. cap.*5. Spiritus ſaluus fiat & ne ſuo conſortio aliis ſanis efficiat vt ait Paul. eodem loco *v.*2. Ideóque vitandos hæreticos idem Apoſtolus monet *capit.*3. *verſ.*10. & 11. & Ioan. *Ep.*2. *v.*10. & 11. probat verò Chriſtus peccantem ad Eccleſiam delatum, ſi eam non audierit habendum eſſe tanquam Ethnicum & publicanum, quia Eccleſiæ dedit poteſtatem ligandi & ſoluendi, ſubdit eum proximè. *Quæcumque alligaueritis ſuper terram* & quæ malè omninò Origenes Theophilactus Anaſtaſius *q.*2. *in ſcripturam*, & eos ſequutus Grotius referunt ad eos ſolos contra quos peccatum eſt, hoc ſenſu vt ſuperius annotaui, ſi illis iniuriam remiſeritis, illis etiam Deus remittet, ſi non remiſeritis non remittet, vnde colligunt Heterodoxi interpetes Chriſtum nullam Apoſtolos aut Petro poteſtatem contuliſſe, quam non contulerit omnibus Chriſtianis, cum quiſque ignoſcendo aut non ignoſcendo offenſam & iniuriam ſibi factam peccantem liget aut non ſoluat, ſed veteres quidem illi hæc Chriſti verba ſunt interpretati & vnumquemque dum parcit peccanti, illum ſoluere dicant non tamen denegant, his verbis propriè acceptis ſingularem Apoſtolis ligandi ſoluendique poteſtatem concedere, & ſanè Chriſtus illo textu diſtinguit Reum ſiue peccantem, & eum contra quem peccatur qui peccantem corripuit, teſtes quos adhibuit & Eccleſiam cui detulit, cui ſoli Eccleſia dixit quæcumque, alligaueritis ſuper terram, & quam Eccleſiam, ſi peccans non audierit habendus erit vti *Ethnicus & publicanus*, alius eſt qui iniuriam accepit, & alius qui non audientem ligat aut ſoluit ſtatuit igitur Chriſtus Eccleſiæ Tribunal vltimum ad quod peccatores, vbi nulla alia ſuperenti remedia, deferendi ſunt, cui ſi non ob audiant habendi ſunt publicani & Ethnici quod poſtremum probat vniuerſali illo effato. *Amen dico vobis quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in Cœlo: & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* Quibus verbis manifeſta continetur ratio propter quam qui Eccleſiæ non obediuerit, habendus ſit tanquam Ethnicus & publicanus, quia Eccleſia illum talem dixit, eiuſque iudicium in cœlo ratum eſt & vti dicebat Hilarius præiudicata authoritas. Alloquitur verò Apoſtolos Chriſtus tanquam Eccleſiæ Capita, quibus eam poteſtatem ipſe contulit. Hoc iterum iudicium Eccleſiæ probandum oſtendit, ex illo *ligandi, ſoluendique* verbo quia Deus nunquam permiſſurus erat eos in iudicando ligando videlicet & ſoluendo errare, ſi in ſuo nomine iudicarent, quod demonſtrat ex vniuerſali illa propoſitione & promiſſione, quidquid duo ex illis communi conſenſu petierint. Conſequentur *iterum dico fiet illis à Patre meo*, eſt itaque vel noua ratio, quod ſignificant illa verba. *Iterum dico*, vel confirmatio prioris ex Impetratione promiſſi in nomine Chriſti petentibus quod dixit alio loco Chriſtus Ioan. 14. *v.*13. & *cap.*16. *v.*13. Denique proximè ſubiungit *vbi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo ibi ſum in medio eorum* rationem reddit Chriſtus cur quidquid duo conſentientes petierint impetraturi ſint, quia nimirum in medio eorum eſt, & quaſi ipſorum ore pro illis loquitur, vel potiùs eſt probatio eius quod dixerit Chriſtus *v.*18. fore vt quidquid ligauerint vel Soluerint ſuper terram, ſit ligatum vel ſolutum & in

cœlo,

cœlo, quia ipſe Chriſtus in medio illorum eſt pro illis ligans vel ſoluens, & denique iudicans: loquitur enim de cœtu & Congregatione cum dicit ſe fore in medio, tanquam Iudicem nimirum; non enim eſt tantum tunc per gratiam, ſic enim eſt in omnibus iuſtis: eſt verò in medio Congregatorum alio modo quàm in non Congregatis. Non ſignificatur eſſe in medio precantium, tanquam cum illis petens & orans, illud enim *in medio* aliquam auctoritatem ſignificat: eſt igitur in medio Congregatorum ligantium & ſoluentium, tanquam ſupremus iudex, ſententiam, quam in ſuo nomine pronuntiant, confirmans. *Pſal.* 81. *Deus ſtetit in ſynagoga deorum, in medio eorum deos dijudicat.* Vnde Tertull. *lib.* 1. *in* Marc. *cap.* 7. vertit, *Deus deorum ſtetit in Eccleſia deorum.* Hieronymus, in cœtu Hilari, in Congregatione, & Chalde, Deus cuius maieſtas commoratur in Congregatione Iuſtorum qui potentes ſunt in Lege. Quæ verba potiori iure de Eccleſiaſtico & Hierarchico Concilio, in quorum medio Chriſtus ſine dubio ſtat, cum eorum Congregatorum cœtui præſidet: illi enim vere & Dij & Angeli vocantur Sacerdotes ſæpiùs, vti Mauritium Imperatorem monet Magnus Gregor. *lib.* 4. *Ep.* 31. Qui & eadem confirmat. *lib.* 5. *in cap.* 4 *lib.* 1. *Regum*, & plures alij, maximè quia poteſtatem habent ligandi & ſoluendi atq; abſoluendi à peccatis, vt ait Antoninus 2. *p. ſum. tit.* 5. *c.* 8. §. 2.

7 Ex tota igitur ſerie verborum Chriſti modò explicata facilè ad Concilia Generalia, in quibus de fide diſputatur, & quæ legitimè ac proindè in Chriſti nomine congregantur, argumentantur PP. nuper adducti. Nam primò Chriſtus erexit ſupremum aliquod Eccleſiæ tribunal, ad quod frater peccās qui priuatam correptionem reiecit, aut inutiliter accepit, deferendus eſt. Dic Eccleſiæ, inquit, quæ habeat poteſtatem vltimò iudicandi, & à cuius ſententia non ſit locus præuocationi. Quare qui illi non fuerit obſequutus, habendus eſt pro Ethnico & publicano. 2. ait illam poteſtatem habere Eccleſiam, quam per Apoſtolos eorumque ſucceſſores exerceat, his verbis quæ ſtatim ſubiicit: *Amen dico vobis quæcumque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo.* Quare ſi quem illa ſententia ligauerit ſua, cœlo quoque arbitrio ligatus erit, vel ſolutus, ſi illum vos ſolueritis 3. vt Eccleſiæ conſenſum & iudicium cœlo probari doceat, ait duos vel tres ſi communi conſenſu petierint aliquid à Patre ſuo, id impetraturos affirmat, *De omni re*, inquit, *quamcumque petierint, fiet illis à Patre meo.* Quæ propoſitio vniuerſalis & indefinita quæ diſtributione accommoda, intelligenda omninò eſt vti in aliis locis, in quibus Chriſtus eandem promiſſionem iterauit. 4. denique hæc omnia quodam alio æquè vniuerſali pronuntiato confirmat: *Vbi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Quæ propoſitio priori, quæ ſolùm agebat de orantibus & precantibus, ſiue de conſenſu ad quidpiam in Chriſti nomine petendum, vniuerſalior eſt: hæc ſiquidem loquitur de Congregatione quacumque in nomine Chriſti facta, de quacunque re in illa diſceptetur aut potiùs iudicetur, in medio enim illorum ipſe exiſtit, tanquàm præſes, nimirùm & Iudex.

8 Fateor igitur hoc loco agi de correptione fraterna, & ſi illa nihil proficiat, accuſatione fratris decurrat ad Eccleſiæ tribunal, quod vltimò pronuntiabit & cui reus obſequetur, niſi alienus à fidelibus & fratribus, atque tanquam Ethnicus haberi velit: quia Eccleſiæ Præſides habent poteſtatem ligandi & ſoluendi ſuper terram, & ſimul in cœlo, ſiue coram Deo, qui eius ſententiam omninò ratam habebit, & qui eius etiam votis annuet, quandoquidem impertit omne quod plures concordi animo, in nomine Chriſti ab illo petierint, ac proinde Eccleſiæ aliquem ex ſuo cœtu eiicienti, aut tanquam impœnitentem damnāti, vel illum tanquam innocentem aut pœnitentem abſoluenti aſſentietur, eiuſque iudicio præſcriber, maximè, cum ipſemet in eo Iudicio præſideat tanquam Iudex; quod totum verum eſt in Concilio Vniuerſali, legitimo, quod & in nomine Chriſti & magno conſeſſu res diſceptatas pluribus ad Deum fuſis precibus definit, & Præſidem ſupremum habet, ipſum Chriſtum; ideoque Codicem Euangeliorum in ſublimi Throno in conſeſſu medio collocant, quo Chriſtum repræſentet, vt Cyrill. habet, *in Epiſt. Synodali*, & acta Conciliorum Oecumenicorum teſtantur. Ferunt Æthiopes ſimile quid obſeruare: nam in medio conſeſſu ſubſellium vacuum conſtituunt, in quo aiunt Deum Conciliorum Præſidem, & Iudicum iudicem ſedere ſignificant. Petrus Alexandrinus nunquam in ſuo Patriarchali throno ſedere voluit, quod in eo ſe quendam ſplendorem, atque numinis præſentiam intueri diceret. Id ſanè perſuaſum fuit veteribus: nam & Δίκη deorum numero adſcriptum dicunt apud Athenæum *lib.* 6. & Orphæus adolet thus ſiue λίβανον τῇ Δίκῃ, καὶ τῇ δικαιοσύνῃ. Chriſtus igitur ſtat in ſynagoga deorum & in medio eorum deos diiudicat, dum Concilio Eccleſiaſtico præeſt vt dicebamus.

Sapienter itaque PP. argumentantur ex his Chriſti verbis ad Conciliorum authoritatem probandam, argumento à minori ad maius, vt Maldonat. Bellar. aliique paſſim exponunt. Si enim duo vel tres Eccleſiaſtici Iudices, hoc eſt, vti exponit Gregor. *lib.* 7. *regiſt. cap.* 110. conueniunt in nomine Chriſti de re, aliquando non ita magna, & Chriſtus ſe in medio eorum eſſe affirmet, quis neget idem præſtare, quoties non vnus vel duo, ſed omnes ex toto orbe Epiſcopi, & Iudices conuenient de fide & religione, hominum ſalute, deque totius Eccleſiæ gubernatione, ac diſciplina conſulturi & iudicaturi, & quidpiam communi conſenſu ſtatuent, atque definient? 2. poteſt etiam abſolutè & abſque vlla comparatione duci argumentum hoc modo propter vniuerſitatem propoſitionis, quæ, vti monebam, auelli poteſt à cæteris: propoſitiones enim vniuerſales in Syllogiſmo poſſunt & aliis materiis quibuſlibet aptari: videndum dumtaxat vt ex arte rebus quæ ex illis inferuntur accommodentur. Cum ergo habeamus hoc loco duas propoſitiones vniuerſales nimirùm Apoſtolos, & Eccleſiam habere tribunal, in quo iudicare, ligare & ſoluere poſſunt, ac proindè Iudicium poſtremum ſuſtituere, & Chriſtum eſſe ac præſidere in medio eorum Iudicum, qui in eius nomine iudicaturi conueniunt, & Concilia Oecumenica repræſentent Eccleſiam atque Petrum & Apoſtolos in Pontifice & Epiſcopis, qui omnes ſunt Iudices Eccleſiaſtici, habentque poteſtatem ligandi & ſoluendi ſuper terram, quæ in cœlo confirmatur, conuenerintque ad iudicandum de fide & religione, aliiſque ad ſalutem fidelium, & gubernationem pertinentibus, ac demùm ad damnandas hæreſes, & de vera doctrina diſceptandum, quidquid tandem tenendum ſit & definiendum, ſanè in Chriſti nomine conueniunt, nempè ex authoritate iudicandi, quam illis Chriſtus conceſſit, quamvis aliqui prauam aliquando intentionem habeant; alioquin nunquam conſtaret, vtrum in nomine Chriſti conueniſſent, Chriſtus ex ſua promiſſione erit in medio ipſorum, nimirum tanquam Iudex, qui eos neque falli, neque fallere permittet. Quare & eorum iudicium ex illa Chriſti præſentia, aſſiſtentia & præſidentia, verum & infallibile erit, 9

quod

quod autem obiicitur de Synodis prouincialibus, ſoluetur *cap. ſeq.* Interea adi *cap.* 18. Matth. Maldonatium.

Non negamus tamen hæc Chriſti verba, tum de correptione fraterna, tum de oratione, vti iam monuimus, eſſe intelligenda: cũ enim ſint propoſitiones vniuerſales ad varia applicari poſſunt, neque applicatio ad vnam aliquam materiam impedit, quin vniuerſales maneant, & ad alia quoque, ac diuerſa applicari poſſint. Itaque de oratione plerique PP. intellexerunt, illud, *Vbi duo vel tres congregati fuerint, ibi in medio eorũ ſum.* Propter ſuperiora quibus immediatè & proximè ſubiiciuntur, vt Eucherius qui hanc concordiã in oratione exponit, de cõcordia hominis exterioris cũ interiori in oratione: moneo dũtaxat repudiandam eſſe illã expoſitionem eorum qui præſentiã Chriſti promiſſam congregatis ad orandum, vel ad iudicandum volunt eſſe realem & ſubſtantialem præſentiam, ſicut in Euchariſtia præſens eſt ſubſtantialiter, & corporaliter, vide Ianſenium *cap.* 72. *concord.* Abulenſ. *in cap.* 18. *Matth. q.* 123. & fuſiùs Theoph. Reinaudum, *in heteroclytis ſpiritualibus* 2. *parte, ſect.* 3. *punct.* 1. *n.* 25. *&* 26. 27. *&* 28. Placet tamen quod inde PP. eruunt fructum publicæ orationis, aut ſaltem quæ à pluribus congregatis inſtituitur. Quare Tertull. *c.* 39. *Apolog. Corpus ſumus de conſcientia religionis, & diſciplinæ vnitate, & ſpei fœdere coimus in cœtum & congregationem, vt ad Deum quaſi facta manu precationis ambiamus orantes. Hæc vis Deo grata eſt.* De eadem efficacia eiuſmodi orationis Chryſol. ſer. 132. tractans, hinc Matthæi locum Athanaſ. Apologia ad Conſtantium, Chryſol. *homil.* 4. *in* 2. *ad Theſſalonic. homil.* 2. *de Prophetiarum obſcuritate, & homil.* 3. *&* 18. *in* 2. *ad Corinth. homil.* 3. *contra Anomæos*, Anitus *homil. de rogation.*

10 Alius locus, quo probamus Concilij vniuerſalis in definiendis fidei dogmatis auctoritatem, petitur ex Ioann. *c.* 16. vbi Chriſtus promiſit Apoſtolis Spiritum ſanctum: addit enim, *Ille docebit vos omnem veritatem.* Siue vt habet textus Græcus, *Deducet vos in omnem veritatem*, ὁδηγήσαι ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν, omnem inquit veritatem fidei nempè & morum, illis neceſſariam & Eccleſiæ deducet, quia veluti manu ducet in cognitionem eorum, quæ ad Eccleſiam conſtituendam pertinent: eſt ſiquidem propoſitio vniuerſalis reſtringenda ad id, de quo agebatur. Tertull. *lib. de Corona Milit. cap.* 5. & *aduerſus Praxeam. cap.* 2. vocat Spiritum Dei, *deductorem omnis veritatis*, & *lib. de veland. virginibus cap.* 2. adducens eadem Chriſti verba, *Quæ eſt ergo Paracleti adminiſtratio, niſi hæc quòd diſciplina dirigitur, quod ſcripturæ reuelantur, quòd intellectus reformatur, quòd ad meliora proficitur*, & *lib. de præſcript. cap.* 22. *Multa habeo adhuc vobis dicere, ſed non poteſtis modò ea ſuſtinere, tamen adiiciens, cùm venerit ille Spiritus veritatis, ipſe vos deducet in omnem veritatem: oſtendit illos nihil ignoraſſe, quos omnem veritatem conſequuturos, per Spiritum veritatis repromiſerat, & vtique impleuit repromiſſum, probantibus Actis Apoſtolorum deſcenſum Spiritus ſancti.* & *lib. de monogamia cap.* 21 referens eadem Chriſti verba, addit hæc: *Satis vtique prætendit ea allaturum illum, quæ & non exiſtimari poſſint, vt nunquam retrò edita, & aliquando reuerſa, & idcircò non edita.* Origines *l.* 2. *contra Celſum* fuſiùs exponit quænam de nouo docuerit Spiritus ſanctus Apoſtolos, oſtẽditque inter alias eſſe interpretationes ſpeciales Legis Moſaïcæ, quam tunc non poterant portare Apoſtoli, qui hactenus litteræ Legis Moſaïcæ fuerant educati. Alij dicunt edocendos à Spiritu ſancto quæ ad myſteria & dogmata tradenda, & deinde ad varios ritus & ceremonias, maximè ad ſacrificium, ſpectabant, nam conſtat à Spiritu ſancto plenitudinem ſapientiæ in eius deſcenſu in die Pentecoſtes, collatam Apoſtolis fuiſſe: tunc enim Paulus de Palacios impletum ait illud Eccleſiaſtici, quod de Chriſto dictum fuerat: *Qui implet quaſi Phiſon ſapientiam, & quaſi Tygris in diebus nouorum.* Hæc porrò promiſſio Spiritus deductoris in omnem veritatem facta, & impleta Apoſtolis, non ad eos ſolos pertinebat, ſed ad eorum quoque ſucceſſores Epiſcopos, in vnum ſaltem coactos: tunc enim Spiritus ſanctus illos in omnem veritatem deducere debet, ſi Chriſtus verè promiſit ſuæ Eccleſiæ, quã enim maiorem notioremq; cathedram habet Eccleſia, quàm illã, quam ipſa vniuerſa cũ ſuo capite Romano Pontifice docet omnes Chriſtianos? quod facit in Concilio Generali à nobis deſcripto.

11 Non habemus verò clariùs expreſſam hanc Spiritus ſancti in Conciliis Generalibus præſentiam aſſiſtentiam & præſidentiam, ex qua Concilij demonſtratur auctoritas, quam ex decreto primi Concilij Hieroſolymis ab Apoſtolis celebrati, *Act.* 15. vbi ſuam definitionem ſic pronuntiant *Verſ.* 18. *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis.* Quod Concilium forma fuit, & typus reliquorum omnium. Quare & in cæteris Conciliis, eiuſmodi verba, aut æquiualentia vſurpantur, cùm eodem impulſore & auctore Spiritu ſancto agantur. Et ſanè verbum *videri*, in ſolemni pronunciandi ſolemnitate, adhibebatur, vti obſeruat Cuiacius ad *l.* 2. *D. de verbor. obligationibus*, & *lib.* 3. *obſeruat. c.* 4. Briſſon. *lib.* 2. *de formulis*, in formulis Senatuſconſultorum, nam formulæ decernendi erant, *placere ſenatui. velle & æquum cenſere*, & *ſenatui videri*; quorum omnium exempla congerit: iis enim omnibus ſignificabant ſenatum auctorem illius decreti, & iudicij eſſe. Quare ipſa Concilia dum videri Spiritui ſancto aſſerunt, eundem Spiritum ſanctum ſuarum definitionum auctorem quoq; eſſe affirmant. Vtuntur quidem ſæpiùs verbo *videri*, vt Epheſin. Can. 2. κατὰ τὸ δόξαν τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ, & Can. *ſiue* 4. *ſiue* 5. *vt alij numerant*, ὑπὸ τῆς ἁγίας συνόδου δικαιοῦται, quod Balſamon interpretatur *iuſtum viſum eſt*, δίκαιον ἔδοξε *Can.* 6. καθῃρημένους ἐδικαίωσαν, quod Zonaras exponit, *pœna nomine decreuerunt*: quia δικαιῶσαι, aliquandò ſignificat, *pœnam conſtituere*, vnde τῶν δικαιωτηρίων, tormentorum appellatio ducta eſt, vſurparunt quoq; in decretis Synodi vocem *placet*, vt in Conc. Act. 15. *Tunc placuit & ſenioribus cum omni Eccleſia eligere viros.* Et mox, *Placuit nobis collatis in vnum*, & demum, *viſum eſt Spiritui ſancto ex nobis.* Obſeruat verò Mendoſa, *in Concilio Illiberitan. cap.* 2. Quæ ad fidem pertinent, non conſtitui per verba, *placet*, aut *viſum eſt*, & per ipſa verba, *Credit ſancta, & catholica mater Eccleſia*, quod omninò teſtatur S. Athanaſ. *lib. de Synodis*, Arimini & Seleuciæ coactis in principio de Syris Patribus ſua decreta aduersùm Arianos promulgantibus. *Nec Conſules*, inquit, *nec diem, nec menſem, ſed in negotio Paſcha non abhorruerunt ab iſtiuſmodi appendice, ibi enim placuit vt adderent, Viſum eſt.* &, *Omnes autem obtemperent: de fide verò non ſcripſerunt, Viſum eſt, ſed ad iſtum modum, Credit catholica Eccleſia, & ſtatim ipſa confeſſio adiuncta eſt, vt oſtenderent eam non eſſe nouam ſententiam, ſed Apoſtolicam, & quæ ipſi ſubſcripſiſſent, non eſſe ſua inuenta, ſed Apoſtolorum documenta.* Si autem fidei violatoribus pœna quæpiam adiiceretur, vt fit Can. 2. verbum *placuit* vſurpari & addi poterat, quia vbi res plurimùm diſceptata fuerat, conſentientibus omnium animis in eandem ſententiam, vbi præſcribendum erat decretum, quærebatur à ſingulis à præſide, vel Notario Concilij, an eam tandem conſtitutionem decerni placeret. Quibus ſibi placere reſpondentibus, in geſtis à Notario conſcriptis verbum, *placuit*, in principio decreti & ſanctionis vſurpabatur, quod probat Mendoſa ex. *Concil. Carthaginenſi I. Can.* 1. *&* 2. *&* 10. Et ex Concil. Africano quod eſt potiùs compilatio quædam ex diuerſis Carthaginenſibus, Mileuitano & Hipponenſi, quàm aliquod particulare *Can.* 58. *&* 59. Et

denique ex Conciliis Hiſpanis hunc eundem moré obſeruarunt Romani in Senatuſconſultis,& legibus ferendis: rogabat enim prius,populus an legem decerni placeret,deindè illam ferebant.Quod pluribus exemplis,& à Mendoſa eo loco, & in Commentariis nouis ipſi à Condiſaluo decretis additis oſtenditur,hincque ſolemnes illę apud Romanos litteræ Q.D.E.R.F.P.D.E.R.V.I.C. quas Valerius Probus ſic interpretatur. *Quid de ea re fieri placeret, de ea re vniuerſi ita cenſuerunt.* Aut reſpondebant non placere; quem Romanum morem ait. Verum quidquid de hac eruditi viri obſeruatione,quam omittere non placuit,cenſeas: neque enim perpetua & conſtans eſſe videtur,nam in decreto Apoſtolorum, is in quo verbum *viſum eſt,& placuit* vſurpatum fuit,quæ priùs pertinebant ad fidem,in illud de fornicatione vitanda,quædam ad ius referri, vt abſtinentia à legalibus, & à ſuffocato ac ſanguine. Certum eſſe oportet,vbi additur, *viſum eſt Spiritui ſancto,& nobis* auctorem decreti, laudari Spiritum ſanctum,cuius auctoritas ſuprema eſt, & quamvis aliquæ pſeudo-Synodi eadē aliquando verba ſibi vſurparunt,ſtatim apparet illas ſplendido eo verbo ſuam impietatem velaſſe,cum neque eam impietaté contra omnium aliarum Synodorum fidem & Patrum omnium Spiritus ſanctus decernere non potuerit atque ex aliis adiunctis eas non fuiſſe legitimas,conſtet ex hac nihilominus formula,& verbis ſolemnibus colligere nō in decretis dumtaxat fidei ſed & morum & diſciplinæ, ſiue iuris Eccleſiaſtici authorem laudari Spiritum ſanctum, ac proinde eas omnes Concilij Conſtitutiones obligare,quod non impedit,quin eadem authore Spiritu ſancto,vbi euidens aliqua ratio & neceſſitas ita exiget,mutari aut abrogari nō poſſint,vt dicem,*infer.c.ſeq.* & ex ipſa mutatione,innouatione,& abrogatione legis Moſaicæ,cuius Deus ipſe auctor fuerat,manifeſtum ſit.

12 2. Si Concilia vniuerſalia,in fidei dogmatis errarent, tota quoque Eccleſia quæ per ea repræſentatur,& quæ omnes Chriſtiani ſequi tenentur erraret,cum ſtulti facti fuiſſent,Principes Tancos omnes Epiſcopi & corū Caput Pontifex: & tamen nobis certum eſt Eccleſiam errare non poſſe,cum *Matth.*16. aduerſus illam portæ inferi præualere non poſſint,neque eam Chriſtus derelicturus vnquam ſit Matth.*vltimo, Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi,* & denique Paul. 1.*ad Timoth.*3. ipſam nomine Dei viui columnam, & firmamentum veritatis portas inferi hæreſes Epiphan. *in Anchorat.* vitia Ambr. *lib. de bono mortis c.*12.*& in Luc.c.*9. vtrumque Origen. *tract.*1.*in Matth.* Hieronym.& Beda,Eccleſiæ perſecutiones Euthimius, & Theophilact. & denique alij omnem Diaboli potentiam.Hæc omnia non præualebunt οὐ κατισχύσουσιν. non vincent:portæ verò ſunt ad defendendum,non ad offendēdū. Promittit itaque Chriſtus Eccleſiam ſupra Petram fundatam,non modo non vincendam ab inferno,ſed etiam omnem inferni potentiam victuram vt explicat Hilar. *Infernas* (inquit) *leges,& Tartari & omnia mortis clauſtra perrumpet.* Quod falſum eſſet,ſi in dogmatis definiendis erraret.

13 Hæc omnia confirmant P.P. dum Concilia Oecumenica legitima, & approbata tanquam Euangelia venerantur,& diuina illorum oracula ita ſuſpiciunt,vt omnes,qui contrarium ſentiunt,eo ipſo damnent:loca PP. congerit Bellarm. *lib.*2.*de conc.c.*3.praxiſque totius Eccleſiæ idem ſuadet,ſolique hæretici reclamant ne damnari vel à Pontifice, vel à Vicario vniuerſali poſſint & ab vno tribunali,ad aliud prouocant,& tandem vtrumque recuſant,& fugiunt.

His omnibus accedit validiſſima ratio: ſi enim Concilia generalia in fidei definitionibus errare poſſent, nullum in primis in Eccleſia ſupremum iudicium & tribunal controuerſiarum neque quidquam certò definiri & pax Eccleſiæ componi poſſet, cum nihil ſit maius generali Concilio legitimè approbato & confirmato: deinde omnes hæreſes hactenus damnatas in dubium reuocare liceret. Arius diceret ſe iniuria damnatum eſſe à Nicæno,Macedonius, à Conſtantinopolitano,Neſtorius ab Epheſino, Dioſcorus & Euthyches, à à Chalcedonenſi,& alij ab aliis, & qui illorum errores hodie denuò doceret, non magis damnari poſſet, cum hodierna Concilia non ſint maioris auctoritatis, quàm illa antiqua fuerint, quare Lutherani & Caluiniſtæ Tridentini Concilij definitiones rident. Tertiò plures Scripturæ libri incerti & dubij adhuc ſunt, cum à quibuſdam Conciliis, vt à Tridentino aſſerti ſint: vnde ergo habebimus illos eſſe veræ Scripturæ Codices,vnde illorum Cathalogum accipiemus? An ab Hebræis? quis verò dixit Hebræos in enumerandis ſacris Scripturis non fuiſſe falſos, ſi conſeſſus totius orbis, vti nominantur Concilia,in iiſdem ſcripturis recenſendis erraſſe dicuntur. Quartò omnia Concilia reipſa errarint errore qui emendari nequeat: propoſuerint enim, tanquam de fide certam ſententiam & articulum fidei,de qua dubium erat an eſſet verum, & an de fide, errorque ille eſſet inemendabilis,vt memini, à quonam enim emendaretur? A priuato doctore quem totius orbis Doctoribus,vna voce & vnanimi conſenſu edicentibus præponemus. An ab alio Concilio de cuius definitionibus æquè dubitatur atque de prioris decretis. Quintò cur PP. maxima & vltima iudicia in Conciliis generalibus vt Nicæno reperiri dixerint & quæſtionem de iis amoueri, aut illa retractari, quomodolibet prohibuerunt apud Epiphan. *hæreſi* 77. Aug. *ep.*162. Leo *ep.*50.*ad Martianum, & 61.ad Chalcedonenſem Synodum, & 62.ad Maximum Antiochenum,* Gelaſius *Epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ* Conc.Epheſinum *ſub fin.* Chalced. *act.*5. *Can. vlt.* ſanxitque ſua lege Marc. *l. nemo C. de ſumma Trinitate,* & in C.Theod. *lib.*16.*tit.*14.*de his qui ſuper religione* contendunt,habetur *l.*2. Theodoſius prohibet ſub graui pœna de Religione contendere,edita fuit ann. 388. eiuſque meminit Baron. eo anno *n.*58. Eiuſdem aliam legem anno 381. datam memorat Sozom. *lib.*7.*cap.*6. quod maximè verum eſt vbi res iam definita eſt in Concilio,ne populares obtentu Religionis turbarentur, & ſua Religioni maieſtas conſtaret, relata eſt hæc lex Theodoſiana,VViſigothicar.legum *lib.*12.*tit.*2. & Capitularium *lib.*7.*cap.*139. & Ludouici *addit.*4.*c.*18. cur iidem PP. regulam dignoſcendi hæreticos indubitatam tradunt, ſi Conciliorum decreta ſequantur vel repudient, hos enim hæreticos omninò habendos eſſe pronunciant,neque aliter recipiendos eſſe quam ſi probent definita à Conciliis & anathema dicant iis quæ ipſæ Synodi damnant & anathematiſant, cum enim Apollinariſtæ negarent ſe eſſe hæreticos, eò quòd in quodam Concilio Catholico recepti eſſent,Nazianus *ep.*1.ad Clydonium, ſic illos vrget, *Oſtendant hoc, & nos acquieſcemus: perſpicuum enim erit eos rectæ doctrinæ aſſentiri: neque enim aliter ſe res habere poteſt ſi id aſſequuti ſunt.* Leo *ep.*78. negat eos dici poſſe Catholicos,qui Concilio Nicæno, & Chalcedonenſi reſiſterent,& *epiſt.*77. *ad Anatol. Conſtantinopolitanum,* iubet Atticum Præsbyterum,aut acquieſcere Chalcedonenſi,aut excommunicari.Baſil. *ep.*78. Iubet de fide ſuſpectis proponi decreta Concilij Nicæni, inde enim dignoſcetur eorum fides, & an hæretici habendi ſint. Neque aliter Cyprianum de hæreſi excuſat Auguſtin. *libr. primo de Baptiſmo cap. decimooctauo*, quam quod nondum in Concilio generali, quæſtio de Baptiſmo hæreticorum definita fuiſſet. Non habuere igitur PP. certiorem, & magis indubitatam fidei regulam, quam Concilia Generalia, quæ diuina, cœleſtia, & à Spiritu ſancto dictata dixerunt. Sic apud Euſeb. *lib.*3.*de vita Conſtantini*, ipſe Imperator appellat cœleſtia mandata Concilij Nicæni, Athanaſ. *Epiſt.* ad Epiſcopos Affricanos. *Verbum Domini per Oecumenicam Nicæa Synodum manet in æternum,*

hoc

hoc eſt irretractabile, & indefectibile eſt. Nazianſ. *Orat. in Athanaſ.* Epiſcopos in eo à Spiritu ſancto congregatos fuiſſe. Cyrill. *l.1. de Trinit. Diuinum & ſanctiſſimum Nicæni oraculum.* Leo *Ep.* 53. *& Ep.* 77. & alij paſſim diuinas ſententias diuinitùs editas Canones vocant. Hortantur denique prius ſubire ipſam mortem quàm ab eiuſmodi decretis diſcedere. Ambroſ. *Ep.* 32. *Sequor tractatum Nicæni Concilij, à quo me nec mors, nec gladius poterit ſeparare.* Et veneramur plurimos Martyres, qui, maximè in perſecutione Vvandalica tota Affrica, atque alibi vitam pro tuendis Nicænis decretis profuderunt. Vides igitur definitiones à Conciliis Generalibus factas, perpetuò tanquam certas & indefectibiles ab Eccleſia regulas habitas fuiſſe.

Huic tamen noſtræ & Catholicæ aſſertioni duas conditiones appoſui. Primò vt ſint legitima, & plenaria & omnia in illis ordinatè fiant, & non per vim, cuiuſmodi fuit Epheſina Synodus II. quæ idcircò latrocinium dictum eſt, & à Leone primùm, deinde à Concilio Chalcedonenſi damnata fuit. Similia ſunt Hæreticorum conciliabula, vel quæ à Schiſmaticis coacta nonnunquam ſunt.

Requirebam ſecundò vt decreta huiuſmodi, ipſaque Concilia ſint approbata, & confirmata, à Romano Pontifice, ſiue ipſe præſens fuerit, ſiue ſuis litteris, ſiue aliâ ratione conſenſerit, & approbarit: neque ſatis erit & Legatos Pontificios illi Concilio præfuiſſe, niſi vel commonitorium ad litteram, vt loquitur, & exactiſſimè ſequuti fuerint; vel ſi nullum commonitorium habuerint, decretis deinde Pontificia confirmatio acceſſerit. Similia commonitoria accurata dedit Gelaſi. *Ep.* 4. Legato Magiſtro Conſtantinopolin. Hormiſdas idem ſuis Legatis, quod commonitorium, ſiue indiculus habetur poſt eius Epiſtolam 10. & alia leguntur in vitis Pontificum, & in actis Conciliorum, atque ſacris Annalibus in Concilio Carthaginenſi, an. 419. *Fauſtinus* Epiſcopus plebis Potentinæ Prouinciæ Italiæ Piceni Legatus Romanæ Eccleſiæ dixit, *Iniuncta nobis ſunt à Sede Apoſtolica aliqua per ſcripturam, aliqua etiam in mandatis, cum veſtra Beatitudine tractanda, &c.* Et infrà Daniel Notarius recitat commonitorium Fauſtino & aliis Legatis à Zozimo Pontifice datum: *Vobis commiſſa negotia non latent vos, ita ac ſi noſtra: immò quia noſtra in vobis præſentia eſt, cuncta peragite, &c.* Eſt verò commonitorium ex Suida, ἐπιστολὴ προστατικὴ ἀποστελλομένη εἰς χώρας, & in Gloſſis Baſilic. ἐπιστολὴ ἀποστελλομένη μετὰ προστάξεως, quale commonitorium Synodus Carthaginenſ. *an.* 404. dedit Euodio, & Theaſio ad Honorium Auguſtum Legatis, quod recitatur in Canone 93. in Codice Canonum Eccleſiæ Africanæ, & eodem modo accipitur ea vox apud Auguſtin. *Epiſt.* 129. *&* 158. & apud Palladium in vita Chryſoſtomi de commonitorio Concilij totius Occidentis, *& l.* 10. *C. Theodoſ. de curioſis mittuntur curioſi, per diuerſas regiones Commonitoriis competentibus, atque mandatis inſtructi.* Eſt itaque commonitorium mandatum Principis, vnde habetur quoque titulus de mandatis Principum *in C. Theodoſ. & Ammiano.* Marcell. *l.* 28. *Commonitorium cum Auguſti literis tradidit commiſſionis inſtructiones.* Dicimus hinc etiam reparare Commonitorium *l.* 27. *de erogatione militar. annonæ C. Theod.* Fuit & commonitorium primatum; Symmach. *l.* 5. *Ep.* 20. *Commonitorium quo ſummatim muneri præparando reſcripſi.* Similia habet *Ep.* 21. *&* 24. *l.* 2. *C. Theod. ſi certum petatur.* Fit mentio commonitorij de ſuffragio, dicitúrque ſuffragatorem ſolò commonitorio de ſuffragio nixum, ſiue ſola ſponſione, quo illi certa poſſeſſio pro ſuffragio promittitur, ſuapte authoritate poſſeſſionem occupare non poſſe: viaque facti moras nectente creditore, eam ingredi; quod ſi id fecerit, reus temeritatis & violentiæ, *retinebitur*, id eſt, tanquam vim fecerit punietur, *& poſſeſſio in priſtinum* ſtatum reducetur, reſtituetur ſcilicet priſtino domino, & ſuffragator *à petitione excludetur eò quod non dubitauit inuadere quod petere debuiſſet.* Vides igitur Commonitorium eſſe libellum quo negotium aliquod tanquam monitorio & memoriali cõmittebatur ὑπομνηστικόν, & vt diximus ex gloſſis nomicis ἐπιστολὴ προστατικὴ, ſiue à priuato, ſiue à principe daretur. Huius formulam dabit Caſſiador. *l.* 7. *variarum formul.* 22. Quoties igitur Legati Pontificij commonitorium, & mandatum ſibi datum à Pontifice ſequuntur in Concilio, quod etiam ad illius normam ſua decreta definit, vt in Concilio Epheſino & Chalcedonenſi factum videmus, ea definitio à Pontifice, eò ipſo non modo confirmatur, ſed ipſe eandem per ſuos Legatos præſens ſancit.

Quare difficultas dumtaxat eſt quandò, vel non, 16
habent commonitorium, vel de iis quæ in commonitorio non continentur; vnà tamen cum Concilio quidpiam definiunt, an illud à Pontifice quoque definitum ac confirmatum cenſeatur, an verò tunc Concilium errare & à Pontifice emendari poſſit in controuerſiis fidei, & an neceſſaria ſit diſerta tunc Pontificis confirmatio vel approbatio. Ita exiſtimat Nanclintus *opuſc. de neceſſitate confirmationis Conciliorum:* neque enim indefectibilitatem Pontifex Legatis ſuis communicat vt rectè docet Caſtro *l.* 1. *de iuſta Hæretic. punit. c.* 61. contrarium tamen exiſtimant Corduba *l.* 4. *quæſtion. q.* 1. *propoſit.* 4. *&* 9. Solus *in* 4. *d.* 20. *q.* 1. *a.* 4. *&* alij quos ſequitur Duvall. *de Pontif. p.* 4. *q.* 6. *Conc.* 3. *Decreta*, inquit, *Conciliorũ Generalium vnanimi Patrum de legatorum conſenſu edita, ſunt infallibilia, etiam ante Pontificis confirmationem, quamvis ipſe nullam huius decreti inſtructionem dederit.* Quam tamen ſuam concluſionem, non ita certam fatetur, cùm à multis iiſque non inferioris notæ doctoribus impugnetur. Supponit verò Duvallius Concilium imprimis eſſe legitimum, vtpotè indictum à verò Pontifice, neque vllo modo reuocatum, & legitimè, ſeruatis ſcilicet circumſtantiis, ad rectè definiendum procedere, cum matura & diligenti de re, de qua quæritur, diſcuſſione, omnibus humanis affectibus ſepoſitis, inuocato diuino numine, & ſolâ veritate oculis mentis propoſita. 2. miſſos eſſe Legatos ad definiendas quæſt. propoſitas, neque illis præceptum vt ante definitionẽ Pontificem ipſum conſulant. Denique PP. & Legatos ita in definiendo concordes eſſe, vt ne vnus quidem decreto & definitioni refragetur: nam licet minor pars diſſentiat & maior conſentiat, neceſſaria erit confirmatio, quæ minori accedat. His ſuppoſitis Duvallius cenſet eam definitionem firmam eſſe, & infallibilem; quia tunc Concilium totam & vniuerſalem Eccleſiam, quæ columna eſt veritatis, & errare non poteſt, repræſentat. Legati ſiquidem referunt Pontificem tanquam caput, & Epiſcopi particulares Eccleſias: neque tale Concilium dici poteſt acephalum, cùm illi verum & eſſentiale caput præſit per ſuos Legatos, & ſic congregatæ Eccleſiæ, maximè facienti quod in ſe, infallibiliter adſit Spiritus ſanctus ex Chriſti promiſſione, Matth. 16. *&* 23. Denique ſi tota eiuſmodi Synodus erraret, contingere aliquando poſſet; vt in ſolo Pontifice reſideret fides & quod inde neceſſario ſequitur, tota Eccleſia, quæ ſine fide ſtare nequit, *quod foret*, in ſolo Pontifice maneret; quod abſurdum eſt: quia Eccleſia per ſe & eſſentialiter eſt aliqua Congregatio, quæ multitudinem cum vnitate includit. 3. Concilium Generale cum capite non tantùm vniuerſam Eccleſiam repræſentat, ſed eſt ipſamet vniuerſa Eccleſia, quæ tunc

vniuerſa erraret. Præterea vnanimis PP. conſenſus in doctrina fidei inuictiſſimum argumentum habetur: in noſtro verò caſu vnanimis eſt Patrum & Legatorum Pontificiorum in definitionem fidei conſenſus, videturque pugnare cum ſuavi diuina prouidentia, vt vniuerſis Patribus legitimè congregatis, & in quæſtione fidei definienda diligenter, & vnanimi conſenſu incumbentibus deſit, & in errorem labi permittat, qui totam Eccleſiam occupabit, & turbas inſuperabiles pariet. Si enim Pontifex Legatorum ſuorum, & Concilij totius definitionem reiiciat, & damnet, quammulti Concilij partem tuebuntur: ſi verò confirmet errorem definitum à Concilio, ipſe non modò errabit, ſed errorem docebit, totáque ſimul Eccleſia præceps in errorem trahetur. Denique cum Pontifex deſtinet Legatos cum poteſtate definiendi, inanis & inutilis eſt ea poteſtas, ſi ad actum reuocari non poteſt, & ſi deinde nouâ Pontificis confirmatione indigeat.

17 Denique argumentis contrariis reſpondet Duvall. & primò quidem quòd Pontifex non poſſit ſuis Legatis priuilegium infallibilitatis concedere, *Reſp.* eiuſmodi Concilium verum & legitimum, quale deſcripſimus, non habere ſuam infallibilitatem à Pontifice, ſed ab aſſiſtentia Spiritus ſancti & Chriſti illi promiſſa, & non præualituras aduerſus illam Inferi portas; quod tamen tunc contingeret, quia talis error totam Eccleſiam deturparet.

2. Quod aſſertur, duas tunc fore in Eccleſia Cathedras infallibiles, Pontificis nimirùm, & Concilij Oecumenici legitimi conſenſus etiam ante Pontificiam confirmationem, quæ multitudo cathedrarum pugnat cum Eccleſiæ dignitate: neutra enim eſſet ſuprema. Reſpondet Duvall. in hoc caſu non eſſe duas Cathedras, ſed vnam omnino, conſtantem ex Concilij Patribus vniuerſis, & Pontifice per ſuos ad definiendum cum Patribus miſſos præſente, neque quidquam repugnat in fidei dogmatibus Pontificem eſſe infallibilem, & ſimul Eccleſiam vniuerſam, quæ in tali Concilio eſt, vel repræſentatur, quia iſtæ duæ poteſtates definiendi non pugnabunt, ſi ſint infallibiles, neque vna poſſit damnare, quod alteram probabit, vel alioquin altera, vel vtraque eſſet fallibilis, & ex illis licèt vna poſſit ſola definire, non tamen altera, & licèt Pontifex ſolus cum ſuo ſaltem Concilio id poſſit, non tamen Concilium Oecumenicum, de quo agimus, id non poſſit, ſine Pontifice per ſuos Legatos ſaltem præſente: hoc enim hactenus ſupponimus, & quærimus dumtaxat vtrùm iudicium & definitio talis Concilij ita egeat confirmatione Pontificia, vt ante illam non ſit firmum & infallibile iudicium.

Obiiciunt 3. ex hac doctrina deſtrui ſtatum Monarchicum Eccleſiæ: quia eo caſu teneretur Pontifex iudicium Concilij confirmare, neque in contrariam ſententiam abire poſſet.

Reſpondet cum Soto, Pontificem teneri definitioni Concilij conſentire, non tanquam ſit inferior Concilio, eique obedire teneatur, ſed quia tenetur obedire veritati, per Spiritum ſanctum certiſſimè reuelatæ, ſicut tenentur reliqui DD.

Hæc omnia Duvallius, qui tamen addit *Con.* 4. hoc Concilium hactenus deſcriptum, ante confirmationem pontificiam habere vim directiuam dumtaxat, & non coactiuam; hoc eſt, oſtendere quidem veritatem infallibiliter amplectendam, cui nemini liceat obſiſtere & refragari; non poſſe tamen eam toti Eccleſiæ iuridicè proponere, neque fideles ad exteriorem ſuæ definitionis profeſſionem iure compellere minis, cenſuris, & aliis pœnis. Quare ſi quis decretis nondum confirmatis diſſentiret, erraret quidem non tamen hæreticus, & Eccleſiæ rebellis cenſeretur, niſi fortaſſis Pontifex Legatis ſuis facultatem fecit publicandi definitiones Concilij non ſuâ confirmatione ſpeciali expreſſè cõceſſa. Rationem reddit, quia cùm Eccleſiæ ſtatus ſit Monarchicus, & non Ariſtocraticus, poſitiua fidelium obligatio & coactio non poteſt niſi à ſupremo moderatore proficiſci, vti contingit in regno, vbi obligatio Legum obſeruandarum à rege proficiſcitur, eáque de cauſa Concilia Generalia perpetuò confirmationem à Pontifice poſtularunt, quia ſine illa ſua decreta non poterant legitimè promulgari, & fidelibus obligationem imponere, atque pœnis caſtigare reos. Sic *cap. ſignificaſti 4. de electione, Omnia Concilia per Romanæ Eccleſiæ auctoritatem robur accipere dicuntur*: & *diſt. 17. cap. Concilia 6. Concilia Sacerdotum Eccleſiaſticis legibus quotannis decreta per Prouincias, quia præſentiam Papæ non habent, plenitudinem perdiderunt.* Quod ſi dicas Concilia etiam ante Pontificis confirmationem ſua decreta ſub anathemate firmare, vt in ſingulis ferè ſectionibus Tridentini videre licet. Reſpondet Duvall. id fieri ſub ratihabitione & confirmatione futura Pontificis: quia certum eſt ex illo totam Concilij iuriſdictionem pendere. Quare licèt PP. tanquam iudices in Concilio ſedeant & definiant; quia tamen ſtatus Eccleſiæ Monarchicus eſt, eorum Leges cum pœnis indictis non aliter quàm per ſupremum Monarcham proponi aut promulgari poſſunt, nec pœnæ in violatores Legum decerni. Quamvis autem nomine Concilij non Pontificis publicentur, inde tamen non ſequitur totam ipſam vim, & obligationem à Concilio, & non à Pontifice oriri; quia enim PP. & Epiſcopi ſunt veri iudices & vnà cum Pontifice, præcipuo totius Concilij iudice, ipſi iudicant & definiunt, rectè totius Concilij nomine publicantur à ſummo Pontifice; & ſi ipſe præſens non fuerit, confirmari ab ipſo oportet, propter rationem ſtatus Eccleſiæ, qui eſſentialiter Monarchicus exiſtit. Quod ſeruari videmus in Monarchicis politiis, in quibus decreta politiorum nomine publicantur, prius tamen à Rege confirmantur. Ex quibus omnibus concludit tandem Duvallius contra Vigorium infallibilitatem Concilij Oecumenici non deſtruere infallibilitatem Pontificis, ſicut econtrariò infallibilitas Pontificis non euertit infallibilitatem Concilij, cùm potiùs illa hanc ſtatuat & firmet infallibili certitudine.

18 Ita vir eruditus ſuam illam ſententiam infallibili certitudine decretorum Concilij vnanimi Patrum omnium & ſingulorum atque Legatorum conſenſu iis etiam ante confirmationem editis molliter explicat, atque non improbabilem reddit. Quare fuſius omnia eius firmamenta referre placuit, ne quis me quidpiam diſſimulaſſe exiſtimet, & liberè ſequi illam poſſit, ſi lubeat, quamvis aliqua minùs mihi probãda eſſe videantur. Atque imprimis non video cur eiuſmodi Concilium, ſi infallibiliter decernit, non obliget fideles ad credendum ante confirmationem Pontificiam, quam ad eiuſmodi obligationem externam & poſitiuam, atque ad pœnas incurrendas neceſſariam eſſe vult eo caſu Duvallius, non ſic infallibiliter iſta decernit Concilium, cur qui iſtud decretum nouit, & contrarium ſentit, non dicetur hæreticus & Eccleſiæ vniuerſæ decernenti rebellis, non modò in foro interno, ſed etiam in externo? Cur neceſſaria erit ad illud confirmatio Pontificia, quæ nullam addit vim eiuſmodi decretis, ſed ad ſummum ea promulgat, & obſeruari iubet? Iam enim toti Eccleſiæ, quæ à toto Concilio repræſentatur, immò, quæ, vt aſſerit Duvallius, eſt ipſum Concilium, promulgata ſunt & publicata. Quod ſi ad obligationem, quam poſitiuam, externam

externam & coactam dicunt, neceſſaria ſit maior aliqua, & diſtinctior notitia, illa ſufficienter fiet, per ſingulos Epiſcopos, qui in ſuis Diœceſibus Concilij decreta promulgant: Gelaz. Cizicen. *lib.2. cap.27.* numerat Epiſcopos, per quos decreta Nicænæ Synodi omnibus Eccleſiis tranſmiſſa ſunt. Indè etiam factum vt ipſorum etiam Canonum Nicænorum numerus tam varius fuerit, ab Epiſcopis nempè publicatus. Vnde Hincmar Remenſis *in Opuſc. aduerſus Hincmarum Laudunenſ. Epiſc.21.* de eo numero, de quo nos alibi: *Qui numerus vnus & conſtans eſſet, ſi à Romano dumtaxat Pontifice fuiſſet publicatus*, & nemo illos *ignoraſſet, neque fuiſſet opus Hadrianum R.P. Carolo Magno Regi in epitome Canonum, quam ad diſpoſitionem Eccleſiarum Occidentalium miſit, 20. Capitula, Nicæna deſcribere, quæ iam omnibus prædeceſſoribus nota eſſe debuerant.* Adde quod ſi illa ipſa per Epiſcopos promulgatio neceſſaria erit, etiam poſt confirmationem Pontificiam: nam & illa ipſa confirmatio vnà cum decretis à ſingulis Epiſcopis plebibus ſuis denuntianda erit iuridicè, & legitimè æquè atque ipſa decreta Concilij, neque magis obligabit eiuſmodi confirmatio Romæ publicata, quàm ipſa decreta in Concilio generali edita & publicata, ſed omnia illa plebi à ſuis Prælatis denuntianda erunt. Et ſicut promulgatio, quam Epiſcopi ſinguli in ſuis Parochiis faciunt, non dat vim vllam, aut auctoritatem confirmationi Pontificiæ, quam legitimè dumtaxat notam faciunt, ità vt nullus ignorantiam obtendere poſſit, eáque ratione damnationem & pœnas fugere: ita neque confirmatio Pontificia, quam requirit Duvallius in caſu propoſito decretorum Concilij, & definitionis infallibiliter certæ ad inducendam obligationem poſtremam externam, & coactiuam, nullam addet vim & auctoritatem definitioni Synodi, ſed illam dumtaxat præconis inſtar promulgabit, & quam obligationem deinde credendi imponant ſingulis fidelibus declarabit, qui proinde pœnas anathematis, aliáſque à Synodo impoſitas ſubire cogentur. Hæc itaque confirmatio non erit vera, & propria confirmatio; magis quàm promulgatio facta à cæteris Patriarchis, & Epiſcopis, ad quos Synodi ſcribunt epiſtolas Synodicas, quibus eos monent, quid in Synodo fuerit actum, & vt in ſuis Diœceſibus ſeruari omni ope ſatagant; quod in Concilio Epheſino, Chalcedonenſi, & aliis factum videmus. Nemo tamen dixit eiuſmodi literis, poſtulatam fuiſſe à Synodo Patriarcharum, & Epiſcoporum Occidentalium & Orientalium, Synodi confirmationem, ſed poſtulatum vt & ipſi acquieſcerent Synodi decretis, & ea promulgarent, ſeruarique curarent. Quare neque ſemper ſcriptæ ſunt huiuſmodi Synodicæ ad abſentes Epiſcopos, neque illi, vbi ad ſuas ſedes redierunt, & decreta Synodi publicarunt, dixerunt ſe illa ſua auctoritate confirmare, vti factum perpetuò videmus à Romano Pontifice, ſiue ipſe interfuerit, vt in Latinis aliquot Synodis, ſiue tantùm per ſuos Legatos; qui eius commonitoria exactè ſeruarunt; & Patres quoque ſequuti fuerint, ſiue quidpiam ſine mandatis & vltra illa, quamvis non ipſis contraria, vnà cum Patribus definierint. Denique ipſa petitio confirmationis facta à Synodo, ſatis euidenter demonſtrat, ſe non petere à Pontifice ſimplicem quandam promulgationem, quæ ad omnem externam poſitiuam, & coactiuam obligationem perpetuò neceſſaria eſt, ſed propriè dictam confirmationem & approbationem decretorum, quæ PP. exiſtimabant nondum ſatis eſſe firma, niſi illis Romani Pontificis, tanquam capitis expreſſa auctoritas accederet, vt conſtat de Nicæna Synodo ex Felice III. *Epiſt.4.* & decreto ipſius Sylueſtri Concilio Romano ſuffragante, quod legitur *tom.1. Concil.* Leo petitam confirmationem à Concilio Chalcedonenſi *Act.3. in relatione Synodica*, conceſſit, ſcribens ad Marcianum Auguſtum, Benedictus III. idem fecit, circa Remenſe Concilium, Sophronij Hieroſolymitani Synodicam epiſtolam ad Honorium, qua idem ab eodem Pontifice explicatiſſimè poſtulatur, adducit Turrian. *lib.1. contra Sadalem, cap.10. ſub finem*, qui etiam *lib.7. de dogmatic. charact.* refert Photium nondum exauctoratam eandem confirmationis Pontificiæ neceſſitatem agnoſcere, ſcribens enim ad Nicolaum I. illi fatetur conuenire θηκυρoῦν συνοδικὴν ψῆφον tribuere auctoritatem Synodicæ ſententiæ. Quod verò Duvallius hanc petitionem confirmationis Pontificiæ, factam à Synodis explicat de neceſſitate confirmationis, vt fidelibus indiceretur obligatio, vt loquitur, poſitiua, & contradicentes pœnis, & cenſuris caſtigare liceret, iam reiectum videtur ex dictis: nam eadem ratione petenda fuiſſet ſingulorum Patriarcharum & Epiſcoporum, vt diximus, confirmatio: nam ſine illorum promulgatione, non indicebatur plebi poſitiua obligatio, neque contradicentes plecti poterant, & Patrum, ipſarúmque Synodorum verba, quarum aliqua adducit, tum *hac quæſt.6.* tum *quæſt.5.* hic auctor, hanc explicationem minimè patiuntur, vt quod ait Pelagius II. Epiſt. ad Synodum Conſtantinop. *nulla vnquam Synodus rata legitur, quæ Apoſtolicâ auctoritate non fuerit fulta*, vbi apertè dicit, nondum rata, & firma eſſe conſtituta Synodica, niſi fulciantur Romanæ Sedis auctoritate. Affert & Duvallius illud *d.17. Can. Concil. Ea Concilia, quæ Papæ non habuêre præſentiam, valetudinem perdidiſſe.* Quod explicat de obligatione ſua poſitiua qua carerent, ſed non aduertit *in lib. Ennodij pro defenſione IV. & V. Synodi ſub Symmacho habita*, hæc verba legi per interrogationem. Erant enim verba aduerſariorum Symmachi, qui obiiciebant etiam, tanquam quid abſurdum Symmacho, quaſi *Concilia annua*, & Prouincialia, deſtituta Papæ præſentia *valetudine & firmitate carerent.* Quibus Ennodius ſic reponit, vt in eodem etiam Canone refertur: *Legiſtis, inſaniſſimi, aliquando in illis præter Apoſtolici apicis ſanctionem aliquid conſtitutum, & non de maioribus negotiis ad conſultationem, ſiue collationem præfatæ Sedis arbitrio fuiſſe reſeruatum?* Quæ non fauent Duvallio: ex iis enim colligi non poteſt auctoritatem Pontificiam eſſe dumtaxat neceſſariam ad obligationem externam, & ad promulgationem. Quod etiam affert *ex cap. ſignificaſti de electione.* Non fauet quoque Duvallio *cap. ſignificaſti, de electione*, quod allegat: nam in eo Paſchalis II. ſcribit Archiepiſcopo Panormitano, ſeu, vt alij legunt, Toletano, vel Polonienſi Colonienſi, cùm in veteribus libris ſcriptum ſit Palarm. Archiepiſcopo: reſpondétque iis, qui mirabantur, illi datum fuiſſe pallium cum conditione præſtandi iuramenti, quod illi fuerat oblatum, cùm tamen à Conciliis nihil huiuſmodi fuiſſet ſtatutum. Reſpondet Paſchalis; *Quaſi Romanæ Eccleſiæ legem Concilia vllam præfixerint, cùm omnia Concilia per Romani Pontificis auctoritatem, & facta ſint & robur acceperint, & in eorum ſtatutis* Romani Pontificis patenter excipiatur *auctoritas.* Quæ verba non exigunt tantùm Romani Pontificis auctoritatem, ad promulgationem quandam.

Adde hanc confirmationem ex Duuallio, pertinere tantùm ad exequutionem decretorum, non ad ipſam definitionem, ſine qua & ipſa Concilia adducta negant rata eſſe illa decreta, quia eadem ratione, neceſſaria erit quoque confirmatio Imperatoria, quam & Synodos poſtulaſſe, & Imperatores conceſſiſſe conſtat;

ſtat: fuit enim in more poſitum, vt Concilia ſuas definitiones ad Principes mitterent, cum literis quibus ſuorum Canonum confirmationem ſolemni formulâ petebant. Sic Concilium Conſtantinopolitanum I. Epiſt. Synodica ad Imp. Theodoſ. *ἀποδιδόντες τῷ θεῷ τὴν ὀφειλομένην εὐχαριστίαν ἀναγκαίως, καὶ τὰ γεγενημένα κατὰ τὴν ἁγίαν σύνοδον πρὸς τὴν σὴν εὐσέβειαν ἀναφέρομεν*, Agentes Deo gratias neceſſario, quoque ea quæ acta ſunt in ſancto Concilio ad tuam referimus pietatem. Deinde paucis enarratis, quæ geſta ſunt addunt, Rogamus igitur tuam clementiam, vt per litteras quoque tuæ pietatis ratum habeatur Concilij Decretum *γράμματι τῆς σῆς εὐσεβείας ἐπικυρωθῆναι τῆς συνόδου τὴν ψῆφον*, vt ſicuti litteris, quibus nos Conuocaſti, Eccleſiam honore proſecutus es: ita etiam finem eorum, quæ decreta ſunt, obſignes, *ἵν᾽ ὥσπερ τοῖς τῆς κλήσεως γράμμασι τὴν ἐκκλησίαν τετίμηκας οὕτω καὶ τῶν δοξάντων ἐπισφραγίσῃς τὸ τέλος*. Quare ipſa Synodica decreta finem, ſiue confirmationem non accipiebant, ſiue rata non erant, niſi Imperatoris litteris obſignarentur. Quare Socrat. *lib. 5. cap. 8.* poſt ſtatuta illa Synodica expoſita addit *τούτοις καὶ ὁ βασιλεὺς ἐγένετο σύμψηφος* Conſtantinum quoque Nicæna decreta confirmaſſe auctor eſt Euſeb. *lib. 3. vita Conſtant. cap. 18.* Theodoſius & Valentinianus litteris per Palladium ad Synodum Epheſinam miſſis aiunt oportere omnia coram eis diſcuti, & demùm à noſtra, inquiunt, pietate confirmationem obtinere *οὕτω παρὰ τῆς ὑμετέρας θεοσεβείας βεβαιωθῆναι* Marcian. de Concil. Chalcedonenſi decretis loquens *ἱερῷ τῆς ἡμετέρας ἡμερότητος διατάγματι, τὴν ἁγίαν βεβαιώσαντες σύνοδον* ſacro noſtræ ſerenitatis edicto ſanctam Synodum confirmantes. Denique, vt cæteros omittam, Iuſtinian. Imperator nouella 131. *θεσπίζομεν τάξιν νόμων ἐπέχειν τοὺς ἁγίους ἐκκλησιαστικοὺς κανόνας τοὺς ἀπὸ τῶν ἁγίων τεσσάρων συνόδων ἐκτεθέντας ἢ βεβαιωθέντας*, Sancimus vicem legum obtinere ſanctos Eccleſiaſticos Canones, qui à ſanctis quatuor Conciliis, expoſiti & confirmati ſunt. Vides igitur conceſſam, & poſtulatam à Patribus confirmationem Imperatoriam, & principalem, quam ſapienter Duuall. *q. 5.* ait eſſe *poteſtatem facti*, & executionis auctoritatem, quatenus ſcilicet, quod à Conciliis præſcribitur executioni mandari iubent coguntque, & in contumaces, atque inobedientes edictis ſuis, animaduertunt. Sed hoc potiùs eſt coërcitio, quam vera & propria confirmatio, qua iuridicè, quid credendum, vel agendum ſecundùm leges Euangelicas & Eccleſiaſticas fidelibus proponitur; quod ab Imperatoribus minimè præſtatur, ſed tantum à *Romanis Pontificibus.* Quod totum ampliùs explicat de Marca *lib. 6. de concordia cap. 22. n. 1. & 2.* petiiſſe quidem ab Imperatoribus Concilia confirmationes decretorum, ſiue illa damnationem hæreſeos, ſiue conſtitutionem diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſpectarent; cum eo tamen diſcrimine, vt vis & robur definitionum de fide, non penderent ab auctoritate Principum, ſed ab Eccleſiaſtica, quæ ſola poteſt iudicare de illo iure, & ad quam pertinet inquirere an opinio quæ controuertitur ſit hæretica, an orthodoxa. Quare eæ ſunt auctoritatis regiæ partes dumtaxat, in decretis de fide confirmandis, vt ſupremam tuitionem impertiatur executioni rerum iudicatarum, & vt pœnis Eccleſiaſticis addat ſæculares exilij, carceris, & aliquando vltimi ſupplicij. Quod verò attinet ad Canones, & diſciplinam Eccleſiaſticam, cùm Canones loco legum ſint, & instituta ex ſe perpetua, quæ ad Principum ſubditos tum Clericos, tum laicos ſpectant, nouamque Politiam inducant in diſpoſitionem ciuilem, valdè intereſt Principum ne eorum executionem permittant, antequam conſiderarint, an in iis Canonibus aliquid contineatur, quod lædat vtilitatem publicam, iura & tranquillitatem imperij. Itaque horum confirmationem decernendam eſſe à Principe cum cognitione cauſæ, vult Marca: quia illis vim legis tribuit in Imperio, vt dicebat Iuſtinian. relatus; atque id factum in Conciliis Gallicanis oſtendit & nos cum ipſo *cap. ſequenti* dicemus amplius. Verùm quacumque ratione explicetur hæc Imperatoria confirmatio Synodi, non eſt alia ab ea quam Pontifici tribuit Duvallius in caſu decreti, ab vniuerſali Concilio ſingulis Patribus & Legatis Pontificiis, qui commonitoriis, & mandatis nihil contrarium definierunt; etſi alia quæpiam, de quibus nihil in commonitorio dicebatur, deliberauerint: eiuſmodi enim decretum certum & infallibile cenſet Duuallius, etiam ante confirmationem Pontificiam, quam proindè neque neceſſariam eſſe, neque peti ait, niſi promulgationem ad inducendam fidelibus obligationem poſitiuam, & coactiuam affirmat. Ergò nihil illa confirmatio circa decretum fidei facit, neque illi & vim, & robur addit; ſed ſolum illud tuetur, vt confirmatio Imperatoria circa Canones, & diſciplinam Eccleſiaſticam ab illo Concilio, eo modo conſtitutam: & tunc non eſt confirmatio neceſſaria, niſi ad executionem, obligationem & coactionem, idque ipſum, quod confirmatio Imperatoria præſtat, quæ etiam aliquid maius; quia iſta dat Canonibus vim legis, ea ex illis nouam politiam inducit, quod, vtrum confirmatio Pontificia faciat diſquirendum reſtare poteſt: ipſe tamen Duuallius cæterique Catholici diſcrimen agnoſcunt inter Pontificiam, & Imperatoriam confirmationem: hanc enim facti dumtaxat, & executionis, illam iuris, & poteſtatis definientis ſuprema authoritate fatentur.

Exemplum adducit Duvallius, ex vniuerſi Regni Comitiis, quorum decreta promulgari non poſſunt, neque ciues obligari, niſi à ſupremo Principe confirmentur eiuſque iuſſu publicentur, propter ſtatum Regni monarchicum. Vnde colligit, neque Concilij Oecumenici, quæ ſunt vniuerſæ Eccleſiæ, veluti comitia, decreta poſſe obligare, niſi à ſupremo moderatore, & Monarcha Romano Pontifice indicantur; impoſita ſingulis obligatione illa ſeruandi pœnis impoſitis. Verùm hoc exemplum non modò non fauet Duvallio, ſed illi plurimum officit. Idcircò enim comitiorum ſtatuta non obligant niſi auctore ſupremo principe indicantur, quia licet illa conuocarit, iiſque præſens quodam modo interſit & præſit per ſuum Magiſtratum & deputatum, quia tamen, cum ſit ſupremus Monarcha, eius omninò eſt comitiorum ſtatuta expendere, probare, aut improbare, ipſaque nullam aliam habent auctoritatem, quam à ſuo principe pendentem: eáque eſt ratio ſtatus Monarchici, in quo Princeps, non modo in ſingulos, ſed in ipſam quoque totam communitatem etiam adiunctam ſupremum ius habeat. Quare illius omninò eſt expendere quod illa conſtituet, ſiue ſui Legati, Magiſtratus, & quodammodo Vicarij conſenſerint, ſiue non, niſi illud expreſsè habuerint: tunc enim qui mandauit, conſenſiſſe cenſetur, & ratum habere tenentur, niſi graues cauſæ occurrant, quæ aliud ſentire ſuadeant. Si hoc igitur exemplo, quod illi frequens eſt, vtatur Duvallius, qui & ſtatum Eccleſiaſticum rectè Monarchicum omnino eſſe fatetur, neceſſe eſt vt confirmationem Pontificis, neceſſariam eſſe agnoſcat, ſiue eius Legati ex ſuo mandato conſenſerint Synodo, ſiue ſuo mandato, & non tamen contra illud cum reliquis Patribus quidpiā definierint, maximè in materia canonica, ſiue quoad Canones, & leges vniuerſales toti Eccleſiæ præſcriptas: eius enim eſt eas probare, aut

aut improbare; quandoquidem illi incumbit vt fatentur omnes eorum executionem, & obſeruationem vrgere, quas, ſi non probauit, reuera non curabit obſeruari. Deinde ex illo exemplo comitiorum in ſtatu Monarchico, quæ, vt vides, totam ſuam auctoritatem deriuant à ſupremo Monarcha, colligere licet, quod forraſſis non lubens admitteret Duuallius in ſtatu Monarchico Eccleſiæ, quem admittere cogitur, ſupremus Pontifex non in ſingula tantùm Eccleſiæ membra diuiſim, ſed in totam ipſam communitatem & Eccleſiam adiunctam ac quodcumque Concilium plenarium & pleniſſimum ſit, habet ſupremam auctoritatem, de quo modò non diſputo: admittunt tamen S. Maximus Martyr. *Epiſt. ad Abbatem Thalaſſium*, vbi dicit omnes Eccleſias ex æquo Pontifici ſecundùm ius ſacerdotale eſſe ſubiectas, & Philippus Abbas, aut illi Epiſcoporum iudicia, & ſummorum finem Eccleſiaſticorum negotiorum, ex Patrum omnium decretis reſeruatam eſſe ſententiam. Hinc quoque Ægidius Abbas *Epiſt. ad Symmachum Papam*, firmiorem eſſe dicit Apoſtolicæ Sedis ſententiam, omnibus Synodalibus decretis. Non eſt igitur tantùm Synodalis decreti promulgator. Vide & Turrecrematam *in reſponſ. ad oratores Baſilienſes*, Caietan. *tom.* 1. *Opuſcul. tractatu* 1. *&* 2. Bellarm. *lib.* 2. *de Concil. cap.* 15. Azor. *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 13. *quæſt.* 4. & *tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 13. *quæſt.* 1. Franciſc. Turrin. *lib.* 5. *de auctoritate Pontificis*, Maldet. *lib.* 4. *diſp.* 4. *dub.* 5. Petrus Matthæus *in collectione diplomat. Pontific. Epiſtola ad Pi. II. ad Academiam Colonienſem*, & aliis.

22 Prætereà, fatetur Duuallius neceſſariam eſſe confirmationem decretorum Synodi, quando vel vnus Patrum diſſenſit, etiamſi reliqui Patres & Legati Pontificij ſimul conſenſere, *Ita vt*, inquit, *maiori parti debeat accedere confirmatio.* Atqui eo caſu Concilium verè dicitur decreuiſſe: quod enim vnus, aut alter diſſenſerint, id non impedit validitatem decreti, vt inductione omnium, ſiue comitiorum, ſiue aliorum omnium deliberantium, quod in communi forma, & communibus ſuffragiis facilè conſtat: neque vllus negare poteſt tale decretum eſſe Concilij generalis decretum. Quod ſi conſentientibus delegatis, neque quidquam contra mandata facientibus, infallibile eſt, & non indiget confirmatione, non reddetur fallibile, neque confirmationem poſtulabit, propter diſſenſum vnius, aut alterius, neque indè fiet, totam Eccleſiam non ita cenſuiſſe: quia vnus aliquis ſingularis aliter cenſuit, & reliquis Patribus reſtitit, qui potiùs rebellis, & in ſuo ſenſu obſtrinctus audiet.

23 Denique quoties aliquis alteri ſuas vices, in negotio quopiam delegat, etiam ſi ſpondeat ſe eius actum ratum habiturum, illud tamen non facit, donec, quid eius Vicarius, aut Legatus, aut Procurator fecerit, reſciat. Cur igitur Pontifex qui ſuos Legatos miſit ad Synodum, vt vnà cum Patribus dogmata definiant, & Canones conſtituant, eorum acta de quibus nulla in mandatis ipſis datis fuerit facta mentio, eorum definitioni, quam neque ſciuit, neque expendit, conſenſiſſe cenſeatur, atque ſuo conſenſu decretum vniuerſale totius Synodi, & Eccleſiæ feciſſe, & infallibile reddidiſſe cenſebitur, & quod indè neceſſariò ſequitur, poteſtatem illud retractandi ſibi ipſi abſtuliſſe? Nam, ſi infallibile eſt, vt vult Duuallius, illúdque neque denuò retractare, neque emendare poterit: alioquin vel ille falleretur in ea retractatione, aut neganda confirmatione, ſi peteretur; vel Synodus in decernendo falſa eſſet, & erraſſet.

24 Denique argumenta, quibus ſuam aſſertionem firmare conatur Duuallius non expreſsè reiiciuntur. Concedimus enim eiuſmodi Concilium non eſſe acephalum, cum Pontifex illi per ſuos Legatos interſit, ſed cùm quidpiam Legati definiunt, præter ſuum commonitorium in ea definitione, non repræſentant Pontificem, qui proindè debet illam definitionem, tanquam caput Eccleſiæ confirmare, potiori multò ratione, quàm cum Legati definiunt, ipſáque Synodus conſentiente commonitorio Pontificis; tunc autem confirmationem peti à Synodo iam oſtendimus. Quare falſum eſt eiuſmodi decretum, licèt non contrarium commonitorio Pontificio, eſſe infallibile, ne tota tunc Eccleſia fallatur, & erret, contra Chriſti promiſſionem: nam tunc tota Eccleſia non errat, cùm caput eius vnà cum ipſa non decernat; neque tunc licet arguere ex PP. conſenſu & diuinam prouidentiam accuſare, quæ totam Eccleſiam illudi permittat. Nam neque (vt dixi) tunc tota Eccleſia illuditur & errat, neque legitimè procedit, quæ ſine ſuo capite, aut eius ratihabitione, quidpiam determinat, vt monui. Atque, ſi propriè loquamur, licèt eiuſmodi legitimum ſit Concilium, & à Pontifice conuocatum, in ea tamen definitione, de qua agimus reipſa procedit ſine ſuo capite, eiúſque ratihabitione, quam ſaltem ſpondere debent Legati; & ſi Pontifex non ratum habet, illa acta vti rata habere non tenetur. Erit eiuſmodi decretum, ſi propriè loquamur, à Concilio latum ſine ſuo capite, &, ſi ratio dumtaxat talis definitionis habeatur, dici poterit acephalum. Neque rectè obiicitur, Legatos deſtinari ad Concilium cum poteſtate definiendi, quæ inanis erit, ſed ad actum reuocata fallibilis, & ſine confirmatione Pontificis: nam Pontifex facit quidem illam poteſtatem definiendi, non communicat tamen infallibilitatem in definiendo, neque priuat ſe poteſtate illam definitionem examinandi, aut probandi, aut ratam habendi, ſi ratæ habendæ, aut probandæ ſunt, aut non. Quod verum etiam eſt, quoties ſequuti ſunt mandatum, & commonitorium, & tamen Synodus tunc petit confirmationem, quod contingit, vt monuimus, in omnium aliorum negotiorum Legatis, & Procurationibus. Nam delegans videre debet, an ſua mandata ſeruarint, & an illorum geſta rata habere teneantur.

Ex hac porrò Legatorum, maximè cùm vltra ſua mandata & præter illa, quidpiam in Synodo cum Patribus definiunt, indigena ratihabitione & confirmatione Pontificia, cùm ſine illa eiuſmodi definitiones infallibiles non ſint, colliges quàm ineptè dixerit Grauina *Controuerſ.* 5. *art.* 5. *dub.* 1. *Romanas*, quaſcunque Congregationes factas, putà de ritibus, de regularibus, de iudice, de ſancto Officio, errare non *poſſe*, & quod omnium abſurdiſſimum eſt, etiam quæſtionibus de facto, neque poſſe decipi per ſubreptionem, vel fraudem informantium, neque etiam inaudita parte iudicium illarum eſſe fallibile, ac errori obnoxium: & quendam aliter decernentem facit ſuſpectum *de fide*: quod Grauinæ delirium inſaniſſimum eſt, & refutatione non indiget, cùm ipſummet Pontificem in facto errare poſſe fateantur omnes. 25

Placet verò quod ſapienter affirmat Duvall. *quæſt.* 6. *concl.* 1. Concilia generalia, quæ approbata, neque improbata ſunt, magnæ ſemper in Eccleſia auctoritatis habita fuiſſe: debent enim & priuatis Doctoribus, atque etiam Academiis præferri, cùm viri pij, & Prælati eruditi, in iis quidpiam definierint, quod niſi euidenter cum damnatis opinionibus conſentiat, à priuatis reiici non debet. Atque hactenus de fidei dogmatibus à Conciliis Oecumenicis explicatis, & definitis. 26

Venio ad alias cauſas conuocandi eiuſmodi Concilia, nempè ad ius Canonicum conſtituendum, ſiue ad 27

ſtat: fuit enim in more poſitum, vt Concilia ſuas definitiones ad Principes mitterent, cum literis quibus ſuorum Canonum confirmationem ſolemni formulâ petebant. Sic Concilium Conſtantinopolitanum I. Epiſt. Synodica ad Imp. Theodoſ. *ἀποδιδόντες τῷ θεῷ τὴν ὀφειλομένην εὐχαριστίαν ἀναγκαίως, καὶ τὰ γεγενημένα κατὰ τὴν ἁγίαν σύνοδον πρὸς τὴν σὴν εὐσέβειαν ἀναφέρομεν*, Agentes Deo gratias neceſſario, quoque ea quæ acta ſunt in ſancto Concilio ad tuam referimus pietatem. Deinde paucis enarratis, quæ geſta ſunt addunt, Rogamus igitur tuam clementiam, vt per litteras quoque tuæ pietatis ratum habeatur Concilij Decretum *γράμματι τῆς σῆς εὐσεβείας ἐπικυρωθῆναι τῆς συνόδου τὴν ψῆφον*, vt ſicuti litteris, quibus nos Conuocaſti, Eccleſiam honore proſecutus es: ita etiam finem eorum, quæ decreta ſunt, obſignes, *ἵν᾽ ὥσπερ τοῖς τῆς κλήσεως γράμμασι τὴν ἐκκλησίαν τετίμηκας οὕτω καὶ τῶν δοξάντων ἐπισφραγίσῃς τὸ τέλος*. Quare ipſa Synodica decreta finem, ſiue confirmationem non accipiebant, ſiue rata non erant, niſi Imperatoris litteris obſignarentur. Quare Socrat. *lib. 5. cap. 8.* poſt ſtatuta illa Synodica expoſita addit *τούτοις καὶ ὁ βασιλεὺς ἐγένετο σύμψηφος* Conſtantinum quoque Nicæna decreta confirmaſſe auctor eſt Euſeb. *lib. 3. vita Conſtant. cap. 18.* Theodoſius & Valentinianus litteris per Palladium ad Synodum Epheſinam miſſis aiunt oportere omnia coram eis diſcuti, & demùm à noſtra, inquiunt, pietate confirmationem obtinere *οὕτω παρὰ τῆς ὑμετέρας θεοσεβείας βεβαιωθῆναι* Marcian. de Concil. Chalcedonenſi decretis loquens *ἱερῷ τῆς ἡμετέρας ἡμερότητος διατάγματι, τὴν ἁγίαν βεβαιώσαντες σύνοδον* ſacro noſtræ ſerenitatis edicto ſanctam Synodum confirmantes. Denique, vt cæteros omittam, Iuſtinian. Imperator nouella 131. *θεσπίζομεν τάξιν νόμων ἐπέχειν τοὺς ἁγίους ἐκκλησιαστικοὺς κανόνας τοὺς ἀπὸ τῶν ἁγίων τεσσάρων συνόδων ἐκτεθέντας ἢ βεβαιωθέντας*, Sancimus vicem legum obtinere ſanctos Eccleſiaſticos Canones, qui à ſanctis quatuor Conciliis, expoſiti & confirmati ſunt. Vides igitur conceſſam, & poſtulatam à Patribus confirmationem Imperatoriam, & principalem, quam ſapienter Duuall. *q. 5.* ait eſſe *poteſtatem facti*, & executionis auctoritatem, quatenus ſcilicet, quod à Conciliis præſcribitur executioni mandari iubent coguntque, & in contumaces, atque inobedientes edictis ſuis, animaduertunt. Sed hoc potiùs eſt coërcitio, quam vera & propria confirmatio, qua iuridicè, quid credendum, vel agendum ſecundùm leges Euangelicas & Eccleſiaſticas fidelibus proponitur; quod ab Imperatoribus minimè præſtatur, ſed tantum à *Romanis Pontificibus*. Quod totum ampliùs explicat de Marca *lib. 6. de concordia cap. 22. n. 1. & 2.* petiiſſe quidem ab Imperatoribus Concilia confirmationes decretorum, ſiue illa damnationem hæreſeos, ſiue conſtitutionem diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſpectarent; cum eo tamen diſcrimine, vt vis & robur definitionum de fide, non penderent ab auctoritate Principum, ſed ab Eccleſiaſtica, quæ ſola poteſt iudicare de illo iure, & ad quam pertinet inquirere an opinio quæ controuertitur ſit hæretica, an orthodoxa. Quare eæ ſunt auctoritatis regiæ partes dumtaxat, in decretis de fide confirmandis, vt ſupremam tuitionem impertiatur executioni rerum iudicatarum, & vt pœnis Eccleſiaſticis addat ſæculares exilij, carceris, & aliquando vltimi ſupplicij. Quod verò attinet ad Canones, & diſciplinam Eccleſiaſticam, cùm Canones loco legum ſint, & inſtituta ex ſe perpetua, quæ ad Principum ſubditos tum Clericos, tum laïcos ſpectant, nouamque Politiam inducant in diſpoſitionem ciuilem, valdè intereſt Principum ne eorum executionem permittant, antequam conſiderarint, an in iis Canonibus aliquid contineatur, quod lædat vtilitatem publicam, iura & tranquillitatem imperij. Itaque horum confirmationem decernendam eſſe à Principe cum cognitione cauſæ, vult Marca: quia illis vim legis tribuit in Imperio, vt dicebat Iuſtinian. relatus; atque id factum in Conciliis Gallicanis oſtendit & nos cum ipſo *cap. ſequenti* dicemus amplius. Verùm quacumque ratione explicetur hæc Imperatoria confirmatio Synodi, non eſt alia ab ea quam Pontifici tribuit Duuallius in caſu decreti, ab vniuerſali Concilio ſingulis Patribus & Legatis Pontificiis, qui commonitoriis, & mandatis nihil contrarium definierunt; etſi alia quæpiam, de quibus nihil in commonitorio dicebatur, deliberauerint: eiuſmodi enim decretum certum & infallibile cenſet Duuallius, etiam ante confirmationem Pontificiam, quam proindè neque neceſſariam eſſe, neque peti ait, niſi promulgationem ad inducendam fidelibus obligationem poſitiuam, & coactiuam affirmat. Ergò nihil illa confirmatio circa decretum fidei facit, neque illi & vim, & robur addit; ſed ſolum illud tuetur, vt confirmatio Imperatoria circa Canones, & diſciplinam Eccleſiaſticam ab illo Concilio, eo modo conſtitutam: & tunc non eſt confirmatio neceſſaria, niſi ad executionem, obligationem & coactionem, idque ipſum, quod confirmatio Imperatoria præſtat, quæ etiam aliquid maius; quia iſta dat Canonibus vim legis, ea ex illis nouam politiam inducit, quod, vtrum confirmatio Pontificia faciat diſquirendum reſtare poteſt: ipſe tamen Duuallius cæterique Catholici diſcrimen agnoſcunt inter Pontificiam, & Imperatoriam confirmationem: hanc enim facti dumtaxat, & executionis, illam iuris, & poteſtatis definientis ſuprema authoritate fatentur.

Exemplum adducit Duuallius, ex vniuerſi Regni 21
Comitiis, quorum decreta promulgari non poſſunt, neque ciues obligari, niſi à ſupremo Principe confirmentur eiuſque iuſſu publicentur, propter ſtatum Regni monarchicum. Vnde colligit, neque Concilij Oecumenici, quæ ſunt vniuerſæ Eccleſiæ, veluti comitia, decreta poſſe obligare, niſi à ſupremo moderatore, & Monarcha Romano Pontifice indicantur; impoſita ſingulis obligatione illa ſeruandi pœnis impoſitis. Verùm hoc exemplum non modò non fauet Duuallio, ſed illi plurimum officit. Idcircò enim comitiorum ſtatuta non obligant niſi auctore ſupremo principe indicantur, quia licet illa conuocarit, iiſque præſens quodam modo interſit & præſit per ſuum Magiſtratum & deputatum, quia tamen, cum ſit ſupremus Monarcha, eius omninò eſt comitiorum ſtatuta expendere, probare, aut improbare, ipſaque nullam aliam habent auctoritatem, quam à ſuo principe pendentem: eáque eſt ratio ſtatus Monarchici, in quo Princeps, non modo in ſingulos, ſed in ipſam quoque totam communitatem etiam adiunctam ſupremum ius habeat. Quare illius omninò eſt expendere quod illa conſtituet, ſiue ſui Legati, Magiſtratus, & quodammodo Vicarij conſenſerint, ſiue non, niſi illud expreſsè habuerint: tunc enim qui mandauit, conſenſiſſe cenſetur, & ratum habere tenentur, niſi graues cauſæ occurrant, quæ aliud ſentire ſuadeant. Si hoc igitur exemplo, quod illi frequens eſt, vtatur Duuallius, qui & ſtatum Eccleſiaſticum rectè Monarchicum omnino eſſe fatetur, neceſſe eſt vt confirmationem Pontificis, neceſſariam eſſe agnoſcat, ſiue eius Legati ex ſuo mandato conſenſerint Synodo, ſiue ſuo mandato, & non tamen contra illud cum reliquis Patribus quidpiā definierint, maximè in materia canonica, ſiue quoad Canones, & leges vniuerſales toti Eccleſiæ præſcriptas: eius enim eſt eas probare,

aut

aut improbare; quandoquidem illi incumbit vt faſtentur omnes eorum executionem, & obſeruationem vrgere, quas, ſi non probauit, reuera non curabit obſeruari. Deinde ex illo exemplo comitiorum in ſtatu Monarchico, quæ, vt vides, totam ſuam auctoritatem deriuant à ſupremo Monarcha, colligere licet, quod fortaſſis non lubens admitteret Duuallius in ſtatu Monarchico Eccleſiæ, quem admittere cogitur, ſupremus Pontifex non in ſingula tantùm Eccleſiæ membra diuiſim, ſed in totam ipſam communitatem & Eccleſiam adiunctam ac quodcumque Concilium plenarium & pleniſſimum ſit, habet ſupremam auctoritatem, de quo modò non diſputo: admittunt tamen S. Maximus Martyr. *Epiſt. ad Abbatem Thalaſſium*, vbi dicit omnes Eccleſias ex æquo Pontifici ſecundùm ius ſacerdotale eſſe ſubiectas, & Philippus Abbas, aut illi Epiſcoporum iudicia, & ſummorum finem Eccleſiaſticorum negotiorum, ex Patrum omnium decretis reſeruatam eſſe ſententiam. Hinc quoque Ægidius Abbas *Epiſt. ad Symmachum Papam*, firmiorem eſſe dicit Apoſtolicæ Sedis ſententiam, omnibus Synodalibus decretis. Non eſt igitur tantùm Synodalis decreti promulgator. Vide & Turrecrematam *in reſponſ. ad oratores Baſilienſes*, Caietan. *tom.* 1. *Opuſcul. tractatu* 1. *&* 2. Bellarm. *lib.* 2. *de Concil. cap.* 15. Azor. *tom.* 1. *lib.* 4. *cap.* 13. *quæſt.* 4. & *tom.* 2. *lib.* 4. *cap.* 13. *quæſt.* 1. Franciſc. Turrin. *lib.* 3. *de auctoritate Pontificis*, Malder. *lib.* 4. *diſp.* 4. *dub.* 3. Petrus Matthæus *in collectione diplomat. Pontific. Epiſtola ad Pi. II. ad Academiam Colonienſem*, & aliis.

22 Præterea, fatetur Duuallius neceſſariam eſſe confirmationem decretorum Synodi, quando vel vnus Patrum diſſenſit, etiamſi reliqui Patres & Legati Pontificij ſimul conſenſere, *Ita vt*, inquit, *maiori parti debeat accedere confirmatio.* Atqui eo caſu Concilium verè dicitur decreuiſſe: quod enim vnus, aut alter diſſenſerint, id non impedit validitatem decreti, vt inductione omnium, ſiue comitiorum, ſiue aliorum omnium deliberantium, quod in communi forma, & communibus ſuffragiis facilè conſtat: neque vllus, negare poteſt tale decretum eſſe Concilij generalis decretum. Quod ſi conſentientibus delegatis, neque quidquam contra mandata facientibus, infallibile eſt, & non indiget confirmatione, non reddetur fallibile, neque confirmationem poſtulabit, propter diſſenſum vnius, aut alterius, neque indè fiet, totam Eccleſiam non ita cenſuiſſe: quia vnus aliquis ſingularis aliter cenſuit, & reliquis Patribus reſtitit, qui potiùs rebellis, & in ſuo ſenſu obſtinctus audiet.

23 Denique quoties aliquis alteri ſuas vices, in negotio quopiam delegat, etiam ſi ſpondeat ſe eius actum ratum habiturum, illud tamen non facit, donec, quid eius Vicarius, aut Legatus, aut Procurator fecerit, reſciat. Cur igitur Pontifex qui ſuos Legatos miſit ad Synodum, vt vnà cum Patribus dogmata definiant, & Canones conſtituant, eorum acta de quibus nulla in mandatis ipſis datis fuerit facta mentio, eorum definitioni, quam neque ſciuit, neque expendit, conſenſiſſe cenſeatur, atque ſuo conſenſu decretum vniuerſale totius Synodi, & Eccleſiæ feciſſe, & infallibile reddidiſſe cenſebitur, & quod indè neceſſariò ſequitur, poteſtatem illud retractandi ſibi ipſi abſtuliſſe? Nam, ſi infallibile eſt, vt vult Duuallius, illúdque neque denuò rettactare, neque emendare poterit: alioquin vel ille falleretur in ea retractatione, aut neganda confirmatione, ſi peteretur; vel Synodus in decernendo falſa eſſet, & erraſſet.

24 Denique argumenta, quibus ſuam aſſertionem firmare conatur Duuallius non expreſsè reiiciuntur. Concedimus enim eiuſmodi Concilium non eſſe acephalum, cum Pontifex illi per ſuos Legatos interſit, ſed cùm quidpiam Legati definiunt, præter ſuum commonitorium in ea definitione, non repræſentant Pontificem, qui proindè debet illam definitionem, tanquam caput Eccleſiæ confirmare; potiori multò ratione, quàm cum Legati definiunt, ipſáque Synodus conſentiente commonitorio Pontificis; tunc autem confirmationem peti à Synodo iam oſtendimus. Quare falſum eſt eiuſmodi decretum, licèt non contrarium commonitorio Pontificio, eſſe infallibile, ne tota tunc Eccleſia fallatur, & erret, contra Chriſti promiſſionem: nam tunc tota Eccleſia non errat, cùm caput eius vnà cum ipſa non decernat; neque tunc licet arguere ex PP. conſenſu & diuinam prouidentiam accuſare, quæ totam Eccleſiam illudi permittat. Nam neque (vt dixi) tunc tota Eccleſia illuditur & errat, neque legitimè procedit, quæ ſine ſuo capite, aut eius ratihabitione, quidpiam determinat, vt monui. Atque, ſi propriè loquamur, licèt eiuſmodi legitimum ſit Concilium, & à Pontifice conuocatum, in ea tamen definitione, de qua agimus reipſà procedit ſine ſuo capite, eiúſque ratihabitione, quam ſaltem ſpondere debent Legati; & ſi Pontifex non ratum habet, illa acta vti rata habere non tenetur. Erit eiuſmodi decretum, ſi proprie loquamur, à Concilio latum ſine ſuo capite, &, ſi ratio dumtaxat talis definitionis habeatur, dici poterit acephalum. Neque rectè obiicitur, Legatos deſtinari ad Concilium cum poteſtate definiendi, quæ inanis erit, ſed ad actum reuocata fallibilis, & ſine confirmatione Pontificis: nam Pontifex facit quidem illam poteſtatem definiendi, non communicat tamen infallibilitatem in definiendo, neque priuat ſe poteſtate illam definitionem examinandi, aut probandi, aut ratam habendi, ſi ratæ habendæ, aut probandæ ſunt, aut non. Quod verum etiam eſt, quoties ſequuti ſunt mandatum, & commonitorium, & tamen Synodus tunc petit confirmationem, quod contingit, vt monuimus, in omnium aliorum negotiorum Legatis, & Procurationibus. Nam delegans videre debet, an ſua mandata ſeruarint, & an illorum geſta rata habere teneantur.

Ex hac porrò Legatorum, maximè cùm vltra ſua mandata & præter illa, quidpiam in Synodo cum Patribus definiunt, indigena ratihabitione & confirmatione Pontificia, cùm ſine illâ eiuſmodi definitiones infallibiles non ſint, colliges quàm ineptè dixerit Grauina *Controuerſ.* 5. *art.* 5. *dub.* 1. *Romanas*, quaſcunque Congregationes ſacras, putà de ritibus, de regularibus, de iudice, de ſancto Officio, errare non *poſſe*, & quod omnium abſurdiſſimum eſt, etiam quæſtionibus de facto, neque poſſe decipi per ſubreptionem, vel fraudem informantium, neque etiam inaudita parte iudicium illarum eſſe fallibile, ac errori obnoxium: & quendam aliter decernentem facit ſuſpectum *de fide*: quod Grauinæ delirium inſaniſſimum eſt, & refutatione non indiget, cùm ipſummet Pontificem in facto errare poſſe fateantur omnes. 25

Placet verò quod ſapienter affirmat Duvall. *quæſt.* 6. *concl.* 1. Concilia generalia, quæ approbata, neque improbata ſunt, magnæ ſemper in Eccleſia auctoritatis habita fuiſſe: debent enim & priuatis Doctoribus, atque etiam Academiis præferri, cùm viri pij, & Prælati eruditi, in iis quidpiam definierint, quod niſi euidenter cum damnatis opinionibus conſentiat, à priuatis reiici non debet. Atque hactenus de fidei dogmatibus à Conciliis Oecumenicis explicatis, & definitis. 26

Venio ad alias cauſas conuocandi eiuſmodi Concilia, nempè ad ius Canonicum conſtituendum, ſiue 27

 ad

ad diſciplinam Eccleſiaſticam certis legibus, & regulis, ſiue canonibus ſtabiliendam, ſiue reſtituendam, quod ita factum ab omnibus Conciliis conſtat, eos ſine R.P. confirmatione condi aut promulgari poſſe, cum obligent totam, & uniuerſalem Eccleſiam, omnes concedunt, & ex eius ſtatu Monarchico ſapienter colligebat Duvallius, de eorum vera canonum obligatione, mutatione, diſpenſatione, interpretatione, exceptionibus aliiſque, quæ legibus, omnibus poſitiuis, æquè communia ſunt dicemus *lib. proximo* quantum inſtituto noſtro neceſſarium erit.

Altera eáque frequens cauſa cogendi Concilia ſunt negotia quædam tractanda quæ ad bonum totius Eccleſiæ, vel aliquarum nationum, aut ipſarum etiam prouinciarum pertinent, quæ maiori auctoritate in eiuſmodi conſeſſibus iudicantur, de quibus omnibus prolixior erit diſputatio *to. 3. III. operis*, vbi de iudiciis Canonicis agemus commodiori loco poſt explicatam hierarchiam Eccleſiaſticam. Itaque circa Concilia Oecumenica in vniuerſum, nihil tractandum ſupereſt in præſentiarum: de ſingulis verò, & eorum legibus, ac Canonibus ſuis quibuſque locis diſputabitur.

CAPVT V.

De Synodis non Oecumenicis, & earum in iure canonico conſtituendo auctoritate.

QVÆSTIO I. *Notationes de diuiſione Eccleſiarum.*
QVÆSTIO II. *Conſectaria.*
QVÆSTIO III. *De Synodis patriarchalibus.*
QVÆSTIO IV. *De Synodis regionalibus, ſiue nationalibus.*
QVÆSTIO V. *De Synodis prouincialibus.*
QVÆSTIO VI. *De Synodis cuiuſque Epiſcopatus.*
QVÆSTIO VII. *Conſectaria de materia VI. & poteſtate Synodorum non Oecumenicarum.*
QVÆSTIO VIII. *De Synodis Gallicanis.*

HACTENVS egimus de Synodis Oecumenicis, quas ſupremam habere in conſtituendo iure Eccleſiaſtico, auctoritatem, ſi legitimæ ſunt, nemo diffitetur, ſed illæ perpaucæ numero toto mille ſexcentorum ſpatio fuere & trecentis primis annis nullâ graſſante Imperatorum ſæuitia, difficiléque ſemper fuit, ex vniuerſi Imperij finibus Epiſcopos & Prælatos in vnum cogere, & Orientem Occidentémque orbem in locum aliquem conuenire, inde tamen nomen Oecumenici deſumptum eſt, eo enim vniuerſitas imperij Romani paſſim ſignificatur *Luc. cap. 2.* Iubet Auguſtus ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην & Caſſiodor. *lib. 2. variar. cap. 52.* Auguſt. temporibus orbem Romanum agris diuiſum, cenſuque deſcriptum refert. Quare Nicænam Synodum Gelaſius Cizicen. *lib. 1. actor. cum* coactum ait ex omnibus mundi prouinciis, ἐκ πασῶν τῶν τῆ ῥωμαίων κόσμου ἐπαρχιῶν, atque de eiuſmodi Synodis hactenus diſputauimus, ſed præter has vuiuerſales Synodos ſunt & aliæ particulares; quia neque tam frequentes & numeroſæ ſunt, neque ex tam multis locis leguntur. Quare aliæ ſunt ampliores, aliæ anguſtiores ſiue numerum perſonarum ſiue locorum ſpatia ſpectes: & ideò frequentiùs quoque coguntur & ante ipſa Concilia Oecumenica coactæ ſunt, de quibus modo nobis agendum eſt.

QVÆSTIO I.

Notationes de diuiſione Eccleſiarum.

Synodorum particularium authoritas, numero 1.
Diuiſio Eccleſiarum exemplo Imperij Romani. num. 2.
Varia Imperij diuiſiones, n. 3.
Prima diuiſio, n. 3.
in Prouincias & metropoles, n. 3. & 4.
Similis diuiſio Eccleſiaſtica ab Apoſtolis facta, n. 5. 6. & 7.
Noua diuiſio Imperij à Conſtantino, num. 8. 9. & 10.
Illam imitata eſt Eccleſia, n. 11.
Tertia diuiſio Imperij in Orientale & Occidentale, n. 12.
Similis in Eccleſia Diuiſio, n. 13.

SVpponendum imprimis eſt non exiguam Synodis iſtis particularibus ſiue non Oecumenicis tributam fuiſſe auctoritatem ab ipſis Oecumenicis à quibus laudatæ ſunt. PP. Epheſini & Chalcedonenſes paſſim illarum Canones vocant τάξιν, & ἀκολουθίαν, τὴν κανόνων ἀκολουθίαν ἐκκλησιαστικὴν, & ἀριθμῶν ἀκολουθίαν, ſeriem & conſequentiam Canonum Eccleſiaſticam, & conſequentiam Canonum & in actis Conciliorum ἀκολούθως, & κανονικῶς pro eodem vſurpantur, eò quòd index, & ſeries Canonum, ex eiuſmodi Conciliis particularibus aſſignatis numeris contexta eſſet, quem Codicem Canonum appellabant, quo iure vtebantur, & ex illo iudicabant etiam Synodi Oecumenicæ. Quare Concilium Chalcedonenſe *Can. 1.* τοὺς παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων καθ' ἑκάστην συνόδον ἄχρι τοῦ νῦν ἐκτεθέντας, κανόνας κρατεῖν ἐδικαιώσαμεν, Canones, qui à ſanctis Patribus hucuſque in vnaquaque Synodo conſtituti ſunt, obſeruari æquum cenſuimus. Iuſtinian. *Nouell. 131. cap. 1.* Θεσπίζομεν τοίνυν τάξιν νόμων ἐπέχειν τοὺς ἁγίους ἐκκλησιαστικοὺς κανόνας τοὺς ἀπὸ τῶν ἁγίων τεσσάρων συνόδων ἐκτεθέντας, ἢ βεβαιωθέντας Sancimus vices legum obtinere Canones Eccleſiaſticos qui à ſanctis quatuor Conciliis conſtituti, & confirmati ſunt, vbi confirmatos βεβαιωθέντας, intelligit Iuſtinian. Canones Ancytanos, Neocæſarienſes, Gangrenſes, Antiochenos, Laodicenſes, toto orbe receptos & ab ipſis quatuor Conciliis prioribus Oecumenicis confirmatos & probatos: iſta ſapienter intelligit Balſamon *in No. Photij, titul. 1. cap. 2. Nota*, inquit, *præſentem nouellam quæ dicit tanquam leges* ſeruari oportere non ſolum qui à ſanctis quatuor Synodis editi ſunt, ſed etiam eos qui ab his confirmati ſunt, ſicut Canones Synodorum localium σημείωσαι τὴν προῦσαν νεαρὰν (ρλα) ὡς νόμος κρατεῖν μὴ

μένων

μόνον τοὺς παρὰ τῶν τεσσάρων ἁγίων συνόδων ἐκτεθέντας κανόνας, ἀλλὰ καὶ τοὺς παρὰ τούτων βεβαιωθέντας, ἤγουν τοὺς κανόνας τῶν τοπικῶν συνόδων: quanquam noluit acriùs negare Iuſtinian. agere dumtaxat de ſolis quatuor primis Conciliis generalibus quorum aliqui Canones fuerant obſeruati antequam ſcripto traderentur, vt innuunt PP. Concilij Conſtantinopolitani *Epiſt.ad Damaſ.* Cum de ordinationibus Eccleſiaſticis agunt, & dicunt certam eſſe Legem antiquam, & Canonem Concilij Nicæni, *παλαιὸς ὡς ἴστε θεσμὸς κεκράτηκε, καὶ τῶν ἁγίων ἐν νικαίᾳ πατέρων ὅρος*: & ſane quis dicat, Iuſtinianum dediſſe vim legum Canonibus iſtis Prouincialibus, quos vel refixit, vel quibus contraria ſanciuit? Nam *Can.*15. Concil. Neócæſar. iubet, in qualibet ciuitate, licet magna ordinari ſeptem dumtaxat Diaconos, conſentaneè *Act. cap.* 6. & tamen Iuſtinian. in Eccleſia Conſtantiniana vult eſſe centum. Neque dicas cum Balſamo *in Conc. Trullan. Can.*16. tum Iuſtinian. tum illud Concilium interpretari dumtaxat Canonem Neocæſarienſem: nam interpretantur dumtaxat locum Actorum, quem malè ab illa Synodo intellectum eſſe de Diaconis miniſtrantibus altari dicunt, cùm loquatur dumtaxat de eleemoſynarum diſtributoribus. Cæterùm ipſum Canonem abrogant, & illi contrarium quidpiam conſtituunt, quod fatetur Zonaras in idem Concil. Trullan. *Can.*16. & tandem contendit ipſe Balſam. Verùm quidquid ſtatuas de mente Iuſtiniani hac in parte, certum omninò eſt ex Synodis eiuſmodi localibus, vt appellat Balſam. quarum aliquæ ipſam Nicænam præceſſerant, collectum fuiſſe Codicem Canonum, qui vniuerſæ Eccleſiæ dictus eſt *βιβλὸς κανόνων τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας*. Præponebantur autem omnibus Canones Nicæni *διὰ τὴν τῆς οἰκουμενικῆς συνόδου αὐθεντίαν*, prærogatiuam. Hoc porrò iure vtebatur tunc vniuerſa Eccleſia; quare Synodus Chalcedonenſis citat ex eo Canonem 83. 84. 95. 96. qui ſunt 3. 4. 15. *&* 16. Concilij Antiocheni. Epiſtola Synodica Epiſcoporum Prouinciæ Piſidiæ Aſianæ Diœceſis ad Leonem Imp. citat Canonem 73. qui eſt 4. Concilij Antiocheni. Dionyſius exiguus, *Ep.*1. *Paſchali ad Petronium Epiſcopum*, citat Canonem 79. eiuſdem codicis, vel, vt Græci numerant, 80. qui eſt primus Concilij Antiocheni, idem Dionyſ. *Epiſtola* ad Stephan. Salonitanum Epiſcopum, quam ſuæ Latinæ interpretationi præfixit, ait ſe digeſſiſſe regulas Nicænæ Synodi, & deinceps omnium Conciliorum vſque ad Conſtantinopolitanum I. ſub ordine numerare, à primo capite, vſque ad centeſimum ſexageſimumquintum. *Sicut*, inquit, *habetur in Græca fide.* Leo primus & Synodus Romana *Epiſt. ad Theodoſ. Imperat.* de generali Synodo intra Italiam cogenda, meminit Nicænorum Canonum, & ſubretannexorum, qua voce intelligit Canones, qui à Concilio Nicæno ad Conſtantinopolitanum editi erant, & in vnum Codicem collecti Nicæno, ſubiiciebantur in vulgato Codice. Atque de variis additionibus, quibus Codex ille Canonum vniuerſæ Eccleſiæ creuit plura dabit Chriſtophor. Inſtellus, *præfatione in veterem illum Codicem*, vbi etiam obſeruat tandem poſt Nicænum II. Oecumenicum collectum fuiſſe Codicem Canonum Eccleſiæ Orientalis hoc titulo, *κανόνες τῶν ἀποστόλων, καὶ τῶν ἁγίων συνόδων*, qui è Bibliotheca Canonicorum D. Hilarij Pictauienſis à Ioanne Tilio primùm Græcè editus eſt Pariſiis, & poſteà ab Elingero ex Bibliotheca Auguſtana Vvitembergæ anno 1614. illi Codici Zonaras & Balſam. ſua ſcholia addiderunt.

Præter hunc verò vniuerſæ Eccleſiæ Codicem, fuere & alij, de quibus omnibus dicemus *inferius*, vbi de collectionibus peculiaribus. Fuere enim Eccleſiis peculiares, nempè Codex Eccleſiæ Africanæ, quem habemus, de Gallicana, Hiſpanica, & Anglicana Eccleſia, quæ ſuos etiam habuere Codices, præter vnum illum vniuerſalem teſtatur Inſtellius *præfatione citata*, & nos *inferiùs*: qui Codices priuati eiuſmodi Eccleſiarum magnam partem ex Synodis ipſis peculiaribus ſine dubio collecti erant, & ius illis ſingulare ac priuatum conſtituebant.

Ex quibus omnibus tandem conſtat magnam partem iuris Eccleſiaſtici ex Synodis non Oecumenicis quocunque tandem nomine vocentur, fluxiſſe. Et ſanè quis affirmet paucos Synodorum Oecumenicarum Canones produxiſſe infinitam illam legum Eccleſiaſticarum multitudinem, quam in tot collectionibus reperimus, quæ & Lectorem fatigant, & totam iſtam ſcientiam vſque adeò operoſam reddunt? Cùm igitur hoc libro cauſas iuris Eccleſiaſtici, & illius originem inquiramus, non potuimus à traditione Synodorum peculiarium abſtinere, & earum ſaltem diuerſas ſpecies in vniuerſum tradere. Eas verò omnes vniuerſali nomine Synodorum non Oecumenicarum comprehendo, & ad futuram diſputationem aliqua prænotanda moneo.

Obſeruandum imprimis eſt Eccleſias ab Apoſtolis ad exemplum Romani imperij diſtributas primùm fuiſſe, quæ deindè diuiſio conſequentibus omnis à variis Synodis aucta, & omninò perfecta fuit. Et ſanè cùm, vt ait Cyprianus *lib. de vnitate Eccleſiæ*, *vnus ſit Epiſcopatus* (à Chriſto conſtitutus) *cuius à ſingulis in ſolidum pars tenetur, Eccleſia quoque vna eſt, quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur, quomodò ſolis multi radij, ſed lumen vnum, & rami arboris multi, ſed robur vnum tenaci radice fundatum; & cùm de fonte vno riui plurimi defluunt: numeroſitas licet diffuſa videatur exundantis copiæ largitati, vnitas tamen ſeruatur in origine* 1. *Auelle radium Solis à corpore, diuiſionem lucis vnitas non capit: ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit: à fonte præcide riuum, præciſus areſcet. Sic & Eccleſia Domini luce perfuſa, per orbem totum radios ſuos porrigit; vnum tamen lumen eſt, quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis ſeparatur: ramos ſuos in vniuerſam terram copia vbertatis extendit; profluentes largiter riuos latiùs expandit: vnum tamen caput & origo vna, & vna mater, ſucceſſibus copioſa, illius fœtus naſcimur, illius lacte nutrimur, ſpiritu eius animamur.* Additque alia quamplura huius vnitatis, quæ tamen, & multitudinem, & copiam, & fœcunditatem non excludit. Hanc verò vnitatis radicem idem Cyprian. *Epiſt.*55. ait eſſe Petri cathedram: *Nauigare audent* (inquit) *& ad Petri cathedram, atque ad Eccleſiam principalem, vnde vnitas ſacerdotalis exorta eſt, à ſchiſmaticis & prophanis litteras ferre.* Eadem ſentit Optatus *lib.*2. *contra Parmen. Igitur negare non potes ſcire te in Vrbe Roma Petro primo Epiſcopalem cathedram eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus, vnde & Cephas appellatus eſt: in qua vna cathedra vnitas ab omnibus ſeruaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent, vt iam ſchiſmaticus, & peccator eſſet, qui contra ſingularem cathedram alteram collocaret.* Vides igitur Cyprianum, & Optatum ſapienter exiſtimare in vno Chriſti corpore Eccleſia, ſicut vnum caput; ita & vnum Epiſcopatum conſtitutum eſſe, cuius quidem pars à ſingulis Epiſcopis poſſideretur, ita tamen vt eius fons & origo ab vno inciperet, à Principe videlicet Apoſtolorum Petro, atque nulli liceret, neque ipſis Apoſtolis Epiſcopatum tenere alienum à communione, & conſortio vnitatis, quæ viget in cathedra Petri, & Romana Eccleſia, ad quam idcircò Irenæus *lib.*3. *cap.*3. dixit

omnem

omnem debere conuenire Eccleſiam, *propter potentiorem eius principalitatem*, & Gelaſius I. *tractatu aduerſus Græcos*, quem Iacobus Sirmundus edidit, idcircò dictum ait Petro à Chriſto, *Tu es Petrus*, &c. *Vt capite conſtituto ſchiſmatis tolleretur occaſio, & vna monſtraretur compago corporis Chriſti, quæ ad vnum caput, glorioſiſſimæ lectionis ſocietate concurreret, & vna eſſet Eccleſia, cui fideliter crederetur, vnáque domus vnius Domini, & vnius Redemptoris in qua de vno pane, & de vno calice nutrimur.* Quia verò hæc vnitas Eccleſiæ, cathedræ, & Epiſcopatûs non poterat numerum & multitudinem excludere, ſicut vnitas corporis membrorum vnitatem non includit, immò potiùs excludit, debuit omninò aliquis ordo inter vniuerſa eiuſmodi membra conſtitui, & in adminiſtratione politica, licet omnia ad ſupremam poteſtatem, in quocunque tandem illa reſideat, ſiue in vno, ſiue in pluribus, referri debeant; neceſſe tamen eſt aliquam ſubordinationem inter Magiſtratus conſtitui, quorum alij minores, alij maiores ſint, alij ſuperiores, alij inferiores, neque omnes, pares & æquales ſint adminiſtratione & poteſtate, quamvis omnes, & ſinguli de principali & ſuprema poteſtate quidpiam participent: alioquin in omnimoda illa æqualitate confuſio quædam eſſet, non ordo: ita in ſingulis Epiſcopatibus, qui ſunt partes vnius Epiſcopatûs, quæ in ſolidum à ſingulis Epiſcopis poſſidentur, vti aiebat Cyprianus, debuit aliquis ordo conſtitui, ne quod monent Hieronym. Gelaſius, & cæteri ſæpiùs PP. eſſent ſchiſmatici, atque ſingulis Epiſcopis ſuas Eccleſias ita mandari oportuit, vt alij aliis aliqua ratione, quoad adminiſtrationem & iuriſdictionem ſubiicerentur. Itaque eiuſmodi Epiſcopatuum partitio ab ipſiſmet Apoſtolis primùm facta eſt, & deinde lapſu temporis ad perfectum adducta: neque id commodiùs ad politiam Eccleſiaſticam fieri oportuit, quàm exemplo diuiſi Imperij Romani,

3 Plures verò diuiſiones Imperij Romani, quas æmulata eſt Eccleſia comperio. Primò, cum in diuerſas Prouincias extra Latium & Italiam, totum Imperium Romanum diſtributum fuit, tum libera & florente Republica, tum in vnius Principis dominatum redacta. Erant ſiquidem ſtante Republica aliæ Prouinciæ conſulares, quæ ab iis qui in vrbe conſulatum geſſerant conſulari imperio regebantur; qui & idcircò Proconſule & Proconſules dicebantur: aliæ Prætoriæ, quas qui proximo anno Prætores fuerant Prætorio Imperio obtinebant, vnde Proprætore, & Proprætores appellabantur. Non erant verò certæ Prouinciæ, in quas ſemper viri Conſulares, & aliæ in quas Prætorij perpetuò mitterentur, ſed ex Magiſtratibus, qui eas obtinebant, denominabantur. Obſeruat verò Hotman. *in notis ad orat. Ciceronis de Prouinciis Conſularibus*, vtraſque iſtas Prouincias in Senatus poteſtate fuiſſe: diſſimili tamen ratione, & lege quidem Sempronia vtraque à Senatu decernebantur. Sed Conſulares Conſulibus anno proximo futuris ante Comitia mandabantur, vt eas demùm poſt menſes ſeptemdecim obtinerent; & in Senatus poteſtate ſic erant, vt Tribuni plebis non poſſent intercedere decretis, quæ de iis Senatus fecerat: & prætereà obtinebantur in incertum temporis, quamdiu ſcilicet Senatus alios non ſummittebat, aut ſufficiebat. Prætoriæ verò Prouinciæ Prætoribus anni præſentis mandabantur, vt eas proximis Kalendis Ianuariis depoſita Prætura ſtatim obtinerent, erant tamen in populi poteſtate: quia Tribuni plebis intercedere poterant decreto de illis à Senatu facto, & annuo tantùm imperio obtinebantur. Erat quoque ius Senatui eas, quæ Prouinciæ conſulares erant, Prætorias facere: quare mutatione ſimul è poteſtate Senatus in poteſtatem populi trãſibant modo explicato. Fuerunt & Prouinciæ Cæſaris ex inſtituto Auguſti, qui ſumma rerum ad ſe deriuata, Vniuerſum tripartito diuiſit: partem pacatam, & quæ ſine armis facilè defendi poſſet populo dimiſit; eam verò, quæ militum præſidio indigeret, ſibi ſumpſit ipſe; in ſuas præſides cum imperio mittebat: populus autem Proconſules & Proprætores. Ita teſtatur Strabo in calce ſui operis, & Dion. *lib.* 53. quibus conſentit *& D. de officio Præf.* & *de officio Procon.* Deuictas verò nationes in Prouinciam redigebant, cùm illis leges proprias & domeſticas adimebant & Romanas dabant, & quotannis Prætorem, qui Prouinciam ex legibus datis regeret, mittebant, vt de Gallia factum conſtat ex oratione Critognati apud Cæſar. *lib.* 7. *de bello Gallico*, & Suetonium in Gallia.

In ſingulis autem Prouinciis erat vna, vel plures vrbes illuſtres cæterorum veluti matres, vel matrices, verbi gratia, in Syria Phœniciæ Berythus, & Tyrus erant Metropoles, *l. vnica, C. de Metropoli Beryth.* in Ponto Amaſia & Cæſarea *Nouell.* 28. in Cappadocia Cæſarea, alia & Tyana. Metropolium à menſura ciuitatum vocati ſcribit Iſidorus *lib.* 7. *cap.* 12. quem refert & ſequitur Gratian. *diſt.* 21. *cap. Clericos*, nempè à μέτρον, & πόλις cùm ſit potiùs μήτηρ πόλεων matrix ciuitatis, ſicut Sueton. in Auguſto nominat matricem arborem, ex qua ſtolones ſuccreſcant. Et *diſtinct.* 63. ſcribitur ad Epiſcopi electionem ſufficere Eccleſiæ matricis arbitrium. Eſt igitur Metropolis ex Ammiano mater vrbium; mater & caput Prouinciæ *lib.* 7. *in fin. D. de officio Proconſ.* Alij verò vocant, ciuitatem, ex qua calonia deducta eſt, vnde Thucydides Ἀποικία δὲ μὲν πάσχουσα τιμᾷ τὴν μητρόπολιν ἀδικουμένη δὲ ἀλλοτριοῦται. Colonia beneficio quidem affecta honore proſequitur matrem, ſed iniuria affecta ab ea abalienatur. Hæ duæ tamen ſignificationes iungi non difficile poſſunt, vt μητρόπολις ſit ciuitas maior cæteris, quales ferè ſunt ciuitates matrices, ex quibus aliæ, tanquam matrices, ductæ ſunt, quâ ſimili ratione dicitur, μητροκωμία, quam Accurſius legi vult, Metrocomia, & interpretatur villam, quæ iuſſu Principis metœcis, id eſt, peregrinis tranſmigratoribus diſtribuitur ἀπὸ τοῦ μέτρου, καὶ κώμης à menſura, & villa, quaſi villam menſam diceres. Quam interpretationem reiicere non audet Alciat. *in lib.* 2. *Codicis, l.* 54. licèt potiorem exiſtimet eam quæ μητροκωμίας interpretatur maiorem vicum & cæterorum veluti parentem. Atque ita paſſim interpretantur metrocomiam matrem pagorum, ſeu caput inter pagos, qui vni ciuitati ſubiecti erant, ſicut metropolis mater ciuitatum eius Prouinciæ. Erant ſiquidem magni & florentes quidam vici, vt oſtendit *l.* 33. *in fine, C. Theod. de Epiſcop. & Cleric.* vbi pro magnitudine & celebritate cuiuſque vici illius Eccleſiæ, iubetur certus Clericorum numerus iudicio Epiſcopi conſtitui. Erant ſine dubio hi vici minores, de quibus Libanius *orat. de patrociniis*, περὶ κώμας μεγάλας πολλῶν ἑκάστας δεσποτῶν, & *orat.* κατὰ τῶν εἰσιόντων. His porrò metrocomiis ſua erat curia, ſui curiales; quare Saluian. *lib.* 5. *de gubernat. Dei. Quæ ſunt*, inquit, *non modò vrbes, ſed etiam municipia, atque vici, vbi non quot curiales fuerunt, tot Tyranni ſunt.* Hi *l.* 13. *C. Theod. de deſertoribus*, dicuntur primates vrbium, vicorum, & caſtellanorum. Dicuntur etiam præpoſiti pagorum; ſiquidem pagi iidem erant, cùm vicis, & Paul. *lib.* 4. *ſentent. tit.* 6. Vicos priuatum forum habuiſſe cenſet. Metrocomiæ porrò in publico iure erant, vt dicitur *l.* 6. *C. Theodoſ. de patrociniis, vicorum*, id eſt, publicas functiones præſtabant, ſiue erant publici vici ad diſcrimen vicorum, qui erant

priuato

priuatorum; & vnum Dominum agnoſcebant, de quibus Libanius *orat.* περὶ τῶν προςατιῶν, quos ſic deſcribit, οἷς εἷς δεσπότης quibus eſt vnus Dominus.

5 Diuiſo igitur Romano Imperio in Prouincias, metropoles & metrocomias, Apoſtoli etiam primi Eccleſias ita partiti ſunt, vt inter Epiſcopos primus ille haberetur, & cæteris emineret, cui ciuitatis Metropolitanæ Epiſcopatus creditus foret. Id probat Marca *lib. 1. de Concord. cap. 13. num. 2.* quia ratio Prouinciarum Romanarum in Eccleſiaſtica diſpoſitione perpetuò viguit. Quare in Bithymia Nicomedia, in Cappadocia Cæſarea, in Ponto Amaſia, in Aſia Proconſulari Epheſus, in Galatia Ancyra primatum Metropoliticum perpetuò obtinuerunt, eáque de cauſa Ancyrana Eccleſia inter Apoſtolicas à Iulio I. apud Athanaſium numeratur; quia nempè Metropolis erat Galatiæ, cuius Eccleſia ab Apoſtolis fundata erat, & Paul. *Epiſt. ad Galat. cap. 1.* & *1. Cor. cap. 16.* meminit collectarum, quæ fuerant factæ in Eccleſiis Galatiæ Tito Cretenſi Epiſcopo, vt Presbyteros oppidalium conſtitueret, mandat Paul. *Epiſtola ad Tit. cap. 1. Reliqui te Cretæ vt conſtituas per ciuitates Preſbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi.* Ex quibus patet Titum ſuſcepiſſe à Paulo ordinandam illam Prouinciam; quod & fecit ordinatione Epiſcoporum, & Presbyterorum, qui à Metropolitano impoſitionem manuum Presbyterij obtinebat. Aſiæ Proconſularis vbi Attali Regis ablegata ad Romanos delata fuit iuriſdictio, vrbem Epheſim tanquam Prouinciæ Metropolim habuit, vt teſtatur Antonini reſcriptum ad Aſianos: & Proconſul, cum Prouinciam ingrederetur, Epheſium ea de cauſa primam appellabat. Inde Epiſcopus Epheſinus habitus eſt Metropolitanus, neque de eius dignitate quidquam deceſſit, quamvis in ea Aſiana Prouincia, ſeptem Epiſcopi, quorum meminit Ioan. Apocal. *cap. 1.* conſtituti fuerint: quare & in ea Paul. Sedem fixit, & Ioannes ſuam cathedram collocauit. Vide D. Martyrium Timothenum apud Photium *Cod. 254.* Achaia in Prouinciam à Romanis redacta metropolim habuit Corinthum, ex Floro *lib. 2. cap. 16.* ideóque Paul. cum ſcribit ad Corinthios, ad vniuerſos fratres Achaiæ ſe ſcribere dicit, *2. Cor. cap. 1. Eccleſia Dei quæ eſt Corinthi, cum omnibus Sanctis, qui ſunt in vniuerſa Aſia.* Quia nempè Corinthus & Achaia Prouinciæ, & Metropoleos vinculo nectebantur. Simili ratione idem Paul. ſuis litteris Theſſalonicenſes, & ſimul omnes fratres, qui ſunt in Achaia admonet *1. Theſſal. cap. 4.* Denique S. Petrus *Epiſtola 1. cap. 1.* ſcribit Chriſtianis Ponti, Galatiæ & Cappadociæ, & Aſiæ, atque his quodammodò limitibus Romanarum Prouinciarum Chriſtianos, ad quos ſcribit, comprehendit. Denique Tertull. *lib. de præſcription. cap. 36.* Eccleſiarum traditiones petendas monet ex ſingularum Prouincialibus Metropolitis, in quibus Apoſtolicæ fidei depoſitum (vt loquitur Paulus) ſeruabatur, ex quibus ipſi Apoſtoli ſcripſerunt & præfuerunt, *Age iam qui vales curioſitatem meliùs exercere, in negotio ſalutis tuæ; percurre Eccleſias Apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſidentur: apud quas ipſæ authenticæ litteræ eorum recitantur, ſonantes vocem, & repræſentantes faciem vniuſcuiuſque. Proximè eſt tibi Achaia habes Corinthum, ſi non longè es à Macedonia habes Polypſos; habes Theſſalonicenſes: ſi potes in Aſiam tendere, habes Epheſum: ſi autem Italiæ adiaces, habes Romam, vnde nobis quoque auctoritas præſtò eſt ſtatu felix Eccleſia,* cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine *ſuo profuderunt.* Similia habet *lib. 4. aduerſus Marcian.* Videmus quod lac à Paulo Corinthij *hauſerunt, ad quam regulam Galatæ ſunt correcti; quod legant Philippenſes, Theſſalonicenſes, Epheſij, quod etiam Romani de proximo ſonent, quibus Euangelium, & Petrus & Paulus, ſanguine quoque ſuo ſignatum reliquerunt.* Vides igitur Apoſtolos, maximè Eccleſiam in vrbibus Metropolibus conſtituiſſe, illis doctrinam fidei credidiſſe, ad illas ſcripſiſſe ſuâ etiam manu, quod vox authenticarum litterarum qua vtitur Tertull. indicat: authenticæ enim tabulæ, authenticæ rationes, authenticum inſtrumentum, dicitur ab Vlpiano, quod diſtinguitur ab exemplo teſtamenti, *l. 4. de famil. Erciſcund. l. vltim. de teſtament.* quæ authenticæ litteræ, & autographa adhuc Tertulliani ætate ſeruabantur ab illis Eccleſiis, ad quas fuerunt ſcriptæ. In illis denique ciuitatibus maioribus & aliarum nutricibus Sedem Epiſcopalem cum præcipuo quodam iure conſtituiſſe, quamvis & in aliis vt metrocomiis conſtitutos fuiſſe etiam conſtet, ſed cum aliquo diſcrimine: cùm illi maiores, ſiue maiorum ciuitatum Epiſcopi Presbyteros, id eſt, Epiſcopos in aliis ciuitatibus minoribus per manuum impoſitionem conſtituerent, vt mandatum fuiſſe Tito circa Cretenſem Inſulam à Paulo iam monuimus.

6 Hinc verò factum vt Epiſcopi maiorum celebriorúmque ciuitatum eximium quoddam ius in cæteras Eccleſias obtinerent, non abſimile illi quod quædam ciuitates habebant, ratione originis in Colonias à ſe deductas, quod quibuſdam officiis continebatur, fuitque illud ius amplius, aut remiſſius, pro vſu & conſuetudine, quæ ſenſim inualuit. In his porrò fuerunt tres illæ inclytæ Ciuitates, Roma orbis domina, Alexandria Regni Ægyptiaci Princeps, & Antiochia Orientis Regina. Itaque illarum ciuitatum Epiſcopi priuilegiis gaudebant, quæ primùm moribus inducta, deinde Nicæni decreto, de quo poſteà, firmata ſunt. Dico igitur hanc diuiſionem Eccleſiarum inchoatam fuiſſe ab Apoſtolis, & deinde perfectam exemplo Romani Imperij per Prouincias & Metropoles; quo edicto nihil derogatum volumus dignitati Pontificiæ vniuerſali, quam à Chriſto conceſſam Petro & eius ſucceſſoribus, qui ſunt Romani Pontifices, conſtat; neque ſicut Apoſtolicæ dignitati cæterorum Apoſtolorum nihil prorſus detractum eſt, conſtitutis variis per Prouincias Epiſcopis: manebat ſiquidem ſua ſingulis Apoſtolis dignitas Apoſtolica, quæ longè eminebat dignitati Epiſcopali, vt *alibi* diximus, & non erat cum omnimoda ſua plenitudine in Epiſcopos ſucceſſores tranſmittenda. Quare licèt illis ſuccedant Epiſcopi in dignitate Epiſcopali, non tamen in omnimoda dignitate Apoſtolica.

7 Sapienter verò Apoſtoli in ſua Eccleſiarum & Prouinciarum diuiſione Imperij Romani exemplum æmulati ſunt: rationem reddit Synodus Antiochena *ſub Iulio I. cap. 9.* ait enim, *Epiſcopum qui præeſt Metropoli curam etiam ſuſcipere totius Prouinciæ, eo quod in Metropolim vndequaque concurrunt omnes, qui habent negotia. Vnde viſum eſt eum quoque honore præcedere: reliquos autem Epiſcopos nihil magni momenti aggredi ſine ipſo, vt vult, qui ab initio obtinuit, Patrum Canon.* Nihil verò inde detrahi dignitati cuiuſque Epiſcopi circa ſuam Parochiam monent PP. dum addunt, *Vnumquemque Epiſcopum habere ſuæ Parochiæ poteſtatem, & adminiſtrare pro vnicuique conueniente religione, & totius religionis curam gerere, quæ ſuæ vrbi ſubeſt: vt etiam ordinem Presbyteros & Diaconos & vnaquæque cum iudicio tractent, & nihil vltra facilè aggrediantur ſine Metropolis Epiſcopo, neque ipſe ſine reliquorum ſententia.* In Eccleſia igitur ex antiquo Canone ſemper habita eſt ratio dignitatis quam ciuitas obtinebat ex Imperio, quod opportunitas & commoditas plebis inſtituendæ & ſeruandæ, & politia exigebat. Atque in

enumeratione demonſtrauit Petrus Faber *lib.* 1. *ſemeſtr. cap.* 2. Sed tandem magnus Conſtantinus lata lege eam præfecturam plurimum infra illud faſtigium dignitatis depreſſit.

9 Primò enim Patriciatum ſupra præfectos prætorio euexit, vt teſtatur Zozimus *lib.* 2. qui idcircò ait Conſtantium Patriciatum eiuſmodi exoptaſſe, quia licèt ea dignitas cum vrbe nata fuerit, eum tamen ſupra aliam omnem dignitatem Conſtantinus euexit, vt ait Baron. an. 337. ita vt Patricij non ampliùs à Senatoribus qui olim PP. dicti ſunt nominarentur, ſed quod Imperatoris patres & adiutores eſſent, vt ait Paul. Diacon. in hiſtoria Longob. vbi refert ritum inſtituendi patricium. De Patriciatûs verò honore vide Caſſiod. *lib.* 3. *epiſt.* 5. *& lib.* 6. *formula* 2. fuiſſe medium inter conſulatum & præfecturam prætorio certum eſt.

Secundò Conſtantinus ſummam illam præfecti prætorio auctoritatem imminuit, quia plurima eius munera & poteſtatem in alios magiſtratus diuiſit, nam militum ordinandorum regendorumque officium in magiſtros militum tranſtulit, quos binos inſtituit, equitum vnum, alterum peditum, relictâ dumtaxat militarium ſtipendiorum curâ præfectis prætorio. Quare Caſſiodor. Conſtantino longè poſterior, & qui eam præfecturam geſſerat, *in Præfatione variarum* ſic ſibi obiicientes inducit, *Præfectum te prætoriana ſedis omnes nouerunt:* cui dignitati *occupationes publicæ, veluti pedeſſiqua ſemper aſſiſtunt. Ab hac enim exercitüales flagitantur impenſæ: ab hac victus quæritur ſine temporis conſideratione populorum: huic etiam, vel ſolum graue iudiciorum pondus adiectum eſt, cui ideò leges viſæ ſunt immenſum onus imponere, dum ad ipſam honoris gratiam maluerunt penè omnia pertinere, &c.* Ex quibus vides, etiam poſt imminutionem à Conſtantino factam immenſam curarum molem Præfectis prætorio ſuperfuiſſe, quam tamen pluribus ſubleuarat Conſtantinus creatis multis magiſtratibus, qui partes tanti oneris ſuſtinerent. Quia tamen præfecto prætorio ſuberant, illi ſemper ſollicitudo non exigua, vt ſinguli ſuo fungerentur officio, reſtabat. Eorum benè longam enumerationem in notitia vtriuſque Imperij leges, & doctiſſimi Panciroli commentaria conſules.

Tertiò Conſtantinus quatuor præfectos prætorio inſtituit, quorum curæ vniuerſum Imperium in ſuas quoque partes diſſectum diuiſit: vnus fuit Præfectus prætorio Orientis, cui totam Ægyptum cum Lybiæ, Pentapoli, & Orientem ad Meſopotamiam vſque, & præterea Cilices, Cappadoces, Armenios, oramque Martiniam totam à Pamphilia Trapizontem vſque, & vſque ad Caſtella, prope Phaſidem ſita tradidit eidem, & Thracia commiſſa, & Myſia, Hæmi ac Rhodopes, & Deberi oppidi finibus circumſcripta. Prætetea Cyprum adiecit, & Cycladas inſulas, Lemno & Tinbro, & Samothracia exceptis. Hic dictus eſt præfectus prætorio per Orientem. Alter fuit præfectus prætorio per Illyricum, cui Conſtantinus ſubiecit Macedones, & Theſſalos, & Cretenſes, & Græciam & circumiacentes Inſulas, & Epirum vtramque, & Illyrios, & Dacos, & Triballos, & Pannonios ad Valeriam vſque & Myſiam ſuperiorem. Tertius præfectus prætorio fuit Italiæ, cui attribuit Italiam totam & Siciliam & circumiacentes inſulas & Sardiniam, & Corſicam & Africam à Syrtibus Cirenem vſque. Quartus præfectus prætorio Galliarum dictus eſt, cui Tranſalpinos, Celtas & Hiſpanos cum Inſula Britannia commiſit. Hactenus Zozimus. His quatuor præfectis adiecit Iuſtinianus quintum; exactis ex Africa Vvãdalis poſt nonaginta quinque annos, quem præfectum prætorio Africæ dixit *l.* 1. *&* 2. *C. de officio præfecti præt. Africæ*, illique ſeptem prouincias ſubiecit, volúntque aliqui illum deſignari ab eodem Iuſtiniano *Nouell.* 70. nomine præfecti Libiæ. Lazius *lib.* 2. *comment. de Romana Rep. c.* 2. *ad finem* inducit & ſextum præfectum prætorio Hiſpaniæ, & contra communem veterum ſcriptorum fidem à Gallicano ſeparat, cum vtrique Prouinciæ, quando ſub Romano Imperio paruit, vnum eundemque præfectum prætorio, nomine Galliarum paſſim omnes attribuant, ipſeque Claudianus in Mallij panegyrico,

Non te parte ſui, ſed in omni corpore ſumpſit
Imperium, cunctáque dedit tellure regendos
Rectores; Hiſpana tibi Germanaque Tethys
Paruit, & noſtro diducta Britannia mundo,
Diuerſoque tuas coluerunt gurgite voces
Lentus Arar, Rhodanuſque celer, & diues Iberus.

Lazium fefellit idem Claudian. in Panegyricis duorum Pobini, & Olybrij; agens enim de eorum Patre Probo, ait:

Vſque adeóne meam condunt obliuia mentem,
Vt pigeat meminiſſe Probi? quo indice totam
Vidimus Heſperiam, feſſaſque reſurgere gentes.

Exiſtimauit igitur Lazius deſignari à Claudiano præfectum Hiſpaniæ. Verùm hic Probus Italiæ præfectus prætorio fuit, vt teſtatur Paulinus in Ambroſio: Heſperiæ autem nomine deſignari plerumque Italiam nemo neſcit. Quæ præterea adducit Lazius ex Liuio, Tacito Cæſare, pertinent ad præfectos particulares aliquarum Prouinciarum Hiſpaniæ ante Conſtantinum, quem illi ſcriptores multis ſæculis præceſſerunt, & non ad præfectos prætorio ab eo Imperatore conſtitutos. Fallitur denique Lazius in ſubſcriptionibus, quas adducit, cum literas illas PP. nullâ interpunctione adhibitâ interpretatur præfectum prætorio, cum facile ſit legere proprætorem & pro præfectum. Maneat itaque quaternarius Præfectorum prætorio à Conſtantino auctore Zozimo conſtitutus, qui perſeuerauit vſque ad Iuſtinianum qui recuperatâ à Vvandalis Africâ illi præfectum prætorio æqualem cum aliis quatuor poteſtate dedit, eíque ſeptem Prouincias ſubiecit.

His præfectis ſubditi erant alij Magiſtratus, quos, vti iam monui, notitia vtriuſque Imperij enumerat: deſignauit & ſingulis opportuniſſimam ſedem, vt ſibi demandatarum prouinciarum poſſent curam facilè ſuſcipere. Itaque Præfecti prætorio Orientis ſedes fuit Antiochia, Illyrici Theſſalonica, Italici præfecti Roma: præfecto verò Galliarum, ſedem ſtatuunt Treuirim, Bulegerus *lib.* 3. *de Imper. cap.* 4. Scipio Duplex *in obſeruat. Gallic. lib.* 1. *c.* 8. Guther. *lib.* 2. *de officio domus Auguſtæ c.* 16. Brouuer *l.* 4. *annal. Tacit.* alij Lugdunum, alij Arelatem malunt; quæ omnia fuſiùs diſputat Theop. Rayn. *in erudito opuſc. de natali S. Ambroſij, pun.* 6. *&* 7.

Deindè hæ præfecturæ prætorio partitæ ſunt ab 10
ipſomet Conſtantino in diuerſa Prouinciarum corpora, quæ dictæ ſunt Diœceſes, ſiue adminiſtrationes, quæ ſuberant ſpeciali adminiſtrationi præfecti prætorio, vel eius Vicarij Proconſulis, aut alterius Magiſtratus, qui ſplendida & exigua aliqua adminiſtratione gauderet, quod hac ratione deſcribit Marc. *l.* 6. *de conc. c.* 16. *n.* 1. Itaque totum Imperium Occidentale 7. Diœceſes comprehendebat, & quidem præfectus prætorio Galliarum habebat ſibi ſubiectam diœceſim Galliarũ, quæ conſtabat XVII. Prouinciis Galliarum, Diœceſim Britannorũ ex quinq; Prouinciis, Diœceſim Hiſpaniar. ex ſeptem Prouinciis, præfectus prætorio Italiæ Diœceſim habebat Africanam ex ſex Prouinciis, Diœceſim Italicã ex Prouinciis ſeptem, eius caput erat Mediolan. & diœceſim Romanam ex decem. Præfecto prætorio

N Illyrici

Illyrici ſuberat Diœceſis Illyriciana, in qua ſeptemdecim prouinciæ. Imperium verò Orientale ſiue præfectus prætorio & Orientem comprehendebat Diœceſim Thracicam, in qua erat Conſtantinopolis, Diœceſim Ponticam, in qua Prouinciæ vndecim, Diœceſim Aſianam,in qua Prouinciæ totidem,Diœceſim Orientalem, vbi Antiochia, in qua prouinciæ quindecim, & quatuor illæ Diœceſes parebant, vti iam diximus, præfecto prætorio, Orientis ſuberat Diœceſis Ægyptiaca,quæ ſex Prouincias complectebatur, & ſuberat præfecto Auguſtali, ætate tamen Theodoſij ſenioris Illiricum diuiſum eſt in duas Diœceſes, in Illyricum videlicet Orientale, cuius Metropolis Theſſalonica,cui contributæ ſunt vndecim Prouinciæ, quod parebat præfecto prætorio, per Orientem,& Illyricum Orientale, cuius caput fuit Sirinium in eoque ſex prouinciæ, quod parebat præfecto prætorio Italiæ.

In vnaquaque porrò Diœceſi erat Vicarius præfecti prætorio,aut proconſul, aliúſque illuſtris Magiſtratus,qui vniuerſarum illarum Prouinciarum curam gerebat, & ius apud illas pro more recepto dicebat in publicis Prouinciarum conuentibus, ſiue *agendo conuentus iuridicos.*

Hinc vides diœceſim eſſe adminiſtrationem, diſpoſitionem, diſpenſationem à διοικέω, guberno,adminiſtro. Sic Plato, τὰ πολιτικὰ διοικεῖν Budæus διωκηκὼς οἰκήσεις ἰδίας proprias ſedes habens. Huic etiam διοίκησις τῆς πόλεως, διοίκησις τοῦ δήμου, διοίκησις ἰδία. Hanc vocem vſurpat quoque Cicero *lib.*13. *ep.*67. P. Seruil. *Ex Prouincia mea Cilicienſi, cui ſcis* τρεῖς διοικήσεις *Aſiaticas attributas fuiſſe, nullo ſum familiarius vſus quam Androne.* & *lib.*3. *epiſt.*8. *ad Appium pulchrum. Cùm ego Laodicea vſque ad Iconum iter facerem, vt me omnium illarum Diœceſium, quæ cis Taurum ſunt, omniumque earum ciuitatum Magiſtratus,legioneſque conuenirent.* Inde etiam διοικητὴς moderator, gubernator, & apud Ciceron.pro Rabirio. Diœceſes regnis *l.*5.*de Epiſcopali audientia* Archigerontes,diœcetæque Ergaſiatanorum, de quibus vide Gotofredum *in notis.* & Alciat. *lib.*2.*diſpunct.cap.*18. *l.*4.6.§.1.*de Epiſcop.& Cleric.* dixit piarum actionum diœcetas, id eſt, curatores, quare §.3. dicit piarum actionum adminiſtratores. Diœceſis igitur adminiſtratio quædam eſt; vſurpabatur tamen pro tractu quodam & diuerſarum prouinciarum collectione quæ præfecto prætorio, aut eius Vicario parebat. Sic diximus præfecto prætorio Galliarum parebat Diœceſis Galliæ,quæ ſeptemdecim prouincias continebat, & ita de aliis.

11 Hanc Imperij diuiſionem æmulata eſt Eccleſia: cum enim iam olim ipſa Apoſtolorum ætate vti oſtenmus ex Petri & Pauli Epiſtolis, celebriorum ciuitatum Epiſcopi eximium quoddam ius in cæteras Eccleſias eiuſdem prouinciæ obtinerent, non diſſimile illi, quo gaudebant Ciuitates in colonias à ſe deductas,quarum erant veluti matres, ideoque Metropoles dicebantur, & cùm inter omnes Romani Imperij ciuitates,eminerent Roma, Alexandria,& Antiochia, prima enim erat orbis domina, Alexandria regni Ægyptiaci, & Antiochia Regni Orientis, factum vt illarum ciuitatum Epiſcopi eximiis quoque priuilegiis gauderent moribus primum & vſu inductis, & demùm decretis Nicænæ Synodi aliarumque ſancitis, quibus quoad plurima reliqui Epiſcopi in adminiſtratione Eccleſiaſtica ſubiecti erant,ſeruato tamen in omnibus priuilegio,& iure capitis Eccleſiæ,Epiſcopi Romani Petri ſucceſſoris; illud enim ius & dignitas, vti oſtendimus *cap.*3. neque Synodorum decretis,neque Imperatorum edictis,neque populorum conſenſu,neque ex magnitudine ciuitatis Romanæ conſtitutum eſt, ſed ab ipſomet Chriſto, diuo Petro eiuſque legitimis ſucceſſoribus conceſſum, quod ſæpius Romani Pontifices monent ipſoſmet Imperatores, & nos omni teſtimoniorum ac rationum genere firmauimus, & toto iſto opere, tanquam fide certum ſupponimus, atque interdum monebimus, nequando inter diſputandum de aliis iuribus quæ illi tanquam Patriarchæ Occidentis competunt, nihil ampliùs illi concedere videamur, quam aliis quibuſdam magnarum ciuitatum Alexandriæ,& Antiochiæ Epiſcopis, & eos omnes pares atque æquales facere, ſecludimus perpetuò dignitatem capitis Eccleſiæ, & vniuerſalis paſtoris, quam in eo quoque cæteri Epiſcopi agnoſcunt, & eius eximiæ dignitati ac poteſtati ſe ſubmittunt,quamque in ipſos etiam Alexandrinos, Antiochenos, & Conſtantinopolitanos nonnunquam exercuit, vti *c.*3. dictum fuit & alibi ſuo loco dicetur: non componitur itaque Romanus Pontifex cum cæteris in iure & dignitate capitis, ſed in iure Metropolitano, quod *q.ſequenti,Conſectario* 11. explicabimus ampliùs,in præſentiarum enim agimus tantum de diuiſione Eccleſiarum facta ad inſtar Imperij Romani,cuius adminiſtrationem Conſtantinus partitus eſt in quatuor præfectos prætorio, qui ſub illo Imperium adminiſtrarent, cum ſub reliquis Imperatoribus fuiſſet tantum vnus aut duo,hiſque præfectis totius Imperij diœceſes,& adminiſtrationes partitus eſt,hoc eſt,diuerſarum Prouinciarum corpora, quæ adminiſtrationi vel Vicarij præfecti prætorio, vel proconſulis, vel alicuius, alterius Magiſtratus, cuius ſplendida eſſet adminiſtratio, ſuberant, ideóque vocabantur Diœceſes: quo exemplo Eccleſia præcipuis Metropolitanarum ciuitatum Epiſcopis,Romano, Alexandrino, & Antiocheno Diœceſes Eccleſiaſticas adminiſtrandas partita quoque eſt, quamvis initio quaſdam diœceſes ſuis Synodis & Exarchis moderandas reliquerit,neque alicui ex tribus illis Metropolitanis ſubiecerit, vt dicetur *q.ſequenti.* Romano quidem Epiſcopo totus Occidens,& in eo contentæ Diœceſes tributæ ſunt,quod ipſi etiam ſchiſmatici Zonaras & Balſam. in *Can.*6. *Concilij Nicæni* per ſanctiores illos teſtes Hieron. *ep. ad Marc.* Auguſtin. *lib.*1. *contra Iulian. cap.*2. Nazianz. *in carm. de vita ſua*, & alij, Agatho Pontifex *in Ep. Synodica Synodi Occidentalis ad Synodum Orientalem*, quæ refertur à Concilio VI.generali *act.*4. illi igitur Occidentis, Italia, Gallia, Affrica, Hiſpania,inſulæque interiacentes,Illyricum, neque de hoc eſt vlla difficultas vſque ad VI. ſæculum, nam narrat Socrates *lib.*5. *Hiſtor. cap.*35. Perigenem Eccleſiæ Patrenſis deſignatum Epiſcopum, & à plebe reiectum,mandato deindè Romani Epiſcopi in Corinthi Metropoli collocatum fuiſſe,eumque reliqua vita obtinuiſſe in Concilio, deindè Epheſino ſubſcripſit. Epiſcopi Epiri ſcribunt ad Hormiſdam Pontificem vt Ioannem à ſe electum Epiſcopum Nicopolis confirmet, habetur ea Synodica *tom.*2. *Concil.* Gregor. *lib.*4.*indict.*13.*epiſt.*8. Ioannis alterius electionem in Primatum Iuſtinianæ primæ confirmat,eique pallium mittit,& illi vices ſuas per Illyricum committit. Idem Gregor. *eodem lib.*4. *epiſt.*55. Ioanni Corinthiorum Archiepiſcopo pallium mittit, & Epiſcopis Helladis imperat, vt ipſi obediant, ſuntque plurima eiuſmodi, quibus oſtenditur Romanum Epiſcopum iure Metropolitano & Patriarchico vſum fuiſſe in Illyrico, fatemur tamen poſterioribus temporibus diſtincto Illyrico in Orientale & Occidentale, quaſdam eius Prouincias,Conſtantinopolitano Patriarchæ tributas fuiſſe.

Alexandrino datæ ſunt Ægyptus, Lybia, & Pentapolis;

tapolis : Antiocheno Orientis Diœceſes, reliquæ verò in Aſiana, Pontica, & Thracica ſuis Synodis adminiſtrandæ relictæ ſunt, de quibus *q. ſe-*
12 *quenti.*

Tertia Imperij Romani diuiſio fuit in Orientale, & Occidentale, nam illud certis ſuis terminis coërcere conſilium fuiſſe Auguſto ait Tiberius oratione ad ſenatum apud Tacitum *libr.*1. *Annal.* Ipſéque Auguſtus apud Iulian.in Menypæa; eoſque terminos nominat Iulian.Iſtrium,& Euphratem,quibus adde Rhenum & Oceanum: quare Tacitus ait mari Oceano,aut omnibus longinquis ſeptum Imperium ad hos terminos limitarij, Milites excubabant, qui demùm à Conſtantino ſublati ſunt, quod magno reip. Romanæ malo contigiſſe queritur Zozimus *lib.*2. nunquam in piiſſimum Imperatorem non iniquus. Vnicum autem Imperij corpus pro ambitione Imperantium in geminum diuiſum eſt, per Orientale & Occidentale. Primò quidem Antoninus,& Geta Seueri Imperatoris filij eam diuiſionem propoſuerunt apud Herodian. *lib.*4. & in ea Occidens complectebatur totam Europam ab Oceano Athlantico ad mare Ægæum, Pontum Euxinum, Meotum paludem & fluuium Tanain. illi quoque Imperio addebantur ſeptem Africæ prouinciæ Romanis ſubiectæ, reliqua cedebant Imperio Orientali,& præterea Aſia & Ægyptus. Secundò cum Diocletianus & Maximian. principatu ſe abdicaſſent, Orientem cum Illyrico Gallerio Maximo, Occidentem verò cum Africo Conſtanti Cloro Conſtantini magni patri aſſignarunt, 3. filij magni Conſtãtini aliter Imperium diuiſerunt, ſed duobus extinctis, totum recidit in Conſtantinum, & deinde in Iulianum Apoſtatam. Illud Valentinianus quartò eſt partitus cum fratre Valente cui tradidit Orientem, ſibique Occidentem retinuit, quibus & ſucceſſoribus ſublatis Theodoſius rerum omnium potitus filiis Arcadio & Honorio S.F. ita partibus eſt, vt Arcadio Orientem Honorio Occidentem. Vtriuſque Imperij fines vide apud Zozim. *lib.*4. Procopum *de bello Vandal.l.*1.& ex illis aliiſque Pancirolum in notitiam Imperij Occidentalis. Licet verò duo eſſent Principes & Capita Imperij, communi tamen Concilio res Imperij adminiſtrabant, leges condebant & promulgabant, belláque gerebant vnus Romæ, alter Conſtantinopoli reſidebãt; in gemina vero iſta adminiſtratione geminari quoque oportuit Magiſtrat.& dignitates, quare & duo creabantur conſules, vnus Romæ, alter Conſtantino. Erat & præfectus prætorio Italiæ, & alter Galliarum in Occidente, in Oriente verò præfectus prætorio Orientis & Illyrici, ſub quibus omnibus erant ſimiles dignitates, illuſtres, ſpectabiles, clariſſimi, perfectiſſimi, de quibus ſigillatim in notitia vtriuſque Imperij.

13 Huius diuiſionis ciuilis exemplo Eccleſiæ corpus in duas veluti partes præcipuas & membra diuiſum eſt, in Eccleſiam ſcilicet Orientalem & Occidentalem, eámque veterem eſſe diuiſionem contendunt Epiſcopi Orientales in Synodica Concilij Sardicenſis,& cauſas Orientalium in Concilio Orientali, Occidentalium autem in Occidentali definiendas eſſe, idemque contendit Conſtantius Epiſtola *ad Epiſcopos,* ex toto Occidente Ariminum conuocatos, monetque ne de Orientalibus quidpiam definiant. Ex quibus vides ſolitas eſſe Occidentales Eccleſias ab Orientalibus ſecerni,& ex illis diuerſa quoque Concilia cogi, quare in Concilio Aquileienſi, ex Occidentalibus Epiſcopis conſtante Palladius Epiſcopus Arianus reſpondere recuſabat abſentibus Epiſcopis Orientalibus, quos præfectus Italiæ literis inuitarat. Non veniſſe verò reſpondet ibid. Ambroſius. *Quia ſcierunt conſuetudinem eiuſmodi, vt in Oriente; Orientalium eſſet concilium, intra Occidentem Occidentalium, ideò putauerunt non eſſe veniendum.* Huius porrò diuiſionis ſæpius ipſi Pontifices meminere, Cœleſtin. *Epiſtola ad Neſtorium. Pelagianos telis vnita ſententia Oriens Occidenſque percuſſit.* Liberius *Epiſtol.*11. ait Epiſcopos Orientis, *ad ſanam ſinceramque mentem reuerſos cum orthodoxis Occidentis Epiſcopis concordare.* Damaſ.in Epiſt. Synodica apud Theodoret: *lib.*2. *hiſt. cap.*22. *De hac ipſa fide cum Epiſcopos Orientis, tum Occidentis nobiſcum vna gloriari conſtat.* Siricius *Epiſt. ad Himer.c.*2. *Quod etiam totus Oriens Occidenſque cuſtodit.* Innoc.in decretis *Cap.ſi nos autem, omneſque per Orientales, & Occidentales Eccleſias.* Timuitque Nazianz. *ne quemadmodum Oriens, Occidenſque limitibus, ita ſententiis diſtraherentur.* Philippus legatus Pontificius in Concilio Epheſino, ait eam Synodum coactam eſſe ex Epiſcopis Eccleſiæ Orientalis & Occitalis ἀνατολικῆς ϗ δυτικῆς ἐκκλησίας neque alia in rem adeò perſpicuam & frequentem apud ſcriptores proferenda ſunt.

Obſerua verò Orientem aliquandò latiùs, aliàs preſſiùs vſurpari: nam in diſpoſitione Romani Imperij Oriens complectitur, etiam ab ipſis Veſpaſiani temporibus, eas omnes prouincias, quæ à Thracia, per Ægyptum, & Aſiam minorem, vſque ad Euphratem & Tygrim pertinent, quæ quinque diœceſibus continentur. Thracica, Pontica, Aſiana, Orientali, & Ægyptiaca, quæ ſuos præfectos quibus parerent habebant. Itaque Orientis Eccleſia cum opponitur Occidentali, eas quiſque diœceſes integras complectitur: aliàs verò Oriens ſiue Orientales Eccleſiæ preſſius ſumitur, prout ab Epiſcopis aliarum diœceſeon diſtinguitur,& differt à Diœceſi Ægypti, Thracica, Pontica, & Aſiana,& Oriens in ea ſignificatione ſuberat Antiocheno Epiſcopo, quare Ioannes qui Conciliabulum contra Epheſinum coëgit dicitur *ep.*1.*in conc. Epheſino* Act.1. Ἰωάννου τοῦ ἐπισκόπου τῶν ἀντιοχέων μητροπόλεως τῆς ἀνατολικῆς διοικήσεως, & illius Concilij inſcriptio ſic habet ἁγία σύνοδος ἡ τῆς ἀνατολικῆς διοικήσεως, ϗ οἱ σὺν αὐτοῖς ἐκ διαφόρων διοικήσεων ϗ ἐπαρχιῶν συνηγμένοι, ſacra Synodus Orientalis Diœceſeos cæterique vna cum ipſis ex diuerſis Diœceſibus & Prouinciis congregati. Itaque diœceſis Orientis, ſpecialiter quæ ab Antiocheno Epiſcopo regebatur, quindecim Prouincias complectebatur, atque adeò Oriens in ea preſſiori ſignificatione acceptus, anguſtior multò erit Oriente, per quem tum Imperium, tum Eccleſia diuiduntur in Orientis & Occidentis Imperium atque Eccleſiam. Quinam verò eſſent Orientis in ea ampliori ſignificatione accepti termini declarant PP. ex omnibus Prouinciis Conſtantinopoli coacti literis Theodoſij. Nam *Canone* 2. illius Concilij Conſtantinopolitani; quod fuit II. Oecumenicum, Eccléſias Orientales, intra diœceſes, Thracicam, Ponticam, Aſianam Orientalem, & Ægyptum includunt; cæteráſque omnes Occidenti relinquunt, nempè Illyricum ſolidum, Italiam Galliam, Britanniam, Hiſpaniam,& Africam, atque ita ijdem erant, vt vides, Orientalium Eccleſiarum, qui Imperij Orientalis ſunt termini. Thracia itaque, in confinio Illyrici conſtituta Imperio Orientali accenſebatur ex Veſpaſiani Imperatoris antiqua diuiſione, Illyrici verò tota & integra præfectura, quæ Macedoniam, Daciam, & Achaiam continebat, ad Occidentem ſpectabat ſicut & ex te Africani ſex Prouinciæ, teſte Zozimo *lib.* 2. ſub Theodoſio tamen Illyriciana Diœceſis, in duas ſecta eſt,& quæ Macedoniam & alias quaſdam Prouincias complectebatur, Orientis Imperio ceſſit, reliqua

ſeruata eſt Occidenti, vt ex Iorunande & vtriuſque Imperij notitia conſtat. Ea tamen immutatio firmum vtriuſque Imperij ſtatum Eccleſiarum non mouit: nam iidem Eccleſiarum limites manſerunt, qui fuerant olim Imperij: Thracia nimirum, & Illyricum: Ammanianus enim Marcellinus, qui vixit imperante Iuliano Apoſtata *lib.* 21. Imperiorum limites in confinio Illyrici, & Thraciæ, in Succorum montium anguſtiis locat. *Confecta*, inquit, *Celſorum montium ſummitates Hœmi & Rhodopes, quorum alter ex ipſis Iſtri marginibus, alter ab Axij fluminis citeriori parte conſurgit, in anguſtias tumultuoſas callibus* deſinentes, Illyricos interſcindunt, & *Thraces*, & *lib.* 27. Succorum pateſcunt anguſtiæ, Thraciam dirimentes & *Daciam*, atque in iiſdem Succorum anguſtiis fines Occidentalium Eccleſiarum conſtitutos eſſe apertè docet Epiſtola Concilij Aquileienſis ad Theodoſium, quam refert Sirmondus in Appendice ad Codic. Theodoſian. *Equidem per Occidentales partes duobus angulis tantùm, hoc eſt in latere Daciæ Ripenſis, ac Mœſiæ fidei obſtrepi videbatur; quibus tamen nunc poſt Concilij ſententiam, veſtro fauore clementiæ opinamur illicò conſulendum. Per omnes autem tractus, atque regiones Ethnicorum clauſtris, vſque ad Oceanum manet intemerata fides, in Orientalibus autem partibus*, &c. Illud verò Ethnicorum *clauſtris* mendum eſſe ſuſpicatur Marca *libro primo Concord. capite tertio, numero quarto*, & meritò legendum eſſe à *Succorum clauſtris*: nam Socrat. *libro ſecundo, cap.* 18. agens de diſſidio Concilij Sardicenſis, quo abrupta eſt communio Orientalium & Occidentalium, vtriuſque Eccleſiæ confinium collocat in Succorum montium anguſtiis, quæ Illyricos diuidunt à Thracibus. Itaque ὅρος τῆς κοινωνίας fuerunt mõtes σοῦκκοι, non τισοῦκκοι, qui Geographis ignoti ſunt, Gregor. Nazianz. in Concilio congregatis Patribus dicebat Conſtantinopolim nodum eſſe Orientalis, & Occidentalis oræ, cum in illam hinc & inde extrema Prouinciarum capita pertingerent, & inde velut à communi fidei emporio refunderentur, ἑώας τὸ καὶ ἑσπερίας λήξεως εἶναι σύνδεσμον εἰς ἣν τὰ πανταχόθεν ἄκρα συντρέχει, καὶ ὅθεν ἄρχεται ὡς ἐμπορίου κοινοῦ τῆς πίστεως. Habemus igitur diuiſionem Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis, atque vtriuſque terminos: Orientalis complectebatur Diœceſes quinque Ægyptiacam Orientalem, Aſianam, Ponticam, Thracicam. Occidentalis autem octo vel ſeptem reliquas nimirum in Italia duas, Illyricum primò quidem, ſolidum, ſed deinde in duo diſſectum, Galliam, Britanniam, Hiſpaniam, Africam. Quomodo verò ad miniſtrarentur omnes iſtæ Diœceſes conſtabit ex alibi dicendis: octo enim Diœceſes Occidentis ita ſuos habebant Metropolitas, vt tamen omnes ſubeſſent Romano Pontifici, tanquam ſuo Patriarchæ. Quinque Orientales ſuos haberent Patriarchas, & Exarchos, Ægyptiaca ſuberat Alexandrino Orientalis Antiocheno Aſianæ, Exarcho Epheſino, Pontica Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopo, Thraciæ Conſtantinopolitano, qui tandem factus Patriarcha, in Concilio Chalcedonenſi, Diœceſes tres nimirùm Aſianam, Ponticam, & Thraciam ſibi aſſeruit; qua de re alibi fuſiùs, vbi de ordine Patriarcharum *tomo tertio*, de Hierarchia diſputabitur.

QVÆSTIO II.

CONSECTARIA.

Conſectarium Primum. Comparatur notitia Eccleſiaſtica cum notitia vtriuſque Imperij.

Conſectarium Secundum. Canon VI. Nicænum explicatur.

Conſectarium Tertium. Vnde Archiepiſcopi Metropolitæ, Primates Exarchi, & Patriarchæ.

Conſectarium Quartum. Diœceſes αὐτοκέφαλοι.

Conſectarium Quintum. De Epiſcopo Conſtantinopolitano.

Conſectarium Sextum. Diuerſitas Synodorum non Oecumenicarum.

His ita de diuiſione Eccleſiarum conſtitutis plurima ad perſpicuam Conciliorum & Canonum, totiúſque ſubſequentis operis notitiam licebit colligere.

CONSECTARIVM I.

Comparatur notitia Eccleſiaſtica cum notitia vtriuſque Imperij.

Status quæſtionis, n. 1.

Canon 18. *Concilij Chalcedonenſis*, n. 2.

Mutatio diſpoſitionis Eccleſiaſticæ ex politica, num. 2. & 3.

Abuſus repertus, n. 4. & 5.

Metropolitæ honores quinam, n. 6.

Cum exemplo Romani Imperij diuiſionem Eccleſiarum factam fuiſſe docuerimus, facilè fuerit notitiæ Eccleſiaſticæ, & Imperij comparationem inſtituere, quod plures accuratè præſtiterunt, in iiſque Carolus à ſancto Paulo Abbas Fulienſis in ſua Geographia ſacra; patétque etiam minùs eruditis partitionem Diœceſeon, & Prouinciarum Eccleſiaſticarum, vt plurimum ciuili Principum diſpoſitioni conformem fuiſſe, & ſæpiùs cum illa pariter mutatam: monet quidem Innoc. I. *Epiſt.* 18. *ad Alexandrum Antiochenum, Non videri ad mobilitatem mũdanarum neceſſitatum Dei Eccleſiam commutari, honoréſque aut diuiſiones perpeti, quas pro ſuis cauſis faciendas duxerit Imperator.* Sapienter tamen iudicauit Eccleſia grauibus ex cauſis eiuſmodi mutationes, etiam rogantibus Imperatoribus eſſe permittendas; quare Concilium Chalcedon. *Canone* 17. ſic edicit: *Si qua ciuitas poteſtate Imperiali innouata eſt, aut ſi protinus*, id eſt, in poſterum, *innouetur, ciuiles diſpoſitiones & publicas Eccleſiaſticarum quoque Parochiarum ordines ſubſequantur*: εἰ δέ τις ἐκ βασιλικῆς ἐξουσίας ἐκαινίσθη πόλις ἢ αὖθις, καινισθείη τοῖς πολιτικοῖς, καὶ δημοσίοις τύποις, καὶ τῶν ἐκκλησιαστικῶν παροικιῶν ἡ τάξις ἀκολουθείτω, qua Concilij definitione nihil illuſtrius afferri poteſt; ibi enim Synodus agit contra vetus crimen quorundam Epiſcoporum, qui mutuas inuadebant Parochias, quod erat litium, & contentionum ſeges, quibus extinguendis legem tricennalis poſſeſſionis Canone ſuo firmat, quod & Synodus Trullana *cap.* 15. & deinde Magnus Gregorius probarunt:

tunt : quia verò Laïca Principum poteſtate fiebat ſæpius locorum innouatio, cùm Caſtrum, aut villa in ciuitatem erigeretur, indéque ſequebatur ex antiquo more Parochiarum quoque immutatio, ſtatuit Synodus, vt eiuſmodi noua ciuitas, non ciuilia tantùm, ſed & Eccleſiaſtica priuilegia conſequatur : eorum verò priuilegiorum primum ſummúmque erat cathedra, & Clerus Epiſcopalis, ſiue ius Parochiæ ſibi deinceps ſubiectæ. Qua ratione Maiuma Gazẽſis ciuitatis nauale facta à Conſtantino Magno ciuitas, & ex filij nomine Conſtantia dicta, ſtatim ſubtracta eſt Gazenſi Epiſcopo , & proprium habuit Conſtantienſem. Hinc quoque illa contentio inter Anaſtaſium Nicænum & Eunomium Nicomædienſem Metropolitas: cùm enim Nicæa ciuitas ab Imperatoribus Metropolis facta fuiſſet, & Baſinopolis Nicææ regio , ciuitas creata fuiſſet, contendebat Nicænus ſibi tanquam Metropolitæ ſubiectum eſſe Epiſcopum Baſinopolitanum, & ſe ius illum ordinandi habere: Nicomedienſis verò Metropolita totius Bithyniæ cum creatione noui Metropolitæ Nicæni ſuis iuribus detractum eſſet , & Baſinopolim & Nicæam ipſam ſibi ſubiectam contendebat. Liſque tandem auctoritate Concilij, ita definita eſt, Nicomedienſis auctoritatem Metropolitani in omnes Bithyniæ Prouincias haberet, Nicænus verò honorem Metropolitani dumtaxat ; ſubiaceret verò Nicomedienſi inſtar aliorum Epiſcoporum eiuſdem Prouinciæ. Quare Canonem 17. Chalcedonenſem, quem verſamus, ſic exponit Alexius Ariſtinus, & Diaconus Conſtantinop. *Si Imperator de nouo vrbem extruxit, vel impoſterum* , extruere non contendet pro illa vicinus Epiſcopus, & ſub Parochiam ſuam trahere illam ſtudebit, ſed ciuiles & publicos typos ſequetur: illius ſcilicet Prouinciæ, vel Parochiæ Epiſcopus illam ſub ſe habebit, ſub qua illa diſpoſita eſt, & facta *obnoxia*. Facta igitur per Principem noua ciuitas habebit Epiſcopum, Metropolitam verò non Epiſcopum viciniorem, à cuius throno auulſa eſt, ſed illum qui eſt verus & antiquus Metropolita totius illius Prouinciæ , & prior Epiſcopus nihil retinebit in illam nouam ciuitatem iuris.

Poterat verò Imperator caſtrum , aut oppidum in ciuitatem erigere , illique iura ciuitatis dare , non tamen ius deinde ciuitatis auferre , ſaltem quoad Eccleſiaſtica. Vide Sozomen. *lib. 5. c. 3.* ita vt eam deindè ciuitatem Epiſcopatu priuaret : nam de Iuliano qui Maiumatem in poteſtatem Gazenſium reduxit , ſic habet: *Ex eo tempore Gaza & Maiuma Magiſtratus ciuilis belli duces , Reſpublica communis eſt. Solo Eccleſiæ ſtatu & gubernatione, duæ videntur hoc tempore ciuitates diſtinctæ : nam vtraque ſeorſum ſuum habet Epiſcopum, ſuum Clerum, diſtinctos agrorum fines, quibus altaria, ad vtrumque Epiſcopum ſpectantia diſtinguuntur. Quidam noſtro tempore Gazæ Epiſcopus Epiſcopo Maiumæ defuncto laborauit, vt vterque Clerus ſibi ſubiiceretur; non enim fas eſt vt vni vrbi duo præficiantur Epiſcopi, at nihil obtinuit.* Idem quoque Imperator, offenſus grauiter, S. Baſilio Cæſaream Cappadociæ Metropolim, ex numero ciuitatum deleuit, in ea tamen manſit Epiſcopatus & Primatus totius Ponticæ Diœceſeos: Theodoſius quoque ſenior Auguſtus Antiochenſibus iratus , omnia priuilegia vrbi illi ademit, & principatum Laodiceæ vicinæ tribuit, inquit Theodoret. *lib. 5. hiſt. c. 19.* nihilominus nunquam Laodicenſis ſibi Patriarchatum aſſumere, aut Antiocheno rebellare auſus eſt. Ratio eſt , quia nunquam licuit Auguſtæ poteſtati Hierarchiam Eccleſiaſticam confundere.

3 Quare licet ordo Parochiarum Eccleſiaſticarum ſequeretur diſpoſitiones ciuiles, & typos politicos, vt loquebatur Synodus Chalcedonenſis, & vbi quis locus ciuitatis priuilegiis ab Imperatore ornatus erat, ibidem quoque eorum Epiſcopum conſtitueret Eccleſia, ſi tamen quæ ciuitas Epiſcopalis erat, eadem poteſtate imperiali ciuitatis honore & dignitate mulctaretur , idcircò Epiſcopalem thronum & honorem, non amittebant ; ſi verò quæ ciuitas Metropolis fiebat à Principe , eius quoque Epiſcopus Metropolitani nomine & honore gaudebat, non tamen antiquo ſuo Metropolitano, cui manebant ſalua & integra ſua iura, ſubducebatur, ſed hic nouus Metropolita erat primus Epiſcoporum illius Prouinciæ, cum illis tamen veteri Metropolitæ ſubditus , vt vidimus definitum in controuerſia Nicæni & Nicomedienſis circa Baſmopolim in hac Synodo Chalcedonenſi definita Act. 13. ne duo in eadem Prouincia eſſent æquo & pari iure Metropolitæ , quod eadem Synodus definiuit *Can. 12.* ne vna Prouincia in duas ſcindatur , & Epiſcopum, qui pragmaticam Principum ſequutus ita ſciderit , priuat Epiſcopatu & fit ἀντεπίσκοπος. Si verò Imperatoris reſcripto ſciſſæ ſunt ciuitates γράμματι βασιλικῷ τμηθεῖσαι πόλεις, honore fruentur tantum, & qui ibi verſatur Epiſcopus, & qui verè Metropolitanus eſt, propria iura ſeruantur , ἀληθῶς μητροπολίτῃ τὰ οἰκεῖα σωζέσθωσαν δίκαια , inquit Alexius Ariſtinus in ſynopſi Canonum 12. Chalcedonenſ.

Vt igitur quæ circa Hierarchiæ Eccleſiaſticæ diui- 4
ſionem ad Romanæ Reipublicæ formam ſpectant paucis colligam : certum primò eſt veteri Apoſtolorum exemplo ciuilem Diœceſim Prouinciam, Metropolim, Ciuitatem, Caſtrum, villam voluiſſe quoque huiuſmodi manere & haberi in Eccleſia , quare diuiſa per Principem Prouincia , ſicut duos Rectores politicos accipiebat , ita & duos Epiſcopos habebat Metropolitas , exemplum habemus in noſtra Prouincia Lugdunenſi , quæ vbi in quatuor Prouincias ſecta eſt , quatuor quoque Archiepiſcopos , & Metropolitas accepit ; Lugdunenſem , Rhotomagenſem , Turonenſem, Senonenſem, & Leo Magnus Arelatenſem , & Viennenſem Metropolitas eſſe voluit , eo quod illæ ciuitates , quamvis intra eandem Prouinciam, Conſtantini dono Metropoles factæ eſſent : & Synodus Taurinenſ. *cap. 1.* ita fuerat interlocuta : *Qui Epiſcopus comprobauerit ſuam ciuitatem eſſe Metropolim , is totius Prouinciæ honorem Primatus accipiat.* Secunda Belgica Remenſem , & Treuirenſem Metropolim habuit , Conſtantius Byſantium à Numidia ſeparans , fecit vt nouus primas Bizacenus exiſteret. Theodoſius Auguſtus Paphlagoniam diuiſit , indéque Claudiopolitanus Epiſcopus factus eſt Metropolita Honoriandis , ſiue nouæ Prouinciæ, in memoriam Honorij filij , ſic nuncupatæ.

2. Ex hac antiqua regula factum, vt aliqui Epiſcopi vt ſuæ ambitioni ſeruirent , & in ſuos Metropolitas rebellarent , curarent per Laïcam poteſtatem, & pragmaticam formam , diuidi Prouincias , & nouas inſtitui Metropoles , ac quod inde ex antiquo more ſequi videbatur nouos Metropolitas magnâ Hierarchiæ Eccleſiaſticæ perturbatione, veterum Metropolitarum iuribus diminutis, atque etiam non exigua eorundem vexatione , quomodo Valens Arianus , vt S. Baſilio negotium faceſſeret, Cappadociam diuiſit , quod iam monuimus & Anthimum Thianenſem Epiſcopum noui Metropolitæ nomine in Cæſarienſem Baſilium armauit , ſed poſt Baſilium Alexander Patriarcha Antiochenus ad Innocentium de hoc abuſu ſcripſit, qui vt nuper referebamus , illum damnauit , & inconueniens iudicauit *ad mobilitatem neceſſitatum mundanarum Dei Eccleſiam commutari :* quod reſponſum Synodus deinde

Chalcedon. *Can.* 12. confirmauit, quem ipſi ſubindè Imperatores probarunt. Nam Iuſtinian. *Nouell.* 28. *c.* 2. Helenopontum & Pontum Polemoniacum in vnam Prouinciam redigens addit, nihil *circa eorum Sacerdotium innouans.* Voluit itaque Amaſenum, & Neocæſarienſem ex antiqua forma manere Metropolitas. Quod idem Conſtantin. circa Haugienſem, & Claudiopolitanum, dum Paphlagoniam, & Honoriadem ad antiquam vnitatem reuocauit, vbi verò duas Armenias diſſecuit in quatuor, *Nouell.* 31. *cap.* 2. ſic ait: *Quod ad Sacerdotia ſpectat, ea volumus in priſtina manere forma, negotio ipſo, neque circa ius Metropoliticum, neque circa ordinationes, vel mutationes, vel nouationes*, ſuſcipiente, ſed priùs ordinatis, nunc quoque ex ordinatione, auctoritatem obtinentibus & prioribus. *Item, Metropolitanis in ſuo permanentibus ordine, vt quantum ad ipſa nihil penitus innouetur.* Sed idem ipſe Iuſtinianus & hunc Canonem Chalcedonenſem, & ſuaſmet, quas modò recenſuimus, leges offendit: nam innouata & tripartita Cappadocia, cum inacceſſam ciuitatem feciſſet, & Iuſtinopolim dixiſſet, illique Metropolitana iura contuliſſet, quod fuſiùs deſcribit Procopius *lib.* 5. *de ædificiis Iuſtiniani*, illi ſubiecit Dehoran Nazianzem, quæ quondam ſuberant Thianenſi ciuitati, qua de re queritur Eupraxia Epiſcopus Thianenſis in V. Synodo *coll.* 5.

5 Tertiò, quia non facilè erat Epiſcopis diuiſionem Prouinciæ in plures impetrare, curarunt Epiſcopi ſuam Ciuitatem erigi in Metropolim, atque ita ſuam Sedem euadere Metropolitanã, ſicque erant in eadem Prouincia plures Metropolitæ, quod & Innocent. & Synod. Chalcedon. vt vidimus damnauit. Ea ratione Valentinian. III. Rauennatem fecit Metropolitam Theodoſius verò Iunior Berytenſem, cui ſubiecit Biblon Botryn, Tripolim, Orthonadem, Arcam, & Antaradon, Tyriorum Metropoli ſubiectas rogante Euſtatio Berytenſi, qui in Synodo Chalcedon. Actio IV. non alia ratione ſe tuetur, quàm quod ex recepta conſuetudine Imperatores fuerant Metropoles, ſicque Valens Nicæam Bithymiæ fecit Metropolim. Hæc quæſtio agitata eſt *ea Act. IV.* inter Euſtatium Berytenſem, & Photium Tyrium Epiſcopum, dixerúntque Regulas Patrum, & Canones eſſe ſeruandos, non pragmaticam regiam. Tandémque electi Synodi iudices, ſic pronuntiarunt, Photius Epiſcopus Tyriorum Metropolis, omnem poteſtatem ordinandi in vniuerſis ciuitatibus, primæ Phœnices Prouinciæ habebit: Euſtathius verò Epiſcopus è ſacro pragmatico typo nihil amplius ſibi vindicet, quàm reliqui Epiſcopi eiuſdem Prouinciæ. Cui iudicio tota Synodus acclamauit: *Hoc iuſtum iudicium, hoc Dei iudicium eſt*, non negant nihilominùs PP. Imperatorem poſſe eligere Metropolim, ſiue per diuiſionem Prouinciæ, ſiue intra illam, ſed damnant Epiſcopos, qui id ambitioſè procurant. Deinde volunt eos nouos Metropolitas ſolum nomen & honorem Metropolitæ obtinere, non iuriſdictionem cum veteris Metropolitæ damno. Quare Valens facta Nicæa Metropoli, ad Nicomedienſes ſic reſcribit: *Circa priuilegia ciuitatis veſtræ quæ olim fuerat priſca conſuetudo ſeruabitur. Neque enim honoris adiectio Nicænorum ciuitatis ius veſtrum lædere poterit, cum augeatur dignitas Nicomedienſium ciuitatis, quando iſta, quæ ſecundo loco eſt*, Metropolis nomine vocatur. Quod ipſum teſtatur Marcianus Chalcedone in Metropolim euecta, habetur Act. VI.

6 Priuilegia porrò iſtorum Metropolitarum honorariorũ erant, 1. ipſum Metropolitæ nomen, eos Græci poſt Patriarchas & Primates Archiepiſcopos, aut Epiſcopos numerabant. Secundò, eorum thronus aut & protothronus, quia in Synodo Prouinciæ primo loco ſedebant ante omnes collegas Comprouinciales, quamuis ætate & conſecratione antiquiores. Tertiò, conſecrabantur à Patriarcha.

7 Ex his omnibus vides quanam ratione Hierarchia Eccleſiaſtica ſecundũ ciuiles typos, & formas diuiſa ſit, & ſecundum earum etiam mutationem, ac innouationem mutaretur, quod etiam conſtat ex iis quæ diximus *q. ſuperiori*, de diuiſione Eccleſiarum, & Patriarcharum creatione, & Diœceſibus illis ſubiectis. De Conſtantinopol. poſt Romanum dignitate, & de ſingulorum finibus ac limitibus, eorúmque additione, extenſione, vel imminutione, quæ ſingula diſtinctiùs perſequi longioris foret operæ, hocque loco non ſatis commodo. Placet id ipſum vno Hieroſolymitani exemplo confirmare: 8 nam licet illa Apoſtolica eſſet Eccleſia & cæterarum veluti mater, vbi tamen Veſpaſianus & Titus eius filius Hieroſolymam deſtruxit, & Metropoleos dignitatem Cæſaream tranſtulit, ipſi quoque Apoſtoli Eccleſiaſticam Hierarchiam Romanæ Reipubl. accommodantes, totius Palæſtinæ Metropolim dixere Cæſaream, Hieroſolymæ, ſiue Æliæ ab Ælio Adriano, qui eam reædificauit, ſic dictæ ſeruata honoris conſequentia, vt loquitur Canon VII. Nicænus ſalua Metropoli dignitate, quod & conſuetudinem & antiquam traditionem obtinuiſſe. Hæc porrò ἀκολουθία τῆς τιμῆς, in eo conſtabat, vt Hieroſolymitana Eccleſia eſſet Prouinciæ illius protothronus, ſubiectus tamen omninò ſedi Cæſarienſi, quod aperte fatetur Hieronym. *Epiſt.* 68. aduerſus Ioannem Hieroſol. & Epiphan. Simili Epiſtola. Quare Acacius Luſcus Euſebij in Metropoli Cæſarienſi ſucceſſor, Maximũ Hieroſolymitanũ Epiſcopum veluti ſuum ſuffraganeum deiecit, & Cyrillum intruſit apud Socrat. *lib.* 1. *c.* 30. Quare Acaicum & Cyrillum. non ſine ſcandalo de iure Metropolico contendiſſe ſcribit Theodoret. *lib.* 2. *cap.* 27. & tandem à Synodo Seleucienſi Cyrillum exauctoratum eſſe tradit Sozomen. *lib.* 2. *cap.* 24. litem eandem, ſed infelici euentu mouit Ioannes, & iactans ſe habere Cathedram Apoſtolicam, tum Cæſarienſem Metropolitam, tum Antiochenum Patriarcham reiiciebat, verùm cauſa cecidit: nam Dieſpolitanæ in Palæſtina Synodo præſedit Eulogius Cæſarienſis, non ipſe Ioannes Hieroſolymitanus teſte Auguſtin. *lib.* 1. *contra Iulian. cap.* 5. *&* 7. Ioanni ſucceſſit Praylius huicque ſuffectus eſt Iuuenalis, qui Epheſo præfuerat, atque adeò pluribus illis Sedi ſubiectis Prouinciis, ac proindè dominari ſolitus ſe verè Metropolitam tulit, & Sedi Antiochenæ ſex omninò Prouincias ſubduxit, ſibique vindicauit tres, nimirum Palæſtinam, duas Phœnicias, & Arabiam Palæſtinam, quæ erat vltima Prouincia Syriæ, in tres diuiſerant Romani Principes, atque vt facinus ſuum tueretur Iuuenalis, aſſenſum & auctoritatem Synodi Epheſinæ obtinere tentauit, ſed fruſtrà, Cœleſtinum Pontificem, & eius Vicarium Cyrillum, qui eius conatibus obſtiterunt, aduerſarios nactus, quare ſpe ſua ductus Theodoſium adiit, & ab eo pragmaticam obtinuit. Verùm nondum ſopitâ lite tandem in Concilio Chalcedonenſi Act. 7. idem Iuuenalis & Maximus Antiochenus, ita conuenerunt, vt Antiochia duas Phœnicias & Arabiam, Hieroſolyma verò tres Palæſtinas haberet, quæ pacta probauit Synodus vniuerſa, ipſique Pontificij Legati Paſchaſinus & Lucentius Epiſcopi, atque Bonifacius Presbyter. Hanc tamen Synodi approbationem, vel definitionem reiecit Leo *Epiſt.* 61. *&* 62. Nicænorum Canonum vindex acerrimus, & Synodum non niſi in cauſa fidei congregatam ſuoſque Legatos ad eiuſmodi duntaxat miſſos dixit; & quidquid contra Nicænos Canones conſtitutum eſſet,

irritum

irritum voluit,vt quod de ſede Conſtantinopolitana cui poſt Romanam primas tribuebant, & modò de ambitione,Iuuenalis Iudicatum fuerat, cùm Canon. Nicænus VII. Æliæ Epiſcopo ſolius honoris conſequentiam conceſſerit, vt retulimus & ſuo Metropolitæ,voluerit manere ſubiectum. Non idcircò tamen quieuit Iuuenalis, nam Synodo trium Palæſtinarum poſt Chalcedonenſem habitæ tanquam primas præfuit non verò Cæſarienſi Irenæus, qui verus & legitimus erat Metropolita. Tandem in quinta Synodo imperante Iuſtiniano lis tota iterum compoſita eſt,& decretum Chalcedonenſe firmatum, quamvis id in actis vulgatis non habeatur, ſed ex Vaticanæ Bibliothecæ in libello cenſum referat Baron. an. 88. 553. & ex Tyrio. *lib. 14. de bello*, Sacro *cap.* 12. Iuſtinianus verò qui cæſarienſem ciuitatem ſpirituali illâ iuriſdictione ſpoliauerat, auxit illam proconſulari nouella 103.

Ex his omnibus vides quàm retinentes fuerint veteres in diſpoſitione Eccleſiarum, ciuili formæ accommodanda, idque vna hactenus Eccleſia, Hieroſolymitana docuit, & multò etiam illuſtrius Patriarchatus Conſtantinopolitanus, in quo ſtabiliendo, & promouendo ab ipſis etiam imperatoribus & Synodis, tamdiu laboratum eſt repugnantibus Romanis Pontificibus qui Nicænos Canones violari non patiebantur, & inſtitutam ab ipſis Eccleſiarum diuiſionem ciuili Romanæ tunc conformem mutari minimè ferebant, ſed de eo Patriarchatu inferiùs.

CONSECTARIVM II.

Explicatur mens Canonis VI. Concilij Nicæni.

Non conſtituit nouas ſedes, n.9.10.11.& 12.
Explicatur vox, Canonis antiqua conſuetudo, num. 3.
Romanus Pontifex Occidentis Patriarcha, numero 14.
Eius eminentia ſupra cæteros Patriarchas, numero 12. & 13.
Vnitas Eccleſiæ, n. 15.
Cur tres ſedes præcipuæ conſtitutæ à Petro, numero 15. & 16.
Quomodo tres illæ ſedes ſint vna ſedes Petri n. 16. & 17.
Comparatur cum politia Romana, numero 18. & 19.
Senſus tandem Canonis, n. 21. & 22.

9 De hoc Canone magna excitata eſt quæſtio: volebant enim Euſebiani in conuenticulo Philippopolitano eo Canone euerti Romani Pontificis primatum, atque Monarchiam, inducique regimen Ariſtocraticum in tres Patriarchas ex æquo diuiſum, quos ſequuti ſunt Nouatores, quos omnes fuſiùs agitamus, *ſuperiori cap. 3. q. vltimâ §. 13. num.70.* Cum ipſimet Romani Pontifices eo loco à nobis adducti, & alij quamplurimi ex illo ipſo Canone ſuum primatum validè confirment. Vt verò conſtet ampliùs in eo non agi de Romani Pontificij primatu, ſed de retinenda antiqua Eccleſiarum & ſedium Patriarchalium diuiſione, repetenda ſunt quæ, *ſuperiori quæſtione*, atque proximo conſectario de diuiſione Eccleſiarum conſtituebamus: indè enim liquidò Canonis ſenſus apparebit; Quare placet eum denuò retractare.

Obſeruandum autem imprimis eſt cum Cardinali Perronio, *cap. 32. reſponſ. ad magnæ Britanniæ Regem.* 10
Huius aliorumque Canonum Nicænorum, qui de Eccleſiaſtica diſciplina quidpiam conſtituunt ſenſum inueſtigandum eſſe ex illius temporis hiſtoria, & rebus geſtis, quoties de illorum intelligentia difficultas aliqua oritur, quia cum eius magni Concilij acta perierint non poſſumus ex illis mentem Concilij venari.

Supponendum prætereà eſt Concilium non conſti- 11
ſtituere de nouo ſedes Patriarchales, immò neque illis nouos limites & cancellos circumſcribere, ſed antiquum morem, & conſuetudinem ſeruari vellet, ne quis Patriarcha alterius prouincias inuadat. Cui decreto dederunt occaſionem Meletiani Schiſmatici: Meletius enim Lycopolitanus in Ægypto Epiſcopus cum multis criminibus etiam idololatriæ, conuictus in communi Epiſcoporum Synodo, à Petro Alexandrino Epiſcopo depoſitus eſſet, ſchiſma in illum conflauit, multis in illum & alios Epiſcopos conuitiis iactatis, vt narrat Athanaſ. in Apologia II. cui potiùs adhibenda fides eſt, quàm Epiphanio *Hære.* 68. qui ab aliquo Meletiano perſuaſus ſcripſit hoc Schiſma conflatum eſſe in carcere, in quo Meletius vna cum ipſo Petro detinebatur Alexandriæ, cùm lapſis reſtituendam eſſe communionem ante pacem redditam Eccleſiæ negaret Meletius & maxima confeſſorũ pars: contrarium verò Petrus contenderet. Verum Athanaſio conſentit Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Petri Alexandrini, vbi narrat Meletium fidem negaſſe, Idolis ſacrificaſſe, cum Maximino Imperatore perſecutionem aduerſus fideles excitaſſe, ipſumque Petrum ad fugam & latebras compuliſſe, neque tantum excuſſit obedientiam ſuo Patriarchæ debitam; ſed etiam,vt ait Theodoret,exercuit tyrannidem contra primatum Alexandrinum, & (vt ait Gelaſius Cizycenus) prærogatiuam ſedis Alexandrinæ, atque ex Athanaſio, vt ambitione rebus præſideret, vicinæ Thebaidis Prouincias, & ius in illas Patriarchicum inuaſit, nouumque ſe in illis Patriarcham exhibuit, & vt ſuam factionem firmaret,fœdus iniit cum Arianis. Huius ferociæ, & petulantiæ, (vti loquitur, Concil. Nicen. *in Epiſtola Synodica ad Alexandrinos*) illum detulit ad Concilium Alexander Patriarcha; Concilium verò vt his turbis remedium adhiberet, rem ita compoſuit, vt Meletius nomen Epiſcopi in propria Eccleſia dumtaxat retineret, omnibus verò muneribus Epiſcopalibus abſtineret, ab illo ordinati ita quidem in officio permanerent, vt ſanctiore ordinatione confirmarentur, & inferiores eſſent omnibus ab Alexandro ordinatis, quod ſuum decretum Concilium Epiſtola Synodica ad Alexandrinos, quam integram refert Theodoret. *lib. 1. c. 9.* & Socrat. *lib. 1. cap. 6.* vbi audaciam & petulantiam hominis depingit. Quamvis autem huic iudicio Synodi viſi fuerint acquieuiſſe Meletiani; nihilominus ab Euſebianis ſollicitati rursùs Eccleſiam perturbare cœperunt; neque contenta fuit Synodus Meletij ferociam cohibuiſſe, legem tulit *hoc Canone VI.* qua Patriarchæ Alexandrino ſuum in totam Ægyptum, Lybiam & Pentapolim ius ſeruauit, & apud Antiochiam,& cæteras prouincias ſua Eccleſiis integra manere priuilegia ſanciuit; & denique ſtatuunt PP. non poſſe fieri Epiſcopum præter ſui Metropolitani ſententiam. Agitur igitur in illo Canone de ordinationibus Epiſcoporum & de iure Epiſcopi Alexandrini in Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim quod ſuâ temerariâ audaciâ Meletius violarat, atque conflato ſophiſmate ſibi ex parte vſurparat ordinationes impunè tota Ægypto faciens, contra Eccleſiæ Ale-

xandriæ iura; quæ Synodus confirmauit, ſicut & Eccleſiæ Antiochenæ & cæterarum priuilegia maximè circa ordinationes, quas temerè Meletius in Ægypto vſurparat; & cauet ne quis ſimili audaciâ Anthiochiæ & in cæteris prouinciis vſurpet; ideóque declarat & definit non eſſe oportere Epiſcopum qui præter ſententiam ſui Metropolitani fieret Epiſcopus. Non agit igitur de conſtituendis Patriarchis & de aſſignandis eorum prouinciis, ſed ſolùm de ordinationibus & conſtituendis ex antiquo more iuribus Epiſcopi Alexandrini, quæ Meletius inconſultis ordinationibus violarat, quas illi ſeruati æquè atque Antiochenæ, cæterarumque prouinciarum Eccleſiis mandat. Vnde ſequenti Canone VI. edicit vt Æliæ Epiſcopo detur honoris conſequentia, maneat tamen ipſe ſuo Metropolitæ ſubiectus.

12 Vides itaque perſpicuum Canonis ſenſum, neque in eo quidquam legi quo Alexandrinum Patriarcham Romano exæquet, vel quo Ariſtocratiam tripartitam inducat, aut Romani Epiſcopi dignitatem vel iuriſdictionem coërceat, vti contendunt ſchiſmatici, & nouatores, maximè ex verſione, vel potiùs interpretatione Ruffini, quæ quamvis ſatis ſupérque confutata fuerit à nobis *cap. 3. q. vltima §. 13. num. 70.* iterùm excutienda videtur, ne quid dubij remaneat.

13 Difficultas igitur eſt ex illis verbis Canonis, *Antiqua conſuetudo ſeruetur per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim, ita vt Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quia & vrbis Romæ parilis mos eſt.* Quibus poſtremis verbis videtur Romanus Epiſcopus Alexandrino comparari, & ſimilem, vel æqualem in ſubiectis ſibi prouinciis nanciſci poteſtatem; ſed, vt nihil dicam de variis huiuſce Canonis editionibus, quæ manifeſtò primatum Romanum exhibent §. 13. citato allatis, atque vt vulgatam lectionem retineamus.

14 Obſerua Romanum Pontificem duobus ſiue muneribus, ſiue dignitatibus præditum eſſe; nempè Patriarchæ totius Occidentis, & prætereà capitis ac Paſtoris vniuerſalis Eccleſiæ, atque adeò duplici iuriſdictione donatum, immediata quidem & proxima in omnes ſui Patriarchatus Eccleſias, ſicut cæteri Patriarchæ in prouincias & diœceſes ſibi ſubiectas, quarum cura illis quoque impendebat, vt conſtat ex iure Patriarchico, de quo fuſiùs *tom.* 3. vbi de Hierarchia Eccleſiaſtica. Ratione verò Capitis habet Romanus Pontifex iuriſdictionem mediatam in vniuerſam Eccleſiam, quæ immediatè regitur ab Epiſcopis, Archiepiſcopis, Metropolitis Primatibus, Exarchis & Patriarchis, à quibus tamen omnibus prouocatur ad Pontificem, qui illorum omnium caput, Coriphæus, Princeps, Iudex & Paſtor eſt, vti fuſiùs *cap. 3. tota quæſtione vltima per plures §. §.* luculenter euicimus ita vt de ea Pontificia dignitate, nihil ampliùs dubij nobis ſupereſſe poſſit & ipſemet Canon. VI. quem verſamus allegatus à Paſchaſino legato Pontificio in Concilio Chalcedon. *Act. XVI.* eiuſmodi Primatum luculenter adſtruit. De Patriarchatu verò Romani Pontificis in totum Occidentem non ſinunt veteres PP. dubitare; Baſili. *epiſt.* 10. Coriphæum Occidentalium vocat; Hiero. *Epiſt. 77. ad Marcum Presbyter. Celed.* damnari ſe dicit cum Occidente hæreſeos, hoc eſt, cum Damaſo, & cum Ægypto, id eſt, Petro qui nimirum Alexandriæ præerat ab ipſo Damaſo in ſedem ſuam reſtitutus ex Socrate *lib. 4. hiſt. c. 37.* Ipſi denique ſchiſmatici hunc Patriarchatum Occidentis in Romano Epiſcopo agnoſcunt, Nilus Theſſalonic. *lib. de primatu Papæ*, idem in eundem Canonem tradit Zonaras & *in canon. V. Concilij* Sardicenſis & *in comm. Canonis VI. Nicæni*, faceturque Romanum Patriarchatum amplexum eſſe, non omnes modò Imperij Occidentalis prouincias, ſed etiam Imperij Orientalis, quæ erant Occidentales nimirum Macedoniam, Illyricum Helladam Peloponeſum, & quæ poſtmodum tributæ ſunt ſedi Conſtantinopolitanæ, erant quidem omnes iſtæ prouinciæ Imperij Orientalis, ſed dicebantur ipſæ Occidentales, atque ad Patriarchatum Occidentalem pertinebant, quia quondam fuerant Imperij Occidentalis, & Romani, antequam Imperium Aſiæ à Seleucidis aliiſque principibus Ægypti vicinis auulsũ Romano vnitum fuiſſet, & quale diuiſum fuerat ab Antonino, & Geba, qui Romanum orbem partiti ſunt, & Baſphorum vtriuſque Imperij limitem conſtituerunt, quale denique manſit Imperatoribus Occidentalibus, dum Conſtantini hæredes totum & immenſum Imperium ſecuerunt, & inter vtramque partem montem Thuſcis vti diximus ὄρος τὸ λεγόμενον τισουκις *q. ſuperiori ex Socrat. lib. 2. Hiſt.* Totum (inquam) eiuſmodi Imperium Occidentale ſubeſſe Patriarchatui Romano, & Occidentali, ideóque Athanaſ. Apolog. ad Conſtant. numerat Eremium Epiſcopum Theſſalonicenſem inter Epiſcopos Occidentales, & Socrat. *lib. 2. hiſt. cap.* 16. ait Paulum Conſtantinopolitanum ab Imperio Orientis relegatum fuiſſe Theſſalonicam. Denique cum ad augendum Imperium Orientale vndecim prouinciæ Illyrici Orientalis, additæ ſunt nouem antiquis, quibus præfectura prætoria Occidentalis conſtabat, manſerunt tamen ſub Patriarchatu Romano quamvis factæ eſſent non exigua portio Imperij Orientalis, & dictæ ſunt prouinciæ Occidentales eiuſdem Imperij, vt diſtinguerentur ab aliis prouinciis quæ fuerant ſub præfecto prætorio Orientis, neque, vt dicemus, lex Theodoſij Iunioris *omni innouatione ceſſante*, quæ tribuit Epiſcopo Conſtantinopolitano Thraciam, Aſiam minorem, & Pontum ac proinde eas auellit à Patriarchatu Romano, quidquam officit: nullum enim ipſa ſortita eſt effectum vti conſtabit inferiùs.

In Epiſcopo igitur Romano agnoſcenda eſt duplex dignitas & iuriſdictio, nimirum Patriarchæ per totum Occidentem, & Capitis vniuerſalis Eccleſiæ, neque hæ dignitates confunduntur à Patribus, ſed paſſim diſtinguntur: itaque comparatur quidem Romanus Epiſcopus cum Alexandrino & Antiocheno in ratione Patriarchatus: ſinguli enim illi eadem in ſuo Patriarchatu quiſque poterant, quod Romanus in ſuo, & Alexandria & Antiochia erant Ciuitates Metropolitanæ, & Dominæ ſuarum Regionum, vt Roma, & ſubiectarum ſibi Ciuitatum Orientalium, quia nihilominus Roma erat caput totius Imperij, cæteris omnibus dominabatur, ita quoad Eccleſiaſticam Hierarchiam, cuius caput eſt, cæteris illis Patriarchis imperabat, cum in illa Petrus cõſtituerit ſuum thronum vltimũ & abſolutum cui reliquæ ſedes Patriarchæ ſubiectæ ſint: inde enim Petri ſedem & cathedram radicem & originem vnitatis Eccleſiæ, Cathedræ, atque Epiſcopatus dixit Cyprianus, vti ſæpiùs retulimus.

Vnitas ſiquidem Chriſtiana non pendet ex vnitate 15
principatuum & Regnorum neque ex diuiſis illis omnibus diuiditur, inquit Auguſt. *lib. de vnitate Eccleſ. cap.* 12. cùm in qualibet orbis portione, vnitas Catholica perſeueret, nam qui ſub firmo Barbarorum Rege in Africa Mæmia Saracenorum, Choſroë Perſarum, Aragonis principibus Damaſci, & in vicinis prouinciis degebant Catholici, communionem & Eccleſiaſticam vnitatem retinebant: hæc eſt tunica inconſutilis & contexta per totum, quæ ſcindi nequit vt veſtimentum Achiæ, quod in duodecim partes diſciſſum eſt vt, eleganter explicat Cyprian. *lib. de vnitat.*

Quia

Quia, inquit, *Chriſti populus non poteſt ſcindi, tunica eius per totum textilis, & cohærens, diuiſa à poſſidentibus non eſt, indiuidua, copulata, connexa oſtendit populi noſtri, qui Chriſtum induimus concordiam cohærentem, Sacramento vnitatis, & ſigno declarauit Eccleſiæ vnitatem.* Itaque Chriſoſtomus *in* 1. *ad Cor. cap.* 1. *hom.* 1. τὸ ὑπὲρ τῆς ἐκκλησίας ὄνομα οὐ χωρισμοῦ ἀλλὰ ἑνώσεως, καὶ συμφωνίας ἐστὶν ὄνομα. Dicitur columba vna *Cantic.* 6. & Dauid *Pſal.* 121. Hieruſalem ædificatur cuius participatio eius in idipſum. Paul. *ad Epheſ.* 4. *Vnum corpus, vnus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtræ.* Vide plura apud Auguſtin. *in Pſal.* 101. Quia verò vnitas nec eſſe nec fingit poteſt inter res diuerſas niſi ſingulæ ad vnum reducantur, idcircò Eccleſiæ vnitatem, quæ tam diuerſas perſonas, mores, ingenia, loca, ætates aliaque plurimùm inter ſe diſcrepantia comprehendit, ſapienter Cyprian. *lib.* 1. ad vnum Petrum Paſtorem, & fundamentum Eccleſiæ eiuſque Cathedram reuocat: licet enim Chriſtus poſt reſurrectionem omnibus poteſtatem parem Apoſtolis tribuat: *tamen vt vnitatem manifeſtaret, vnam Cathedram conſtituit, & vnitatis eiuſdem originem ab vna incipientem ſuâ auctoritate diſpoſuit. Hoc erant vtique, & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi honoris, & poteſtatis, ſed exordium ab vnitate proficiſcatur. Primatus Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia & Cathedra vna monſtretur, & Paſtores ſunt omnes, ſed vnus grex oſtenditur, qui ab Apoſtolis omnibus vnanimi conſenſione paſcatur.* Addit & alia eam in rem quamplurima, quæ ſuo loco retulimus.

16 Atque vt neceſſaria illa totius Eccleſiæ cum ſuo capite atque Petro eiuſque Cathedra conſenſio, & cohærentia perpetuò retineretur, Petrus ita conſtituit Eccleſiaſticam Hierarchiam, & politicam, vt præcipuas Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ ſedes, in maioribus Politicæ Laicæ vrbibus collocaret, atque ita faciens inferiores vrbes, ac ciuitates Superioribus ſubiicerentur, & ciuitates quæ in ratione politica cæteris eminebant, in ſacra quoque iuriſdictione præſtarent. Quod totum eleganter & eruditè exponit Cardinal Perron. *cap.* 3. *reſponſ. ad Regem Britann.* Ea porrò ætate Alexandri, ſucceſſorumque eius Monarchia extincta, & Imperio Orientali Romanorum armis & victoriis ſubacto, & in vnam Monarchiam coniuncto, tres eminebant præcipuæ & Metropolitanæ ciuitates, quæ in toto illo immenſo Imperij orbe principatum ſibi vindicabant, Alexandria quæ Dioni Chryſoſtom. *orat.* 32. dicitur ſecunda ſub ſole ciuitas, δευτέρα ὑπὸ τὸν ἥλιον, quæ Imperij Ægyptiaci caput erat, & deinceps præfecturæ Ægyptiaci ſedes. Antiochia Ioſepho *lib.* 3. *de bello Iudaic. cap.* 3. Orbis Romani tertia ciuitas, τρίτον ἀδηρίτως ἐπὶ τῆς ὑπὸ ῥωμαίοις, οἰκουμένης ἔχουσα τόπον. S. Chryſoſt. *hom.* 3. *ad pop. Antioch.* caput & matrem vrbiũ Orientis dixit, τῶν ὑπὸ τὴν ἕω κειμένων κεφαλὴ καὶ μήτηρ. Itaque Imperij Orientalis princeps erat ſiue Orientis Aſiatici, & in præfecturam Syriæ, & prouinciarum Orientalium deinceps à Romanis mutata fuit: tertia denique ciuitas Roma erat caput Imperij Occidentalis. Quare Iudæi Romam vocabant Imperium Edom: quia Idumæa quæ ſita erat ad Occidentalem Iudææ Meridionalis, & Titum Idumæum nominarunt. Vnde ineptientes Rabini ipſum gente Idumæum dixerunt, & Chaldæus *Hier.* 4. *v.* 22. illud Hieremiæ, Viſitabit te filia Edom, reddit, *Viſitabo te Roma impia.* Cum enim diuiſo Alexandri Imperio duo quædam conſtituta fuiſſent, nimirùm Ægyptiacum quod Ptolemæi lagi poſteri diutiùs tenuerunt, & Aſiaticum, quod Seleucidæ obtinuerunt: Seleucus ſiquidem, vt Hieronym. & Euſeb. affirmant in Chronico, deuicto Demetrio Aſiæ Rege, ex Syriæ & Aſiæ regnis vnum conflauit, cuius caput & Metropolis fuit Antiochia, ſed tandem his duobus Ægypti & Aſiæ regnis à Romanis occupatis, & in vnum collectis tres, vt iam monui, vrbes in vniuerſo Romano extiterunt, quarum duæ erant ſubalternæ. Tertia illis omnibus ſupereminens, Alexandria nimirùm Princeps Imperij Meridionalis, & Ægypti: Antiochia Imperij Orientis, ſiue Aſiatici. Tertia Romæ Imperij quidem Occidentalis Princeps, cæterarum tamen prætereà caput, ſicut & regnorum, quibus illæ præerant. Ad eius politicæ ciuilis æmulationem ſanctus Petrus Eccleſiaſticam conſtituit: & primò quidem ſedem ſuam Antiochiæ Orientis capite conſtituit, eamque per ſeptem ann. tenuit ſiue in ea remanſerit, ſiue in vicinas regiones peregrinatus ſit, habuitque poſt ſuam ex illa migrationem, plures ſui ſucceſſores, in tota Aſia Orientali, ſiue in Oriente Aſiatico. Quare Conc. Chalcedon. *Act. VII.* thronum Petri vocat magnam ciuitatem Antiochenam, τὸν μὲν θρόνον τῆς Ἀντιοχέων μεγαλοπόλεως τὸν τοῦ ἁγίου Πέτρου, atque inde in eius laudes effuſus Chriſ. *Homil. in beat. Ignat.* πόλις ἦν τῆς πόλεως ταύτης τῷ θεῷ λόγος ὡς καὶ διὰ τῶν ἔργων αὐτῶν ἐδήλωσε τὸν γοῦν τῆς οἰκουμένης ἐπιστάσιν ἁπάσης πέτρον ᾧ τὰς κλεῖς ἐνεχείρισε τῶν οὐρανῶν, ᾧ πάντα ἄγειν καὶ φέρειν ἐπέτρεψε, πολὺν ἐνταῦθα χρόνον ἐνδιατρῖψαι ἐκέλευσεν. Vbi deindè aduertit fidem magnis incrementis vndique propagari, & Eccleſiæ vineam extendere ramos vſque ad mare. Peragratis Ponto, Galatia, Cappadocia, Bithynia, Aſia, ſedem ſuam Romam non Occidentis dumtaxat, ſed ex vniuerſi Imperij ac orbis Romani caput tranſtulit anno ſecundo Claudij imperatoris, vt affirmant Hieronym. *in Galat.* Leo de ſanctis Apoſtolis ſerm. & alij veteres paſſim, cum tamen reſtaret adhuc Alexandria imperij Ægyptiaci Metropolis, quæ plurimùm augendæ fidei ſua dignitate, & iuriſdictione prodeſſe poſſet, ad eam amantiſſimum Diſcipulum Marcum tanquam ſuum vicarium deſtinauit, ibique ſedem figere voluit vt vbique in tribus illis Orbis Romani ciuitatibus, eadem Petri fides vigeret, quam vel ipſemet Antiochiæ & Romæ vel per ſuum diſcipulum, & alterum ſeipſum docuiſſet. Quare Eccleſiam Alexandrinam, tanquam & Apoſtolicam & Romanæ fidei participem, & antiquarum regularum, ac traditionum cuſtodem commendant PP. vnde Athanaſ. Apolog. II. καὶ οὐχ αἱ τυχοῦσαι ἐκκλησίαι, αἳ πάσχουσαι ἀλλ' ἃς αὐτοὶ οἱ ἀπόστολοι δι' ἑαυτῶν καθηγήσαντο, ab Apoſtolis igitur conſtitutam Alexandrinam Eccleſiam dixit Athanaſ. Hieron. *Epiſt.* 68. *ad Theophil.* & *Epiſt.* 78. ad Pamelium, & Marcell. Leo. *Epiſt.* 79. ad Dioſcor. Hinc ortæ porrò ſunt tres primariæ illæ orbis Patriarchalis Eccleſiæ, quæ tribus præcipuis vrbibus Imperij, quod ex illarum coniunctione conflatum erat, reſpondebant; & ſicut ſingulæ illæ ciuitates præcipuæ erant & ſuarum regionum ac diuiſorum quorumdam Imperiorum principes ac capita, in eaque dignitate ſeorſim, reſpectu ſuorum imperiorum ſpectatæ æquales Iuriſdictione eſſent; vna tamen ex illis, quia non modò proprij Regni Principatum antiquum retinebat, ſed & totius Imperij reliqui caput euaſerat, cæteris & eminebat & imperabat, & quamvis Alexandria idem eſſet in Ægypto & toto illius regni tractatu, quod Roma in Occidente, & Antiochia in Oriente; nihilominus quia noui Imperij ex tribus antiquis coaleſcentis ſedes erat Roma, cæteris omnibus, Alexandriæ & Antiochiæ nimirùm dominabatur, in iis maximè quæ ad vniuerſi orbis Romani regimen ſpectabant; & ad illam ab omnibus aliis prouocabatur, tanquam ad omnium

omnium caput, & Principem. Pari ratione trium iſtarum Principum, & Metropolium Imperij ſedes Eccleſiaſticæ & Patriarchales æquales erant dignitate & iuriſdictione in ſibi ſubiectas Eccleſias ſiue Patriarchatus & regionis attributa, & in iis quæ ad ſolum Patriarchæ munus ſpectabant. Quia verò ex illis Eccleſiis, & ſedibus vna præter Patriarcharûs dignitatem caput totius Eccleſiæ ſiue Imperij Eccleſiaſtici erat (neque enim ea capitis dignitas pugnat cum Patriarchatu aut Epiſcopatu particulari) ea ex cauſa cæteris Eccleſiis & Patriarchis anteibat & præerat. Quare illam caput omnium Eccleſiarum nominant Concil. Sardicenſ. *Ep. ad Iulium in fragmentis ad Hilari.* Concil. Chalcedon. *Epiſt. ad Leonem*, Iuſtinian. *tit.* 1. *c.* 7. *l.* 7. Gregor. *lib.* 2. *Regiſtri Ep.* 54. Pontificem autem Romanum dicit Valantin. *Nou.* 24. rectorem vniuerſitatis Eccleſiæ, Concil. Chalcedon. *Ep. ad Leonem*, cui à Chriſto credita eſt vnica cuſtodia, κατ' αὐτὺ τὴν ἀμπέλου φυλακὴν παρὰ τῦ σωτῆρος ἐπιτετραμμένυ Conc. VI. *Act.* 18. πρωτοθρόνῳ σοὶ τῆς οἰκουμενικῆς ἐκκλησίας, *& in acclamat. ad Impe.* τῆς πρεσβυτέρας ῥώμης καὶ ἀποςολικῆς ἀκροπόλεως ἀρχιερατικώτατος πρόεδρος, & κορυφαιότατος πάπα & *ibid.* Conſtant. Pogonat. *in Epiſt. ad Synod. Apoſt.* ταξιάρχῃ, τῷ ἱεράρχῃ καὶ οἰκυμενικῷ πατριάρχῃ & οἰκυμενικῷ ἀρχιποίμενι, *ibid.* vocat Conſtantin. aliorum Patriarcharum ſedes Synthronos Papæ, τῆς ὑμετέρας μακαριότητος, τῶν τε συνθρόνων αὐτῇ μετ' αὐτὴν ἁγιωτάτων πατριάρχων.

17 Ex his etiam intelliges cur Gregor. *lib.* 7. *Ep.* 36. dicat tres Petri ſedes vnam ſolam eſſe in tribus locis; *Cum multi ſint Apoſtoli, pro ipſo tamen principatu ſola Apoſtolorum Principis ſedes in auctoritate conualuit, quæ in tribus locis vnius eſt, ipſe enim ſublimauit ſedem, in qua etiam quieſcere, & præſidendo vitam finire dignatus eſt. Ipſe decorauit ſedem, in qua Euangeliſtam diſcipulum miſit. Ipſe firmauit ſedem, in qua ſeptem annis, quamuis diſceſſurus, ſedit. Cum ergo vnius, atque vna ſit ſedes cui ex auctoritate diuini tres nunc Epiſcopi præſident, quidquid ego de vobis boni audio, hoc mihi imputo: ſi quid de me boni creditis, hoc veſtris meritis imputate.* Vnam igitur ſedem & vnius conflauit Alexandrina, Antiochena, Romana, quia omnes à Petro fundatæ, & ipſe illas omnes & regit, & regere debeat. Quam vnitatem ex Leone, eodem Gregorio, & aliis fuſiùs explicat Hincmar. *Opuſ. l.* 5. *capitul. cap.* 16. Ex quibus vides non modò æqualitatem, ſed & quandam vnitatem inter illas principes Cathedras & ſedes agnouiſſe PP. ſine damno tamen eximij iuris & prærogatiuæ Romanæ ſedis, quæ aliarum ita conſors eſt, vt ſimul ſit & princeps & caput.

18 Et ſanè, cum S. Petrus politiam & iuriſdictionem ſpiritualem ordinare atque diſponere vellet ſecundum ordinem in politia ciuili conſtitutum, vt faciliùs commodiuſque ſeſe mutuò iuuarent iſtæ politiæ, & homines vtrique libentiùs aſſueſcerent, rationi congruum admodùm fuit vt qua ratione Roma cum duorum aliorum Imperiorum, Ægyptiaci, & Aſiatici Metropolibus, Alexandria nimirùm & Antiochia comparabatur, cum hæ tres ſingulorum Imperiorum capita fuiſſent, vnaque ex illis prætereà totius, vniuerſique Imperij ex tribus coaleſcentis princeps & domina. Ita etiam in Hierarchia ſpirituali Romanus Patriarcha aliis duobus, Alexandrino nimirùm, & Antiocheno compareretur & æqualem quidem cum ipſis in ſui Patriarchatus ditione poteſtatem & iuriſdictionem haberet, quâ tamen dignitatem capitis vniuerſalis & Paſtoris totius Chriſti gregis ab ipſomet Chriſto accepiſſet, toti Eccleſiæ atque adeò cæteris Patriarchis præſideret, atque, vt aiebat Leo, Roma latiùs imperaret religione, quàm victoriis bello partis, & maior ampliorque foret illius iuriſdictio ſpiritualis, quàm fuiſſet ciuilis, eaque ſine dubio cauſa mouerat Petrum collocare ſupremam Cathedram, ſummamque iuriſdictionem, & totius Chriſtianæ religionis ea in vrbe, in qua iam ſummus imperij & orbis Romani principatus fuerat collocatus, eumque in finem docent PP. Deum Romanum Imperium tot victoriis illuſtraſſe, vt religioni Chriſtianæ ſedem orbi imperantem præpararet. Et cum Petrus vnitatis Cathedræ, & Epiſcopatus fons, & radix eſſet (vt aiebat Cyprian.) non alibi conueniebat ſuam illam Cathedram, thronum, & Epiſcopatum conſtituere, ex quo continua ſucceſſione ad finem vſque mundi procederent principes & ſummi Eccleſiæ ac gregis Chriſti Paſtores, vbi principalis thronus iuriſdictionis, & ſummæ auctoritatis humanæ ac ciuilis ſtabilitus iam erat. Quare ſapientiſſimus piiſſimuſque Theodoſ. *Nouell.* 24. Petri ſummam dignitatem & Romanæ ciuitatis nobilitatem ad aſtruendum illius primatum affert, quibus adiungit Synodorum iudicium, cum omnes nimirùm Synodi illum agnouerunt, & palam veneratæ ſunt, nunquam tamen ſe illi ipſum contuliſſe etiam Schiſmaticæ dicere auſæ ſunt, *Cum igitur*, inquit Theodoſius, *ſedis Apoſtolicæ primatum ſancti Petri meritum, qui princeps eſt Epiſcopalis corona & Romanæ ciuitatis dignitas, ſacra etiam Synodi firmarit auctoritas, ne quid præter auctoritatem ſedis illius inlicitum præſumptio adtentare nitatur, tunc enim demùm Eccleſiarum pax vbique ſeruabitur, ſi rectorem ſuum agnoſcat vniuerſitas.*

Ex hac porrò comparatione Romanæ iuriſdictionis politicæ, & ſpiritualis, ex Petri inſtitutione, ſe- 19
quetur aliud à Perronio Cardinali *cap.* 30. *&* 32. diligenter obſeruatum inter Romanam præfecturam eiuſque iuriſdictionem, & alias imperij præfecturas illud fuiſſe diſcrimen, vt non modò Imperator Romanæ Reipub. princeps & caput cæteris omnium aliarum ciuitatum Præfectis, Præſidibus, & Magiſtratibus imperaret; ſed etiam ipſe præfectus vrbi Romæ id ipſum poterat: duplicem ſiquidem ille iuriſdictionem habebat, vnam ordinariam certis prouinciis circumſcriptam, quæ eius tribunal ordinarium primùm adibant tanquam ad primoris cognitionis & diſceptationis iudicem, alteram tanquam Senator, & Vicarius Imperatoris, quâ ratione de omnibus Imperij & orbis Romani finibus cauſas per modum prouocationis & appellationis cognoſcebat, facta illi ab Auguſto & aliis principibus poteſtate, dum primùm dignitatem illam præfecturæ vrbicæ conſtituerunt, quod obſeruat Guido Pancirol *in notitiam Imper. Occid. cap.* 4. Dio Caſſius *lib.* 5. πολίαρχον & τάς τε παρὰ πάντων, ὧν εἶπον ἀρχόντων ἐφεσίμους τε καὶ ἀναπομπίμους κρίνῃ. Statius *lib.* 1. Sylueſt. de præfecto vrbi Imperante Domitiano:

Inque ſinum quæ ſæpe tuum fora turbida queſtu
Confugiunt, legeſque, vrbeſque vbicumque togatæ
Quæ tua longinquis implorant iura querelis.

Idem conſtat ex Epiſt. Senatus ad iudices Carthaginenſes, & altera ad iudices item Treuirenſes, Aquileienſes ex relatis à Vopiſco; quin & habemus expreſſam Conſtantini Auguſti Legem *lib.* 11. *Cod. Theod. tit.* 30. *de appellation. lib.* 13. prohibet enim prouocationes à ſententiis inferiorũ iudicum ad ſe referri, ſed ad præfectum vrbi. Sic enim reſcribit ad Iulianum P. V. *Volumus &c. minimè eas ad noſtram referre clementiam, ſed grauitatis tuæ, cui noſtram vicem cõmiſimus, ſacrum auditorium expectari.* Quinam verò forent inferiores iſti iudices, à quibus ad præfectum vrbi appellaretur, docet Gothofred. *in Cõment. huius legis*, fuiſſe eum vtrumque prætorem vrbanum, & peregrinum

ex *lib.* 17. *C. de appellation.* Atque alios Magiſtratus, & tandem concludit ad præfectum ordinario iure appellatum fuiſſe non tanquam ad delegatum extra ordinem in peculiari aliquo negotio; qui præfectus vrbi vt dignitatis ſuæ vicem Principis ſuſtinebat, & ſacra vice cognoſcebat, quod dicitur C. Theoſ. eodem de appellation. *lib.* 11. *lib.* 13. *lib.* 18. *lib.* 44. *lib.* 61. & alibi. Quare Symmach. *l.* 2. *Epiſt.* 30. præfectum vrbi ſacri auditorij cognitorem vocat. Vide eundem *lib.* 10. *Epiſt.* 55. & Gothofredum *ad l.* 11. *citatam.* Sicut igitur præfectus vrbi initio fundati maximi Romani Imperij præter iuriſdictionem, qua pollebat in ſui territorij prouincias; quia tamen ſimul Imperij Vicarius & Princeps Senatus erat, cognoſcebat de omnibus triplicis quondam Imperij in vnum tunc conflati cauſis, per prouocationem ad ſe delatis. Non aliter Romanus Pontifex præter iuriſdictionem, quam vt Patriarcha Occidentis in totum huiuſmodi Patriarchatum gerebat, tamen vt Petri ſucceſſor & ſolus vniuerſalis Chriſti Vicarius, in omnes orbis Chriſtiani Prouincias poteſtatem & habuit & exercuit, vt frequenter monemus ex Patribus, Irenex. *lib.* 3. *cap.* 3. in ea fide præcipuam, & potentem principalitatem, ad quam oportet omnem Eccleſiam conuenire, agnouit. Cyprian. *Epiſt.* 55. *ad Cornelium Papam.* Cathedram Petri, Eccleſiam Principalem, originem vnitatis Sacerdotalis, Athanaſ. *Ep. ad vitam ſolitar. agent.* μητρόπολιν τῆς ῥωμανίας id eſt Romani Imperij Nazianzen. *in carm. de vita ſua* πρόεδρον τῶν ὅλων. Auguſt. *Epiſt.* 162. in qua floruit principalitas ſedis Apoſtolicæ, Proſper eruditiſſimus ſui ſæculi, Ioſepho Scaligero *lib.* 2. *de vocat. Gent. cap.* 6. idem quod Auguſtin. affirmat & lib. de ingratis,

> *Sedes Roma Petri, qua Paſtoralis honoris*
> *Facta caput mundo, quidquid non poſſidet armis*
> *Religione tenet.*

20 His paulò fuſiùs elucidatis venio ad Canonem Nicænum & dico illum non comparare Patriarchas Alexandrinum & Antiochenum cum Romano niſi in ratione Patriarchatûs, non verò in ratione capitis & Paſtoris vniuerſalis, quod iamdiu moneo, & alios Patriarchas ad exemplum Romani ſe gerere voluit in ſua Patriarchali iuriſdictione & dignitate. Cum itaque agebatur de celebratione Synodorum Prouincialium, aut nationalium, vel diœceſalium, de Sacerdotum vel Diaconorum moribus corrigendis, de confirmatione mediata vel immediata Epiſcoporum Patriarchatus, de iudiciis ſubalternis etiam Epiſcoporum examinandis, & eiuſmodi aliis; Patriarcha Alexandrinus & Antiochenus ea omnia poſſent præſtare adinſtar Romani Patriarchæ Occidentis. Vt tamen de iis quæ poteſtatis Patriarchalis limites excederent, hoc eſt, de cauſis maioribus, quæ vniuerſam Eccleſiam ſpectabant, quales ſunt iudicia definitiua in controuerſiis fidei & Hæreſeon damnationibus, mores & politia vniuerſalis Eccleſiæ, exauctorationes vltimæ Epiſcoporum, atque adeò Patriarcharum iudicia & damnationes, hæc & cætera ſimilia ad Romanum Pontificem tamquam ad caput Eccleſiæ cæterorumq; Patriarcharum pertinebant; ille enim vnus de illorum iudiciis, atque adeò perſonis perpetuò iudicauit. Quare dum Nicænum Concilium in Canone illo VI. iubet ſeruari antiquam conſuetudinem qua Alexandrinus habet poteſtatem in Ægyptum, Pentapolim, & Lybiam, non loquitur niſi de iis, de quibus tunc agebatur aduerſus Meletianos, qui huius Patriarchæ auctoritatem detrectabant; *Quia*, inquit, *Epiſcopo Romano parilis mos eſt*, in ſuo nimirum Patriarchatu. Neque ſanè vult Concilium Alexandrinum Epiſcopum cum Romano comparare in omnibus quæ ad totam & vniuerſam eius auctoritatem pertinerent, & in iis quæ Patriarchalem poteſtatem ac iuriſdictionem excedunt: alioquin faceret in Eccleſia tria ſumma capita, quæ ſingula, ſi in vniuerſam Eccleſiam idem poſſent, haberemus Eccleſiam tricipitem & monſtroſam, ac, quod indè neceſſario ſequitur, motam omnium rerum perturbationem. Si verò tria illa ſuprema capita ſuas certas prouincias definitas haberent, non modo Ariſtocratiam facerent, ſed tria imperia Eccleſiaſtica ſiue tres diſtinctas Eccleſ. Dicendum igitur Patriarchas iſtos cum Romano cōponi circa poteſtatem Patriarchalem, quam exerceri ab illis volebat Concilium inſtar Romani Pontificis in ſuo Patriarchatu, & in Occidente, cum præfectorum in variis prouinciis Imperij adinſtar præfecti vrbi regulabantur, non conferebatur idcircò illis omnis ea iuriſdictio, qua pollebat Præfectus vrbi; idcircò in cauſarum prouocationibus conſtituebantur, iudex & imperij Vicarius; neque æquabantur præfecto vrbi, imminuta illius maieſtate. Quoties etiam Concilia iubent Epiſcopos ſuas Parochias regere ad exemplum Archiepiſcoporum, aut ſinguli turmarum militarium duces illas inſtar totius cohortis aut legionis ductoris, non idcircò Epiſcopi Archiepiſcopis neque ſinguli præfecti Legionis Imperatori æquiparantur, neque quidquam aut Archiepiſcopis, aut ſummis Legionum ductoribus detrahitur, ſeruantque ſibi Archiepiſcopi iuriſdictionem in Epiſcopos, & Legionis præfectus ſingularum turmarum præfectis ſemper imperat. Quamvis igitur Concilium Nicænum velit Alexandrinum & Antiochenum Epiſcopum gerere ſe in ſuo Patriarchatu & in omnibus, quæ ad illam illuſtrem dignitatem pertinent, ſicut eſt mos Romano Epiſcopo, ſeſe gerere in ſuo item Patriarchatu & in toto videlicet Occidente, & adinſtar illius munus exercere, non propterea, vti iam monui, æquiparantur in omnibus, neque de dignitate Romani Pontificis, quatenus non modo exiſtit Patriarcha Occidentis, ſed etiam Eccleſiæ caput, & cæteris Patriarchis multò ſuperior eſt: neque alia de cauſa ipſum in exemplum & formam huiuſce regiminis adhibet illum Concilium, quia cum ſit Paſtor Chriſti, eſt (vt ait Petrus) etiam forma Gregis & Paſtorum.

Denique Canon iſte VI. nihil noui conſtituit, ſed morem antiquum ab Alexandrino & Antiocheno ſeruari circa ſuam poteſtatem iubet, atque aliis etiam Eccleſiis ſua priuilegia manere, quia hic etiam mos antiquus & conſuetudo ſeruatur ab Epiſcopo Romano. Atqui & ante & poſt Concilium iſtud Romanus Epiſcopus poteſtatem in vniuerſam Eccleſiam & cæteros Patriarchas habuit & exercuit. Ipſi igitur à Concilio nihil poteſtatis conceſſum, nihil demptum fuit, quod tamen fatendum erit ſi duos alios Patriarchas ipſi æquauit, etſi eius auctoritatem exiguis tantùm cancellis coërcuit, Occidente nimirùm aut etiam multo anguſtioribus limitibus, Eccleſiis ſuburbicariis, ex inepta & falſa interpretatione Ruffini, de qua mox, eandem poteſtatem plurimum imminuit conſequentia iſta veriſſima eſt, ſi enim Pontifex poſt hunc editum Canonem eandem exercuit poteſtatem in ipſoſmet Patriarchas, quam prius habebat, eamque ſupremam; nihil ſanè illi à Concilio detractum dici poteſt; atqui eiuſdem omninò poteſtatis Pontificiam auctoritatem ante & poſt Concilium Nicænum demonſtrare non eſt operoſum, cùm ita paſſim & vbique fateantur Patres, & annales Eccleſiaſtici loquantur. 21

Nam Alexandrini ſuum Epiſcopum Dionyſium Romam profecti, apud ipſi cognominem Dionyſium accuſarunt, 22

accuſarunt. Vnde Athanaſ. de ſentent. Dionyſ. ἀνῆλθον πρὸς τὴν ῥώμην καὶ κατηγορήκασιν αὐτοῦ παρὰ τῷ ὁμονόμῳ αὐτοῦ Διονυσίῳ τῷ ἐπισκόπῳ Ῥώμης, cur amabo Alexandrini non detulerunt ſuum ad Synodum Prouinciæ eiuſque iudicem, ſed ad Epiſcopum Romanum, qui vt eo loco refert Athanaſ. ad Alexandrinum ſcripſit, vt obiecta dilueret quod miſſa ſua defenſione, & apologia, tum ad Romanum Pontificem tum ad Synodum Romanam, calumniam ſibi impactam expunxit.

Paulus Samoſatenus à Synodo Antiochena ex Ponto, Cappadocia, Syria, Cicilia, Lycaonia, Arabia, Palæſtina, & aliis Orientis Prouinciis coacta exauctoratus ſede Antiochena, Domno in eius locum omnium voce ſuffecto, cum ſede abire nollet ad Aurelianum Imperatorem delatæ ſunt querelæ, qui *conuenientiſſimè*, inquit Euſeb. *lib.* 7. *Hiſt. cap.* 30. iuſſit tradi Baſilicam & ſedem reſtitui iis, qui ab Italię, & Romanis Epiſcopis adiudicarentur αἰσιώτατα περὶ τοῦ πρακτέου διείληφε τούτοις νεῖμαι προστάττων τὸν οἶκον, οἷς ἂν οἱ κατὰ τὴν Ἰταλίαν καὶ τὴν ῥωμαίων πόλιν ἐπίσκοποι τοῦ δόγματος ἐπιστέλλοιεν. Hæc Aureliani ſententia moribus & legibus Eccleſiaſticis conſentanea fuit, inquit Euſeb. quia nempè poterat Romana Synodus de rebus Orientalibus decernere, etiam poſt Synodos Orientales, eaſque numero ſuperiores. Itaque Aurelianus ethnicus licet, miſit examinandum Paulum ad Epiſcopum Romanum, vt vnà cum ſuis Epiſcopis an iuſtè depoſitus eſſet diligenter expenderet, vt ait ſynopſis Græca Conciliorum in Bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi aſſeruata quod idem affirmauit Zonaras, & Balſamon ſchiſmatici *in Concil. Antiochen.* Cum Euſebius Nicomedienſis aliique Ariani ſcirent depoſitionem Athanaſij in Concilio Antiocheno ipſorum artibus procuratam, nullam & inutilem haberi defectu præſentiæ, conſenſus & auctoritatis Pontificiæ, rogarunt Iulium Romanum miſſa ad eum honorificâ legatione ex Concilio Antiocheno vt huius controuerſiæ iudex fieri vellet & totam illam cauſam apud ſe diſceptandam vocaret, καὶ πρὸς αὐτὸν καλεῖν τὴν δίκην, inquit Socrat. *lib.* 2. *c.* 2. qui tamē malè cum Sozomeno id contigiſſe vult poſt Romanam Athanaſij profectionem, contra ipſiuſmet Iulij, qui eum Romam euocauit, teſtimonium, atque ipſius etiam Athanaſij, qui fusè rem totam deſcribit *in Apologia* & Epiſt. *ad vitam ſolit. agentes*, Theod. *lib.* 2. *Hiſt. cap.* 4. ait Athanaſ. vbi Iulij citationem accepit, Romam ſine mora ſe contuliſſe: ipſe denique Iulius *in* 2. *Apolog. Athanaſ.* vehementer obiurgat Arianos quod in Concilio Antiocheno Romano Pontifice inconſulto, illum damnare non erubuiſſent, atque vt videas Iulium tanquam iudicem egiſſe in cauſa hac, Euſebianos Romæ ſe ſiſtere iuſſit, & Athanaſium iudicio adeſſe ex lege Eccleſiaſtica, τῷ τῆς ἐκκλησίας ἑπόμενος νόμῳ, inquit Theodoret. *lib.* 2. *Hiſt. c.* 4. *citato*, his adde non modò Athanaſium, ſed & Paulum Conſtantinopolitanum, Marcellum Ancyræ in Galatia Primatem, Aſclepan. Gazenſem in Palæſtina, Lucium Andrinopolitanum in Thracia, Romæ accuſatos & abſolutos in ſuas ſedes remiſit Iulius R.P. ex priuilegio, inquit Socrat. *lib.* 2. *cap.* 15. ſuæ Eccleſiæ, ἅτε προνόμια τῆς ἐν ῥώμῃ ἐκκλησίας ἐχούσης, Sozom. autem *lib.* 3. *cap.* 8. reſtituiſſe Iulium ſingulis ſuas Eccleſ. quia ad illū cura omniū ſpectabat, οἷα δὲ τῶν πάντων κηδεμονίας αὐτῷ προσηκούσης διὰ τὴν ἀξίαν τοῦ θρόνου ἑκάστῳ τὴν ἰδίαν ἐκκλησίαν ἀπέδωκε. Vrſacius & Valens Arianorum anteſignani vbi poſt Concilium Sardicenſe, à quo excommunicati fuerant Romam profecti ſunt, & inquit Seuerus Sulpitius *lib.* 2. *Hiſt. ſacræ, coràm poſiti à Iulio Romanæ vrbis Epiſcopo veniam popoſcerunt, quod innoxium condemnaſſent.* Eorundem libellum Iulio Romæ oblatum refert Athanaſ. *Apolog.* 2. Denique cum Conſtantius omni conatu damnationem Athanaſij vrgeret, eámque iam in Concilio trecentorum Epiſcoporum curaſſet, non eſſe tamen firmam exiſtimauit, niſi ſibi conſenſum & auctoritatem Liberij Romani Epiſcopi adiungeret, vt notat Marcell. *lib.* 15. *Tamen auctoritatem qua potiores æterno vrbis Epiſcopi firmari deſiderio nitebatur ardenti.* Macedæmones in Concilio Lampſaceno Aſiæ ad fidem Catholicam redire cupientes delegarunt Euſtathium Sebaſtenum in Armenia, Syluanum, Theophilum, alióſque Epiſcopos ad Liberium R.P. cum libello fidei ab omnibus ſubſcripto, prouocantque accuſatores coram quibuſcunque Epiſcopis Orthodoxis, quos ſuis Litteris Liberius deſignarit, vt cum ipſis de fide contendant, & ipſemet Euthoſius depoſitus à Concilio Melitinenſi in Armenia, vbi litteras, quas à Liberio obtinuerat Concilio Thianæo in Cappadocia exhibuit, ſine mora, ſuo Epiſcopatui fuit reſtitutus, cuius reſtitutionis meminit Baſil. *Ep.* 74. Idemque Baſili. *Epiſt.* 52. ſcribit ad Baſilium, ad abrogandum Concilium Ariminenſe, ſcribendum ſibi videri ad Epiſcopum Romanum, vt rebus Orientalibus inuigilet, & ad id mittat viros probos & intelligentes laboriſque patientes, vt cognita probe acta Ariminenſia ea abroget: queritur quidem alias Baſilius de Occidentalibus, quòd ſibi per litteras communicare nollent, & quæ gererentur reſcire, aut inquirere; eorum tamen ſe non detrectare iudicium, & colloquium & illorum ſe conſolatorias litteras expectare, aliáque in eam rem, *Epiſt.* 77. *ad Occidentales* habet; & *Epiſt.* 10. queritur Occidentales neſciuiſſe, Marcellum aliam Romæ, aliam in Aſia tradidiſſe doctrinam. Ideoque illum primatui Galatiæ minoris reſtituiſſe, quæ cauſa fuerit, cur Oriens eius adhæſerit hæreſi. Synodus Occidentalis ſub Damaſo abrogauit Ariminenſem, quia licet numeroſa fuiſſet, neque Liberius Pontifex, neque Vincentius Capuenſis Syluestri Legatus Niceæ, & ipſius Liberij ad Conſtantium non conſenſerant, eius proindè Concilij definitionem nullam eſſe, μήτε τοῦ ῥωμαίων ἐπισκόπου οὗ πρὸ πάντων ἔδει τὴν γνώμην ἐκδέξασθαι. Petrus Alexandriæ Patriarchatu à Valente pulſus, & in eius locum Lucio ſubſtituto, obtinuit litteras reſtitutorias à Pontifice Damaſo, quibus & ipſum ſuæ ſedi reſtituit Damaſus, & Moyſi Epiſcopi Arabum fidem probauit, Hieronym. *Epiſt.* 58. *ad Damaſ.* in Antiocheno ſchiſmate Meletij, Paulini, & Vitalis ſe Cathedræ Petri & Damaſi adhærere, cæteris reiectis teſtatur: *Nullum*, inquit, *præmium niſi Chriſtum ſequens.* Baſilienſes codices corruptè legunt, *Nullum primum niſi Chriſtum ſeqens.* Vult enim Hieronymus ſe in ſectanda fide Damaſi nullo alio præmio duci, quàm ipſiuſmet fidei; vbi porrò impij Vitalis perfidia patuit, Damaſus, cui fidei libellum obtulerat, ipſum ſacris interdixit, quæ omnia fuſiùs deſcribit Nazianz. *Epiſt.* 2. *ad Cledon.*

Concilium Conſtantinopol. vt quod fuit Oecumenicum cui interfuerant omnes Orientis Patriarchæ, Metropolitæ, & præcipui Epiſcopi, decreta fidei, quæ condiderat, petiit à Damaſo Pontifice confirmari, & maximè depoſitionem Timothei; reſponderque Pontifex iampridem Timotheū vnà cum ſuo Magiſtro Apollinari fuiſſe depoſitum à ſede Apoſtolica præſente Petro Alexandrino. Vide has litteras apud Theodoret. *lib.* 5. *Hiſt. Eccl. cap.* 9. Concil. Conſtantinopolitanum electionem Flauiani loco Meletij in Patriarcham Antiochenum aduerſus Paulinum probarat, & confirmarat, Pontifex totum 23

nego-

negotium Romam referri mandauit, ibique Conci-
lium coëgit, quod totam litem denuò expenderet,
vtramque igitur partem litigantium ſuis litteris, &
ſimul Gratiani Imperatoris ad ſeſe vocauit, quò Pau-
linus ſe contulit; Flauianus autem plurima cauſatus
vadimonium deſeruit. Id teſtatur Hieron. *Epiſt.* 16.
ad Princip. & *Epiſt.* 17. *ad Euſtoch.* Sozom. *lib.* 7.
hiſt. cap. 11. vbi an Epiſcopos Orientis in Occiden-
tem vocatos, ipſique PP. Conſtantinopoli coacti ex-
cuſant ſe apud Pontificem à ſuſcipiendo illo itinere,
cùm anno præterito poſt Concilium Aquileienſe ve-
niſſent Conſtantinopolim, inuitati litteris, quas Pon-
tifex eam ob cauſam ad Theodoſium Imperatorem
ſcripſit, & tandem enixè orant, ne quid ſupra æ-
quum Paulino faueret. Lege eas litteras apud Theod.
lib. 5. *cap.* 9. *hiſt.* Suſpicantur enim iſti Epiſcopi ne
Damaſus Paulino faueret, quòd in illa Antiochenæ
fœda diuiſione creatus eſſet Patriarcha opera Luciferi
Legati Liberij, qui Damaſum præiuerat. Denique
Theodoſius, qui ſolus id temporis imperabat, Fla-
uianum Conſtantinopolim vocauit, ſuaſitque quan-
tùm licuit, vt Romam, licèt ſolutâ iam Synodo, con-
tenderet ad finiendam litem, quod ille ſemel & ite-
rum variis ex cauſis recuſauit, ex Theodoret. *lib.
cita. cap.* 23. Quare illum vitare voluiſſe iudicium &
examen ſuæ cauſæ iure dixit Ambroſ. poſt Concil.
Capuanum ſub Syricio Damaſi ſucceſſore *Epiſt.* 68.
Mortuo ſubindè Paulino in eius locum à Concilio
Capuano, quod Carthaginenſe tertium nominat vni-
uerſale, ſuffectus fuit Euagrius, qui iudicio ſe ſiſti-
tit Flauiano in ſua contumacia perſeuerante. Quare
Synodus Theophilum Alexandrinum huius contro-
uerſiæ cognitorem delegauit, qua de re ad ipſum
Ambroſ. ſcribit *Epiſt.* 48. monétque ipſum vt vbi
ſententiam tulerit, illam à Pontifice Romano pro-
bari curet; vbi tamen conſtitit Euagrium Paulini
ſucceſſorem malè ordinatum fuiſſe, eò quod Paulinus
illi ſolus manus impoſuiſſet, atque ita Flauianus iam
liber ab omnibus aduerſariis exiſteret & quodam-
modò victor æmulis extinctis, Theophilus miſit Iſi-
dorum legatum presbyterum, vt à P.R. Flauiano ve-
niam impetraret, ipſeque Flauianus aliâ ſimili lega-
tione petiit in communionem recipi, quibus tandem
impetratis Antiochenæ Eccleſiæ partes diſciſſæ denuo
coaluerunt. Ita Socrat. *lib* 5. *cap.* 5. Sozom. *lib.* 8. *c.* 13.
qui addit Ioannem Chryſoſtomum quondam Flauia-
ni Presbyterum egiſſe cum Theophilo vt Romanum
Epiſcopum Flauiano propitium redderent, & in eum
finem miſiſſe Acacium Beroënſem Epiſcopum, &
Iſidorum; id ipſum maximè curauit Theodoſius Im-
perator Romæ exiſtens, vti narrat Theod. *l.* 5. *cap.* 23.
Ioannes Chryſoſtomus Eudoxiæ artibus à Concilia-
bulo Conſtantinopolitano præſide Theophilo ſua ſe-
de in exilium pulſus ad Innocentium I. P.R. vt ini-
quum iudicium reſcinderet, appellauit. Habemus ip-
ſius Ioannis Epiſtolas, quas ineptè aduerſarij circa
hoc Chryſoſtomi factum obtrudunt, vt Innocentij
auctoritatem eleuent, quas eruditè reiectas videbis
apud Perronium *cap.* 25. *reſp. pag. mihi* 102. & *ſe-
quentib.* Denique conſtat Ioannem ſolâ Pontificis au-
ctoritate abſolutum, ſine Concilio alio fuiſſe abſolu-
tum, quod teſtatur Gelaſi. *Epiſt. ad Epiſcopos Darda-
niæ*, & mortuo Chryſoſtomo Arcadium atque Eu-
doxiam ſacris interdixit Innocentius I. Eius ſenten-
tiam refert Perronius ex Georgio Alexandrino anti-
quiſſimo ſcriptore, cuius verba non pigebit adſcribe-
re: Διὸ ἐγὼ ὁ ἐλάχιστος καὶ ἁμαρτωλὸς ὡς πιστευθεὶς τὸν θρό-
νον τοῦ μεγάλου ἀποστόλου Πέτρου ἀφορίζω σέ τε κἀκείνην,
te & illam, τῆς μεταλήψεως τῶν ἀχράντων μυστηρίων χρι-
στοῦ θεοῦ ἡμῶν. Interdicit deinde Epiſcopis & Clericis ne

illis miniſteria adminiſtrent ſub pœna depoſitionis,
οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ παντοίους ἐπισκόπους ἢ κληρικοὺς τοῦ τάγ-
ματος τῆς ἁγίας ἐκκλησίας τολμῶντας ἐπιχειρῆσαι καὶ μετα-
διδοῦναι ὑμῖν ἀφ' ἧς ὥρας ἀναγνῶτε τὸν παρόντα σύνδεσ-
μον ὑπὸ καθαίρεσιν εἶναι. Deindè nunquam idem Inno-
centius voluit in ſuam communionem accipere Ale-
xandrinum, Antiochenum & Atticum Conſtantinop.
quin Chryſoſtomi nomen in ſacra dyphtica retuliſ-
ſent, ita Innoc. *Epiſt.* 17. *ad Alexandrum Antiochenum*,
& Theodoret. *lib.* 5. *hiſt. cap.* 34.

Cauſa Pelagij iudicata in Synodo Palæſtinæ, &
Cæleſtij in Concilio Mileuitano, & Carthaginenſi,
Pontificis tamen Romani ſententiam ſibi accedere po-
ſtulant PP. illi: vide Auguſt. *Ep.* 9. & 92. 93. *lib.* 2.
contra duas Epiſt. Pelag. cap. 4. & *Epiſt.* 106. *Ep.* 157.
Denique auctoritate Pontificia hæreſim illam fuiſſe
exciſam ſæpius aſſerit Proſper in Chronico, & *lib. con-
tra Collatorem*, & *lib.* 2. *de vocat. gent. cap.* 6.

Non eſſet operoſum plurima ſimilia adducere &
per omnes retro ætates oſtendere ſupremam Roma- 24
ni Pontificis in vniuerſam Eccleſiam, ipſos Epiſco-
pos atque Patriarchas poteſtatem, quàm & ante &
poſt Concilium in omnibus grauioribus cauſis toto
orbe exercuerit, vnde manifeſtum fit, vel cæcutienti-
bus Nicænum nihil ſuo illo Canone VI. illi conceſſiſ-
ſe auctoritatis, nihil detraxiſſe, cùm in conſequentibus
deinde Conciliis Oecumenicis, Epheſino & Chalcedo-
nenſi illuſtriùs multò apparuerit. Quare *Act.* 16.
Concilij Chalcedonenſis, Senatores ſiue iudices poſt
lectum Canonem VI. Nicænum, & III. Conſtantinop.
& auditis Patrum ſingulorum, qui aderant, ſententiis,
dixerunt primatum & honorem præcipuum perpetuò
fuiſſe delatum Epiſcopo Romano, ἐκ τῶν πεπραγμένων
καὶ ἐκ τῆς ἑκάστου καταθέσεως συνορῶμεν, πρὸ πάντων μὲν τὰ
πρωτεῖα καὶ τὴν ἐξαίρετον τιμὴν κατὰ τοὺς κανόνας, τῷ τῆς πρεσ-
βυτίδος ῥώμης θεοφιλεστάτῳ ἀρχιεπισκόπῳ φυλάττεσθαι. Ex
his quæ geſta ſunt & ab vnoquoque depoſita perpen-
dimus omnem quidem primatum, & honorem præci-
puum ſecundum Canones antiquæ Romæ Dei ama-
biliſſimo Epiſcopo conſeruari, & ſanè ſingula illa
priora Concilia ſingulis Patriarchis ſuos limites defi-
niunt, Nicænum Alexandrino, Ægyptum Pentapo-
lim, & Lybiam Conſtantinop. Canon II. Orientem
Orientalibus, Chalced. *Act.* 7. Hieroſolymitano tres
Palæſtinas, & ipſi Conſtantinopolitano Pontum,
Thraciam, & Prouincias Barbaras: Romano verò nul-
la Concilia limites ponunt, quia vniuerſam Eccleſiam
illi, quatenùs Chriſti Vicario ſubiici ſciebant: quod
tamen non aduertit Nilus ſchiſmaticus, Theſſaloni-
cenſis Archiepiſcopus qui & illimitatione eiuſmodi
illimitatam quoque poteſtatem & in vniuerſam Ec-
cleſiam argui, dixit *lib.* 2. *de primatu Papæ.* Quod igi-
tur additur *in Canone VI. Quia Epiſcopo Romano pari-
lis mos eſt*, licet intelligere & commentari in vniuer-
ſam Eccleſiam. Quis enim alius Romæ mos & con-
ſuetudo vigebat, quàm illa vniuerſalis omnium ſol-
licitudo & auctoritas? *Ad hanc enim Eccleſiam propter
potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem conuenire
Eccleſiam*, inquit Irenæ. *lib.* 3. *cap.* 3. neque præter
Pontificis ſententiam licuit quidquam Eccleſiis indi-
cere, ſiue Canonem ferre, vti alias ex Socrat. *l.* 1. *hiſt.
cap.* 8. retulimus, μὴ δεῖν παρὰ τὴν γνώμην τοῦ ἐπισκόπου
ῥώμης τὰς ἐκκλησίας κανονίζειν. Cum igitur in illis ver-
bis Nicænis, *Quia Epiſcopi Romano parilis mos eſt*, ali-
quid reticeatur quod ſupplendum eſt, vt aliquem ſen-
ſum perfectum exprimamus; non poteſt verò aliquid
particulare reticeri, vt patet, ſed aliquid vniuerſale,
ita vt Alexandrinus habeat in Ægyptum poteſta-
tem, quam R.P. habet in vniuerſam Eccleſiam:
& ſanè cum illa reſtrictio Pontificiæ auctoritatis

Illyrici ſuberat Diœceſis Illyriciana, in qua ſeptemdecim prouinciæ. Imperium verò Orientale ſiue præfectus prætorio & Orientem comprehendebat Diœceſim Thracicam, in qua erat Conſtantinopolis, Diœceſim Ponticam, in qua Prouinciæ vndecim, Diœceſim Aſianam,in qua Prouinciæ totidem,Diœceſim Orientalem, vbi Antiochia, in qua prouinciæ quindecim, & quatuor illæ Diœceſes parebant, vti iam diximus, præfecto prætorio, Orientis ſuberat Diœceſis Ægyptiaca,quæ ſex Prouincias complectebatur, & ſuberat præfecto Auguſtali, ætate tamen Theodoſij ſenioris Illiricum diuiſum eſt in duas Diœceſes, in Illyricum videlicet Orientale, cuius Metropolis Theſſalonica,cui contributæ ſunt vndecim Prouinciæ, quod parebat præfecto prætorio, per Orientem,& Illyricum Orientale, cuius caput fuit Sirinium in eoque ſex prouinciæ, quod parebat præfecto prætorio Italiæ.

In vnaquaque porrò Diœceſi erat Vicarius præfecti prætorio,aut proconſul, aliúſque illuſtris Magiſtratus, qui vniuerſarum illarum Prouinciarum curam gerebat, & ius apud illas pro more recepto dicebat in publicis Prouinciarum conuentibus, ſiue *agendo conuentus iuridicos.*

Hinc vides diœceſim eſſe adminiſtrationem, diſpoſitionem, diſpenſationem à διοικέω, guberno,adminiſtro. Sic Plato, τὰ πολιτικὰ διοικεῖν Budæus διῳκηκὼς οἰκήσεις ἰδίας proprias ſedes habens. Huic etiam διοίκησις τῆς πόλεως, διοικητὴς τοῦ δήμου, διοίκησις ἰδία. Hanc vocem vſurpat quoque Cicero *lib.13. ep.67.* P. Seruil. *Ex Prouincia mea Cilicienſi, cui ſcis τρεῖς διοικήσεις Aſiaticas attributas fuiſſe, nullo ſum familiarius vſus quam Androne.* & *lib.3. epiſt.8. ad Appium pulchrum. Cùm ego Laodicea vſque ad Iconum iter facerem, vt me omnium illarum Diœceſium, quæ cis Taurum ſunt, omniumque earum ciuitatum Magiſtratus,legioneſque conuenirent.* Inde etiam διοικητὴς moderator, gubernator, & apud Ciceron.pro Rabirio. Diœceſes regnis *l.5.de Epiſcopali audientia* Archigerontes,diœcetæque Ergaſiatanorum, de quibus vide Gotofredum *in notis.* & Alciat. *lib.2.diſpunct.cap.18. l.4.6.§.1.de Epiſcop.& Cleric.* dixit piarum actionum diœcetas, id eſt, curatores, quare §.3. dicit piarum actionum adminiſtratores. Diœceſis igitur adminiſtratio quædam eſt; vſurpabatur tamen pro tractu quodam & diuerſarum prouinciarum collectione quæ præfecto prætorio, aut eius Vicario parebat. Sic diximus præfecto prætorio Galliarum parebat Diœceſis Galliæ,quæ ſeptemdecim prouincias continebat, & ita de aliis.

11 Hanc Imperij diuiſionem æmulata eſt Eccleſia: cum enim iam olim ipſa Apoſtolorum ætate vti oſtenmus ex Petri & Pauli Epiſtolis, celebriorum ciuitatum Epiſcopi eximium quoddam ius in cæteras Eccleſias eiuſdem prouinciæ obtinerent, non diſſimile illi, quo gaudebant Ciuitates in colonias à ſe deductas,quarum erant veluti matres, ideoque Metropoles dicebantur, & cùm inter omnes Romani Imperij ciuitates,eminerent Roma, Alexandria,& Antiochia, prima enim erat orbis domina, Alexandria regni Ægyptiaci, & Antiochia Regni Orientis, factum vt illarum ciuitatum Epiſcopi eximiis quoque priuilegiis gauderent moribus primum & vſu inductis, & demum decretis Nicænæ Synodi allarumque ſancitis, quibus quoad plurima reliqui Epiſcopi in adminiſtratione Eccleſiaſtica ſubiecti erant,ſeruato tamen in omnibus priuilegio,& iure capitis Eccleſiæ,Epiſcopi Romani Petri ſucceſſoris; illud enim ius & dignitas, vti oſtendimus *cap.3.* neque Synodorum decretis,neque Imperatorum edictis,neque populorum conſenſu,neque ex magnitudine ciuitatis Romanæ conſtitutum eſt, ſed ab ipſomet Chriſto, diuo Petro eiuſque legitimis ſucceſſoribus conceſſum, quod ſæpius Romani Pontifices monent ipſoſmet Imperatores, & nos omni teſtimoniorum ac rationum genere firmauimus, & toto iſto opere, tanquam fide certum ſupponimus, atque interdum monebimus, nequando inter diſputandum de aliis iuribus quæ illi tanquam Patriarchæ Occidentis competunt, nihil ampliùs illi concedere videamur, quam aliis quibuſdam magnarum ciuitatum Alexandriæ,& Antiochiæ Epiſcopis, & eos omnes pares atque æquales facere, ſecludimus perpetuò dignitatem capitis Eccleſiæ, & vniuerſalis paſtoris, quam in eo quoque cæteri Epiſcopi agnoſcunt, & eius eximiæ dignitati ac poteſtati ſe ſubmittunt,quamque in ipſos etiam Alexandrinos, Antiochenos, & Conſtantinopolitanos nonnunquam exercuit, vti *c.3.* dictum fuit & alibi ſuo loco dicetur: non componitur itaque Romanus Pontifex cum cæteris in iure & dignitate capitis, ſed in iure Metropolitano, quod *q.ſequenti,Conſectario 11.* explicabimus ampliùs,in præſentiarum enim agimus tantum de diuiſione Eccleſiarum facta ad inſtar Imperij Romani,cuius adminiſtrationem Conſtantinus partitus eſt in quatuor præfectos prætorio, qui ſub illo Imperium adminiſtrarent, cum ſub reliquis Imperatoribus fuiſſet tantum vnus aut duo,hiſque præfectis totius Imperij diœceſes,& adminiſtrationes partitus eſt,hoc eſt,diuerſarum Prouinciarum corpora, quæ adminiſtrationi vel Vicarij præfecti prætorio, vel proconſulis, vel alicuius, alterius Magiſtratus, cuius ſplendida eſſet adminiſtratio, ſuberant, ideóque vocabantur Diœceſes: quo exemplo Eccleſia præcipuis Metropolitanarum ciuitatum Epiſcopis,Romano, Alexandrino, & Antiocheno Diœceſes Eccleſiaſticas adminiſtrandas partita quoque eſt, quamvis initio quaſdam diœceſes ſuis Synodis & Exarchis moderandas reliquerit,neque alicui ex tribus illis Metropolitanis ſubiecerit, vt dicetur *q.ſequenti.* Romano quidem Epiſcopo totus Occidens,& in eo contentæ Diœceſes tributæ ſunt,quod ipſi etiam ſchiſmatici Zonaras & Balſam. in *Can.6. Concily Nicæni* per ſanctiores illos teſtes Hieron. *ep. ad Marc.* Auguſtin. *lib.1. contra Iulian. cap.1.* Nazianz. *in carm. de vita ſua*, & alij, Agatho Pontifex *in Ep. Synodica Synodi Occidentalis ad Synodum Orientalem*, quæ refertur à Concilio VI.generali *act.4.* illi igitur Occidentis, Italia, Gallia, Affrica, Hiſpania,inſulæque interiacentes, Illyricum, neque de hoc eſt vlla difficultas vſque ad VI. ſæculum, nam narrat Socrates *lib.5. Hiſtor. cap.35.* Perigenem Eccleſiæ Patrenſis deſignatum Epiſcopum, & à plebe reiectum,mandato deindè Romani Epiſcopi in Corinthi Metropoli collocatum fuiſſe,eumque reliqua vita obtinuiſſe in Concilio, deindè Epheſino ſubſcripſit. Epiſcopi Epiri ſcribunt ad Hormiſdam Pontificem vt Ioannem à ſe electum Epiſcopum Nicopolis confirmet, habetur ea Synodica *tom.2. Concil.* Gregor. *lib.4.indict.13.epiſt.8.* Ioannis alterius electionem in Primatum Iuſtinianæ primæ confirmat,eique pallium mittit,& illi vices ſuas per Illyricum committit. Idem Gregor. *eodem lib.4. epiſt.55.* Ioanni Corinthiorum Archiepiſcopo pallium mittit, & Epiſcopis Helladis imperat, vt ipſi obediant, ſuntque plurima eiuſmodi, quibus oſtenditur Romanum Epiſcopum iure Metropolitano & Patriarchico vſum fuiſſe in Illyrico, fatemur tamen poſterioribus temporibus diſtincto Illyrico in Orientale & Occidentale, quaſdam eius Prouincias,Conſtantinopolitano Patriarchæ tributas fuiſſe.

Alexandrino datæ ſunt Ægyptus, Lybia, & Pentapolis;

tapolis : Antiocheno Orientis Diœceſes , reliquæ verò in Aſiana, Pontica , & Thracica ſuis Synodis adminiſtrandæ relictæ ſunt , de quibus *q. ſe-*
12 *quenti.*

Tertia Imperij Romani diuiſio fuit in Orientale, & Occidentale , nam illud certis ſuis terminis coërcere conſilium fuiſſe Auguſto ait Tiberius oratione ad ſenatum apud Tacitum *libr.*1. *Annal.* Ipſéque Auguſtus apud Iulian.in Menypæa;eoſque terminos nominat Iulian.Iſtrium,& Euphratem,quibus adde Rhenum & Oceanum:quare Tacitus ait mari Oceano,aut omnibus longinquis ſeptum Imperium ad hos terminos limitarij; Milites excubabant, qui demùm à Conſtantino ſublati ſunt,quod magno reip. Romanæ malo contigiſſe queritur Zozimus *lib.*2. numquam in piiſſimum Imperatorem non iniquus. Vnicum autem Imperij corpus pro ambitione Imperantium in geminum diuiſum eſt,per Orientale & Occidentale. Primò quidem Antoninus,& Geta Seueri Imperatoris filij eam diuiſionem propoſuerunt apud Herodian. *lib.*4. & in ea Occidens complectebatur totam Europam ab Oceano Athlantico ad mare Ægæum,Pontum Euxinum,Meotum paludem & fluuium Tanain. illi quoque Imperio addebantur ſeptem Africæ prouinciæ Romanis ſubiectæ, reliqua cedebant Imperio Orientali,& præterea Aſia & Ægyptus.Secundò cum Diocletianus & Maximian. principatu ſe abdicaſſent , Orientem cum Illyrico Galletio Maximo, Occidentem verò cum Africo Conſtanti Cloro Conſtantini magni patri aſſignarunt,3.filij magni Conſtãtini aliter Imperium diuiſerunt, ſed duobus extinctis, totum recidit in Conſtantinum , & deinde in Iulianum Apoſtatam.Illud Valentinianus quartò eſt partitus cum fratre Valente cui tradidit Orientem,ſibique Occidentem retinuit , quibus & ſucceſſoribus ſublatis Theodoſius rerum omnium potitus filiis Arcadio & Honorio S.F.ita partitus eſt,vt Arcadio Orientem Honorio Occidentem. Vtriuſque Imperij fines vide apud Zozim. *lib.*4.Procopum *de bello Vandal.l.*1.& ex illis aliiſque Pancirolum in notitiam Imperij Occidentalis. Licet verò duo eſſent Principes & Capita Imperij,communi tamen Concilio res Imperij adminiſtrabant,leges condebant & promulgabant , belláque gerebant vnus Romæ, alter Conſtantinopoli reſidebãt;in gemina vero iſta adminiſtratione geminari quoque oportuit Magiſtrat.& dignitates,quare & duo creabantur conſules , vnus Romæ , alter Conſtantino. Erat & præfectus prætorio Italiæ, & alter Galliarum in Occidente , in Oriente verò præfectus prætorio Orientis & Illyrici,ſub quibus omnibus erant ſimiles dignitates,illuſtres,ſpectabiles, clariſſimi, perfectiſſimi,de quibus ſigillatim in notitia vtriuſque Imperij.

13 Huius diuiſionis ciuilis exemplo Eccleſiæ corpus in duas veluti partes præcipuas & membra diuiſum eſt, in Eccleſiam ſcilicet Orientalem & Occidentalem , eámque veterem eſſe diuiſionem contendunt Epiſcopi Orientales in Synodica Concilij Sardicenſis,& cauſas Orientalium in Concilio Orientali,Occidentalium autem in Occidentali definiendas eſſe, idemque contendit Conſtantius Epiſtola *ad Epiſcopos,* ex toto Occidente Ariminum conuocatos, monetque ne de Orientalibus quidpiam definiant. Ex quibus vides ſolitas eſſe Occidentales Eccleſias ab Orientalibus ſecerni,& ex illis diuerſa quoque Concilia cogi, quare in Concilio Aquileienſi, ex Occidentalibus Epiſcopis conſtante Palladius Epiſcopus Arianus reſpondere recuſabat abſentibus Epiſcopis Orientalibus, quos præfectus Italiæ literis inuitarat. Non veniſſe verò reſpondet ibid. Ambroſius. *Quia ſcierunt conſuetudinem eiuſmodi, vt in Oriente ; Orientalium eſſet concilium,intra Occidentem Occidentalium, ideò putauerunt non eſſe veniendum.* Huius porrò diuiſionis ſæpius ipſi Pontifices meminere, Cœleſtin. *Epiſtola ad Neſtorium. Pelagianos telis vnita ſententia Oriens Occidenſque percuſſit.* Liberius *Epiſtol.*11. ait Epiſcopos Orientis , *ad ſanam ſinceramque mentem reuerſos cum orthodoxis Occidentis Epiſcopis concordare.* Damaſ.in Epiſt. Synodica apud Theodoret. *lib.*2. *hiſt. cap.*22. *De hac ipſa fide cum Epiſcopos Orientis, tum Occidentis nobiſcum vna gloriari conſtat.* Siricius *Epiſt. ad Himer.c.*2. *Quod etiam totus Oriens Occidenſque cuſtodit.* Innoc.in decretis *Cap.ſi nos autem omneſque per Orientales, & Occidentales Eccleſias.* Timuitque Nazianz. *ne quemadmodum Oriens,Occidenſque limitibus, ita ſententiis diſtraherentur.* Philippus legatus Pontificius in Concilio Epheſino, ait eam Synodum coactam eſſe ex Epiſcopis Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis ἀνατολικῆς καὶ δυτικῆς ἐκκλησίας neque alia in rem adeò perſpicuam & frequentem apud ſcriptores proferenda ſunt.

Obſerua verò Orientem aliquandò latiùs, aliàs preſſiùs vſurpari : nam in diſpoſitione Romani Imperij Oriens complectitur, etiam ab ipſis Veſpaſiani temporibus , eas omnes prouincias , quæ à Thracia,per Ægyptum, & Aſiam minorem , vſque ad Euphratem & Tygrim pertinent, quæ quinque diœceſibus continentur.Thracica,Pontica, Aſiana, Orientali, & Ægyptiaca,quæ ſuos præfectos quibus parerent habebant. Itaque Orientis Eccleſia cum opponitur Occidentali , eas quiſque diœceſes integras complectitur : aliàs verò Oriens ſiue Orientales Eccleſiæ preſſius ſumitur; prout ab Epiſcopis aliarum diœceſeon diſtinguitur,& differt à Diœceſi Ægypti, Thracica, Pontica, & Aſiana, & Oriens in ea ſignificatione ſuberat Antiocheno Epiſcopo , quare Ioannes qui Conciliabulum contra Epheſinum coëgit dicitur *ep.*2.*in conc. Epheſino* Act.1. Ἰωάννυ τε ὁσιωτάτε τῶν ἀντιοχέων μητροπόλεως τῆς ἀνατολικῆς διοικήσεως , & illius Concilij inſcriptio ſic habet ἁγία σύνοδος ἡ τῆς ἀνατολικῆς διοικήσεως, καὶ οἱ σὺν αὐτοῖς ἐκ διαφόρων διοικήσεων καὶ ἐπαρχιῶν συνηγμένοι,ſacra Synodus Orientalis Diœceſeos cæterique vna cum ipſis ex diuerſis Diœceſibus & Prouinciis congregati. Itaque diœceſis Orientis, ſpecialiter quæ ab Antiocheno Epiſcopo regebatur , quindecim Prouincias complectebatur ; atque adeò Oriens in ea preſſiori ſignificatione acceptus,anguſtior multò erit Oriente,per quem tum Imperium, tum Eccleſia diuiduntur in Orientis & Occidentis Imperium atque Eccleſiam. Quinam verò eſſent Orientis in ea ampliori ſignificatione accepti termini declarant PP. ex omnibus Prouinciis Conſtantinopoli coacti literis Theodoſij. Nam *Canone* 2. illius Concilij Conſtantinopolitani ; quod fuit II. Oecumenicum, Eccleſias Orientales , intra diœceſes, Thracicam, Ponticam , Aſianam Orientalem, & Ægyptum includunt; cæteráſque omnes Occidenti relinquunt,nempè Illyricum ſolidum,Italiam Galliam,Britanniam,Hiſpaniam,& Africam,atque ita ijdem erant,vt vides , Orientalium Eccleſiarum ; qui Imperij Orientalis ſunt termini. Thracia itaque, in confinio Illyrici conſtituta Imperio Orientali acceñſebatur ex Veſpaſiani Imperatoris anti- qua diuiſione, Illyrici verò tota & integra præfectura , quæ Macedoniam, Daciam, & Achaiam continebat, ad Occidentem ſpectabat ſicut & ex te Africani ſex Prouinciæ, teſte Zozimo *lib.* 2. ſub Theodoſio tamen Illyriciana Diœceſis , in duas ſecta eſt,& quæ Macedoniam & alias quaſdam Prouincias complectebatur, Orientis Imperio ceſſit, reliqua

ſeruata eſt Occidenti, vt ex Iorunde & vtriuſque Imperij notitia conſtat. Ea tamen immutatio firmum vtriuſque Imperij ſtatum Eccleſiarum non mouit: nam iidem Eccleſiarum limites manſerunt, qui fuerant olim Imperij: Thracia nimirum, & Illyricum: Ammanianus enim Marcellinus, qui vixit imperante Iuliano Apoſtata *lib.* 21. Imperiorum limites in confinio Illyrici, & Thraciæ, in Succorum montium anguſtiis locat. *Confecta*, inquit, *Celſorum montium ſummitates Hoëmi & Rhodopes, quorum alter ex ipſis Iſtri marginibus, alter ab Axij fluminis citeriori parte conſurgit, in anguſtias tumultuoſas callibus* deſinentes, Illyricos interſcindunt, & *Thraces*, & *lib.* 27. Succorum pateſcunt anguſtiæ, Thraciam dirimentes & *Daciam*, atque in iiſdem Succorum anguſtiis fines Occidentalium Eccleſiarum conſtitutos eſſe apertè docet Epiſtola Concilij Aquileienſis ad Theodoſium, quam refert Sirmondus in Appendice ad Codic. Theodoſian. *Equidem per Occidentales partes duobus angulis tantùm, hoc eſt in latere Daciæ Ripenſis, ac Mœſiæ fidei obſtrepi videbatur; quibus tamen nunc poſt Concilij ſententiam, veſtro fauore clementiæ opinamur illicò conſulendum. Per omnes autem tractus, atque regiones Ethnicorum clauſtris, vſque ad Oceanum manet intemerata fides, in Orientalibus autem partibus*, &c. Illud verò Ethnicorum *clauſtris* mendum eſſe ſuſpicatur Marca *libro primo Concord. capite tertio, numero quarto*, & meritò legendum eſſe à *Succorum clauſtris*: nam Socrat. *libro ſecundo, cap.* 18. agens de diſſidio Concilij Sardicenſis, quo abrupta eſt communio Orientalium & Occidentalium, vtriuſque Eccleſiæ confinium collocat in Succorum montium anguſtiis, quæ Illyricos diuidunt à Thracibus. Itaque ὅρος τῆς κοινωνίας fuerunt môtes σοῦκκοι, non τισοῦκοι, qui Geographis ignoti ſunt. Gregor. Nazianz. in Concilio congregatis Patribus dicebat Conſtantinopolim nodum eſſe Orientalis, & Occidentalis oræ, cum in illam hinc & inde extrema Prouinciarum capita pertingerent, & inde velut à communi fidei emporio refunderentur, ἡμᾶς τὸ καὶ ἑσπερίου λήξεως εἶναι σύνδεσμον εἰς ὃν τὰ πανταχόθεν ἄκρα συντρέχει, καὶ ὅθεν ἄρχεται ὡς ἐμπορίου κοινοῦ τῆς πίστεως. Habemus igitur diuiſionem Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis, atque vtriuſque terminos: Orientalis complectebatur Diœceſes quinque Ægyptiacam Orientalem, Aſianam, Ponticam, Thracicam. Occidentalis autem octo vel ſeptem reliquas nimirum in Italia duas, Illyricum primò quidem, ſolidum, ſed deinde in duo diſſectum, Galliam, Britanniam, Hiſpaniam, Africam. Quomodo verò ad miniſtrarentur omnes iſtæ Diœceſes conſtabit ex alibi dicendis: octo enim Diœceſes Occidentis ita ſuos habebant Metropolitas, vt tamen omnes ſubeſſent Romano Pontifici, tanquam ſuo Patriarchæ: Quinque Orientales ſuos haberent Patriarchas, & Exarchos, Ægyptiaca ſuberat Alexandrino Orientalis Antiocheno Aſianæ, Exarcho Epheſino, Pontica Cæſareæ Cappadociæ Epiſcopo, Thraciæ Conſtantinopolitano, qui tandem factus Patriarcha, in Concilio Chalcedonenſi, Diœceſes tres nimirum Aſianam; Ponticam, & Thraciam ſibi aſſeruit; qua de re alibi fuſiùs, vbi de ordine Patriarcharum *tomo tertio*, de Hierarchia diſputabitur.

QVÆSTIO II.

CONSECTARIA.

Conſectarium Primum. Comparatur notitia Eccleſiaſtica cum notitia vtriuſque Imperij.

Conſectarium Secundum. Canon VI. Nicænum explicatur.

Conſectarium Tertium. Vnde Archiepiſcopi Metropolitæ, Primates Exarchi, & Patriarchæ.

Conſectarium Quartum. Diœceſes αὐτοκέφαλοι.

Conſectarium Quintum. De Epiſcopo Conſtantinopolitano.

Conſectarium Sextum. Diuerſitas Synodorum non Oecumenicarum.

His ita de diuiſione Eccleſiarum conſtitutis plurima ad perſpicuam Conciliorum & Canonum, totiúſque ſubſequentis operis notitiam licebit colligere.

CONSECTARIVM I.

Comparatur notitia Eccleſiaſtica cum notitia vtriuſque Imperij.

Status quæſtionis, n. 1.
Canon 18. *Concilij Chalcedonenſis*, n. 2.
Mutatio diſpoſitionis Eccleſiaſticæ ex politica, num. 2. & 3.
Abuſus repertus, n. 4. & 5.
Metropolitæ honores quinam, n. 6.

Cum exemplo Romani Imperij diuiſionem Eccleſiarum factam fuiſſe docuerimus, facilè fuerit notitiæ Eccleſiaſticæ, & Imperij comparationem inſtituere, quod plures accuratè præſtiterunt, in iiſque Carolus à ſancto Paulo Abbas Fulienſis in ſua Geographia ſacra; patétque etiam minùs eruditis partitionem Diœceſeon, & Prouinciarum Eccleſiaſticarum, vt plurimum ciuili Principum diſpoſitioni conformem fuiſſe, & ſæpiùs cum illa pariter mutatam: monet quidem Innoc. I. *Epiſt.* 18. *ad Alexandrum Antiochenum, Non videri ad mobilitatem mũdanarum neceſſitatum Dei Eccleſiam commutari, honoréſque aut diuiſiones perpeti, quas pro ſuis cauſis faciendas duxerit Imperator.* Sapienter tamen iudicauit Eccleſia grauibus ex cauſis eiuſmodi mutationes, etiam rogantibus Imperatoribus eſſe permittendas; quare Concilium Chalcedon. *Canone* 17. ſic edicit: *Si qua ciuitas poteſtate Imperiali innouata eſt, aut ſi protinus*, id eſt, in poſterum, *innouetur, ciuiles diſpoſitiones & publicas Eccleſiaſticarum quoque Parochiarum ordines ſubſequantur*: εἰ δέ τις ἐκ βασιλικῆς ἐξουσίας ἐκαινίσθη πόλις ἢ αὖθις καινισθείη τοῖς πολιτικοῖς, καὶ δημοσίοις τύποις, καὶ τῶν ἐκκλησιαστικῶν παροικιῶν ἡ τάξις ἀκολουθείτω, qua Concilij definitione nihil illuſtrius afferri poteſt; ibi enim Synodus agit contra vetus crimen quorundam Epiſcoporum, qui mutuas inuadebant Parochias, quod erat litium, & contentionum ſeges, quibus extinguendis legem tricennalis poſſeſſionis Canone ſuo firmat, quod & Synodus Trullana *cap.* 15. & deinde Magnus Gregorius probarunt:

tunt : quia verò Laïca Principum poteſtate fiebat ſæpiùs locorum innouatio, cùm Caſtrum, aut villa in ciuitatem erigeretur, indéque ſequebatur ex antiquo more Parochiarum quoque immutatio, ſtatuit Synodus, vt eiuſmodi noua ciuitas, non ciuilia tantùm, ſed & Eccleſiaſtica priuilegia conſequatur : eorum verò priuilegiorum primum ſummúmque erat cathedra, & Clerus Epiſcopalis, ſiue ius Parochiæ ſibi deinceps ſubiectæ. Qua ratione Maiuma Gazēſis ciuitatis nauale facta à Conſtantino Magno ciuitas, & ex filij nomine Conſtantia dicta, ſtatim ſubtracta eſt Gazenſi Epiſcopo , & proprium habuit Conſtantienſem. Hinc quoque illa contentio inter Anaſtaſium Nicænum & Eunomium Nicomædienſem Metropolitas: cùm enim Nicæa ciuitas ab Imperatoribus Metropolis facta fuiſſet, & Baſinopolis Nicææ regio , ciuitas creata fuiſſet, contendebat Nicænus ſibi tanquam Metropolitæ ſubiectum eſſe Epiſcopum Baſinopolitanum, & ſe ius illum ordinandi habere: Nicomedienſis verò Metropolita totius Bithyniæ cum creatione noui Metropolitæ Nicæni ſuis iuribus detractum eſſet, & Baſinopolim & Nicæam ipſam ſibi ſubiectam contendebat. Liſque tandem auctoritate Concilij, ita definita eſt, Nicomedienſis auctoritatem Metropolitani in omnes Bithyniæ Prouincias haberet, Nicænus verò honorem Metropolitani duntaxat ; ſubiaceret verò Nicomedienſi inſtar aliorum Epiſcoporum eiuſdem Prouinciæ. Quare Canonem 17. Chalcedonenſem, quem verſamus, ſic exponit Alexius Ariſtinus, & Diaconus Conſtantinop. *Si Imperator de nouo vrbem extruxit, vel impoſterum* , extruere non contendet pro illa vicinus Epiſcopus, & ſub Parochiam ſuam trahere illam ſtudebit, ſed ciuiles & publicos typos ſequetur: illius ſcilicet Prouinciæ, vel Parochiæ Epiſcopus illam ſub ſe habebit, ſub qua illa diſpoſita eſt, & facta *obnoxia*. Facta igitur per Principem noua ciuitas habebit Epiſcopum, Metropolitam verò non Epiſcopum viciniorem, à cuius throno auulſa eſt, ſed illum qui eſt verus & antiquus Metropolita totius illius Prouinciæ , & prior Epiſcopus nihil retinebit in illam nouam ciuitatem iuris.

Poterat verò Imperator caſtrum , aut oppidum in ciuitatem erigere , illique iura ciuitatis dare , non tamen ius deinde ciuitatis auferre , ſaltem quoad Eccleſiaſtica. Vide Sozomen. *lib. 5. c. 3.* ita vt eam deindè ciuitatem Epiſcopatu priuaret : nam de Iuliano qui Maiumatem in poteſtatem Gazenſium reduxit , ſic habet: *Ex eo tempore Gaza & Maiuma Magiſtratus ciuilis belli duces , Reſpublica communis eſt. Solo Eccleſiæ ſtatu & gubernatione, duæ videntur hoc tempore ciuitates diſtinctæ : nam vtraque ſeorſum ſuum habet Epiſcopum, ſuum Clerum, diſtinctos agrorum fines; quibus altaria, ad vtrumque Epiſcopum ſpectantia diſtinguuntur. Quidam noſtro tempore Gazæ Epiſcopus Epiſcopo Maiumæ defuncto laborauit, vt vterque Clerus ſibi ſubiiceretur; non enim fas eſt vt vni vrbi duo præficiantur Epiſcopi, at nihil obtinuit.* Idem quoque Imperator, offenſus grauiter, S. Baſilio Cæſaream Cappadociæ Metropolim, ex numero ciuitatum deleuit, in ea tamen manſit Epiſcopatus & Primatus totius Ponticæ Diœceſeos: Theodoſius quoque ſenior Auguſtus Antiochenſibus iratus , omnia priuilegia vrbi illi ademit , & principatum Laodiceæ vicinæ tribuit, inquit Theodoret. *lib. 5. hiſt. c. 19.* nihilominus nunquam Laodicenſis ſibi Patriarchatum aſſumere, aut Antiocheno rebellare auſus eſt. Ratio eſt , quia nunquam licuit Auguſtæ poteſtati Hierarchiam Eccleſiaſticam confundere.

3 Quare licet ordo Parochiarum Eccleſiaſticarum ſequeretur diſpoſitiones ciuiles, & typos politicos, vt loquebatur Synodus Chalcedonenſis, & vbi quis locus ciuitatis priuilegiis ab Imperatore ornatus erat, ibidem quoque eorum Epiſcopum conſtitueret Eccleſia, ſi tamen quæ ciuitas Epiſcopalis erat, eadem poteſtate imperiali ciuitatis honore & dignitate mulctaretur , idcircò Epiſcopalem thronum & honorem, non amittebant ; ſi verò quæ ciuitas Metropolis fiebat à Principe , eius quoque Epiſcopus Metropolitani nomine & honore gaudebat, non tamen antiquo ſuo Metropolitano, cui manebant ſalua & integra ſua iura, ſubducebatur, ſed hic nouus Metropolita erat primus Epiſcoporum illius Prouinciæ, cum illis tamen veteri Metropolitæ ſubditus , vt vidimus definitum in controuerſia Nicæni & Nicomedienſis circa Baſinopolim in hac Synodo Chalcedonenſi definita Act. 13. ne duo in eadem Prouincia eſſent æquo & pari iure Metropolitæ , quod eadem Synodus definiuit *Can. 12.* ne vna Prouincia in duas ſcindatur , & Epiſcopum, qui pragmaticam Principum ſequutus ita ſciderit , priuat Epiſcopatu & fit *ἀντιπίσκοπος*. Si verò Imperatoris reſcripto ſciſſæ ſunt ciuitates *γράμματι βασιλικῷ τιμηθεῖσαι πόλεις*, honore fruentur tantum, & qui ibi verſatur Epiſcopus, & qui verè Metropolitanus eſt, propria iura ſeruantur , *ἀληθῶς μητροπολίτῃ τὰ οἰκεῖα σωζέσθωσαν δίκαια* , inquit Alexius Ariſtinus in ſynopſi Canonum 12. Chalcedonenſ.

Vt igitur quæ circa Hierarchiæ Eccleſiaſticæ diui- 4
ſionem ad Romanæ Reipublicæ formam ſpectant paucis colligam : certum primò eſt veteri Apoſtolorum exemplo ciuilem Diœceſim Prouinciam, Metropolim, Ciuitatem, Caſtrum, villam voluiſſe quoque huiuſmodi manere & haberi in Eccleſia , quare diuiſa per Principem Prouincia , ſicut duos Rectores politicos accipiebat , ita & duos Epiſcopos habebat Metropolitas , exemplum habemus in noſtra Prouincia Lugdunenſi , quæ vbi in quatuor Prouincias ſecta eſt , quatuor quoque Archiepiſcopos , & Metropolitas accepit ; Lugdunenſem , Rhotomagenſem , Turonenſem, Senonenſem, & Leo Magnus Arelatenſem , & Viennenſem Metropolitas eſſe voluit , eo quod illæ ciuitates , quamvis intra eandem Prouinciam, Conſtantini dono Metropoles factæ eſſent : & Synodus Taurinenſ. *cap. 1.* ita fuerat interlocuta : *Qui Epiſcopus comprobauerit ſuam ciuitatem eſſe Metropolim , is totius Prouinciæ honorem Primatus accipiat.* Secunda Belgica Remenſem , & Treuirenſem Metropolim habuit , Conſtantius Byſantium à Numidia ſeparans , fecit vt nouus primas Bizacenus exiſteret. Theodoſius Auguſtus Paphlagoniam diuiſit , indéque Claudiopolitanus Epiſcopus factus eſt Metropolita Honoriandis , ſiue nouæ Prouinciæ, in memoriam Honorij filij , ſic nuncupatæ.

2. Ex hac antiqua regula factum, vt aliqui Epiſcopi vt ſuæ ambitioni ſeruirent , & in ſuos Metropolitas rebellarent , curarent per Laïcam poteſtatem, & pragmaticam formam , diuidi Prouincias , & nouas inſtitui Metropoles , ac quod inde ex antiquo more ſequi videbatur nouos Metropolitas magnâ Hierarchiæ Eccleſiaſticæ perturbatione, verorum Metropolitarum iuribus diminutis, atque etiam non exigua eorundem vexatione , quomodo Valens Arianus , vt S. Baſilio negotium faceſſeret, Cappadociam diuiſit , quod iam monuimus & Anthimum Thianenſem Epiſcopum noui Metropolitæ nomine in Cæſarienſem Baſilium armauit , ſed poſt Baſilium Alexander Patriarcha Antiochenus ad Innocentium de hoc abuſu ſcripſit, qui vt nuper referebamus , illum damnauit , & inconueniens iudicauit *ad mobilitatem neceſſitatum mundanarum Dei Eccleſiam commutari* : quod reſponſum Synodus deinde

Chalcedon. *Can.*12. confirmauit, quem ipſi ſubindè
Imperatores probarunt. Nam Iuſtinian. *Nouell.*28.*c.*2.
Helenopontum & Pontum Polemoniacum in vnam
Prouinciam redigens addit, nihil *circa eorum Sacer-*
dotum innouans. Voluit itaque Amaſenum, & Neo-
cæſarienſem ex antiqua forma manere Metropoli-
tas. Quod idem Conſtantin. circa Haugienſem, &
Claudiopolitanum, dum Paphlagoniam, & Hono-
riadem ad antiquam vnitatem reuocauit, vbi verò
duas Armenias diſſecuit in quatuor, *Nouell.*31.*cap.*2.
ſic ait: *Quod ad Sacerdotia ſpectat, ea volumus in pri-*
ſtina manere forma, negotio ipſo, neque circa ius Metro-
politicum, neque circa ordinationes, vel mutationes, vel
nouationes, ſuſcipiente, ſed priùs ordinatis, nunc quo-
que ex ordinatione, auctoritatem obtinentibus &
prioribus. *Item, Metropolitanis in ſuo permanentibus*
ordine, vt quantum ad ipſa nihil penitus innouetur. Sed
idem ipſe Iuſtinianus & hunc Canonem Chalcedo-
nenſem, & ſuaſmet, quas modò recenſuimus, leges
offendit: nam innouata & tripartita Cappadocia, cum
inaceeſſam ciuitatem feciſſet, & Iuſtinopolim dixiſ-
ſet, illique Metropolitana iura contuliſſet, quod fu-
ſiùs deſcribit Procopius *lib.*5.*de ædificiis Iuſtiniani*, il-
li ſubiecit Dchoram Nazianzem, quæ quondam ſub-
erant Thianenſi ciuitati, qua de re queritur Eupraxius
Epiſcopus Thianenſis in V. Synodo *coll.*5.

5 Tertiò, quia non facilè erat Epiſcopis diuiſionem
Prouinciæ in plures impetrare, curarunt Epiſcopi
ſuam Ciuitatem erigi in Metropolim, atque ita ſuam
Sedem euadere Metropolitanã, ſicque erant in eadem
Prouincia plures Metropolitæ, quod & Innocent. &
Synod. Chalcedon. vt vidimus damnauit. Ea ratione
Valentinian. III. Rauennatem fecit Metropolitam
Theodoſius verò Iunior Berytenſem, cui ſubiecit
Biblon Botryn, Tripolim, Orthonadem, Arcam, &
Antaradon. Tyriorum Metropoli ſubiectas rogante
Euſtatio Berytenſi, qui in Synodo Chalcedon.
Actio IV. non alia ratione ſe tuetur, quam quod ex
recepta conſuetudine Imperatores facerant Metropo-
les, ſicque Valens Nicæam Bithyniæ fecit Metropo-
lim. Hæc quæſtio agitata eſt *ea Act. IV.* inter Euſta-
tium Berytenſem, & Photium Tyrium Epiſcopum,
dixerúntque Regulas Patrum, & Canones eſſe ſer-
uandos, non pragmaticam regiam. Tandémque electi
Synodi iudices, ſic pronuntiarunt, Photius Epiſcopus
Tyriorum Metropolis, omnem poteſtatem ordinan-
di in vniuerſis ciuitatibus, primæ Phœnices Prouinciæ
habebit: Euſtathius verò Epiſcopus è ſacro pragma-
tico typo nihil amplius ſibi vindicet, quàm reliqui
Epiſcopi eiuſdem Prouinciæ. Cui iudicio tota Syno-
dus acclamauit: *Hoc iuſtum iudicium, hoc Dei iudicium*
eſt, non negant nihilominùs PP. Imperatorem poſſe
eligere Metropolim, ſiue per diuiſionem Prouinciæ,
ſiue intra illam, ſed damnant Epiſcopos, qui id am-
bitiosè procurant. Deinde volunt eos nouos Metro-
politas ſolum nomen & honorem Metropolitæ ob-
tinere, non iuriſdictionem cum veteris Metropolita
damno. Quare Valens facta Nicæâ Metropoli, ad Ni-
comedienſes ſic reſcribit: *Circa priuilegia ciuitatis*
veſtræ quæ olim fuerat priſca conſuetudo ſeruabitur. Ne-
que enim honoris adiectio Nicænorum ciuitatis ius veſtrum
lædere poterit, cum augeatur dignitas Nicomedienſium ci-
uitatis, quando iſta, quæ ſecundo loco eſt, Metropolis
nomine vocatur. Quod ipſum teſtatur Marcianus
Chalcedone in Metropolim euecta, habetur Act. VI.

6 Priuilegia porrò iſtorum Metropolitatum hono-
rariorũ erant. 1, ipſum Metropolitæ nomen, eos Græ-
ci poſt Patriarchas & Primates Archiepiſcopos, aut
Epiſcopos numerabant. Secundò, eorum thronus aut
& protothronus, quia in Synodo Prouinciæ primo
loco ſedebant ante omnes collegas Comprouinciales,
quamvis ætate & conſecratione antiquiores. Tertiò,
conſecrabantur à Patriarcha.

Ex his omnibus vides quanam ratione Hierarchia 7
Eccleſiaſtica ſecundũ ciuiles typos, & formas diuiſa ſit,
& ſecundum earum etiam mutationem, ac innouatio-
nem mutaretur, quod etiam conſtat ex iis quæ dixi-
mus *q. ſuperiori*, de diuiſione Eccleſiarum, & Patriar-
charum creatione, & Diœceſibus illis ſubiectis. De
Conſtantinopol. poſt Romanum dignitate, & de
ſingulorum finibus ac limitibus, eorúmque additio-
ne, extenſione, vel imminutione, quæ ſingula diſtin-
ctiùs perſequi longioris foret operæ, hocque loco non
ſatis commodo. Placet id ipſum vno Hieroſolymita- 8
ni exemplo confirmare: nam licet illa Apoſtolica eſſet
Eccleſia & cæterarum veluti mater, vbi tamen Veſ-
paſianus & Titus eius filius Hieroſolymam deſtruxit,
& Metropoleos dignitatem Cæſaream tranſtulit, ipſi
quoque Apoſtoli Eccleſiaſticam Hierarchiam Ro-
manæ Reipubl. accommodantes, totius Palæſtinæ
Metropolim dixere Cæſaream, Hieroſolymæ, ſiue
Æliæ ab Ælio Adriano, qui eam reædificauit, ſic dictæ
ſeruata honoris conſequentia, vt loquitur Ca-
non VII. Nicænus ſalua Metropoli dignitate, quod
& conſuetudinem & antiquam traditionem obti-
nuiſſe. Hæc porrò ἀκολυθία τῆς τιμῆς, in eo conſta-
bat, vt Hieroſolymitana Eccleſia eſſet Prouinciæ il-
lius protothronus, ſubiectus tamen omninò ſedi Cæ-
ſarienſi, quod apertè fatetur Hieronym. *Epiſt.*68.
aduerſus Ioannem Hieroſol. & Epiphan. Simili Epi-
ſtola. Quare Acacius Luſcus Euſebij in Metropoli
Cæſarienſi ſucceſſor, Maximũ Hieroſolymitanũ Epi-
ſcopum veluti ſuum ſuffraganeum deiecit, & Cyril-
lum intruſit apud Socrat. *lib.*1.*c.*30. Quare Acaicum
& Cyrillum, non ſine ſcandalo de iure Metropolico
contendiſſe ſcribit Theodoret. *lib.*2.*cap.*27. & tan-
dem à Synodo Seleucienſi Cyrillum exauctoratum
eſſe tradit Sozomen. *lib.*2.*cap.*24. litem eandem, ſed
infelici euentu mouit Ioannes, & iactans ſe habere
Cathedram Apoſtolicam, tum Cæſarienſem Metro-
politam, tum Antiochenum Patriarcham reiiciebat,
verùm cauſa cecidit: nam Dioſpolitanæ in Palæſtina
Synodo præſedit Eulogius Cæſarienſis, non ipſe
Ioannes Hieroſolymitanus teſte Auguſtin. *lib.*1.*con-*
tra Iulian. cap. 5. *&* 7. Ioanni ſucceſſit Praylius
huicque ſuffectus eſt Iuuenalis, qui Epheſo præfuerat,
atque adeò pluribus illis Sedi ſubiectis Prouinciis, ac
proindè dominari ſolitus ſe verè Metropolitam tulit,
& Sedi Antiochenæ ſex omninò Prouincias ſubdu-
xit, ſibíque vindicauit tres, nimirum Palæſtinam, duas
Phœnicias, & Arabiam Palæſtinam, quæ erat vltima
Prouincia Syriæ, in tres diuiſerant Romani Princi-
pes, atque vt facinus ſuum tueretur Iuuenalis, aſſen-
ſum & auctoritatem Synodi Epheſinæ obtinere ten-
tauit, ſed fruſtrà, Cœleſtinum Pontificem, & eius Vi-
carium Cyrillum, qui eius conatibus obſtiterunt, ad-
uerſarios nactus, quare ſpe ſua ductus Theodoſium
adiit, & ab eo pragmaticam obtinuit. Verùm non-
dum ſopitâ lite tandem in Concilio Chalcedonenſi
Act.7. idem Iuuenalis & Maximus Antiochenus, ita
conuenerunt, vt Antiochia duas Phœnicias & Ara-
biam, Hieroſolyma verò tres Palæſtinas haberet, quæ
pacta probauit Synodus vniuerſa, ipſique Pontificij
Legati Paſchaſinus & Lucentius Epiſcopi, atque
Bonifacius Presbyter. Hanc tamen Synodi approba-
tionem, vel definitionem reiecit Leo *Epiſt.*61. *&* 62.
Nicænorum Canonum vindex acerrimus, & Syno-
dum non niſi in cauſa fidei congregatam ſuoſque
Legatos ad eiuſmodi dumtaxat miſſos dixit; & quid-
quid contra Nicænos Canones conſtitutum eſſet,
irritum

irritum voluit, vt quod de ſede Conſtantinopolitana cui poſt Romanam primas tribuebant, & modò de ambitione, Iuuenalis Iudicatum fuerat, cùm Canon. Nicænus VII. Æliæ Epiſcopo ſolius honoris conſequentiam conceſſerit, vt retulimus & ſuo Metropolitæ, voluerit manere ſubiectum. Non idcircò tamen quieuit Iuuenalis, nam Synodo trium Palæſtinarum poſt Chalcedonenſem habitæ tanquam primas præfuit non verò Cæſarienſi Irenæus, qui verus & legitimus erat Metropolita. Tandem in quinta Synodo imperante Iuſtiniano lis tota iterum compoſita eſt, & decretum Chalcedonenſe firmatum, quamvis id in actis vulgatis non habeatur, ſed ex Vaticanæ Bibliothecæ in libello cenſum referat Baron. an. 88. 553. & ex Tyrio. *lib.* 14. *de bello*, Sacro *cap.* 12. Iuſtinianus verò qui cæſarienſem ciuitatem ſpirituali illâ iuriſdictione ſpoliauerat, auxit illam proconſulari nouella 103.

Ex his omnibus vides quàm retinentes fuerint veteres in diſpoſitione Eccleſiarum, ciuili formæ accommodanda, idque vna hactenus Eccleſia, Hieroſolymitana docuit, & multò etiam illuſtrius Patriarchatus Conſtantinopolitanus, in quo ſtabiliendo, & promouendo ab ipſis etiam imperatoribus & Synodis, tamdiu laboratum eſt repugnantibus Romanis Pontificibus qui Nicænos Canones violari non patiebantur, & inſtitutam ab ipſis Eccleſiarum diuiſionem ciuili Romanæ tunc conformem mutari minimè ferebant, ſed de eo Patriarchatu inferiùs.

CONSECTARIVM II.

Explicatur mens Canonis VI. Concilij Nicæni.

Non conſtituit nouas ſedes, n. 9. 10. 11. & 12.
Explicatur vox, Canonis antiqua conſuetudo, num. 3.
Romanus Pontifex Occidentis Patriarcha, numero 14.
Eius eminentia ſupra cæteros Patriarchas, numero 12. & 13.
Vnitas Eccleſiæ, n. 15.
Cur tres ſedes præcipuæ conſtitutæ à Petro, numero 15. & 16.
Quomodo tres illæ ſedes ſint vna ſedes Petri n. 16. & 17.
Comparatur cum politia Romana, numero 18. & 19.
Senſus tandem Canonis, n. 21. & 22.

9 DE hoc Canone magna excitata eſt quæſtio: volebant enim Euſebiani in conuenticulo Philippopolitano eo Canone euerti Romani Pontificis primatum, atque Monarchiam, inducique regimen Ariſtocraticum in tres Patriarchas ex æquo diuiſum, quos ſequuti ſunt Nouatores, quos omnes fuſiùs agitamus, *ſuperiori cap.* 3. *q. vltimâ* §. 13. *num.* 70. Cum ipſimet Romani Pontifices eo loco à nobis adducti, & alij quamplurimi ex illo ipſo Canone ſuum primatum validè confirment. Vt verò conſtet ampliùs in eo non agi de Romani Pontificij primatu, ſed de retinenda antiqua Eccleſiarum & ſedium Patriarchalium diuiſione, repetenda ſunt quæ, *ſuperiori quæſtione*, atque proximo conſectario de diuiſione Eccleſiarum conſtituebamus: indè enim liquidò Canonis ſenſus apparebit; Quare placet eum denuò retractare.

10 Obſeruandum autem imprimis eſt cum Cardinali Perronio, *cap.* 32. *reſponſ. ad magnæ Britanniæ Regem.* Huius aliorumque Canonum Nicænorum, qui de Eccleſiaſtica diſciplina quidpiam conſtituunt ſenſum inueſtigandum eſſe ex illius temporis hiſtoria, & rebus geſtis, quoties de illorum intelligentia difficultas aliqua oritur, quia cum eius magni Concilij acta perierint non poſſumus ex illis mentem Concilij venari.

11 Supponendum præthereà eſt Concilium non conſtituere de nouo ſedes Patriarchales, immò neque illis nouos limites & cancellos circumſcribere, ſed antiquum morem, & conſuetudinem ſeruari vellet, ne quis Patriarcha alterius prouincias inuadat. Cui decreto dederunt occaſionem Meletiani Schiſmatici; Meletius enim Lycopolitanus in Ægypto Epiſcopus cum multis criminibus etiam idololatriæ, conuictus in communi Epiſcoporum Synodo, à Petro Alexandrino Epiſcopo depoſitus eſſet, ſchiſma in illum conflauit, multis in illum & alios Epiſcopos conuitiis iactatis, vt narrat Athanaſ. in Apologia II. cui potiùs adhibenda fides eſt, quàm Epiphanio *Hære.* 68. qui ab aliquo Meletiano perſuaſus ſcripſit hoc Schiſma conflatum eſſe in carcere, in quo Meletius vna cum ipſo Petro detinebatur Alexandriæ, cùm lapſis reſtituendam eſſe communionem ante pacem redditam Eccleſiæ negaret Meletius & maxima confeſſorū pars: contrarium verò Petrus contenderet. Verum Athanaſio conſentit Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Petri Alexandrini, vbi narrat Meletium fidem negaſſe, Idolis ſacrificaſſe, cum Maximino Imperatore perſecutionem aduerſus fideles excitaſſe, ipſumque Petrum ad fugam & latebras compuliſſe, neque tantum excuſſit obedientiam ſuo Patriarchæ debitam; ſed etiam, vt ait Theodoret, exercuit tyrannidem contra primatum Alexandrinum, & (vt ait Gelaſius Cizycenus) prærogatiuam ſedis Alexandrinæ, atque ex Athanaſio, vt ambitione rebus præſideret, vicinæ Thebaidis Prouincias, & ius in illas Patriarchicum inuaſit, nouumque ſe in illis Patriarcham exhibuit, & vt ſuam factionem firmaret, fœdus iniit cum Arianis. Huius ferociæ, & petulantiæ, (vti loquitur, Concil. Nicen. *in Epiſtola Synodica ad Alexandrinos*) illum detulit ad Concilium Alexander Patriarcha; Concilium verò vt his turbis remedium adhiberet, rem ita compoſuit, vt Meletius nomen Epiſcopi in propria Eccleſia duntaxat retineret; omnibus verò muneribus Epiſcopalibus abſtineret, ab illo ordinati ita quidem in officio permanerent, vt ſanctiore ordinatione confirmarentur, & inferiores eſſent omnibus ab Alexandro ordinatis, quod ſuum decretum Concilium Epiſtola Synodica ad Alexandrinos, quam integram refert Theodoret. *lib.* 1. *c.* 9. & Socrat. *lib.* 1. *cap.* 6. vbi audaciam & petulantiam hominis depingit. Quamvis autem huic iudicio Synodi viſi fuerint acquieuiſſe Meletiani; nihilominus ab Euſebianis ſollicitati rurſùs Eccleſiam perturbare cœperunt; neque contenta fuit Synodus Meletij ferociam cohibuiſſe, legem tulit *hoc Canone VI.* qua Patriarchæ Alexandrino ſuum in totam Ægyptum, Lybiam & Pentapolim ius ſeruauit, & apud Antiochiam, & cæteras prouincias ſua Eccleſiis integra manere priuilegia ſanciuit; & denique ſtatuunt PP. non poſſe fieri Epiſcopum præter ſui Metropolitani ſententiam. Agitur igitur in illo Canone de ordinationibus Epiſcoporum & de iure Epiſcopi Alexandrini in Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim quod ſuâ temeratiâ audaciâ Meletius violarat, atque conflato ſophiſmatê ſibi ex parte vſurparat ordinationes impunè tota Ægypto faciens, contra Eccleſiæ Ale-

xandriæ iura; quæ Synodus confirmauit, ſicut & Eccleſiæ Antiochenæ & cæterarum priuilegia maximè circa ordinationes, quas temere Meletius in Ægypto vſurparat; & cauet ne quis ſimili audaciâ Anthiochiæ & in cæteris prouinciis vſurpet; ideóque declarat & definit non eſſe oportere Epiſcopum qui præter ſententiam ſui Metropolitani fieret Epiſcopus. Non agit igitur de conſtituendis Patriarchis & de aſſignandis eorum prouinciis, ſed ſolùm de ordinationibus & conſtituendis ex antiquo more iuribus Epiſcopi Alexandrini, quæ Meletius inconſultis ordinationibus violarat, quas illi ſeruari æquè atque Antiochenæ, cæterarumque prouinciarum Eccleſiis mandat. Vnde ſequenti Canone VI. edicit vt Æliæ Epiſcopo detur honoris conſequentia, maneat tamen ipſe ſuo Metropolitæ ſubiectus.

12 Vides itaque perſpicuum Canonis ſenſum, neque in eo quidquam legi quo Alexandrinum Patriarcham Romano exæquet, vel quo Ariſtocratiam tripartitam inducat, aut Romani Epiſcopi dignitatem vel iuriſdictionem coërceat, vti contendunt ſchiſmatici, & nouatores, maxime ex verſione, vel potiùs interpretatione Ruffini, quæ quamvis ſatis ſupérque confutata fuerit à nobis *cap. 3. q. vltima §. 13. num. 70.* iterùm excutienda videtur, ne quid dubij remaneat.

13 Difficultas igitur eſt ex illis verbis Canonis, *Antiqua conſuetudo ſeruetur per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim, ita vt Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quia & vrbis Romæ parilis mos eſt.* Quibus poſtremis verbis videtur Romanus Epiſcopus Alexandrino comparari, & ſimilem, vel æqualem in ſubiectis ſibi prouinciis nanciſci poteſtatem; ſed, vt nihil dicam de variis huiuſce Canonis editionibus, quæ manifeſtò primatum Romanum exhibent §. 13. citato allatis, atque vt vulgatam lectionem retineamus.

14 Obſerua Romanum Pontificem duobus ſiue muneribus, ſiue dignitatibus præditum eſſe, nempè Patriarchæ totius Occidentis, & præterea capitis ac Paſtoris vniuerſalis Eccleſiæ, atque adeò duplici iuriſdictione donatum, immediata quidem & proxima in omnes ſui Patriarchatus Eccleſias, ſicut cæteri Patriarchæ in prouincias & diœceſes ſibi ſubiectas, quarum cura illis quoque impendebat, vt conſtat ex iure Patriarchico, de quo fuſiùs *tom. 3.* vbi de Hierarchia Eccleſiaſtica. Ratione verò Capitis habet Romanus Pontifex iuriſdictionem mediatam in vniuerſam Eccleſiam, quæ immediatè regitur ab Epiſcopis, Archiepiſcopis, Metropolitis Primatibus, Exarchis & Patriarchis, à quibus tamen omnibus prouocatur ad Pontificem, qui illorum omnium caput, Coriphæus, Princeps, Iudex & Paſtor eſt, vti fuſiùs *cap. 3. tota quæſtione vltima per plures §. §.* luculenter euicimus ita vt de ea Pontificia dignitate, nihil ampliùs dubij nobis ſupereſſe poſſit & ipſemet Canon. VI. quem verſamus allegatus à Paſchaſino legato Pontificio in Concilio Chalcedon. *Act. XVI.* eiuſmodi Primatum luculenter adſtruit. De Patriarchatu verò Romani Pontificis in totum Occidentem non ſinunt veteres PP. dubitare; Baſili. *epiſt. 10.* Coriphæum Occidentalium vocat; Hiero. *Epiſt. 77. ad Marcum Presbyter. Celed.* damnari ſe dicit cum Occidente hæreſeos, hoc eſt, cum Damaſo, & cum Ægypto, id eſt, Petro qui nimirum Alexandriæ præerat ab ipſo Damaſo in ſedem ſuam reſtitutus ex Socrate *lib. 4. hiſt. c. 37.* Ipſi denique ſchiſmatici hunc Patriarchatum Occidentis in Romano Epiſcopo agnoſcunt, Nilus Theſſalonic. *lib. de primatu Papæ*, idem in eundem Canonem tradit Zonaras & *in canon. V. Concilij* Sardicenſis & *in comm. Canonis VI. Nicæni*, fateturque Romanum Patriarchatum amplexum eſſe, non omnes modò Imperij Occidentalis prouincias, ſed etiam Imperij Orientalis, quæ erant Occidentales nimirum Macedoniam, Illyricum Helladam Peloponeſum, & quæ poſtmodum tributæ ſunt ſedi Conſtantinopolitanæ, erant quidem omnes iſtæ prouinciæ Imperij Orientalis, ſed dicebantur ipſæ Occidentales, atque ad Patriarchatum Occidentalem pertinebant, quia quondam fuerant Imperij Occidentalis, & Romani, antequam Imperium Aſiæ à Seleucidis aliiſque principibus Ægypti vicinis auulsũ Romano vnitum fuiſſet, & quale diuiſum fuerat ab Antonino, & Geba, qui Romanum orbem partiti ſunt, & Baſphorum vtriuſque Imperij limitem conſtituerunt, quale denique manſit Imperatoribus Occidentalibus, dum Conſtantini hæredes totum & immenſum Imperium ſecuerunt, & inter vtramque partem montem Thuſcis vti diximus ὄρ⊕ τὸ λεγόμενον τισοῦκις *q. ſuperiori ex Socrat. lib. 2. Hiſt.* Totum (inquam) eiuſmodi Imperium Occidentale ſuberat Patriarchatui Romano, & Occidentali, ideóque Athanaſ. Apolog. ad Conſtant. numerat Eremium Epiſcopum Theſſalonicenſem inter Epiſcopos Occidentales, & Socrat. *lib. 2. hiſt. cap. 16.* ait Paulum Conſtantinopolitanum ab Imperio Orientis relegatum fuiſſe Theſſalonicam. Denique cum ad augendum Imperium Orientale vndecim prouinciæ Illyrici Orientalis, additæ ſunt nouem antiquis, quibus præfectura prætoria Occidentalis conſtabat, manſerunt tamen ſub Patriarchatu Romano quamvis factæ eſſent non exigua portio Imperij Orientalis, & dictæ ſunt prouinciæ Occidentales eiuſdem Imperij, vt diſtinguerentur ab aliis prouinciis quæ fuerant ſub præfecto prætorio Orientis, neque, vt dicemus, lex Theodoſij Iunioris *omni innouatione ceſſante*, quæ tribuit Epiſcopo Conſtantinopolitano Thraciam, Aſiam minorem, & Pontum ac proinde eas auellit à Patriarchatu Romano, quidquam officit: nullum enim ipſa ſortita eſt effectum vti conſtabit inferiùs.

In Epiſcopo igitur Romano agnoſcenda eſt duplex dignitas & iuriſdictio, nimirum Patriarchæ per totum Occidentem, & Capitis vniuerſalis Eccleſiæ, neque hæ dignitates confunduntur à Patribus, ſed paſſim diſtinguntur: itaque comparatur quidem Romanus Epiſcopus cum Alexandrino, & Antiocheno in ratione Patriarchatus: ſinguli enim illi eadem in ſuo Patriarchatu quiſque poterant, quod Romanus in ſuo, & Alexandria & Antiochia erant Ciuitates Metropolitanæ, & Dominæ ſuarum Regionum, vt Roma, & ſubiectarum ſibi Ciuitatum Orientalium, quia nihilominus Roma erat caput totius Imperij, cæteris omnibus dominabatur, ita quoad Eccleſiaſticam Hierarchiam, cuius caput eſt, cæteris illis Patriarchis imperabat, cum in illa Petrus cõſtituerit ſuum thronum vltimũ & abſolutum cui reliquæ ſedes Patriarchæ ſubiectæ ſint: inde enim Petri ſedem & cathedram radicem & originem vnitatis Eccleſiæ, Cathedræ, atque Epiſcopatus dixit Cyprianus, vti ſæpiùs retulimus.

Vnitas ſiquidem Chriſtiana non pendet ex vnitate 15
principatuum & Regnorum neque ex diuiſis illis omnibus diuiditur, inquit Auguſt. *lib. de vnitate Eccleſ. cap. 12.* cum in qualibet orbis portione, vnitas Catholica perſeueret, nam qui ſub firmo Barbarorum Rege in Africa Mæmia Saracenorum, Choſroë Perſarum, Aragonis principibus Damaſci, & in vicinis prouinciis degebant Catholici, communionem & Eccleſiaſticam vnitatem retinebant: hæc eſt tunica inconſutilis & contexta per totum, quæ ſcindi nequit vt veſtimentum Achiæ, quod in duodecim partes diſciſſum eſt vt, eleganter explicat Cyprian. *lib. de vnitat.*

Quia

Quia, inquit, *Chriſti populus non poteſt ſcindi, tunica eius per totum textilis, & cohærens, diuiſa à poſſidentibus non eſt, indiuidua, copulata, connexa oſtendit populi noſtri, qui Chriſtum induimus concordiam cohærentem, Sacramento vnitatis, & ſigno declarauit Eccleſiæ vnitatem.* Itaque Chriſoſtomus *in* 1. *ad Cor. cap.* 1. *hom.* 1. τὸ ὑπὲρ τῆς ἐκκλησίας ὄνομα οὐ χωρισμοῦ ἀλλὰ ἑνώσεως, καὶ συμφωνίας ἐστὶν ὄνομα. Dicitur columba vna *Cantic.* 6. & Dauid *Pſal.* 121. Hieruſalem ædificatur cuius participatio eius in idipſum. Paul. *ad Epheſ.* 4. *Vnum corpus, vnus ſpiritus, ſicut vocati eſtis in vna ſpe vocationis veſtra.* Vide plura apud Auguſtin. *in Pſal.* 101. Quia verò vnitas nec eſſe nec fingit poteſt inter res diuerſas niſi ſingulæ ad vnum reducantur, idcircò Eccleſiæ vnitatem, quæ tam diuerſas perſonas, mores, ingenia, loca, ætates aliaque plurimùm inter ſe diſcrepantia comprehendit, ſapienter Cyprian. *lib.* 1. ad vnum Petrum Paſtorem, & fundamentum Eccleſiæ eiuſque Cathedram reuocat: licet enim Chriſtus poſt reſurrectionem omnibus poteſtatem parem Apoſtolis tribuat: *tamen vt vnitatem manifeſtaret, vnam Cathedram conſtituit, & vnitatis eiuſdem originem ab vna incipientem ſuâ auctoritate diſpoſuit. Hoc erant vtique, & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi honoris, & poteſtatis, ſed exordium ab vnitate proficiſcatur. Primatus Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia & Cathedra vna monſtretur, & Paſtores ſunt omnes, ſed vnus grex oſtenditur, qui ab Apoſtolis omnibus vnanimi conſenſione paſcatur.* Addit & alia eam in rem quamplurima, quæ ſuo loco retulimus.

16 Atque vt neceſſaria illa totius Eccleſiæ cum ſuo capite atque Petro eiuſque Cathedra conſenſio, & cohærentia perpetuò retineretur, Petrus ita conſtituit Eccleſiaſticam Hierarchiam, & politicam, vt præcipuas Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ ſedes, in maioribus Politicæ Laicæ vrbibus collocaret, atque ita faciens inferiores vrbes, ac ciuitates Superioribus ſubiicerentur, & ciuitates quæ in ratione politica cæteris eminebant, in ſacra quoque iuriſdictione præſtarent. Quod totum eleganter & eruditè exponit Cardinal Petron. *cap.* 3. *reſponſ. ad Regem Britann.* Ea porrò ætate Alexandri, ſucceſſorumque eius Monarchia extincta, & Imperio Orientali Romanorum armis & victoriis ſubacto, & in vnam Monarchiam coniuncto, tres eminebant præcipuæ & Metropolitanæ ciuitates, quæ in toto illo immenſo Imperij orbe principatum ſibi vindicabant, Alexandria quæ Dioni Chryſoſtom. *orat.* 32. dicitur ſecunda ſub ſole ciuitas, δευτέρα ὑπὸ τὸν ἥλιον, quæ Imperij Ægyptiaci caput erat, & deinceps præfecturæ Ægyptiaci ſedes. Antiochia Ioſepho *lib.* 3. *de bello Iudaic. cap.* 3. Orbis Romani tertia ciuitas, τρίτον ἀδηρίτως ἐπὶ τῆς ὑπὸ ῥωμαίοις οἰκουμένης ἔχουσα τόπον. S. Chryſoſt. *hom.* 3. *ad pop. Antioch.* caput & matrem vrbiũ Orientis dixit, τῶν ὑπὸ τὴν ἕω κειμένων κεφαλὴ καὶ μήτηρ. Itaque Imperij Orientalis princeps erat ſiue Orientis Aſiatici, & in præfecturam Syriæ, & prouinciarum Orientalium deinceps à Romanis mutata fuit: tertia denique ciuitas Roma erat caput Imperij Occidentalis. Quare Iudæi Romam vocabant Imperium Edom: quia Idumæa quæ ſita erat ad Occidentalem Iudææ Meridionalis, & Titum Idumæum nominarunt. Vnde ineptientes Rabini ipſum gente Idumæum dixerunt, & Chaldæus *Hier.* 4. *v.* 22. illud Hieremiæ, *Viſitabit te filia Edom*, reddit, *Viſitabo te Roma impia.* Cum enim diuiſo Alexandri Imperio duo quædam conſtituta fuiſſent, nimirùm Ægyptiacum quod Ptolemæi lagi poſteri diutiùs tenuerunt, & Aſiaticum, quod Seleucidæ obtinuerunt: Seleucus ſiquidem, vt Hieronym. & Euſeb. affirmant in Chronico, deuicto Demetrio Aſiæ Rege, ex Syriæ & Aſiæ regnis vnum conflauit, cuius caput & Metropolis fuit Antiochia, ſed tandem his duobus Ægypti & Aſiæ regnis à Romanis occupatis, & in vnum collectis tres, vt iam monui, vrbes in vniuerſo Romano extiterunt, quarum duæ erant ſubalternæ. Tertia illis omnibus ſupereminens, Alexandria nimirùm Princeps Imperij Meridionalis, & Ægypti: Antiochia Imperij Orientis, ſiue Aſiatici. Tertia Romæ Imperij quidem Occidentalis Princeps, cæterarum tamen præterea caput, ſicut & regnorum, quibus illæ præerant. Ad eius politicæ ciuilis æmulationem ſanctus Petrus Eccleſiaſticam conſtituit: & primò quidem ſedem ſuam Antiochiæ Orientis capite conſtituit, eamque per ſeptem ann. tenuit ſiue in ea remanſerit, ſiue in vicinas regiones peregrinatus ſit, habuitque poſt ſuam ex illa migrationem, plures ſui ſucceſſores, in tota Aſia Orientali, ſiue in Oriente Aſiatico. Quare Conc. Chalcedon. *Act. VII.* thronum Petri vocat magnam ciuitatem Antiochenam, τὸν μὲν θρόνον τῆς Ἀντιοχέων μεγαλοπόλεως τὸν τοῦ ἁγίου Πέτρου, atque inde in eius laudes effuſus Chriſ. *Homil. in beat. Ignat.* πόλις ἦν τῆς πόλεως ταύτης τῷ θεῷ λόγος ὡς καὶ διὰ τῶν ἔργων αὐτῶν ἐδήλωσε τὸν γὰρ τῆς οἰκουμένης ἐπιστάσιν ἁπάσης πέτρον ᾧ τὰς κλεῖς ἐνεχείρισε τῶν οὐρανῶν, ᾧ πάντα ἄγειν καὶ φέρειν ἐπέτρεψε, πολὺν ἐνταῦθα χρόνον ἐνδιατρῖψαι ἐκέλευσεν. Vbi deindè aduertit fidem magnis incrementis vndique propagari, & Eccleſiæ vineam extendere ramos vſque ad mare, Peragratis Ponto, Galatia, Cappadocia, Bithynia, Aſia, ſedem ſuam Romam non Occidentis dumtaxat, ſed ex vniuerſi Imperij ac orbis Romani caput tranſtulit anno ſecundo Claudij imperatoris, vt affirmant Hieronym. *in Galat.* Leo de ſanctis Apoſtolis ſerm. & alij veteres paſſim, cum tamen reſtaret adhuc Alexandria imperij Ægyptiaci Metropolis, quæ plurimùm augendæ fidei ſua dignitate, & iuriſdictione prodeſſe poſſet, ad eam amantiſſimum Diſcipulum Marcum tanquam ſuum vicarium deſtinauit, ibique ſedem figere voluit vt vbique in tribus illis Orbis Romani ciuitatibus, eadem Petri fides vigeret, quam vel ipſemet Antiochiæ & Romæ vel per ſuum diſcipulum, & alterum ſeipſum docuiſſet. Quare Eccleſiam Alexandrinam, tanquam & Apoſtolicam & Romanæ fidei participem, & antiquarum regularum, ac traditionum cuſtodem commendant PP. vnde Athanaſ. Apolog. II. καὶ οὐχ αἱ τυχοῦσαι ἐκκλησίαι, αἱ πάσχουσαι ἀλλ᾽ ἃς αὐτοὶ οἱ ἀπόστολοι δι᾽ ἑαυτῶν κατηχήσαντο, ab Apoſtolis igitur conſtitutam Alexandrinam Eccleſiam dixit Athanaſ. Hieron. *Epiſt.* 68. *ad Theophil. & Epiſt.* 78. ad Pamelium, & Marcell. Leo. *Epiſt.* 79. ad Dioſcor. Hinc ortæ porrò ſunt tres primariæ illæ orbis Patriarchalis Eccleſiæ, quæ tribus præcipuis vrbibus Imperij, quod ex illarum coniunctione conflatum erat, reſpondebant; & ſicut ſingulæ illæ ciuitates præcipuæ erant & ſuarum regionum ac diuiſorum quorumdam Imperiorum principes ac capita, in eaque dignitate ſeorſim, reſpectu ſuorum imperiorum ſpectatæ æquales Iuriſdictione eſſent; vna tamen ex illis, quia non modò proprij Regni Principatum antiquum retinebat, ſed & totius Imperij reliqui caput euaſerat, cæteris & eminebat & imperabat, & quamvis Alexandria idem eſſet in Ægypto & toto illius regni tractatu, quod Roma in Occidente, & Antiochia in Oriente; nihilominus quia noui Imperij ex tribus antiquis coaleſcentis ſedes erat Roma, cæteris omnibus, Alexandriæ & Antiochiæ nimirùm dominabatur, in iis maximè quæ ad vniuerſi orbis Romani regimen ſpectabant; & ad illam ab omnibus aliis prouocabatur, tanquam ad

omnium

omnium caput,& Principem. Pari ratione trium iſtarum Principum, & Metropolium Imperij ſedes Eccleſiaſticæ & Patriarchales æquales erant dignitate & iuriſdictione in ſibi ſubiectas Eccleſias ſiue Patriarchatus & regionis attributa, & in iis quæ ad ſolum Patriarchæ munus ſpectabant. Quia verò ex illis Eccleſiis, & ſedibus vna præter Patriarchatûs dignitatem caput totius Eccleſiæ ſiue Imperij Eccleſiaſtici erat (neque enim ea capitis dignitas pugnat cum Patriarchatu aut Epiſcopatu particulari) ea ex cauſa cæteris Eccleſiis & Patriarchis anteibat & præerat. Quare illam caput omnium Eccleſiarum nominant Concil. Sardicenſ. *Ep. ad Iulium in fragmentis ad Hilari.* Concil. Chalcedon. *Epiſt. ad Leonem*, Iuſtinian. *tit.* 1. *c.* 7. *l.* 7. Gregor. *lib.* 2. *Regiſtri Ep.* 54. Pontificem autem Romanum dicit Valantin. *Nou.* 24. rectorem vniuerſitatis Eccleſiæ, Concil. Chalcedon. *Ep. ad Leonem*, cui à Chriſto credita eſt vnica cuſtodia, *κατ᾽ αὐτῶ τὴν ἀμπέλου φυλακὴν παρὰ τῶ σωτῆρος ἐπιτετραμμένω* Conc. VI. *Act.* 18. *πρωτοθρόνῳ σοὶ τῆς οἰκουμενικῆς ἐκκλησίας*, *& in acclamat. ad Impe.* *τῆς πρεσβυτέρας ῥώμης καὶ ἀποστολικῆς ἀκροπόλεως ἀρχιερατικώτατος πρόεδρος*, & *κορυφαιότατος πάπα* & *ibid.* Conſtant. Pogonat. *in Epiſt. ad Synod. Apoſt.* *ἐξάρχῳ*, *τῷ ἱεράρχῃ καὶ οἰκουμενικῷ πατριάρχῃ* & *οἰκουμενικῷ ἀρχιποίμενι*, *ibid.* vocat Conſtantin. aliorum Patriarcharum ſedes Synthronos Papæ, *τῆς ὑμετέρας μακαριότητος, τῶν τε συνθρόνων αὐτῇ μετ᾽ αὐτὴν ἁγιωτάτων πατριάρχων.*

17 Ex his etiam intelliges cur Gregor. *lib.* 7. *Ep.* 36. dicat tres Petri ſedes vnam ſolam eſſe in tribus locis; *Cum multi ſint Apoſtoli, pro ipſo tamen principatu ſola Apoſtolorum Principis ſedes in auctoritate conualuit, quæ in tribus locis vnius eſt, ipſe enim ſublimauit ſedem, in qua etiam quieſcere, & præſidendo vitam finire dignatus eſt. Ipſe decorauit ſedem, in qua Euangeliſtam diſcipulum miſit. Ipſe firmauit ſedem, in qua ſeptem annis, quamuis diſceſſurus, ſedit. Cum ergo vnius, atque vna ſit ſedes cui ex auctoritate diuini tres nunc Epiſcopi præſident, quidquid ego de vobis boni audio, hoc mihi imputo: ſi quid de me boni creditis, hoc veſtris meritis imputate.* Vnam igitur ſedem & vnius conflauit Alexandrina, Antiochena, Romana, quia omnes à Petro fundatæ, & ipſe illas omnes & regit, & regere debeat. Quam vnitatem ex Leone, eodem Gregorio, & aliis fuſiùs explicat Hincmar. *Opuſ. l.* 5. *capitul. cap.* 16. Ex quibus vides non modò æqualitatem, ſed & quandam vnitatem inter illas principes Cathedras & ſedes agnouiſſe PP. ſine damno tamen eximij iuris & prærogatiuæ Romanæ ſedis, quæ aliarum ita conſors eſt, vt ſimul ſit & princeps & caput.

18 Et ſanè, cum S. Petrus politiam & iuriſdictionem ſpiritualem ordinare atque diſponere vellet ſecundum ordinem in politia ciuili conſtitutum, vt faciliùs commodiuſque ſeſe mutuò iuuarent iſtæ politiæ, & homines vtrique libentiùs aſſueſcerent, rationi congruum admodùm fuit vt qua ratione Roma cum duorum aliorum Imperiorum, Ægyptiaci, & Aſiatici Metropolibus, Alexandria nimirùm & Antiochia comparabatur, cum hæ tres ſingulorum Imperiorum capita fuiſſent, vnaque ex illis præthereà totius, vniuerſique Imperij ex tribus coaleſcentis princeps & domina. Ita etiam in Hierarchia ſpirituali Romanus Patriarcha aliis duobus, Alexandrino nimirùm, & Antiocheno compareretur & æqualem quidem cum ipſis in ſui Patriarchatus ditione poteſtatem & iuriſdictionem haberet, quia tamen dignitatem capitis vniuerſalis & Paſtoris totius Chriſti gregis ab ipſomet Chriſto accepiſſet, toti Eccleſiæ atque adeò cæteris Patriarchis præſideret, atque, vt aiebat Leo, Roma latiùs imperaret religione, quàm victoriis bello partis, & maior ampliorque foret illius iuriſdictio ſpiritualis, quàm fuiſſet ciuilis, eaque ſine dubio cauſa mouerat Petrum collocare ſupremam Cathedram, ſummamque iuriſdictionem, & totius Chriſtianæ religionis ea in vrbe, in qua iam ſummus imperij & orbis Romani principatus fuerat collocatus, eumque in finem docent PP. Deum Romanum Imperium tot victoriis illuſtraſſe, vt religioni Chriſtianæ ſedem orbi imperantem præpararet. Et cum Petrus vnitatis Cathedræ, & Epiſcopatus fons, & radix eſſet (vt aiebat Cyprian.) non alibi conueniebat ſuam illam Cathedram, thronum, & Epiſcopatum conſtituere, ex quo continua ſucceſſione ad finem vſque mundi procederent principes & ſummi Eccleſiæ ac gregis Chriſti Paſtores, vbi principalis thronus iuriſdictionis, & ſummæ auctoritatis humanæ ac ciuilis ſtabilitus iam erat. Quare ſapientiſſimus piiſſimuſque Theodoſ. *Nouell.* 24. Petri ſummam dignitatem & Romanæ ciuitatis nobilitatem ad aſtruendum illius primatum affert, quibus adiungit Synodorum iudicium, cum omnes nimirùm Synodi illum agnouerunt, & palam veneratæ ſunt, nunquam tamen ſe illi ipſum contuliſſe etiam Schiſmaticæ dicere auſæ ſunt, *Cum igitur*, inquit Theodoſius, *ſedis Apoſtolicæ primatum ſancti Petri meritum, qui princeps eſt Epiſcopalis coronæ & Romanæ ciuitatis dignitas, ſacra etiam Synodi firmarit auctoritas, ne quid præter auctoritatem ſedis illius inlicitum præſumptio attentare nitatur, tunc enim demùm Eccleſiarum pax vbique ſeruabitur, ſi rectorem ſuum agnoſcat vniuerſitas.*

Ex hac porrò comparatione Romanæ iuriſdictionis politicæ, & ſpiritualis, ex Petri inſtitutione, ſequetur aliud à Perronio Cardinali *cap.* 30. & 32. diligenter obſeruatum inter Romanam præfecturam eiuſque iuriſdictionem, & alias imperij præfecturas illud fuiſſe diſcrimen, vt non modò Imperator Romanæ Reipub. princeps & caput cæteris omnium aliarum ciuitatum Præfectis, Præſidibus, & Magiſtratibus imperaret; ſed etiam ipſe præfectus vrbi Romæ id ipſum poterat: duplicem ſiquidem ille iuriſdictionem habebat, vnam ordinariam certis prouinciis circumſcriptam, quæ eius tribunal ordinarium primùm adibant tanquam ad primoris cognitionis & diſceptationis iudicem, alteram tanquam Senator, & Vicarius Imperatoris, quâ ratione de omnibus Imperij & orbis Romani finibus cauſas per modum prouocationis & appellationis cognoſcebat, facta illi ab Auguſto & aliis principibus poteſtate, dum primùm dignitatem illam præfecturæ vrbicæ conſtituerunt, quod obſeruat Guido Pancirol *in notitiam Imper. Occid. cap.* 4. Dio Caſſius *lib.* 5. *πολίαρχος* & *τὰς τε παρὰ πάντων, ὧν εἶπον ἀρχόντων ἐφεσίμους τε καὶ ἀναπομπίμους κρίνῃ.* Statius *lib.* 1. Sylueſt. de præfecto vrbi Imperante Domitiano: 19

Inque ſinum quæ ſæpe tuum fora turbida queſtu
Confugiunt, legeſque, vrbeſque vbicumque togatæ
Quæ tua longinquis implorant iura querelis,

Idem conſtat ex Epiſt. Senatus ad iudices Carthaginenſes, & altera ad iudices item Treuirenſes, Aquileienſes ex relatis à Vopiſco; quin & habemus expreſſam Conſtantini Auguſti Legem *lib.* 11. *Cod. Theod. tit.* 30. *de appellation. lib.* 13. prohibet enim prouocationes à ſententiis inferiorũ iudicum ad ſe referri, ſed ad præfectum vrbi. Sic enim reſcribit ad Iulianum P. V. *Volumus &c. minimè eas ad noſtram referre clementiam, ſed grauitatis tuæ, cui noſtram vicem cõmiſimus, ſacrum auditorium expectari.* Quinam verò forent inferiores iſti iudices, à quibus ad præfectum vrbi appellaretur, docet Gothofred. *in Cõment. huius legis*, fuiſſe eum vtrumque prætorem vrbanum, & peregrinum

ex *lib.* 17. *C. de appellation.* Atque alios Magiſtratus; & tandem concludit ad præfectum ordinario iure appellatum fuiſſe non tanquam ad delegatum extra ordinem in peculiari aliquo negotio; qui præfectus vrbi vt dignitatis ſuæ vicem Principis ſuſtinebat, & ſacra vice cognoſcebat, quod dicitur C. Theoſ. eodem de appellation. *lib.* 12. *lib.* 13. *lib.* 18. *lib.* 44. *lib.* 61. & alibi. Quare Symmach. *l.* 2. *Epiſt.* 30. præfectum vrbi ſacri auditorij cognitorem vocat. Vide eundem *lib.* 10. *Epiſt.* 55. & Gothofredum *ad l.* 11. *citatam.* Sicut igitur præfectus vrbi initio fundati maximi Romani Imperij præter iuriſdictionem, qua pollebat in ſui territorij prouincias; quia tamen ſimul Imperij Vicarius & Princeps Senatus erat, cognoſcebat de omnibus triplicis quondam Imperij in vnum tunc conflati cauſis, per prouocationem ad ſe delatis. Non aliter Romanus Pontifex præter iuriſdictionem, quam vt Patriarcha Occidentis in totum huiuſmodi Patriarchatum gerebat, tamen vt Petri ſucceſſor & ſolus vniuerſalis Chriſti Vicarius, in omnes orbis Chriſtiani Prouincias poteſtatem & habuit & exercuit, vt frequenter monemus ex Patribus, Irenæ. *lib.* 3. *cap.* 3. in ea fide præcipuam, & potentem principalitatem, ad quam oportet omnem Eccleſiam conuenire, agnouit. Cyprian. *Epiſt.* 55. *ad Cornelium Papam.* Cathedram Petri, Eccleſiam Principalem, originem vnitatis Sacerdotalis, Athanaſ. *Ep. ad vitam ſolitar. agent* μητρόπολιν τῆς ῥωμαΐας id eſt Romani Imperij Nazianzen. *in carm. de vita ſua* πρόεδρον τῶν ὅλων. Auguſt. *Epiſt.* 162. in qua floruit principalitas ſedis Apoſtolicæ, Proſper eruditiſſimus ſui ſæculi, Ioſepho Scaligero *lib.* 2. *de vocat. Gent. cap.* 6. idem quod Auguſtin. affirmat & lib. de ingratis,

Sedes Roma Petri, quæ Paſtoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non poſſidet armis
Religione tenet.

20 His paulò fuſius elucidatis venio ad Canonem Nicænum & dico illum non comparare Patriarchas Alexandrinum & Antiochenum cum Romano niſi in ratione Patriarchatûs, non verò in ratione capitis & Paſtoris vniuerſalis, quod iamdiu moneo, & alios Patriarchas ad exemplum Romani ſe gerere voluit in ſua Patriarchali iuriſdictione & dignitate. Cum itaque agebatur de celebratione Synodorum Prouincialium, aut nationalium, vel diœceſalium, de Sacerdotum vel Diaconorum moribus corrigendis, de confirmatione mediata vel immediata Epiſcoporum Patriarchatus, de iudiciis ſubalternis etiam Epiſcoporum examinandis, & eiuſmodi aliis; Patriarcha Alexandrinus & Antiochenus ea omnia poſſent præſtare adinſtar Romani Patriarchæ Occidentis. Vt tamen de iis quæ poteſtatis Patriarchalis limites excederent, hoc eſt, de cauſis maioribus, quæ vniuerſam Eccleſiam ſpectabant, quales ſunt iudicia definitiua in controuerſiis fidei & Hæreſeon damnationibus, mores & politia vniuerſalis Eccleſiæ, exauctorationes vltimæ Epiſcoporum, atque adeò Patriarcharum iudicia & damnationes, hæc & cætera ſimilia ad Romanum Pontificem tamquam ad caput Eccleſiæ cæterorumq; Patriarcharum pertinebant; ille enim vnus de illorum iudiciis, atque adeò perſonis perpetuò iudicauit. Quare dum Nicænum Concilium in Canone illo VI. iubet ſeruari antiquam conſuetudinem quâ Alexandrinus habet poteſtatem in Ægyptum, Pentapolim, & Lybiam, non loquitur niſi de iis, de quibus tunc agebatur aduerſus Meletianos, qui huius Patriarchæ auctoritatem detrectabant; *Quia*, inquit, *Epiſcopo Romano parilis mos eſt*, in ſuo nimirùm Patriarchatu. Neque ſanè vult Concilium Alexandrinum Epiſcopum cum Romano comparare in omnibus quæ ad totam & vniuerſam eius auctoritatem pertinerent, & in iis quæ Patriarchalem poteſtatem ac iuriſdictionem excedunt: alioquin faceret in Eccleſia tria ſumma capita, quæ ſingula, ſi in vniuerſam Eccleſiam idem poſſent, haberemus Eccleſiam tricipitem & monſtroſam, ac, quod indè neceſſario ſequitur, totam omnium rerum perturbationem. Si verò tria illa ſuprema capita ſuas certas prouincias definitas haberent, non modo Ariſtocratiam facerent, ſed tria imperia Eccleſiaſtica ſiue tres diſtinctas Eccleſ. Dicendum igitur Patriarchas iſtos cum Romanò cōponi circa poteſtatem Patriarchalem, quam exerceri ab illis volebat Concilium inſtar Romani Pontificis in ſuo Patriarchatu, & in Occidente, cum præfectorum in variis prouinciis Imperij adinſtar præfecti vrbi regulabantur, non conferebatur idcircò illis omnis ea iuriſdictio, qua pollebat Præfectus vrbi; idcircò in cauſarum prouocationibus conſtituebantur, iudex & imperij Vicarius; neque æquabantur præfecto vrbi, imminuta illius maieſtate. Quoties etiam Concilia iubent Epiſcopos ſuas Parochias regere ad exemplum Archiepiſcoporum, aut ſinguli turmarum militarium duces illas inſtar totius cohortis aut legionis ductoris, non idcircò Epiſcopi Archiepiſcopis neque ſinguli præfecti Legionis Imperatori æquiparantur, neque quidquam aut Archiepiſcopis, aut ſummis Legionum ductoribus detrahitur, ſeruantque ſibi Archiepiſcopi iuriſdictionem in Epiſcopos, & Legionis præfectus ſingularum turmarum præfectis ſemper imperat. Quamvis igitur Concilium Nicænum velit Alexandrinum & Antiochenum Epiſcopum gerere ſe in ſuo Patriarchatu & in omnibus, quæ ad illam illuſtrem dignitatem pertinent, ſicut eſt mos Romano Epiſcopo, ſeſe gerere in ſuo item Patriarchatu & in toto videlicet Occidente, & adinſtar illius munus exercere, non propterea, vti iam monui, æquiparantur in omnibus, neque de dignitate Romani Pontificis, quatenus non modo exiſtit Patriarcha Occidentis, ſed etiam Eccleſiæ caput, & cæteris Patriarchis multò ſuperior eſt: neque alia de cauſa ipſum in exemplum & formam huiuſce regiminis adhibet illum Concilium, quia cum ſit Paſtor Chriſti, eſt (vt ait Petrus) etiam forma Gregis & Paſtorum.

Denique Canon iſte VI. nihil noui conſtituit, ſed 21
morem antiquum ab Alexandrino & Antiocheno ſeruari circa ſuam poteſtatem iubet, atque aliis etiam Eccleſiis ſua priuilegia manere, quia hic etiam mos antiquus & conſuetudo ſeruatur ab Epiſcopo Romano. Atqui & ante & poſt Concilium iſtud Romanus Epiſcopus poteſtatem in vniuerſam Eccleſiam & cæteros Patriarchas habuit & exercuit. Ipſi igitur à Concilio nihil poteſtatis conceſſum, nihil demptum fuit, quod tamen fatendum erit ſi duos alios Patriarchas ipſi æquauit, etſi eius auctoritatem exiguis tantùm cancellis coërcuit, Occidente nimitùm aut etiam multo anguſtioribus limitibus, Eccleſiis ſuburbicariis, ex inepta & falſa interpretatione Ruffini, de qua mox, eandem poteſtatem plurimum imminuit conſequentia iſta veriſſima eſt, ſi enim Pontifex poſt hunc editum Canonem eandem exercuit poteſtatem in ipſoſmet Patriarchas, quam priùs habebat, eamque ſupremam; nihil ſanè illi à Concilio detractum dici poteſt; atqui eiuſdem omninò poteſtatis Pontificiam auctoritatem ante & poſt Concilium Nicænum demonſtrare non eſt operoſum, cùm ita paſſim & vbique fateantur Patres, & annales Eccleſiaſtici loquantur.

Nam Alexandrini ſuum Epiſcopum Dionyſium 22
Romam profecti, apud ipſi cognominem Dionyſium accuſarunt.

negotium Romam referri mandauit, ibique Concilium coëgit, quod totam litem denuò expenderet, vtramque igitur partem litigantium ſuis litteris, & ſimul Gratiani Imperatoris ad ſeſe vocauit, quò Paulinus ſe contulit; Flauianus autem plurima cauſatus vadimonium deſeruit. Id teſtatur Hieron. *Epiſt.* 16. *ad Princip.* & *Epiſt.* 17. *ad Euſtoch.* Sozom. *lib.* 7. *hiſt. cap.* 11. vbi ait Epiſcopos Orientis in Occidentem vocatos, ipſiſque PP. Conſtantinopoli coacti excuſant ſe apud Pontificem à ſuſcipiendo illo itinere, cùm anno præterito poſt Concilium Aquilienſe veniſſent Conſtantinopolim, inuitati litteris, quas Pontifex eam ob cauſam ad Theodoſium Imperatorem ſcripſit, & tandem enixè orant, ne quid ſupra æquum Paulino fauerer. Lege eas literas apud Theod. *lib.* 5. *cap.* 9. *hiſt.* Suſpicantur enim iſti Epiſcopi ne Damaſus Paulino faueret, quòd in illa Antiochenæ fœda diuiſione creatus eſſet Patriarcha opera Luciferi Legati Liberij, qui Damaſum præiuerat. Denique Theodoſius, qui ſolus id temporis imperabat, Flauianum Conſtantinopolim vocauit, ſuaſitque quantùm licuit, vt Romam, licèt ſoluta iam Synodo, contenderet ad finiendam litem, quod ille ſemel & iterum variis ex cauſis recuſauit, ex Theodoret. *lib. cita. cap.* 23. Quare illum vitare voluiſſe iudicium & examen ſuæ cauſæ iure dixit Ambroſ. poſt Concil. Capuanum ſub Syricio Damaſi ſucceſſore *Epiſt.* 68. Mortuo ſubindè Paulino in eius locum à Concilio Capuano, quod Carthaginenſe tertium nominat vniuerſale, ſuffectus fuit Euagrius, qui iudicio ſe ſiſtitit Flauiano in ſua contumacia perſeuerante. Quare Synodus Theophilum Alexandrinum huius controuerſiæ cognitorem delegauit, qua de re ad ipſum Ambroſ. ſcribit *Epiſt.* 48. monétque ipſum vt vbi ſententiam tulerit, illam à Pontifice Romano probari curet; vbi tamen conſtitit Euagrium Paulini ſucceſſorem malè ordinatum fuiſſe, eò quod Paulinus illi ſolus manus impoſuiſſet, atque ita Flauianus iam liber ab omnibus aduerſariis exiſteret & quodammodò victor æmulis extinctis, Theophilus miſit Iſidorum legatum presbyterum, vt à P.R. Flauiano veniam impetraret, ipſeque Flauianus aliâ ſimili legatione petiit in communionem recipi, quibus tandem impetratis Antiochenæ Eccleſiæ partes diſciſſæ denuo coaluerunt. Ita Socrat. *lib.* 5. *cap.* 5. Sozom. *lib.* 8. *c.* 13. qui addit Ioannem Chryſoſtomum quondam Flauiani Presbyterum egiſſe cum Theophilo vt Romanum Epiſcopum Flauiano propitium redderent, & in eum finem miſiſſe Acacium Beroënſem Epiſcopum, & Iſidorum; id ipſum maximè curauit Theodoſius Imperator Romæ exiſtens, vti narrat Theod. *l.* 5. *cap.* 23. Ioannes Chryſoſtomus Eudoxiæ artibus à Conciliabulo Conſtantinopolitano præſide Theophilo ſua ſede in exilium pulſus ad Innocentium I. P.R. vt iniquum iudicium reſcinderet, appellauit. Habemus ipſius Ioannis Epiſtolas, quas ineptè aduerſarij circa hoc Chryſoſtomi factum obtrudunt, vt Innocentij auctoritatem eleuent, quas eruditè reiectas videbis apud Perronium *cap.* 25. *reſp. pag. mihi* 102. & *ſequentib.* Denique conſtat Ioannem ſolâ Pontificis auctoritate abſolutat, ſine Concilio alio fuiſſe abſolutum, quod teſtatur Gelaſi. *Epiſt. ad Epiſcopos Dardaniæ*, & mortuo Chryſoſtomo Arcadium atque Eudoxiam ſacris interdixit Innocentius I. Eius ſententiam refert Perronius ex Georgio Alexandrino antiquiſſimo ſcriptore, cuius verba non pigebit adſcribere: Διὸ ἐγὼ ὁ ἐλάχιστος καὶ ἁμαρτωλὸς ὡς πιστευθεὶς τὸν θρόνον τοῦ μεγάλου ἀποστόλου πέτρου ἀφορίζω σὲ τε κἀκείνην, te & illam, τῆς μεταλήψεως τῶν ἀχράντων μυστηρίων χριστοῦ θεοῦ ἡμῶν. Interdicit deinde Epiſcopis & Clericis ne illis miniſteria adminiſtrent ſub pœna depoſitionis, ὃν μὴν ἀλλὰ καὶ παντοῖον ἐπίσκοπον ἢ κληρικὸν ἰοῦσι τῇ τάγματος τῆς ἁγίας ἐκκλησίας τολμῶντα ἐπιχειρῆσαι καὶ μεταδοῦναι ὑμῖν ἀφ' ἧς ὥρας ἀναγνῶ τήμε τὸν παρόντα οὐδ' ἐσόμοι ὑπὸ καθαίρεσιν εἶναι. Deinde nunquam idem Innocentius voluit in ſuam communionem accipere Alexandrinum, Antiochenum & Atticum Conſtantinop. quin Chryſoſtomi nomen in ſacra dyphtica retuliſſent, ita Innoc. *Epiſt.* 17. *ad Alexandrum Antiochenum*, & Theodoret. *lib.* 5. *hiſt. cap.* 34.

Cauſa Pelagij iudicata in Synodo Palæſtinæ, & Cæleſtij in Concilio Mileuitano, & Carthaginenſi, Pontificis tamen Romani ſententiam ſibi accedere poſtulant PP. illi: vide Auguſt. *Ep.* 9. & 92. 93. *lib.* 2. *contra duas Epiſt. Pelag. cap.* 4. & *Epiſt.* 106. *Ep.* 157. Denique auctoritate Pontificia hæreſim illam fuiſſe excilam ſæpius aſſerit Proſper in Chronico, & *lib. contra Collatorem*, & *lib.* 2. *de vocat. gent. cap.* 6.

14 Non eſſet operoſum plurima ſimilia adducere & per omnes retro ætates oſtendere ſupremam Romani Pontificis in vniuerſam Eccleſiam, ipſos Epiſcopos atque Patriarchas poteſtatem, quàm & ante & poſt Concilium in omnibus grauioribus cauſis toto orbe exercuerit, vnde manifeſtum ſit, vel cæcutientibus Nicænum nihil ſuo illo Canone VI. illi conceſſiſſe auctoritatis, nihil detraxiſſe, cùm in conſequentibus deinde Conciliis Oecumenicis, Epheſino & Chalcedonenſi illuſtriùs multò apparuerit. Quare *Act.* 16. Concilij Chalcedonenſis, Senatores ſiue iudices poſt lectum Canonem VI. Nicænum, & III. Conſtantinop. & auditis Patrum ſingulorum, qui aderant, ſententiis, dixerunt primatum & honorem præcipuum perpetuò fuiſſe delatum Epiſcopo Romano, ἐκ τῶν πεπραγμένων καὶ ἐκ τῆς ἑκάστου καταθέσεως συνορῶμεν, πρὸ πάντων μὲν τὰ πρωτεῖα καὶ τὴν ἐξαίρετον τιμὴν κατὰ τοὺς κανόνας, τῷ τῆς πρεσβυτίδος ῥώμης θεοφιλεστάτῳ ἀρχιεπισκόπῳ φυλάττεσθαι. Ex his quæ geſta ſunt & ab vnoquoque depoſita perpendimus omnem quidem primatum, & honorem præcipuum ſecundum Canones antiquæ Romæ Dei amabiliſſimo Epiſcopo conſeruari, & ſanè ſingula illa priora Concilia ſingulis Patriarchis ſuos limites definiunt, Nicænum Alexandrino, Ægyptum Pentapolim, & Lybiam Conſtantinop. Canon II. Orientem Orientalibus, Chalced. *Act.* 7. Hieroſolymitano tres Palæſtinas; & ipſi Conſtantinopolitano Pontum, Thraciam, & Prouincias Barbaras: Romano verò nulla Concilia limites ponunt, quia vniuerſam Eccleſiam illi, quatenùs Chriſti Vicario ſubiici ſciebant: quod tamen non aduertit Nilus ſchiſmaticus, Theſſalonicenſis Archiepiſcopus qui & illimitatione eiuſmodi illimitatam quoque poteſtatem & in vniuerſam Eccleſiam argui, dixit *lib.* 2. *de primatu Papæ*. Quod igitur additur *in Canone VI. Quia Epiſcopo Romano parilis mos eſt*, licet intelligere & commentari in vniuerſam Eccleſiam. Quis enim alius Romæ mos & conſuetudo vigebat, quàm illa vniuerſalis omnium ſollicitudo & auctoritas? *Ad hanc enim Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam*, inquit Irenæ. *lib.* 3. *cap.* 3. neque præter Pontificis ſententiam licuit quidquam Eccleſiis indicere, ſiue Canonem ferre, vti alias ex Socrat. *l.* 1. *hiſt. cap.* 8. retulimus, μὴ δεῖν παρὰ τὴν γνώμην τοῦ ἐπισκόπου ῥώμης τὰς ἐκκλησίας κανονίζειν. Cum igitur in illis verbis Nicænis, *Quia Epiſcopi Romano parilis mos eſt*, aliquid reticeatur quod ſupplendum eſt, vt aliquem ſenſum perfectum exprimamus; non poteſt verò aliquid particulare reticeri, vt patet, ſed aliquid vniuerſale, ita vt Alexandrinus habeat in Ægyptum poteſtatem, quam R.P. habet in vniuerſam Eccleſiam: & ſanè cum illa reſtrictio Pontificiæ auctoritatis

à nobis reiecta ſit ex diſcrimine Pontificis & cæterorum Patriarcharum; hic enim Chriſti Vicarius, & Petri ſucceſſior vnicus, & vniuerſalis Patriarcha & Papa. Sic enim Clerici Alexandrini in Concilio Chalcedonenſi ſuum libellum inſcribunt, τῷ ἁγιωτάτῳ οἰκουμενικῷ πατριάρχῃ τῆς μεγάλης ῥώμης λέοντι, Iiſdem verbis vſi ſunt Monachi Antiocheni & Hieroſolymitani in libello quem Conſtantinopoli Agapeto Pontifici Romano ibidem exiſtenti obtulerunt, qui inſertus fuit actis Concilij Conſtantinopolitani, contra Anthimum ſub Iuſtin. τῷ δεσπότῃ ἡμῶν τῷ ἁγιωτάτῳ, καὶ μακαριωτάτῳ ἀρχιεπισκόπῳ τῆς πρεσβυτέρας ῥώμης καὶ οἰκουμενικῷ πατριάρχῃ Ἀγαπητῷ.

25 Reſtat grauis vt videtur ſchiſmaticis difficultas ex interpretatione Ruffin. *lib.* 2. *hiſt.* ſic enim compendio Canonem iſtum exponit, *vt apud Alexandriam & in vrbe Roma vetuſta conſuetudo conſeruetur, vt ille Ægypti, vel hic ſuburbicariarum Eccleſiarum curam gerat.* Suos igitur limites, eoſque admodum anguſtos circumſcribit Pontifici Concilium quem ad Eccleſias ſuburbicarias arctat.

Reſp. Falſam eſſe hanc impij, atque ab Anaſtaſio Pontifice diris deuoti hominis ex Hieron. & ipſomet Anaſtaſio *Epiſt. ad Ioann. Hieroſol.* interpretationem, & contra Græci textus in Nicæno, in Conſtantinopolitano, atque Chalcedonenſi Concilio, & omnium antiquarum editionum, & verſionum Latinarum fidem: neque mirum eſt hominem in Romanam Eccleſiam infenſiſſimum, & ab illa reiectum, plura in eius auctoritatem finxiſſe, quod & in Victorem alioſque Pontifices fecit in hiſtoria ſua dum exprimit Euſeb. *hiſt. libro quinto, capite vigeſimo-quarto*, & Ariano homini plurima in eius Pontificis contumeliam adiicit, neque ſola impietas & perfidia fidem interpretationibus & verſionibus huius auctoris detrahit, ſed etiam illius imperitia. Nam quis non rideat, quod *libro primo, capite primo Euſebij* Iacobum Epiſcopum Hieroſolymitanum dicat, *Iacobum Epiſcopum Apoſtol. libro quinto, cap.* 14. μακάριος, id eſt beatus, fingit ſanctum quendam nomine Macarium: ex Euſ. bio. Pamphyl. Ariano facit Pamphylum Catholicum & martyrem; ex Xiſto Philoſopho Pythagoreo, Xiſtum Papam & martyrem, quod illi exprobrat Hieron. *Epiſt. ad Cteſiphon.* quod Conc. Nicæ. *Canon.* 8. habet de Chorepiſcopo, exponit de ſede Epiſcopi vacante. Quid in origine corruperit exprobrat illi Hieron. *Apolog.* 2. Eraſm. præfat. in Hilarium, quem idem ſicut & Euſebium infecerat, idem arguit vir emunctæ naris Ioſeph. Scaliger. *Annotat. in Chronic. Euſebij numero MMLXV.* denique vt omnia vno verbo complectar, ita barbarum & ineptum fuiſſe; atque vtriuſque linguæ Græcæ & Latinæ imperitum ait Hieron. *Apolog.* 2. vt à Latinis Græcus, à Græcis Latinus haberetur. Quis igitur ſanus tam perfidi ignarique hominis interpretationem & textui Græco, & Latinis omnibus prorſus editionibus anteponat? maximè in editione Canonum Nicænorum, *lib.* 10. *hiſt. cap.* 6. vt pluribus, & ſingillatim oſtendit Cardin. Petron in Reſponſ. ad Britan. *capite* 33. alios enim Canones reticet, alios diuidit, alios truncat, aliis adiicit, alios deprauat, alios contra mentem & ſenſum verum exponit.

26 Neque obiicias Gelaſium opera Ruffini probaſſe iis exceptis quæ Hieronymus arguiſſet: loquitur enim Gelaſius de quibuſdam operibus Ruffini dogmaticis in Symbolo; non verò de hiſtoricis, alioquin probaſſet Gelaſius libros decem recognitionum Clementis, quos Ruffinus verterat, quos tamen idem Pontifex damnat *in decreto de lib. Apoc.* & ſi Gelaſius hanc verſionem de ſuburbicariis Eccleſiis, quam verſamus, probaſſet, qua ratione dixiſſet in decreto Romanam Eccleſiis prælatam eſſe cæteris omnibus, non Synodicis aliquibus conſtitutionibus, ſed Chriſti voce, *Tu eſt Petrus*, & obtinuiſſe primatum, & in commonitorio ad Fauſtum ex omnibus orbis partibus appellationes ad ſedem Apoſtolicam deferendas eſſe ex antiquis Canonibus? Et *Epiſt. ad. Epiſcopos Dardan.* ait Felicem Pontificem crediddiſſe Acacio Patriarchæ Conſtantinopolitano curam Regionum Ægypti & Antiochiæ. Quæ tam illuſtria elogia Gelaſij non conueniunt cum poteſtate ad ſolas Eccleſias ſuburbicarias à Ruffino ineptè reſtrictas.

27 Inutiliter quoque liber *de ſuburbicariis Eccl.* editus à Nouatoribus Francofurti anno 1618. *diſſert.* 2. *cap.* 6. vt hanc interpretationem tueatur, adducit Cyrillum, dum Nicænos Canones mitteret ad Epiſcopos Africanos, monuiſſe eos reperiri & legi poſſe in Hiſtoria Eccleſiaſtica, quod ipſi de Ruffini hiſtoria interpretantur, quia hiſtoria Socratis, Theodoreti, & Sozomeni poſteriùs ſcriptæ fuerunt, & nihil de Nicænis Canonibus agunt. Quaſi verò nullæ hactenus fuiſſent hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, in quibus iſti Canones legi potuerint, cum ipſemet Athanaſius Alexandrinus Synodicum ſcripſerit, quod allegat Socrat. *lib.* 7. *cap.* 12. Theodorus Mopſueſtenus nondum hæreſis infamia laborans particularem Nicænæ Synodi hiſtoriam ediderit, cuius meminit Nicetas *lib.* 5. *Theſauri cap.* 7. *&* 9. Philippus Sydonius hiſtoriam vniuerſalem congeſſerat ex Socrat. *lib.* 7. *hiſt. cap.* 27. atque ex hæreticis Philoſtargius Arianus apud Nicæphorum *lib.* 9. *cap.* 19. *& lib.* 12. *capite* 15. atque Nicætam *lib.* 5. *cit. cap.* 7. *&* 9. idem præſtiterat Sabinus Macedonianus apud eundem Socrat. *lib.* 1. *cap.* 5. deindè quomodo Cyrillus allegat hanc Ruffini hiſtoriam pro legendis iſtis Canonibus, quorum aliqui reperiuntur in exemplari miſſo à Cyrillo, & deſunt in hiſtoria Ruffini, alij verò leguntur apud Ruffinum & abſunt à Cyrillo? Cur Africani PP. exemplar Cyrilli Græcum reddi Latinè curarunt, & non vſi ſunt verſione Ruffini quam ipſemet Cyrillus illis allegarat, vt volunt aduerſarij? denique cur Cyrillus ſi exiſtimaunt Canone Nicæno P. Romani poteſtatem reſtringi ad ſolas vrbes ſuburbicarias vti habet interpretatio Ruffini, accepit à Cæleſtino poteſtatem excommunicandi, & deponendi illius nomine Neſtorium Conſtantinopolitanum? Cur eius Vicarius partes ſuſcepit, eoque nomine præſedit Concilio Epheſino? cur cum cæteris eiuſdem Concilij Epiſcopis paſſus eſt à cæteris Legatis Pontificis vocari caput Eccleſiæ, vicarium & ſucceſſorem ordinarium S. Petri? Neque plura neceſſaria videntur, ad confutandam hanc additionem Ruffini ſuburbicariarum Eccleſiarum, quam etiam ineptam eſſe ex anguſtiſſimis limitibus Romano Pontifici per illam fixis, cùm Alexandrino, & Antiochenos ampliſſimis tributi fuiſſent, iam oſtendimus *cap.* 3. *q. vlt. n.* 13. & diſtinctiùs docet Perron. *in reſponſ. ad Britann. cap.* 33. atque ne circa vocem hanc ſuburbicariarum Eccleſiarum contendamus, quod nuper eruditi viri magnis animis præſtiterunt, cùm ſuburbicariæ Eccleſiæ ſint illæ quæ ſunt ſub vrbe, & vrbis nomen ſignificet abſolutè Romam vt eſt totius Imperij Romani caput, & ſuburbicariæ Eccleſiæ quæ illi in toto Romano Imperio & orbe ſunt ſubiectæ. Alias verò Roma vrbs eſt quæ ſuam peculiarem præfecturam & præpoſituram habet, & ſuburbi-

caria

caria ſunt vicina loca illius præfecturæ ſubiecta quæ ad centum millaria porriguntur, ſi Ruffini additionem admittamus. ſuburbicarias Eccleſias in priore ſignificatione ſumemus, eritque Canonis ſenſus vt quam R. Pontifex habet poteſtatem in ſuburbicarias Eccleſias, hoc eſt totius Imperij Romani cui vrbs illa imperat, eandem obtineat Alexandrinus & Antiochenus, in eas quas ex antiquo more ſibi ſubditas habent, atque ita frangit Meletianorum audaciam qui aduerſus Alexandrinum iam diu rebellarant. Atque hanc ſuburbicariarum Eccleſiarum eſſe ſolam legitimam acceptionem eruditiſſime omni teſtimoniorum genere comprobat, *cap. 33. citato* Perronius, & tandem habemus quod *cap. ſuperiori* poſueramus, politiam, & Hierarchiam Eccleſiaſticam ad formam ciuilis fuiſſe inſtitutam in Eccleſiarum diuiſione, & S. Petrum in tribus imperij vniuerſi ſiue orbis ciuitatibus tres primarias ſedes collocaſſe, tum per ſe, tum per ſuum Diſcipulum Marcum: ex his verò Romanam elegiſſe, in qua ſedem, & Cathedram ordinariam atque ſupremam conſtitueret, & ſicut iam totius Imperij in vnum coaliti Roma caput facta erat: ita & caput Eccleſiæ fieret, ac proindè radix vnitatis Sacerdotalis, vt loquebatur Cyprianus.

CONSECTARIVM III.

Vnde Archiepiſcopi, Metropolitæ, Primates, Exarchi & Patriarchæ.

Diſcrimen harum dignitatum ex varia iuriſdictione, n. 1.
Varia nominum iſtorum acceptio, n. 2.
De primatibus, n. 3. & 4.
Illorum tria genera ex Hincmaro, n. 5.
Metropolitani, n. 6.
Archiepiſcopi, n. 7.
Exarchi, n. 8.
Patriarcha, n. 9.
Eorum omnium antiquitas, n. 10.
Explicatur Clemens de Flaminibus, & Archiflaminibus, numero 11.
Explicatur Anacletus, numero 12.
Et Gregorius VII. n. 13.
Ratio huius diuiſionis, n. 14.
Inductio & praxis, num. 15. 16. & ſeq.
Vbi fuſiùs de Primatu Lugdunenſi & reliquo Conſectario.

1 EX Eccleſiarum, & dignitatum Eccleſiaſticarum ratione iuriſdictionis diuiſione, facta adinſtar ad formam politicæ diſpoſitionis, quam à primis Eccleſiæ temporibus, ab ipſiſque Apoſtolis & Diuo Petro conſtitutam fuiſſe pridem oſtendimus hoc *capite quæſti* 1. ſtatim apparet, vnde ortum ſit vt inter Epiſcopos alij ſint Archiepiſcopi, alij Metropolitæ, alij Primates, alij Exarchi, & demùm aliqui Patriarchæ conſtituti dicuntur, qui licet inter ſe amplitudine iuriſdictionis differant, poteſtate tamen ordinis ſunt omnes æquales: ac proindè, ſi verum loquamur, totum diſcrimen inter iſtas dignitates ſolùm ex iure Canonico proficiſcitur: nam poteſtas iuriſdictionis eſt iuris Eccleſiaſtici, ab Eccleſia inſtituta, à qua etiam confertur, tollitur, minuitur, reſtringitur, augetur, ampliatur, cùm poteſtas ordinis ſit a Chriſto inſtituta ab eóque vnà cum ipſomet ordine conferatur, neque tolli poſſit ab Eccleſia, minui, aut augeri ſemel collata, licet quoad vſum poſſit ligari & impediri; immò & aliquandò reddi inutilis quando ad eius exercitium requiritur ſimul poteſtas iuriſdictionis, quæ auferibilis eſt. Quæ omnia dilucidè tradentur *tomo tertio*, vbi de Hierarchia Eccleſiaſtica: in præſentiarum verò inquirimus vnde ſit orta in iuriſdictione Eccleſiaſtica huiuſmodi varietas, quæ diſcrimen harum omnium dignitatum intra vnum & eundem Epiſcopatus ordinem inuexit, nam de ſingulis latè dicemus *laudato tomo* 3.

Obſeruandum imprimis eſt hæc nomina *Archiepiſcoporum*, *Metropolitarum*, *Primatum*, & *Patriarcharum*, aliquandò preſſiùs, aliàs latiùs ſumi, ita vt videantur quandoque confundi. Itaque tum Canones, tum auctores Eccleſiaſtici, qui videntur aliquandò contraria loqui, diligenter expendendi pro diuerſis ætatibus, diuerſis regionibus, atque moribus, ex quibus vocum ſignificatio & vſus ſolet plerumque variari, nouæque dignitates induci, & antiquæ mutari: nam ne ipſos quidem primates vel Patriarchas quidquam priuilegij habere præ cæteris Epiſcopis, *niſi quantum ſacri Canones concedunt, & priſca conſuetudo illis antiquitùs contulit*, inquit Nicolaus I. *Epiſt.* quam anno 864. ſcripſit ad Rhodulphum Beturicenſem, cuius fragmentum eſt citatum *cap. conqueſtus 9. quæſt.* 3. Integra verò edita eſt *tomo 22. Conciliorum editionis regiæ pag.* 415. Intelligit verò Nicolaus eo loco per Canones, quos allegat Canon Chalcedonenſ. IX. & XVII. & decreta Anacleti: ait ſiquidem Nicænas regulas ſeruandas, quæ ſingulis ſua priuilegia intacta manere volunt; quia verò ius Eccleſiaſticum & peculiares Canones variis in regionibus & ætatibus mutatum eſt in hac parte, idcircò iſtæ dignitates mutationem quoque aliquam acceperunt, aut confuſionem. Nam ætate Hincmari nulla erat inter Metropolitas atque Primates Gallicanos, Belgicos, & Germanicos prærogatiua, niſi tempore ordinationis, vt ait idem Hincmar. *Epiſt.* 8. *cap.* 16. eaque diſciplina perſeuerauit vſque ad annum 1079. quo Gregorius VII. in Gebuino Epiſcopo perpetuum primatum contulit Eccleſiæ Lugdunenſi, in quatuor Prouincias Lugdunenſes, *Confirmans Primatum* (inquit Gregor. *lib.6. Epiſt.* 35.) *ſuper quatuor Prouincias Lugdunenſi Eccleſiæ tuæ, & per eam tibi, tuiſque ſucceſſoribus.*

3 Itaque primatus nomen aliquando Metropolitam ſignificat, aliquando dignitatem quandam maiorem quæ Metropoli præſit, vt habetur in Iſidori collectione, & ipſe Nicolaus primus *Epiſtola citatâ* Rodolphum Bituricenſem primatem & Patriarcham nominat: & ſanè in vſu ciuili primates dicti ſunt qui primum locum in aliquo collegio obtinebant, vel proceres alicuius gentis, quomodo Ammianus dixit primates Alemannorum, & Ambroſius primates conſiſtorij, & ipſi Imperatores primates ciuitatum nominant Magiſtratus municipales, qui præſunt Decurionum ordini. Ex iure ciuili vox iſta ad vſum Eccleſiaſticum deducta eſt, ita vt aliquandò Epiſcopum qui ſuæ Diœceſeos ſeu Parochiæ primas eſt, ſignificet, quomodo nominatur Epiſcopus Aquenſis ab Stephano Papa litteris ad Gualbertum; frequentiùs ſignificat Metropolitam vnicæ Prouinciæ præpoſitum, vt in Concilio Braccar I. *cap. 6.* & Martin. Braccarenſis *in ſua collectione*, ait per ſingulas prouincias oportere Epiſcopos agnoſcere primatum ſui

ſui Metropolitani, & ipſam curam primatûs ſuſcipere. Metropolitani igitur, qui ſuæ Prouinciæ Conciliis præerant primates dicebantur; quare Concilum Taurinenſe habitum anno 397. ita controuerſiam Vienneñſis, & Arelatenſis dirimit, vt qui probauerit ſuam ciuitatem eſſe Metropolim, is totius Prouinciæ primatûs honorem obtineat, & iuxta Canonem ordinationum habeat poteſtatem. Is igitur Primas erat qui Metropolita, ſiue cuius ciuitas in laterculo Imperij Metropolis erat, cuius inſtituti rationem reddunt PP. Antiocheni *Canone X* quia in Metropoli conuentus iuridici agi ſolebant à præſidibus Prouinciarum, *propter quod*, inquit Dionyſius in ſua verſione, *ad Metropolim omnes vndique, qui negotia videntur habere concurrant*, Διὰ τὸ ἐν τῇ μητροπόλει πανταχόθεν συντρέχειν πάντας τοὺς πράγματα ἔχοντας. Eadem ſignificatione Primates nominabantur paſſim in Africa Epiſcopi, quos nominamus Metropolitanos, qui primæ ſedis Epiſcopi ſunt, & ſuarum Prouinciarum Conciliis præſident; quare Canon. XIX. *in Codice Canon. Eccleſiæ Africanæ*, ſic edicit: *Quiſquis Epiſcoporum accuſatur, ad Primatem prouinciæ ipſius cauſam deferat accuſator*, & Canon XXVIII. iubet inferiores Clerici, qui de iudiciis ſuorum Epiſcoporum queſti fuerint, audiantur iudicentúrque à vicinis Epiſcopis cum conſenſu ſui Epiſcopi, à quo iudicio, ſi prouocandum putauerunt, non ad tranſmarina iudicia, ſed ad Primates ſuarum Prouinciarum, ἀλλὰ πρὸς τοὺς πρωτεύοντας τῶν ἰδίων ἐπαρχιῶν. Erant igitur apud Africanos Primates iidem qui Metropolitani, quos ipſi vocabant primæ ſedis Epiſcopos, vti monuimus. Verùm prima illa ſedes, quæ in cæteris Prouinciis certo cuidam loco & ciuitati affixa erat, quæ Metropolis ſiue reliquarum vrbium mater in ciuili diſpoſitione dicebatur, in Africa antiquiori ordinationi tribuebatur, & qui antiquiſſimus omnium Epiſcoporum ordinatione erat, is erat quoque primæ ſedis eiuſdem Prouinciæ Epiſcopus: quare in Africana Diœceſi erant quidem ſex Prouinciæ, nimirum duæ Mauritaniæ, duæ Numidiæ, Byſacena, & Tripolitana, quæ ſingulæ ſuas Metropoles habebant; in ordine tamen Eccleſiaſtico prima ſedes nulli addicta erat, ſed ſeniorem Epiſcopum ſequebatur: quod ſapienter obſeruat Marca *opere de primatu Lugdunenſi*, *n.* 3. & probat ex Canone 86. Codicis Africani: *Deindè placuit omnib. Epiſcopis, qui in hoc Concilio ſubſcripſerunt, vt matricula & archiuium Numidiæ & apud primam ſedem ſit, & in Metropoli, id eſt, Conſtantinæ.* Hoc Concilium Mileuitanum dixit Inſtellus in notis, quòd controuerſiam de primatu Numidiæ, quæ in duas Prouincias diuiſa erat, inter Xantipum Epiſcopum Conſtantinæ, & Victorium Trigiſitanæ excitatam, cuius meminit Auguſtinus *Epiſtola ad eundem Victorium*, ſopiuit, adiudicato primatu ciuitati Conſtantinæ, quæ ab initio prima ſedes & Metropolis Numidiæ fuerat. Verum fallitur Inſtellus, ſapientérque vidit Marca Canonis verbis non tribui primam ſedem Conſtantinæ Metropoli Numidiæ, ſed diſertè ab illa diſtingui, cùm iubeat matriculam ſeruari & apud primam ſedem, & apud Metropolim Conſtantinam. Duo igitur loca numerat πρώτην καθέδραν, & τὴν μητρόπολιν. Neque duplici illâ voce vnam eandemque Conſtantinam deſignat, ſed volunt PP. matriculæ duo exemplaria duobus locis diuerſis aſſeruari: fatemur quidem Carthagini affixum fuiſſe primatum non modò illius Prouinciæ proconſularis, ſed & reliquarum quinque: quæ & ipſæ ſingulæ ſuas primas ſedes haberent, licèt, vt dixi, non eſſent perpetuò Metropoles, ſed ſenioris Epiſcopi ſedes, ſed illi erant ratione illius primatus iidem, quod reliquo orbe Metropolitani nominati à Metropoli, in qua ſedem habebant; ideoque Ferrand. *in Breuiario Canonum, tit.* 4. Canones veteres qui de Metropolitanis agunt, ſapienter ad primates Africanos tranſtulit. Eodem quoq; ſenſu primatûs vocem vſurpat *Epiſt.* 91. Auguſt. monet enim Theodorum Foroiulienſem Epiſcopum ne de re dubia conſulat ſedem Apoſtolicam, priuſquam illud cum ſuo Metropolitano contulerit: *Quia* (inquit) *in cauſis, quæ ad generalem obſeruantiam pertinent omnium Domini Sacerdotum, ſine primatibus nihil oportet inquiri.* Dionyſ. Exiguus *Can.* 35. Apoſtol. qui agit de Metropolitanis ſubſcribit *de primatu Epiſcoporum.* Hilarius Papa Conſtantium Eccleſiæ Vceticæ Epiſcopum dixit primatem æuo honoris, id eſt, antiquitate ordinationis, & cura Prouinciæ Narbonenſis Hermete Metropolitano ſuſpenſo demandatur ab eodem Pontifice illi, *quem repererit Epiſcopalis ordo primatem.*

Altera Primatis ſignificatio, eáque preſſior, hodieque vulgatior, atque ferè vnica apud Burchardum, Iuonem, Gratianum, cæteróſque Canonum collectores, eſt Epiſcopus, qui plures prouincias pluréſque Metropolitanos ſibi ſubiectos habet, diuerſáque aduerſus illos iura exercet, de quibus *tom.* 3. dicturi ſumus. Adi intereà Azor. 2. *par. libro tertio, capite* 36. *quæſt.* 3. Hæc porrò Primatis acceptio vſurpatur à Dionyſio Exiguo in verſione Canonis IX. Chalcedonenſ. *Quod ſi aduerſus eiuſdem Prouinciæ Metropolitanum Epiſcopus, vel Clericus habet querelam, petat Primatem Diœceſeos, aut ſedis regiæ vrbis Conſtantinopolitanæ, & apud ipſum iudicetur*, καταλαμβανέτω τὸν ἔξαρχον τῆς διοικήσεως, & *Canon.* 17. *ſi quis à Metropolitano læditur, apud primatum Diœceſeos, aut ſedem Conſtantinopolitanam iudicetur*, παρὰ τῷ ἐξάρχῳ τῆς διοικήσεως ἢ τῷ κωνσταντινουπόλεως θρόνῳ δικαζέσθω. Eadem omninò eſt Iſidori verſio, itaque iam olim præſtat Metropolitano Primas: quare Adrian. I. ſcribens ad Ingelrannum Meteuſem prohibet Primatis nomen quibuſcumque Epiſcopis, aut Metropolitanis tribui; ſed ei dumtaxat, cui plures Prouinciæ, & plures Metropolitani ſubiiciuntur. 4

Hincmar. *opuſc.* 55. *cap.* 17. tria genera primatum conſtituit. Primi ſunt ſoli Metropolitani ſuæ Prouinciæ, *qui ab Epiſcopis vniuſcuiuſque Prouinciæ ſine interrogatione alterius primatus prævalent ordinari, & ex antiqua conſuetudinis lege, à ſede Apoſtolica pallij ſolent genio inſigniri, & in loco decedentium Epiſcoporum, ſine conſultu vel licentia primatus alterius, in ſua prouinciâ quique poſſunt Epiſcopos ordinare, &c. Inter quos, ſicut & inter reliquos Epiſcopos hæc conditio regularis ſeruatur, vt qui primus fuerit ordinatus prior habeatur.* Atque ad hanc primatum ſpeciem, qui non niſi Metropolitani ſunt, plures Canones Africanos à nobis iam relatos, & Nicænos, Sardicenſes Antiochenos, decreta etiam Innocentij, Zoſimi, Leonis, Gregorij refert, & tandem ſic concludit; *Quibus & aliis ſacrorum Canonum, & decretis ſedis Romanæ claret ſententiis eoſdem Metropolitanos primates eſſe ſingulos ſingularum Prouinciarum, qui ex antiqua, vt præmiſimus, conſuetudine, & Apoſtolica traditione, ſecundum Nicænos Canones & conuocare Synodos, & ordinare, Epiſcopos, & ordinari à Prouincialibus Coëpiſcopis, ſine cuiuſpiam alterius Primatis interrogatione poſſunt, & diſponere regulariter quæque per ſuas prouincias poſſunt.* 5

Alij Metropolitani non tamen Primates dicuntur, quorum ordinatio ab alio pendet, qui proindè illis prior eſt, *Illi autem*, inquit, *Archiepiſcopi vel Metropolitani*,

tropolitani, qui hac ſine conſultu primatis non poſſunt exequi, Archiepiſcopi tantùm, vel Metropolitani habentur. & in hanc rem allegat Concilium Chalcedonenſe, Synodum Africanam, Innocentij decreta, & Leonis ad Anaſthaſium Theſſalonicenſem Epiſtolam: igitur ex ſententiâ Hincmari, hi omnes Metropolitani non ſunt primates, quamvis primam ſedem obtineant, & ius primæ ſententiæ in ſua prouinciâ, contra veterum, quos adduximus, mentem, qui omnes illos, primæ ſedis Epiſcopos Primates dicebant; requirit enim prætereà Hincmarus, *vt ſine alterius conſultu, & interrogatione ordinent, & ordinentur*; alioqui ſunt Metropolitani dumtaxat, eiuſmodi erant Epiſcopi, Antiocheno Patriarchæ ſubiecti, qui abſque illius conſcientiâ, neque alios ordinabant, neque ipſi ordinabantur: ſic enim Innocentius *epiſtola ad Alexandrum Antiochen.* quam refert Hincmar. ſtatuit: *Itaque arbitramur, frater chariſſime, vt ſicut Metropolitanos auctoritate ordinas ſingulari; ſic & cæteros non ſine permiſſu, conſcientiaque tuâ ſinas Epiſcopos procreari, in quibus hunc modum rectè ſeruabis, vt longè poſitos litteris datis ordinari cenſeas ab iis, qui nunc eos ſuo tantùm ordinant arbitratu: vicinos autem, ſi æſtimas, ad manus impoſitionem tuæ gratiæ ſtatuas peruenire: quorum enim te maxime ſpectat cura præcipuum tuum debent mereri iudicium.* In toto igitur Patriarchatu Antiocheno nulli erant primates ex regula Hincmari; immò neque in Alexandrino, cùm in tota Ægypto idem quod in Oriente vſurparetur; atque deindè in Conſtantinopolitano Patriarchatu: nam Epiſcopus Conſtantinopolitanus omnes Epiſcopos trium Diœceſeωn ſibi ſubditarum ordinabat. Leo quoque *Epiſt.88. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem*, ait Metropolitanum Epiſcopum de perſona conſecrandi Epiſcopi referre debere ad Theſſalonicenſem, *vt ordinationem ritè celebrandam eius firmet auctoritas. Metropolitano verò defuncto cùm in loco eius alius fuerit ſubrogandus, Prouinciales Epiſcopi ad ciuitatem Metropolim conuenire debebunt, vt omnium Clericorum, atque omnium ciuium voluntate diſcuſſa, ex preſbyteris eiuſdem Eccleſiæ, vel ex Diaconibus optimus eligatur, de cuius nomine ad tuam notitiam Prouinciales referant Sacerdotes impleturi vota poſcentium, cùm, quod ipſis placuit tibi quoque placuiſſe cognouerint.* Quæ omnia ab Hincmaro relata demonſtrant quidem alios eſſe Metropolitanos, qui ordinant, & ordinati dependent *à conſultu alterius*, alios verò, qui hæc omnia præſtant independenter ab aliis; atque adeò quoſdam maioris, vel minoris auctoritatis Metropolitanos habendos eſſe, immò & illos ſuperioris, amplioriſque auctoritatis Primates potiori iure, & comparatione ad minores dici poſſe, non indè tamen habentur duo genera Primatum; ſed Metropolitanorum dumtaxat. Maneat igitur illum dumtaxat Primatem dici & à Metropolitano diſtingui, qui pluribus Metropolitanis & Prouinciis præeſt, licèt & ipſe ſubſit Patriarchæ. Meliùs diſtinxit Balſamon *ad Can. 9. Chalc.* & vnum vocat Primatem prouinciæ, alterum Primatem Diœceſeos, de eóque loqui Chalcedon. Synodum *Canon. 9. & 17.* Verùm Hincmarus eodem loco primates, & Patriarchas confundit, contra mentem veterum: *Patriarcha quoque vel primates*, inquit, *qui duobus his nominibus in vnius prioratus funguntur officio, non ſolùm aduersùs tertiam, & ſecundam ſedem, verùm & contra primam & Apoſtolicam ſedem legimus extuliſſe, adeò vt Epiſcopus Conſtantinopolitanæ ciuitatis olim Herecleotis ſuffraganeæ contra regulas tertiæ ſedis Epiſcopum ordinare præſumpſerit, & ſecundæ ſedi à Synodo, & ab Imperiali poteſtate præferri, contra regulas obtinuerit.* Vides autem hanc Hincmari Primatis cum Patriarcha confuſionem infrequentem omninò eſſe, quamvis & alij aliquando eam vſurparunt; ſic Gregor. Turon. qui Nicetium Lugdunenſem, Concilium Matiſcon. 2. Priſcum, & Petrus venerabilis *l.2. Epiſt.2.* alium Petrum, omnes Lugdunenſes Epiſcopos Patriarchas dixere. Immò & ipſum Romanum Pontificem nomine Primatis deſignat Nicola.I. *Epiſt. ad Michaëlem Imp.* Gregorius IX. *Epiſt. ad Gennadium Conſt. Primatem*: *Primatum illi nempè conuenit apex, primatus à ſolis ortu vſque ad occaſum* (inquit Pelagius I. *Epiſt. ad Sapandum*) ſiue, vt ait Ferrandus *Epiſt. ad Pelagium*, primatum omnium Epiſcoporum, & Anatolius, *Primatus vniuerſalis Eccleſiæ.* Leo *ſermon. 1. de ſua aſſumpt.* & Theophyl. *in c. 22. Primatem omnium, & præfectum orbis.* Paſchaſinus Pontificius Legatus in Conc. Chalcedon. *Act. XVI.* allegans *Canon. VI.* Nicæn. ſic eum refert, ἡ ἐκκλησία Ῥώμης πάντοτε ἔχε τὰ πρωτεῖα, quod Eccleſia Romana ſemper habuit primatum. Hanc verſionem (interpres Latinus ſapienter primatum vertit) vocent πρωτεῖα, vti aduertit. *lib.4. variar. cap. 14. num. 11.* Couarr. æquè enim rectè dicitur quis primatum obtinere, atque primas vel ſecundas, ſupple partes, & ita loquuntur Plini. *lib. 13. cap. 12.* & Varro *lib. 2. de re ruſtica cap. 7.* de eo qui primi loci prærogatiuam habet, aliàs primatus exprimitur, & πρεσβεῖα, quam vocem Latinus interpres in *Can. VI. Nicæno reddit priuilegia*, in Concilio Conſtantinop. quod fuit ſecundum Oecumenicum, *cap. 3.* dicuntur πρεσβεῖα τῆς τιμῆς primatus, vel priuilegia & prærogatiuæ honoris, Plutarch. *lib. an. ſeni ſit gerenda reſpublica*, πρεσβεῖον, & πρωτεῖον, interpretatur Turrian. *lib. 3. contra Magdeb. cap. 3.* illud Pauli 2. *ad Cor. cap. 5. Pro Chriſto legatione fungimur*, πρεσβεύομεν. Nam fungi legatione πρεσβεύειν, ſignificat poteſtatem, indè πρεσβεῖον ſignificat Diœceſim, in qua prælatio (vel vt ait Apoſtolus) legatio illi erat obeunda, quæ Paulo quidem erat illimitata, & vbique: prælatis verò Eccleſiaſticis certis terminis limitata, ita vt ſingulis ſint ſua πρεσβεῖα, & ſicut διδασκαλεῖα ſignificat doctrinam, & διδασκαλεῖον locũ, in quo docetur: ſic πρεσβεύειν docere, ſiue prædicare, & πρεσβεῖον locum, in quo legatione quis fungitur; & quia ille locus illimitatus erat Apoſtolis, Paulus dicit abſolutè ſe legatione fungi πρεσβεύειν, neque certum πρεσβεῖον deſignat; ſed cum Apoſtolorum poteſtas ceſſarit, ſoluſque Petrus ordinarium ſucceſſorem habuerit in amplitudine ſuæ poteſtatis Romanum Pontificem, ſolus ille etiam habet πρεσβεῖον ipſum orbem terrarum; cæteri omnes habent ſua πρεσβεῖα, quem Canon Nicænus ſingulis manere vult & in Antiocheno, de quo ibi, vocem, illam vſurpat. Verum quidquid ſit de mente Pauli eo loco, certum eſt quod iam monui, ea voce deſignari primatum quendam & prærogatiuam, ſic Demoſthen. *orat.* in Boëtium dixit, accipe regnum κατὰ πρεσβεῖον, iure præcipuo primogenituræ: ex his porrò omnibus primatis ſignificationibus nos maxime propriam in iure Eccleſiaſtico vſurpamus hoc loco, pro prælato, qui pluribus prouinciis Eccleſiaſticis & Metropolitanis præeſt, cæteræ ſignificationes latiores ſunt, licèt à variis aliquandò auctoribus vſurpatæ.

Metropolitani dicuntur in iure Eccleſiaſtico qui 7
Epiſcopatum habent in ciuitate Metropolitana, quæ ceterarum prouinciæ vrbium ac ciuitatum mater aut matrix eſt, vti diximus nuper, quamquam id nomen tribuitur iis etiam, qui aliis maioribus ciuitatibus præſunt. Vnde Metropolitæ dicuntur etiam ἀρχιεπίσκοποι πρῶτοι, πρωτεύοντες, προεστῶτες, πατριάρχαι,

provt ſtrictiùs ſumitur ea vox aut latiùs, ſed ſemper ſignificat Imperium vel vnius Prouinciæ Eccleſiaſticæ, vel plurium. De Metropolitanis honorariis, qui iuriſdictione tamen omni carebant, diximus *Conſectario* 2. Porrò dicebantur Metropolitani paſſim Apoſtolici, quod apertè tradit Alcuinus, *lib. de diuinis officiis cap.* 36. vbi de electione Epiſcopi eius deceſſore defuncto, *Eligitur*, inquit, *alius à Clero, ſeu populo, fitque decretum ab illis, & veniunt ad Apoſtolicum cum ſuo electo deferente ſecum ſuggeſtionem, hoc eſt, regulares litteras, vt eis conſecret Epiſcopum*, ſic Venantius Fortunatus *lib.* 3. ſcribens ad Euphronium Turonenſem vocat eum Dominum Apoſtolicum, eundemque titulum tribuit Gregorio Turonenſi, *in prologo ad vitam ſancti Martini*, Beda *lib.* 1. *Hiſtor. cap.* 27. 55. Germanum, & Lupum ſic quoque denominat, & Ruffus Epiſcopus *Epiſt.* 21. Nicetium Treuirenſem: Sidonius *lib.* 6. *Epiſt.* gratulatur ſancto Lupo Triceſſino nouē quinquennia in ſede Apoſtolica, id eſt, Epiſcopatu decurſa. Conſtantius presbyter, *præfat. ad vitam ſancti Germani*, vocat Patientem Dominum beatiſſimum Apoſtolicum. Almaldus ex Abbate S. Benigni Diuionenſi factus Epiſcopus Lugdunenſis dicitur in antiquis monumentis illius Monaſterij.

Factus Apoſtolici conſors & compar honoris,
Duxit Apoſtolicam factis & nomine vitam.

Vnicum tamen Apoſtolici titulum ſoli Romano Pontifici abſolutè tribuit Eccleſia, ſicut & Eccleſiam Romanam abſolutè dixit Apoſtolicam variis de cauſis, quas adducit Mathæus Caryophillus *lib. de poteſtate Papæ contra Nilum Theſſalonicenſem cap.* 1. Quænam verò eſſent Metropolitanorum iura, & quomodò crearentur, atque conſtituerentur, dicemus *Tomo III.*

8 Archiepiſcopi primùm dicti qui eximiis priuilegiis & iuribus ſupra communes Epiſcopos gaudebant. Quare eo titulo donatur Leo Romanus Pontifex in Concilio Chalcedonenſi à Diaconibus Alexandrinis, qui illi ſuos libellos cum hac inſcriptione porrigunt, *Sanctiſſimo, ac beatiſſimo vniuerſali Archiepiſcopo & Patriarchæ magnæ vrbis Romæ Leoni, & vniuerſali Concilio.* Cùm enim Epiſcopi & Metropolitani ſubiecti ſint Patriarchis, & ipſi Patriarchæ Romano Pontifici, iure merito dici poterit ipſe eorum Archiepiſcopus. Sanè Canone VI. Nicæno tres illi eximij Epiſcopi, Romanus, Alexandrinus, & Antiochenus non niſi Epiſcoporum vel ad ſummum Metropolitanorum nomine inſigniti ſunt; deindè in Concilio Epheſino Archiepiſcopi dicti, in Concilio Conſtantinopolitano Exarchi, Diœceſeos, & tandem in Concilio Chalcedonenſi promiſcuè Archiepiſcopi Exarchi, & Patriarchæ, nouâ dictione ſunt appellati.

Communiter tamen nomen Archiepiſcopi Metropolitanis tributum eſt, ipſéque Anacletus Archiepiſcopos & Metropolitanos confundit, quos à primatibus diſtinguit, & qui illis obediant, ipſorum nomine vti prohibet *Epiſtol. ad Epiſcopos Italiæ.* Quod idem facit Anicetus *Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ*: *Nulli Archiepiſcopi primates vocentur, niſi illi, qui primas tenent ciuitates, quarum Epiſcopos Apoſtoli & ſucceſſores Apoſtolorum regulariter primates & Patriarchas conſtituerunt.* Vbi vides & primates illo æuo vnà cum Patriarchis confundi, & Archiepiſcopos pro Metropolitanis vſurpari, Clemens *Epiſt.* 1. *ad Iacobum*, Archiepiſcopos à Primatibus diſtinguit & nomine & poteſtate, Canon Nicænus XLV. ex Arabico apud Piſanum *lib.* 7. vetat admitti querelam Archiepiſcopi aduersùs Patriarcham niſi adhibito altero Patriarcha, & illo abſente fauorem Archiepiſcopo præſtari. Canon XLVI. prohibet Patriarcham admittere querelam vnius Archiepiſcopi, aduerſus alterum Archiepiſcopum ſibi ſubditum, niſi altero Archiepiſcopo, & fratribus eius, interueniente, Canon XXX. inſcribit poteſtatem Patriarchæ, Archiepiſcopi & Epiſcopi, & de Archiepiſcopo ſic habet, *Quamuis ſit Archiepiſcopus inter Epiſcopos tanquam frater maior, qui curam habet fratrum ſuorum, & ei debent obedientiam, quia præeſt: eſt tamen Patriarcha loco patris, ſub cuius dominio ac poteſtate ſunt filij eius.* Canon XLI. ſtatuit quotannis Synodum Archiepiſcoporum apud Patriarcham cogi: quibus omnibus locis vides, nomen Archiepiſcopi pro nomine Metropolitani vſurpari, niſi dicas Teilonem & Theariſtum Conſtantinopolitanum, qui ex Græco in Latinum verterunt, vſos eſſe voce poſterioribus ſæculis vſitata, & in antiquo Græcè textu, ex quo ſumptus fuerat Arabicus, nomen Metropolitani eo nomine obuium fuiſſe. Quidquid verò de hac controuerſia ſtatuas, certum eſt Metropolitanos ſenſim abiecto eo nomine illud Archiepiſcopi magno ſtudio ſibi retinuiſſe, ex quo inductum eſt, quod in Galliis non eſſe factum ante annum 881. in Synodo Matiſconenſi, quæ Gontranno rege, & Pio II. P. M. habita eſt, exiſtimauit Marca, *opuſc. de primatu Lugdunenſi*, *n.* 79. Nam Capitulo 6. cauetur, *vt Archiepiſcopus ſine pallio miſſas dicere non præſumat.* In Synodo Sueſſyonenſi Pipinus & princeps Francorum Childerico Rege, contra Adlabertum hæreticum authoritate Synodi ordinauit legitimos Epiſcopos, & conſtituit ſuper eos Archiepiſcopos, Abel, & Ardobertum, vt ad iudicia eorum de omni neceſſitate Eccleſiaſtica recurrerent tam Epiſcopi, *quàm alius populus.* Deinceps verò in capitulis Hadriani Pontificis, capitularibus Caroli magni, & Ludouici Pij Epiſtolis Pontificum, Iſidorianæ collectionis, & Synodis Archiepiſcopi nomen frequens fuit in Metropolitanis Epiſcopis, qui illud omni ſtudio retinuerunt, & prærogatiuas maximè conceſſas, quas in nomine Metropolitico neglexiſſe videbantur fruiti ſunt.

Exarchi erant vel primæ ſedis Epiſcopi, vel Metropolitani, qui ita dicebantur veluti principes Sacerdotum; quare Canon 39. *in Codice* 7. *Africanorum Canonum*, qui apud Ferrandum, & *Canon* 82. prohibet ne primæ ſedis Epiſcopus vocetur Princeps Sacerdotum ἔξαρχον τῶν ἱερέων, aut ſummus Sacerdos, ἢ ἄκρον ἱερέα, ſed tantùm primæ ſedis Epiſcopus, ἀλλὰ μόνον ἐπίσκοπον τῆς πρώτης καθέδρας. Cuius Canonis cauſam reddit Inſtellus, quia in Africa ſolebant Epiſcopi ita nominari. Quare Optatus *libro 1. aduersùs Parmenian. Ipſi apices & Principes omnium Epiſcopi conſtituebant*, ſiquidem Africani plures gradus in Sacerdotio miniſtros, ſcilicet ſiue Leuitas & ſubdiaconos, Diaconos in tertio, Presbyteros in ſecundo Sacerdotio conſtituros, apices & Principes omnium Epiſcopos. Tertull. *lib. de Baptiſmo*, *Dandi quidem baptiſmi ius habet ſummus Sacerdos qui eſt Epiſcopus.* Auguſtin. *lib. queſtion. ex vtroque Teſtam. queſt.* 100. *Quid eſt Epiſcopus, niſi primus presbyter, hoc eſt, ſummus Sacerdos.* Quia verò voces τυφωδέστερον ſuperbum aliquid præferebant, repudiata eſt illa à Patribus Africanis appellatio, inque eius locum primæ ſedis nomen ſubſtitutum, eóque in Conciliis Africanis deſignati ſunt Metropolitani:

politani: Exarchi verò nomine non modò Metropolitanos,& aliquando quid ſuperius notatunt, v.g. Primates dicuntque ἔξαρχον διοικήσεως Concilij Chalcedon. *act. XIV.* dum referuntur acta Concilij ſecundi Antiocheni dicitur Exarchus Diœceſis Orientalis, *Can. IX.* Conc. Chalcedon. *Epiſcopus vel Clericus, qui cum Metropolitano controuerſiam habuerit, iubetur adire Exarchum τὸν ἔξαρχον διοικήσεως, vel ſedem regiam Vrbis Conſtantinopolis.* Exarchus igitur Diœceſeos maior erat Prouinciæ Metropolitano, & quamvis lis ſit an in eo Canone Chalcedonenſi ſit ſermo de R.P. vt voluit Nicol. I. *epiſt.* 1. ad Michaëlem Imperatorem, aut de ſingularibus Exarchis, quod modò non diſputo; reſtat tamen inquirendum quidnam eſſent Exarchi διοικήσεων. Nam Zonatas ad illum *canon.* 9. ait quoſdam eos inter Patriarchas cenſere, alios inter Metropolitanos. Balſam. non quemlibet Metropolitanum ſed Diœceſeos Metropolitanum accipit, Iuſtinian. *l.* 29. *C. de Epiſcop. audient. & nouella* 6. 7. 123. ἐξάρχους dicit πατριάρχας διοικήσεων, Socrates *lib.* 5. *hiſt. c.* 8. Diœceſes nominat πατριαρχίας, in iiſque fuiſſe πατριάρχας conſtitutos. Cum Metropolitanis confundit *Can.* 6. Concilij Sardicenſis, cum vult moneri Epiſcopum per litteras τοῦ ἐξάρχου τῆς ἐπαρχίας, nempe inquit Epiſcopi Metropolitani τοῦ ἐπισκόπου τῆς μητροπόλεως. Euagrius *Hiſt. Eccl. l.* 4. *cap.* 11. ſtatuit vt Patriarchæ cuiuſque Diœceſis vna mente conſentirent, ſingillatim verò ſingularum ciuitatum Epiſcopi ſuis parerent Exarchis τοὺς τῶν πόλεων ἐπισκόπους τοῖς ἰδίοις ἐξάρχοις ἕπεσθαι. Vbi vides Patriarchas ſumi pro primatibus, & Exarchos pro Metropolitis in Conc. Conſtantinopolitano,& Oecumenico VIII. *act.* 1. ὅρος, Θωμᾶ μητροπολίτου Τύρου παραθρόνου, καὶ ἐξάρχου. Definitio Thomæ Tyri Metropolitani, primatis, & Exarchi: dicebatur verò hic παραθρόνος, quia erat Tyrius Epiſcopus primus ſub Antiocheno & in eo Concilio locum ipſius tenebat, quia per obitum Patriarchæ ſedes illa tunc vacabat, vt dicitur *Actione* 5. *citata* de Tyrio Metropolitano, vide Philip. Betetium diatriba 2. Codinus in notitia Metropoleon Patriarchatus Metropolitani diſtinguit duos ordines Metropolitanorum, quorum primi,& honoratiores dicebantur ἔξαρχοι καὶ ὑπέρτιμοι, alij verò ὑπέρτιμοι dumtaxat: vnde factam enumerationem ſic concludit, μέχρι τούτων ἔχοντες τὰς ἐξαρχίας οἱ δὲ λοιποὶ πάντες μητροπολῖται οἱ ὑπέρτιμοι μόνον γράφονται, καὶ οὐκ ἔξαρχοι, *Hactenus qui Exarchos habent, reliqui verò omnes Metropolitani honoratiſſimi tantum inſcribuntur, & non Exarchi.* Itaque Exarchus aliquid ſupra Metropolitani dignitatem adiiciebat,& vt opinor Primatum, vti appellamus: nam in eadem notitia Metropol. Cæſareæ Cappadociæ Metropolis, totius diœceſis Ponti dicitur ὑπέρτιμος ὑπερτίμων ἔξαρχος πάσης Πόντου, quod malè in vulgatis legitur ἀνατολῆς: falſum enim eſt fuiſſe Exarchum Orientis: Epheſus enim erat Metropolis Diœceſis Aſianæ & eius Epiſcopus dicebatur ὑπέρτιμος καὶ ἔξαρχος πάσης Ἀσίας. Itaque Exarchus erat primus Diœceſis Metropolitanus, qui proximus Patriarchæ & aliquid iuris in reliquos Metropolitanos haberet. Denique nomen illud quidpiam eximiæ dignitatis præferebat, quare Photius *libello de ſeptem Synodis*, primos, & Coriphæos è Patribus Conſtantinopolitanis ἐξάρχους vocabat. Ex quibus tandem vides nomen iſtud varie omninò fuiſſe vſurpatum, quamvis ferè ſemper de Epiſcopis,qui quidpiam eximium præ cæteris habent, immo Duarenus *lib. de ſacris miniſteriis cap.* 22. obſeruat Iuſtinianum *Nouell.* 132. Exarchum vocaſſe, qui præfectus erat Monachis ipſiſque Archimandritis.

In rebus quoque politicis Exarchi Athenis fuerunt Magiſtratus ſupremi, qualis Romæ Dictator, apud Iulium Pollucem, erat & Exarchus Africæ qui illam vice Imperatoris regebat, quare S. Gregor. *lib.* 1. *epiſt.* 72. ſcribit ad Gennadium Patricium & Exarchum Africæ. Maxima Italiæ parte à Barbaris occupata mittere ſolebant Imperatores Exarchos, qui regerent quæ reſidua ſupererant Imperij, iiſque Rauennæ conſidere ſolebant: eorum potentiâ freti quidam Rauennates Epiſcopi aduerſus Romanum Pontificem rebellarunt, in his fuit Maurus Epiſcopus, qui in Vitalianum Pontificem Romanum ſententiam excommunicationis inflixit, & moriens omnes Clericos Rauennates monuit ne ſe vnquam Romano Pontifici ſubiicerent; qua de cauſa ab Adeodato Vitaliani ſucceſſore omni Eccleſiaſtica communione, ipſiſque ſuffragiis pro mortuis interdictus eſt, eiúſque nomen è ſacris dypthichis eraſum. Reparatus Mauri ſucceſſor ſategit vt Imperatoris reſcripto ne Rauennatis Eccleſia Romanæ ſubiiceretur, ſed fruſtra: quare facti pœnitens obiit. Exarchi quoque Italiæ conſenſum in electione Romani Pontificis requiri per ſummam tyrannidem voluerunt Imperatores: vnde ambientes Pontificatum Exarchorum ope plurima excitarunt ſchiſmata, Exarchorum dominatus duraſſe volunt aliqui annos 160. alij 175.

Reſtant Patriarchæ, quorum dignitas aliis omnibus 10 eminet. Vſitata fuit ea dignitas apud Iudæos, vt patet *pluribus ex legibus C. Theodoſiani de Iudæis*, quæ continentur *lib.* 16. *tit.* 8. præerant illi Iudæis ea ætate ſummo loco & ſummâ dignitate, vt apparet ex *l.* 8. & 11. 13. & aliis: nam & ab Imperatore clariſſimi & illuſtres vocantur, *l.* 8. 11. 13. & ſpectabiles, *l.* 15. habuere ſibi Adceſſores, quos Apoſtolos nominabant, *l.* 14. quos certo tempore Patriarchæ ad exigendum aurum, atque argentum à Synagogis mittebant, vt collatum ad ſe deindè referrent. Vocabatur illud aurum coronarium, *l. vltima*, de quo nos alibi, *tractatu de tributis* fuſiùs diximus *in opere de vniuerſa negotiatione.* Conſule Gothofredum *in C. Theod. lib.* 12. *tit.* 13. & *lib.* 16. *tit.* 8. *l.* 19. & *vltima.* De his Iudæorum Apoſtolis, qui cum Patriarcha die ac nocte perpetuò agerent, meminit Epiphan. *hæreſi* 30. *Hebionitarum*, in illis Ioſephum quendam inter viros dignitate præſtantes numeratus Euſebius in catena Patrum nondum edita, quam allegat Gothofredus, meminit,& Apoſtolorum, quos Iudæi Hieroſolymitani ad cæteros miſerunt, ad Domini doctrinam euertendam,& Hieron. in Epiſt. *ad Galat.* 6. obſeruátque idcircò Paulum dicere eo loco neque ſe ab hominibus, neque per homines miſſum, ad diſtinctionem eorum, qui ſic mittebantur. Erant & Apoſtoli qui decimas & alia eiuſmodi ad Leuitas deferrent; eos Philo in legatione vocat τὰς θυσίας ἀνάγοντες προπόμπους τῶν χρημάτων ἀριστίνδην ἐπιλελεγμένας, ſed de hoc Apoſtolatu plura Gotofred. *in lib.* 14. habet; Patriarchis Iudæis ſuberant Primates, qui ab illis *l.* 8. *C. Th. de Iudic.* deindè Archiſinagogi, *l.* 4. 13. & 14. *C. eod.* denique didiſcoli præſbyteri, Diaconi, & alij, de quibus Epiphan. *hær.* 30. *citata.*

Neque ſolis Iudæis nota ea dignitas & nomen fuit, ſed ipſis Gentibus, qui cum ſacris Ægyptiis præerant Patriarchæ dicti ſunt, teſte Herodoto, & Hadriano Imp. *epiſt. ad Seruium conſ.* apud Flauium Vopiſcum in Saturnino.

Inde ad ſacra Chriſtiana tranſiit hoc nomen, primúmque ab Orientalibus inductum eſſe exiſtimat Marca *l.* 1. *capit.* 9. *numer.* 5. quia apud eos Iudæos Patriarchæ vigerant, nulli verò apud Occidentales. Concilium Chalcedonenſe & in eo Diaconi Alexandrini in ſuis libellis Leonem R.P. eo nomine Patriarchæ donant, & ibidem Cognitores ſiue Iu-

dictos Diœceſeωn Exarchos, Patriarchas Diœceſeωn appellant, quæ deinde vox ſua nouitate placuit (inquit Marca) eò quòd Archiepiſcopi & Exarchi Diœceſeos, ſiue Epiſcoporum ſiue Patrum, & regionis, ſiue Diœceſeos vniuerſæ præfectorum ſignificationem expleat, & iam Socrates *lib. 5. cap. 6.* dixerat à Synodo Conſtantinopolitana Epiſcopos Diœceſeωn conſtitutos fuiſſe Patriarchas πατριάρχας καθ' ἵστησαν. Illi igitur Epiſcopi qui in Oriente erant maximæ Diœceſeos ἐπαρχίαις præerant, putà Alexandrinus & Antiochenus, & qui toti Occidenti Romanus, maiores Patriarchæ dicti ſunt. Præterea fuerunt, ſuntque hodie & alij Patriarchæ minores nominati, de quibus *tom. 3.* interim adi Azor. *tom. 2. l. 3. cap. 35. q. 5.* ſanè ſemper amplior, & ſublimior fuit iuriſdictio Patriarchæ, quam Epiſcoporum, quamquam & aliquando idem nomen paſſim tributum fuit Epiſcopis: ſic enim Gothorum Reges Italiæ regni Epiſcopos Patriarchas appellabant, vt conſtat ex epiſtola Regis Athalarici ad Ioannem R.P. huius nominis II. de electione Romani Pontificis & aliorum Epiſcoporum apud Caſſiodor. *lib. 9. epiſt. 15.* ſed etiam extra regnum Gothicum Metropolitanis aliquando, ſæpiùs verò primatibus idem nomen datum eſt, in ipſis etiam Conciliis, & apud Iuſtinianum qui Exarchum Diœceſeos Patriarcham interpretatus eſt; nos verò propriè accipimus hoc loco pro eo, qui ius habet ſupra ipſum Primatem, ita vt Epiſcopus præſit ſuæ Parochiæ, Metropolitanus ſiue Archiepiſcopus Prouinciæ, Primas pluribus Prouinciis, Exarchus toti, aut pluribus Diœceſibus; Patriarcha demùm reliquis omnibus, qui ad illum prouocant, eiúſque ſubſunt iuriſdictioni: ac denique R.P. omnibus & ſingulis Patriarchis tanquam vniuerſalis omnium paſtor, & (vt loquebatur Diaconus Alexandrin.) magnus & vniuerſalis Patriarcha.

11 Atque ex his omnibus ita conſtitutis duo quædam reſtant. Primum eſt an hæ dignitates ſemper in Eccleſia fuerint. Secundum vnde orta ſit Epiſcopalium Metropolitanorum, Primatialium, & Patriarchalium ſedium, & Eccleſiarum diuiſio.

Quoad primam Magdeburgenſes & alij nouatores eos diſtinctos Epiſcoporum ordines naſcentis Eccleſiæ primis temporibus fuiſſe præfractè negant, & vocabula, quibus deſignantur Primates, Metropolitæ, Patriarchæ, portenta & monſtra verborum nominant: eos confutat pluribus Franciſc. Turrian. *lib. 3. pro Epiſt. Pontif. cap. 3. 8. & aliis*, imprimis quia cum Paulus dicat ſe reliquiſſe Titum vt conſtitueret Epiſcopos per ſingulas ciuitates, κατὰ πόλιν per vnamquamque ciuitatem, & ciuitatum aliæ eſſent maiores, aliæ minores, aliæ Metropoles, & capita vel vnius vel plurium Prouinciarum, presbyteri vel Epiſcopi (eos enim eo nomine ibi deſignat) non eſſent in ſingulis eiuſmodi ciuitatibus adeò diuerſis eiuſdem gradûs & dignitatis conſtituendi. Deinde cùm habeamus in *Can. VI. Nicæno*, iſtam Epiſcoporum maiorum, & minorum diſtinctionem quoque iam antiquam habemus ἀρχαῖα inquit, antiquus ille mos, cuius initium deſignari nequit, non aliundè ſuam originem, quam ab ipſis Apoſtolicis temporibus repetere poſſumus: vult autem Canon vigere antiquas conſuetudines quæ in Ægypto, Pentapoli, & Lybia ſunt, vt Epiſcopus Alexandrinus horum omnium habeat poteſtatem. Similiter & in Antiochia & in aliis Prouinciis ſeruanda eſſe ſua priuilegia Eccleſiis, & ſi quis non aſſentiente Metropolitano Epiſcopus fiat, tunc magna Synodus decreuit non debere eſſe Epiſcopum. Quis igitur neget plures eo tempore in Ægptio, Lybia, & Pentapoli fuiſſe Epiſcopos, pluresque Metropolitas ſic à ciuitatibus Metropolibus, quibus præerant, dictos qui maiores eſſent Epiſcopis, qui ſine authoritate Metropolitani ordinari non poterant, quibuſque tamen & Epiſcopis & Metropolitis Alexandrinus Epiſcopus præerat, & quorum omnium poteſtatem iam à priſcis temporibus habebat, vt ait Nicænum, quibuſque præfuerat Marcus, & reliqui deinceps, vſque ad tempora Conc. Conſtitit igitur iam prima ætate forma politiæ Eccleſiaſticæ ex Epiſcopis & Metropolitis, ſiue Archiepiſcopis, quibus eſſent inferiores Epiſcopi, & ex aliis Epiſcopis Primatibus, quos & Patriarchas dixerunt, quibus etiam ſubiecti eſſent ipſi Metropolitæ, vt apertè ſignificat Canon. VI. ſæpè laudatus. Conſentit in hoc ordine Eccleſiaſtico recenſendo vir Apoſtolicorum temporum Dionyſius Areopagita *Epiſtola ad Demophilum Monachum*, vt enim temerarium Monachum, qui Sacerdotem nimiæ indulgentiæ arguere auſus fuerat, caſtiget, de Eccleſiaſticis ordinibus, & gradibus ordinéque ſeruando, atque ipſorum officio diſputat, & tandem §. 4. ſic concludit: *Ipſe verò cupiditati ac furori rationique, vt par eſt, ſua cuique munia præſcribe: tibi enim Diaconi & his Sacerdotes; præſules verò ſiue Epiſcopi Sacerdotibus atque præſulibus, ſiue Epiſcopis Apoſtoli, ſucceſſoreſque Apoſtolorum nimirum, munia præſcribunt, atque, vt decet, imperant* αὐτὸς μὲν ὅτι ἐνθυμίᾳ, καὶ θυμῷ καὶ λόγῳ τὰ κατ' ἀξίαν ἀφόριζε σοὶ δὲ οἱ θεῖοι λειτουργοί, καὶ τούτοις οἱ ἱερεῖς ἱεράρχαι δὲ τοῖς ἱερεῦσι, καὶ τοῖς ἱεράρχαις οἱ Ἀπόστολοι καὶ οἱ τῶν Ἀποστόλων διάδοχοι. addit Dionyſ. ſi quis illorum omnium aberrauerit à ſanctis ſui ordinis corrigatur παρὰ τῶν ὁμοταγῶν ἁγίων ἐπανορθωθήσεται, atque ita nulla fiet confuſio, neque ordo ordini permiſcebitur, ſed quiſque in ſuo ordine, & officio perſtabit, καὶ οὐ περιφρασθήσεται τάξις ἐπὶ τάξιν ἀλλ' ἕκαστος ἐν τῇ τάξει αὐτοῦ, καὶ ἐν τῇ λειτουργίᾳ αὐτοῦ ἔσται. S. Maximus *in huius capitis ſcholio*, aduertit deſcribi à Dionyſio mirabilem & laudabilem ordinem Eccleſiæ τάξιν ἐπαινουμένην ἐκκλησιαστικὴν, vt Monachi à Diaconis, hi à Presbyteris, iſti ab Epiſcopis, Epiſcopi ab Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus, atque hi demum à ſuis æqualibus corrigantur. Apoſtolorum porrò ſucceſſores interpretatur Maximus nunc eſſe Patriarchas Ἀποστόλων, δὲ διαδόχους τοὺς νῦν πατριάρχας ἡγοῦμαι εἶναι. Pachimer. verò in Paraphraſi, ſic exponit, ipſe ergò rationi & cupiditati atque iræ, vt par eſt, ſua munia præſcribe, hoc eſt, tu ipſe ne alium quemlibet, ſed te ipſum potius corrige & compone, σὺ αὐτὸς ἄλλον ἀλλὰ σεαυτὸν διόρθου καὶ τάττε, cuique facultati quod meretur impertiens, tibi interim Diaconi, illis item præsbyteri, apud hos Pontifices Pontificibus Apoſtoli, eorúmque ſucceſſores vitæ formulam præſcribant. Apoſtolos demùm eorumque ſucceſſores exponit, quod ea ætate eſſent adhuc aliqui Apoſtoli ſuperſtites, & ſucceſſores aliis ordinati, quod an verùm ſit, modo non diſputo, ſufficit quòd ab Apoſtolis ordinati præerant Pontificibus, ſiue Epiſcopis & ἱεράρχαις. Habebant igitur iuriſdictionem ſuperiorem & modo illam hodie retinent, illéque eſt in Eccleſia ordo. Eſt igitur maior aliqua dignitas Epiſcopali, quam Patriarchicam S. Maximus exponebat, & ex hactenus dictis conſtat eſſe Metropolitani, Primatus, Exarchi Diœceſeos & demum Patriarchæ. Vides igitur in Eccleſia perpetuò fuiſſe Epiſcopos maiores, quibus parerent minores, quod & Clemens *epiſt. 1.* & Anaclet. *epiſt. 3.* affirmant: atque ita demum omnia referrentur ad vnitatem, & ſicut per ſingulas Eccleſias tanquam ſicut per ſingulas familias Chriſti ſinguli diſpenſatores ſunt conſtituti, quibus ſua familia obediret, vt concors eſſet; ita inter diſpenſatores eſſet quædam inæqualitas, vt videmus in ciuitatibus & regnis, & denique

que

que ſuper omnes & vniuerſos diſpenſatores eſſet vnus conſtitutus, cui omnes diſpenſatores & familiæ Chriſti illis commiſſæ obedirent, vt eſſet ea ratione vna Monarchia, ceu omnium corporis vnius membrorum compago & concors coniunctio non ſchiſma, quod Clemens ſcribit S. Petrum monuiſſe cum Zachæum Cæſareæ Epiſcopum ordinaret τὸ ὂυν πλῆθος τῶν πιςῶν δεῖ ἑνὶ τινὶ πείθεσθαι, & reliqua quæ Franc. Turrian. *l.5. pro epiſt. Pontific. cap. 9.* ſic ad verbum reddit: *Opus eſt multitudinem fidelium vni parere, vt hoc modo poſſit in concordia perſiſtere; quod enim deſinit in principatum vnius poteſtatis, ad ſimilitudinem vnius Monarchiæ, facit, vt qui ei obediunt propter conſeruationem ordinis pace perfruantur, contra vero nolle vni obedire cupiditate imperandi, cauſa planè exiſtit diſcordia & ruina.*

Neque diutiùs immorandum eſt hoc loco in demonſtrando Epiſcoporum inter ſe inæqualitatem in iuriſdictionis amplitudine & dignitate, etiam à prima naſcentis Eccleſiæ origine, quam differentiam variis ſubinde nominibus expreſſere poſteri, quamvis illorum plurima antiquiſſima ſint & iam olim vſurpata.

12 Reſtat itaque altera difficultas de inſtitutione & origine huiuſce diuiſionis, ſiue diſcriminis inter Epiſcopos, vnde Metropolitani, Primates, Exarchi Diœceſeωn, & Patriarchæ: huc enim ſpectat tota huius conſectarij diſputatio; nam cum *q.1. 1.* oſtendimus diuiſionem Eccleſiarum primum inchoatam ab Apoſtolis, & deindè à Synodis & antiquis Patribus continuò perfectam fuiſſe ad exemplum Politiæ ciuilis, atque ad typum diuiſionis Imperij Romani, indéque acciderit vt notitia Eccleſiaſtica eadem ferè ſit cum notitia Imperij vtriuſque, eámque in omnibus & vbique æmuletur, & quandoque cum illa mutata & ipſa quoque mutata, aut ampliata, aut minuta fuerit, quod *Conſectario primo huiuſce quæſtionis* demonſtratum fuit, atque hinc etiam manifeſtè ſequitur in ciuitatibus provt maiores aut minores erant capita vnius aut plurium Prouinciarum, aut etiam Diœceſeωn, immo & regnorum, conſtitutos ab ipſis vſque Apoſtolis fuiſſe Epiſcopos cum maiori, aut minori iuriſdictione, qui aliis imperarent, ſicut & ciuitatibus minoribus aliæ maiores & Metropoles eminebant, quod ab initio, & ex antiquiſſima conſuetudine factum in Epiſcopo Alexandrino, Antiocheno, atque Romano ait Canon 6. Nicænus Alexandrino ſuberat Ægyptus Lybia & Pentapolis: Antiocheno Oriens, quia Romano Epiſcopo parilis ſiue idem mos erat, inquit idem Canon, nempè ſi Epiſcopi inferiorum Epiſcoporum; qui ſunt etiam ipſi Metropolitani, contra ſchiſma Meletianum aduerſus Alexandrinum, quia hic eſt mos Epiſcopi Romani, vt cæteros iudicet; quare Athanaſ. *ep. 2.* ad Romanum Pontificem Felicem, probat reliquos Epiſcopos Ægyptios eius authoritate debere defendi aduersùs Arianos. *Nos*, inquit, *ad quos maximè tua ſpectat cura, id eſt; omnes Epiſcopi, præcipuè tuum mereri debemus iudicium, & non ab aliis demereri.* Et mox: *Nam vt omnes Metropolitani vel reliqui Epiſcopi ſua odia, aut vindictas in reliquos Epiſcopos exercere non valeant, ideò nominatim in Nicæna Synodo expreſſi ſunt primates, qui reliquos Epiſcopos audire, & iudicare debeant, ne vlla fraus in iudicio Epiſcoporum poſſit irruere.* Et ſtatim: *Vos ergo qui in ſumma ſpecula gratia Dei eſtis poſiti, attendere eos & opprimere oportet, qui in fratres ſeditiones & ſcandala excitãt.* Fuere igitur ex vetuſtiſſima conſuetudine maiores Epiſcopi quidam, qui alios corrigerent, atque in iis præcipui Alexandrinus & Antiochenus, & quidam alij qui Metropolitani dicebantur, quibus omnibus eminebat Romanus; erant & diuerſæ Eccleſiæ quibꝰ ſua priuilegia ſeruari vult Canõ Nicænus; quæ priuilegia ſine dubio alia non erant quàm quod ſibi ſubiectos quoſdam alios habebant, aut ipſæ immunes à ſubiectione eſſent. Tres verò illi præcipui orbis Epiſcopi, quibus cæteri ſubiiciebantur ideò in tribus illis ciuitatibus conſtituti erant, quia illæ erant principes totius orbis, & Imperij Romani, quod, vt monuimus nuper, conſtabat ex Regno Ægyptiaco, Græco, & Syriaco, ſiue Orientali & Romano: Ægyptiaci verò regni caput & princeps erat Alexandria, Orientis & regni Syriaci, Antiochia; Italiæ & Occidentis Roma, quæ prætereà erat gentium & totius Imperij domina, atque adeò non modo Italiæ & Occidenti, ſed ipſi Regno Ægyptiaco, & Alexandriæ, atque toti Orienti, & regno Græcorum, & Syriaco ipſique Antiochiæ præerat. Ita Romanus Epiſcopus non modo Occidentem ſibi immediatè ſubiectum habet, ſicut Alexandrinus Ægyptium, & cæteras regni olim Ægyptiaci regiones, & Antiochenus Syriam regnumque Seleucidarum, ſiue Orientem; ſed etiam, qua eſt paſtor vniuerſalis ouium & agnorum totiúſque gregis à Chriſto conſtitutus, ſiue caput Eccleſiæ imperat Alexandrino, & Antiocheno, cæteriſque Eccleſiis iſtis Epiſcopis ſubiectis, aut ex priuilegio exemptis præeſt, conſtituitque S. Petrus primum Regni & Ægyptiaci Epiſcopum Alexandriæ quæ erat eiuſdẽ Regni caput; primum verò Epiſcopum Regni Orientis & Seleucidarum Antiochiæ eiuſdem Metropoli, & denique qui immediatè ſibi ſubiectum haberet Occidentem Romæ, quam etiam, quia totius Imperij caput & domina erat, thronum, & ſedem ſuam Apoſtolicam, qua toti orbi Chriſtiano dominaretur, retinere voluit cum perpetua ſucceſſione ad futuros Romanos Epiſcopos tranſmittendum. Atque ita vides, quo ſenſu aliqui ex dignitate vrbis Romanæ Primatum Apoſtolicum & Eccleſiaſticum colligere voluerint: ea ſiquidem vrbis dignitas non dat, neque dedit Romano Pontifici primatum, ſed Petrus, cui Chriſtus Apoſtolatum & primatum Eccleſiæ contulerat ad poſteros per ſucceſſionem tranſmittendum perpetuo: illum vero Romæ potius quàm Alexandriæ & Antiochiæ, aut alibi collocauit & alligauit, quia Roma erat caput orbis, vnde non poterat commodius alibi caput Religionis conſtituere, quod Leo aliquando obſeruauit, cæteræ porrò Eccleſiæ, quibus ſua priuilegia integra ſeruat Canon Nicænus, erant in Ciuitatibus maioribus, quæ vel matres aliarum erant, vel aliqua tandem dignitate eximia eminebant.

Atque huius inſtitutionis teſtes locupletes habemus Clementem primum *Epiſt. prima*, Anaclet. *Epiſt. tertia*, Gregor. VII. *l.6. regiſtr. Epiſt.* 35. de Primatu Lugdunenſi S. Gebuino collato: ait enim Clemens in illis ciuitatibus in quibus olim apud Ethnicos, Archiflamines eorum, & legis ipſorum Doctores erant, poni ex ſanctorum Apoſtolorum inſtitutione Epiſcoporum Primates, vel Patriarchas, qui reliquorum Epiſcoporum iudicia & maiora, quoties neceſſe foret, negotia in fide agitarent, in illis verò ciuitatibus, in quibus erant minores Archiflamines, Archiepiſcopos inſtitui præcipit Petrus, qui non Primatum, ſed Archiepiſcoporum fruerentur nomine. Marca *opuſc. de Primatu Lugdunenſi n.* 57. pro] *Archiflamines* reponit apud Clement. *primos Flamines* ex Hincmaro qui *opuſc. capitul. cap.* 17. locum Clementis adducit. Iſidorus verò in ſua editione vtroque loco legit Archiflamine. maiores & minores; exiſtimat verò Marc. collectorem Hiſpanum Flamines iſtos accepiſſe ex veteribus inſcriptionibus, quas in Hiſpania exhibent antiqua ſaxa. Sic Marius quidam dicitur *Flumen prouinciæ Hiſpaniæ citerioris*, & Mæcius flaminatu 13

Prouinciæ

Prouinciæ Hiſpaniæ citerioris functus, vnde editus *Canon 2.* in Concilio Illiberitano contra Flamines, qui facti Chriſtiani iterùm victimas immolabant, in quem vide eruditos Commentarios Gonzales de Teles. Etiã & in Prouincia Boëtica Flamines, quorum aliqui nominatentur primi, vt ex veteribus inſcriptionibus ab Ambroſio *moral.lib.8 cap.66.* & ab aliis relatis videre eſt, vt illa, Flamini Auguſtali in Boëtica primo: nam ſacrificiis quæ nouis numinibus defunctorum Imperatorum fiebant, pro ſalute principis, qui tunc rerum potiebatur, & prouincialium incolumitate, præficiebantur Flamines & ſodales Auguſtales nominati, quos Prouinciales ad conuentus iuridicos quotannis euocati ſuffragiis eligebant in quinquennium, vel in perpetuum, dicebanturque huius aut illius Prouinciæ Flamines, & qui illis præerat Flamen primus inter Auguſtales. Hinc illa inſcriptio Narbonenſis quam adducit Marca *de primatu Lugdunenſi n.58. Tauropolium Prouinciæ Narbonenſis factum per C. Batonium primum Flaminem Aug. pro ſalute dominorum Imperatorum L. Septimij Seueri &c.* Iſidor. igitur in ſua collectione Flamines, per ciuitates maximas maiores, & minores induxit, eorumque exemplo diſpoſitionem dignitatum Eccleſiaſticarum factam voluit, ne ſolam adminiſtrationem ciuilem, ſed & ſacram pro ciuitatum diſcrimine imitari videretur, & primos Flamines Archiflamines dixit, verùm, vt facilius tota iſta lis dirimatur,

Obſerua Flamines fuiſſe etiam Sacerdotes, eorumque muneribus functos, atque priuilegiis auctos, quod ſatis indicat *l.*. *C.Theod. de decurionibus*, & teſtatur Seruius *in l.8. Æneid.* vbi obſeruat Flamines *feſtis diebus filo depoſito pilea neceſſariò accipere, quæ ſecundum alios, ad oſtendendum ſui Sacerdotij eminentiam ſunt reperta, ſicut columnæ mortuis nobilibus ſuperponuntur, ad oſtendendum eorum columen.* Deindè refert aliorum ritum, qui non petebant ex eminentia Sacerdotij ſed ex ritu antiquo ſacrificandi: erant igitur Flamines & ſacerdotes, vnde Flamines ſiue Flaminiũ & Sacerdotium coniungũtur *l.21.C.Th.de decur.* Verum in eo differebant Flamines à Sacerdotibus quia flamines erant in oppidis, caſtellis, & municipiis, Sacerdotes verò erant ſoli illarum Prouinciarum, dicebanturque Sacerdotes Prouinciæ, vel Prouinciarum, *l.38.C.Theo. de Epiſcop.* quæ eſt lex & edictum Honorij, vbi Sacerdotes Prouinciæ quidam de gentilibus Sacerdotibus interpretantur, quod verius de Epiſcopis accipiendum eſſe dicemus ſtatim. Hanc tamen appellationem gentilium ipſis tributam paſſim fuiſſe conſtat; nam *in Codic. Eccleſiæ Africanæ, can.97.* rogant PP. Africani Imperatores per legatos, vt liceat ipſis conſtituere defenſores Eccleſiarum ſcholaſticos, & Aduocatos, qui more *Sacerdotum Prouinciæ* poſſint pro negotiis Eccleſiarum ingredi iudicum ſecretaria, id eſt, forum: vbi per Sacerdotes Prouinciæ, Gentilium Sacerdotes omnes intelligunt, & Canonis textus apertè indicat. Imperatores Conſtantinus & Conſtans *l.46. C. Th.de decurionibus*, à ſolis aduocatis, eorumque conſortio dari Prouinciæ Sacerdotem præcipiunt. Neque hos aduocatos factos Sacerdotes habere vacationem aduocationis, *l.148. C.Th. eodem.* ſuper ordinando Sacerdote Prouinciæ, publicum ex more haberi tractatum dicitur, & imperatur meritiſſimum eligi. Hinc *l.75.C. Th.eodem. Qui ad Sacerdotium Prouinciæ, & principalis honorem gradatim & per ordinem muneribus expeditis, non gratia emendicatu, quò ſuffragiis & labore peruenerint, probatis actibus, ſi conſona eſt ciuium fama; & publicè ab vniuerſo ordine comprobantur, habeantur immunes. &c.* Agitur ibid. de Priuilegiis eiuſmodi Sacerdotum, qui gradatim per ordinem, non per gratiam, & emendicata ſuffragia eò dignitatis peruenerint, & ſuo munere probè defuncti fuerint, & ab vniuerſo ordin. & curia comprobentur. De eiuſmodi verò priuilegiis agit *l.12.C.Th.de iure fiſci, l.14.C.Th.de paganis, Symmach.l.10.ep.54.l.4.ep.62.* Gothofred. *in lib.75.C.Th. de decurionibus* & alij, dicuntur etiam Sacerdotales prouinciarum *l.77.145.& 176.C.eod.& l.2.l.C.quemadmodum munera ciuilia indicuntur*, Sacerdotes paganæ ſuperſtitionis *l.20.C.25.de paganis.* Ammian. Marcell. *lib.28. Lepitano agro & Oenſi internecina populatiore tranſcurſis, expleti prædarum aceruis ingentibus abceſſerunt occiſis decurionibus multis, inter quos Ruſticanus Sacerdotalis & Nicaſius eminebat Ædilis.* Acta Martyrum Tharacij Probi & Andronici, *Numerius Maximus proconſul Ciliciæ aduocans Terentianum Sacerdotalem Ciliciæ, iuſſit ei ſequenti die munera edenda curare.* Valentin. *nouella 4.* De matrimonio Senat. vetat ne Sacerdoti Prouinciæ habere liceret Sacerdotem ancillam. Flamines verò fuiſſe in municipiis habes *ex citata nouella Martiani*, vbi dicitur Flamen municipalis. Sidonius *l.5.ep.7. Hi ſunt qui inuident prædia Prouincialibus, flaminia municipibus.* Depan. Pacat. *in panegyrico, Reuerẽdos municipali purpura flamines inſignes apicibus Sacerdotes.* Cum igitur Flamines & Sacerdotes, Flaminium & Sacerdotium, perpetuò coniungantur, atque adeò Flamines fuerint Sacerdotes, ſed inferiores, & Sacerdotium fuerit ἀρχιερωσύνη, & Flaminium ἱερωσύνη dumtaxat, non iniuria poſuit Clemens, Sacerdotes qui maximis ciuitatibus præeſſent, quique Sacerdotes Prouinciæ, vel Prouinciarum dicebantur, vt vidimus, Archiflamines vſurpare. Nam & à Græcis nominabantur à Prouinciis in quibus Sacerdotij munus obibant, Bithyniarchæ, Syriarchæ, Aſiarchæ, &c. Vnde & Phœniciarchæ, Syriarchæ Cappadociarchæ. Itaque Archiflaminis vox à Clemente vſurpata, non debuit fidem eius Epiſtolæ ſuſpectam reddere. Dixit igitur Clemens maioribus ciuitatibus, in quibus erant Archiflamines, fuiſſe Metropolitas collocatos, & in maximis Primates, in minoribus Epiſcopos, ita vt in diuiſione Eccleſiarum & dignitatum Eccleſiaſticarum non modo formam & typum ciuilis diſpoſitionis fuerint æmulati Petrus, & cæteri Apoſtoli, ſed etiam ſacram gentilitiæ ſuperſtitionis ſpeciem ſectati: ipſi etiam Imperatores Arcad. Honor. & Theodoſ. Sacerdotes Prouinciæ pro Epiſcopis voce gentilitiæ ſuperſtitionis vſurpant *l.38.C.Theod.de Epiſcopis*, vbi concedũt vti ne Coronati amplius, verum Aduocati deinceps Eccleſiarum & priuilegiorum Eccleſiaſticorum defenſores, ſe ſiſterent. Per Coronatos intelliguntur Clerici, qui hactenus ad Eccleſiarum defenſionem iudiciis ſe ſiſtebant; quod tandem indecens viſum fuit, ideoque per aduocatos, & Laicos ſe defendere potius maluerunt, idque, vt *ſuperiùs* diximus, poſtularunt Africani PP. Coronati verò dicti Clerici à Corona, quæ erat Clericalis reuerentiæ inſigne, vt *alibi* dicetur & paſſim obuium eſt, quamquam & id nomen à ſuperſtitione gentilitia etiam vſurpatum, non ignorem: nam Innocent. *Epiſt. ad Synodum Toloſanam* ſic ait: *Neque de Curialibus aliquos ad Eccleſiaſticum ordinem venire poſſe, qui poſt Baptiſmum vel coronati fuerunt, vel Sacerdotium, quod dicitur, ſuſtinuerunt, & editiones publicas celebrant.* vbi de coronatis gentilibus loqui Innocentium nemo negabit. Sic Iulius Firmicus *lib.3. capit.14. Erant autem aut Coronati, aut Sacerdotibus præpoſiti aut ſacrorum baiuli ſimulachrorum.* & alibi ſæpius. Monent autem Imperatores in ſua lege vt *Sacerdotes* Prouinciæ ſint ſolliciti ne ſub hac priuilegij excuſatione, etiam contra eorum vtilitatem aliquid inferatur incommodum. Vbi per Prouinciæ Sacerdotes Honorium, cuius iſta lex eſt, in gratiam Patrum

Afri

Africanorum licèt collegarum quoque ſimul nomine edita pro more fuerit. Reuerentiæ quidem ſeu coronæ Clericali hoc priuilegiũ ſingulare ſe tribuere dicit, ne videlicet Clerici defenſores Eccleſiarum & Eccleſiaſticorũ priuilegiorum iudiciis foroque ſeculari ſe ſiſtere cogerētur, verum intereà Epiſcopos ſollicitos eſſe debere vigilaréque, ne hoc obtentu forſan iura Eccleſiaſtica læderentur, videri quidem indecorum vt Eccleſiaſtici foro & iudiciis ſe ſiſtant ad res Eccleſiaſticas defendendas, ſed & periculi plenum eſſe ſi ſe non ſiſtant. Reuerentiam quippe coronæ clericalis ſæpè iudices reueriti retineri, ne Eccleſiaſticorum iura lædantur, quod his abſentibus liberiùs fieret; quare viderent Epiſcopi ne incommodum referrent ex eo quòd tanquam ſibi commodum concedi poſtularant. Non igitur dixerit ineptè Clemens Epiſcopos conſtitutos in locis, in quibus erant Archiflamines ſiue Sacerdotes Prouinciæ apud Gentiles. Atque hactenus de loco Clementis; Anacletus verò rem totam ex eodem Clemente diſtinctiùs explicuit.

14 *Epiſcoporum* (inquit) *ordo vnus eſt, licèt ſint Primates illi, qui primas ciuitates tenent, qui & in quibuſdam locis Patriarchæ à nonnullis vocantur. Illi autem qui Metropoli à beato Petro Apoſtolo, ordinante Domino, & à prædeceſſore noſtro S. Clemente ſeu à nobis conſtituti ſunt, non omnes Patriarchæ eſſe poſſunt, ſed illæ vrbes, quæ præfatis & priſcis temporibus primatum tenuēre, Patriarcharum, aut primatum nomine fruantur. Reliqua vero Metropoles Archiepiſcoporum, aut Metropolitanorum & non Patriarcharum, aut Primatum vtantur nominibus; quia hæc eadem & leges ſæculi in ſuis continent Principibus, aliæ autem primæ ciuitates, quas vobis conſcriptas in quodam tomo miſimus à ſanctis Apoſtolis, & à beato Clemente, ſiue à nobis prædicatores Primates acceperunt.* Vides Anacletum & adhærere veſtigiis Clementis, & præterea ſignificare diſpoſitionem ſæculi in hac diuiſione Epiſcopatuum ſequutos eſſe Apoſtolos, qui in Metropolibus Epiſcopos maiores vario nomine deſignatos conſtituerunt.

15 Gregorius denique VII. *Epiſt.* 35. *l.* 6. *Regiſt.* rationem reddit graduum diuerſorum, & ordinum iſtorum, & modum quo fuit inſtituta diuiſio ad mentem Clementis, Anacleti, & conſequentium Pontificum. Placet eius verba quamvis prolixiora adducere: *Ad hoc diuinæ diſpenſationis prouiſio gradus, & diuerſos ordines conſtituit eſſe diſtinctos, vt dum reuerentiam minores potioribus exhiberent, & potiores maioribus dilectionem impenderent, vna concordia fieret, ex diuerſitate connexio, & rectè officiorum gigneretur adminiſtratio ſingulorum, &c.* Et mox, *Quia vnumquodque tunc ſalubriter completur officium, cùm fuerit vnus, ad quem poſſit recurri, præpoſitus. Prouinciæ autem multo ante aduentum Chriſti tempore diuiſæ ſunt maxima ex parte, & poſteà ab Apoſtolis, & beato Clemente prædeceſſore noſtro ipſa diuiſio eſt renouata, in capita Prouinciarum, vbi dudum Primates legis erant ſæculi, ac prima Iudiciaria poteſtas, ad quos qui per reliquas ciuitates commorabantur, quando eis neceſſe erat, ad aulam Imperatorum, vel regum confugere non poterant, vel quibus permiſſum non erat, confugiebant pro oppreſſionibus, & iniuſtitiis, ipſoſque appellabant, quoties opus erat, ſicut in lege eorum præceptum erat: ipſis quoque ciuitatibus, vel locis celebrioribus Patriarchas vel primates, qui vnam formam tenent, licèt diuerſa ſint nomina eorum, leges diuinæ, & Eccleſiaſticæ poni, & eſſe iuſſerunt, ad quos Epiſcopi, ſi ne eſſe fuerit, confugerent, eóſque appellarent, vt ipſi nomine Primatum fruerentur, & non alij. Reliquæ verò Metropolitanæ ciuitates minores iudices habebant, licet maiorum comitum eſſent, haberent tamen Metropolitanos ſuos qui prædictis iuſtè obedirent Primatibus, ſicut & in legibus ſæculi olim ordinatum erat, qui non Primatum, ſed aut Metropolitanorum, aut Archiepiſcoporum non ine fruerentur, & licèt ſingulæ Metropoles ciuitates, ſuas Prouincias haberent, & ſuos Metropolitanos habere debeant Epiſcopos; ſi ut priùs Metropolitanos iudices habebant ſæculares. Primates tamen, vt præfixum eſt, tunc & nunc haberi iuſſa ſunt, ad quos poſt ſedem Apoſtolicam ſumma negotia conueniant, vt ibidem quibus neceſſe eſt reueientur, & iuſtè reſtituantur, & ſi qui iniuſtè opprimūtur, iuſtè reformentur atque fulciantur, Epiſcoporumq; cauſa & ſummorum negotiorum iudicia ſalua ſedis Apoſt. auctoritate iuſtiſſimè terminentur.* Non potuit illuſtriùs eruditiſſimus Pontifex gradus & ordines Metropolitanorũ Epiſcoporum, ſiue Archiepiſcoporum & Primatum deſcribere, ac quænam eſſet ſingulorum iuriſdictio & functio, & denique quo fine facta fuerit iam olim ab ipſis Apoſtolorum temporibus huiuſmodi iuriſdictionis Eccleſiaſticæ diſtributio, & denique, quod pridem probare intendimus, in ea partitione formam ſæcularis & politicæ adminiſtrationis maiores noſtros fuiſſe æmulatos.

Huic tot Pontificum auctoritati accedit ipſa Eccleſiæ totius continua praxis, quam oſtendimus, *conſect.* 1. in quo notitiam Eccleſiaſticam cum notitia vtriuſque Imperij comparauimus, atque ne dicta de Patriarchis antiquioribus qui in regnorum capitibus impoſiti fuere, & de Hieroſolymorum Epiſcopo, qui Cæſarienſi ſuberat denuò retractem, & de Conſtantinopolitano, qui non niſi regiæ vrbis & nouæ Romæ nobilitate, & ea dignitate fuit tandem auctus, nihil dicam impræſentiarum, paulò pòſt commodiùs de eo dicturus: placet iterum paucis & vno velut aſpectu Romanum orbem luſtrare, & maiores Eccleſias ſiue eminentiores ſedes Epiſcopales in iis vrbibus, quæ diſpoſitione politica ſublimi aliqua dignitate illuſtriores erant, collocatas fuiſſe demonſtrare. 16

Atque vt ordiamur ab Italia. Aquileia nobiliſſima ciuitas, nobili quoque Epiſcopatu claruit, qui & Patriarcha dictus eſt, non quòd illi aliqui Metropolitani ſubeſſent, ſed quòd Reges Gothorum, omnes Italici regni Epiſcopos Patriarchas nominarent, vt ſuperiùs monuimus: fuiſſe verò magni nominis Epiſcopum, inde patet, quòd reliquos Iſtriæ & Venetiæ Epiſcopos traxerit in ſchiſma, pro tribus capitulis; ſed occupata tandem parte maritima Iſtriæ & Venetiæ, à Conſtantinopolitanis Epiſcopatus Aquileienſis ſectus eſt, & Gradi quæ eſt Venetici maris inſula conſtitutus, & Candidianus Epiſcopus anno 605. Romanæ communionis Patriarcha Gradenſis ſeu nouæ Aquileiæ dictus eſt. Sopito tandem ſchiſmate Aquileienſis & Gradenſis ſuam dignitatem, & nomen vterque retinuerunt, & demùm ea dignitas in ciuitatem Venetienſem tranſlata eſt à Nicolao V. an. 1451. Vides igitur his ciuitatibus nobiliſſimis Metropolitanam ſedem fuiſſe tributam, & vt præ cæteris Italiæ Epiſcopis Primatu honoris frueretur (ita enim conceſſit Leo VIII. Rodoaldo Aquileienſi anno 980. litteris à Ioanne Candido *l.* 4.) hodie in modico oppido conſiſtit: fuit autem Patriarchæ nomen Gradenſi Epiſcopo delatum à Leone IX. qui ita Dominicum Gradenſem nominat, & à Pontificibus decretum fuiſſe teſtatur, vt noua Aquileia totius Venetiæ, & Iſtriæ caput & Metropolis haberetur, *lib.* 1. *Regiſt. Ep.* 18. hic porrò Dominicus à Gregorio VII. miſſus eſt ad Michaëlem Imperatorem ad pacem Eccleſiæ conciliandam anno 1050. & deindè ſcripſit ad Petrum Antiochenum Epiſcopum Epiſtolam Græcam, cuius partem aliquam ex Codice M. S. bibliothecæ regiæ, refert Marca *opuſc. de Primatu Lugdun. num.* 21. eius inſcriptio 17

ſcriptio eſt, *Δομίνικος χάριτι θεοῦ τῆς Γραδέσης, καὶ Ἀκυλίας ἐκκλησίας πατριάρχης*. Ait deindè ſuam Eccleſiam à Marco Euangeliſta fundatam & ſolam à B. Petro Patriarchicum nomen intra Italiam accepiſſe, & eius Epiſcopos in Romana Synodo ad dexteram ſummi Pontificis aſſidere ſolitos. Reſpondet Petrus negando hunc Aquileiæ ſicut Venetiæ Patriarchatum, quinque tantùm numerari Patriarchas, ſicut quinque ſenſus in humano corpore, & inter eos Antiochenum duntaxat dici Patriarcham, Romanum, & Alexandrinum Papas, Conſtantinopolitanum & Hieroſolymitanum Archiepiſcopos, poſſe tamen Gradenſem dici aliquomodo Patriarcham, eò quòd proximè aſſideat in Synodo Romano Pontifici; cùm enim Epiſcopi dicantur Patres, illi qui in Synodis primum locum poſt Patriarchas obtinent, dicuntur Exarchi, Protothroni, & Proëdri.

18 Venio ad Illyricum, cuius caput erat ciuitas Sirmienſis, vt illius Epiſcopus Anemius ait in Synodo Aquileienſi anno 381. ideóque Iuſtinian. *Nouella* 1. *Antiquis* (inquit) *temporibus, Sirmij præfectura conſtituta, ibique omne fuerat Illyrici faſtigium, tam in ciuilibus*, quàm in Epiſcopalibus *cauſis*. Deindè ſectum eſt in duas partes, diœceſim videlicet Macedoniæ, & Daciæ, quæ Imperio Orientis ceſſarunt & ſub adminiſtratione præfecti prætorio Orientis, cuius ſedes conſtituta eſt Theſſalonicæ. Pannonicæ verò vtrumque Noricum & cæteræ prouinciæ Occidentis Imperio adjudicatæ ſunt ſub præfecto prætorio Italiæ, & Vicario Sirmij. A quónam eiuſmodi diuiſio Illyrici facta fuerit, & de variis eius mutationibus, modò non diſputo, ſufficit mihi ſedes principes Epiſcopales Illyrici conſtitutas fuiſſe Sirmij, vti iam vidimus, & Theſſalonicæ, cuius iuriſdictioni ciuili, quæ ex ſede præfecturæ proceſſerat Eccleſiaſticam Romani Pontifices addiderunt; quare eam ciuitatem commendat Concil. Sardicenſe *Canon.* 20. erat illa Macedoniæ metropolis ex Strabone, & Epiſcopi Theſſalonicenſis poteſtas in Macedoniam porrigebatur: iudicia verò Eccleſiaſtica Romæ retractabantur etiam poſt Illyrici Orientalis adiunctionem Imperio Orientali factam, quod demonſtrat Marca *lib. de primatu, n.* 39. *&* 40. & conſtat ex *Epiſtol.* 84. *Leonis* 1. *ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum*, quem Leo prædeceſſorum ſuorum exemplo, Vicarium ſuum conſtituerat; nam & Rufus quidem ſub Innocentio P. R. ſolam Macedoniam iure metropolitico regebat; ex mandato autem Pontificio Epiſcopus Theſſalonicenſis totius Illyrici Orientalis curam ſuſcepit, vti ex Leonis Epiſtola citata, in qua continentur hæc mandata, vt in illis quidem Prouinciis Theſſalonicenſis Epiſcopatus faſtigium emineat, ideoque de perſona conſecrandi Epiſcopi Metropolitanus cuiuſque Prouinciæ iudicet, de Metropolitani verò electione prouinciales Sacerdotes referant ad Theſſalonicenſem, vt eius authoritate firmetur ordinatio, vt in Conciliis prouinciæ querelæ omnes iudicentur, ſi difficilior cauſa fuerit, Metropolitanus de tota negotiatione Theſſalonicenſem moneat, vt eius iudicio, coram partibus ſopiatur, vel ad Romani Pontificis cognitionem à Theſſalonicenſi tranſmittatur; quare honor conceſſus, ſumma iudiciorum, atque ordinationum auctoritas; & definitio & *κῦρος* Romani Pontificis conceſſione indulta erat Epiſcopo Theſſalonicæ, quæ totius Macedoniæ diœceſis caput pridem fuerat ab Imperatoribus conſtituta, ſed de *προεδρίᾳ* & honore ac dignitate Epiſcopi Theſſalonicenſis vide fuſiùs eundem Marcam, *lib. cit. num.* 42. 43. 44. 45. *&* 46. Illi non ſola Macedoniæ Diœceſis ſubdita erat, ſed etiam diœceſis Daciæ, quæ & Dacia Ripenſi, & Mediterranea, Dardania & Moëſia ſuperiore conſtabat. Verùm imminuta deinceps eſt illius Eccleſiæ auctoritas, diuulſis aliquot ab ea prouinciis, & nouo Archiepiſcopatui Iuſtinianæ attributis, tandémque penitùs abolita, cum ea Leonis Iſauri edicto in odium Gregorij II. & III. Illyrici, Siciliæ & Calabriæ prouinciæ à Romano Patriarchatu reciſæ ſunt, & ſedi Conſtantinopolitanæ adiunctæ. Tunc enim Epiſcopi & Metropolitani Theſſalonicenſis poteſtas intra fines ſolius Macedoniæ primæ coërcita eſt, quod docet antiqua Epiſcoporum Orientalium notitia & Leonis Philoſophi diatypoſis. Vides igitur nobiliſſimæ Theſſalonicenſis Eccleſiæ authoritatem auctam & diminutam fuiſſe, prout eiuſdem vrbis ciuilis dignitas creuit, aut decreuit.

Iuſtinianus Imperator vt patriam ſuam ornaret 19
Achridiam, ſiue Iuſtinianam primam Metropolim fecit, & a Vigilio Pontifice obtinuit vt illius Epiſcopatus Archiepiſcopatûs dignitate inſigniretur, atque Metropolitanis earum Prouinciarum, quas à Theſſalonica auulſerat iura daret, & ipſe à ſua Synodo deinceps ordinaretur; quod Vigilius cōceſſit, eique Arch-epiſcopo ſuas vices commiſit, quod fatetur Iuſtin. *Nouell.* 131. & Gregorius 1. *lib.* 4. *Epiſt.* 9. *&* 15. *ad Ioannem Iuſtinianæ primæ Epiſcopum.* Hi tamen Archiepiſcopi qui Metropolitanis præerant quoad ſuas perſonas & iudicia Romani Epiſcopi cenſuræ ſuberant, quod patet ex Gregor. I. *lib.* 2. *epiſt.* 6. vbi Ioannem Epiſcopum Iuſtinianæ primæ propter iniuſtè ab eo damnatum Adrianum Thebanum Epiſcopum communione per 30. dies abſtinet, eius iudicium reſcindit, & Adrianum ſuæ Sedi reſtituit. Ex his porrò vides aliquos fuiſſe Archiepiſcopos, qui etiam Metropolitanis præeſſent, qualis fuit hic nouus Iuſtinianæ primæ Archiepiſcopus, & Theſſalonicenſis quoque: quæ cauſa fuit Iſidoro cur *lib.* 7. *origin. cap.* 12. ordinem Epiſcoporum contra vulgatam ſententiam quadripartitum faceret, Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Metropolitanorum, & Epiſcoporum, atque Archiepiſcopum exponeret ſummum Epiſcoporum, qui teneat vicem Apoſtolicam, & præſideat tam Metropolitanis quam Epiſcopis cæteris. Eiuſmodi etiam fuit Archiepiſcopus Bulgariæ, quem aliqui malè nominarunt Patriarcham; nam Petrus Antiochenus in Epiſtola nuper citata ad Dominicum Aquileienſem diſertè fatetur, dici tantùm Archiepiſcopum, cuius nominis ratio petenda eſt ex eo, Iuſtiniana prima eiuſque Prouinciæ inuaſæ fuerunt à Bulgaris, & deinde dictæ ſunt Bulgaria. Vnde & aliqui etiam eruditi illi Patriarchæ nomen dederunt ſumpto paulò latiùs eo nomine pro Primate, aut Archiepiſcopo, qui Metropolitanis præeſt, vti alias monuimus; malè tamen hunc Bulgarum Patriarchatum probant ex eo quòd in Synodo Trulenſi Ioannes Epiſcopus nouæ Iuſtinianopolis poſt Patriarchas ſubſcriptus legatur: nam neque ibi Patriarcha dicitur, neque erat ille Iuſtinianæ primæ Archiepiſcopus, ſed Conſtantiæ Cypri, quæ Iuſtiniana noua dicebatur; qua de re vide Marcam *lib.* 2. *de concord. cap.* 9. fatemur tamen deindè Nicolaum primum, qui dixerat Primates eſſe ſecundarios Patriarchas, nomen illud Bulgariæ Archiepiſcopo tribuiſſe, *in reſponſis ad conſulta Bulgarorum, cap.* 71. & Innocent. III. precibus Calo-Ioannis Imperatoris Bulgarorum, & Blachorum, eadem dignitate ornauit Baſium Archiepiſcopum Bulgariæ, & Blachiæ. & ſimul Trinontiū Epiſcopum: nam conceſſa illi in cæteros Bulgariæ, & Blachiæ Metropolitas Primatia addit, *Fraternitatem tuam ſcire volentes quòd apud nos hæc duo nomina*, Primas, & Patriarcha, *penitùs idem ſonant, cùm Patriarchæ & Primates vnam formam teneant, licèt nomina ſint diuerſa.* Græci igitur

igitur nouiores nominant Patriarcham τορνόβου, ϗ βουλγαρίας, ſed quidquid ſit de nomine, vides dignitatem illi ſignatam ſupra Metropolitanos non niſi ſedi nobiliſſimæ adminiſtratione fuiſſe conceſſam.

20 Venio ad Gallias noſtras. Bituricenſis ciuitas in Aquitania Metropolis fuit, atque ob eam cauſam Carolus Magnus anno 786. petiit ab Hadriano vt pallium Ermeniberto Archiepiſcopo Bituricenſi concederet, quod obtinuit, vbi Pontifex Metropolitanum illum à nullo alio pendere ſciuit, vti idem Pontifex Epiſtola ad Carolum teſtatur: *Qui præfatus*, inquit, *ſanctiſſimus vir nobis confeſſus eſt vt ſub nullius Archiepiſcopi iuriſdictione eſſe videretur*. Huic deindè Metropolit. acceſſit dignitas capitis regni Aquitanici, quod an. 781. inſtituerat vt ait Adreualdus Floriacenſis *de tranſlatione S Benedicti c.* 13. & ſimul primatus in reliquas prouincias, quæ ſub Carolo erant, addita prærogatiua. Quare Nicolaus primus *Epiſt. ad Rodulphum Bituricenſem*. anno 864. cuius fragmentum habes *cap. conqueſtus 9. quæſt.* 3. vocat illum primatem & Patriarcham.

21 Diſſipato deindè regno Aquitanico & Gothico Marchionatu ſeu Narbonenſi ducatu inſtituto, Narbonenſis Archiepiſcopus Primatum Bituricenſem excuſſit, ipſéque primas factus eſt Aquenſis Prouinciæ ab Vrbano II. anno 1097. Prouincia quoque Auſcitana Ducum Vaſconiæ auctoritate eandem libertatem adepta eſt. Quare vt Alexander III. anno 1164. & Vrbanus anno 1187. Bituricenſi primatum in ſolam Prouinciam Burdigalenſem confirmant.

Burdigalenſis quoque poſt exorta inter Galliæ & Angliæ reges bella propter Ducatum Aquitanicum, excuſſit primatum Bituricenſem: qua de re eſt querela Philippi Auguſti ad Innocentium III. anno 1211. menſe Maio. Vide de ea lite Innocent. III. *libro tertio reg. Epiſtola* 15. omnes tamen iſtæ Ciuitates fuere Prouinciarum Metropoles, quæ de iure Metropolitico aut de primatiali Eccleſiaſtico contenderunt.

22 Ioannes VIII. in gratiam Caroli Calui Imperatoris Angeſiſum Archiepiſcopum Senonenſem Vicarium ſedis Apoſtolicæ per Gallias & Germanias conſtituit, vt Synodos euocaret, mandata Pontificia intimaret Epiſcopis, de negotiis grauioribus referret ad ſedem Apoſtolicam. Vnde aliqui colligunt primatiam Eccleſiæ Senonenſis in Gallias, & Germanias, ſed omninò malè: nam imprimis hoc priuilegium non indulget Eccleſiæ Senonenſi, ſed ipſi Angeſiſo, eſtque, vt dicunt, priuilegium perſonale, vt ipſamet verba reſcripti, quod refertur *tomo* 24. Concilior. teſtantur pro ſua ſanctitate & fidei merito atque diuinitùs ſapientiæ dono conceſſi, perculit cæterorum Epiſcoporum animos Angeſiſi ambitio, ideoque Synodus Pontigonenſis refragata eſt, quamuis Carolus 6. ex imperio potiùs, quàm Epiſcoporum conſenſu priorem conſeſſum in illa Synodo tribuerit Angeſiſo, vt legitur in eius actis apud Aimoinum: & denique eius executioni reſtiterunt Epiſcopi, vt ait Hincmarus *Epiſtola eâ de re ad ſuos Collegas conſcripta*, ipſumque Hincmarum vehementer obſtitiſſe narrat Flodoard. *Hiſt. Remenſis libro tertio capite* 21. deindè non fuit indultus Angeſiſo primatus, ſed Vicariatus ſedis Apoſtolicæ, quæ ſine dubio ſunt diuerſæ dignitates, vna ordinaria, alia delegata; ipſéque Angeſiſus dum Concilio Pontigonenſi ſuſcribit, Vicarium ſe ſedis Apoſtolicæ nominat, & in Synodo Tricaſſina præſente Ioanne Pontifice anno 878. Hincmarus vice Synodi reſpondet & ante Angeſiſum ſubſcribit; & in literis eiuſdem Ioannis ad quinque Archiepiſcopos Galliæ, Angeſiſus poſt Hincmarum nominatur. Vides itaque Angeſiſum ne quidem Vicariatum illum ſedis Apoſtolicæ, quem malè primatum vocant, retinuiſſe & multò minus ad ſuos ſucceſſores tranſmiſiſſe, illum poſteà Seguinus à Ioanne XV. per Gallias obtinuit, eáque de cauſa in Synodo Remenſi anno 992. priorem locum tenuit & Arnulphum damnauit. Quare legato Pontificio expoſtulanti, quòd inconſultum Sedes Apoſtolica illum damnaſſet & ſua ſede deieciſſet, reſpondent Patres Seguinum Ioannis Papæ vices per Gallias ſibi creditas *innouaſſe* & in eius præſentiâ Arnulphum ſeſe Sacerdotio exuiſſe. Neque dicas Pontigonenſem Synodum vſam eſſe voce primatis & Angeſiſo illum confirmaſſe. *Decernimus* (inquit) *& ſancimus vt Angeſiſus ita teneat primatum Galliæ & Germaniæ.* Nam aio imprimis decretum illud à Synodo factum vrgente Carolo Imperatore præſente & pluribus refragantibus, vti affirmabat Hincmar. deindè contra mentem Pontificis, qui voce primatus abſtinuit, & ſuas illi dumtaxat vices delegauit ad certa negotia, conuocandam ſcilicet Synodum, definienda Canonicè quædam negotia, & referenda grauiora ad notitiam Pontificis. Quare prudenter omnino Synodus non abſolutè agnouit primatum Angeſiſi, ſed ſancit *vt ita illum teneat*, nempe ſicut edixit Pontifex, & non ad alia quam illa quæ Pontifex in ſuo reſcripto notabat: Denique non meminit Synodus primatiæ conceſſæ Senonenſi ſedi, ſed ipſi ſolum Angeſiſo. Quare acta Synodi Pontigonenſis falſauit Odorannus Monachus S. Petri Viui, apud Senonenſem in ſuo Chronico cum eius iſta Verba refert: *Ita teneat Primatum in Gallia & Germania ipſe, cunctique ſucceſſores eius in propria vrbe Senonia.* Quod aſſictum eſt omninò, neque potuit Synodus conferre primatum Galliarum Epiſcopis Senonenſibus, quem ipſe Pontifex non dabat, qua enim auctoritate id feciſſet? Habemus verò, quod initio monuimus, dignitatem Metropoliticam & Primatem non niſi illuſtrioribus ciuitatibus, & quæ aliquod ius habebant in alias, fuiſſe conceſſam: nam ciuitas Senonenſis totius Galliæ caput, & Metropolis à Ptolemæo, Galliarum regni ſedes à Turonenſi, magnæ inter Gallias auctoritatis à Iulio Cæſare, dicitur. Denique auctor vitæ ſancti Pharonis Meldenſis Epiſcopi de illa ſic loquitur: *Inter quas Prouincias tollit inter ſidera nomen, caputque inter nubila condit ciuitas Senonia Metropolitana.*

Anno 1079. Gregor. VII. S. Gebuino Epiſcopo 23
Lugdunenſi perpetuum primatum in quatuor Prouincias Lugdunenſem, Rothomagenſem, Senonenſem & Turonenſem, quem, vt ipſemet ait *libro 6. Reg. Epiſtol.* 36. per annorum longa curricula obtinuerat Eccleſia Lugdunenſis, confirmauit. *Confirmamus* (inquit) *primatum ſuper quatuor Prouincias Lugdunenſi Eccleſiæ tuæ, & per eam tibi, tuiſque ſucceſſoribus.* Quiſnam verò primus hunc primatum tradiderit quis dicat? laboratur enim in explicando Lugduni ſuper quatuor Prouincias iure præcipuo aut prærogatiua, quia in laterculo Imperij non reperiebatur: quam difficultatem ex varia Galliarum diuiſione explicare conatur eruditiſſimus vir Marca *libro de Primatu Lugdunenſ. numero quinquageſimo nono & ſequent.* nobis ſufficit primatum Lugdunenſ. in quatuor illas Prouincias in ordine Eccleſiaſtico antiquiſſimum eſſe, *& per longa anno-*

rum curricula præceſſiſſe Gregorium VII. qui illum S. Gebuino *confirmauit* & non primum conceſſit. Cum autem de illo Richerius Senonenſis Epiſcopus litem mouiſſet, & illi ſe ſubiicere renuiſſet, Vrbanus II. anno 1095. in Concilio Claromontano omnibus expenſis & auditis, Richerium damnauit ſæpius à Concilio citatum,& poſt varias inducias indultas venire renuentem, quare ex totius Synodi fauore & iudicio ſancitum eſt Senonenſem Archiepiſcopum Lugdunenſi tanquam Primati ſubiectionem obedientiámque debere, quia & Catalogorum, & ſedis Apoſtolicæ idipſum conteſtabatur auctoritas; cui profectò ſententiæ ſe humiliter obedituros Senonenſis Eccleſiæ ſuffraganei propria quiſque voce profeſſus eſt. Id ipſum etiam de Rothomagenſi Eccleſia confirmatum eſt: de Turonenſi enim, quia iam à retroactis tẽporibus ſine refragatione obedierat, nulla iam quæſtio mouebatur. Quia verò Senonenſis, admonitus à Legatis Hugonis Lugdunenſis, nullam pro primatu Lugdunenſi Eccleſiæ reuerentiam profiteri voluit, *Expropter* (inquit Vrbanus) *toto conſentiente Concilio pallij vſum & ſuffraganeorum obedientiam, donec ipſe obediret, Senonenſi Archiepiſcopo interdiximus. In Rothomagenſem quoque, qui aberat, eandem ſententiam promulgamus, niſi infra tres menſes poſt ſententiam cognitam*, ſiquidem viua voce non poſſet, ſubiectionem *debitam ſcripto polliceretur. Ipſius itaque ſuffraganeis, qui præſentes aderant ſententiam noſtram debita humilitate ſuſcipientibus ac obedientiam promittentibus, ſic tandem Lugdunenſis Eccleſia querela diuturna, annuente Domino terminata eſt. Per præſentem igitur priuilegij paginam Lugdunenſi Eccleſiæ tuæ Primatum ſuper quatuor Prouincias confirmamus, & per eam tibi tuiſque ſucceſſoribus, &c.* Confirmat deinde Gregorius VII. priuilegium Gebuino factum, & quatuor illas Prouincias, ait eſſe Lugdunenſem, Rothomagenſem, Senonenſem, & Turonenſem: Eccleſiaſticas & ſæculares perſonas quæ ſcientes contra huius priuilegij paginam venire tentarunt, ſi tertiò monitæ congrua ſatisfactione non ſe emendauerunt poteſtatis honoriſque ſui dignitate priuat, & ream à ſacratiſſimo Chriſti corpore & ſanguine alienam facit, & in vltimo examine diſtrictæ vltioni ſubiacere vult. Hæc omnia habentur in decreto Vrbani directo Hugoni Lugdunenſi Archiepiſco, & Primati, eiuſque ſucceſſoribus canonicè promouendis in perpetuum; quod datum eſt apud Clarum Montem Aruerniæ,per manum Ioannis S.R.E. Diaconi Cardinalis, Kalendis decembris indictione tertia, anno Dominicæ Incarnationis milleſimo nonageſimo quinto; Pontificatûs autem Vrbani ſecundi Papæ anno octauo. Huic porrò definitioni Concilij interfuiſſe dicuntur in ipſo decreto Archiepiſcopi diuerſarum Prouinciarum numero 12. cum Epiſcopis LXXX. Abbatibus XC. & eo ampliùs: quare non mirum ſi huius priuilegij prærogatiuam in Concilio Oecumenico factam ab Vrbano II. cæteri deinde Pontifices continuò probarunt confirmarúntque, Paſchalis II. Calixtus II. Adrianus IV. Cæleſtinus II. Alexander III. quos omnes enumerat Amedæus de Thalar. Archiepiſcopus Lugdunenſis in ſupplici libello, quem obtulit Martino V. è Conſtantienſi Synodo, extincto diuturno ſchiſmate, redeunti, à quo petiit eandem ſuæ Eccleſiæ prærogatiuam confirmari; quod & obtinuit. Libellum illum ſeruat Archiuium Lugdunenſe.

Impulit porrò Romanos Pontifices ad Primatum Lugdunenſem conſtituendum ſupra quatuor Prouincias, Lugduni ciuitatis ſplendor tum ſacer, tum etiam ciuilis: illam enim ampliſſimam, & florentiſſimam vrbem vocauit Ammianus, nobiliſſimam Turonenſis, inſignem Metropolim Ptolemæus, Prouincialium ornamentum Seneca, vrbem maximam & præfectorum Romanorum Emporium, Strabo. Philoſophiæ quondam matrem & matricem S. Odilo in *vita S. Mathildis.* Plura illius ciuitatis decora collegit eruditus Theophilus Raynaudus *libr. 3. de virtutibus*, vt & *in diſſertatione de natali S. Ambroſij ſolo punctio 6.* & Marca *opuſc. de primatu fuſiſſimè à num. 94.*

Ex quibus pauca iſta delibabo. Ordior ab orna- 24
mentis Politicis & profanis. Strabo iam allatus duabus maximè ex rebus Lugdunum commendat *lib. 4. ex tom. 1.* ex arce in area duobus fluuiis intercepta à Romanis impoſita aduerſus nondum ſatis confirmatam Galliarum fidem ὥσπερ ἀκρόπολις διὰ τὰς συμβολὰς τῶν ποταμῶν. 2. ex emporio, quo vtebentur Romani; Καὶ γὰρ ἐμπορίῳ χρῶνται: quia Lugdunum ad vtriuſque maris commercia erat tunc temporis opportuniſſimum: cum enim nondum Oceani ſeptemtrionalis per Gades circumnauigatio foret aperta, merces ex Italia, Hiſpania, Africa atque ipſo Oriente deuehebantur Arelatem, indéque per Rhodanum Lugdunum deferebantur, indéque per Ararim & Dubium ad Heluetios & vtramque Germaniam, vel per Sequanam vectæ ad Caletem & Lexouio ipſumque Oceanum transferebantur, ipſomet Strabone teſte eodem *l. 4.* Commendabatur etiam Lugdunum, aureâ & argenteâ monetâ quæ inibi à Romanorum præfectis cudebatur. Nam ſtatim poſt Coloniam à Planco conſtitutam reperitur nummus inibi percuſſus cum hac epigraphe, *Anton. Imp. III. vir R.P.C. A. XL.* ex aduerſa parte, *Lugduni* cum Leonis effigie. Antonius Triumvir fuerat creatus reipublicæ conſtituendæ; illíque Gallia in partitione Prouinciarum obuenerat anno V. C.712. teſte Dione & ab ea biennio pòſt armis Auguſti pulſus eſt: eò verò tempore, quo Gallias tenuit, nummus ille cuſus eſt. Litteris A. XL. non deſignatur annus Coloniæ deductæ, quæ à quatuor tantum annis condita erat, neque etiam à populis XL. Galliæ excuſum fuiſſe nummum illum, vti opinatur Lipſius. Huiuſmodi nummi à Romanorum præſidibus, non à populis cudebantur, & conuentus Gallorum Lugduni non à XL. ſed à LX. populis fiebat. Denotant igitur illæ litteræ nummi valorem, vti in aliis ſæpiùs videtur: celebratur etiam moneta Lugdunenſis in notitia Imperij: ſuperſunt adhuc nummi ſub Carolo magno, & eius filio Ludouico Pio percuſſi cum hac inſcriptione, *Carolus Imp. &c. Ludouicus Imper.* & ex aduerſa parte, *Lugdunum.* Ius illud deinde cudendæ monetæ ad Archiepiſcopum Lugdunenſem deriuatum eſt, in his legitur hæc epigraphe *Lugdun. prima ſedes Galliarum.*

Non leue fuit ornamentum Lugduni quòd in ea 25
Colonia fieret conuentus populorum Galliæ ad aram Auguſto principi dicatam ad confluentem Araris, & Rhodani: erant verò ſexaginta illi populi, vel Prouinciæ, quæ communi conſenſu templum illud viuenti Cæſari excitarant, quod licet alibi factum etiam fuerit, vrbes tamen in quibus excitabatur, erant clariores cæteris: nam Dio *lib. 51.* ait Auguſto dicatum templum à communi, dum ait Auguſto etiam viuenti dicata eſſe templa à communi Aſia in vrbe Pergamo, Epheſo & à communi Bithynia in vrbe Nicæa, quia

ex

eæ vrbes in ſuis Prouinciis eminebant ὅυται γάρ τότε αἱ πόλεις ἐν τῇ Ασίᾳ, καὶ ἐν τῇ Βιθυνίᾳ πρωτευ-τίμηντο. Ex quibus licet nobilitatem ciuitatis Lugdunenſis colligere, quam omnes Galliarum Prouinciæ elegerunt ad Templum Auguſti in ea conſtruendum, in eo erant duæ aræ, vna Auguſto, altera Deæ Romæ: Auguſtus enim, vt ait Sueton. *Templa in nulla Prouincia, niſi communi ſuo Romaque nomine recepit.* Inde Sacerdotes eiuſmodi templorum dicti ſunt, *Romæ & Auguſti Sacerdotes*, quod docet vetus inſcriptio apud Gruter. *pag.* 320. *Seruilio Marciano Aruerno Sacerdoti ad templum Romæ & Auguſtorum tres Prouinciæ Galliarum.* Quæ inſcriptio vt intelligatur, obſeruandum eſt, morem inualuiſſe vt in templo Lugdunenſi ſacra fierent non Auguſti modò, ſed & reliquorum Cæſarum numinibus; vnde dicta ara *Cæſarum*: quod verò addit inſcriptio, *tres Prouincias Galliarum* aram dicaſſe, quod etiam habent ſimiles inſcriptiones apud eundem Gruter. *in pag.* 386. *Tiberio Antiſtitio equiti Romano tres Prouinciæ Galliæ ad aram Cæſarum ſtatuam equeſtrem ponendam cenſuerunt.* Tres partes Galliæ quas ſubegit, & enumerauit Iulius Cæſar, intelliguntur, nimirum Aquitania, Belgica, & Lugdunenſis, in qua diuiſione omiſit Iulius Galliam Narbonenſem, ideoque à quibuſdam Galliis opponitur; vnde illud Liuij de Auguſto, *cum ille conuentum Narbone egit cenſus à tribus Galliis, quas Cæſar pater vicerat actus.* & apud Ammian. *lib.* 15. locus ad confluentem Araris & Rhodani dicitur *exordium Galliarum*; & in tabula itineraria Peutingeri, Lugdunum *caput Galliarum*; quia poſt euerſam Prouinciam Viennenſem, quæ pars erat antiquæ Narbonenſis, prima ciuitas, quæ Romanis occurrebat apud Gallias erat Lugdunum: tres verò illæ partes ſiue Prouinciæ Galliæ diuidebantur ex Strabone in ſexaginta populos. Ptolemæus conſtituit in Aquitania ἔθνη ſiue populos aut gentes XVII. in Lugdunenſi XXIV. in Belgica XIV. ex quibus conficies LX. Quod verò Tacitus numeret *lib.* 3. *Annal.* ſexaginta, quatuor ciuitates (ſic enim populos accepit) loquitur de vniuerſo Galliarum corpore, quod prætereà continet Galliam Narbonenſem, cui Ptolemæus tribuit XIV. populos, qui ſi adiiciantur LX. populis aliarum trium partium, ſiue Galliarum, efficient LXXIV. Itaque apud Tacitum legendum eſt quatuor & ſeptuaginta ciuitates defeciſſe. Quotannis igitur Lugdunum conueniebant Galliarum LX. populi ad aram Auguſti, & Cæſarum, cuius Sacerdotes ſodales Auguſtales nuncupabantur ex Tiberij inſtituto apud Tacitum *lib.* 1. *Annal.* Erant verò numero ſex, in inſcriptionibus mentio eſt Auguſtal. id eſt, Seuirorum Auguſtalium, dicebantur & *flamines Auguſtales* ſeruabant inter ſe ordinem; quare in inſcriptionibus legitur *Aurelius primus Auguſtalis*, & primigenius, *Sex-vir ſecundus Auguſtalis.* Qui honor Auguſtalitatis, ſicut & Flaminij ac Pontificatus in quinquennium, vel in perpetuum ab ordine decurionum decernebatur, vel gratuitò, vel aliquando ſportulis, & epulis datis. Habes inſcriptionem Lugdunenſem huius rei teſtem apud Gruterium *pag.* 411. *Sextus Ligurius ſummus curator ciuium Romanorum Prouinciæ Lugdunenſis, quinto Duumviralibus ornamentis, ſuffragiis ſanctiſſimi ordinis honoratus Duumvir deſignatus & poſtulatione populi, ob honorem perpetui Pontificatus datum, cuius doni dedicatione decurionibus denarios quinque, ordini Equeſtri Seuiris Auguſtalibus negotiatoribus vinariis denarios* tres, & omnibus *corporibus Lugduni licitè coeuntibus denarios duos; item ludos Circenſes dedit.*

26 Neque dumtaxat in hoc Galliarum Lugduni conuentu ſacra ad templum iſtud fiebant; ſed & feſtos dies agitabant ludos, ſpectacula, atque nundinas: quare Druſus auertit Gallos à ſocietate belli cum Sicambris, euocatis Lugdunum Gallorum proceribus ſpecie feſti, quod ad aram Auguſti agitabatur; quod narrat Dio *lib.* 54. atque hanc celebritatem ad ſuam adhuc ætatem & Seueri Imperatoris perſeueraſſe ait: ludos etiam Caium Caligulam Lugduni celebraſſe notauit Sueton. In iis erant certamina Græcæ Latinæque facundiæ, in quibus qui maximè diſplicuiſſent ſcripta ſua ſpongia, linguave delere iuſſi, niſi ferulis obiurgati, aut flumine proximo mergi *maluiſſent.* Ad ſolemnes iſtas verò recitationes erant parata auditoria in ædibus Auguſt. quæ ex Adriani inſtituto dicta ſunt *Athenæa* vel voce deflexâ Athenica apud Trebellionem, locus autem & ipſe Athanacum; denique in eiuſmodi celeberrimo aliquo conuentu paſſi ſunt inſignes illi martyres Lugdunenſ. apud Euſeb. *libr. quinto Hiſtor. capit. quinto.*

Neque ea ſola fuerunt Coloniæ Lugdunenſis ornamenta. Nam cum Claudius annis triginta poſt conditam à Planco Coloniam ea ipſa die, qua ara dicata fuerat Auguſto illam tanquam ſui natalem auguſtiorem reddidit, & non ſolo iure colonico, quo iam fruebatur, contentus eam Coloniam Romanam fecit eo deductis ciuibus Romanis, qui ciuitatem vnà cum veteribus incolis conſtituerent; quare nouum nomen adepta eſt dictáque *Colonia copia Claudia Auguſta Lugdunenſium*, quod paſſim deſignatur in inſcriptionibus apud Grutherum his literis. C.C.C. *Aug. Lug.* quas de trecentis Auguribus Rubiſius & Paradinus ineptè ſunt interpretati, & alij de trecentis Auguſtalibus. Sic etiam ciuitas Agrippina dicitur Colonia Claudia Auguſta Agrippinenſium. Copiæ vox additur Lugduno quò ſignificetur huius emporij abundantia ex loci opportunitate, quâ ratione vrbs Hadrumetana iure coloniæ donata à Traiano propter ſedatas ſeditiones dicitur *Concordia*, ſic enim habet vetus inſcriptio: *Colonia concordia Vlpia Traiana Auguſta frugifera Hadrumetana.* Eadem de cauſa Claudius pleráque ornamenta ciuitati illi adiecit, ne nihil ampliſſimis ciuitatibus cederet. 27

Inter illa verò Lugdunenſis Coloniæ decora erant caſtra; nam inibi præſidium agebat cohors decima octaua: Tacitus Annal. *l.* 3. *Andegauos Æ̃lius Amola, excitata cohorte, quæ Lugduni præſidium agitabat, coercuit*, & *lib.* 1. *Hiſtor.* meminit Iunij Blæſi Lugdunenſis Galliæ Rectoris, qui partibus Vitellij acceſſit cum Italica legione, & alia Taurina Lugduni tendentibus, ſubiungitque cohortem XVIII. Lugduni ſolitis ſibi Hibernis relictam, milites verò vt à ciuibus ſecreti forent; ſuis caſtris continebantur, vt Romæ in caſtris prætoriis ad portam Viminalem; caſtra verò Lugdunenſium & prætorium in colle Fori veteris fuiſſe collocata non malè ſuſpicatur Marca *libr. citat. numer.* 107. nam inſeſſo per milites colle, atque munito, ſpes adimebatur nationibus Gallicis montem inuadendi, & ciuitas inferior tegebatur. 28

Denique vt hæc Lugduni ciuilia ornamenta concludamus, Auguſtus Lugdunenſi Prouinciæ ſolidæ nomen dedit, & tres Prouincias Galliarum, eius nomen commendare annuis conuentibus, vt diximus, voluit. Præerat illa Seguſianorum genti erátque ipſorum Metropolis, quod docet Strabo προκά-θηται δὲ τοῖς ἔθνεσι τῶν Σεγυσιάνων ἡ πόλις αὐτὴ κειμένη 29

μεταξὺ τοῦ ῥοδανοῦ καὶ τοῦ Δούβιος. Vides Strabonem conſtituere eius ſitum inter Rhodanum, & Dubium. Plin. *l. 4. capit.* 18. *Seguſiani liberi, in quorum agro Colonia Lugdunum*. Ptolemæus Seguſianis attribuit Rhodanum & Forum Seguſianorum *Roanne, & Fur*: ait & Ptolemæus Lugdunum illuſtris Metropolis, *ἐπίσημος Λούγδουνον μητρόπολις*. Complectebantur autem Seguſiani, vel, cum Cæſare, Sebuſiani, agros qui nominibus Breſſiæ Balgiaci partis Burgundici Comitatus intra Rhodanum & Dubium & cis Rhodanum agri Bellijoci, Rhodanenſi Comitatibus Lugdunenſi & Foreſij hodie comprehenduntur. Diuiſo deindè Imperio nomen Seguſianorum ſenſim aboleuit, manſit nomen Lugdunenſium, quod tunc æquabat hodiernam Diœceſim Lugdunenſem donec ſciſſo in partes regno Francorum, datus eſt locus variis comitibus & dinaſtiis in agro antiquæ Lugdunenſis ciuitatis, imminuta quoque nobiliſſimæ ciuitatis, dignitas imperante Galba, & ipſa tandem eſt oppugnata à Seuero principe poſt deuictum Albinum, cuius partes ipſa ſequuta erat, & apud illam vltimam pugnam; & decretoriam, peractam ait Herodianus, *ἡ δὲ τελευταία περὶ Λούγδουνον μεγάλην πόλιν, καὶ εὐδαίμονα*. De pugna iſta apud Lugdun. teſti eſt etiam Dio, Spartianus quidem ait pugnatum eſſe apud Trinortium non longè à à Rhodano mendo inſigni, cum Trinortium ſitum ſit apud Ararim, vt etiam ex Itinerario Antonini conſtat. Facile tamen emendatur Spartianus; ſic enim ait: *Multis interim variè geſtis in Gallia apud Trinortium pugnauit Seuerus, cum quidem ingens periculum equi caſu adiit, ita vt mortuus ictu plombeæ crederetur.* Vbi nota Spartianum dicere pugnatum fuiſſe primò apud Trinortium; quare ex Dione & Herodiano addendum eſt, *deinde apud Lugdunum*, nempe pugna-
30 tum eſt.

Hactenus de ciuitatis nobiliſſimæ ornamentis Politicis: venio ad ſacra, atque ad Eccleſiæ Lugdunenſis decora. Eius exordia à Photino Epiſco, qui in has oras à ſancto Polycarpo Smirnenſi in Aſia Epiſcopo & Ioannis diſcipuli diſcipulo miſſus nobiliſſimæ Eccleſiæ fundamenta iecit, vbi Turon. *libr.* 1. *Hiſtor. Francor. capit.* 14. docet, neque leuis eſt, coniectura mercatores, qui in Aſia commercium habebant impetraſſe Photinum à ſancto Polycarpo eamque miſſionem à Rom. Pontifice probatam fuiſſe & ab eo Photinum Lugdunenſi Eccleſiæ præfectum. Virumque iſtud probat Marca *opere citato, numer.* 110. Nam Innocent. I. à Petro & ſucceſſoribus eius, Galliarum, totiúſque Occidentis fundatas fuiſſe Eccleſias teſtatur, deinde cultus, quo Polycarpus R.P. veneratus eſt, vt qui ad inuiſendum Anicetum Romanam peregrinationem ſuſceperit, teſte Euſebio. Deinde Synodus ab Irenæo habita contra Quarta decimanos; quæ decreuerat die Dominica celebrandum eſſe Paſcha contra vſum iam in Aſia receptum; Romanum enim morem Irenæus reiectis ſuis Aſiaticis tenere ſuaſit, cum tanquam matricem Romanam Eccleſiam veneraretur.

31 Concilium illud, cui præfuit Irenæus ex omnibus Galliæ Prouinciis coaluit: nullum enim aliud Concilium Gallicanum in hac vniuerſæ Eccleſiæ cauſa coactum fuit, quam iſtud Lugduni, eò quòd in ea vrbe trium Prouinciarum Galliæ conuentus fieri ſoleret: ex antiqua enim Eccleſiæ diſciplina in locis frequentioribus haberi ſolita ſunt Concilia: nam in illa Epiſcopi tutiùs & faciliùs conueniebant: in hoc verò Concilio ex omnium per Galliam fratrum ſententia ad Victorem R. P. ſcripſiſſe Irenæum ait Euſeb. *lib. quinto capite* 24.

Irenæi aliorúmque Martyrum conſtantiâ Lugdu- 32
nenſis Eccleſia nobilitata, ita perpetuò fuit illuſtris, vt à Lothario Imperatore anno 854. dicta fuerit prima Galliarum Eccleſia in reſcripto, quo illi Sauiniacum Monaſterium contulit, quódque ex MSC. codice Lugdunenſi integrum exhibet Marca *numer.* 113. *Licet enim tunc non præſideret cæteris omnibus Metropolitis.* Vnde in ſubſcriptionibus Synodorum modò priorem, modò poſteriorem locum illi tributum legimus: poſt excitatam tamen ab Angeſiſo de Primatu Galliarum controuerſiam Cabilonenſis Synodus II. Aurelianum Lugdunenſem Primatem omnium Galliarum vocauit in decreto de purgatione Gofredi Monachi anno 894. quod idem præſtitit S. Odilo in vita ſancti Maioli circa annum 1046. cùm dixit vrbem Lugdunenſem, *quæ totius Galliæ ex antiquo more & Eccleſiaſtico iure non immeritò retineret arcem*, atque hunc S. Odilonem eſſe Abbatem Cluniacenſem, non alium quempiam ab illo oſtendit Marca *n.* 114. Ex his omnibus vides non immeritò RR. PP. Lugdunenſi Eccleſiæ cum dignitate Metropolitica tandem Primatum iam indulſiſſe, cùm & antiquiſſima & nobiliſſima ſemper fuerit Eccleſia, de qua dixerit Glaber *l.* 5. *Hiſtor. cap.* 7. *Antiquitùs ipſa ciuitas Lugdunenſis index veri luminis maximæ partis Galliæ, quoniam præcones primatus Chriſtianæ fidei à ſancto Polycarpo, diſcipulo S. Ioannis Euangeliſtæ miſſi vniuerſam inde illuſtrarunt regionem.* Alludit ad vulgatam nominis Lugduni ſignificationem montis lucidi aut lucidè ſplendentis, qua de re vide Iuretum *ad epiſt. 6. lib. 2. Iuonis*, & Quercetanum *in notis ad lib. ſecundum Petri Cluniacenſis.*

Fuit & illuſtriſſima ciuitas Lugdunenſis, vt do- 33
cuimus atque etiam Metropolis; ex antiqua autem Innocentij I. regula *epiſtola ad Alexandrum Antiochenum: Secundum priſtinum Prouinciarum morem Metropolitanos Epiſcopos numerari oportet*, id eſt, ciuitatibus Metropolibus impoſitos fuiſſe Epiſcopos cum Metropolitico iure, quod factum in Metropoli Lugdunenſi, cui etiam poſtremo primaria conceſſa fuit: idem omninò contigit in aliis Metropolibus in tota Gallia, Hiſpania, Italia Africa, vti facile foret demonſtrare, ſed iam longiùs excurrimus, nec ſine faſtidio, quod in ſola Lugdunenſi Eccleſia ferendum nobis fuit, ne aduerſus illam vel iniqui, vel ingrati audiremus: & quæ hactenus diximus ad demonſtrandum noſtrum Conſectarium de ſedium Epiſcopalium quoad iuriſdictionem Eccleſiaſticam diſcrimine, quod cum omninò neceſſarium ſit ad vitandam confuſionem & vt omnia ſacri corporis membra probè inter ſe connexa cum vno capite iungantur, ab illóque pendeant, non aliundè rectiùs peti potuit, quam ex ſimili politico diſcrimine, quod inter ciuitates, quibus imponebantur Epiſcopi, reperiebatur: quare politicam diuiſionem Eccleſiaſtica ferè æmulata eſt.

Consectarium IV.

Quædam Diœceſes αὐτοκέφαλοι.

Quid illæ ſint, n. 1.
Fuiſſe aliquas in Oriente, n. 2.
Emendatur Socrates, n. 3. 4. & 5.
De Eccleſiis Barbaricis, n. 6. & 7.

Explicatio

Explicatio l. & Theodoſij de reſtituendis Eccleſiis, n.8.

De Catholici iure, n.9.& 10.

1 EX hac vniuerſali Innocentij, quam hactenus ſtabiliuimus, regula, ſequitur quaſdam Diœceſes eſſe αὐτοκεφάλους, quæ à nullo Patriarcha penderent, ſed ſuis Synodis commiſſæ eſſent; habebant tamen ſingulæ ſuum præfectum, qui Exarchus dicebatur, ſiue Primas, quomodo vertit Dionyſ. *Can. 9. & 17. Chalcedon.* in quibus Epiſcopus, vel Clericus, qui habet querelam aduerſus Metropolitanum eiuſdem Prouinciæ ad Primatem Diœceſeos, vel Epiſcopum Conſtantinopolitanum amandatur: præfecti autem Diœceſibus Epiſcopi dicuntur à Græcis οἱ ὑπὲρ διοίκησιν ἐπίσκοποι, & vt vertit Dionyſ. qui ſunt ſuper Diœceſim Epiſcopi, in Concilio verò Chalcedonenſi ἔξαρχος τῆς διοικήσεως. Quare Domnus Antiochenus nominatur in actis Concilij Antiocheni relatis in *Act. 14.* Concilij Chalcedon. ἔξαρχος διοικήσεως ἀνατολικῆς, ſic etiam vocantur ſinguli Exarchi, quinque Diœceſeon Orientalium.

Diœceſim porrò ſumimus hoc loco non pro tractu & territorio cuiuſque Epiſcopi curæ & iuriſdictioni ſubiecto, qui propriè Parochia dicitur, quæ eſt hodie vſitatior acceptio, & non incognita Gregorio Epiſcopo ad Ioannem Velitrenſem Epiſcopum *lib. 2. epiſt. 4.* & ad Cyprianum Siculi patrimonij rectorem *lib. 6. epiſt. 38.* & ad Ioannem Metropolitam Rauennæ *lib. 7. epiſt.* neque etiam pro integra Prouincia, vti accipit Siricius *epiſt. ad Himerium Tarraconenſem Metropolitam*, cui mandat vt ſuas litteras omnibus in ſua Diœceſi Epiſcopis communicet, neque denique pro ruſticana Parochia, quomodo IV. Synodus Carthaginenſis *Can. 36.* ruſticanos Parochos vocat, *Presbyteros, qui per Diœceſes regunt Eccleſias.* Sed pro corpore diuerſarum Prouinciarum, vti aliàs monuimus, cuiuſmodi in Imperio Orientali quinque numerabantur, Ægyptiaca, Orientalis, Aſiana, Pontica & Thracica: in Occidentali VII. vel VIII. vrbicaria, Italica Gallicana, Hiſpanica, Britannica, Africana, & Illyriciana, quæ deinde in duas ſecta à Theodoſio, ita vt Illyricum Orientale, Macedoniam, & Daciam contineret. In Imperio igitur Orientali vnaquæque Diœceſis à ſua Synodo regebatur, ita tamen vt Exarcho ſuo pareret; in Occidente autem nullus niſi in Africa Metropolitanis Epiſcopis, præterquàm Romano Pontifici parebat, qui non modò tanquam caput vniuerſale illis præſidebat, ſed etiam immediatè tanquam Occidentis Patriarcha præerat donec vt ſe parte aliqua ſollicitudinis leuarent, tum vicarios ſubinde in Prouincias Occidentis deſtinare cœperunt, tum Primates ordinarios, qui pluribus Prouinciis præſiderent, Synodos conuocarent, mandata Apoſtolica inſinuarent, iudicia exercerent, & de maioribus cauſis ad ſedem Apoſtolicam referrent, crearunt, & correſponderent Græcorum Exarchis.

2 Fuiſſe verò in Orientali Imperio eiuſmodi aliquas Diœceſes, quæ nulli Patriarchæ ſubiicerentur, ſed à ſuis Synodis regerentur, quamvis ſuum quoque Exarchum haberent, colligimus imprimis ex Conc. Nicæno *Canone 6.* Nam vbi ius Alexandrinæ Eccleſiæ ad exemplum Romani Epiſcopi, conſtituit; deinde ſimile ius ὁμοίως decernit Antiochiæ & in cæteris prouinciis illarum Eccleſiis priuilegia ſeruari mandat, καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι. Supponit igitur Synodus in quibuſdam aliis Prouinciis præter Alexandrinam, Antiochenam, & Romanam eſſe ſimilia quædam adminiſtrationis priuilegia πρεσβεῖα: non ſuberant igitur in illis Prouinciis, Eccleſiæ Alexandrino, & Antiocheno Epiſcopo, ſi pari cum illo iure gaudebant & ſimilia πρεσβεῖα habebant. Rem totam clariùs explicat ad Nicæni etiam Canonis mentem Concilium Conſtantinopol. I. quod fuit etiam Oecumenicum numero ſecundum imperante Theodoſio, & Damaſo R.P. coactum anno 381. Iubet igitur Synodus *Can.* 11. ne Epiſcopi extra ſuam Diœceſim Eccleſias inuadant, & vt ſecundùm regulas conſtitutas Nicææ ſine dubio Alexandrinus Ægyptum gubernet; Orientis Epiſcopi ſolius Orientis curam gerant ſeruatis honoribus Primatus Eccleſiæ Antiochenæ, qui in regulis ex Canonibus Nicænis continentur; Aſianæ Diœceſis Epiſcopi ea quæ ſunt in Aſia & quæ ad Aſianam Diœceſim pertinent, gubernent; Ponti Epiſcopi Ponticæ Diœceſis curam habeant, ſicut & Thracicæ Diœceſis Epiſcopi Thraciciæ Eccleſiæ. Denique in Barbarico conſtitutæ adminiſtrentur ſecundùm antiquam conſuetudinem Patrum. Aſiana igitur, Pontica, & Thracica, Diœceſes neque Alexandrino, neque Antiocheno Epiſcopo ſubdebantur, ſed ſuis Synodis adminiſtrandæ committebantur etiam ex mente Concilij Nicæni, quam explicant PP. Conſtantinopolitani; quæ ratio fuit cur Conſtantius Seleucienſi Concilio iuſſit frequentes adeſſe Epiſcopos Orientis Aſianæ & Ponticæ Diœceſeos, qui videlicet non comprehendebantur Epiſcopis Orientis, aut Ægypti, ipſeque Conſtantinus apud Euſeb. *lib. 3. de eius vita, capit.* 18. meminit Epiſcoporum Aſianæ & Ponticæ, qui in Paſchæ celebratione conſentiebant. Denique Theodoſ. apud Theodor. *lib. 1. cap.* 13. tres iſtas Diœceſes tanquam diſtinctas recenſet, à cuius mente non receſſit Concil. Conſtantinop. quod ab eo coactum tum ad varias hæreſes quæ Orientales Eccleſias vexarant damnandas, tum ad reſtituendam diſciplinam Eccleſiaſticam iuxta Canones Nicænos.

Retulit hunc Canonem Conſtantinopolitanum 3
Socrates *lib. 5. cap. 8.* ſed omninò mendosè. Primò quia affirmat hoc Canone inſtitui nouos Patriarchas præter Alexandrinum & Antiochenum; cùm enim Canon Nicænus velit ſeruari antiquam conſuetudinem circa poteſtatem Alexandrini ad exemplum Romani, & ſua πρεσβεῖα ſeruari Antiocheno, aliiſque Prouinciarum quibuſdam Eccleſiis, quæ ſimili iure gauderent, quis dicat PP. Conſtantinopolitanos, qui apertè profitentur ſe regulas Nicænas ſequi, & eas ſeruari imperant, adiicere veteribus Patriarchis nouos iſtos, quos confingit Socrates?

2. Falsò idem affirmat ante hoc Concilium liberum cuique fuiſſe Epiſcopo ad alias Prouincias & Diœceſes demigrare, propter *perſecutiones* nimirum Gentilium, atque ad has ſedium & Prouinciarum inuaſiones prohibendas conditum eſſe hunc Canonem: nam licèt certum ſit eiuſmodi inuaſiones hoc Canone prohiberi; eæ tamen non vſurpatæ erant occaſione perſecutionis Gentilium, quæ iam diu ceſſarat omnino ſub Chriſtianis Imperatoribus, & eam ſedium occupationem aliquandiu fortaſſis toleratam reſciderat Nicæna Synodus IV. & VI. ſuo Canone.

3. Malè omninò & falsò ſuos iſtos Patriarchatus partitus eſt Socrates; nam Ponticæ Diœceſeos Patriarchatum aſſignat Epiſcopo Cæſarienſi, Nyſſeno & Melitinenſi; cùm tamen conſtet Nyſſenum eſſe tantum Prouincialem Epiſcopum, & Cæſarienſi ſubiectum. Quis etiam ferat Primatum ſiue, vt loquitur, Patriarchatum in Epiſcopos ex æquo diuidi? Aſianam Diœceſim Iconienſi, & Antiocheno

Piſidiæ aſſignat, cùm ad ſolum Epheſinum ſpectet, qui idcirco eius Exarchus paſſim dicitur. Denique diœceſim Orientis Laodicenſi & Tharſenſi aſſignat; ſeruata dignitate Eccleſiæ Antiochenæ, quod quis probet, cum nobiliſſimam eam Eccleſiam, quam Orientis caput perpetuò P P. agnouerunt, ſua dignitate ſpoliet, quam Laudicenſi & Tharſenſi tribuit. Hallucinatur itaque mirum quantum Socrates.

Ei verò errandi cauſa fuit, quod hunc 2. Canonem Conſtantinopolitanum permiſcuerit, confuderitque cum reſcripto Theodoſij ad Auxonium Aſiæ proconſulem de reſtituendis baſilicis, quod refertur *l. 3. C. Theod. de fide*, cùm tamen Concilij & Imperatoris diuerſiſſima ſit mens, & inſtitutum. Concilium enim vult quemlibet Epiſcopum ſuæ Eccleſiæ, & Prouinciæ limites aſſignatos ſeruare, & alienos non inuadere: Imperator verò mandat reſtitui ſacras baſilicas verè Catholicis & Nicænæ fidei, & de Trinitatis conſubſtantialitate profeſſoribus, & aſſignat quinam eiuſmodi haberi debeant, qui nimirùm cum certis ac probatis Epiſcopis, quos nominat, communionem habuerint. In quibus vides nullam inſtituendi nouos Patriarchatus, vt finxit Socrates, mentionem haberi & nullam in diſciplina Eccleſiaſtica immutationem fieri, ſed veterem confirmari.

4 Occaſionem Canoni iſti dedit aliarum ordinationum frequens, quæ tunc paſſim graſſabatur, inuaſio: nam Apollinaris Laodicenſis Hieratcha, vti ſeriſcri facundus Hermian. *lib 4. capit. 2.* intruſerat in ſedem Antiochenam ſuum diſcipulum Vitalem eique mandarat ab omnibus communicari, reiecto Paulino vero illius Epiſcopo, intruſos quoque varios in Cappadocia Epiſcopos ab hæreticis narrat Gregorius Presbyter in vita Sancti Gregorij Nazianſ. Eudoxius & Macedonius Conſtantinopolitani Pſeudoepiſcopi in aliena iura graſſati ſunt. Synodus Seleucienſis eiecto Eudoxio dedit Antiochenis Arianum Epiſcopum, & Synodus Antiochena Gregorium Arianum item Alexandrinis, de quo plurimæ fuerunt Iulij litteræ Meletio Antiocheno per Acacianos pronoto, & tamen deinde fidem Orthodoxam profitenti Lucifer Calaritanus ſine authoritate ſedis Apoſtolicæ Paulinum ſuperordinarat. Quod ipſi etiam Catholici moleſtiſſimè ferebant ſimiliáque permulta ſuſcipiebantur contra diſciplinam Eccleſiaſticam, quæ inde plurimùm perturbabatur, cui malo remedium Synodus adhibet ſuo Canone, iubétque ſingulos Epiſcopos contentos eſſe terminis ſibi præſcriptis, nominátque Alexandrinum & Antiochenum, quos vult ſibi aſſignatis diœceſeos & poteſtatis limitibus contineri. Tum Aſianæ, Ponticæ, & Thracicæ Diœceſeos Primates, αὐτοκεφαλαίως propriis coërceri Diœceſibus; quæ omnia ſecundum Nicænas regulas conſtituere ſe dicit: non enim, vt iam monui, tres illæ Diœceſes Patriarchæ Alexandrino, vel Antiocheno parebant. Aſiana quidem in notitia Imperij decem Prouinciis conſtabat, quæ Vicario præfecti prætorio Orientis parebant, nempe Pamphylia, Lydia, Helleſponto, Piſidia, Lycaonia Phrygia vtraque Lycia, Caria, & Inſulis, quibus ſi addas Aſiam proconſularem quam Theodoretus ab Aſia diſtinguit *l. 3. C. Th. de fide*, vndecim Prouincias efficies, quæ Eccleſiaſticam Diœceſim conflabant, ex Theodoreto *lib. 5. cap. 28.* Politica verò diuiſio variè mutata eſt in Politica Eccleſiaſtica, ſolidæ Aſianæ Diœceſis Metropolis erat Epheſus; ideoque eis ius Patriarchicum tribuit Euagr. *lib. 2. cap. 16.* *τὸ πατριαρχικὸν δίκαιον.*

5 Pontica Diœceſis, quæ totum tractum à Bithynia vſque ad Armeniam adiecta Galatia & Cappadocia complectebatur, parebat Vicario, quem Nazianzen. *orat. de laudibus Baſily* *ποντικῆς διοικήσεως ὕπαρχον* voeat, in adminiſtratione Politica decem, in Eccleſiaſtica vndecim Prouinciis conſtabat, ex Theodoret. Præcipua ſedes conſtituta eſt Cæſareæ in Cappadocia; in ea ſiquidem vrbe olim Mazaca Reges Cappadociæ habitabant, vt obſeruat Strabo *libr. 12.* hinc Cæſarienſis Epiſcopus ſolidæ Ponticæ Diœceſis, inde Baſilio Archiepiſcopi Cæſareæ nomen, vti & Alypio apud Photium *in bibli. L. Tomo. 5.* & Baſil. *epiſtol. 193. & 256.* inuitat ad Synodum Cæſaream *τὰς τῆς ποντικῆς διοικήσεως ἐπισκόπους.* Euſebius Cæſareæ Epiſcopus Synodum Ponticæ Diœceſis Tyanis celebrauit, vt refert Sozomen. *libr. 2. capit. 12.* qui & *lib. 8. cap. 8.* narrat Gerontium Nicomedienſem Metropolitam in Bithynia ordinatum fuiſſe ab Helladio Cæſareæ Epiſcopo.

6 Thracica Diœceſis in Imperij & Eccleſiæ notitia ſex Prouinciis conſtabat, in ea vrbs Heracleæ ſiue Printhi præcipua erat poſt deletum à Seuero Bizantium Herodian. in Seuero & Procop. *lib. 4. de ædific. Iuſtin.* inde Heracleæ Epiſcopus, huius Diœceſis Exarchus dictus, donec tandem tota illa adminiſtratio in Epiſcopum Conſtantinopolitanum tranſlata eſt.

Habemus igitur Diœceſes Aſianicarum, Ponticarum & Thracicarum, quæ non penderent à Patriarchis, ſed ſuis Synodis commiſſæ eſſent, & haberent ſuos Exarchatus, Aſiana Epheſinum, Pontica Cæſarienſem, & Thracica Heracleenſem, & deinde Conſtantinopolitanum, qui tres Exarchi in ſubſcriptionibus & ſeſſionibus generalium Conciliorum potiorem locum poſt Patriarchas tenerent; quod demonſtrat Marca *lib. 1. de concordia, cap. 3. num. 11.* ex conſeſſu Concil. Chalcedon. *Actione 7.* eiuſdem Concilij, & in Concilio Epheſino. Sed tandem tranſlato Epiſcopi Heracleenſis iure in Conſtantinopolitanum, reliqui etiam duo Exarchi, ſcilicet Epheſinus & Cæſarienſis ſuâ ſenſim authoritate deiecti ſunt: quia Conſtantinopolitanus factus Patriarcha ſolidarum illarum trium Diœceſeon adminiſtrationem decreto Concilij Chalcedonenſis accepit, atque ita quinque Orientalis Eccleſiæ Diœceſes Ægypti, Orientis, Ponticæ Aſianæ & Thracicæ, ad tres redactæ ſunt dumtaxat, Ægypti, Orientis, & Conſtantinopoleos ſiue Boſphori, & Thraciæ, apud Theodoret. *lib. 1. cap. 34.* qui poſt Synodum Chalcedonenſem ſcripſit. Habemus igitur tres, quas numerauimus diœceſes, iam olim fuiſſe αὐτοκεφάλους, & ſui iuris, in eóque priuilegio à Synodo Conſtantinopolitana *Canon. 11.* quem expendimus; fuiſſe confirmatas, & ſuis Synodis concreditas, neque Patriarchæ Alexandrino vel Antiocheno ſubiectas.

7 Addit Canon Eccleſias in Barbarico ſitas adminiſtrandas eſſe ſecundùm Patrum cõſuetudinem, hoc eſt prout iam olim conſueuerunt adminiſtrari, nimirùm quoad iudicia & ordinationes. Eæ verò Eccleſiæ in Barbarico ſunt quæ extra Romani Imperij fines in ſolo Barbarorum exiſtunt: nam communi nomine Romanus orbis Romania, quidquid extra illam erat, Barbaria dicebatur. Quare S. Athanaſ. P. Romanum dicebat eſſe Metropolitam Romaniæ, id eſt, Orbis Romani. Fuiſſe verò in Barbarico plures Eccleſias, patet ex Tertulliano contra Iudæos, Iuſtino *dialogo cum Triphone.* Quia autem in his Regionibus non ſeruabatur Romanæ reipublicæ forma, & typus, neque illi etiam diſpoſitio Eccleſiaſtica commenſurabatur; contentæ erant ſuis quippe

Epiſcopis

Epiſcopis & Synodis, neque de pallij prærogatiua curabant, vti etiam obſeruat Guilielmus Neubrigenſis *in proœmio ſuæ hiſtoriæ*, additque: *Denique Hybernenſes, Noruegi, Dani, Gothi, cum olim Chriſtiani fuiſſe, & Epiſcopos habuiſſe noſcantur, noſtris temporibus Archiepiſcopos habere cœperunt.* Bernardus etiam *in vita S. Malachiæ Dunenſis Epiſcopi*, in Hybernia Archiepiſcopos, ſed ſine vſu pallij agnoſcit. Hierarchia igitur Barbaricarum Eccleſiarum diuerſa erat in multis à Romana, eámque ſeruari mandat Synodus: vnde quis malè colligeret eas neque Romano Pontifici, omnium Chriſtianorum capiti & Paſtori vniuerſali totius Eccleſiæ non fuiſſe ſubiectas; nam & reuera ipſum per legatos adibant, & ab eo miſſos Doctores atque Epiſcopos accipiebant, qui eiuſmodi Eccleſias fundarent, docerent, & adminiſtrarent. Atque hactenus de trium Diœceſeων omnibus celebrata αὐτοκεφαλίᾳ.

8 Venio ad legem Theodoſij de reſtituendis Baſilicis quæ eſt 3. *C. Theod. de fide*, quam Socrat. falsò cum II. Canone Concilij Conſtantinopol. permiſcebat, vti monuimus.

Sanciuerat pius Imperator edicto vniuerſali ad Populum Conſtantinopolit. anno ſui Imperij II. & Chriſti 380. vt omnes ſibi ſubditi, qui veram doctrinam de Trinitate, quam diuus Petrus Romanis tradidit, quámque Pontifex Damaſus & Petrus Alexandrinus docerent, amplecterentur, Chriſtianorum Catholicorum nomen haberent; reliqui verò dementes & væſani haberentur, & hæretici dogmatis infamiam ſuſtinerent, eorum conciliabula, ſiue conuenticula nequaquam ſibi Eccleſiarum nomen vindicarent, eiſque diuinam vltionem, & ſuam interminatur. Hanc primam Theodoſij ſanctionem *Auream, piamque & ſalutare edictum*, nominat Baron. voluítque piiſſimus Imperator Principatus initio docere, quanta ſibi eſſet cura & ſollicitudo Religionis, ab eáque ſuum Imperium auſpicari: rectè enim dixit poſtea Theodoſius Iunior *l. 3. C. de fide Catholica*: πρέπει τῇ βασιλείᾳ τοὺς ὑπηκόους περὶ τῆς εὐσεβείας ὑπομιμνήσκειν. Cum igitur videret Theodoſius Magnus totum Orientem ipſos iam totos quadraginta annos hæreſibus laborare ſub Arianis Imperatoribus Conſtantio & Valente, ipſámque Conſtantinopolitanam Eccleſiam ab Arianis occupari, voluit hoc edicto Conſtantinopolitanum populum imprimis ad ſanam mentem reuocare; deindè ſimile aliud ad Eutropium P. R. vt illud cæteris omnibus promulgaret, miſit, quod refertur *hoc C. Theod. l. 25. de Epiſcopis*, & *in Cod. Iuſtinia. l. 1. c. de crim. ſacril.* Sanciuit autem Theodoſius hanc legem Theſſalonicæ ab eius Epiſcopo Acholio perſuaſus, à quo etiam eodem anno 380. inibi fuerat baptiſatus, teſte Socrate *lib. 5. cap. 6.* Fuit porrò magnus vir Acholius, qui & Illyricum in fide Nicæna retinuit, & ab Ambroſio *Epiſt. ad Theſſalonicenſium Clerum & plebem*, commendatur tanquam vir ſanctus, murus fidei, gratiæ, & ſanctitatis, & *Epiſt. ad Anyſium*, eius ſucceſſorem, pluribus eundem ornat, ad quem etiam tres Baſilij Epiſtolæ extant, quibus eius fidem deprædicat, & Ἀχόλιον vocat, vt etiam Socrat. *lib. 5. cap. 6.* Sozomenus *lib. 7. c. 4.* & Theodoretus *lib. 4. cap. nono.* Denique Theodoſius ipſe apud Sozomen. *l. c.* ſibi ipſi gratulatur habuiſſe tantum virum συνεργὸν ad fidem ſtabiliendam. Auctore igitur maximè Acholio Theodoſius hoc edictum promulgauit, & deindè hoc ipſo anno menſe Decembri exiſtens Conſtantinopol. Catholicis reſtituit Eccleſiam Conſtantinopolitanam, quam Arianis eripuit, vti teſtantur Socrat. *lib. 5. cap. 7.* Sozom. *l. 5. cap. 4.* & alij. Habuit etiam Concilium Oecumenicum ibid. *anno ſequenti 381. cuius primo Canone*, damnantur Ariani, Macedoniani, Eunomiani, aliíque hæretici; quam damnationem ſequutus Theodoſius tulit legem de reſtituendis baſilicis Catholicæ & Nicænæ communionis Epiſcopis & profeſſoribus: quia verò quiſque ſe verè Catholicum aſſerebat, & quamuis vnicæ communionis veræ fidei regula eſſet Romanus Pontifex, plures tamen cum Damaſo tunc R. P. ſe communicare iactabant, vt vides in S. Hieronym. *Epiſt. 57. & 58.* vt dignoſceretur, quínam in toto Oriente eſſent verè Catholici, ad iudicium Epiſcoporum remittit Theodoſ. & in ſingulis Orientis Eccleſiis aſſignat probabiles & Epiſcopos cum quibus communicare deberent, qui haberi vellent Catholici, alioquin Hæretici iudicandi, &, vt ait facundus Hermian. *lib. 4. cap. 2.* *Religioſus Princeps hoc certum iudicium ſtatuit; vt ſiquis iam laudatis Epiſcopis non communicaret, hæreticus haberetur.* Neque hoc dedit Sedium Epiſcopalium dignitati, ſed perſonarum grauitati & ſanctitati, inquit Sozom. *l. 7. c. 7.* & Imperator quoque viſos, & coràm alloquutus approbauit, de quibus & integra conſtabat fama, quod ſuis *Eccleſiis religioſè præeſſent.* Hoc igitur iudicium dedit Imperator in Ægypto Timotheo Alexandrino, in Oriente Pelagio Laodicenſi, & Diodoro Tharſenſi in Aſia proconſulari, & Aſianæ Diœceſi Amphilochio Iconienſi, & Optimo Epiſcopo Antiochiæ in Piſidia, in Pontica Diœceſi Helladio, Cæſareæ Otero Militinæ & Gregorio Nyſſæ in Thracia Terentio Scythiæ, & Martyrio Epiſcopo Martinopoleos. Denique Nectario Conſtantinopolitano, cuius ius & poteſtas dandæ communionis nullis limitibus coërcetur, ſicut aliorum Epiſcoporum intra ſuas Prouincias: quia in Concilio Conſtantinopolitano, cuius Canonem primum firmat & explicat *hac lege* Theodoſ. Primatus honoris poſt Romanum illi collatus eſt, ita vt per ſolidum Orientem & non in ſola Thracica Diœceſi eo iure gauderet. Vides igitur neque Concilium ſuo illo Can. 2. neque Theodoſium ſua lege nouos Patriarchatus inſtituiſſe, neque ex deſignatione aliorum Epiſcoporum, quibus in Oriente Theodoſius dederat iudicium communionis Catholicæ, colligi dignitatem, aut prærogatiuam Sedium Epiſcopalium, quibus præerant: ſed id datum fuiſſe illorum ſinceræ fidei, vt monebat Sozomen. & ſane in edicto de fide Catholica ad Conſtantinopolitanũ populum *l. 2. cunctos, C. de fide Catholica, non nominat niſi Damaſum Romanum*, & Petrum Alexandrinum, vnde Catholica communio ſumeretur. Vnde nouus Codicis Theodoſiani Commentator malè infert Damaſum R. P. non eſſe centrum vnitatis, & communionis: quandoquidem illi Petrus Alexandrinus iungitur, quamvis priores partes Damaſo tanquam *ſummati* tribuat, ineptè (inquam) alioquin omnes iſti Epiſcopi, quibus *l. 3. ſequenti* idem ius tribuendæ communionis credit Theodoſius, vt vidimus, æqualis dignitatis & poteſtatis eſſent, cum Damaſo & Romano Pontifice; & cum ea prærogatiua non detur ab Imperatore ratione ſedis, ſed probitatis perſonarum, omnia incerta, & confuſa habebimus, neque certam fidei Catholicæ regulam vllam. Nihil igitur voluit Theodoſius, quàm in tanta hæreſium colluuie ſe pro Catholicis habiturum illos qui fidem ſuam probaſſent Epiſcopis illis probabilibus, quos deſignabat in quàlibet Eccleſiæ Orientalis Diœceſi. Habemus itaque ſinceram Canonis Conſtantinopolitani mentem de Αὐτοκεφαλίᾳ, trium Diœceſeων, Aſianæ, Ponticæ, & Thracicæ, & germanæ legis Theodoſianæ ſententiam, quam cum illo Canone malè confuderat Socrates.

Quoad tertiam partem Canonis de Eccleſiis in 9

Ba.bar'co & extra fines Romani Imperij conſtitutis ſecundum antiquos mores regendis ſenſus eſt apertus: non enim poterat politiæ Romanæ commenſurari, quæ illis vel ignota, vel nullo modo vſitata erat. In his erant aliqui, qui ſub ſe conſtitutos ordinabant Metropolitas, & à Patriarcha Antiocheno ipſi ordinabantur, eos in Babylone, & Romagyri, ſiue Choroſam erant, qui & Archiepiſcopi & Catholici dicebantur, vt ait Petrus Antiochenus, *Epiſt. laudata ſuperiùs ad Dominicum* Aquilienſem. Catholici nomen ſignabat eorum poteſtatem non coërceri vna Prouincia; eorum meminit Procopius *lib. 2. de bello Perſico.* Sic toti Scythiæ Tomorum Epiſcopus præerat ex Sozomeno *lib. 6. cap. 20.* Deindè neceſſario ſucceſſu in tam amplis regionibus variorum Epiſcoporum & Metropolitarum conſtitutio, & ei, qui reliquos omnes regebat Catholici nomen ſeruatum eſt, & quidem Seleuciæ primus Catholicus, ſiue Archiepiſcopus Orientis ſedem fixit. Sozom. *lib. 2. cap. 8.* Symeonem Archiepiſcopum Seleuciæ & Cteſiphontem regiarum in Perſide vrbium memorat, *τῶν ἐν περσίδι βασιλευουσῶν πόλεων. Can. 34. & 35.* Nicænus in collectione Arabica, quam Alphonſus Piſanus, & Franciſcus Turrianus publicarunt, meminit Catholici Seleuciæ, eique tribuit ordinationem Metropolitanorum ſubditorum, ab Antiocheno Epiſcopo diſtractam eius conſenſu, & ille ſextum locum in Synodis Græcis poſt Patriarcham Hieroſolymitanum obtinuit. Euerſa tandem Seleucia Babylonem ſe contulit hic Archiepiſcopus ſiue Catholicus, indéque Babylonius dictus eſt, cui ſimilis alius eſt conſtitutus in Choroſam ſiue Romagiri, vti referebamus ex Petro Antiocheno *Epiſtola ad Dominicum.* De his meminit Iacobus de Vitriaco *in hiſt. Orientali cap. 23.* & Paulus Venetus *in Itinerario lib. 1. cap. 6.*

11 Fuit & Armeniæ Catholicus, Armenia tum prima, tum ſecunda fuit Ponticæ Diœceſis, & annumerabatur in laterculo Imperij; Ponticæ verò Diœceſis Exarchus erat Epiſcopus Cæſarienſis, quod etiam monuimus. Leontius verò Cæſareæ Epiſcopus circa tempora Nicænæ Synodi, ad gentem Armeniæ adducendam miſit Gregorium quendam, illique præfecit Epiſcopum, qui Armeniam maiorem incolentibus, & ad fidem conuerſis præeſſet, ſed tandem propagata in regionibus illis Chriſtiana religione, iis omnibus præfuit Catholicus Armeniæ, cuius ordinatio ex ipſo Gregorio decreta, veteri iure ſoli Cæſarienſi Epiſcopo competebat, donec in Patriarcham Conſtantinopolitanum tranſlata eſt, ſicut & aliorum Epiſcoporum, qui ſunt in Barbarico Ponticæ, Aſianæ, & Thraciæ Diœceſeon: ad extremum conflato ſchiſmate Catholicus Armeniæ à communione Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ diſceſſit. In notitia Græca Epiſcopatuum temporibus Photij ſcripta de Armenia, quæ ibi quarta dicitur ſic habetur: *Scire oportet hanc prouinciam eſſe ſui iuris miniméque ſubditam Apoſtolicæ Sedi* (nimirùm Conſtantinopolitanæ) *ſed honorari tamen intuitu S. Gregorij Armeniæ Epiſcopi, & præeſſe ducentis vrbibus & caſtris.* Acceſſit ad Eugenium III. circa annum 1145. Armeniæ Archiepiſcopus, vti narrat Oto Friſingenſis *lib. 7. cap. 32.* quem & Catholicum dicit, præeſſeque mille ampliùs Epiſcopis. Theorianus in legatione ſua circa annum 1170. Norſeſium Armeniæ Catholicum à ſe conuentum narrat. Æthiopiæ etiam Archiepiſcopus dictus eſt Catholicus, & ordinabatur ab Alexandrino Patriarcha, vt ait Canon XXXVI. Nicænus collectionis Arabicæ, qui negat liberum fuiſſe illi Archiepiſcopo Metropolitas in Æthiopiæ prouinciis conſtituere, Quare hac etiam ætate Abuna Pontifex Abyſſinorum ordinatur ab Epiſcopo Alexandrino, nullique ſunt in Æthiopia Metropolitæ, ſed Epiſcopi dumtaxat. Atque hactenus de quarundam Diœceſeon *αὐτοκεφαλίᾳ*: reſtat tamen vt ex dictis paucis colligamus, in quibus rebus conſiſteret *αὐτοκεφαλία*. Primò vt quis non ſolo nomine & honore, ſed poteſtate reipſa Metropolit. 2. quod à populo & Clero ſuo electus conſecrationis licentiam & electionis confirmationem à nullo Patriarcha vel Primate petere teneatur, aut alterius manu conſecrandus expectare debeat, ſed ſtatim à ſua propria Synodo conſecretur in propria ſede. 3. quòd legitimè electus Epiſcopos ſuæ prouinciæ, aut Diœceſis conſecret ſua poteſtate, neque vllius alterius ſuperioris licentiam, aut confirmationem præſtolari debeat. 4. quòd denique inthroniſandus neminem vt Patriarcham, ſed ſolum R. P. tanquam Papam vniuerſalem debeat agnoſcere, & ab illo ſolo pallium, & ordinationis acceptæ firmitatem petere debeat; atque ita incipiat in propria ſede ſedere: quia cum poteſtas Patriarchica præcipuè conſiſtat in Metropolitanorum & Prouincialium Epiſcoporum confirmandorum & conſecrandorum iure, qui autocephalus eſt, ab vtroque illo iure exemptus eſt, à Patriarchico iure conſequenter exemptus & immunis eſt, quales Hincmarus *Epiſt. 35. cap. 17.* eſſe exiſtimat omnes Metropolitas Galliæ Belgij, & Germaniæ. Non agit porrò de Epiſcopis Galliæ Narbonenſis, quos Adrianus I. & Carolus Magnus Primati, ſiue Patriarchæ Biturcenſi ſubiecerat, ſed mirum in modum fallitur Hincmarus cum R. P. non ſolùm vt Papa vniuerſalis, ſed vt Patriarcha Occidentis habitus ab omnibus ſemper fuerit, qui & alios Primates ſiue Patriarchas creatir, & per ſuos legatos ac Vicarios vbique dum libuit præfuerit.

Consectarium V.

De Epiſcopo Conſtantinopolitano.

Ambitio Græcorum, n. 1.
Can. 3. Concilij Conſtantinop. reiicitur, numero 2. & 3.
Canon Concilij Chalced. ſuppoſitus, numero 4. & 5.
Martiani edictum, n. 6.
Canon Concilij Trullani reiicitur, n. 7.
De nomine Oecumenici, n. 8. & 9.
Sedata controuerſia ab Innocentio III. numero 10.

Antiquo more & ferè conſtanti regula conſtituendi maiores Epiſcopatus, Metropolitanos, Primatus, Exarchatus, immò & Patriarchatus in maioribus ciuitatibus Prouinciarum Metropolibus, & Diœceſeon veluti capitibus, quàm ex continuo vſu, ab ipſiſque Apoſtolorum temporibus demonſtrauimus, abuſi Epiſcopi Conſtantinopolitani principum & Imperatorum, quibus adulabantur, gratiâ & potentiâ freti, immoderato gloriæ, & honoris amore ducti ſenſim ad primam in Eccleſia dignitatem aſpirarunt: cùm enim Byſantium ſubeſſet Epiſcopo Heracleenſi tanquam ſuo Metropolitæ, atque etiam poſtquam Conſtantinopolis dicta eſt, & nouæ Romæ priuilegiis ornata dignitate maiori Eccleſiaſtica caruerit; cùm tamen ferrè non poſſent eius Epiſcopi, vrbis regiæ & capitis Imperij ſedem Epiſcopalem vel alicui alteri ſubeſſe, vel non omnibus præeſſe, 1

ſummum

ſummum dignitatis Eccleſiaſticæ faſtigium omnibus artibus ambiuerunt, & ſibi vſurpare conati ſunt, vt non minùs religione quàm Imperio ciuitas Conſtantinopolitana foret illuſtris, neque modò ſublimem dignitatem ſibi vſurparunt, ſed & nomen ipſum Oecumenici Patriarchæ vt omnibus & toto orbe diſſeminatis Eccleſiis ſe dominari palàm profiterentur; quod Nicolaus I. *Epiſt.* 70. ad Epiſcopos Gallicanos contra Photium teſtatur. *Gloriatur* (inquit) *& perhibet quando de Romana vrbe Imperatores Conſtantinopolim ſunt tranſlati, tunc & primatum Romanæ ſedis, ad Conſtantinopolitanam Eccleſiam tranſmigraſſe, & cum dignitatibus regiis, etiam Romanæ Eccleſiæ priuilegia tranſlata fuiſſe, ita vt eiuſdem Eccleſiæ inuaſor Photius ſe in ſcriptis ſuis Archiepiſcopum atque Patriarcham vniuerſalem appellet.* Illud idem ex Imperij tranſlatione contendunt Matthæus Blaſtes, Annas, Comnenus, & cæteri Schiſmatici, qui omnes allegant Canon. III. Concilij primi Conſtantinopolitani, quod Oecumenicum eſſe volunt, & Canonem XXVIII. Concilij Chalcedon. Sed quo iure videndum nobis eſt, & quibus artibus ſuæ ambitioni colorem quæſiuerint.

2 Prima igitur huius affectati primatûs origo fuit Canon III. Concilij Conſtantinopolitani ſub magno Theodoſio coacti, qui iubet ciuitatis Conſtantinopolitanæ Epiſcopum habere oportere primatus honorem poſt Romanum Epiſcopum, eò quòd ſit noua Roma τὸν μὲν τοῦ Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπον ἔχειν τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς κατὰ τὸν τῆς ῥώμης ἐπίσκοπον, διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν νέαν ῥώμην. Hunc Canonē innouari confirmaríque curauit Anatolius Epiſcopus Conſtantinopolitanus in Concilio Chalcedonenſi vt dicemus ſtatim. Verùm de hoc primo totius primatûs fundamento dicendum priùs eſt, vt appareat quàm ruinoſum illud ſit, cui tanta moles ſuperſtrui non poſſit.

Imprimis igitur nego Canonem illum fuiſſe Concilij Oecumenici, ſiue quia non fuit conditus in illo primo Concilio, ſed in ſequenti, quod poſt annum ibidem Conſtantinopoli à quibuſdam Græcis Epiſcopis coactum eſt, neque Oecumenicum dici potuit; ſiue quia, quidquid de gemino illo Concilio ſtatuetur, primum illud, cùm ex Epiſcopis tantùm ex Prouinciis Orientalibus conuocatum fuerit, Oecumenicum dici nequit, niſi per concluſionem, approbationem & confirmationem Concilij Romani, quod eodem tempore Romæ præſente Damaſo celebratum eſt: ad illud verò Canon iſte neque miſſus eſt, neque Romæ auditus eſt, quod teſtantur legati Pontificij in Conc. Chalcedonenſi *act.* 16. dum illum Anatolius confirmari curaret, dixerunt eum nuſquam reperiri inter Canones Synodicos, ſiue in Codice Canonum Synodicorum, ἐν τοῖς συνοδικοῖς κανόσι, neque vnquam deductum ad praxim. Vnde ſic argumentatur: Si aliquando eo Canonis priuilegio vſi ſunt Conſtantinopolitani Epiſcopi, quid amplius modò flagitant? Si eo non ſunt vſi, quo iure modò vſum eius poſtulant? Quare Leo *Epiſt.* 53. *ad Anatolium cap.* 5. *Perſuaſioni enim tuæ in nullo penitùs ſuffragatur quorumdam Epiſcoporum ante ſexaginta (vt iactas) annos facta ſubſcriptio, nunquamque à prædeceſſoribus tuis ad Apoſtolicæ ſedis tranſmiſſa notitiam, cui ab initio ſui caducæ dudúmque collapſæ ſera nunc & inutilia ſubiicere fomenta voluiſti, eliciendo à fratribus ſpeciem conſenſionis, quam tibi in ſuam iniuriam verecundia fatigata præberet.* Et Gregor. *lib.* 6. *Epiſt.* 31. *ad Eulogium Alexandrinum, & Anaſtaſium Antiochen.* agens de damnatione Eudoxij facta à Cyriaco Conſtantinop. & de Canonibus Conſtantinopolitani Concilij, ſic ſcribit: *Romana autem Eccleſia eoſdem Canones, vel geſta Synodi illius hactenus non habet, nec accipit: in hoc autem eamdem Synodum accepit, quod eſt per eam contra Macedonium definitum.* Cùm igitur Anatolius nihil ſibi eſſe præſidij ad ambiendum primatum videret eſſe in eo Canone Conſtantinopolitano; qui neque Romano Pontifici, neque Occidenti innotuerat, neque in vſum deductus fuerat, occaſione Chalcedonenſis Concilij ſibi vtendum putauit, & in eo ſibi omnia fore propitia, & commoda exiſtimauit. Nam & habebatur ad muros vrbis Conſtantinopolitanæ, & Dioſcorus Alexandrinus fuerat à Synodo exauctoratus, & Maximus Antiochenus in Pſeudo-Concilio Epheſino vitiosè creatus & ab ipſo Anatolio ordinatus, nihil contra ſuam ordinationem auſurus erat, & magna iam ex parte ſoluta erat Synodus legatis Pontificiis, & ſenatus abſentibus, ſicut & Epiſcopis Ægypti, ac Lybiæ, qui poſtremis Synodi ſeſſionibus, cùm nondum in locum Dioſcori ſui quondam Patriarchæ aliquis ſuffectus eſſet, non interfuerunt, quibuſdam dumtaxat Epiſcopis vicinarum Prouinciarum præſentibus Canonem Conſtantinopolitanum innouari & ſubſcribi curauit. Liberatus *in Breuiar. cap.* 13. *ſub fin. Vndecimo Secretario duæ actæ ſunt actiones, prima, &c. & alia, in qua, poſt diſceſſum iudicum, & ſenatorum & Legatorum Apoſtolicæ ſedis, regulæ conſtitutæ ſunt Eccleſiaſticæ, & quædam priuilegia deputata Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ, vſurpante ſibi hoc Anatolio eiuſdem vrbis Epiſcopo occaſione* acceptâ *ex Dioſcori damnatione.* Sequenti verò die Legati pontificij conuocato iterùm Concilio, vti pergit Liberatus, actis externis contradixerunt, *ſed eorum contradictio ſuſcepta non eſt,* fauente nimirùm Imperatore & ſenatus Anatolij ambitioni, diſſimulante Maximo Antiocheno, qui deindè de ſibi illatis iniuriis, apud Leonem queſtus eſt; Epiſcopis vicinis Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ fauentibus, aliis verò per vim & metum ſubſcribentibus. Denique ipſa Synodus, cùm videret ſuum nutare decretum, illud confirmari à Leone petiit *in Epiſtola Synodica ad ipſum: Rogamus igitur & tuis decretis honora iudicium,* παρακαλοῦμεν τίμησον καὶ ταῖς σαῖς ψήφοις τὴν κρίσιν, *& ſicut nos capiti in bonis impendimus conſonantiam: ſic & ſummitas tua filiis, quod decet, adimpleat,* ὥσπερ ἡμεῖς τῇ κεφαλῇ τὴν ἐν τοῖς καλοῖς συμφωνίαν εἰσενηνόχαμεν οὕτω, καὶ ἡ κορυφὴ τοῖς παισὶν ἀναπληρώσει τὸ πρέπον. Addunt ſic principibus placitutum, qui tanquam legem acceperunt iudicium ſuæ Sanctitatis, & ſedem Conſtantinopolitanam, quæ ſtudium contulit ad omnem pietatem. Quibus aliiſque omnibus conantur delinire Pontificem, eiuſque conſenſum extorquere. Deindè addunt omnem geſtorum ſeriem vt ſuam ſinceritatem teſtentur, & ad actorum firmitatem & conſenſionem: εἰς τῶν πεπραγμένων βεβαίωσιν τε καὶ συγκατάθεσιν. Verùm nihil obtinere potuit Synodus à Leone, qui decretum illud non modò non confirmauit, ſed penitùs abrogauit, cum Nicænæ Synodi Canonibus aduerſaretur. Nam *Epiſt.* 55. *ad Pulcheriam* poſt explicatam Anatolij intemperantem cupiditatem ſic ſcribit: *Conſenſiones verò Epiſcoporum ſanctorum Canonum apud Nicæam conditorum regulis repugnantes, vnita nobiſcum veſtræ fidei pietate, in irritum mittimus, & per auctoritatem beati Petri Apoſtoli, generali prorſus definitione caſſamus in omnibus Eccleſiaſticis his legibus obſequentes, quas ad pacificationem omnium Sacerdotum per trecentos decem & octo Antiſtites Spiritus ſanctus inſtituit: ita vt etiamſi multò plures alij quàm illi ſtatuere decernerent, in nulla reuerentia ſit habendum, quidquid fuerit à prædictorum conſtitutione diuerſum.* Vnde factum eſt vt tum Imperator, tum ipſemet Anatolius à proſequendo primatu ceſſarent, ipſóſque ambitûs & facinoris ſuſcepti pœniteret; quod Leo ſignificat *Epiſt.* 71. *ad eumdem Anatolium* qui ſe alio-

turum

rum ſuaſionibus actum excuſabat : *Illam autem culpam, quam de augenda poteſtate aliena, vt aſſeris, adhortatione contraxeras, efficaciùs atque ſinceriùs tua Charitas diluiſſet, ſi quod tentari ſine tua voluntate non potuit, non ad ſola Clericorum conſilia tranſtuliſſes. Quia ſicut in mala ſuaſione delinquitur; ita & in mala conſenſione peccatur. Sed gratum mihi, frater chariſſime, eſt quòd dilectio tua id profitetur ſibi diſplicere, quod tunc etiam placere non debuit. Sufficit in gratiæ communis regreſſum profeßio dilectionis tuæ, & obteſtatio Principis Chriſtiani. Nec videtur tarda correctio, cui tam venerabilis aſſertor acceßit. Abiiciatur penitùs inconceßi iuris qui diſſenſionem fecerat appetitus: ſufficiant limites quos ſanctorum Patrum prouidentiſſima decreta poſuerunt, &c.* Atque inde factum exiſtimarim vt plurimi tum Græci, tum Latini Codices in indice Canonum huius Concilij, Canonem iſtum XXVIII. non numerent, ſicut neque XXIX. & XXX. & referant dumtaxat XXVII. Quæ verò in tribus illis Canonibus amiſſis continentur in actis Concilij ex quibus ad Canones aucto eorum numero fuere tranſlata, quæ fuerit fortaſſis cauſa magno Gregorio querendi de corrupto per Græcos Chalcedonenſi Concilio, *lib.* 5. *Epiſt.* 14. *Exiſtimamus quia ſicut Synodus Chalcedonenſis in vno loco ab Eccleſia Conſtantinopolitana falſata eſt, ſic aliquid in Epheſina Synodo factum eſt.* Et mox : *Romani codices multo veriores ſunt, quàm Græci quia noſtri ſicut nec Oecumina, ſic nec impoſturas habent.* Quare neque Dionyſius Exiguus codice Canon. neque Theodoret. in Synagog. Canonum, quæ extat in Bibliotheca regia & Medicea, reperiunt niſi 27. Canones huius Concilij, neque plures numerari diſertè aſſerit Theodoretus Anagnoſtes ad calcem Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Theodoreti in editione Roberti Stephani collectione *lib.* 1. Et ſanè numerus 30. Canon. quem Græci poſteriores huic Concilio tribuerunt, vt hunc 28. comprehenderent, ſuppoſititius eſt : nam Canon 29. & 30. non ſunt reuera Canones ſiue ſanctiones & regulæ: ſiquidem 29. continet interlocutionem Anatolij circa damnationem Epiſcoporum, qui ad Presbyterij ſolum honorem exauctorati erant : 30. verò excuſationem habet Epiſcoporum Ægyptiorum qui recuſabant ſubſcribere Epiſtolæ Leonis, donec haberent Patriarcham loco Dioſcori exauctorati à Synodo, cui nullus adhuc fuerat ſubrogatus.

4 Quamvis autem nihil ſe Canone Chalcedonenſi valide recuſato, & abrogato à Leone P.R. iuuari poſſe viderent Conſtantinopolitani Antiſtites, non deſtiterunt tamen à cœptis, ſed in omnem occaſionem ſemper intenti, vbi Romam oppreſſam à Barbaris viderunt, obtinuerunt à Zenone primùm Imperatore, deindè à Iuſtiniano, vt Epiſcopus nouæ Romæ Conſtantinopolitanus primum locum teneret poſt Romanum, & cæteris omnibus Patriarchis emineret, δευτέραν τάξιν, inquit Iuſtinian. *nouella* 131. ἐπέχειν μετὰ τὸν ἁγιώτατον ἀποστολικὸν θρόνον τῆς πρεσβυτέρας ῥώμης τῶν δὲ ἄλλων πρώτων προτιμᾶσθαι.

5 Hoc porrò nouo iure volebant Conſtantinopolitani idem ſibi licere in cæteros Patriarchas quod licebat Pontifici Romano in illos, atque ipſummet Conſtantinopolitanum; neque æquabant ſe Romano Pontifici, ſed eandem cum illo auctoritatem verùm ipſi ſubiectam & inferiorem vſurpabant, aliis tamen omnibus ſuperiorem; ac proindè per ſummam iniuriam Alexandrinam & Antiochenam ſedem ſuo loco, à Nicæna Synodo aſſignato deturbabant; quod Anatolio exprobrat Leo *Epiſt.* 53. *Doleo etiam in hoc dilectionem tuam eſſe prolapſam vt ſacratiſſimas Nicænorum Canonum conſtitutiones conareris infringere, tanquam opportunè ſe tibi hoc tempus obtulerit, quo ſecundi honoris priuilegium ſedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena proprietatem tertiæ dignitatis amiſerit, vt his locis iuri tuo ſubditis, omnes Metropolitani Epiſcopi, proprio iure priuentur.* Et mox : *In totius Eccleſiæ perturbationem ſuperba hæc tendit electio, quæ ita abuti voluit Concilio Synodali, vt fratres in fidei tantum negotio conuocatos, & definitione eius cauſæ, quæ erat curanda, perfunctos ad conſentiendum ſibi, aut deprauando traduceret, aut terrendo compelleret.* Et infrà : *Non conuellantur prouincialium iura Primatuum, nec priuilegiis antiquitùs inſtitutis Metropolitani fraudentur Antiſtites. Nihil Alexandrinæ ſedi eius quam per ſanctum Marcum Euangeliſtam beati Petri Diſcipulum meruit, pereat dignitatis, nec Dioſcoro impietatis ſuæ pertinacia corruente, ſplendor tantæ Eccleſiæ tenebris obſcuretur alienis : Antiochena quoque Eccleſia, in qua primum prædicante beato Apoſtolo Petro, Chriſtianum nomen exortum eſt, in paternæ conſtitutionis ordine perſeueret, & in gradu tertio collocata nunquam ſit inferior : aliud enim ſunt ſedes, aliud præſidentes, & magnus vniuſcuiuſque honor eſt integritas ſua.* Vides igitur ne ipſum quidem Anatolium, impotentis licèt cupiditatis vitium ambiuiſſe aut primatum Eccleſiæ, aut æqualitatem cum Romano Pontifice; ſed primum poſt ipſum locum & in alios Patriarchas ius poſt Romanum Pontificem, à quo ipſemet in pſeudo-Synodo Epheſina Conſtantinopolitanus Epiſcopus inualidè electus fuerat in ea ſede confirmatus, quod Leo *Epiſtola* 54. *ad Martian.* pluribus affirmat, indeque eius immenſam cupiditatem arguit. *Cuſtodire tamen debuit* (Anatolius) *vt quod noſtro beneficio noſcatur conſequutus, nullius prauitatis cupiditate turbaret : nos autem veſtræ fidei & interuentionis habentes intuitum, cùm ſecundum ſuæ conſecrationis auctorem, eius initia titubarent, benigniores circa ipſum, quàm iuſtiores eſſe voluimus, quo perturbationes omnes, quæ, operante Diabolo, fuerant excitatæ adhibitis remediis leniremus, quæ illum modeſtum magis quàm immoderatum facere debuerunt.* Et mox : *Satis ſit, quod prædicto veſtræ pietatis auxilio, & mei fauoris aſſenſu Epiſcopatum tantæ vrbis obtinuit. Non dedignetur regiam ciuitatem, quam Apoſtolicam non poteſt facere ſedem, nec vllo ſperet modo quod per aliorum poſſit aſſenſiones augeri.* Plura alia hanc in rem congerit Leo, quæ non inutiliter legas. Non queritur verò quòd Anatolius ſuæ poteſtati æqualem ambierit, & ſe illi conſortem, aut parem facere voluerit; ſed quòd alios Patriarchas deprimere, & à ſuis ſedibus remouere, atque ius in illos ſibi arrogare tentauerit, Et ſanè fictitia & inaudita foret illa æqualitas, cùm P.R. perpetuò ante & poſt editos hos Canones, in ipſum etiam Epiſcopum Conſtantinopolitanum iudicia ſæpiùs exercuerit : nam & Paulum ſedi ſuæ Conſtantinopolitanæ Iulius reſtituit; quia, inquit Sozom. *lib.* 3. *hiſt. cap.* 8. propter dignitatem ſuæ ſedis omnium Eccleſiarum ſollicitudo pertinebat, οἷα δὲ τῶν πάντων κηδεμονίας αὐτῷ προσηκούσης διὰ τὴν ἀξίαν τοῦ θρόνου ἑκάστῳ τὴν ἰδίαν, vt Chriſoſtomum, Flauianum, alióſque malè exauctoratos, & à Romano P. reſtitutos omittam, quod Valentinian. dicit ſecundùm Conciliorum morem κατὰ ἔθος συνόδων, eo tempore quo maximè hæc ambitio Conſtantinopolitana vigere videbatur, ab Anatolio vſque ad Ioannem Cyriacum, qui illam aſſumpto Oecumenici nomine excitauit. Romani Pontificis in ſedem Conſtantinopolitanam ius eminuit: nam decimo tertio poſt Anatolij obitum anno, cùm Acacius Epiſcopus Conſtantinop. in hæreſim incidiſſet, Eccleſiæ Patriarchatus Conſtantinopolitani illum ad Symmachum, vt remedium adhiberet, detulerunt; quandoquidem oues Chriſti toto orbe illius curæ creditæ eſſent. Vide Epiſtolam Orientalium ad Symmachum *in volumine orthodoxæ Græciæ*

&

& ſubindè Felix eundem Acacium exauctorauit, neque vnquam reſtitui potuit, eiuſque etiam mortui nomen e ſacris diphtycis perpetuò fuit eraſum. Anaſtaſius Imperator dum vrgeret Macedonium Patriarcham Conſtantinop. vt Concilij Chalcedonenſis nomen & acta aboleret è ſua ſaltem Eccleſia, reſponſum tulit id ſe non poſſe ſine Concilio Oecumenico, cui Romanus Epiſcopus præſideret χωρὶς οἰκουμενικῆς συνόδου ἐχούσης πρόεδρον τὸν τῆς μεγάλης ῥώμης ἐπίσκοπον οὐδὲν ποιεῖν ἔλεγεν, inquit Theod. Anagnoſtes ad calcem Hiſtor. Theodoret. in editione Roberti Stephani Ioann. Conſtantinop. *Epiſtola bd Hormiſdam* relata in Conc. Conſtantinop. ſub. Memna *Act.* 4. nomen Acacij delet è ſacris, & promittit ſe nunquam non illi obedientem fore: eadem pollicetur Anthimus in ſua confectatione, ſe in omnibus ſequuturum ſedis Apoſtolicæ fidem; & quia non ſtetit promiſſis, ipſe in hæreſim lapſus exauctoratus fuit ab Agapeto Conſtantinopoli præſidente, qui etiam eius fautricem Theodoram Imperatricem ſacris interdixit: verùm hæc aliáque permulta in re adeo clara omittenda videntur.

6 Redeamus itaque ad Canonem Chalcedonenſem, quem à Romano P. reiectum nullius roboris eſſe iam diximus: ſed eius præterea inualiditatem pluribus cum Cardinali Perronio *cap.* 34. *Reſponſionis ad Britan. Regem* licet oſtendere: imprimis enim neque à Concilio, neque ab eius præſidibus ſoluto iam conſeſſu conciliari, ſed à Clericis Eccleſ. Conſtantinop. agente maximè Ætio Archidiacono Conſtantinop. editus aut conditus eſt, vt facilè colligitur ex *Act.* 2. & fatetur ipſe Anatolius dum ſe excuſat apud Leonem, non ſuo conſilio, ſed ſui Cleri impulſum fuiſſe, vt referebamus *ſuperiùs ex Epiſt. Leonis ad Anatolium.*

2. Conditus eſt hic Canon, vt monuimus ſolutò Concilio, vbi iam Legati pontificij & Senatores iudices ſeceſſerant; quod conſtat ex querela legatorum ſequenti die facta, & *ex Actione.* 16.

3. Aberant quoque Occidentales & magna ex parte Orientales Epiſcopi, Antiocheni dumtaxat, & pauci viciniores Conſtantinopolis ſuffragati ſunt. 4. etiam plures, *non conſcriptis Canonibus ſubſcribere coacti ſunt*, vt queruntur legati *Act.* 16. Neque dicas Epiſcopos Ponti, & Aſiæ interrogatos à iudicibus an vi ſubſcripſiſſent: reſpondiſſe nullam ipſis vim allatam fuiſſe, οὐδεὶς ἠναγκάσθη. Nam vel illa reſponſio & interrogatio falſa & ſuppoſititia eſt, vel metu quoque ita reſponderunt, ſicut metu ſubſcripſerant: nam *Act. II.* Epiſcopi Aſiæ cum lacrymis Concilium proſtrati rogauerant ne pateretur Epiſcopum Conſtantinopolitanum inuadere ſuam Diœceſim & ordinationem Metropolitani Epheſini: agi enim de eorum vita & de eorum liberorum ſeditionibus, & perturbatione Eccleſiæ. Quæ omnes querelæ fuſiùs tota illa *Act. II.* deſcribuntur: quare falſum eſt quòd Diogenes Cyzicenus, & alij Epiſcopi Aſiatici, dum Canon ille reiectus eſt, dixerunt ſe illi volentes ſubſcripſiſſe, cùm idem Diogenes, aliíque proteſtati ſint non poſſe ſe aſſentiri vt Epiſcopus Conſtantinop. ordinaret Aſiæ Metropolitas, ne eorum ſubditi Diœceſani peterent & vrbes incendio, & ſeditionibus euerterentur.

5. Clerici Conſtantinopolitani fingunt ſe innouare Canonem 150. Patrum Conſtantinopolitanorum, quem allegant & illum corrumpunt: dixerat enim Canon 5. Conſtantinop. τὸν μὲν τοῦ Κωνσταντινουπόλεως ἐπίσκοπον ἔχειν τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς μετὰ τὸν τῆς ῥώμης ἐπίσκοπον. Conſtantinop. Epiſcopus habeat priuilegia honoris poſt Romanum, ipſi falsò retulerunt τὰ ἴσα πρεσβεῖα ἀπένειμαν τῷ τῆς ῥώμης ἁγιωτάτῳ θρόνῳ, habeat priuilegia æqualia ſanctiſſimo throno Romæ, quæ eſt manifeſtiſſima falſatio; cùm habere priuilegia honoris poſt Romanam ſedem, & habere priuilegia æqualia Romanæ ſedi, ſint valdè diuerſa. 2. corrumperunt Canonem Conſtantinopolitanum, cùm dicunt illum adiudicaſſe Conſtantinopolitano Epiſcopo Aſiam minorem & Ponticam Diœceſim; quod falſiſſimum eſt, cùm Can. 2. Conc. Conſtantinop. contrarium omninò affirmet, iubeátque Aſianos Epiſcopos ea quæ ſunt in Aſia, Ponticos Diœceſim Ponticam, & Thracicos gubernare Thraciam, &c. vt iam vidimus; in hac ipſa Chalcedonenſi Synodo *Act. II.* Aſiani proteſtati ſunt ſe non paſſuros Aſiam ſubiici Conſtantinopolitano.

6. Perſuaſum fuit Synodo ſe hac in re voluntati Theodoſij Imperatoris & illuſtriſſimi ſenatus, ſi ita ediceret, placituram. Quare Synodus in ipſa Synodica ad Leonem id cauſæ ſui decreti affert, & vt ipſe id tribuat voluntati Imperatoriç obſecrat. Non igitur niſi ex falſa illa perſuaſione quidquã ſanxerunt Patres.

7. Euſebius Dorileus falsò dixit ſe illud decretum Romæ coram Pontifice præſentibus Clericis Conſtantinop. recitaſſe & legiſſe, & Pontificem illud approbaſſe, ita *Act.* 16. habetur, quod quàm falſum ſit ſatis oſtendit Leo, qui illud omninò auctoritate B. Petri abrogauit, vt retulimus: ea tamen falſa perſuaſione moti PP. Concilij decretum illud confirmarunt, vti fatentur in Synodica relatione Conc. ad Leonem, cúmque rogant vt quod ſua Sanctitas cœperat, confirmet, & perficiat.

8. Legati Pontificij proteſtati ſunt de nullitate, & ipſi obſtiterunt, voluerúntque ſuam oppoſitionem actis mandari; quod fatentur ipſi Patres *in Epiſtola Synodica*; benignè tamen eam oppoſitionem & proteſtationem interpretati quòd vellent omnia à Leonis prouidentia inchoari, & vt fidei, ita & politiæ Eccleſiaſticæ bonum ab illo pendere. Et de hac ſuorum legatorum reſiſtentia teſtis locuples eſt ipſemet Leo *Epiſt.* 53. *ad Anatol. Inde enim fratres noſtri ab Apoſtolica ſede directi, qui vice mea Synodo præſidebant, probabiliter atque conſtanter, illicitis auſibus obſtiterunt apertè, reclamantes ne contra inſtituta Nicæni Concilij præſumptio reprobæ nouitatis aſſurgeret. Nec poteſt de eorum contradictione dubitari, de quibus in Epiſtola tua etiam ipſe conquereris quod conatibus tuis voluerunt obuiare, &c.*

9. Non modò non conſenſit huius Concilij, ſi tamen eius eſt, & non ſubreptitium, decreto Leo, ſed illud abrogauit, vt iam *ex eius Epiſtola ad Pulcheriam, & ad Anatolium* oſtendimus; quod ipſum affirmat poſt 40. annos Gelaſius *tomo de anathemat. vinculo*, eandem hiſtoriam narrans: oſtendit enim eo opere ea tantùm Concilij Chalced. acta rata eſſe, quæ ſedes Apoſtolica approbauit, ſicut & quæ in Acacium & Petrum Alexandrinum ab eadem ſede decreta erant, ab illa dumtaxat ſolui poſſe. Quæ omnia fusè oſtendit; neque potuit Leo pati Nicæni Concilij ſtatuta ſe conſentiente infringi, vt ad Anatolium, ad Martianum Auguſtum, ad Maximum Antiochenum, & ad alios reſcribens ſæpiùs monet.

10. Manifeſta fraus Anatolij, qui ſe damnati à Leone, atque ſua ambitione excidere grauiter ferebat, quæ Concilium eluſit & Orientis perturbauit Eccleſiam, damnanda omninò eſt, cùm enim iiſdem ad ipſum litteris Leo decreta Concilij circa fidem confirmaſſet, quæ verò contra Concilij Nicæni regulas ſtatuta fuerant, quibuſque legati ſui repugnaſſent, & quæ immodicæ ambitioni Anatolij fauebant, penitùs abrogaſſet. Anatolius ne ſe damnatum proderet, & acta illa Concilij abrogata conſtaret, litteras Leonis celauit, quæ cauſa fuit vt multi dubitarent

an Synodus Chalcedonenſis approbata & confirmata fuiſſet à Pontifice, quem idcirco Martianus Imperator rogauit ne litteras fidei Chalcedonenſis confirmatorias deſtinaret ad omnes Epiſcopos, qui Synodo adfuerant. Quæ omnia conſtant ex ipſo Leone *ep.* 59. ad Martianum, vbi gratulatus Imperatori, quod eius præcipuè opere effectum ſit, vt per Synodale Concilium damnatis impij dogmatis defenſoribus, *omnes vires ſacrilegus error amitteret: ad eiuſdem deuotionis pertinet palmam, ſi malum quod in ſuis ducibus eſt oppreſſum etiam in quibuſcunque reliquiis deleatur. Quod ſi facilius Clementia veſtra arbitretur implendum, ſi* per vniuerſas Eccleſias definitiones ſanctæ Synodi *Chalcedonenſis Apoſtolicæ ſedi placuiſſe doceantur; de quo quidem ratio non fuit ambigendi, cùm ei fidei omnium ſubſcribendi conſenſus acceſſerit, quæ ad me ſecundùm formam Apoſtolicæ doctrinæ, ac paternæ traditionis emiſſa eſt, & per fratrem meum Lucianum Epiſcopum talia & ad gloriam veſtram, & ad Conſtantinopolitanum Antiſtitem ſcripta direxerim, quæ euidenter oſtenderent, me ea quæ de fide Catholica in prædicta Synodo definita fuerant, approbare. Sed quia eiſdem litteris, ea quæ per occaſionem Synodi malè ſunt attentata reprehenderam, maluit prædictus Antiſtes meam gratulationem tacere, quàm ſuum ambitum publicare, &c.* Et infra: *Quia verò omnibus modis obediendum eſt pietati veſtræ, religioſiſſimæque voluntati conſtitutionibus Synodalibus, quæ mihi de confirmatione fidei Catholicæ, & hæreticorum damnatione placuerunt, libens adieci ſententiam meam, quæ vt in notitiam omnium Sacerdotum Eccleſiarúmque perueniat, veſtra clementia præceptis ordinare dignabatur,* & Epiſtola 60. ad Pulcheriam: *Quod verò piiſſimus Imperator ad omnes Epiſcopos, qui Chalcedonenſi Synodo interfuere voluit me ſcripta dirigere, quibus, quæ illic de fidei regula ſunt definita, firmarem, libenter impleui, ne fallax cuiuſquam ſimulatio ſententiam meam vellet haberi incertam, cum per Conſtantinopolit. Epiſcopum, cui lætitiam meam largiter indicaui, in omnium potuerit notitiam peruenire, quod ſcripſeram, niſi maluiſſet meum gaudium tacere, quam repulſam ſui ambitus publicare.* Atque iſta fraus & ſimulatio Anatolij manifeſtè demonſtrat, illum in Canone à Pontifice reiecto & ex pluribus aliis capitibus, inualido nihil firmamenti ad ſuam cauſam tuendam poſuiſſe.

7 Nihilominùs non deſtiterunt Epiſcopi Conſtantinopolitani quibus licuit modis incœpta proſequi & eundem Canonem Chalcedonenſem, atque etiam Conſtantinopolitanum innouari curarunt in Conc. Trullan. *Can.* 36. ducentis quadraginta pòſt annis, id tamen docet æquè tam longo temporis interuallo, fauentibus licet Imperatoribus non firmum fuiſſe illum Canonem, neque ius ex illo partum ſatis certum, ſed omninò ambiguum quod neque Concilij illegitimi auctoritate ſatis ſtabilire potuit. Trullanum verò Concilium Beda *lib. de ſex ætatibus*, impiam Synodum vocat, cùm approbarit Can. I. Africanum Concilium de Anabaptiſmo hæreticorum.

8 Succuſſo & euerſo imbelli illo Canonis Conſtantinopolitani & Chalcedonenſis fundamento, corruiſſe videbatur tota illa moles impotentis ambitus Græcorum & Conſtantinopolitanorum Antiſtitum: verùm eam denuò erexerunt occaſione Synodi Chalcedonenſis; cum enim falsò affirmarent illam conceſſiſſe æqualia priuilegia tum Conſtantinopolitano, tum Romano, & viderent Oecumenici nomen delatum R. P. in ipſamet Synodo Chalcedonenſi *act.* 3. à Clericis Alexandrinis in ſuo libello in Synodo lecto, & probato, neque Synodum talem titulum reſpuiſſe, exiſtimarunt ſe, qui æquali gauderent honore, idem quoque nomen commune habere poſſe. Quare Concilium Conſtantinopolitanum imperante Iuſtino, relatum in Concilio habito ſub Memna, Patriarcham Oecumenicum nominauit Ioannem III. Conſt. Iuſtinianus Epiphanius eodem nomine donauit Con. Conſtantinopolitan. ſub Memna *act.* 1. Denique Ioannes Ieranator Conſtantinop. Epiſcopus in Conciliabulo item Conſtantinop. imperante Mauricio ſeipſum Oecumenicum dixit, quod nemo Patriarcharum fecerat, licèt illud nomen ſibi ab aliis collatum non recuſaſſent. Hæc temeraria ambitio PP.RR. aduertit, qui illam vehementer damnarunt. Quare Pelagius II. magni Gregorij deceſſor, illius Conciliabuli acta omnia, præterquàm ea, in quibus de Gregorio Antiocheno agebatur, caſſauit, & irrita reddidit *Epiſt.* 2. eiúſque irritationis meminit eius ſucceſſor Gregorius *lib.* 4. *Epiſt.* 38. & *lib.* 7. *Epiſt.* 69. Mortuo Pelagio idem Ioannes Mauricij Imperatoris patrocinio fultus idem nomen vſurpare ſibi perrexit, quod tandem ipſi à Phoca Mauricij ſucceſſore prohibitum fuit, & deinceps etiam Romani Pontifices tanquam temerarium damnarunt.

Licet enim Conſtantinopolitani non recuſarent 9
idem nomen Epiſcopo Romano, neque illi obedientiam & ſubiectionem negarent, ſed vellent communionem eiuſmodi nominis habere cum ipſo, & in Oriente nomen Oecumenici, ſiue orbis Orientalis habere ſicut R. P. in vniuerſum orbem illud gerebat, quod fatetur eruditus Euſtathius Patriarcha Conſtantinop. in conuentione, quam cum Latinis Græci tentarunt, imperante Baſilio ante ſexcentos annos, teſtatúrque Glaber. *lib.* 1. *Hiſt. cap.* 1. Et ſanè non modò antequàm Conſtantinop. illud ſibi nomen aſſumerent, illud fuerat P. Romano in Synodo Chalcedonenſi, ſed poſt exortam quoque controuerſiam in Concilio Conſtantinopolitano ſub Memna, in quo primum hoc nomen Conſtantinopolitano tributum legitur, recitatus eſt *actione* 1. libellus ſupplex Clericorum Antiochenorum, Conſtantinopolitanorum, & Hierolimitan. oblatus Conſtantinopoli Pontifici Agapeto, ibidem præſenti cum hac inſcriptione, *τῷ δεσπότῃ ἡμῶν τῷ ἁγιωτάτῳ, καὶ μακαριωτάτῳ ϗ τῆς πρεσβιτέρας ῥώμης ϗ οἰκουμενικῷ πατριάρχῃ ἀγαπητῷ.* & Eulogius Alexandrinus Gregorium, cui ſcribit, *Oecumenicum Papam* dicit: vide *lib.* 7. Grego. *Ep.* 70. Conſtantin. Pogonat. in Concil. VI. & Conſtantinopolit. III. *Act.* 18. Epiſtola ad Synodum Occidentalium, gratulatur quòd ſe R. P. adiunxerint eiúſque voluntati fuerant obſequuti, & cum illo pugnarent *κατεμαχήσαθε ταξιάρχῃ ᾧ ἱεράρχῃ ϗ οἰκουμενικῷ πατριάρχῃ.* Ipſi enim interfuerant Concilio per ſuos nimirùm procuratores cum ſuo Archipaſtore Oecumenico *παρῆτε γὰρ ϗ ὑμῆς σὺν τῷ οἰκυμενικῷ ἀρχιποίμενι.* Immò Balſamon licet ſchiſmaticus fatetur Græcos nominaſſe P. R. Papam Oecumenicum: Conſtantinopolitanum verò Epiſcopum, Patriarcham Oecumenicum: ita ille *meditat.* 7. Denique iam monuimus ipſoſmet Patriarchas Conſtantinopolitanos licèt ſe Oecumenicos dicerent, id nomen ſe P. R. ſæpiùs dediſſe, quod Anthimius palàm proteſtatur in Concilio Conſtant. ſub Memna *act.* 4. qui & id ipſum de ſe fatetur, & Ioannes prebyter Chalcedonenſis damnatus à Ioanne Patriarcha Cōſtantinop. ad R. P. appellauit, vt ab ipſo denuò iudicaretur, & appellationi conſenſit ipſe Ioannes Epiſcopus, qui acta iudicij Romam miſit denuò recenſita, quæ omnia habet fuſiùs S. Gregor. *lib.* 5. *Epiſt.* 24. & *lib.* 4. *Epiſt.* 39. Denique hanc ſubiectionem Romanæ Eccleſiæ debere ſe fatentur Imperator, & Patriarchæ apud eundem Gregor. *l.* 7. *ep.* 65. neque hanc Epiſtolam ſuppoſitam eſſe rectè probant aliqui, quòd in ea legatur, *Euſebius eiuſdem vrbis Epiſcopus*; cum tamen conſtet id temporis non Euſebium,

bium, ſed Cyriacum fuiſſe Conſtantinopolitanum Epiſcopum: nam 1. potuit Cyriacus dici etiam Euſebius, vt Hieronymus appellabatur Euſebius Hyeronimus. 2. Euſebius poteſt eſſe nomen adiectiuum; & & ſignificare pium, ſic Arius ſcribens Euſebio Nicomedienſi apud Theodoret. *lib. 1. Hiſt. Eccleſ. cap. 6.* ἀληθῶς εὐσεβής. 3. Librariorum fuit hic error, cùm omnia vetera exemplaria per ducentos annos legerent, *Frater noſter Epiſcopus eiuſdem vrbis*, pro *eiuſdem* malè ſcripto legerent *Euſebius*: & ſanè apud Amalaricum Treuirenſem Epiſcopum iam ab octingentis annis *lib. 4. de diuino officio, cap. 26.* habetur hæc integra Epiſtola Gregorij, in eaque legitur, *Eiuſdem*, non, *Euſebius*. Hinc factum vt Conſtantinopolitani Epiſcopi in Conciliis Oecumenicis præſentibus legatis Apoſtolicis, nomine Oecumenici abſtinerent, in ipſis etiam ſubſcriptionibus, & non modò poſt legatos ſubſcriberent qui vicem Papæ Oecumenici ſe tenere dicebant, ſed etiam Conſtantinopolitani Patriarchæ, ſe ſolùm Epiſcopos conſtantinopolitanos ſcriberent; quod conſtat ex Synodo VI. Oecumenica, & Conſtantinopolit. III. imperante Conſtantinop. Poginato *Actio XVIII.* Vbi Theodorus ſic ſubſcribit: Θεόδωρος ἐλάχιστος πρεσβύτερος τῆς ἁγίας ἐκκλησίας ῥώμης καὶ τὸν τόπον ἐπέχων Ἀγάθωνος τοῦ μακαριωτάτου, καὶ οἰκουμενικοῦ πάπα πόλεως ῥώμης ἀπέγραψα. Eodē modo Georgius & Ioannes alij legati ſubſcribunt: at verò Georgius Conſtantinopolitanus Epiſcopus ſic ſubſcribit: Γεώργιος ἐλέει θεοῦ ἐπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως νέας ῥώμης ὁρίσας ὑπέγραψα. Plura alia in hāc rem vide apud Perronium loco citato, vbi omni genere teſtium demonſtrat etiam Epiſcopos, & Patriarchas Conſtantinopolitanos Romani Pontificis Primatum agnouiſſe, & aſſumpto nomine Oecumenici nihil eius auctoritatis derogaſſe, aut derogari voluiſſe; ſed ſibi eandem auctoritatem in omnes alios Patriarchas vſurpare Concilia generalia ex omnibus Patriarchatibus, cogere, Metropolitas vbique ordinare, in toto Oriente præſidere, & in omnibus cæterorum iudiciis per appellationem ad ſe iudicare, quæ omnia nomine Oecumenici ſibi vindicabant. Quam ab cauſam illud RR. PP. meritò damnarunt in Epiſcopo Conſtantinop. & ſibi etiam deferri recuſarunt, vt patet ex Epiſtola Gregorij ad Eulogium Alexand. *lib. 7. Ep. 30.* Vox enim illa Epiſcopi vniuerſalis & Oecumenici ſi grammaticaliter, & litteraliter ſumatur, ſignificat ſolum in orbe Epiſcopum: at verò metaphoricè omnibus orbis Epiſcopis ſuperiorem & præſidem. In prima ſignificatione recuſauit illud nomen iure merito Gregorius, & cuiquam tribuit vetuit, ne admiſſo aliquo Epiſcopo vniuerſali, reliqui in Imperij Orbe vel Romano, Epiſcopi veri non eſſent, ſed eius vniuerſalis miniſtri dumtaxat vel Vicarij. *Si vnus Patriarcha vniuerſalis dicitur* Gregor. *lib. 4. ep. 36.* (inquit) *Patriarcharum nomen cæteris derogatur*, & *lib. 7. ep. 69.* contra Ioannem Epiſcopum Conſtant. *Nam ſi vnus, vt putat, vniuerſalis eſt, reſtat vt vos Epiſcopi non ſitis.* Neque dicas Epiſcopum Conſtantinopolitanum non vſurpaſſe Oecumenici nomen in ea ſignificatione, ſed ſolùm in illa alia, quæ ſuperiorem aliis Epiſcopis in eo orbe ſignificat: nam quoties vox aliqua ambigua eſt, & in vna praua ſignificatione, atque damnoſa accipi poteſt, nomen ab illa voce deducendum non eſt, ne qui illo donatur, facilè eo abutatur, & ab vna ſignificatione tranſeat ad aliam, atque ambiguitate omnes eludat. Deindè neque in ſua illa ſignificatione, quæ primatum & ſuperioritatem ſupra reliquos orbis Epiſc. ſignificat poterat illud Oecumenici nomē aſſumere Epiſcopus Conſtantinop. qui Alexand, & AntiochenoPatriarcha poſterior eſt, neque in illos alioſque Ægypti, Orientis, & plurium Diœceſeon Epiſcopos ius illud habebat, quod tamen illo nomine vſurpabat, & reipſa ſæpiùs cum magna ceterorum iniuria. Quare illud RR. PP. ferre non poterant: Gregorium illud recuſando nihil ſuæ auctoritati & dignitati capitis vniuerſalis Eccleſiæ detraxiſſe patet, ex infinitis locis, quibus omnium Eccleſiarum ſollicitudinem & curam ſibi diuinitùs in ſancto Petro datam dicit, & ſuam in omnes auctoritatem exercet, *lib. 6. Epiſt. 30. lib. 2. Epiſt. 30. lib. 4. Epiſt. 32 & 38.* ſingillatim verò Eccleſiam Conſtantinop. Romanæ ſubiectam dicit *lib. 7. Epiſt. 63.* ſententiam Ioannis Conſtantinopolitani contra Ioannem presbyterum Chalcedonenſem irritat. *lib. 5. Ep. 15. & 24.* Athanaſium Monachum Lyaoniæ dānatum ab eodem Ioanne ſuo loco reſtituit, eodem *lib. 5. ep. 64.* de cæteris verò ſumma poteſtate ſtatuit *lib. 11. Ep. 54.* & *Ep. 43.* ad Ioannem Panormitan. *lib. 2. Ep. 37.* ad Ioannem Salonenſem *l. 2. ep. 7. Ioannis Lariſſæi in Theſſalia Archiepiſcopi* aduerſus Adrianum Thebanum Epiſcopum ſententiā perimit, & nequid in illum aggrediatur, interminata excommunicatione prohibet: & quia Ioannes Primas primæ Iuſtinianæ ſententiam Archiepiſcopi Lariſſæi confirmarat, eius iudicium annullat, & participatione corporis Chriſti per 30. dies priuat, *lib. 2. ep. 6.* Vides itaque Gregorium ita nomen Oecumenici reieciſſe, vt tamen titulum capitis Eccleſiæ, atque iuriſdictionem, & auctoritatem in omnes Epiſcopos retineret.

Liceat igitur contra Græcos, qui ſecundum locum 16
Conſtantinop. Epiſcopo ex Canone tertio Conſtantinopolitano, & 28. Chalcedonenſi vindicant etiam hodie, quod olim faciebant Acaciani, dicere cum Gelaſio *Ep. 4. viderint ſi alios habent Canones, quibus ſuas ineptias exequantur, cæterùm iſti qui ſacri, qui Eccleſiaſtici, qui legitimi celebrantur ſedem Apoſtolicam ad iudicium vocare non poſſunt.* Lege & eundem Gelaſium *Ep. 13.* vbi habet teſtimonia Martiani laudantis Leonē, quòd hac in parte Canoni Chalcedonenſi obſtitiſſet. Tandē ſedata eſt controuerſia ab Innoc. III. in Synodò Lateranenſi *cap. 5.* vbi ſecundum locum tribuit Conſtantinopolitano; ſedis tamen Apoſtolicæ dignitatem auctoritatémque illæſam eſſe voluit in eoſdem Patriarchas reſeruatis ad illam appellationibus ab ipſorum ſententiis & iudiciis. Quod verò ait ſeruanda eſſe antiqua priuilegia illarum Sedium, non ideircò Canonem Conſtantinopolitanum, aut Chalcedonenſē, quos hactenus ſuppoſititios aut falſatos eſſe docuimus, ipſe confirmat, ſed nominat Innocentius antiqua priuilegia, quæ vel vi, vel tolerantia, vel conſuetudine, Imperatorumque patrocinio ſibi iamdiù vſurparant, neque in ea voce contendendum eſt.

Ad extremum moneo conſtare ex hactenus diſputatis, licèt maiores ſedes Epiſcopales pro veteri more in maioribus ciuitatibus collocatę fuerunt, non tamē ex vrbis amplitudine & dignitate ſuam iuriſdictionē in alios Epiſcop. ſortitas eſſe, ſed ex Eccl. more, & Synodis, ac potiſſimum à Romano Pontifice, à quibus ſedes Metropolitanę primatiales & Patriarchales inſtitutæ ſunt. Neque ſemper eundem morem tenuerunt, vti fuit explicatum, cùm politicos typos & formas non ſemper fuerit imitata Eccleſia: vti monebat Innocent. I. *Epiſt. ad Patriarcham Antiochenum.*

Consectarium VI.

Diuerſitas Synodorum non Oecumenicarum.

EX diuiſione Eccleſiarum hactenus explicata nata neceſſariò eſt diuerſitas Synodorum non Oecu- 1
menicarum. Cùm enim quamplurima in ſingulis prouinciis & Diœceſibus pro variis rerum & temporum momentis ſtatuenda ſint, quæ à Synodis definita non

an Synodus Chalcedonenſis approbata & confirmata fuiſſet à Pontifice, quem idcirco Martianus Imperator rogauit ne litteras fidei Chalcedonenſis confirmatorias deſtinaret ad omnes Epiſcopos, qui Synodo adfuerant. Quæ omnia conſtant ex ipſo Leone *ep.* 59. ad Martianum, vbi gratulatus Imperatori, quod eius præcipuè opere effectum ſit, vt per Synodale Concilium damnatis impij dogmatis defenſoribus, *omnes vires ſacrilegus error amitteret: ad eiuſdem deuotionis pertinet palmam, ſi malum quod in ſuis ducibus eſt oppreſſum etiam in quibuſcunque reliquiis deleatur. Quod ſi facilius Clementia veſtra arbitretur implendum, ſi per* vniuerſas Eccleſias definitiones ſanctæ Synodi *Chalcedonenſis Apoſtolica ſedi placuiſſe doceantur; de quo quidem ratio non fuit ambigendi, cùm ei fidei omnium ſubſcribendi conſenſus acceſſerit, qua ad me ſecundùm formam Apoſtolica doctrina, ac paterna traditionis emiſſa eſt, & per fratrem meum Lucianum Epiſcopum talia & ad gloriam veſtram, & ad Conſtantinopolitanum Antiſtitem ſcripta direxerim, qua euidenter oſtenderent, me ea qua de fide Catholica in pradicta Synodo definita fuerant, approbare. Sed quia eiſdem litteris, ea qua per occaſionem Synodi malè ſunt attemata reprehenderam, maluit pradictus Antiſtes meam gratulationem tacere, quàm ſuum ambitum publicare. &c.* Et infra: *Quia verò omnibus modis obediendum eſt pietati veſtra, religioſiſſimaque voluntati conſtitutionibus Synodalibus, qua mihi de confirmatione fidei Catholica, & hareticorum damnatione placuerunt, libens adieci ſententiam meam, qua vt in notitiam omnium Sacerdotum Eccleſiarúmque perueniat, veſtra clementia praceptis ordinare dignabatur*, & *Epiſtola* 60. *ad Pulcheriam: Quod verò piiſſimus Imperator ad omnes Epiſcopos, qui Chalcedonenſi Synodo interfuere voluit me ſcripta dirigere, quibus, qua illic de fidei regula ſunt definita, firmarem, libenter impleui, ne fallax cuiuſquam ſimulatio ſententiam meam vellet haberi incertam, cum per Conſtantinopolit. Epiſcopum, cui latitiam meam largiter indicaui, in omnium potuerit notitiam peruenire, quod ſcripſeram, niſi maluiſſet meum gaudium tacere, quam repulſam ſui ambitus publicare.* Atque iſta fraus & ſimulatio Anatolij manifeſtè demonſtrat, illum in Canone à Pontifice reiecto & ex pluribus aliis capitibus, inualido nihil firmamenti ad ſuam cauſam tuendam poſuiſſe.

7 Nihilominùs non deſtiterunt Epiſcopi Conſtantinopolitani quibus licuit modis incœpta proſequi & eundem Canonem Chalcedonenſem, atque etiam Conſtantinopolitanum innouari curarunt in Conc. Trullan. *Can.* 36. ducentis quadraginta pòſt annis, id tamen docet æquè tam longo temporis interuallo, fauentibus licet Imperatoribus non firmum fuiſſe illum Canonem, neque ius ex illo partum ſatis certum, ſed omninò ambiguum quod neque Concilij illegitimi auctoritate ſatis ſtabilire potuit. Trullanum verò Concilium Beda *lib. de ſex atatibus*, impiam Synodum vocat, cum approbarit Can. I. Africanum Concilium de Anabaptiſmo hæreticorum.

8 Succuſſo & euerſo imbelli illo Canonis Conſtantinopolitani & Chalcedonenſis fundamento, corruiſſe videbatur tota illa moles impotentis ambitus Græcorum & Conſtantinopolitanorum Antiſtitum: verùm eam denuò erexerunt occaſione Synodi Chalcedonenſis; cum enim falsò affirmarent illam conceſſiſſe æqualia priuilegia tum Conſtantinopolitano, tum Romano, & viderent Oecumenici nomen delatum R. P. in ipſamet Synodo Chalcedonenſi *act.* 3. à Clericis Alexandrinis in ſuo libello in Synodo lecto, & probato, neque Synodum talem titulum reſpuiſſe, exiſtimarunt ſe, qui æquali gauderent honore, idem quoque nomen commune habere poſſe. Quare Concilium Conſtantinopolitanum imperante Iuſtino, relatum in Concilio habito ſub Memna, Patriarcham Oecumenicum nominauit Ioannem III. Conſt. Iuſtinianus Epiphanius eodem nomine donauit Con. Conſtantinopolitan. ſub Memna *act.* 1. Denique Ioannes Ieiunator Conſtantinop. Epiſcopus in Conciliabulo item Conſtantinop. imperante Mauricio ſeipſum Oecumenicum dixit, quod nemo Patriarcharum fecerat, licèt illud nomen ſibi ab aliis collatum non recuſaſſent. Hæc temeraria ambitio PP.RR. aduertit, qui illam vehementer damnarunt. Quare Pelagius II. magni Gregorij deceſſor, illius Conciliabuli acta omnia, præterquàm ea, in quibus de Gregorio Antiocheno agebatur, caſſauit, & irrita reddidit *Epiſt.* 2. eiúſque irritationis meminit eius ſucceſſor Gregorius *lib.* 4. *Epiſt.* 38. & *lib.* 7. *Epiſt.* 69. Mortuo Pelagio idem Ioannes Mauricij Imperatoris patrocinio fultus idem nomen vſurpare ſibi perrexit, quod tandem ipſi à Phoca Mauricij ſucceſſore prohibitum fuit, & deinceps etiam Romani Pontifices tanquam temerarium damnarunt.

Licet enim Conſtantinopolitani non recuſarent 9
idem nomen Epiſcopo Romano, neque illi obedientiam & ſubiectionem negarent, ſed vellent communionem eiuſmodi nominis habere cum ipſo, & in Oriente nomen Oecumenici, ſiue orbis Orientalis habere ſicut R. P. in vniuerſum orbem illud gerebat, quod fatetur eruditus Euſtathius Patriarcha Conſtantinop. in conuentione, quam cum Latinis Græci tentarunt, imperante Baſilio ante ſexcentos annos, teſtatúrque Glaber. *lib.* 1. *Hiſt. cap.* 1. Et ſanè non modò antequàm Conſtantinop. illud ſibi nomen aſſumerent, illud fuerat P. Romano in Synodo Chalcedonenſi, ſed poſt exortam quoque controuerſiam in Concilio Conſtantinopolitano ſub Memna, in quo primum hoc nomen Conſtantinopolitano tributum legitur, recitatus eſt *actione* 1. libellus ſupplex Clericorum Antiochenorum, Conſtantinopolitanorum, & Hierolimitan. oblatus Conſtantinopoli Pontifici Agapeto, ibidem præſenti cum hac inſcriptione, τῷ δεσπότῃ ἡμῶν τῷ ἁγιωτάτῳ, καὶ μακαριοτάτῳ ϗ τῆς πρεσβιτέρας ῥώμης ϗ οἰκουμενικῷ πατριάρχῃ ἀγαπητῷ. & Eulogius Alexandrinus Gregorium, cui ſcribit, *Oecumenicum Papam* dicit: vide *lib.* 7. Grego. *Ep.* 70. Conſtantin. Pogonat. in Concil. VI. & Conſtantinopolit. III. *Act.* 18. Epiſtola ad Synodum Occidentalium, gratulatur quòd ſe R. P. adiunxerint eiúſque voluntati fuerant obſequuti, & cum illo pugnarent κατεμαχήσατε ταξιάρχῃ ὦ ἱεράρχῃ ϗ οἰκουμενικῷ πατριάρχῃ. Ipſi enim interfuerant Concilio per ſuos nimirùm procuratores cum ſuo Archipaſtore Oecumenico παρῆτε γὰρ ϗ ὑμῆς σὺν τῷ οἰκουμενικῷ ἀρχιποίμενι. Immò Balſamon licet ſchiſmaticus fatetur Græcos nominaſſe P. R. Papam Oecumenicum: Conſtantinopolitanum verò Epiſcopum, Patriarcham Oecumenicum: ita ille *meditat.* 7. Denique iam monuimus ipſoſmet Patriarchas Conſtantinopolitanos licèt ſe Oecumenicos dicerent, id nomen ſe P. R. ſæpiùs dediſſe, quod Anthimius palàm proteſtatur in Concilio Conſtant. ſub Memna *act.* 4. qui & id ipſum de ſe fatetur, & Ioannes prebyter Chalcedonenſis damnatus à Ioanne Patriarcha Cõſtantinop. ad R. P. appellauit, vt ab ipſo denuò iudicaretur, & appellationi conſenſit ipſe Ioannes Epiſcopus, qui acta iudicij Romam miſit denuò recenſita, quæ omnia habet fuſiùs S. Gregor. *lib.* 5. *Epiſt.* 24. & *lib.* 4. *Epiſt.* 39. Denique hanc ſubiectionem Romanæ Eccleſiæ debere ſe fatentur Imperator, & Patriarchæ apud eundem Gregor. *l.* 7. *ep.* 65. neque hanc Epiſtolam ſuppoſitam eſſe rectè probant aliqui, quòd in ea legatur, *Euſebius eiuſdem vrbis Epiſcopus*; cum tamen conſtet id temporis non Euſebium,

bium , ſed Cyriacum fuiſſe Conſtantinopolitanum Epiſcopum : nam 1. potuit Cyriacus dici etiam Euſebius,vt Hieronymus appellabatur Euſebius Hyeronimus. 2. Euſebius poteſt eſſe nomen adiectiuum; & & ſignificare pium, ſic Arius ſcribens Euſebio Nicomedienſi apud Theodoret. *lib.* 1. *Hiſt. Eccleſ. cap.* 6. ἀληθῶς εὐσεβής. 3. Librariorum fuit hic error , cùm omnia vetera exemplaria per ducentos annos legerent, *Frater noſter Epiſcopus eiuſdem vrbis* , pro *eiuſdem* malè ſcripto legerent *Euſebius* : & ſanè apud Amalaricum Treuirenſem Epiſcopum iam ab octingentis annis *lib.* 4. *de diuino officio, cap.* 26. habetur hæc integra Epiſtola Gregorij , in eaque legitur, *Eiuſdem*, non , *Euſebius*. Hinc factum vt Conſtantinopolitani Epiſcopi in Conciliis Oecumenicis præſentibus legatis Apoſtolicis,nomine Oecumenici abſtinerent , in ipſis etiam ſubſcriptionibus , & non modò poſt legatos ſubſcriberent qui vicem Papæ Oecumenici ſe tenere dicebant , ſed etiam Conſtantinopolitani Patriarchæ , ſe ſolùm Epiſcopos conſtantinopolitanos ſcriberent ; quod conſtat ex Synodo VI. Oecumenica,& Conſtantinopolit. III. imperante Conſtantinop. Poginato *Actio XVIII.* Vbi Theodorus ſic ſubſcribit: Θεόδωρος ἐλάχιστος πρεσβύτερος τῆς ἁγίας ἐκκλησίας ῥώμης καὶ τὸν τόπον ἐπέχων Ἀγάθωνος τοῦ μακαριωτάτου, καὶ οἰκουμενικοῦ πάπα πόλεως ῥώμης ἀπέγραψα. Eodē modo Georgius & Ioannes alij legati ſubſcribunt : at verò Georgius Conſtantinopolitanus Epiſcopus ſic ſubſcribit: Γεώργιος ἐλέει θεοῦ ἐπίσκοπος Κωνσταντινουπόλεως νέας ῥώμης ὁρίσας ὑπέγραψα. Plura alia in hāc rem vide apud Perronium loco citato, vbi omni genere teſtium demonſtrat etiam Epiſcopos , & Patriarchas Conſtantinopolitanos Romani Pontificis Primatum agnouiſſe,& aſſumpto nomine Oecumenici nihil eius auctoritatis derogaſſe , aut derogari voluiſſe ; ſed ſibi eandem auctoritatem in omnes alios Patriarchas vſurpare Concilia generalia ex omnibus Patriarchatibus , cogere, Metropolitas vbique ordinare, in toto Oriente præſidere , & in omnibus cæterorum iudiciis per appellationem ad ſe iudicare , quæ omnia nomine Oecumenici ſibi vindicabant. Quam ab cauſam illud RR. PP. meritò damnarunt in Epiſcopo Conſtantinop. & ſibi etiam deferri recuſarunt, vt patet ex Epiſtola Gregorij ad Eulogium Alexand. *lib.* 7. *Ep.* 30. Vox enim illa Epiſcopi vniuerſalis & Oecumenici ſi grammaticaliter , & litteraliter ſumatur , ſignificat ſolum in orbe Epiſcopum : at verò metaphoricè omnibus orbis Epiſcopis ſuperiorem & præſidem. In prima ſignificatione recuſauit illud nomen iure merito Gregorius, & cuiquam tribuit vetuit, ne admiſſo aliquo Epiſcopo vniuerſali, reliqui in Imperij Orbe vel Romano, Epiſcopi veri non eſſent , ſed eius vniuerſalis miniſtri dumtaxat vel Vicarij. *Si vnus Patriarcha vniuerſalis dicitur* Gregor. *lib.* 4. *ep.* 36. (inquit) *Patriarcharum nomen cæteris derogatur,*& *lib.* 7. *ep.* 69. contra Ioannem Epiſcopum Conſtant. *Nam ſi vnus, vt putat , vniuerſalis eſt, reſtat vt vos Epiſcopi non ſitis.* Neque dicas Epiſcopum Conſtantinopolitanum non vſurpaſſe Oecumenici nomen in ea ſignificatione, ſed ſolùm in illa alia , quæ ſuperiorem aliis Epiſcopis in eo orbe ſignificat : nam quoties vox aliqua ambigua eſt, & in vna praua ſignificatione , atque damnoſa accipi poteſt , nomen ab illa voce deducendum non eſt, ne qui illo donatur , facilè eo abutatur,& ab vna ſignificatione tranſeat ad aliam , atque ambiguitate omnes eludat. Deindè neque in ſua illa ſignificatione, quæ primatum & ſuperioritatem ſupra reliquos orbis Epiſc. ſignificat poterat illud Oecumenici nomē aſſumere Epiſcopus Conſtantinop. qui Alexand, & Antiocheno Patriarcha poſterior eſt, neque in illos alióſque Ægypti , Orientis , & plurium Diœceſeon Epiſcopos ius illud habebat , quod tamen illo nomine vſurpabat , & reipſa ſæpiùs cum magna cæterorum iniuria. Quare illud RR. PP. ferre non poterant: Gregorium illud recuſando nihil ſuæ auctoritati & dignitati capitis vniuerſalis Eccleſiæ detraxiſſe patet, ex infinitis locis , quibus omnium Eccleſiarum ſollicitudinem & curam ſibi diuinitùs in ſancto Petro datam dicit, & ſuam in omnes auctoritatem exercet , *lib.* 6. *Epiſt.* 30. *lib.* 2. *Epiſt.* 30. *lib.* 4. *Epiſt.* 32 & 38. ſingillatim verò Eccleſiam Conſtantinop. Romanæ ſubiectam dicit *lib.* 7. *Epiſt.* 63 . ſententiam Ioannis Conſtantinopolitani contra Ioannem presbyterum Chalcedonenſem irritat. *lib.* 5. *Ep.* 15. & 24. Athanaſium Monachum Lyaoniæ dānatum ab eodem Ioanne ſuo loco reſtituit, eodem *lib.* 5. *ep.* 64. de cæteris verò ſumma poteſtate ſtatuit *lib.* 11. *Ep.* 54. & *Ep.* 43. ad Ioannem Panormitan. *lib.* 2. *Ep.* 37. ad Ioannem Salonenſem *l.* 2. *ep.* 7. *Ioannis Lariſſæi in Theſſalia Archiepiſcopi* aduerſus Adrianum Thebanum Epiſcopum ſententiā perimit , & nequid in illum aggrediatur, interminata excommunicatione prohibet:& quia Ioannes Primas primæ Iuſtinianæ ſententiam Archiepiſcopi Lariſſæi confirmarat, eius iudicium annullat,& participatione corporis Chriſti per 30. dies priuat, *lib.* 2. *ep.* 6. Vides itaque Gregorium ita nomen Oecumenici reieciſſe, vt tamen titulum capitis Eccleſiæ, atque iuriſdictionem , & auctoritatem in omnes Epiſcopos retineret.

Liceat igitur contra Græcos,qui ſecundum locum 16
Conſtantinop. Epiſcopo ex Canone tertio Conſtantinopolitano, & 28. Chalcedonenſi vindicant etiam hodie , quod olim faciebant Acaciani , dicere cum Gelaſio *Ep.* 4. *viderint ſi alios habent Canones , quibus ſuas ineptias exequantur, cæterùm iſti qui ſacri, qui Eccleſiaſtici, qui legitimi celebrantur ſedem Apoſtolicam ad iudicium vocare non poſſunt.* Lege & eundem Gelaſium *Ep.* 13. vbi habet teſtimonia Martiani laudantis Leonē, quòd hac in parte Canoni Chalcedonenſi obſtitiſſet. Tandē ſedata eſt controuerſia ab Innoc. III. in Synodo Lateranenſi *cap.* 5 . vbi ſecundum locum tribuit Conſtantinopolitano; ſedis tamen Apoſtolicæ dignitatem auctoritatémque illæſam eſſe voluit in eoſdem Patriarchas reſeruatis ad illam appellationibus ab ipſorum ſententiis & iudiciis. Quod verò ait ſeruanda eſſe antiqua priuilegia illarum Sedium , non idcircò Canonem Conſtantinopolitanum, aut Chalcedonenſē, quos hactenus ſuppoſititios aut falſatos eſſe docuimus , ipſe confirmat , ſed nominat Innocentius antiqua priuilegia , quæ vel vi , vel tolerantia, vel conſuetudine , Imperatorumque patrocinio ſibi iamdiu vſurparant, neque in ea voce contendendum eſt.

Ad extremum moneo conſtare ex hactenus diſputatis, licèt maiores ſedes Epiſcopales pro veteri more in maioribus ciuitatibus collocatę fuerunt, non tamē ex vrbis amplitudine & dignitate ſuam iuriſdictionē in alios Epiſcop. ſortitas eſſe, ſed ex Eccl. more, & Synodis, ac potiſſimum à Romano Pontifice , à quibus ſedes Metropolitanę primatiales & Patriarchales inſtitutæ ſunt. Neque ſemper eundem morem tenuerunt, vti fuit explicatum , cùm politicos typos & formas non ſemper fuerit imitata Eccleſia: vti monebat Innocent. I. *Epiſt. ad Patriarcham Antiochenum.*

CONSECTARIVM VI.

Diuerſitas Synodorum non Oecumenicarum.

EX diuiſione Eccleſiarum hactenus explicata nata neceſſariò eſt diuerſitas Synodorum non Oecu- 1
menicarum. Cùm enim quamplurima in ſingulis prouinciis & Diœceſibus pro variis rerum & temporum momentis ſtatuenda ſint, quæ à Synodis definita

non ſunt, immò neque definiri potuerunt, cùm illæ rarò admodum cogi poſſint & pro occaſione negotiorum leges aliquandò mutandæ ſint, neceſſariæ fuerunt aliæ Synodi, quæ regulas & certa iura variis in locis ſancirent, mutarent, aut explicarent leges vniuerſales, & infinita alia ſtatuerent. Illæ verò Synodi cùm non ſint vniuerſales, ſed pro diuerſis Eccleſiis, Prouinciis, Diœceſibus, regionibus, & regnis, diuerſæ quoque eſſe debent, quamuis omnes & ſingulę magnæ auctoritatis exiſtant,& iura conſtituant, vbi vniuerſalibus Synodis & regulis ab illis ſtatutis non derogant. Cùm itaque tota politia Eccleſiaſtica Patriarchis, Primatibus, Metropolitis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis præcipuè conſtet, quibus Patriarchatus, Diœceſes, Prouinciæ, & ciuitates diuerſimodè gubernentur ſine vnitatis perturbatione; neceſſariæ quoque fuerunt variæ Synodi, nimirùm Patriarchales,Diœceſanæ,& regionales;ſiue nationales, Prouinciales; & denique Epiſcopales, quæ ſingulæ Synodi & leges ſuis Eccleſiis præſcribunt & ſtatuta condunt, & negotia, quæ occurrunt, definiunt, de quibus omnibus dicendum eſt hoc loco, cùm, vt *initio capitis* monuimus, ius Canonicum particulare illis conſtituatur.

QVÆSTIO III.

De Synodis Patriarchalibus.

Quales illæ ſint, n. 1.
Quando primùm indicta Antiochena Ariana, n. 2. & 3.
Frequentes, n. 4.
Hinc omiſſæ Prouinciales, n. 5.

1 SIc appello Synodos quæ à Patriarchis ex toto ſuo Patriarchatu conuocabantur,quibúſque ipſe præſidebat ad varia ſui Patriarchatus negotia agitanda, & definienda, quamvis licita ſemper foret & à Patriarchis,& ab eius Synodo appellatio ad R. P. vt in cauſa Athanaſij, Flamiani, Chryſoſtomi,aliíſque pluribus ſæpiùs oſtendimus.

2 Non fuerunt porrò eiuſmodi Synodi Patriarchales ante Concilium Nicænum celebratæ, non quòd illud Patriarchas inſtituerit, vt aliqui nugantur, cùm ne nomine quidem Patriarchæ vſum fuerit, ſed quia licèt antiquum ius Epiſcopi Alexandrini in Ægyptum, Pentapolim, & Lybiam, & ius Antiocheni in Orientem exemplo Epiſcopi Romani, in Occidentem confirmarit, illúdque antiquum ius ſit reipſa Patriarchicum; non legimus tamen ante Nicænam Synodum vllam ab Alexandrino Epiſcopo ex tota Ægypto, Pentapoli, & Lybia, aut ab Antiocheno ex toto Oriente collectam Synodum, ſed vel ſingulæ vel plures ſimul Diœceſes coniunctis ſuffragiis ſua ſibi decreta & leges conſtituebant, quæ alias Diœceſes, aut Prouincias minimè obſtringebant, vti videmus in Synodo Ancyrana, Neocæſarienſi, Gangrenſi, Antiochena, Laodicenſi, quarum Canones ſeruabantur apud eos dumtaxat Epiſcopos, quorum ſuffragiis fuerant decreti. Ancyrana quidem an. 314. ſtatim poſt redditam Eccleſiæ libertatem, & ante Nicænam coacta eſt Ancyræ ciuitate, quæ erat Metropolis Galatiæ à XIX. Epiſc. ex Diœceſi Orientis, Aſiana & Pontica, ab iiſque XXV. Canones editi, qui tres illas Diœceſes obſtringerent. Cæterùm nulla vis eorum erat in Diœceſi Ægyptiaca,& Thracica, multò minùs in Occidente fuit ea deindè Synodus probata à Nicæna,vt conſtat ex actione IV. Concilij Florentini: in ea actum de reconciliandis lapſis tormentorum metu,vrgente perſecutione. A Vitale Antiocheno indictam volunt aliqui, ſed mera coniectura eſt, maximè cùm Diœceſis Aſiana & Pontica non fuerint ſubiectæ Antiocheno Epiſcopo: potuit quidem ille hortari ad Synodum vicinos Epiſcopos,vt in cõmuni cauſa Eccleſiæ quæ reſpirare ex Maximi Imperatoris perſecutione cœperat, iunctis animis ſuccurrerent. Vitalis ille Antiochenus eſt Syriæ Cœleſyriæ Epiſcopus. Sic Iconi in Phrygia conuenerunt Epiſcopi ex Cappadocia, Cilicia, Galatia anno 258. contra Cataphrygas, quorum & aliorum hæreticorum baptiſmum prorſus inualidum,& ab Eccleſia reſpuendum eſſe decreuêrunt,quam Synodum etraticã, & Epiſcopos qui ita decreuerant excommunicatos declarant, & quamuis illi Orientales Epiſcopi Romã legatos, qui de omnibus rationem redderent, miſiſſent: ab Stephano tamen R. P. neque recepti,neque audiri ſunt. Qua de cauſa Firmilianus Cappadociæ Epiſcopus grauiter conqueritur apud Cyprian.*ep.65. edition. Pameliana.* Synodum Ancyranam ſequuta eſt Neocæſarienſis. Nam poſt ſolutam Ancyranam, decem & octo Epiſcopi, aliíque Neocæſaream Ponti Polemoniaci ſe contulerunt, & XV. Canones condiderunt; tum an. 325. vel 324. Gangris, quæ eſt Metropolis Paphlagoniæ XVI. Epiſcopi Diœceſis Ponticæ contra Euſtathium Sebaſtenum in Armenia Epiſcopum congregati, XX. Canones ſanciuerunt: anni tamen conſignati notã incertam putat Baron. an. 361. *n.*44. Oſius illi Synodo interfuiſſe dicitur, cum à Silueſtro legatus eſſet in Orientem. Quare auctoritate Apoſtolicâ celebrata dici poteſt,& eius Canones Apoſtolica auctoritate conditos teſtatur Symmachus in Concilio Rom. à ſe coacto. Laodiceæ quæ erat Phrygiæ Pacatianæ Metropolis ad Lycum fluuium congregata eſt nominatiſſima Synodus ex variis Diœceſeos Aſiæ Prouinciis, ἐκ διαφόρων ἐπαρχιῶν τῆς Ἀσίας. Annus incertus eſt,Baron. an. 314. vel 12. & Binius ante Nicænam & poſt Neocæſarienſem coactam volunt; quia Can. I. agens de bigamis citat Canonem Eccleſiaſticum, qui eſt tertius Concilij Neocæſarienſis, & non vllus antiquior. Deindè hæc Synodus apocryphum cenſuit librum Iudith, quem teſte Hieronymo Nicæna Synodus probauit: quis verò dicat Prouinciales Synodos reieciſſe quod magna Synodus ſtatuerat. Deindè illud ipſum quod Nicæni PP. Can. 2. 4. 14. 18. & 19. conſtituerunt,ſanxerunt Laodiceni Can. 3. 5. & 8. neque Nicæni conſtituti meminerunt, quod omninò magno cum verborum honore feciſſent, ſi priùs Synodus Nicæna fuiſſet habita, & Eccleſiaſticas regulas ac Canones meritò appellaſſet. Quare Laodicenam medio tempore inter Neocæſarienſem & Nicænam non immeritò coactam fuiſſe ſuſpicantur: alij volunt Nicæna poſteriorem, quia Canon VII. tum Græcus, tum Latinus Dionyſij Exigui meminit Photinianorũ,ſicut & Nouatianorũ, Photiniani verò aliquot annis poſt Nicænum emerſerunt. Reſpondet Binius eradenda eſſe illa verba, ex Canone 7. quod idem affirmat Baron. an. 314. *n.* 12. cùm plerique Codices antiqui illis careant,& meritò; alioquin non modò aliis Synodis Prouincialibus, ſed & etiam ipſi Nicænæ contrarius erit ille Canon. Nam Conc. Arelat. Can. 16. ſub Siricio Papa,ait Photinianos ſiue Paulianiſtas, ſecundum Patrum ſtatuta baptizari; at verò Concilio Nicæno *Can.* 19. de Paulianiſtis ad Eccleſiam Catholicam confugientibus definitio prolata eſt,vt baptizentur omnibus modis. Cùm itaq; Photiniani cum Paulianiſtis confundantur aut æquentur, non potuit Canon Laodicenus ipſorum probare baptiſmum

baptiſmum. Itaque nihil eſt, quod vereamur ex illo Canone 7. Photianorum nomen expungere, neque propter illud malè & mendosè inſertum Laodicenam Synodum poſt Nicænam conſignare; Marca *lib. 3. de concord. cap. 3. num. 1.* coniicit hanc Synodum poſt Antiochenam fuiſſe celebratam circa annum 365. quia illo anno Synodus habebatur ab Epiſcopis Aſianæ Diœceſis, ad quos litteras ſuas & Synodicam Illyriciani Concilij Valentinianus Imperator miſit, cum hac epigraphe, quam refert Theodoret. *lib. 4. cap. 8. Epiſcopis Diœceſis Aſianæ, Phrygiæ, Carophrygiæ Pacatianæ.* Laodicena verò Synodus è diuerſis Prouinciis Aſianæ Diœceſis collecta fuit Laodiceæ, quæ eſt, vt iam monui, Metropolis Phrygiæ Pacatianæ. Verùm quidquid ſtatuas de tempore huius Synodi, certum eſt ante Nicænam Synodum, & non niſi aliquanto pòſt nullam Synodum Patriarchalem habitam fuiſſe, cùm licet plures fuerint ante Nicænam, eæ omnes fuerint Prouinciales aut Diœceſanæ à Metropolitis, aut Exarchis Diœceſeωn, (ſiue vt loquūtur aliquandò Græci) Epiſcopis qui ſunt ſuper Diœceſim collectæ, confirmata deindè à Concilio Nicæno Epiſcopi Alexandrini in omnem Ægyptum, Pentapolim, & Lybiam, & Antiocheni in Orientem iuriſdictione cœperunt illi Epiſcopi Synodos ex tota ditione, aut regione ſibi aſſignata colligere, quæ dictæ ſunt Synodi Patriarchales, cum ad illas Epiſcopi ex toto Patriarchatu vocarentur & conuenirent.

3 Et prima eiuſmodi Synodus videri poterit Antiochena anno 340. collecta, ſiquidem fuit ex iis Prouinciis quæ ad Diœceſim Orientis & totum Antiochenum Patriarchatum pertinebant, nempè Syria, Phœnicia, Palæſtina, Arabia, Meſopotamia, Cilicia & Iſauria, vt patet ex epigraphe Epiſtolæ Synodicæ, & ex ſubſcriptionibus. Verùm cùm Arianorum arte, & ſuaſione, aduersùs Athanaſium coacta fuerit ad encænia templi, quod Dominicum Aureum dicebant Antiochiæ ita iubente Conſtantio Imperatore, qui templum illud iam olim à magno Conſtantino inchoatum abſoluerat, recepta non fuit, immò, & reiecta tanquam Ariana à Iulio Epiſtola apud Athanaſium *in Apolog. 2.* etſi enim ex numero 97. aut 99. Epiſcoporum, qui illi Synodo interfuerunt, triginta dumtaxat Arianæ hæreſi fauerent, non tamen apertè, ſed clanculum & in ſpeciem fingerent ſe Catholicos: quia tamen Imperatoris imperio Euſebiani omnia ad libitum peregerunt, exilium & damnationem Athanaſij à Conciliabulo decretam confirmarunt, Euſebium Emiſſenum in Athanaſij locum crearunt Epiſcopum Alexandrinum, & deindè recuſantem ſuffecerunt Gregorium Cappadocem, Ariana habita eſt illa Synodus, & damnata. Itaque ſi illa Antiochena Synodus prima Patriarchalis fuit, magnam infamiam apud poſteros Catholicos conſequuta eſt.

4 Frequenter deindè extiterunt Synodi Patriarchales, quæ ſingulis annis à Patriarchis cogebantur, quibúſque intereſſe debebant Metropolitani, vt habet *Canon 17. & nouella 137.* Iuſtiniani. Vbi nota negationem in deſcriptione eorum, qui à Patriarcha ad Synodum vocari poſſunt, hoc eſt, vti explicat Photius in nomocanone, malè inſeri: *Epiſcopi,* inquit, *qui à Patriarcha ordinantur, & ipſi ius non habent alios Epiſcopos ordinandi.* Delenda eſt negatio, legendumque eſt, *& ipſi ius habent alios ordinandi.* Ex hac porrò frequenti Synodorum Patriarchalium coactione ſuſpicatur Marca *lib. 6. concord. cap. 15. num. 1.* factum, vt Synodi Prouinciales ſenſim omitterentur, cùm inutiles haberentur, & omnia in Patriarchalibus ſufficienter agitari poſſent, & ſæpius tot Synodis adeſſe non poſſent Epiſcopi. Quare Synodus VIII. generalis quæ eſt IV. Conſtantinop. *Can. 17.* ſtatuit vt ſi vtraque illa Concilia celebrari non poſſint, teneantur Metropolit. Patriarchali intereſſe, & à Patriarcha vocati ad illam accedere, niſi validiſſima ægritudine & Paganorum incurſu detineantur. Reiicit præterea inualidam illam excuſationem, qua Metropolitani nonnulli ſe à Principibus detineri cauſabantur, & fictam illam prohibitionem Epiſcoporum Metropolitanorum ſuggeſtione fieri, atque hanc Patriarchæ vocanti obedientiam ſub grauibus pœnis imperat Synodus. Suſpicatur Marca hoc Canone conceſſam eſſe libertatem abſtinendi à ceſſatione Conciliorum Prouincialium; quandoquidem Synodus ita illam non interdicit, vt Patriarchalia præferat tanquam vtilia. Duas verò illas Canonis clauſulas, vt Metropolitani nullam rationem habeant prohibitionis principum ad Patriarcham accedendi, & vt omnes Metropolitani, qui aut impoſitionem manuum, aut pallium à Patriarchâ acceperint, teneantur ad eius Concilium vocati accedere, contra Gallicanos Epiſcopos latas eſſe ſuggerentibus Pontificiis legatis exiſtimat idem Marca; eò quòd Epiſcopi Gallicani ne ad Concilia ordinaria Romani Patriarchatus accedere tenerentur, & vt conditiones Epiſcopis Italiæ impoſitas detrectarent, duo illa ſolerent obiicere, ſe non accipere manum impoſitionem ab Epiſcopo Romano, & à Principe impediri ne ad Synodos illas adirent. Sed de his alius erit diſſerendi locus. Quod verò refert Marca ex Ademaro Cabanneſi in Chronico, octauam Synodum in Gallia non eſſe receptam quòd fauore Pontificis Romani plurima *decreuerit*, vt de imaginibus adorandis, & quædam contra antiquos Canones, & contra decreta Patrum ſtatuerit, Ademari merum delirium eſt: eruditiſſimi verò Marcæ coniecturas refellit paulò acriùs Chriſtianus Lupus Auguſtinianus *in notis ad Canon. XVII. Synodi VIII.* Sanè non ſoli Epiſcopi Gallicani prohibitionē principū ne ad Synodum Patriarchalem accederent, excipiebant: nam id iam olim vſurparant Euſebiani, teſte Athanaſio *in apolog.* Flauianus Antiochenus ſic eluſit Damaſi, Sirici, atque Anaſtaſij Pontificum Romanorum vocationes; ſed tandem ab ipſo Imperatore Theodoſio Romam proficiſci coactus eſt, vt refert Theodor. *lib. 35. Hiſt. Eccleſ. c. 23.* Acacius Conſtantinop. Felicis III. vocationem Zenonis imperio & vi reiecit, & ex Liberato, Dorotheus Archiepiſcopus Theſſalonicenſis, Hormiſdam Pontificem vocantem contempſit, Iuſtini Auguſti prohibitione, vt eiuſdem Pontificis ad eundem Auguſtum Legati reſcribunt ad Hormiſdam *relat. 4. poſt Ep. 64.* Gregorius de Epiſcopo Salonitano ſuam euocationem detrectanti & Martij iuſſionem excipiente queritur, *lib. 4. Epiſt. 34. & libro 5. Epiſt. 15.* Iure igitur contra iſtas falſas exceptiones, inuehitur Synodus; eſto aliqui Franci Epiſcopi fictè eas Principum iuſſiones attulerint, quod arguunt Godefridus Vindocinenſis, Iuo Carnoten. & Suggerius Abbas: quàm longè verò Franci Principes abfuerunt ab injiciendis his impedimentis, apparet ex *Ep. 221.* Stephani Epiſcopi Tornacenſis, quam nomine Philippi Auguſti ad Alexandrum III. ſcribit, in qua rex orat Pontificem, vt ſibi liceat Gulielmum Remenſem Epiſcopum auunculum ſuum propter ingentes regni neceſſitates retinere ne Romam vocatus ad Synodū cum tanto regni incommodo proficiſcatur. Cæterùm peccatum Arioland. exiſtimat non obedire Pontifici, qui illum ſacris ſuis apicibus inuitarat. Quid igitur mirum, ſi VIII. Synodus eiuſmodi fictas excuſationes reiiciat? Neque inde argui auerſi in Gallos Epiſcopos animi iure poteſt; neque de Synodis Patriarchalibus in vniuerſum plura adiicienda videntur.

QVÆSTIO IV.

De Synodis Diœceſanis, regionalibus, & nationalibus.

Diœceſes quid, n. 1.
Origo harum Synodorum, n. 2.
Lex Theodoſij, n. 3.
Variæ enumerantur, n. 4.
Dictæ vniuerſales, *ibidem.*
Rariores in Occidente, n. 5.

1 Diœceſim, vti aliàs monui *hoc tractatu*, pro plurium Prouinciarum in vnum corpus & adminiſtrationem vnione perpetua ſumo: & quia Diœceſis ſic accepta aliquandò regionem integram, aut nationem & regnum continebat, vt Diœceſis Ægyptiaca, Thracica, Aſiana, Galliæ, quæ XVII. Prouinciis, Hiſpanica, quæ VII. Britanniarum quæ V. Africana VI. Italica VII. Romana quæ X. conſtabant, & ita de aliis. Idcircò nomine Diœceſanæ Synodi aliquandò comprehēditur Synodus regionalis nationalis, & regni alicuius integri. Quare illas omnes in vniuerſum ſimul explico.

2 Harum Synodorum originem arceſſunt aliqui ex Canone 2. & 6. Concilij Conſtantinopolitani I. quod ſecundum Oecumenicum habitum eſt *ex l. 23. qui mos eſt. C. Theod. de Epiſc.* in quibus locis mentio de Diœceſanorū Synodis habetur; ſed malè omninò, ni fallor: nam locis allatis nihil prorſus habetur vnde colligi queat tūc primùm eiuſmodi Synodos inſtitui: Canone enim II. allato Diœceſis quidē Aſiana, Pontica, & Thracica, à ſuis Epiſcopis gubernari præcipitur, prohibetur Epiſcopis, qui ſunt ſuper Diœceſim ad Eccleſias, extra terminos ſuos accedere, & Eccleſias confundere, τοὺς ὑπὲρ διοίκησιν ἐπισκόπους ταῖς ὑπερορίοις ἐκκλησίαις μὴ ἐπιέναι μηδὲ συγχεῖν τὰς ἐκκλησίας. Can. verò VII. vbi de iudicio Epiſcoporum agit, & iubet primùm apud omnes Prouinciæ illius Epiſcopos accuſari, hoc eſt, in Synodo Prouinciali, quæ ſi non ſufficiat ad correctionem criminum obiectorum ad maiorem Synodum illius Diœceſeos recurrendum erit, in ea definietur cauſa, neque licebit ad vniuerſalem Synodum, neque Imperatoris & ſæcularium magiſtratuum tribunalia adire contemptis omnibus Diœceſeos Epiſcopis. In quibus omnibus Concilium ſupponit, Diœceſes Eccleſiaſticas iam conſtitutas eſſe & Epiſcopos ſuper Diœceſes, vt loquitur, quos Diœceſeωn Exarchos Chalcedonenſis Synodus & alij deinceps, Primates verò Latini vocarunt. Hic verò Epiſcopus qui Diœceſi præerat, non niſi coacta Diœceſana Synodo de cauſis Epiſcoporum ſibi ſubditorum & maximè Metropolitanorum iudicabat.

3 Quod attinet ad *l. 23. C. Theod. de Epiſcopis. Qui mos eſt*, vt inquit, *cauſarum ciuilium, idem in negotiis Eccleſiaſticis obtinendi ſunt, vt ſi qua ex quibuſdam diſſenſionibus leuibuſque delictis ad religionis obſeruantiam locis ſuis & à ſua Diœceſeos Synodis audiantur.* Exiſtimauit Marca *lib. 3. de Concord. cap. 1. num. 1.* hac lege primos omnium Valentem, Gratianum, & Valentinianum Imperatores Epiſcopis vnius Diœceſis, ad exemplum Iudicum & Imperatorum conceſſiſſe, vt non ſolùm in ſingularum Prouinciarum Synodis, ſed etiam in generali totius Diœceſeos Synodo in vnum corpus iure ordinario, ſiue mandato ſpeciali coïre poſſent. Vnde ſapienter obſeruat Auianum in ſuo Scholio, & interpretatione abſurdè Synodum Diœceſeos pro vniuſcuiuſque Epiſcopi conuentu interpretatum eſſe, cùm integræ & ſolidæ Diœceſeos Synodum pro Imperij more intelligi oporteat. Addit Marca *lib. 6. eiuſd. operis, cap. 16. num. 2.* adeò placuiſſe legem illam Eccleſiaſticis vt illam confirmari curarint auctoritate Concilij Conſtantinopolitani quod habitum eſt anno 381. Canone illo nuper à nobis laudato: ex ea verò Diœceſeωn diuiſione factum eſſe dicit Marca *l. 3. c. 1. n. 1.* vt Epiſcopi non tantùm Prouinciis diſtinguerentur, ſed Diœceſibus, & Conciliis Diœceſeωn, indéque frequens mentio Epiſcoporum Illyrici, Italię, Hiſpanię, Africæ, Galliæ ſiue Gallicani Epiſcopi etiam ante conſtitutas Synodos generales Diœceſeωn: quia ſcilicet extraordinario principum Imperio in vnum conuentum aliquandò cogebantur. Id probat ex Concilio Pariſienſi an. 362. cuius Epiſtola Synodica ad Orientales Epiſcopos damnatum à ſe fuiſſe Concilium Ariminenſe, & Saturninum Epiſcopum Arelatenſem depoſitum docet: *Saturninum excommunicatum ab omnibus Gallicanis Epiſcopis, Charitas veſtra agnoſcat.* Concilij quoque Gallicani meminit Synodus Illyrici habita anno 367. iis litteris, quas ad Aſianam Synodum dedit, quibus teſtatur ſe eadem omninò ſentire de fide cum duobus Conciliis, quorum alterum Romæ, alterum habebatur in Gallia apud Theod. *lib. 4. c. 8.* ἡμεῖς φρονοῦμεν ὡς καὶ αἱ συνόδοι νῦν ἥτε κατὰ ῥώμην, καὶ ἡ κατὰ Γαλλίαν. Denique Gallicani Epiſcopi ſunt qui Diœceſi Gallica continerentur à cæteris Occidentis Diœceſibus, nempè Hiſpaniæ, Africæ, Italiæ, Illyrici, diſtincti, quod ex Pontificum litteris & Conciliis probat Marca. Verum hæc omnia non probant *lege 23. qui mos eſt*, quam verſamus, primùm fuiſſe conceſſam facultatem habendi Synodos totius Diœceſis, abſque ſpeciali mandato principum: nam ex adductis à Marca conſtat ſæpiùs habitas fuiſſe eiuſmodi Synodos, neque vlla fit mentio ſpecialis mandati, neque in *lege 23.* ex generali venia abſque ſpeciali mandato, alioquin debuiſſet deſignati, & præfigi certum tempus illarum habendarum præfecti qui viderent totius alicuius & integræ Diœceſis Epiſcopos conuenire in vnum certum locum, ne in perniciem reipublicæ cedant eiuſmodi coïtiones, ſuſpicabuntur, & moleſtiam faceſſent. Denique Gratianus cuius hæc Lex 23. data Treuiris agit de his Synodis tanquam vſitatis: nam quæritur an & quando Epiſcopi & Clerici coram Eccleſiaſticis, quando verò coram ſæcularibus iudicibus accuſari & litigare debeant. Reſpondet verò vt cùm agitur de diſſenſionibus & leuibus delictis circa religionis obſeruantiam, quæ Baſilius vocat τὰ ἐκκλησιαστικὰ ζητήματα, *ſuis locis & à ſua Diœceſeos Synodis audiantur.* Hæc ſuo loco ſunt, primò apud ciuitatis τὸν οἰκεῖον ἐπίσκοπον, deindè in Synodo totius Prouinciæ apud Metropolitanum coram omnibus Prouinciæ Epiſcopis, & tandem in Synodo totius Diœceſeos: quod & affirmabat Canon Concilij Conſt. allatus nuper & Canon IX. Concil. Chalcedon. Quid hic amabo de licentia generali cogendi ſiue ſpeciali mandato Synodos generales? Iam olim Synodus Antiochena Iulio Pontifice anno 341. ex diuerſis Prouinciis, vt diximus aliàs, habita *Canon. 12.* ſanciuit, vt Diaconus, vel presbyter à proprio Epiſcopo depoſitus, vel Epiſcopus à Synodo exauctoratus ad maiorem plurium Epiſcoporum Synodum μείζονα ἐπισκόπων σύνοδον, & apud eam ſuum ius proſequatur, eo tamen iudicio & definitione contemptis

temptis, nihil amplius moueat, maximè apud Imperatorem. Quare iam eo tempore & ante Gratianum maiores illæ Synodi vſitatæ & ordinariæ erant, quod idem poſtea ſanciuit Conſtantinop. Synodus iam allata *Canon. VI.* vbi & μείζονα ἐπισκόπων σύνοδον dixit Synodum Diœceſeos, ſic & in actis Concilij Epheſini Synodus, ex Ægypti Diœceſi Alexandriæ congregata, & Synodus ex Diœceſi Orientali.

Non igitur ex Concilio Conſtantinopolitano, aut *l. 23. C. Theod. de Epiſcopis* ducenda eſt origo Synodorum Diœceſanarum, ex eo quod conſtitutis Diœceſibus Eccleſiaſticis, ad inſtar Diœceſeωn ciuilium, & Imperij; ſicut in ſingulis Diœceſibus proconſul aut Vicarius præfecti prætorio agebant conuentus iuridicos, in quibus iuxta prouinciarum illarum mores, & leges ius dicebant liteſque definiebant, ita & in ſingulis Diœceſibus Eccleſiaſticis Epiſcopi conuentus agebant, & Synodos ad quas à variis illius Diœceſeos Prouinciis prouocabatur, & quæ non potuerant vltimò definiri in aliis minoribus Synodis, maiori Epiſcoporum diuerſarum Prouinciarum numero communi ſuffragio decidebantur à quibus neque ad Imperatorem, neque ad vniuerſalem Synodum licebat appellare, cùm controuerſia iam finita prorsùs eſſet.

4 Hanc Synodum vocat Antiochena *Can. 91. Codicis vniuerſa Eccleſiæ* μείζονα σύνοδον ἐπισκόπων, & vt ſuperiùs monui *Canon. 109. einſd. Codicis*: Synodus Conſtant. I. *Canon. 6.* μείζονα σύνοδον τῶν τῆς διοικήσεως ἐπισκόπων: dicitur & Concilium vniuerſale & plenarium totius Diœceſeos Patriarchidæ, cuius nempè erat plena auctoritas & αὐθεντεία, vt ait *Canon* 18. *Cod. Eccleſ. Africana*, plurima quoque eiuſmodi Concilia reperiuntur, vt Antiochena ex Diœceſi Orientis, Romana ex Diœceſi vrbis Romæ, Aquileienſe ex Diœceſi Italiæ, Gallicana ex Diœceſi Galliarum, Toletana ex Diœceſi Hiſpaniarum, Africana ſiue Carthaginenſia ex Diœceſi Africæ, quæ paſſim in *Codice Canonum Eccleſ.* Africanæ, vniuerſalia & plenaria Africæ vocantur, vt *Canon. XIX. XX. LXXVII. XCV. CVII. CIX. & in Epiſt. ad Cæleſtinum P. R.* Poſſidonius *in vita Auguſtin. cap.* 8. Concilium Hipponenſe plenarium totius Africæ nominat. Iuſtinian. *in nouella de Africana Eccleſ. ad Salomonem* PP. Africæ. *Separatus ſanctiſſimus Sacerdos Carthaginis Iuſtiniana, qui venerando Concilio totius Africæ ſanctiſſimis Eccleſiis præeſſe dignoſcitur.* Concilium Matiſconenſe II. ſub Priſco Patriarcha Lugdunenſi ex pluribus Metropolitanis & prouinciis coactum Can. XX. Synodum poſt triennium indicit, & ſi quis contumax fuerit, & ſine excuſatione abſfuerit, volunt PP. *vſque ad Concilium vniuerſale à communione & Charitate fraterna maneat alienus.* Quod futurum Concilium non erat Oecumenicum, vt vides ſimili notione plura Concilia Toletana nominantur vniuerſalia, & generalia, Toletan. III. *Canon. XVIII.* Toletan. XIV. in exordio & *Canon VII. & Can. III.* Toletanum V. *Canon. 2. & 3. & 6.* Leo I. *Epiſt. 93. ad Tibur. Aſturicenſem, cap. 17.* ait ſe indixiſſe Concilium Epiſcopale Synodo generali. Vides autem in his omnibus Conciliis ſumma auctoritate terminatas fuiſſe controuerſias, vti iam monui ex Canone Conſtantinopolitano & Chalcedonenſi, & iterùm dicam inferiùs paulò fuſiùs.

5 Obſeruat ad extremum Marca *lib. 6. Concil. cap. 16. num. 5.* Concilia iſta Diœceſana non adeò illuſtria, neque frequentia fuiſſe in Occidente, quamquam & aliqua eiuſmodi reperiantur, vt Carthaginenſia in Africa: eius enim Epiſcopos Concilium generale Africæ conuocare poterat. Legitur & Synodus Illyriciana, *ex Epiſtola Damaſi ad illam* & eiuſdem Synodi litteris ad Synodum Aſianam, quas refert Theodoret. Illius igitur Diœceſeos Epiſcopi ſuam ipſi Synodum conſtituebant: in Synodo quoque Epheſina, Africa, & Illyricum diſtinguuntur à Synodo Occidentali vrbis Romæ. Diœceſeos Hiſpaniæ habemus Concilia Toletana quæ ſuperiùs diximus nominata eſſe vniuerſalia: Diœceſis Italiæ ſeptem prouinciis diſtincta Mediolanenſis Epiſcopi auctoritate regebatur; denique Diœceſis Vrbicaria X. Prouinciis conſtans, non aliam habebat Synodum, quàm Patriarchalem ſummi Pontificis, ad quam etiam tandem pertinuit tota Italia, quæ proinde vnicam conflauit diœceſim.

QVÆSTIO V.

De Synodis Prouincialibus.

Duo genera illarum Synodorum, n. 1. & 2.
A quo indicerentur, n. 3.
Quanam perfecta dicerentur, n. 4.
De earum obligatione, n. 5.

EA ſunt quæ à Metropolitanis ſiue Archiepiſcopis in ſuis propriis Prouinciis indicuntur, & habētur. Illæ olim duplicis generis erant; quædam enim veluti fortuitò ex quadam occaſione cogebantur vt ad encænia & alicuius templi dedicationem, & tunc non vnius tantùm Prouinciæ Epiſcopi; ſed etiam vicinarum aliquandò aut totius Diœceſis cogebantur, vt factum dicebamus in dedicatione Dominici Aurei Antiocheni imperante Conſtantio, ad electionem quoque & conſecrationem ſiue ordinationem Epiſcopi; conueniebant Epiſcopi comprouinciales. Sed de eiuſmodi electionibus & ordinationibus grandis nobis erit alibi ſermo: modò ſufficiat eiuſmodi conuentum verè Synodum vocari, habemus ex Synodo Antiochena Canone XIX. *Epiſcopus*, inquit, *præter Synodum & præſentiam Metropolitani nullatenus ordinetur.* 1

Alterum eiuſmodi Synodorum genus certum & fixum erat, quod nempè ſtatis & præſcriptis temporibus bis aut ſemel in anno conueniebat; in eo cauſſæ omnes Eccleſiaſticæ liteſque omnes ſiue ciuiles, ſiue criminales totius Cleri, quæ iam definitæ non erant, aut per prouocationem iudicabantur, & vniuerſa politia atque diſciplina Eccleſiaſtica componebatur, tùm quoad perſonas, tùm quoad res Eccleſiaſticas, & bona. Ita de perſonis ab aliquo Epiſcopo excommunicatis ſtatuit Nicænum *Canon. 5.* qui ſi in nodo probentur legitimè excommunicati, tales ab omnibus Epiſcopis vbique haberi iubet. De rebus autem in eiuſmodi Synodis iudicandis Concil. Antiochenum I. ſub Iulio I. *Can. 20.* haberi Synodum Prouincialē bis in anno edicit: Διὰ τὰς ἐκκλησιαστικὰς χρείας, καὶ τὰς τῶν ἀμφισβητουμένων διαλύσεις, propter vtilitates Eccleſiaſticas, & ſolutionem eorum quę dubitationem controuerſiámque recipiunt. Omnia iſta deſignat Chalcedon. *Can. 19.* τὰ ἀνακύπτοντα, ſi quæ emerſerint, inquit, Dionyſ. Exiguus, id eſt ad iudicanda negotia quæ incidunt, quod etiam explicat Iuſtinian. *Nouella* 137. c. 4. τὰ ἀναφυόμενα ἐξετάζεσθαι προσηκούσης ἀξιοῦσθαι διορθώσεως, emergentes cauſas excuti, & competentem accipere correctionem; quę ſingula deindè diſtinguit. Frequentia porrò fuerunt iam olim iſta Concilia, vt apud Cyprianum & Euſebium legere eſt. Et ſanè poſita Metropoleωn inſtitutione, quam ab ipſis Apoſtolis inchoactam aliàs diximus, neceſſariæ 2

fuerunt aut admodum vtiles eiuſmodi conuentus, vt animorum coniunctio & ſententiarum conſenſus inter eiuſdem Prouinciæ Epiſcopos ſeruaretur. Quare firma & certa, atque vniuerſalis conſtitutio de illis cogendis facta tandem eſt à Nicæno *cap. 5. citato.*

3 Cogebantur hæ Synodi Metropolitanæ: *Metropolitano*, inquit Antiochen. citatum *Canone XX. Prouinciales Epiſcopos admonente.* Agit verò de die celebrandæ Synodi, & vetat quemquam præter Metropolitam eam celebrare. Addit enim Canon: *Nullis verò liceat apud ſe celebrare Concilia, præter eos, quibus à Metropolitanis videntur iura commiſſa.* Ita verſio Dionyſij: Hincmarus verò reddit: *Præter eos quibus Metropolitana videntur iura commiſſa.*

4 Eiuſmodi Concilium quod præſente Metropolitano celebratur, perfectum Concilium dicebatur. Quare *Canon XVI.* eiuſdem Antiocheni Concilij: *Perfectum verò Concilium illud eſt, vbi interfuerit Metropolitanus Antiſtes*, ἔλοιτο αὐτὸν τελείαν δὲ ἐκείνην εἶναι σύνοδον ᾗ συμπάρεστι, καὶ ὁ τῆς μητροπόλεως. Alij vertunt plenariam Synodum. Quare Ferrandus Neuconus in Breuiario Canonum ſic, *Vt Synodus plenaria tunc dicatur, cùm Epiſcopus Metropolitanus aderit, Concilium Antiochenum tit. 6.* quæ cauſa fuit Auguſtino cur loquens de Conciliis Oecumenicis vocet, *plenaria Concilia ex orbe vniuerſo*, vt nimirùm diſtinguat ab aliis quæ ſunt etiam ſuo modo plenaria & in ſuo genere.

5 Concilio Prouinciali tenentur omnes & ſinguli Epiſcopi Prouinciales monente Metropolitano conuenire in locum ab eo deſignatum. Ita Leodicen. *Canon.* 40. African. *Canon.* 76. & Chalced. *Canon.* 19. excuſant tamen qui propter ægritudinem detinentur, παρεκτὸς εἰμὴ δὲ ἀνωμαλίαν ἀπολιμπάνοιτο, inquit Laodic. Alteram excuſationem quædam aliæ Synodi, præſertim Gallicanæ adiungunt, nimirùm præceptionem veram, id eſt non ſuppoſitam & fictam, aut arte emendicatam, de qua inferiùs. Vt verò omnes inuitati tenentur Epiſcopi adeſſe, ita & Metropolitani Synodum præſtituto tempore habere. Quare Concilium Aurelianenſe III. anno 578. *cap.* 1. tum Metropolitanos, qui moram cogendæ Synodo afferunt, tum Epiſcopos qui venire recuſant plectit, ne *anno integro Miſſas facere præſumant*, neque admittit excuſationem eorum qui ſe alterius ſortis aut portionis regni eſſe obtendebant: *Si abſentiam ſuam*, inquit, *diuiſione ſortis crediderint excuſandam.* Quia nimirùm tunc regnum in tetrarchias diuiſum erat; ea tamen diuiſio non confundebat aut permiſcebat Prouincias Eccleſiaſticas. Denique pœnam ſuſpenſionis Epiſcopis venire ad Synodum recuſantibus imponit Synodus Turonenſis II. anno 567.

6 Epiſcopi qui adeſſe non poterant Vicarios mittebant ſuo loco, de quibus dicam *q.* 7. ſicut & de perſonis, quæ Synodis intereſſe poterant, atque de tempore quo cogebantur; ac demùm de poteſtate quam habebant in definiendis controuerſiis, & obligatione, quam imponebant, atque vtrùm ab eiuſmodi decretis prouocare liceret. Cùm enim hæc omnia de quibuſcumque Synodis, quamvis diuerſis quæri iure poſſint, viſum eſt commodiùs ſimul tractari poſſe.

QVÆSTIO VI.

De Synodis Epiſcopalibus.

An ſint vera Concilia, n. 1.
Quando haberi debeant, n. 2.
Quinam debeant intereſſe, n. 3.
Modus ea habendi, n. 4.
Quænam ſit eorum obligatio, n. 5.

De his Synodis pauciſſima dicenda ſunt: habentur enim à ſingulis Epiſcopis cum ſui Epiſco- 1
patus, ſiue Parochiæ presbyteris, & vt ait Bellar. *lib.* 1. *de Conc. c.* 13. vix poſſunt dici propriè Concilia, cùm in iis ſolus Epiſcopus iuriſdictionem habeat; reliqui enim ſiue parochi, ſiue alij presbyteri qui adſunt, non aliam ex ſe iuriſdictionem habent, quàm fori pœnitentialis, & non contentioſi, vt ſcribit Fileſac. *tractatu de parœciis cap.* 3. ſiue ſit parochus tantum, ſiue plebanus, qui Eccleſiæ matrici præeſt, quem neque dignitatem habere docet cum aliis Azor. *tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 21. *quæſt.* 5. Neque dicas *cap. cum ab Eccleſiarum, de officio iudic. ordina.* Plebanum poſſe validè excommunicare: mandat enim Alexand. III. Epiſcopo Florentino, vt ſi quando Plebanus S. P. (Pancratij,) in Clericos, vel laicos parœcianos ſuos Interdicti vel excommunicationis ſententiam rationabiliter tulerit, ipſam faciat inuiolabiliter obſeruari, & eam ſine cõgrua ſatisfactione, & abſque eiuſdem Plebani cõſcientia non *relaxet.* Ergò hic Plebanus excõmunicare poteſt, & iudex ac ſuperior eſt, & habet iuriſdictioné in foro externo, vt colligit Gloſſa, licèt concedat non poſſe excommunicare & anathematizare cum illa ſolemnitate quæ traditur *1*1. *q.* 3. *c. debent.* Cùm igitur Parochi & Plebani maximam partem Synodi Epiſcopalis conſtituant cum Epiſcopo, &, vt dixi, iudices ſint habeántque iuriſdictionem etiam in foro externo, nihil deeſſe poterit huic Synodo quominùs vera & propria Synodus dicatur. Verùm non dicit Pontifex abſolutè Plebanum poſſe excommunicare, neque Plebanum S. Pancratij iure communi proceſſiſſe, an verò ſpeciali quodam iure, & ratione ſuæ Eccleſiæ, quæ iuriſdictionem quandam habuerit. Quare ex illo textu & reſponſo Pontificis nihil certi colligi poteſt ad impugnandam communem opinionem, quæ eiuſmodi iuriſdictionem externam negat parochis ratione ſui muneris, de quibus Barboſa *de officio parochi*, *cap.* 1. Neque indè probari poteſt Synodum, quam habet Epiſcopus cum ſui Epiſcopatûs, & parochiæ presbyteris, ac parochis eſſe verum & proprium Concilium, & omninò inſulsè quidam afferunt *Canon.* 2. *diſt.* 18. vbi agitur de Conciliis Epiſcopalibus, Leo enim cuius ſunt ea verba *Ep.* 82. *cap.* 7. *ad Anaſtaſ. Theſſalonic.* ibi manifeſtè agit de Conciliis prouincialibus, in quibus adeſſe debebant totius Prouinciæ Epiſcopi, quæ pro veteri more bis in anno haberi vult, vt de omnibus querelis, quæ inter diuerſos Eccleſiæ ordines naſci aſſolent, iudicetur. Quod ſi ea ſunt quæ nequeant Prouinciali examine definiri, Metropolitanus de totius negotij qualitate Theſſalonicenſem Primatem inſtruat, qui ſi neque ipſe controuerſiam ſuo iudicio ſopire queat, ad Pontificem transferat. Quid hic amabo ad aſtruenda Concilia Epiſcopalia, de quibus agimus; quibus etiam non fauet, *cap. vltim. eiuſdem diſtinct. decima octaua*: in eo enim Concilio Toletano

lerano. XVI. *cap.* 6. iubet quemlibet Epiſcopum poſt peractum in qualibet prouincia Concilium intra ſex menſes cogere omnes Abbates, Presbyteros Diaconos, clericos ciuitatis, conuentum, & cunctam ſuæ Diœceſeos plebem, in quibus pleniſſimè referat quæ in Concilio eodem anno acta & definita noſcuntur. Nemo verò hunc conuentum totius ciuitatis & plebis dicet eſſe Synodum Epiſcopalem. Melius allegatur *cap. Quod ſuper his 9. De maioritate & obedientia*, vbi Innocentius permittit Epiſcopos Abbates qui ad Synodum Diœceſanam venire contemnunt per cenſuras compellere, quod de Abbatibus, qui habent populum intelligendum eſſe ſapienter monet Gloſſa ex Ioannis Teutonici ſcholiis deſumpta. Sanè communis loquendi vſus obtinuit vt eiuſmodi diœceſani conuentus ab Epiſcopo indicti, Synodi dicantur: quare neque ab illo minimè abſtinebimus.

2 Sapienter tamen ſtatuit Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 2. *de reformatione*, Synodum Diœceſanam ab Epiſcopo quotannis haberi, aut, ſi neceſſitas ita poſtulet, ſæpius in anno, niſi eo anno Synodus Prouincialis habita fuiſſet. Quod ſi Epiſcopus legitimo impedimento detineatur, poterit per alium congregari, & celebrari Synodus, quia Tridentin. iubet dumtaxat vt eiuſmodi Synodi quotannis celebrentur, neque addit vt id fiat per ipſummet Epiſcopum: quare id mandare Vicario Generali vel alteri id cõmittere poterit, modò ſit electus & confirmatus, licèt nondum conſecratus, non tamen ſi ſit dumtaxat à Rege nominatus & nondum ſuam, vt loquitur, prouiſionem aut bullas acceperit. Maior eſt difficultas de Epiſcopo electo, confirmato, & conſecrato, qui nondum tamen poſſeſſionem Epiſcopatûs habet, ſiue non eſt inthroniſatus, quod diſputant Henricus Botta *tractatu de Synod. part.* 1. 4. 6. *n.* 39. & Anton. Maſſobtius *ſimili tractatu, cap.* 2. *dub.* 3. Vix iſte caſus contingere poſſe videtur, cum indicendo Synodum facilè poſſit per ſe vel alium eiuſmodi poſſeſſionem capere. Deindè cùm non perfectè acquiritur per ſolam collationem niſi ſequatur traditio, & acceptio ac poſſeſſio, non videtur ille, cui Epiſcopatus collatus eſt, acquiſiuiſſe perfectè Epiſcopatum niſi eius poſſeſſionem iniuerit, ac proinde non poteſt illa iura Epiſcopalia adhuc exercere.

3 Omnes Sacerdotes qui animarum curam gerunt illi Synodo intereſſe debent ex Trid. *cap.* 2. *cit.* non cæteri, neque etiam exempti, qui Capitulis generalibus ſubduntur. Abbas exemptus qui habet curam animarum, quam per vicarium perpetuum exercet, non tenetur accedere, ſed ipſe vicarius; ſecus verò ſi per Vicarios ad nutum amouibiles exerceat; quia in priore caſu cura reſidet penes ipſum Vicarium; in poſteriore penes ipſum Abbatem. Capitulum Eccleſiæ Cathedralis inuitari debet, & poteſt adeſſe per nuncios & aliquos ex ſuo gremio, neque omnes Canonici adeſſe tenentur; quod etiam aliqui dicunt de Capitulis Collegiatarum habentium iuriſdictionem Epiſcopalem: de Vicario Epiſcopi an teneatur adeſſe, lis eſt.

4 De modò in hac Synodo tenendo & quæ ante in ipſa & poſt ipſam fieri debeant cum ſint varij vſus, vide Barboſam *de poteſtate Epiſcopi p.* 1. *alleg.* 93. vbi etiam de modo tractandi negotia.

5 Poteſt Epiſcopus ad diſciplinam Eccleſiaſticam condere in Synodo ſtatuta neceſſaria præceptoria, prohibitoria, & pœnalia, quæ ſi fiant in Synodo, non ceſſent obeunte Epiſcopo, ſicut ea quæ extra Synodum ſancit: iſta enim ſunt temporanea, illa verò perpetua, donec vel reuocentur, vel alter per vſum contrarium ſufficientem tollantur: quare diligenter aduertendum eſt, an caſus reſeruati ab Epiſcopo, in Synodo aut extra ipſam reſeruati fuerint. Hæc porrò ſtatuta, non ligant delinquentem extra territorium & Parochiam ſiue Diœceſim Epiſcopi: non debent verò aduerſari ſacris Canonibus, vt dicemus *capit. ſequenti inferius*.

QVÆSTIO VII.
Communia de Synodis.

Nomen, n. 1.
Auctor eſt Spiritus ſanctus, n. 2.
Finis vnio, & vnitas Eccleſiæ, n. 3.
Perſona Synodi, n. 4. & 5.
Parochia quid, n. 6. & 7.
Quinam vocentur ad Synodum, n. 8.
Vocati impediti poſſunt ſui loco delegare, numer. 9.
An Monachi poſſint adeſſe, num. 10.
An Laici, n. 11. 12. & 13.
Conſeſſus qualis, n. 14.
Verij Legati pontificij, n. 15. & 16.
Ordo conſeſſus, n. 17. 18.
Nulla exigenda munera, n. 19.
Tempus cogendæ Synodi, n. 20. & 21.
Locus, n. 22.
Synodorum materia quænam, n. 23.
Notarij, n. 24.
Canones, n. 25. & 26.
Subſcriptores, n. 27.
Synodicæ litteræ, n. 28.

VT breuitati & tædio lectoris conſulamus, viſum eſt in vnum veluti faſcem colligere omnia, quæ Synodis omnibus communia, ne ea in ſingulis ſæpius repetere cogeremur: eiuſmodi ſunt, nomen, finis, materia & alia quæ paucis explicari poterunt. Ordior à nomine.

Nomen igitur Synodi Conciliis omnibus ſiue 1
Oecumenicis ſiue non Oecumenicis hactenus explicatis commune eſt: Synodus porrò nihil aliud in vniuerſum eſt, quam hominum conuentus, vndè Gloſſæ veteres σύνοδος ἀνθρώπων συνέλευσις. aliæ Gloſſæ conuentus ἀγόραιος σύνοδος ὀχλαγωγίας, dicti quoque conuentus συνόδια σύνοδοι, ἀγορὰ συνέλευσις ἄθροισις Heſychius σύνοδος πολλῶν παρουσία ἢ συνοδοιπόρος. Quare Monachi qui conueniunt in vnam domum ad conuiuendum omniaque communia habent, dicuntur Synoditæ, *l.* 57. *C. Theod. de appellationibus.* & *l.* 6. *C. Inſt. de Epiſcopali audientia*, vbi refertur eadem lex; quare Gennadius in Euagrio compoſuit cœnobitis ac Synoditis doctrinam aptam vitæ communi, Socrat. *l.* 4. *Hiſtor. c.* 23. πρὸς τοὺς ἐν κοινοβίοις, καὶ συνοδίοις μοναχούς. de his edidit Iuſtinian. nouellam conſtitutionem V. in quam vide eruditum Cuiacium. Horum igitur monaſteria, cœnobia, & Synodia dicta ſunt, vti iam referebamus ex Socrate, quibus adde Moſcophulum, περὶ χθῶν σύνοδος ὅταν συνέρχονται δυό τινὰ ἢ καὶ πλείω εἰς ταυτό. Quamvis autem omnis multitudinis conuentus dici verè poſſit Synodus, cum tamen homines conueniant ad Concilium, ſiue Concilium magis proprie dicitur, vt obſeruant Gloſſæ veteres συνέδριον σύνοδος, dicitur quoque Heſychio σύλλογος, σύνοδος, ἀνθρώπων ἄθροισμα: diſcrimen tamen aliquod inter σύνοδον & σύλλογον conſti-

tuit Moſchophulius & Zelzes *Chiliade* 8. *cap.*233. *pag.*405. ſit conuentus ex pluribus vrbibus; Syllogus autem conuentus multitudinis vnius dumtaxat vrbis. Quare Synodus à Gopronymo contra imagines dicitur Pſeudoſyllogus à Leontio *act.* 1. *Synodi* 7. *initio*, & ab Athanaſio in conſcriptione, quæ præcedit illam *act.* 1. quia non erat vniuerſalis ex omnibus Prouiciis collecta, ſed ex paucis veluti collocutio, & colloquiũ paucorum, ſi cum vniuerſali Synodo comparetur. σύλλογος vero eſt propriè collocutio & colloquium & apud Theodoret. *in cap.* 5. *Amos*, eſt conuentus, qui fiebat ad portas ciuitatis, vbi & fora, & Concilia & iudicia exercebantur. Vide Pollucem *l.* 9. *c.* 8. vbi iſta omnia diſtinguit, ἀνδρῶν ὄχλος γυναικῶν πλῆθος, παίδων σύνοδος, ξένων σύλλογος, μετοίκων δῆμος, καὶ δούλων ἄθροισμα, virorum turba, mulierum multitudo, puerorum cœtus, hoſpitum conuentus, Inquilinorum populus, ſeruorum congregatio; quidquid verò ſit de ſubtiliori vocum iſtarum diſtinctione; eæ tamen pro conuentu religionis cauſa nonnumquam vſurpantur, vt Concilium συνέδριον atque συνάθροισμα. Communis autem vſus fert, vt quamvis Synodus quemlibet conuentum ex vi vocis, quacumque de cauſa coactum ſignificet, vſurpetur tamen pro ſolo cœtu religionis causâ collecto; quod obſeruauit etiam Ammian. Marcellin. *lib.* 15. & olim de falſæ religionis & ethnicæ cœtibus eam Synodi vocem vſurpatam fuiſſe probat ex pluribus veteribus inſcriptionibus Ioannes Dartis in eruditis ſuis Commentariis in decretum Gratiani *diſt.* 15. *&* 16. atque Tertullian. Apologetico: *Et cùm de pædagogiis aulicis neſcio quem Synodi deum facitis.* Dubitat Voſſius an rectiùs ſcribatur Synhodus, ſicut & Perrhodus: ſunt enim ab ὁδὸς via, & non ab ὀδοὺς Dens, à quo dicitur piſcis quidam Συνόδους ὁ ἰχθύς, vt inquiunt Gloſſæ Cyr. dentes: alij ſcribunt συνόδους ἀπὸ τοῦ σίνειν, nocere. Sed hactenus de voce Synodi quæ omnibus cœtibus Eccleſiaſticis de quibus hactenus egimus communis eſt, dicuntur & Concilia, de qua voce fuſiùs egimus *c.* 4. *q.* 1. aliiſque eiuſmodi nominibus coitionem perſonarum in cauſa Religionis ſignificantibus appellantur, vt cœtus in Concilio Emeritano *cap.* 4. conuentus in Bracar. I. *initio*, & in Concilio Arauſicano *cap.* 29. & Regienſi *cap.* 3. non tamen omnis, & quicumque Epiſcoporum conuentus dici poteſt Synodus, vt conuentus in villa. Colon. *tomo* 3. *Concilior. Galliæ*, quem ex Clericis & Laicis conſtitiſſe docet eius præfatio Caroli Calui nomine ſcripta. Conuentus etiam Clipiacenſis *tomo* 1. *Concilior. Gall.* cui Clodouæus, Epiſcopi, Diaconi, maior domus, comes ſtabuli aliique proceres ſubſcripſerunt; in eóque Rex præceptum fecit de Monaſterij ſancti Dionyſij libertate. Conuentus Nemptorodenſis, in quo Clotarius ſuſceptus eſt de ſacro fonte à Guntranno patruo ſuo. Innocentius quoque I. *epiſt.* 18. profectionem Barnabæ & Pauli Antiochiam vocat celebrem conuentum, qui tamen neque Synodus, neque Concilium fuit. Quilibet igitur conuentus, licet in illo Epiſcopi & ſacri homines reperiantur non poteſt dici Synodus in vulgari ſignificatione Eccleſiaſtica: *Conuentus* enim, inquit Feſtus, *quatuor modis intelligitur, vno quemlibet hominem ab altero conuentum eſſe dicimus: altero cum ſignificatur multitudo ex compluribus generibus hominum contracta in vnum locum. Tertiò cùm à Magiſtratibus iudicij cauſa populus congregatur. Quartò cum aliquem in locum frequentia hominum ſupplicationis aut gratulationis cauſa colligitur.* Ex quibus omnibus ſignificationibus nulla poteſt aptari noſtris Synodis, quæ non ſunt alij conuentus, quàm Religionis cauſa collecti, vt monebamus. Itaque licet Annalium ſcriptores Galli accipiant aliquando vocem Synodi pro conuentu generali Regni ex Eccleſiaſticis & Laïcis conſtante; Synodi tamen vox de eiuſmodi conuentibus dicebatur: quia in illis aliquid ad rem Eccleſiaſticam à ſolis Epiſcopis, & aliis Eccleſiaſticis tractabatur, vt videbimus *inferius.* 2

Auctorem Synodorum Chriſtum & Dei gratiam fatentur eſſe ipſæmet Synodi, maximè vniuerſales, cum ſe perpetuo gratia Dei, & in Spiritu ſancto congregatas eſſe fatentur, in iiſque Chriſtum ipſum præſidere. Synodus VII. *act.* 14. dicitur, *per diuinam gratiam congregata* & in Synodica ad Imperatores aiunt PP. ſe *ex afflatu Spiritus ſancti in vnum conuenientibus animis definire venerandas eſſe imagines: & quemadmodum pedes & manus competenter animæ conſiliis mouentur: ita & nos à Spiritu ſancto accepta gratia & robur habentes fortitudinis veſtræ coadiuuans & pietatem reconciliauimus & verticem deprædicauimus.* & in Epiſtola ad Clerum Conſtantinop. *Igitur Spiritus ſancti inſpiratione in hoc ipſum conuenientes, eiuſdem cooperatione in idem conſenſimus.* Et in ſermone laudatorio VII. Synodi: *En diuinus Sacerdotum conuentus Dominicorum mandatorum ſequax huc ad venerabile diſpenſationis Chriſti Myſterium paternis doctrinis ordinandum & enucleandum concurrit.* Theodori Patriarchæ Hieroſolymitani Synodica lecta *Actione III. Synodi VII.* Canones diuinitus inſpiratos vocat, Tharaſius verò in Epiſtola ad Adrianum in eadem Synodo poſt *actionem VIII.* narrans quæ in Synodo geſta fuiſſent: *Cum omnes ſediſſemus,* inquit, *caput fecimus Chriſtum,* collocatis nimirum pro more in ſede eminentiori Euangeliis. Neque eſt quod plura eiuſmodi ex omnibus aliis Synodis colligamus, quæ ſe non niſi auctore Chriſto & Spiritu ſancto coactas & inſpiratas fatentur. Sufficiat illud Baſilij Imperatoris Synodum VIII. commendans: *Deus qui ſupernum auxilium & gratiam Eccleſiaſtici tabernaculi Architectos à finibus orbis terrarum in hanc adeò conſtruendam, & regiam vrbem conuocauit, & vniuerſalem Synodum congregauit, quæ Euangelicarum ſanctionum, & Moſaicarum & Propheticarum legum, atque Apoſtolicorum & paternorum, necnon & Synodicorum mandatorum munimina cuſtodiens pietatis terminos renouauit.*

Quæ omninò confirmantur ex *Matth.* 18. vbi Chriſtus promittit ſe fore in medio eorum, qui in nomine ſuo forent congregati; quod *c.* 5. *ſuperius* in Conciliis valere maximè demonſtrauimus, cum Concil. Chalcedon. *Epiſt. ad Leonem magnum Act.* 3. Synod. V. *Act.* 8. Synod. VI. *Act.* 17. Synod. VII. ipſe Imperator *in Diuali ad Adrian.* Cæleſtin. *epiſt.* 4. *ad Concilium Epheſin.* Gregor. *lib.* 7. *ep.* 108. *&* 110. *ad Siagrium & Ætherium. & lib.* 12. *epiſt.* 37. alias 31. *ad Felicem Siciliæ Epiſcopum*, German. Conſtantinopol. in VII. Synodo *Act.* 4. & Epiſt. ad Thomam Epiſcopum Claudiopoleos; ac denique Bracarenſ. III. *cap.* 1. quæ Chriſti verba non modò de Synodis vniuerſalibus, ſed & de ſpecialibus legitimè exponi poſſunt. Denique exemplum habemus ex Concilio Apoſtolorum *Actor.* 15. circa obſeruationem legalium: inde enim deinceps PP. originem Conciliorum arceſſunt; in ea quippe Epiſtola viſum eſſe Spiritui ſancto & ſibi, ad legalia non obſtringendos eſſe Chriſtianos pronuntiauit, indéque argumentantur PP. Concilij V. *Act.* 8. verè enim dixit Baſil. *libr. de Spiritu ſancto, cap.* 16. αἱ δὲ τῆς ἐκκλησίας διακοσμήσεις διὰ τοῦ πνεύματος ἐνεργοῦνται, Eccleſiæ gubernatio fit à Spiritu ſancto: id tamen verius eſt in Conciliis, propter plenitudinem gratiæ, quam habent ſinguli, vt ait Rupertus *lib.* 3. *de diuin. offic. cap.* 2. ideoque decreta Conciliorum dicuntur à Deo conſtitui. Leo *Epiſt.* 82. vel 84 *ad Anaſtaſium, cap.* 2. vocat Canones Patrum *Spiritu Dei, con-*

ſtitutos

ſtitutos & totius mundi reuerentia conſecratos; & in VI. ſynodo *Can.* 1. ἀπὸ τῶν σαλπίγγων τῶ πνεύματ☉ ſancti Spiritus tubis, *Iudice Deo, & præſente Spiritu ſancto*, ait ſynodica Arelatenſis Concilij ad Siluestrum P.R. Deo medio inquit Valentina Synodus II. ex Epiſtola Synodi Carpentoractenſis: quia Chriſtus nempè promiſit ſe futurum in medio congregatorum in ſuo nomine, vt monuimus. Obſeruátque Origenes *tractatu 6. in cap.* 18. *Matth.* ea fortaſſis de cauſa Paulum & Soſthenem coëuntes priorem Epiſtolam ad Corin. ſcripſiſſe, & denuò Paulum & Timotheum coïuiſſe ad ſcribendum ſecundam ad eoſdem, ipſum etiam Siluanum, & Timotheum ſimul ſcripſiſſe ad Theſſalonicenſes. Denique Paulum non ſuo tantùm nomine, ſed omnium fratrum, qui cum ipſo erant litteras dediſſe ad Galatas, & inſuper Chriſtum transfiguratum eſſe in medio trium Apoſtolorum. Conſtantinus apud Socrat. *lib.* 1. quod à Conciliis decernitur, diuinæ voluntati tribuendum dicit, & alibi diuina luce illuſtratos Patres Concilij, & Spiritus ſancti gratiâ imbutos non potuiſſe à veritate aberrare ἀστοχῆσαι τῆς ἀληθείας, *lib.* 8. *conſtitut. Apoſtolicar. cap.* 13. ſanctiones Eccleſiæ vocantur τὸ κορυφαίτατον τῆς ἐκκλησιαστικῆς διατυπώσεως.

3 Finis Conciliorum omnium eſt vnio ſiue vnitas Eccleſiarum in fide, & diſciplina. Illam vnitatem tum variæ hæreſes, tum praui mores, & violatio diſciplinæ conturbant; quare vnius Spiritus, & charitatis glutino vniri debent Eccleſiæ, quod fit eiuſmodi conuentibus: quod affirmat S. Baſil. *Homil.* 29. *aduerſus calumniatores SS. Trinitatis, & Epiſt.* 81. ait, his conuentibus vnitatem Eccleſiæ non repræſentari, ſed & fieri & colligari. Quare hac occaſione multa ex Patribus diſputant aliqui de vnitate Eccleſiæ: audi Theodoret. *in pſal.* 47. *v.* 4. ad illud: *Deus in domibus eius cognoſcetur. Vna per totum orbem, atque mare eſt Eccleſia: rurſum verò diuiſa eſt ipſa per ciuitates & oppida & villas, quas propheticus ſermo domos nuncupauit, quemadmodum qualibet ciuitas intus multas habet domos inter ſe diuiſas, & vna tamen ciuitas nominatur. Sic infinitæ & innumerabiles ſunt Eccleſiæ in inſulis, & in continenti; ſimúlque omnes in vnam rediguntur verorum dogmatum vnita conſonantia.* Chryſoſt. *ſerm.* 1. *de Paſchate: Plures ſunt domus Hebræorum, & vnam habent vim, vt Eccleſiæ per vrbes & prouincias plures numero, vna ſunt Eccleſia*, ὥσπερ αἱ κατὰ πόλεις καὶ χώρας ἐκκλησίαι αἱ πολλαὶ τὸν ἀριθμὸν οὖσαι, μία ἐστιν ἐκκλησία. Cùm igitur Eccleſia ſit nomen coniunctionis, & non ſeparationis, ea coniunctio maximè fit per ſynodos, & Eccleſia eſt pluralis in vnitate, & vna in pluralitate, vt loquitur Bernard. atque ita imitatur Deum trinum in Perſonis, & vnum in ſubſtantia, quam analogiam explicat Clemens Alexand. *lib.* 7. *ſtrommat*, quem vide, & Maximus Monach. *in expoſitione liturgiæ, cap.* 3. Auguſtin. *tractatu* 17. *in Ioan.* & Symmach. *Epiſt. ad Eonium Arelatenſem*, qui hanc vnitatem ex cognitione & fide petunt, vnde aliqui ex illa vnitate doctrinæ comparant animæ, quæ vna eſt in multis membris & corporis partibus. Sic Epiphan. *hæreſi* 31. & in *expoſitione fidei, cap.* 6. Eleganter omninò Cyrillus Chriſti veſtimentis componit, quorum aliqua diuiſa ſunt in quatuor partes: tunica verò manſit indiuiſa; nam quatuor orbis partes ſortitæ ſunt quodammodò & impartibiliter ἀμερίστως Verbi indumentum, tunica verò ἦν δὲ ὁ χιτὼν ἄρραφος ἐκ τῶν ἄνωθεν ὑφαντὸς δι' ὅλου ἄρραφος ſine commiſſurâ, continuo contextu, ſine fibulis. Ioſeph. de tunica Pontificis Hebræi ἔστι δ' ὁ χιτὼν οὗτος οὐκ ἐκ δυοῖν περιλημμάτων ὥστε ῥαπτὸς ἐπὶ τῶν ὤμων εἶναι. Erat nimirùm ſine ſutura, & ſine pannis, vt conſuatur in humeris. Cum igitur veſtis, ῥαπτὸς ἐπὶ τῶν ὤμων ſit ἐκ δυοῖν περιλημμάτων, ex duobus pannis in humeris aſſutis & veſtis ἄρραφος non ſit ex duobus illis pannis in humero aſſutis, ſequitur nullos habere pannos, qui fibulâ in humeris connectantur: nam ῥαπτὸς & χιτὸς eſt maximè in humeris circa collum & pariter ἄρραφος eſt in humeris. Quare veſtis comica alba, & ignobilis dicitur ἐξωμὶς in ſiniſtro latere ſuturam non habens ῥαφὴν οὐκ ἔχων: quia nempè erat maximè aperta. Pollux *lib.* 4. *cap.* 19. nam ῥαφαὶ ſunt exitus. Agamennon quætebat in veſte, quâ illum obuoluerat Clytemneſtra ῥαφὰς apud Lycophrontem, id eſt fibulas, in quibus ſunt exitus, & aperturæ. Vnde eleganter Nyſſen. *Hom.* 7. *in Eccleſiaſten*: τὸν δὲ ἀπορραγέντα διὰ τῆς ἁμαρτίας πάλιν προσράπτει διὰ τῆς μετανοίας, abruptum per peccatum, rurſus per pœnitentem aſſuit. ῥαφαὶ in capite ſunt ſuturæ, & commiſſuræ, dentatis ſerris ſimiles, quæ pinnis & concauitatibus inter ſe coaptantur ex Polluce *lib.* 2. *cap.* 4. vnde Aretus πολλαὶ δὲ ἄρραφοι κεφαλαὶ πάνυ ἀνθρώποισι, multa ſunt ſine ſutura hominum capita. Raphides denique ſunt commiſſuræ & ſuturæ, quarum aliæ fiunt filo & acu. Pollux *lib.* 10. *cap.* 31. ῥαφίδα καὶ λίνον λαβὼν τὸ δὲ ῥῆγμα σύρραψον acum filúmque accipiens rupturam conſue, ῥαφὶς acus eſt in Gloſſis Græcolatinis. Hieronym. veſtimentum πολύρραφον interpretatur illud quod ex variis pannis aſſuitur à pauperibus. Ezechiel. *cap.* 16. quod Aquila & Theodoſio ἐμβολίσματα, quod ſignificat varias pannos hinc inde conſutos, & inſtar emplaſtri factum idolum quaſi πολύρραφον, veſtimentum inquit Hieronym. aliæ ſuturæ fiunt fibula, Heſich. ῥαφὶς περόνη; at verò περόνη in Gloſſis eſt fibula Lucian. *in Dialogo amorum* dixit συῤῥάπτειν περόναις fibulis iungere: erant enim quædam veſtes non vno contextu factæ, ſed alicubi hiulcæ quæ vel circa humeros, vel circa pectus fibulis iungerentur, & dicebantur σχιστοὶ quaſi ſciſſæ, & diuiſæ in partes. Pollux *lib.* 7. *cap.* 13. ὁ δὲ σχιστὸς χιτὼν περόναις κατὰ τοὺς ὤμους διῄρητο, diſſoluta tunica fibulis circa humeros. Heſychius σχιστὸς χιτών τις ποικίλ☉, γυναικεῖος κατὰ τὸ στῆθος πόρπῃ συνεχόμενος, tunica ſciſſa eſt varia, & muliebris circa pectus fibula connexa. Chriſti igitur veſtes, quæ ex multis pannis confectæ erant fibulis vel acu conſutæ, facilè fuit militibus in quatuor partes diuidere: tunica verò quæ erat vno ductu ſine cõmiſſuta & diuerſitate pannorum, atque ἄρραφος inconſutilis vt ait Vulgatus, non eſt ſciſſa & diuiſa: in hac verò partitione & vnitate agnoſcebat Cyrillus pluralitatem, & vnitatem Eccleſiæ, ad quam retinendam maxime coguntur Concilia, præſertim Generalia, quæ & fidei & diſciplinæ conſonantiam ſeruant, aut ſi lapſa ſit, reſtituunt; atque ad hunc finem referuntur alij omnes quos varij aſſignant. Primò ſalus animarum à ſynodo Sueſſionenſi ſub Chilperico III. c. 2. Secundò vt Eccleſia ſit pura, immaculata; Conc. Turon. I. *in præfatione* ex Hilario Pontifice *Ep.* 8. *Vt ſi quidpiam vel in ordinandis Epiſcopis, & presbyteris aut cuiuſlibet loci Clericis faciendis contra præcepta Apoſtolica reperitur admiſſum, aut in eorum conuerſatione quidpiam reprobatur, communi authoritate reſecetur.* Quartò ad audiendos reos, & iam iudicatos, vt dicemus *inferiùs*. Quintò ad curanda Vulnera, & morbos, quibus quandoque Eccleſia vexatur, ex Theodoreto *lib.* 2. *hiſt. cap.* 5. quod præſtitiſſe ſe dicit Bonifacius congregata ſynodo *Epiſt.* 1. *ad Zachariam.* Sextò denique ad componendas varias controuerſias, qua de re ſtatim.

Venio ad perſonas ex quibus conſtare debent ſynodi; quare aliæ præſident, aliæ aſſiſtunt, ſed vt Iudices, aliæ vt miniſtrent & diuerſa munia obeant. De 4

perſonis

perſonis ſynodorum œcumenicarum fusè diximus *cap.* 4. nam *quæſt.* 3. demonſtrauimus Romani Pontificis ſolius eſſe eiuſmodi Oecumenica Concilia indicere, vt qui ſolus in omnem Eccleſiam toto orbe diffuſam, poteſtatem ſpiritualem habeat, & pro imperio Epiſcopos omnes poſſit conuocare. *Quæſt.* 4. docuimus eiuſdem eſſe Pontificis Romani per ſe, aut ſuos legatos eiuſmodi Conciliis præſidere hactenúſque præſediſſe. *Quæſt.* 5. ſolos Epiſcopos poſſe intereſſe ſynodo œcumenicæ tanquam iudices, & vt in ea ſententiam ferant, docemus: non verò ceteros Clericos etiam Parochos, & Curiones, aſſerui *n.*8. niſi ex priuilegio; & non ex iure proprio.

5 Quod attinet ad ſynodos non œcumenicas, ſiue ſint diœceſanæ & regionales, ſiue prouinciales ab Exarcho diœceſis; aut ab Archiepiſcopo, ſiue metropolitano, aut denique primæ Sedis Epiſcopo indici poſſunt, & debent, iiſque aſſiſtere tenentur Epiſcopi conuocati, niſi legitimam neceſſitatis, quâ detineantur, excuſationem habeant, vti referebamus ex ſynodo octaua generali, *Can.*17. vbi etiam reijcit excuſationem prohibitionis regiæ, vt pote plerumque fictam aut emendicatam à detrectante ſynodum, atque hac in parte diſſenſio quæpiam fuit inter ſynodos Gallicanas: nam Concilium Agathenſe *cap.*35. & refertur *diſt.* 8. *cap. ſi Epiſcopus* illam excuſationem admittit, *poſtpoſitis omnibus excepta graui infirmitate corporis aut præceptione regia, ad conſtitutum diem adeſſe non differant.* Idem ait Emeritenſe Concilium in Hiſpania, an. 666. *c.* 5. & 7. *Aut per regiam iuſſionē iniunctum, acceperit, aliquid agere, vt ſit per quod* Concilio non poſſit *intereſſe.* Turonenſis verò Synodus II. anno 567. ſuſpendit & excommunicat vſque ad maiorem ſynodum, Epiſcopum, qui ad ſynodum vocatus non aderit niſi *ob infirmitatis certiſſimæ laborem*, neque admittit excuſationem Regij imperij. Ratio huius decreti eſt, ne ſe facilè regiis negotiis immiſcerent Epiſcopi, indéque excuſationem intereſſendi ſynodis, quærerent: cum enim agatur de ſynodis prouincialib. quæ & à Nicæno decretæ ſunt, & ab aliis Conciliis ſæpiùs certis temporibus alligatæ, illorúmque Canonum defenſores ſint principes, æquum non videbatur eoſdem Canones violare regiarum iuſſionum prætextu. Noluerunt tamen PP. Epiſcopos, cum graui Principum aut damno, aut iniuria illorum mandata contemnere, quoties illorum executio ſine diſpendio rerum publicarum, differri non poteſt: nam tunc ne ad Concilium quidem vniuerſale accedere tenerentur: deinde cùm prouinciæ Eccleſiaſticæ aliquando diuerſas Prouincias, & ditiones Principum & varias dynaſtias complectantur, quoties in vnius Principis ditione habetur ſynodus Prouincialis, ad quam Epiſcopi dynaſtiæ alterius debebant accedere, poterit illi Principi locus ſynodi ſuſpectus eſſe; immo & tota ſynodus, maximè ſi Metropolitanus, qui illam conuocauit, illique præſidere debet, ſit alteri principi ſubditus. Cur igitur Princeps non ægrè feret & prohibebit ſuos Epiſcopos, ad illam ſynodum accedere, quod verius erit, ſi inter eos Principes ſint inimicitiæ aut bella, & ſi Epiſcopus contra prohibitionem Principis accedat, timenda ſit non Politicorum modò, ſed etiam Eccleſiaſticorum mira perturbatio. Quare ſi Epiſcopus pro cauſa prætendat Principis iuſſum aliquod, neceſſariam omninò habebit excuſationem, quam ſine dubio non damnat ſynodus; atque hæc maximè valebat in ea ætate in Galliis quæ in varias Tetrarchias atque etiam regna, adeoque bella & factiones diuiſa erat, etiam inter fratres & Francos; & Epiſcopi vnius regni, alteri regi ſuſpecti erant, aut etiam alterius regni Epiſcopis, qui ſuo regi iure merito fauebant. Non mirum itaque ſi vt ad ſynodum, quæ in alieno regno cogebatur vocati, indigerent regia venia, vt ad illam accederent, aut ſi quando vtriuſque regni ſimul conuenirent, id non niſi ex amborum regum licentia facerent, vt inter illos pacem componerent; quod ſæpiùs factum dicemus *q. ſeq.* Reſtant ſynodi Epiſcopales quas & diœceſanas hodie vulgo vocant, quas Epiſcopus indicit, & ad illas Parochos ſiue Curiones, & alios, de quibus diximus *q. ſuperiori* inuitat; in quibus tamen ne ipſi quidem Curiones iudices ſunt, vnde dicebamus eiuſmodi ſynodos non eſſe verè & propriè ſynodos, cùm in illis ſolus Epiſcopus habeat iuriſdictionem, ſolúſque definiat. Ex Concilio tamen illius ſynodi, non ex conſenſu, quem ſi propriè & præcisè loquamur, non tenetur ſequi: vt verò hæc controuerſia faciliùs explicetur,

Obſeruandum eſt quod in hunc locum idcircò reiecimus Parochiam ſiue parœciam malè definiri, plebis intra vnam eandemque Eccleſiam collectionem, aut congregationem ſacrorum participandorum gratiâ, vel: Territorium, cuius plebs intra vnam eandémque Eccleſiam religionis causâ conuenit. Atque hæc vltima acceptio communior eſt, quamvis prima ſit æquè propria, quod in pluribus aliis accidit, in quibus nomen & locum rei peragendæ & conuentus aut ipſum conuentum ſignificat. Quamvis autem Parochia & parœcia paſſim ſine delectu pro eodem vſurpentur, non tamen eandem habent originem: nam Parochia deriuatur à παρέχειν, præbere: quia in Parochia præbentur plebi ſacra myſteria, & Parochus illi præbet, vt Cyrill. *Catech.* 16. vocat Spiritum ſanctum τὸν μέγαν προστάτην, καὶ τὸν χαρισμάτων πάροχον, magnum præſulem & gratiarum Parochum, à munere illo præbendi dicti ſunt Parochi apud Romanos, qui militibus aut hoſpitibus neceſſaria ſuppeditabant: vnde illud Horat. *ſatyr.* 5. 6

Et Parochi qui debent ligna ſalémque.

Et *ſatyr.*8.

Tum Parochi faciem nihil ſic metuentis vt acres
Potores.

Hinc Xenoparochi, quorum munus publicum erat, de illis, *l. munerum* 18. §. 3. *hi quoque. De muneribus & honor.* Parochia eſt munus eius qui hoſpitum recipiendorum curam habebat. Tull. *lib.*13. *ad Atticum Ep.* 2. *Omninò cum Seſtius noſter Parochiis publicis occupauit.*

Parœciam alij dicere malunt, quam Parochiam cum Auguſtin. qui meminit parœciæ Calamenſis Eccleſiæ, *lib.* 14. *de Ciuit. cap.* 24. ducitur à παροικεῖν accolere, quia plebes iuxta ædes habitant, & accolunt, vt faciliùs ad illam conueniant, indeque dicuntur Parochiani, πάροικοι ſunt accolæ, ſiue iuxta habitantes *l. pupillis* 239. §. *incola D. de verbor. ſignif.* Pſal. 119. *v.* 5. *Incolatus meus prolongatus eſt*, Septuaginta habent παροικίαν Chryſoſt. ὅτι παρειλκυσα, Incola exiſtens protraxi. Parochia modo anguſtiùs, modò latiùs accipitur, aliquandò, quod aliàs monui, ſignificat totam ditionem Epiſcopalem, quæ latè patet, vt in Conc. Nicæno *Can.*16. Antioch. *Can.*13. & 21. *Toletan.*9. *cap.*15. *Can.* 1. *bona rei* 12. *q.*2. & alibi, eò quòd tota illa diœceſis ſit Parochia Epiſcopi: & Euſeb. *lib.* 3. *cap.*4. ſcribit Timotheum obtinuiſſe Epiſcopatum τῆς ἐν ἐφέσῳ παροικίας. Hinc Parochianus ſumitur pro Diœceſano in Concil. Compendienſi *Can.*5. Meldenſi *Can.*2. *Can. placuit, Can. de illis* 6. *q.* 3. Aliàs verò Diœceſis accipitur pro Parochia in Concil. Toletano III. *Can.*20. Cabillonenſi II. *Can.*14. Agatenſi *Can.*54. & *Can. quia cognouimus. Can. Cauendum* 10. *q.* 3. *Can. preſbyteri* 12. *q.*4. Concil. Carthag. II. *Can.*5. & 20. Conc. African. *Can. Felix. Can. multis* 16. *q.* 1. *Diœceſes quæ nunquam*

nunquam Epiſcopos habuerunt, non habeant, hoc eſt Eccleſiæ quæ hactenus paruerunt presbyteris, non euehantur in ſedes Epiſcopales. Gregor. Turonen. *Hiſt. Fran. lib. 6. cap.* 38. agens de Innocentio Rutenenſi Epiſcopo, aſſumpto Epiſcopatu confeſtim Vrſicium Cadurcinæ vrbis, Epiſcopum laceſſere cœpit dicens, quia diœceſes Rutenæ Eccleſiæ debitas *retineret*: & mox de Iudicio apud Aruernam vrbem reddito: vt Parochias quas nunquam Rutena Eccleſia tenuiſſe recoleretur, *reciperet*, & *c.ſeq. Hic*, nimirùm Sulpitius Bituricenſis Epiſcopus, *ſynodum* illam, cuius *ſuprà* meminimus pro Parochiis Cadurcinis fieri *commonuit*. Et *lib.* 5. *cap.* 5. de Munderico *apud* Architeuſem Vicum Epiſcopus inſtituitur, habens ſub ſe plus minùs diœceſes quindecim, quas primùm Gothi quidam *tenuerant*. Et *eodem cap.* de Pappolo Lingonenſi Epiſcopo, *anno* octauo Epiſcopatûs ſui dum diœceſes, ac Villas Eccleſiæ circumiret, quadam nocte apparuit illi *B. Tetricus*.

7 Vides igitur Parochiæ & diœceſis nomina interdum confundi, quod ad veterum Canonum intelligentiam notandum eſt; vulgò tamen Parochia ſumitur pro Eccleſia matrice, plebania, Eccleſia baptiſmatis, quibus aliiſque ſimilibus nominibus ſolet deſignari, ſicut & Parochus voce plebani, Curionis, Paſtoris, Rectoris, &c. de quibus *tom.* 3. fuſiùs, vbi de munere Parochorum dicemus: in præſentiarum agimus tantum de ſynodo diœceſana, ad quam Epiſc. ex veteri inſtituto ius habent conuocandi ſingulis annis presbyteros, qui de plebium cura rationem reddant, *Can. Epiſcopus* 2 & *Can. annis ſingulis* 18. *diſt.* & *Can. quando* 38. *diſt. Toletan.* 4. *Can.* 25. in illis numero Abbates Diœceſanos, vt dixi *quæſt. ſuperiori*; quare Concilium Turon. II. *cap.* 7. prohibet Abbatem vel Archipresbyterum deponi, vel in eius locum alium deſtitui, niſi in ſynodo.

8 Poſſunt etiam Epiſcopi Abbates & Parochos ad alios quoque ſolemnes conuentus vocare: ſic Gregorius Lingonenſis Epiſcopus Abbates, alióſque Religioſos conuocauit ad tranſlationem reliquiarum S. Benigni Martyris Dionenſis, vt narrat Gregor. Turonen. *lib.* 1. *de miraculis cap.* 51. qui etiam *lib. de gloria Confeſſor. cap.* 86. idem factum monet ab Agricola Cabillonenſi Epiſcopo circa tranſlationem reliquiarum S. Deſiderati presbyteri. Interdum tamen habebatur ſynodus Abbatum diſtincta à ſynodo presbyterorum, vt colligetur ex Concilio Aurelian. I. *Can.* 19. & *ex Can. Abbates*, 18. *quæſt.* 2.

Cùm igitur Parochi curam animarum & plebium Epiſcopatus in ſingulis villis habeant, & ſint Epiſcorum comminiſtri συλλειτουργοὶ ὁπολόγων dicantur à Patribus aduerſus Paulum Samoſatenum congregatis, apud Euſebium *lib.* 7. *cap.* 24. & à Ioanne Chryſoſt. *ſerm. de pſeudoprophetis* συμποιμένες Compaſtores à Iuſtino *in Apolog.* 2. προεστῶτες, à Balſamone *in Canon.* 8. *ſynodi Antioch.* πρωτοπάπαι, Epiſcoporum cooperatores, à Concil. Aquiſgran. III. *ſect.* 2. *Can.* 5. Vicarij & adiutores ad erudiendam plebem ſibi commiſſam à Fulberto *Epiſt.* 2. *ad Finardum*. Deniq; ſunt presbyteri ſecundi gradus & ordinis qui ſeptuaginta Diſcipulis, ſicut Epiſcopi Apoſtolis ſucceſſerint, vt ait Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus *in Capitulari ad Parœcos*: immò & Antiſtites ſecundi ordinis vocauit Sidonius *lib.* 4. *Ep.* 2. agens de Claudiano fratre Mamerci Epiſcopi Vienenſ. & *Epiſt.* 25. quin ipſe Vigilius Pontifex *Ep.* 6. *ad Auxanium Arelatenſem*, qui ex presbytero factus erat Epiſcopus, ait eum ex ſequenti ordine ſacerdotij fuiſſe prouectum ad apicem Pontificalis dignitatis. Cùm itaque tantæ ſint dignitatis Parochi, nihil mirum, illos ad ſynodi Epiſcopalis, in qua de diſciplina Eccleſiaſtica totius Epiſcopatus, cuius ipſi ſingulas partes adminiſtrant, & de totius plebis moribus agitur, conuocentur & vocati venire teneantur.

Habes ex dictis perſonas Eccleſiaſticas, quæ diuerſis ſynodis intereſſe debent: quia verò nonnunquam qui vocabantur, cauſis legitimis venire prohibebantur, poterant alios, qui ſui vice fungerentur, mittere. Conc. Arelat. II. *cap.* 18. *Si quis commonitus infirmitatis cauſâ defuerit perſonam vice ſua dirigat*. Idem permittitur in Synodo Arauſic. I. *cap.* 29. quales verò eſſe debeant, qui abſentium vice mittuntur, deſcribit Auitus Vienneu. *Epiſt. ad Epiſcop. ſuæ prouinciæ*, quos ad ſynodum Epaunenſem inuitat: *Duos presbyteros magnæ & probabilis vitæ, mandati inſtructione firmatos fratribus pro ſe Epiſcopi præſentare procurent, & tales eligere quos Epiſcoporum Concilio non minùs ſcientia quam reuerentia faciat intereſſe, cum quibus delectet ſummos Pontifices facere ſermonem, quos ad definitiones pro Epiſcopo ſuo ſanciendas ſubſcribendaſque, cùm fuerit ſolertia, eligi ſit authoritas legi: ſed iſtud non extorqueat niſi ſumma neceſſitas*. Hanc verò praxim mittendorum Vicariorum frequentem fuiſſe in Gallia & Hiſpania poſteriores ſynodi docent, in quibus leguntur ſubſcriptiones presbyterorum hoc modo, *Miſſus à domino Epiſc.* vel: *Vicarius*, vel: *Vices agens*, addúntque nomen Epiſcopi, quem repræſentant. Concil. Emeritenſe ann. 666. prohibet ne Epiſcopi ægroti Vicariatum ſuum tribuant Diaconis, quibus non licet ſedere inter Epiſcopos, Conc. Antiochen. *Can.* 20. admittit etiam Diaconos: *In ipſis autem Conciliis* (inquit) *adſint presbyteri & Diaconi*, & omnes *qui ſe læſos exiſtimant, vt ſynodi experiantur examen*. Verùm vides illos non admitti niſi vt iudicia experiantur coram ſynodo. Conc. Tarracon. an. 517. *Can.* 13. vult Epiſcopos adducere ſecum certum numerum presbyterorum, & aliquot ſæculares ad ſynodum: *Epiſtolæ tales per fratres à Metropolitano ſunt dirigendæ vt non ſolùm de Cathedralibus Eccleſiis preſbyteros, verùm etiam de diœceſanis ad Concilium* trahant, *& aliquos de filiis Eccleſiæ ſæcularibus ſecum adducere debeant*. Et ſanè quibuſdam Galliæ & Hiſpaniæ Conciliis presbyteros & Abbates legimus cùm Epiſcopis. Exiſtimarim tamen hos omnes de quibus agit ſynodus Tarracon. pertinuiſſe ad Pompam, & ad honorem Epiſcoporum vel ad varia, quibus indigere poterant, miniſteria, non verò vt ſederent iudices in ſynodo. 9

Monachi intererant etiam Synodis, ſed non vt iudices, in Concilio Chalcedonenſi Barſumas adfuit, & alij plures in ſynodo VI. & VII. qui tamen non ſubſcripſerunt, & erant tantùm audientes: quare in VII. Synodo *act.* 4. dicitur eam peragi præſentibus & audientibus patriciis & Archimandritis, Hegumenis, & Monachis. Interrogati poterant aliquid reſpondere, & dicere, quod ipſum licitum erat patriciis, non tamen præſidere, & iudicare. In ſynodo VII. *Actione* 1. Monachi dixerunt eos qui manus impoſitionem perceperât, vt dicit regula Nicæna *Can.* 8. recipi, Tharaſius dixit, & quomodo intelligitur manus impoſitio? Monachi dixerunt: Deprecamur, domine, vt doceamur. Tharaſius ſanctiſſimus Patriarcha dixit: Fortè in benedictione tantùm ſic manus impoſitionem dicit & non ordinationem χειροθεσίαν, non χειροτονίαν *ibid. act.* 2. Cùm Monachi iuſſi eſſent pronunciare in approbandis Hadriani Papæ Epiſtolis non auſi ſunt id ſtatim facere, ſanctáque ſynodus dixit: *Iuſtum eſt vt reuerendiſſimi Monachi pronuntient. Reuerendiſſimi Monachi dixerunt: Si ordo eſt talis vt & nos* 10

pronun

pronuntiamus ſicuti iubetis? Tharaſius dixit : Ordo eſt vnicuique qui reperitur in Synodo, vt pronuntiet in Synodo. In Synodis Prouincialibus quomodò aſſiſtunt Monachi & Abbates diximus *q. ſuperiori.*

11 Reſtant perſonæ laïcæ, de quibus an adeſſe poſſint Synodis quæri iure poteſt, & quidem quod attinet ad Synodos Oecumenicas diximus *cap. ſuperiori q. 5.* Imperatores eorumque iuſſu Patricios, & Senatores adeſſe, non vt Synodicè definientes & iudicantes, ſed vt definitionibus Synodi ſe præſente factis & deindè exequendis, auctoritatem & vim præſtēr Imperator & Patricij turbas quæ excitari poſſent componant, & curent ne quid per vim inordinatè fiat vt & in VI. Synodo Conſtantinus Pogonatus fatetur, ſe non tanquam Imperatorem cum Epiſcopis ſeſſurum, neque pro imperio loquuturum, *Sed*, inquit, *tanquam vnus ex illis & prout ſtatuerint Pontifices exequar.* In eadémque Synodo dicitur, *Præſidente Conſtantino in Secretario palatij, quod dicitur Trullas & præſentibus & audientibus Niceta, Theodoro, & aliis patriciis, conueniente quoque ſancta & vniuerſali Synodo.* Quibus verbis, vides Synodum omninò diſtingui ab Imperatore, à Patriciis, & tandem huic Synodo idem Conſtantinus ſic ſubſcribit : *Conſtantinus, in Chriſto Rex & Imperator Romanorum, legimus ac conceſſimus*, Κωνσταντῖνος ἐν χριςῷ τῷ θεῷ βασιλεὺς καὶ αὐτοκράτωρ ῥωμαίων ἀνέγνωμεν καὶ συνῃνέσαμεν. Subſcribit autem poſt omnes Epiſcopos, qui ſemper addunt ὁρίσας ὑπέγραψα. Patricij verò non ſubſcribunt, neque in aliis Conciliis. In Synodo deindè Trullana eiuſque Canonibus licet Iuſtinianus Rhiriotinerus Conſtantini filius non fuerit patris exemplum in ordine ſubſcriptionis ſequutus (ſubſcripſit enim primus vacuo relicto loco ſecundo, Romano Pontifici qui aberat, & eius quoque legati) in modo tamen ſubſcribendi parentem eſt æmulatus, φλαβιὸς Ἰουστινιανὸς πιςὸς ἐν χριςῷ Ἰησοῦ τῷ θεῷ βασιλεὺς ῥωμαίων, ςοιχήσας ἅπασι τοῖς ὁρισθεῖσι καὶ ἱμμένων ὑπέγραψα, conſentiens omnibus definitis, & ea recipiens ſubſcripſi : licebat tamen Patriciis & Senatoribus plurima a Synodo rogare & interloqui, & in omnibus petunt quæ ſit Synodi mens & ſententia; nihil tamen ex ſententia ſua pronunciant & definiunt, ſed in omnibus ſenſum Synodi, vbi de illo conſtat, ſequuntur & tuentur, vt vniuerſalium Synodorum acta legenti conſtabit. Loca aliquot inſigniora hanc in rem annotauit Ioannes Dartis *in commentariis ad diſt. XV. §. prater Epiſcopos.*

In Synodis non Oecumenicis non ſunt ſoliti prin-
12 cipes laïci aſſidere, immò id prohibetur in Synodo VIII. *Canon.* 12. quod inauditum eſſe dicit Synodus, neque illos reperij alibi quam in Synodis Oecumenicis, cùm nefas ſit ſæculares principes rerum quæ Dei Sacerdotibus contingunt fieri inſpectores, οὐδὲ γὰρ θεμιτὸν ἐςὶ γίνεσθαι θεατὰς τοὺς κοσμικοὺς ἄρχοντας τῶν τοῖς ἱερεῦσι τοῦ θεοῦ συμβαινόντων πραγμάτων : alibi verò ratio redditur, quod in Conciliis vniuerſalibus agatur de fide, quæ eſt cauſa communis omnibus & intereſt maximè principum illam tueri, in Prouincialibus agirentur fere negotia particularia & cauſæ ipſorum Sacerdotum, quæ inter illos tractari debent; & ſanè ſi eiuſmodi Synodis aliquando principes in Gallia interfuiſſe leguntur, fuerunt illæ Synodi conuentus quidam ex omnibus regni proceribus tùm Eccleſiaſticis, tùm Laicis, pro variis regni negotiis & eius politia, potius quàm veræ & propriè dictæ Synodi Eccleſiaſticæ.

13 Fatemur quidem non potuiſſe cogi Synodos maiores, vt aliqui appellant, ſine regio conſenſu, vt habetur ex Concilio apud Saponarias, *cap. 2. ſub finem*, Concilio Lingonenſi *cap. 7.* quod ait, poſcendum à principe vt Concilia habeantur. In Matiſconenſi dicitur conueniendum eſſe ex diſpoſitione principis locum deſignantis, Meldenſe vult principes concedant Synodicè conuenire, Aurelianen. *cap. 4.* & alibi, idem aſſirmatur *q. ſeq.* ſed aliud eſt Synodum non cogi ſine principis conſenſu, quod iuſtis de cauſis fieri poteſt, vt eo loco docebimus; aliud verò Principem Synodo intereſſe, & præſidere, quod nuſquam factum eſſe dicebat Synodus VIII. *Can.* 12. *citato.*

Alij verò laïci non interfuerunt eiuſmodi Synodis niſi ad exhibendum aliquod obſequium Synodo, aut ad illam, libertatémque illius tuendam.

Videndum porrò reſtat qualis eſſet tot Epiſcopo- 14
rum aliorúmue in Synodis conſeſſus, quo ordine nimirùm ſederent, ſententias dicerent, & ſubſcriberent; & in Conciliis quidem Oecumenicis Legati P. R. primum locum tenuēre, & per illos P. R. Concilio præfuit, vti oſtendimus *cap. 4. q. 3.* quod de Concilio Nicæno ineptiſſimè negat Caluin. *lib. 4. inſtit. c. 5.* ex vitiato & malè intellecto Sozomeno *lib. 1. cap. 20.* quem *illa q. 3.* confutauimus. Verùm ad hanc controuerſiam de Legatis Pontificiis in Conciliis Oecumenicis duo quædam aduertenda ſunt. Primum eſt ex Cardinali Perronio in *Reſp. ad Regem Angliæ, cap. 35. pag. 236.* Romanos Pontifices, duo genera legatorum mittere ſolitos eſſe ad Concilia Oecumenica Orientalia, primum erat Epiſcoporum, quos aſſumebant ex Patriarchatu Romano, & Occidentali, ſiue, vt loquitur Perronius, ex corpore Eccleſiæ Romanæ Patriarchalis : eiuſmodi erant Arcadius, & Proiectus Epiſcopi miſſi ad Synodum Epheſinam primam, Iulianus Epiſcopus Puzzolanus ad II. Paſchaſinus Epiſcopus Lilybætanus ad Chalcedonenſem. Alij legati erant presbyteri, aut etiam Diaconi, qui aſſumebantur ex Eccleſiæ Romanæ ſingularis ſiue particularis Clero, vel corpore : ea ratione miſſi ſunt Vito & Vincentius ad Nicænam I. Synodum Oecumenicam, Archidamus & Philoxenus ad Sardicenſem Nicenæ appendicem, Philippus ad I. Epheſinam, Bonifacius ad Chalcedonenſem. Ratio huius diſcriminis erat: quia Eccleſia Occidentalis nunquam tota intererat Conciliis Oecumenicis Orientalibus, & extra Patriarchatum Occidentalem, ſed Pontifex cogebat Romæ Synodum ex Epiſcopis Occidentalibus, eiúſque Synodi mentem & ſententiam ſolemni legatione mittebat ad PP. ex omnibus aliis Patriarchalibus Orientalibus Synodicè coactos, vel peracto Concilio Orientali, colligebat in Occidente Synodum, in qua quæ fuerant in Oriente decreta, rata habebantur, atque ea ratione ex duabus eiuſmodi Synodis, Orientali nimirùm & Occidentali coaleſcebat vna integra vniuerſalis Synodus, quæ totius Eccleſiæ vnanimem conſenſum & definitionem exhibebat. Qui verò delegabantur vt Occidentales repræſentarent, hoc eſt tum Pontificem, tum reliquos Occidentis Epiſcopos, aſſumebantur ex Epiſcopis Occidentis. Præter hos legatos, erant alij, qui ſingulariter & nominatum ipſius Romani Pontificis vicem gerebant, eiuſque mentem, ac ſententiam referebant, iique erant presbyteri aut Diaconi Romanæ Eccleſiæ, quos Concilium Sardicenſe *Can.* 5. nominat legatos à proprio latere ἀπὸ τοῦ ἰδίου πλευροῦ πρεσβυτέρους ἀποςείλοι, mittat præsbyteros ex proprio latere. Hos legatos internos, alios, qui ex ordine Epiſcoporum aſſumebantur, externos Pontifici nimirùm vocat Perronius. Pontifex igitur Romanus ſuam totiúſque Occidentis ſententiam ſignificabat Orientalibus Patribus in vnam Synodū ex omnibus Patriarchis Imperatoris aſſenſu coactis, miſſa honorifica legatione, quæ ex duplici illo legatorum genere coaleſcebat ſiue ſimul & coniunctim iſti

legati

legati mitterentur, vti ad Concilium Epheſinum, & Chalcedonenſe, ſiue ſeorſim diuerſis legationibus: nam ad Concilium VI. Oecumenicum ſeorſim miſſi ſunt legati à Pontifice R. & ſeparatim legati Concilij Romani. Hunc morem æmulabantur ipſi etiam Orientales dum ad Rom. Pontificem mittebant: narrat enim Theodoret. *lib. 5. Eccleſ. Hiſt. cap. 2.* Flauianum Antiochenum Patriarcham miſiſſe Romam, vt in gratiam cum Pontifice rediret, Legatum, cui adiunxit presbyteros & Diaconos Eccleſiæ Antiochenæ & Acacium Beroëæ in Cyria Epiſcopum, qui fuit legationis caput & princeps, *ἀπέςειλεν εἰς τὴν ῥώμην καὶ τῶν ἀξιεπαίνων ἐπισκόπων τινὰς καὶ τῆς Αντιοχείας πρεσβυτέρων, καὶ διακόνων ἡγεῖτο δὲ πάντων Ακάκιος ὁ βεροίας μὲν τῆς ἐν συρίᾳ πόλεως.* Ex his verò legatis Pontificis illi qui ex numero Clericorum Romanæ Eccleſiæ aſſumebantur, erant præcipui non ratione honoris & dignitatis, niſi fortaſſis legationes Pontificis & Concilij Romani diſtinctæ & ſeparatæ forent, ſed quoad mentem Pontificis declarandam: illis enim maximè dabatur commonitorium & inſtructio, animúſque Pontificis credebatur. Quare ſæpiùs vbi de ſententia Pontificis quærebatur, illi ſolum & ſeorſim nominantur, vt apud Sozom. *lib. 1. Hiſt. c. 17. In indice ſubſcription. Concilij Sardicenſis apud Athanaſ. Apolog. 2.* quia illi ſoli deputati erant ex latere Pontificis, & ex Clero Romano deſumpti. Illuſtre rei huius exemplum habemus in Concilio Epheſino, in Epiſtola, quam per delegatos Epiſcopos miſit Conſtantinopolim: ſiquidem presbyterum Philippum nominat Cæleſtini Pontificis legatum, non verò Arcadium & Iuuenalem, Epiſcopos, qui tamen & ipſi Romani legati erant: *τῷ θεοφιλεστάτῳ καὶ θεοσεβεστάτῳ πρεσβυτέρῳ φιλίππῳ διέποντι τὸν τόπον τοῦ ἁγιωτάτου ἐπισκόπου τῆς ἀποστολικῆς καθέδρας τοῦ τῆς μεγίστης ῥώμης Κελεστίνου καὶ τοῖς θεοσεβεστάτοις ἐπισκόποις Αρκαδίῳ Ιουβεναλίῳ*, &c. Ita habetur in Synodo Epheſ. à Græca inter Epiſtolas Catholicas, & clariùs in relatione *ἀναφορᾳ*, miſſa à Synodo Imperatoribus per aliquot Epiſcopos *ἁγία καὶ οἰκουμενικὴ σύνοδος ἣ συνεδρεύει καὶ ὁ τῆς μεγάλης ἡμῶν ῥώμης ἁγιώτατος καὶ θεοφιλέστατος ἀρχιεπίσκοπος Κελεστῖνος, καὶ ἅπασα ἡ δυτικὴ σύνοδος διὰ τῶν παρόντων ἀπεσταλμένων πρὸς ἡμᾶς ἁγιωτάτων ἐπισκόπων. Sancta & Oecumenica Synodus cuius conſenſui adeſt Cæleſtinus ſanctiſſimus piiſſimúſque veſtræ magnæ Romæ Archiepiſcopus & vniuerſa Occidentalis Synodus, per ſanctiſſimos Epiſcopos, quos ad nos ipſa miſit.* Vides diſtingui conſenſum Cœleſtini à conſenſu Occidentalis Synodi, & Cæleſtinum adfuiſſe & quodammodo conſentiendo præſentem fuiſſe, per Philippum nimirùm presbyterum, qui eius locum tenebat, conſenſiſſe etiam Synodum Occidentalem per Epiſcopos, quos ipſa ad Epheſum miſerat, nimirùm per Arcadium & Iuuenalem, vt ex ipſis actis conſtat. Vides igitur in ea Synodo vnum legatum miſſum à Pontifice, qui legatus à proprio latere *ἀπὸ τοῦ ἰδίου πλευροῦ* dicebatur, fuitque Philippus presbyter, & alios à Pontifice ſimul & Synodo Occidentali deſtinatos, qui fuerunt Arcadius & Iuuenalis, Epiſcopi. Quare non fuerit difficile Sozomenum cum Socrate & Athanaſio, licet deſſidere videantur in legatis ad Nicæam, deſtinatis, componere: Sozomen. enim *libro primo Hiſtoriarum Eccleſiaſtiarum capite decimo ſexto*, Legatos, R. P. in ea Synodo numerat Vitonem & Vincentium Romanæ Eccleſiæ presbyteros, quod etiam affirmant Euſeb. & Theodoret. qui nuſquam niſi duos illos legatos numerant: Socrate verò *libro primo Hiſt. capite duodecimo*, ex Synodica Athanaſij illis addunt Oſium Cordubenſem, & ſimul illos recenſent priori loco in eo Concilio, ipſiſque ſubdunt Alexandrum Ægypti, Euſtachium magnæ Antiochiæ, & Macarium Hieroſolym. Epiſcopos.

Dalmatius Cizicenus in Aſia Epiſcopus qui Concilio Epheſino interfuit, & ex illo Gelaſius Cizicenus presbyter in *prologo ſyntagmatis Nicæni Concilij*, & *l. 2. c. 5.* Oſiũ cum Vitone & Vincentio Silueſtri Pontif. Rom. legatos dicit. *αὐτός τε Σπάνων ὁ πάνυ βοώμενος ὁ Ὅσιος ἐπέχων καὶ τὸν τόπον τοῦ τῆς μεγίστης ῥώμης ἐπισκόπου Σιλβέστρου σὺν πρεσβυτέροις ῥώμης βίτωνι, καὶ Βικεντίῳ.* Photius *in bibliot.* hoc Gelaſij ſyntagma legiſſe ſe ait, in eóque haberi Oſium Epiſcopum Cordubenſem, Vitonem, & Vincentium presbyteros Romanos adfuiſſe Concilio vice Silueſtri Epiſcopi Romani, eadem aſſerit *in tractatu de ſeptem Synodis, & in Ep. ad Michaelem reg. Bulgariæ* quæ omnia retulimus, *ſuperiori q. 4.* & hoc loco repetere cogimur. Denique, vt alios taceam, Hincmar. *opuſc. 55. capitulorum, cap. 20.* eundem ternarium legatorum Silueſtri agnoſcit, qui omnes aliique deinceps non diſſentiunt à Sozomeno, & Theodoreto, qui, vt dixi, ſolùm Vitonem & Vincentium legatos Pontificios nominant, quia loquuntur de legatis à ſolo Pontifice miſſis, qui illius ſolius ſententiam Synodo ſignificabant, reliqui omnes illis addunt Oſium Epiſcopum, qui & Pontificis, & totius etiam Eccleſiæ Occidentalis ſuffragium ferret, ac proindè tum à Silueſtro, tum à Synodo Romana ad id electus eſſet, ſiue iam eſſet in Oriente, ſiue alibi, quod modò non diſputo, niſi placeat cum Marca *lib. 5. de Concord. cap. 3. num. 5.* Euſebij locum *in libro 3. de vita Conſtant.* à Socrate adductum eſſe vitiatum, quod Marca fuſiùs probat. Quidquid verò ſtatuas, Oſius iure meritò inter Pontificios legatos numeratur & propter dignitatem Epiſcopalem præeminebat aliis legatis, cùm eſſent ſolùm presbyteri. Neq; temerè dicuntur perpetuò Romanæ Eccleſiæ presbiteri, vt ſignificetur ex ipſo Clero Romano eſſe delectos, cùm alij legati variarum Eccleſiarum Occidentalium eſſent Epiſcopi. Quæ omnia confirmantur ex eo quòd ex omnium veterum ſenſu, quibus ineptè noſtri Heterodoxi repugnant, Oſius Cordubenſis Nicæno Concilio præfuerit; non potuit autem hac prærogatiua, niſi prærogatiuâ legationis Apoſtolicæ gaudere, vti diximus *quæſt. 4. citata*, & fuſiùs probat Perron. *in reſponſione ad Regem Britanniæ, cap. 35.* Neque enim aut Epiſcopalis dignitas, aut eximia ſanctitas, aut peritia, & eloquentia ſingularis, aut in rebus agendis prudentia & ſumma diſciplinæ Eccleſiaſticæ notitia, aut ſingularis apud Principem gratia, aliæve eiuſmodidotes, quæ illum commendabant, hoc priuilegiũ ſupra cæteros Concilij Patres illi dare potuerunt: nam dignitas Epiſcopalis, qua pollebat, non euehebat illum ſupra omnes Patriarchas Orientales, immò neque ſupra eiuſdem Eccleſiæ Metropolitas, cùm ipſe ne quidem Metropolita foret, ſed Hiſpalenſi Metropolitæ, & Occidentis Patriarchæ ſubiectus, & ne in Hiſpania quidem Synodo præſideret: nam in Concilio Eliberitano nouemdecim Epiſcoporum numeratur, ſecundo apud Garſiam, Loachim, & apud alios vndecimo, in Concilio Arelatenſi ducentorum Epiſcoporum apud Auguſtin. *libro ſecundo contra Permenian. capite quinto*, ne inter præcipuos quidem Epiſcopos numerabatur. Cæteræ eius eximiæ dotes non dabant vnquam Epiſcopis digniorem ſupra Archiepiſcopos Metropolitas, & multò minùs Patriarchas locum in Conciliis: alioquin eiuſmodi conditiones ſingulares perſonarum redderent inutilem diſtinctionem Eccleſiarum, & ſedium Epiſcopalium, quæ

à dignitate perſonarum capienda eſſet, & quotidie mutaretur, neq; certa & fixa foret ſed modò ſuperior, modò inferior eſſet, prout Epiſcopus ſanctior, aut minùs ſanctus haberetur; quam legem nunquam ferunt Eccleſiæ in definiendis Eccleſiarum prærogatiuis. Eximiæ illæ dotes commendabant quidem Oſium, ſed non dabant ius præſidendi Concilio vniuerſali, in quo erant alij non modò dignitate ſuperiores, ſed æqualibus ornamentis eximios; nam fidei conſtantia illuſtres aderant Paphuncius Epiſcopus in Thebaïde, cui ſæuiente Maximino, genu ea de cauſa confractum & oculus effoſſus fuerat, Potamon Heracleenſis Epiſcopus, cui in eadem perſecutione oculus quoque erutus erat, qui Epiphanio *Hereſ.* 68. dicebatur, μέγας ἐπίσκοπος ϗ ὁμολογητὴς Paul. Næocæſarienſis ad Euphratem Epiſcopus, cui candenti ferro Licinio Tyranno imperante duæ manus abciſſæ fuerant, aderat & Spiridion, Iacobus Niſibenus, Nicolaus Myrenſis, & alij miraculis etiam illuſtres. Gratiá verò apud Imperatorem eminebant Euſebius Cæſareæ in Palæſtina, quàm orbis Epiſcopatu dignum duxerat Conſtantinus Epiſtola quàm refert ipſemet Euſeb. *lib.* 5. *de vita Conſtant. cap.* 59. Euſebius Nicomedienſis Metropolitanus Bythiniæ, in qua Prouincia cogebatur Concilium in Socrat. *lib.* 1. *cap.* 6. & Sozom. *lib.* 1. *cap.* 15. quem hominem magnæ auctoritatis, prudentem, & honoratum in aula Cæſaræa dicunt. Aderat Paphuncius, de cuius apud Imperatorem gratia Socrat. *lib.* 1. *cap.* 1. σφόδρα ἐτίμα ϗ συνεχῶς, ἐπὶ τὰ βασίλεια μετεπέμπετο, aderat & Protegenes Sardicenſis Epiſcopus ad quem Conſtantin. deſtinauit promulgandam ſuam primam legem de his qui in Eccleſia manumittuntur *C.* 1. *l. eod. tit.* & poſteriorem direxit ad Oſium *C. Theod. lib.* 4. *tit.* 70. Si peritiam & doctrinam attendamus, aderat, vt dixi, Euſebius Cæſarienſis qui, vt ipſemet ait *l.* 4. *de vita Conſtant. cap.* 35. erat miraculo ipſimet Conſtantino ὑπερθαύμασεν τῆς φιλομαθείας τε ϗ φιλοτιμίας. Alexander Alexandriæ Patriarcha, quem Theodoret. *libro* 1. *Hiſt. Eccl. cap.* 26. mirabilem Epiſcopum vocat. Euſtachius Antiochenus Epiſcopus orationem Concilij habuit, ex Theodoret. *lib.* 1. *cap.* 7. & miraculum eloquentiæ nominat Sozom. *lib.* 1. *capite* 19. eiuſdem Alexandri iam nominati ſenectus commendatur, octaginta ſcilicet trium annorum, ipſóque antiquior Metrophanes aderat; neque ſi antiquitatem promotionis deſideremus, ſuperabat Oſius cæteros, ipſum enim Zeno præcedebat; nam Epiphan. *Her.* 69. antiquum Phœniciæ Epiſcopum vocat, ἐν τι τῇ φοινίκῃ τινὶ ἀρχαίῳ, & Euſebius Nicomedienſis ab eodem Epiphanio *ib.* dicitur παλαιὸς γέρων νικομηδεύς. Commendatur quidem Oſij longior ætas in Concilio Sardicenſi, ſed viginti poſt Nicænam Synodum annis; & deindè quadraginta pòſt annis pater Epiſcoporum nominatur ab Athanaſ. *Epiſt. ad ſolitariam vitam*. obiit enim centenarius. Vides itaque nihil fuiſſe in Oſio, vti fuſiùs proſequitur Perronius, quod illi daret prærogatiuam præſidentiæ, in Synodo ſupra cæteros Epiſcopos, ſi vnam excipias legationem Apoſtolicam Silueſtri R.P. qua fungebatur, quæ eandem prærogatiuam dedit Vitoni & Vincentio presbyteris Romanæ Eccleſiæ vt omnibus Epiſcopis præirent.

Neque plura addenda videntur: conſtat enim vel ex prima vniuerſali Synodo R.P. Oecumenicis Conciliis per ſuos legatos præſidere, quod & in Epheſina, Chalcedonenſi, cæteríſque demonſtrauimus *cap. ſuperiori, q.* 3.

15 Obſeruandum prætereà eſt duo quædam alia genera legatorum fuiſſe, quos Pontifices Romani ad Concilia deſtinabant: quidam erant inſtructi iuriſdictione Pontificia, quos Vicarios & legatos Cathedraticos vocat Perronius *in reſponſione citata, cap.* 40. qui maximè neceſſarij erant in Conciliis Oecumenicis; repræſentabant ſiquidem perſonam iudiciariam Pontificis, cuius vice ſententiam pronuntiabant, & habebant κῦρος totius Concilij eiuſque loco primi ſedebant, vt hactenùs vidimus. Alij verò legati omni iuriſdictione carebant, & vrgebant dũtaxat negotia, ad quæ mittebantur tanquam procuratores agentes in rebus, nuntij, apocriſij, & deputati qui quidem repræſentabant perſonam Pontificis à quo mittebantur, ſed agentis & negotiantis; & vno verbo, eius nomine negotia ſibi commendata tractabant, prout mandata ſibi facta ferebant, atque iſti non occupabant locum & ſedem Pontificis à quo mittebantur. Eiuſmodi fuit Iulianus Coënſis Epiſcopus in Concilio Chalcedon. *Act. I. & ſequentibus*: quamuis enim ipſi nomen legati Pontificij tribuatur, quia erat nuntius & Legatus Conſtantinopolim, non ſedit tamen in Concilio cum cæteris Legatis Pontificiis, ſed poſt Patriarchas inter Epiſcopos; in Concilio quoque Conſtantinopolitano ſub Menna *Act.* 1. 2. 3. *&* 4. legati Antiocheni & Hieroſolymitani Patriarchæ non ſederunt in loco ſuorum Patriarcharum, ſed poſt Archiepiſcopos & Epiſcopos eo ordine, quem eorum dignitas perſonalis poſtulabat. Similis legatio fuit Elpidij & Philoxeni ad Orientales in cauſa Athanaſij decreta à Iulio. *Vt* (inquit) *incitarent eos qui iudicium ſcriptis poſtulauerant vt praſto eſſe vellent.* Illis verò cauſæ cognitio nulla permiſſa erat, ſed ſolùm cura euocandi & monendi, vt Concilio, in quo cauſa diſceptaretur, adeſſe vellent. Eiuſdem modi legationem legimus Fauſtino Epiſcopo, Philippo, atque Aſello Romanæ Eccleſiæ Presbyteris creditam à Zozimo Pontifice, ad Concilium Carthaginenſe VI. nulla enim iuriſdictio, aut auctoritas illis demandata, ſed ſolum imperatum vt capita de appellationibus, ſuis mandatis comprehenſa tractarent cum PP. Carthaginenſibus; nihil tamen definire poterant, vnde ita in Concilio loquuntur: *Iniuncta ſunt nobis à Sede aliqua per ſcripturam, aliqua etiam in mandatis cum veſtra Beatitudine tractanda.* Et mox: *De his ergo primitùs, ſi placet Beatitudini veſtra, tractemus, & poſteà cætera, quæ vel acta, vel inchoata ſunt, inſerta firmabuntur, vt ad ſedem Apoſtolicam reſcriptis veſtris intimare poſſitis.* Ex quibus conſtat negotiorum tractandorum causâ à Zozimo & Synodo Romana miſſos. Verba Commonitorij idem teſtantur: *Vobis commiſſa negotia non latent* (inquit Pontifex) *vos, ita vt noſtra, imo quia noſtra in vobis ibi præſentia eſt, cuncta peragite, maximè cùm & hoc noſtrum poſſitis habere mandatum.* Agebant igitur Zozimi quidem vices in procuratione negotiorum, nulla tamen iuriſdictionis functione vſi, neque res Africanas attingere, aut definire poterant: ad conſeſſum tamen vnà cum cæteris Epiſcopis admiſſi ſunt & illis præſentibus de negotiis illis demandatis, deliberatum eſt, & præterea in his quæ de diſciplina conſtituta ſunt ius explicandæ ſuæ ſententiæ honoris causâ delatum eſt, licèt de ea nihil haberent in mandatis: nam *capite quarto*, abſtinentia Clericorum ab vxoribus, de qua nihil mandadarat, præſente & conſentiente Fauſtino Epiſcopo & legato, decreta fuit; in conſeſſu verò non occuparant legati Pontificij locum, nimirùm primum: nam Aurelius Epiſcop. Carthaginenſis tanquam Metropolita vel Primas Synodo præfuit; ſecundum locum obtinuit Valentinus primæ ſedis Numidiæ Epiſcopus, tertium Fauſtinus Eccleſiæ Potentinæ Prouinciæ Italiæ Piceni Legatus Eccleſiæ Romanæ, qui cæteris omnibus Prouinciarum Africanarum Legatis

numero

mero ducentis, & quindecim prælatus fuit, poſt omnes denique Epiſcopos Philippus, & Aſellus presbyteri legati Romanæ Eccleſiæ, conſederunt; nulli verò alij presbyteri, ne ipſius quidem Carthaginenſis Eccleſiæ in cœtum admiſſi ſunt. Quare ineptè Caluin. *lib. 4. inſtitut. cap. 7.* ex hoc Concilij Carthaginenſis facto legatos quoſcunque Pontificios poſtponendos eſſe Metropolitis colligit, cùm diſtinguendi ſint legati qui vices Pontificis gerunt in iuriſdictione exercenda, ab aliis qui nulla iuriſdictione inſtructi, mandata dumtaxat habent à Pontifice ad negotia quædam pertractanda: hi enim poſtremi primum in Conciliis locum, quem Pontifex, ſi præſens eſſet, occupare non debent, cùm eius vices non agant, in exercenda iuriſdictione, quamquam Hincmarus *Epiſtola ad Nicolaum* apud Flodoard. *lib. 3. hiſt. Remenſ.* affirmet huic Concilio ſedem Apoſtolicam per ſuos Vicarios præfuiſſe. Fortaſſis enim error eſt in indice ſubſcriptionum eius Concilij, quem habemus diuerſum ab indice Hincmari, ſimiles enim errores in ſubſcriptionibus aliis contigiſſe docebimus alibi. Hæc omnia confirmantur ex eo quòd idem Philippus, qui in hoc Concilio Carthaginenſi ſedit poſt omnes Epiſcopos, vt diximus, in Concilio Epheſino, legatus etiam Pontificis vnà cum Cyrillo & Arcadio, Pontificiis quoque legatis, ſedit ante omnes Primates, Archiepiſcopos, & Epiſcopos, vt habetur *Act. I. editionis Herdemb.* & *Actione IV. editionis Romanæ.* Fortaſſis etiam loquitur Hincmar. de Concilio Carthaginenſi, quod habitum fuit Coſſ. Honorio XIII. & Theodoſio VIII. quod præceſſit anno Concil. VI. in eo enim Fauſtinus, Philippus, & Aſellus fuerant legati Pontificis Zozimi quantum coniicere licet, ex Proſpero in Chronico, & aduersùm Collatorem, & illi Concilio præfuerunt; decreta enim Synodalia delata fuerunt ad Zozimum, ab ipſóque approbata, indeque Pelagij hæreſis toto orbe damnata. Reſponderi etiam poſſet, ad Concilium Carthaginenſe VI. legationem Fauſtini, & ſociorum, Zozimi Pontificis obitu extinctam eſſe, neque à Bonifacio ſucceſſore innouatam aut confirmatam, ac proindè tunc non fuiſſe verè legatos, ſed exlegatos, perſeueraſſe tamen in proſequendis Romanæ Eccleſiæ negotiis, ac proindè mirum videri non debet, ſi locum & præeminentiam legatorum Pontificiorum non obtinuerunt: ex præterita tamen legatione plurimum illis honoris delatum fuiſſe à Patribus Carthaginenſibus.

16 Ex his vides Pontifices omnibus Conciliis præfuiſſe, quandò vel illis interfuerunt, vel ſuos Vicarios & legatos ad illa deſtinarunt, ſiue fuerint Oecumenica, ſiue non Oecumenica, ſi illi legati miſſi fuerint cum iuriſdictione, eaque de cauſa vices mittentis egerunt, & non fuerunt ad tractanda quædam negotia ſibi demandata, tanquam procuratores, nuntij, & negotiorum geſtores, vti diſtinximus: tunc enim neque primum conſeſſum obtinuerunt, neque præfuerunt Synodo, licet magno vbique honore fuerint excepti, quod ex citata Synodo VI. Carthaginenſi conſtat: in illa enim Fauſtinus legatus, vt dixi, Pontificius cùm eſſet peregrinus Epiſcopus & Synodi Italicæ τοῖς ὑπερορίοις, alienæ Prouinciæ negotiis ſeſe immiſcere contra Canones non poterat, nec iure proprio, vt patet, nec iure delegationis, cùm ex mandato Zozimi ad capita tractanda de Romanæ Eccleſiæ priuilegiis reſtricta eſſet. Id vnum obtinere poterat ex illius ſæculi moribus, vt in Eccleſia Carthaginenſi poſt Epiſcopum illius ciuitatis ante presbyteros omnes ſederet, id enim peregrino Epiſcopo dari ſolitum fatentur Epiſcopi Africani in *collatione Carthaginenſi, capite decimoſexto,* admittebatur etiam ex Canone Concilij Arelatenſis, anno 314. ad Sacrificij oblationem peragendam. *De Epiſcopis peregrinis* (inquit Canon) *qui in vrbem ſolent venire, placuit eis locum dari vt offerant*: nam priùs illis tantum Euchariſtia in Eccleſia porrigebatur, quomodo vſus eſt Anicetus Pontifex erga Polycarpum Smirnenſem Epiſcopum, quem Euchariſtiæ communione in Eccleſia donauit: nam anteà Epiſcopis peregrinis Euchariſtia ſolebat domum mitti, ne à communione viderentur alieni. Vtriuſque eius moris meminit Irenæus apud Euſeb. *libro 5. capite vigeſimoſexto, edition. Græc.* ait enim conceſſam Polycarpo Euchariſtiam, κατ' ἐντροπὴν: erat verò ἐντροπὴ, vt obſeruat Marca *libro quinto, Concord. capite ſecundo, numero ſexto*, quod Anicetus Sacramenta non miſiſſet domum, ſed permiſiſſet Polycarpo iis participare contra Eccleſiæ cancellos; quod malè aliqui interpretantur de permiſſa celebratione liturgiæ ab Aniceto, vti oſtendit Franciſc. Florens *in Titul. de tranſlation.*

Conſtituto hactenùs primo conſeſſu legatis Pontificiis cum eius iuriſdictione ad Concilia œcumenica deſtinatis, conſidebant deinceps Patriarchæ pro honore ſuarum Sedium, nimirùm Alexandrinus, Antiochenus, Hieroſolymitanus. Deindè Primates, & Metropolitæ, ſed iſti ordine ſuæ conſecrationis inter ſe ſeruato, quod aliàs monuiſſe me memini, & habemus in Concilio Arelatenſi VI. in præfat. in Carthaginenſi *Can. 89.* apud Balſam. qui in *Can. 92* obſeruat conſtitutum, vt Epiſcopi, qui ordinantur, accipiant litteras ab Epiſcop. ordinantibus ſubſcriptas, annotato die, & Conſule, vt de ordinationis antiquitate conſtare poſſet, & *lib. 29. C. de Epiſcopali audientia,* Epiſcopi dicuntur κατὰ τὴν τάξιν τῆς χειροτονίας πρωτεύοντες. Hincmar. *Ep. 6.* ſiue *opuſculo 55. c. 16.* hunc morem ex certa & antiqua regula deſignat. *Inter Epiſcopos,* (inquit) *hæc conditio regularis ſeruatur, vt qui priùs ordinatus fuerit, prior habeatur, & eo ordine recenſeantur nomina Epiſcoporũ.* Confirmatur ex *Can. 7. diſt. 17.* ex Gregorio ſtatim referendo, immò idem ordo ſeruabatur in Epiſtolis tractoriis, quod teſtatur Auguſtin. *Epiſt. 221.* excuſans quod accepta tractoria ad Concilium non veniret, ſic Victorinum Epiſcopum alloquitur: *Legi in eadem tractoria etiam ad Mauritanias eſſe ſcriptum, quod ſi & ex eis ad Numidiam conuocandum eſſet Concilium, oportuit vt aliquot Maurorum Epiſcoporum, qui illic vtique priores ſunt, nomina in tractoria ponerentur, quod in iſta tractoria, non reperiens multum miratus ſum: deinde ad ipſos Numidas ita perturbato, & neglecto ordine ſcriptum, vt nomen meum tertio loco inuenerim, qui noui quàm poſt multos Epiſcopus factus ſim. Quæ res & aliis iniurioſa eſt ſatis,* & *mihi inuidioſa, &c.* In his tamen omnibus ſeruatur honor & primatus Metropoli, vti ex Concilio Cabilonenſi *c. 6. citat.* Gratian. *Can. I. diſt.* 18. & ceteri paſſim, Burchard. *lib. 1. cap.* 55. Iuo *parte.* 5. *cap.* 165. & in Panorm. *lib. 4. cap.* 20. *Placuit* (inquit Canon) *vt conſeruato Metropolitani primatu, cæteri Epiſcopi ſecundum ſua ordinationis tempus, alius alij ſedendi deferat locum.* Illi ſimilis definitio extat in Concilio I. Bracarenſi *cap.* 24. Conſentiunt Mileuitanum *cap.* 13. & Africanum *cap.* 53. & *Can.* 89. Carthagin. apud Balſamon. addit ſeruato vtique iure Primatuum Numidiæ, & Mauritaniæ, ex indice & Matrice Numidiæ, quæ omnia conſtituit etiam Magnus Gregor. *lib. 7. Epiſt. 112. ad Syagrium Epiſcopum Auguſtod. Epiſcopos ſecundum ordinationis ſuæ tempus, ſiue, ad conſedendum in Concilio, ſiue ad ſubſcribendum, vel qualibet alia re, attendere ſuo loco decernimus,* & ordinum ſuorum ſibi prærogatiuam vindicare. Ipſi tamen

Gregorio quod multum pro conuerſione Anglorum laborauerit & Auguſtinum à Gregorio miſſum Epiſcopum iuuerit, pallij vſum intra ſuam Eccleſiam ad ſacra tantum miſſarum ſolemnia permittit, & ne indumenti ſolùm munificentiam nudam contuliſſe videatur, *Hoc etiam pariter*, inquit, *perſpeximus concedendum, vt Metropolitæ ſuo per omnia loco & honore ſeruato, Eccleſia ciuitatis Auguſtudunæ poſt Lugdunenſem Eccleſiam eſſe debeat, & hunc ſibi locum & ordinem ex noſtræ authoritatis indulgentia vindicare.* Simili modo Cenomanenſis Epiſcopus Comprouincialium primus eſt; neque ratio temporis ordinationis habetur ex Goffrido Vvindocinenſi *lib.* 3. *Ep.* 11. Catalaunenſis quoque ſuorum ex Fulberto *Ep. ad Deodatum Sueſſonenſem Epiſcopum.*

18 Quia verò diximus nuper, Epiſcopos abſentes potuiſſe mittere ad ſynodum etiam diœceſanam & Prouincialem ſui vice Presbyteros & Diaconos, immò & ad vniuerſalem, non tamen illi conſidebant in loco, his à quibus mittebantur debito; nam in ſynodo diœceſana & in Prouinciali, cum intereſſent aliquandò presbyteri, illi conſidebant quidem, ſed ponè Epiſcopos, ſtantibus Diaconis, Concil. Toletan. I. initio: *Conuenientibus Epiſcopis in Eccleſia Toleto conſidentibus presbyteris, adſtantibus Diaconibus* Bracar. I. item initio: *Conſidentibus ſimul Epiſcopis, præſentibus quoque presbyteris, adſtantibuſque miniſtris, vel vniuerſo Clero.* Hic tamen, vt monui, presbyterorum conſeſſus non erat in Corona Epiſcoporum, ſed ponè ipſos, ſiue à tergo, ſiue vice ſuorum Epiſcoporum ſiue proprio nomine & iure adeſſent. Concilium Emeritenſe. *Can.* 5. *Ad ſuam tamen perſonam non aliter niſi aut Archipresbyterum ſuum diriget, aut ſi Archipresbytero impoſſibilitas fuerit, presbyterum vtilem, cuius dignitas cum prudentia pateat; à tergo Epiſcoporum inter presbyteros ſedere, & quæque in eo Concilio fuerunt acta ſcire, &c. Iniuſtum enim hoc accipit cœtus noſter, vt quiſquam Epiſcoporum Diaconum ad ſuam perſonam dirigat: hic enim, quia presbyteris iunior eſſe videtur, ſedere cum Epiſcopis in Concilio nulla ratione permittitur.* Concil. Saleguſtadienſe *Can.* 20. deſcribens ordinem ſynodi, *Deindè conuenientes presbyteri omnes intrent & ſecundum ordinationis ſuæ tempus reſideant; poſt hos ingrediantur Diaconi probabiles, quos ordo popoſcerit intereſſe.* Denique perpetuum vbique fuit presbyteros apud Epiſcopos ſedere, adſtare Diaconos. Conc. Carthagin. IV. *Can.* 34. *Epiſcopus in quolibet loco ſedens ſtare presbyterum non patiatur.* Et refertur *Can. Epiſcopus* 95. *diſtinctione. In conſeſſu tamen & Concilio presbyterorum ſublimior ſedeat, intra domum vero collegam ſe presbyterorum eſſe cognoſcat*, vt ait citatum Concil. Carthagin. *cap. ſeq.* 35. & refertur *eadem diſt. cap.* 10. & ab Iuone *part* 5. *c.* 337. Quare in conſtitutionibus Apoſtolicis ſic ſtatuitur, κείσθω δὲ μέσος ὁ τοῦ ἐπισκόπου θρόνος παρ' ἑκατέρα δὲ αὐτοῦ καθεζέσθω τὸ πρεσβυτέριον, καὶ οἱ διάκονοι παρεστάθωσαν, ſolium ſiue thronus Epiſcopi in medio poſitus ſit, & ex vtroque eius latere ſedeant presbyteri, & adſtent Diaconi; & ideò in ſynodis Epiſcopalibus, in quibus ſoli Epiſcopi cum ſuæ parochiæ præsbyteris adſunt, ſublimior ſedes Epiſcopo ponitur, cuius ritus rationem reddit Aug. *in Pſalm.* 125. *Vigilabat quantum poterat ſuper eos quibus præerat, & Epiſcopi hoc faciunt; nam adeò altior locus poſitus eſt Epiſcopis, vt ipſi ſuperintendant.* Qua de cauſa *Can.* 6. *luminoſo* 18. *q.* 2. ex Gregorio *lib.* 4. *Ep.* 41. ad Caſtorium Ariminenſem Epiſcopum, prohibetur Epiſcopo cathedram in Monaſterio collocare, ne aliquam poteſtatem imperandi exercere videatur.

19 Ab Epiſcopis ad ſynodum Prouincialem venientibus nihil exigere poterant Metropolitani, qui illos euocarant, neque à presbyteris ad Concilia venientibus eulogias petere eorum Epiſcopi. De Epiſcopis ita ſanxit ſynodus 7. *Can.* 6. *Non habeat*, inquit, *Metropolitanus licentiam ex his quæ defert Epiſcopus ſecum ſiue iumentum, ſiue aliam ſpeciem expetendi. Quod ſi hoc egiſſe conuictus fuerit, ſoluat quadruplum.* Petrus Damiani *lib.* 2. *Epiſt.* 2. ad Cardinal. quæ eſt opuſculum 31. queritur hac de re his verbis: *Vidi planè dum Epiſcopalis apicis officio fungerer, quemdam de fratribus noſtris (nomen quidem ſupprimo, vitium noto) qui ſic ſubſultabat, atque gliſcebat, dum præfixum ſynodalis Concilij tempus inſiſteret, ac ſi trituræ, ſiue vindemialis prouentus articulus immineret: accingebat enim ſe muneribus colligendis; ad quos vtique præcidendos non aciem ferri, ſed falcem exacuebat eloquij, qui etiam huius fraudis habere pſeudo dicebatur Apoſtolos, qui nimirum pecunias hinc inde corraderent, eaſque marſupiis iam tumentibus infercirent.* E contrariò verò laudat S. Rodolphum Eugubinum Epiſcopum *cap.* 3. eius vitæ, quam ſcripſit, quòd congregans annualiter ſynodum, nullum aſſuetæ oblationis, vel Xeniorum Canonem à Clericis exigi permittebatur, ſed nec à lapſis quidem commodum aliquod præter pœnitentiam requirebat. *Abſit*, inquiens, *vt ſynodum vendam: lapſos etiam potius erigam, quàm ex eorum cadaueribus coruino more pingueſcam.* Damnat & hunc morem Hincmar. *Epiſt.* 46. quod non impediebat quòd quidpiam ad impenſas ſynodi debitum daretur. Quare Laudericus Pariſienſium Epiſcopus in priuilegio immunitatis dato Monaſterio S. Dionyſij eximit omnes Clericos ad Altaria, & Eccleſias S. Dionyſij ſpectantes *ab omni* debito ſynodorum. Fulbertus *Epiſt.* 58. *Dixit, ſynodum Epiſcopo meo ab Eccleſiis ſoluendam.* & idem ſtatuit ſynodus Tholoſana ſub Victore II. Pontifice. *Et de eulogijs à presbyteris non deferendis habes conſtitutionem Leonis IV. ad Epiſcopos Britanniæ, cap.* 3. *& refertur Can.* 8. *diſt.* 18. *De eulogijs ad ſacra Concilia deferendis. Nihil inuenimus à maioribus terminatum, ſed ſicut vnicuique presbytero placuerit: nam ſi conſtitutum fuerit illo in tempore benedictiones offerri forſitan minus libenter ad ſynodos occurrent, & magis venire obtrectabunt, quæ, vt arbitror, non ſunt rationabiliter quærendæ, nec vltro delata reſpuendæ.* Vides Leonem has eulogias interpretari Benedictiones: ſic 1. *Reg. cap.* 25. & 27. *Accipe benedictionem hanc quam attulit ancilla tua,* εὐλογίαν Abigail ad Dauidem (inquit) quamuis enim plurima alia etiam in ſacris ſignificet *eulogiæ* vox, vt panem benedictum, qui ad vnitatem communionis, ſignificandam mitti ſolebat, in Concili. Nannetenſ. *capite* 9. & apud Burchard. *lib.* 5. *cap.* 27. & in Concilio Laodiceno *cap.* 14. vbi prohibetur ne ſancta inſtar Eulogiarum in feſto Paſchæ in alias parochias tranſmittantur. Itaque eulogia ibi diſtinguitur ab Euchariſtia, quæ tamen aliàs dicitur Eulogia myſtica à Cyrillo, *Ep. ad Neſtorium*, & à Maximo in Dionyſium *cap.* 3. *de Eccleſiaſtica Hierarchia.* Vulgò tamen pro Xeniolo, quod hoſpitibus vel aliis amicitiæ vel obſeruantiæ & cultus gratiâ dabatur, & illas idcircò exigi ab archipresbytero vetat Hincmar. in capitulis datis an. 854. *cap.* 5. *Nolite quaſi pro aliquo adiutorio, ad quamcumque rem denarios vt apud presbyteros poſtuletis, neque quando ad ſynodum vel pro inquiſitione ſui miniſterij ſeu pro chriſma accipiendo venerint, Eulogias exigatis; ſed ſi cui fortè fuerit commodum pro ſua voluntate & commoditate aliquid gratis offerre, cum gratiarum actione accipite: tempore enim congruo presbyteris licet Eulogiis honorare, & viſitare Epiſcopum.* Concilium Meldenſe anno 845. licèt *cap.* 45. prohibeat Epiſcopis aliquid propter ſacrum Chriſma muneris accipere, addit tamen: *Decet tamen*

presbyteros eum voluntariis Eulogiis tempore congruo viſitare, & venerari ſuos Epiſcopos.

20 Tempus cogendis Conciliis œcumunicis nullum vnquam certum & determinatum fuit, ſed pro vrgente Eccleſiæ neceſſitate, vbi licuit, conuocatũ fuit à Rom. Pontif. cum Imperatorum ope & authoritate, vti aliàs oſtendimus: quare ante Nicænũ nulla eiuſmodi fuere, cùm ſæuiente perſecutione Infidelium, non liceret Epiſcopis in vnum conuenire. Vnde variæ natæ hæreſes quæ variis in locis graſſabantur, & vbi in vno damnatæ & extinctæ videbantur, in altero infelicia germina repullulabant, vti fuſiùs explicat Iſidor. *lib. Etymol. c.* 16. & refertur *Can.* 1. 15. *diſtinct.* & Ælfricus in Canonibus ad Vulſinum Epiſcopum *tom.* 1. *Concil. Angliæ, cap.* 2. & Balzam. in princip. Synodi Nicænæ, ipſéque Cyprian. *Ep.* 52. nihil audet certum ſtatuere de lapſis, donec reddita Eccleſiæ pace coacto Epiſcoporum Concilio, liceat communi collatione certi quidpiam ſtatuere. Sic igitur ſcribit ad ad Antonianum vnum ex Numidia Epiſcopum: *Quamquam nobis in tam ingenti negotio placeat, quod & tu ipſe tractaſti, priùs eſſe Eccleſiæ pacem ſuſtinendam, deinde ſic collatione Conciliorum cum Epiſcopis Preſbyteris, &c. lapſorum tractare rationem, &c. ſecundum tamen antè fuerat deſtinatum perſecutione ſopita, cùm data eſſet facultas in vnum conueniendi.* Itaque non licuit neque Concilia generalia tunc habere, neque illis certa tempora præfigere. Vide Euſeb. *lib.* 8. *capite* 17. & *lib.* 10. *cap.* 8. & 9. Nicephorum *lib.* 7. *capite* 24. & alios. Quare non niſi poſt Nicænum ex venia Conſtantini, & conſequentium Imperatorum Chriſtianorum licuit conuentus generales & œcumenicos agere, nulli tamen illis habendis præſcripti ſunt dies.

21 Prouincialibus verò ſynodis præfixi ſunt termini: nam *Canon.* 4. Nicæn. bis quotannis haberi voluit primò quidem ante Quadrageſimam Paſchæ, ſecundò verò circa tempus Autumni. Idem ſtatuitur *Can.* 37. *Apoſtolorum*, qui primum conuentum agi iubet, quarta ſeptimana Pentecoſtes, id eſt quarta ſeptimana poſt feſtum Paſchatis, quod Gotofredus *in Iuſtiniani Nouell.* 137. *cap.* 4. interpretatur *Quarta ſeptimana*, id eſt die Mercurij, cùm legendum ſit *quarta ſeptimana*, verba enim illius nouellæ deſumpta ſunt ex Canone Apoſtolico citato, & ex ſimili Canone Antiocheno, & totum ſpatium quinquaginta dierum interiectum inter Quadrageſimam & feſtum Pentecoſtes nominatur hoc loco atque alibi feſtum Pentecoſtes. Tertullian. *lib. de Idololatria*, *cap.* 14. nam *Ethnicis ſemel annuus dies quiſque feſtus eſt, tibi octauo quoque die excerpe ſingulas ſolemnitates nationum, & in ordinem texe, Pentecoſtem implere non potuerunt.* Eodem modo per omnem Pentecoſten dixit, Auguſtin. *Epiſt.* 119. *ad Ianuarium*, Irenæ. *orat. de Paſcha* quam allegat Iuſtin. *in quæſt. & reſponſ. ad Ortodoxos cap.* 115. Epiphan. *in Epitom. Cathol. fidei.* Baſili. dè Spiritu ſancto, *cap.* 27. Denique Canon. 20. Nicænus prohibet die Dominica & die Pentecoſtes orare flexis genibus. Canon igitur iubet agi Prouincialem ſynodum quarta ſeptimana Pentecoſtes, id eſt quarta ſeptimana poſt feſtum Paſchatis. 2. an verò menſe Octobri, quod ipſum Canon Antiochenus imperat, vt inter decreta Leonis I. habetur *Titulo* 7. deindè tamen ſemel tantùm haberi in anno indulſit Iuſtinian. *nouell.* 137. ſynodus Trullana *cap.* 8. & 7. Synod. quæ fuit II. Nicæna *c.* 6. & renouare ſe dicit definitionem VI. ſynodi, ſenſim tamen Epiſcoporum oſcitantia celebrari hæc Concilia Prouincialia defierunt: qua de re queritur ſynodus Chalcedon. *cap.* 19. *Peruenit ad aures noſtras quòd in Prouinciis ſtatuta Epiſcoporum Concilia minimè celebrentur, & ex hoc plurima negligantur Eccleſiaſticarum cauſarum, quæ correctione indigent.* Perſeuerauit tamen ea negligentia, de qua etiam querelas innouat poſt annos 80. Iuſtinian. *nouella* 137. *cap.* 4. *Quando autem quod in Canonibus cautum eſt de ſynodis ſanctiſſimorum Epiſcoporum per ſingulas Prouincias congregandis, hucvſque minimè obſeruatum eſt.* Zonaras *in Can.* 5. *Nicænum* obſeruat ſua ætate, id eſt anno milleſimo centeſimo octuageſimo nuſquam in Oriente ea concilia haberi, idémque de ſua ætate Balſam. *in eund. Canonem* teſtatur, anno MC. XC. & deindè Matth. Blaſtes qui viuebat anno M. CCC. diutiùs earum ſynodorum vſum retinuit Occidens vſque ad nonum ſæculum, poſt quod ſenſim defluxit, cuius rei cauſam inquirit Marca *lib.* 6. *Concord.* Illum deindè vſum innouauit Innoc. III. in Concilio Lateranenſ. ſed non magno fructu, vt teſtatur Durand. Mimatenſis *tractatu de modo celebrandi Concilij, rubri.* 2. Lateranenſis Concilij decretum æmulata eſt ſynodus Baſilenſis, & multò acrius Trident. *ſeſſ.* 24. *de reformat. c.* 2. non ſine per aliquot annos effectu. Has Conciliorum leges æmulatum eſt edictum Bleſenſe *Artic.* 20. & 24. hactenùs tamen quoad hanc partem inutile. Iam olim frequentes fuerunt iſtæ ſynodi in Gallia: nam Retenſis anno 439. & Arauſicana anno 441. bis anno haberi voluerunt: deindè tamen variatum eſt, nam Aurelianenſis II. iubet vt *Metropolitani ſingulis annis Comprouinciales ſuos ad Concilium euocent.* Eſt verò habita illa ſynodus anno 533. & nouellæ Iuſtiniani anno 541. ſancitæ fuerunt: quare ab illis hunc Canonem Aurelianenſem acceptum fuiſſe male omninò dixerunt aliqui: exiſtimarim potiùs tum hanc ſynodum, tum Iuſtinianum, in ea temporis præſcriptione imitatos fuiſſe ſynodos Africanas, quæ conſtituerunt ſemel in anno generale Concilium Africæ celebrari. Toletanum III. *cap.* 8. propter varia incommoda permittit vt ſemel tantùm in anno conueniant Epiſcopi; non abrogat tamen antiquos Canones de cogendis bis in anno ſynodis, *Vt ſtante priorum authoritate Canonum, quæ bis in anno præcipit congregari Concilia, conſulta longinquitate itineris, & paupertate Eccleſiarum Hiſpaniæ ſemel in anno in locum, quem Metropolitanus egerit, Epiſcopi congregentur.* Gregor. *lib.* 7. *reg. Epiſt.* 110. ad Epiſcopos Galliarum id ipſum illis permittit. *Et quidem quod habendo bis in anno Concilio Patrum ſit regulis ſtatutum, non latet; ſed ne forte aliqua impleri hoc neceſſitas non permittat, ſemel tamen in anno, ſine excuſatione aliqua decernimus congregari, vt expectatione Concilij nihil prauum, nihil præſumatur illicitum: nam plerumque, etſi non amore iuſtitiæ, metu tamen examinis abſtinetur, ad hoc quod omnium notum eſt poſſe diſplicere iudicio.* Longè poſt Gregorium Carolus *lib.* 1. *Capitul. tit.* 13. allegato Concilio Antiocheno, & Chalcedonenſi iubet vt Prouinciales Epiſcopi cum ſuo Metropolitano bis in anno propter cauſas Eccleſiæ Concilia *celebrent*; hæc tamen piiſſimi Principis voluntas, propter ſubſequutos non multò poſt eius obitum tumultus executioni mandari diu non potuit; vnde grauem authoritatis Epiſcopalis contemptum, & prauos Clericorum mores ortos, & & importunam ipſiuſmet Imperatoris moleſtiam, dum cotidianis Clericorum qui Epiſcopis obedire detrectant, querelis pulſatur, queritur Concilum Pariſien. VI. *cap.* 10. quare rogant vt illi cogi debeant vel bis, vel ſaltem ſemel in anno, *ob id Eccleſiaſticæ vtilitati magnum diſpendium & Principalibus auribus, inſolens impedimentum, & multorum impunitas flagitiorum enaſcitur.* Et mox: *ſi hæc ſemel in anno per*

vnamquamque Prouinciam celebrata fuerint, & honor Eccleſiaſticus vires ordinis ſui obtinebit & impudentia quorumdam ſuperborum Clericorum, quæ paſſim authoritate Canonica calcata auribus Imperialibus moleſtiam ingerit, ceſſabit. Omnes denique vt in ipſis Conciliis adſint presbyteri & Diaconi & omnes qui ſe læſos exiſtimãt, & ſynodi experiantur examen. Quæ verba ſumpta ſunt ex *Canone* 20. Antiocheno. Idem omninò poſtulauit ſynodus Lingonenſis anno 858. à Carolo Caluo, tandem Innocent. III. & edictum Bleſenſe triennium præſcripſerunt; quæ tamen omnia nunc deſiiſſe videmus, neque noſtrum eſt huius ceſſationis cauſas, quæ plurimæ cæque non leues afferri poſſent, inquirere.

22 De loco ſynodorum nihil habeo dicere, cùm nihil fuerit definitum, nam Oecumenicæ cogebantur in loco commodiori quem eligebat Imperator ferè Romani Pontificis rogatu ſiue in Oriente, ſiue in Occidente prout rerum tractandarum neceſſitas, vel opportunitas poſtulabat: quare diuerſis in locis celebriores quoque celebratas eſſe videmus; quoad ſynodos Prouinciales, illud certum, fuiſſe Metropolitani locum aſſignare, & ad eum comprouinciales Epiſcopos litteris euocare, ſicut & Epiſcopi fuit ad ſua Epiſcopalia Concilia ſuos presbyteros, & Parochos, quo libuerit, intra ſuam parochiam loco cogere, ad nationalia Concilia ferè locus certus deſignabatur ex venia principis aut authoritate, quare, cùm hac in re nihil difficultatis ſuperſit,

23 Venio ad ſynodorum materiem, ſiue ad res in ipſis tractandas; atque imprimis certum eſt res iam definitas & certas non eſſe tractandas, neque quæ iam ſtatuta ſunt temerè & abſque grauibus cauſis immutanda etiam à Conciliis œcumenicis. Quod de ſynodis Prouincialibus verius multò erit: lege Hincmar. *in opuſc.* 55. *Capitulor. cap.* 34. *Prouinciales,* (inquit) *quæ in nullo ſunt dubia, vel obſcura, de quibus definitiuas ſententias quæ nulla poſſunt ratione auelli à ſanctis patribus promulgatas habemus, ſynodale conſultum, vel Coëpiſcoporum Prouinciæ noſtræ conſilium, vel conſenſum non debes expectare, nec à regulis præſtitutis, vlla aut negligentia aut præſumptione diſcedere, nec etiam ſedem Apoſtolicam inde requirendo inquietare.* Quod probat ex ſancto Innocentio *Ep.* 57. *ad Macedoniæ Epiſcopos,* & *Epiſt.* 3. *ad Felicem Epiſcopum Nucerianum* Zozimo *Ep.* 1. *ad Heſychium* ex Cœleſtino, Leone, Hilario, Gelaſio & Gregorio, qui ſemel definita retractari vetuerunt, ex quibus audi vnum Gelaſium *Ep.* 11. *ad Epiſcopos Dardaniæ: Patres* (inquit) *noſtri, Catholici videlicet, doctique Pontifices in vnaquaque hæreſi quolibet tempore ſuſcitata, quidquid pro fide, pro veritate, pro communione Catholica atque Apoſtolica ſecundum ſcripturarum tramitem prædicationémque maiorum facta ſemel congregatione ſanxerunt, inconuulſum voluerunt deinceps firmúmque conſtare, nec in eadem cauſa quæ præfixa fuerant retractari, qualibet recenti præſumptione permiſerunt, ſapientiſſimè peruidentes, quoniam ſi decreta ſalubriter cuiquam liceret iterare, nullum contra ſingulos quoſque prorſus errores ſtabile perſiſteret Eccleſiæ conſtitutum, ac ſemper eiſdem furoribus rediuiuis, omnis integra definitio turbaretur: nam ſi limitibus etiam præfixis ſynodalium regularum non ceſſant eliſæ peſtes, reſumptis certaminibus contra fundamentum ſeſe veritatis attollere & ſimplicia quæque corda percutere, quid fieret, ſi ſubindè fas eſſet perfidis inire concilium, cùm quæ nollet illa manifeſta ſit veritas, nunquam deſit quod pernicioſa depromat falſitas: & ſi ratione vel authoritate deficiens, ſola tamen contentione non credens,* &c. Et ne de damnatis tantùm hæreſibus, Gelaſium interpreteris, ſubdit Hincmar. *Et ſi volueris hoc tantùm de ſuſcitatis hæreſibus intelligere, pariter quoque quod dicit intellige* (*Auctore inquiens cuiuſlibet inſaniæ ac pariter errore damnato ſufficere iudicarunt, vt quiſque aliquando huius erroris communicator exiſteret, principali* ſententia damnationis eius eſſet obſtrictus.) *Quæ enim maior poteſt eſſe veſania, vel quis deterior error, aut grauius contra catholicam Eccleſiam ſchiſma, quàm ſanctorum Conciliorum, & Apoſtolicæ ſedis decreta contemnere & leges, quas probat Eccleſia, conculcare, & Chriſtianam pietatem abdicare, & innoxios contra omnes leges diuinas & humanas gradu ac communione priuare, atque ex proprio crimine innocentibus in mortis vrgentis periculo per baptiſmi gratiam non ſubueniri, obeuntibus, & pereuntibus gratiam communionis denegari, mortuis ſepulturæ humanitatem non tribui? Quidquid ergo* (inquit Gelaſius) *pro fide, communione, & veritate Catholica, atque Apoſtolica Maiores noſtri promulgauerunt, non fuerunt nouis poſt hæc retractationibus mutilari, ne prauis occaſio præberetur, quæ medecinaliter ſtatuta fuerũt, pulſandi: ſed generaliter auctore cuiuſlibet inſaniæ ac pariter erroris damnato ſufficere iudicarunt, vt quiſque aliquando huius erroris communicator exiſteret, principali ſententia damnationis eius eſſet obſtrictus: quoniam manifeſtè quilibet vel profeſſione ſua, vel communione poſſet agnoſci.* Alia plura ex eodem Gelaſio *ibidem* adiicit Hincmarus qui & nouis & emergentibus rebus nouas conſtitutiones requiri, quæ nec Euangelicæ veritati, nec decretis ſanctorum contrariæ ſint, docet, & pluribus oſtendit ex eodem Gelaſio, maximè *ex Epiſt.* 2. cuius plurimas plagulas inſerit, vt illud: *Cum nouæ eſſent cauſæ, noua debuit Eccleſiaſtica preuenire diſcuſſio.* Et illud: *Nouæ* certæ erant cauſæ, & his conſequenter noua *ſynodus debebatur.* Affert denique ex Concil. Carthaginenſi I. *Can.* 13. *Nouellæ ſuggeſtiones, quæ vel obſcura ſunt, vel ſub genere latent, inſpecta à nobis formam accipient. Caeterùm de quibus apertiſſimè diuina Scriptura ſanxit, non differenda ſententia eſt, ſed potiùs exequenda.* Huc etiam pertinent quæ idem Hincmarus ad Synodum Sueſſionenſem ſcripſit, quæ eruditus Sirmundus ex Codice Laudunenſi, *tomo* 3. *Conciliorum Galliæ* inſeruit, & in noua, quam adornauit, operum Hincmari editione, inter Epiſtolas recenſuit 18. 19. 20. & 21. quæ poſtrema Epiſtola, maximè contendit non debere abſque graui neceſſitate mutari quæ ſemel in Conciliis ſtatuta vel iudicata fuere, quod varia Conciliorum ipſorum auctoritate confirmat. Atque hæc in ſynodis maximè prouincialibus cum iam definita ſint & conſtituta, retractari non debent, niſi grauis neceſſitas & inſigne bonum Eccleſiæ ita poſtulet, vt vel iam ſtatuta denuò confirmentur, vel aliqua ratione molliantur vel ſubobſcura & dubia magis explicentur: quæ verò tractari poſſunt, & debent ad tria capita licet reuocare, fidem nimirùm Catholicam, diſciplinam Eccleſiaſticam, & iudicia. Quæ omnia à ſynodis tractata videmus, & quidem quoad fidem errores omnes & hæreſes ſtatimatque exortæ ſunt à ſynodis etiam Prouincialibus damnatæ primùm ſunt: deindè à ſede Apoſtolica & à Conciliis œcumenicis, quæ tamen ſemper ad eam damnationem non neceſſaria fuiſſe oſtendimus aliàs, cùm trecentis annis, quibus nullum Concilium œcumenicum ante Nicænum primum cogere licuit, plurimæ hæreſes emerſerint, & damnatæ fuerint, neque in iis recenſendis & ſynodis ac Pontificibus, à quibus damnatæ ſunt, immorandum videtur, cùm res obuia ſit, & legenti annales paſſim occurrant, & ex ſingularum ſynodorum argumentis & cauſis eas cogendi, pateat. De diſciplina Eccleſiaſtica ſancienda, reſtituenda, & continenda agi in ſynodis, dubitari nequit,

nequit cùm hic præcipuus earum agendarum ſit finis, & omnes Canones ac leges ab ipſis conditæ non aliò ſpectent : hæc verò diſciplina vel eſt toti Eccleſiæ communis, & à Synodis Oecumenicis ſancitur, vel alicui Prouinciæ, vel Diœceſi particularis, & de ea ſtatuunt Synodi Prouinciales, vel Diœceſanæ : vel continet ſtatuta quædam priuata, quæ à Synodis Epiſcopalibus, &, vt aliqui nominant, ciuilibus conduntur, modò neque Oecumenicis neque Prouincialibus repugnent : qua de re dicemus *cap. ſequenti.*

24 De iudiciis quoque circa Epiſcoporum & Clericorum cauſas, negotia, atque obiectis criminibus & excitatis aduersùs illos querelis in Synodis tractatis dubitare non licet, ſed de his omnibus dabimus tractatum integrum *tomo* 3. vbi agemus de iudiciis Canonicis; & cum ea materia ad diſciplinæ Eccleſiaſticæ cognitionem maximè neceſſaria ſit, & varia, non videtur occupanda hoc loco & in partes variis locis diſſecanda, ſed tota ſimul ſuo loco tractanda, quod, propitio Numine, ſi vita ſuperſit, præſtabimus accuratiùs. Intereà conſule Marcam *libro* 6. *concord. capite* 20.

Nequid verò definiretur in Synodis aduersùs diuinas Scripturas, vel Canones antiquos, vel regulas à Patribus, vel veteribus Synodis probatis, collocabatur in medio Euangelium, & veluti Christus ipſe, vt habetur in Synodo Epheſina *Act.* 3. Chalcedon. *Act. I. in IV.* Synodo *Act. I. & II.* in Synodo VII. *Act.* 1. *&* 8. Synodo VIII. *Act. I.*

Exhibebatur & Codex Canonum diuerſorum vt in Epheſina *Act. I.* inde ſæpius publicè lecti ſunt Canones, vt in Chalcedon. *Act. IV. quartus & quintus* Synodi Antiochenæ, & *Act. V.* lectus eſt IV. Canon Nicenus, in Synodo VII. ſæpiùs lecti ſunt varij & maxime *Act.* 10. Canones relati ſunt, idemque colliges factum ex Synodo IV. Toletana *cap.* 1.

Omnia porrò acta ſcribebantur à Notariis quæ tamen ſæpiùs à Græcis falſata & corrupta eſſe conſtat, multa quoque in multis conſtat : vnde variæ difficultates exortæ ſæpiùs turbarunt Eccleſiam, de quibus ſuis locis, ne omnia in vnum locum conſtipare, non ſine rerum perturbatione, videamur : ſingillatim verò hæc indicabimus *IV. tomo*, vbi in ſingula Concilia notas perpetuas, & ſcholia pollicemur.

25 Vt verò quæ Patres tanta cura & ſapientia deliberauerant rata deinceps forent, leges certas ſanciunt, & Canones conſtituunt, quod notauit Sozomen. *lib.* 1. *cap.* 22. Nicephor. Calliſt. *lib.* 8. *cap.* 19. & alij. Satis nobis ſit Socrat. *lib.* 1. *cap.* 13. Græco, *τότε δὲ ἐν τῇ συνόδῳ ἐπίσκοποι, καὶ ἄλλα τινὰ ἐγγράψαντες ἃ κανόνας ὀνομάζειν εἰώθασιν.* Photius *in nomocan. tit.* 1. *cap.* 4. non ab vno, ſed à pluribus Epiſcopis edendos ait, quod ipſum neceſſarium eſſe dixit Baſili. *Epiſt. ad Amphiloch. Can.* 4. Quare Nazian. *Epiſt. ad Letocium Can.* 6. negat ſibi ſoli eſſe poteſtatem condendi Canonem, & quò maius eſt eiuſmodi Concilium eò maior eſt Canonis auctoritas, & illi parendi obligatio; quæ quanta ſit explicabimus *lib. ſeq.* Interea adi Auguſtin. *lib.* 2. *de baptiſmo cap.* 3. & *Epiſt.* 48. ad Vincentium, vbi diſtinguit ſcripta ſanctorum Hilarij, Cypriani & aliorum ab auctoritate Canonis, vti etiam refertur *Can.* 9. *diſt.* 9.

26 Cæterum κανὼν & ὅρος, ſiue Canon aut regula, & definitio non ſunt planè idem; nam *Canon I.* Synodi Antiochenæ in Encæniis : *Omnes qui auſi fuerint definitionem τὸν ὅρον ſancti & magni Concilij, quod apud Nicaam congregatum eſt, &c. de ſalutiferâ ſolemnitate Paſcha ſacratiſſimè*, excommunicandos, *& de Eccleſia pellendos eſſe cenſemus.* Ita reddidit Dionyſi. Exiguus, & tamen in XX. Canonibus Nicænis, nihil de ea ſolemnitate Paſchæ inuenitur. Atticus in Concilio Chalcedonenſi, circa finem Concilij typum formatarum litterarum à Synodo Nicæna inſtitutum dicit, & Ambroſi. Epiſt. ad Vercellenſem Epiſcopum ait Patres in eodem Concilio Nicæno Paulo prohibenti bigamiam in presbyterum aut Epiſcopum ordinari addidiſſe, neq; Clericum quemquã eſſe debere, qui ſecundum coniugium ſit ſortitus; hæc tamen omnia abſunt à Canonibus Nicænis. Plura alia ad probandum diſcrimen harum duarum vocum habet Ioann. Dartis *in commentar. diſt.* 15. & 16. *pag.* 56. docetque vocem ὅρος vſurpari, etiam vbi nulli ſunt Canones. Quare videntur, ὅροι pertinere ad varios tractatus de fide, ad diatypoſes, ad ſermones dogmaticos, ad λόγους διδασκαλικούς. Quæ igitur in longioribus tractatibus & diatypoſibus concludebantur ὅροι & definitiones dicebantur; regulæ verò quæ ad diſciplinam conſtituebantur, nominabantur Canones, quamquam ſæpiùs iſtæ voces promiſcuè & indiſcriminatim vſurpabantur. Exempla habes in Synodo Chalcedonenſi & aliis, quæ collegit Dartis & plurima alia circa vocem *diatypoſis*, quæ vox non fuit ignota Græcis Rhetoribus, ſed in his hærendum diutiùs non videtur. 27

Omnibus à Synodo definitis & conſtitutis atque in ſcriptum redactis, ſubſcribebant imprimis Epiſcopi, qui præſentes erant, ſed non eſt in his perpetuò ſeruatus idem ordo & modus: nam in primo Nicæno & ſecundo Conſtantinopolitano appoſuerunt tantum proprium nomen, & propriæ ſedis, vt Alexander Alexandriæ, Euſtachius Antiochenus, & ita deinceps. Nullum etiam ſeruarunt ordinem inter Epiſcopos, ſed ſolum Prouinciarum, vt Epiſcopi Alexandriæ ſubiecti primi ſubſcriberent, deindè Epiſcopi Antiochiæ ſubiecti. 2. deindè ſcripſerunt ſe gratia Dei, vel diuinâ miſeratione Epiſcopos, v. g. in Synodo Epheſina, *Acacius Dei miſeratione Melitenæ ſedis Epiſcopus :* in Chalcedonenſi, Seleucus Dei gratiâ Epiſcopus Metropolis Amaſios, χάριτι τοῦ θεοῦ : alij Dei miſeratione ἐλέῳ τοῦ θεοῦ. Scribebant aliquando ſe gratia Chriſti Epiſcopos, aut Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod etiam aliquando vſurpant non Epiſcopi, ſed Diaconi tantùm vel presbyteri Epiſcoporum legati, vt in VI. Synodo Hirenarchus, miſericordiâ Dei Diaconus S. Amaſtrinæ Eccleſiæ locum exhibens ſanctiComitij ſanctiſſimi Epiſcopi mei definiens ſubſcripſi, & in VIII. Synodo, Ioſeph miſericordiâ Dei Diaconus, & vices agens Michaelis Patriarchæ Alexandriæ; &, Ego Helias miſericordiâ Dei presbyter, & Syncellus locum complens Apoſtolici Throni, vbi Patriarcha eſt Theodoſius Hieroſolymorum. Nonnulli aliquid ſubtilius inquirunt cur in ea VIII. Synodo omnes Epiſcopi ſubſcripſerunt ſe miſericordia Dei Epiſcopos præter legatos Pontificios quorũ duos, nimitùm Donatus cum dixit ſe gratiâ Dei Epiſcopum Oſtienſem, & Stephanus gratia Dei Epiſcopum S. Nepeſinæ Eccleſiæ. Marinus verò tertius legatus & Diaconus non dixit ſe gratia aut miſericordia Dei Diaconum, vti ſubſcripſerat legatus Alexandrinus. 3. plures addebant ſuo nomine verba quædam quibus ſe indignos Epiſcopatu ſignificabant, v. g. ἐλάχιστος ἐπίσκοπος ἁμαρτωλὸς ἀνάξιος.

Subſcribebant etiam abſentes, ſed per legatos ſuos, & prætereà quia finito Concilio mittebantur Canones & definitiones in varias Prouincias & Eccleſias, quarum maximè intereſſe videbantur, vt vides in Concilio Epheſino & Chalcedonenſi propter damnationem Neſtorij Conſtantinopolitani Epiſcopi & Dioſcori Alexandrini; porrò ex Amanuenſium oſcitantia ſæpè in ſubſcriptionibus ordo perturbatus

fuit, quod obſeruat Cardinalis Perronius *in reſponſione ad regem Britanniæ, cap.*40. & Marca *lib.* 5. *concord. cap.* 2. maximè *num.* 8. quia aliquandò ſeruant ordinem perſonarum legatarum ad Synodum, aliàs tempus quo acceſſerunt Synodo, aliàs vitia in ſcribendis nominibus omnia corrumpunt,& perturbant. Exemplum habes in actis Latinis Epheſinæ Synodi recitatis in Chalcedonenſi *Actio.I.* in illis enim legati Pontificij Arcadius, Proiectus & Philippus recenſentur non modò poſt omnes Epiſcopos, ſed etiam poſt Beſſulam Diaconum, & legatum Carthaginenſem; & tamen in exemplaribus Græcis illius Concilij in omnibus actionibus, quibus interfuerunt perpetuò collocantur immediatè poſt ſanctum Cyrillum primum legatum Pontificium. Habemus & aliud huius perturbationis exemplum in ſubſcriptione Concilij Sardicenſis,quam hoc ordine factam refert Athanaſius Apolog. 2. *Oſuis ab Hiſpania, Iulius Romæ per Archidamum & Philoxenum Protogenes Sardicæ, &c.* Vnde aliqui colligunt Oſium non fuiſſe functum legatione Pontificiâ, in eo Sardicenſi Concilio, ſed falsò, cum non modò ipſe Athanaſ. & Sazom. *lib.* 3. *cap.* 11. contrarium affirment, ſed ipſamet Epiſt. Synodica Orientalium ὅσιος ἐπίσκοπος ὑπέγραψε, καὶ οὕτω πάντι, & allocutio Concilij Chalcedon. ad Marcianum Auguſtum de Sardicenſibus Epiſcopis dicat, καὶ τῶν μὲν ὅσιος ἐξῆρχε τῆς γνώμης. Deindè ſi non erat legatus, docere debent quâ ratione præfuerit Concilio, primúſque ſubſcripſerit & ante legatos Pontificios. Quare dicendum eſt in ea numeratione non fuiſſe ſeruatum ordinem dignitatum, nam in eodem Catalogo Neſſus Epiſcopus Africanus collocatur ante Gratum Epiſcopum Carthaginenſem, & totius Africæ primatem. Deindè non incongruam rationem eius ordinis,quo Oſius,qui non erat niſi legatus,collocatur ante Iulium, cuius cum Archidamo & Philoxeno legatus erat,reddit Perronius *in reſponſione citata c.* 35. imprimis quia Oſius ſubſcripſit immediatè & ſua manu, quia præſens interetat, Iulius autem mediatè dumtaxat & per manum ſuorum legatorum. Deindè Epiſcopi, etiamſi aliorum Epiſcoporum legati eſſent, ius habebant ſubſcribendi ſuo nomine, & non tantùm acceptâ auctoritate eorum à quibus miſſi erant, non verò presbyteri, qui non niſi alieno nomine & auctoritate ſubſcribebant, & definiebant, ideoque aliquando Epiſc. aliorum legati ſuo nomine ſubſcribebant, neq; in ſubſcribendo addebant ſe aliorũ legatos,ne viderentur ſignificare,ſe alienâ tantùm auctoritate & non proprio iure ſubſcribere, & vnà cum aliis iudicare, cum facta illis delegatio nullum ius illis tribueret quod ante non haberent: neque opus erat ſignificare, ſe & ſuo, & alieno quoque nomine aſſidere Concilio,cùm id iam antè Synodo conſtaret, non ipſo initio litteras legationis ſuæ offerebant, quæ in acta referebantur, quod ex Concilio Epheſino & Carthaginenſi perſpicuum fit, indeque apparebat an ſuo, an alieno nomine agerent. Quare cùm ſcirent ſibi liberum eſſe ſuffragium proprio nomine ferre, illud faciebant, minùs ſolliciti de impoſita legatione,cùm de ſuffragio ipſos delegantis dubium nullum oriri poſſet, vbi illi ſuum præſtitiſſent. Sic in Synodo Epheſina Flauianus Philippenſium in Macedonia Epiſcopus ſententiæ aduersùs Neſtorium latæ ſubſcripſit nullâ factâ mentione legationis, quam à Rufo Theſſalonicenſium Epiſcopo & à Synodo Illyriciana acceperat: *Ego* (inquit) *Flauianus Philippenſium in Macedonia Epiſcopus vnà cum ſancta Synodo decernens ſubſcripſi.* At verò *Act. I.* Synodi Flauianus ille dicitur vices geſſiſſe Rufi Theſſalonicenſium Epiſcopi, qui morbo detentus accedere non poterat. Dum autem legatio commiſſa erat Presbyteris aut Diaconis, quia illi proprio iure aut nomine Synodo adeſſe, & cum illa iudicare, aut definire non poterant, nunquam etiam definitis rebus ſubſcribebunt, niſi tanquam alicuius Epiſcopi delegati,idque in ſua ſubſcriptione adiiciebant, vnde etiam natum eſt aliquod diſcrimen inter ipſos Pontificios & Romanæ Synodi legatos, quoties diſtincti & diuerſi erant, vt in ſexta Synodo obſeruauit Perronius *l. cit.* quia enim legati Concilij Romani aut Occidentis erant ſemper Epiſcopi,vt diximus, in ſua ſubſcriptione ſignificabant ſe ſimul definire. Sic in Concil. VI. *Act.* 18. Ιωάννης ἀνάξιος ἐπίσκοπος τῆς ἁγίας ἐκκλησίας πόρτυ, καὶ ληγάτος πάσης τῆς συνόδου τῆς ἁγίας καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου πόλεως ῥώμης ὁρίσας ὑπέγραψα. Legati verò Pontificij qui à ſolo Pontifice & non ſimul à Concilio Romano,aut Occidentali mittebantur, qui ex Synodo Epiſcoporum eligebantur, ſed ex Clero Romano, & ideò presbyteri tantùm erant, aut Diaconi, vti nuper monuimus, ita ſubſcribebant,vt à voce definiendi abſtinerent, & dicerent ſe ſubſcribere, non autem definire, vt in eodem Concilio Conſtant. *Act.* 18. *citata* Θεόδωρος ἐλάχιστος πρεσβύτερος τῆς ἁγίας ἐκκλησίας ῥώμης, καὶ τὸν τόπον ἐπέχων ἀγάθωνος, καὶ μακαριωτάτου, καὶ οἰκουμενικοῦ πάπα πόλεως ῥώμης ὑπέγραψα. Cùm igitur plurimùm intereſſet Athanaſij ſuffragia Sardicenſis Concilij, quod in eius cauſa Romani Pontificis iuſſu coactum erat, & cui nomine eiuſdem præerat Oſius, non minuere, ſed potiùs augere, dum numerum ſuffragiorum in indice ſubſcriptionum refert, Oſium quidem primo loco conſtituit,ſed non tantùm vt Pontificis legatum, qui ſuo iure & nomine ſuffragium non habeat, ſed tantùm iure Pontificis, cuius perſonam gerat,ſed tanquam ſuo proprio iure, nomine, & auctoritate Epiſcopali definientem & iudicantem: Archidamum verò & Philoxenum Iulij Pontificis legatos, & Presbyteros dumtaxat, qui nullum ius ſuffragij ex ſeſe habebant, ſed nomine dumtaxat Pontificis, cuius in ea Sardicenſi Synodo vices gerebant, & perſonam repræſentabant, Iulij nomine ſubſcripſiſſe, ſiue Iulium Romanum Pontificem, ſubſcripſiſſe tamen per Archidamum & Philoxenum presbyteros ſuos, & legatos. Subſcripſit igitur Oſius non tantùm nomine Pontificis, cuius erat legatus, ſed etiam ſuo, primo tamen loco, quem etiam in Synodo obtinuit, quia Pontificis legatus erat, & primus inter alios legatos, qui erant ſoli Presbyteri Romani, ipſe verò Epiſcopus. Quare vides in ea recenſione Athanaſij nihil eſſe quod vel de Romani Pontificis auctoritate detrahat, vt nugatur Caluinus, vel Oſio legati dignitatem in ea Synodo deroget, cùm, vti iam ſæpiùs monui, nihil eſſet cur primi loci in ſedendo & ſubſcribendo prærogatiua tribueretur Oſio, ſi illi legati Romani Pontificis eximiam dignitatem detraheret.

Peractis denique ſubſcriptionibus mittebantur à 28
Synodis legati tùm ad Romanum Pontificem, tùm ad Imperatores, & Principes, qui omnia in Synodo geſta referrent, & tùm Pontificis confirmationem vrgerent, tùm ab Imperatoribus ad illa exequenda auxilium impetrarent, & alia ſibi aliquandò negotia demandata tractarent. Hac ratione Calidonius & Fortunatus Epiſcopi ad Cornelium Pontificem & ad Romanam Eccleſiam miſſi ſunt à Synodo Carthaginenſi & à Cypriano ad componendam Eccleſiæ vnitatem quæ Nouatiani factionibus ſciſſa erat, & quæ legitima in ordinatione Cornelij geſta fuerant ad Africanos, vt poſſent ſine conſcientia cum illo communicare. Vide Cyprian. *Epiſt.* 42. & *Epiſt.* 45. *Cum ſtatuiſſemus collegæ quamplures, qui in vnum conueneramus*

ramus vt legatis ad vos Epiſcopis noſtris Calidonio & & Fortunato miſſis. Anno 401. decreta quoque eſt legatio à Synodo Carthaginenſi ad Anaſtaſium R.P. ad Venerum Mediolanenſem Sacerdotem,& ad Imperatores, vt Eccleſiæ Africanæ neceſſitatibus conſulerent: cùm enim anno 389. in Concilio generali Capuano prohibitum eſſet ne baptizati à Donatiſtis in Clerum aliquando reciperentur, ad eam inopiam redacta fuerat Africana Eccleſia, vt ne vnus quidem Diaconus etiam illiteratus reperiretur, ſcribunt ad Romanum Pontificem & Epiſcopum Mediolanenſem, ex quibus ſedibus, vt aiunt, hoc illis fuerat prohibitum, vt ſua etiam ope communi periculo prouideant: ita leges in *Codice Canon. Africanæ Eccleſiæ Can. 56. Canone* verò 57. vt infantes baptiſati, & deindè agnita veritate abhorrentes à Donatiſtis,& per manus impoſitionem in Eccleſiam Catholicam admiſſi,ordinari poſſint. Quoad Clericos autem, *qui correcto conſilio ad Catholicam vnitatem tranſire voluerint,in iiſdem gradibus recipiantur ab Epiſcopis.* Sic ſtatutum fuit in eodem Concilio Carthaginenſi, vt refertur *Can. 68. in eadem farragine Africana: Vt litteræ mittantur ad fratres & Coëpiſcopos noſtros,& maximè ad Apoſtolicam ſedem,* ϗ μάλιϛα πρὸς τὴν ἀποϛολικὴν καθέδραν, in qua ſedet Anaſtaſius, & Concilium quod id ipſum prohibuerat, ita interpretari poſtulant: *Non vt Concilium quod in transmarinis partibus de hac re factum eſt, diſſoluatur, ſed vt illud maneat circa eos qui ſic tranſire ad Catholicam volunt, vt per eos nulla vnitatis compenſatio procuretur, &c.* Miſſi quoque ſunt ab eodem Concilio legati ad Imperatores ad templa Paganorum delenda, & ad alia permulta, & anno 404.ab alio Concilio Carthaginenſi legati ſunt Theaſius & Euodius ad Imperatores & Magiſtratus aduersùs Donatiſtas anno 402. aduersùs eoſdem Paganos & hæreticos iniuncta eſt legatio Vincentio Fortunatiano: *Placuit*, inquit Canon 97. in eadem collectione, *vt legationem liberam habeant ad comitatum miſſi legati.* eſt verò ibi legatio libera,quæ liberis mandatis nullæ certæ formulæ adſtrictis conſtituitur, quod deinde explicatur *Can.* 106. Alia verò eſt legatio libera, *libro* 14. *C. de leg.* quæ viris clariſſimis à ſenatu vel principe dabatur honoris cauſa, vt in prouinciis ſuas res agerent. Quare *l. citata* Vlpianus ait, illos non reipublicæ cauſâ abeſſe, quia non publici commodi, ſed ſui cauſâ abſunt. Infinitæ porrò & paſſim obuiæ eiuſmodi legationes ſunt Orientalium Synodorum ſiue Oecumenicarum, ſiue non Oecumenicarum ad PP. RR. & Imperatores vt ad Liberium apud Athanaſ. Apolog. II. Lampſaceni Concilij ad Liberium apud Socrat. *lib.* 4. *cap.* 2. & plurium aliarum,quas recenſere nihil attinet.

QVÆSTIO VIII.

De Synodis Gallicanis.

Quando cœperunt, n. 1.
Cuius auctoritate olim cogerentur, n. 2.
Diuerſæ ea Synodi, n. 8. & 9.
Synodi regiæ, n. 16. & *ſeq.*

FRequentes in Gallia fuere Synodi ſiue Diœceſanæ ex omnibus aut pluribus ſimul Prouinciis, in quas Galliæ Diœceſis diuiſa erat, ſiue Prouinciales quæ à Metropolitano & Epiſcopis comprouincialibus habebantur. Quia verò propter frequentes mutationes Imperij Romanorum, Gothorum, Burgundionum,& Francorum aliquam quoque mutationem paſſa Eccleſiaſtica diſciplina maximè in cogendis celebrandiſque Synodis, in quibus idcircò ſingulares aliquandò difficultates occurrunt, de eiuſmodi Synodis pauca quædam ſeorſim explicare viſum fuit operæ pretium. Supponimus verò diuiſionem Prouinciarum tum ciuilium,tum Eccleſiaſticarum eandem ferè perſeueraſſe ſub variis illis principibus, quamvis vna eadémque Prouincia aliquando non modò Principes mutaret, ſed etiam vna illius pars vni principi, altera alteri ſubiaceret, prout principatuum & dynaſtiarum ſiue regnorum fines diuerſi erant, aut mutabantur, & non modò aliqui Gothorum, alij Burgundionum, alij Francorum Imperio parebant, ſed etiam exactis Romanis poſt expulſos Gothos Burgundionéſque deuictos & in ordinem redactos, vbi tota Gallia vni Francorum Imperio paruit, ipſi Franci in varias tetrarchias ſiue regna partiti ſunt: vnde & ciuilis & Eccleſiaſticæ politiæ mira ſæpius perturbatio nata eſt. Quare hæc diuerſa tempora & Imperia in hoc tractatu diligenter aduertenda erunt, vt in tanta perturbatione rerum, confuſionem quoque nos ipſi quantùm licuerit vitemus.

Et quidem imperantibus Romanis Diœceſanas Sy- 2
nodos habitas fuiſſe à Galliarum Epiſcopis in vnum corpus coactis probant Concilium Agripinenſe anno 34. ex Prouinciis Treuirenſi, Agripinenſi, Moguntina, Remenſi, Senonenſi, Rotomagenſi, & Veſontionenſi collectum, quod ſubſcriptiones demonſtrant, in quo Euphratus illius vrbis Epiſcopus propter Arianam hæreſim damnatus eſt. Anno deinde 353. Arelate Galliarum Epiſcopi Synodicè coacti Paulinum Treuirenſem Epiſcopum, quòd damnationi Athanaſij ſubſcribere noluiſſet, exauctorarunt. Huic Synodo Conſtantius Imperator, Valens, & Vrſacius, aliíque factionis Arrianæ principes aliíque Epiſcopi, & ipſe Saturninus Arelatenſis interfuerunt, & biennio pòſt iterum Biterris conuenientes S. Hilarium Pictauienſem agente Saturnino Arelatenſi exilio mulctarunt. Quæ duo Concilia Sulpitius *lib.* 2. Gallicanorum Epiſcoporum fuiſſe teſtatur, cùm ait: *Cæterùm à noſtris tum apud Arelatem,ac Biterras oppida Galliarum, Concilia fuêre.* Sed quòd in iis Conciliis peccatũ fuerat,emẽdatum aliqua ex parte eſt an. 362. quo eorundem Gallicanorum Concilium Pariſiis habitum eſt: in eo enim impia formula fidei Concilij Ariminenſis quæ vſiæ & conſubſtantialis nomina ſuppreſſerat, damnata eſt, & Saturninus Arelatenſis, ab Eccleſia eiectus, & Sede ſua depoſitus, vt conſtat ex Synodica huius Concilij, quam Gallicani Epiſcopi Orientalibus Epiſcopis omnibus per diuerſas Prouincias manentibus ſcribunt, à quibus & ipſi litteras de fide acceperant. Et Epiſtolam ſuam damnatione Saturnini ſic claudunt: *A quo etiam (Sacerdotio ſcilicet) Saturninum qui ſtatutis ſalubribus impiiſſimè contradixit ſecundum fratrum noſtrorum geminas iam litteras excommunicatum ab omnibus Gallicanis Epiſcopis Charitas veſtra cognoſceret, quem & vetera diſſimulata iam diu licet crimina, & cætera edita Epiſtolis ſuis nouæ temeritatis irreligioſitas indignum Epiſcopi nomine eſſe fecerunt.* Fuerat & paulò antè, anno nimirum 358. alia Synodus Gallia celebrata, teſte Hilario de Synodis ad Epiſcopos Gallos ſcribens: *Beatæ* (inquit) *fidei veſtræ litteris ſumptis gratulatus ſum in Domino incontaminatos vos & illæſos ab omni contagio deteſtandæ hæreſeos perſtitiſſe, & miſſam proximè vobis ex Sirmienſi oppido infidelis fidei impietatem non modò non ſuſcepiſſe, ſed nuntiatum etiam ſignificatum damnaſſe.* Sirmij nempè conſcripta fuerat formula fidei per

Oſium

Oſium & Potamium, quæ vocabula ὁμοούσιον & ὁμοιούσιον eiuſdem & ſimilis ſubſtantiæ reſpuebat; ait autem Hilarius *lib. cit.* Gallos Epiſcopos eam formulam reieciſſe illis ipſis diebus, quibus Epiſcopi Orientales vt eam examinarent Synodum Ancyranam collegerant: quod ex Epiſtola eius Synodi, quam refert Epiphan. *hæreſ.* 73. contigit circa tempus Paſchæ, circa quod Synodum Gallicanam celebratam eſſe ex Hilario oportet: locus nobis incertus eſt, cùm nullam eius Synodicam habeamus. Phæbadius Agiunenſis in Aquitania Epiſcopus *in lib.* quem contra Arianos ſcripſit, eandem formulam Sirmienſem, nuper, vt ait, ad Gallos miſſam per ſingula capita confutat.

Ex Synodo Illyriciana, cuius fidei profeſſionem refert Theodoret. *lib.* 4. *cap.* 8. habitam fuiſſe anno 364. Synodum Romæ, & eodem tempore aliam in Gallia, quarum fidem amplectuntur Illyriciani Epiſcopi, *Nos autem* (inquiunt) *non aliter ſentimus, atque duo Concilia, quorum alterum iam Romæ, alterum habetur in Gallia.* Quod Concilium non vnius tantum Gallicanæ Prouinciæ, ſed omnium Galliarum ſatis iudicatur. Itaque eiuſmodi Concilia Diœceſana celebrata ex corpore Epiſcoporum Galliæ ſtante Imperio Romano, non videtur eſſe amplius dubitandum.

2 Maioris difficultatis eſſe videtur, cuius auctoritate illæ Synodi Diœceſanæ ex omnibus Gallicanis Epiſcopis in vnum coirent, quiſve illis præſideret, & locum conuentus deſignaret. Suſpicantur aliqui ius illud fuiſſe penes Epiſcopum Treuirenſem, qui gauderet iure primi Metropolitani, adeoque poteſtate congregandorum omnium Epiſcoporum, eo quòd ciuitas Treuirenſis ſedes eſſet Præfecti prætorio Galliarum, & ab Athanaſio dicitur Metropolis Galliarum, eáque de cauſa plurimùm commendetur ab Auſonio in ſua Moſella, & cùm conuentus ciuiles quotannis ob negotia publica in eiuſmodi ciuitatibus agi ſolerent à præfectis prætorio, aut eorum iudicibus, probabile admodùm eſt in iiſdem vrbibus Metropolibus Epiſcopi Metropolitani auctoritate & Præfecti Prætorio permiſſione conuentus quoque Eccleſiaſticos Epiſcoporum habitos fuiſſe. Hoc ius cogendæ generalis Galliarum Synodi ſibi vindicauit Epiſcopus Arelatenſis, vbi exciſa ciuitate Treuirorum à Vvandalis Honorius ſedem Præfecti prætorio Galliarum Arelatem tranſtulit, quam & matrem omnium Galliarum nominat; & deinde conſtitutione à Cuſano, Scaligero, & Sirmundo edita, iubet conuentus ſeptem Prouinciarum ad ordinandam politiam ea in vrbe haberi. Erant verò illæ Prouinciæ, Viennenſis, Narbonenſis, prima, & ſecunda Prouincia Alpium Nouempopulania & vtraque Aquitania: & quia, vti obſeruauimus aliàs, quæ dignitas ciuilis inerat ciuitatibus, eadem ferè Eccleſiaſtica communicabatur, earum Epiſcopis, Arelatenſis Epiſcopus ſibi vindicauit dignitatem primi Metropolitani Galliarum, cámque dignitatem anno 417. ſibi Patroclus Arelatenſis à Zozimo R. P. vel concedi vel confirmari poſtulauit, qui aliquid ea in parte illi indulſit *Epiſt.* 5. prohibuit enim ne vlla omninò perſona Eccleſiaſtica cuiuſcumque gradus Romam proficiſceretur ſine formulis Arelatenſis Metropolitani. Quod ius eſſe priuilegium Metropolitani dicunt Canones Africani, Can. 23. verùm hoc priuilegium conceſſum eſt Patroclo, ſpeciali meritorum eius contemplatione; ac proinde perſonale fuit, neque ad ſucceſſores eius tranſmittebatur, & male omninò Epiſcopi Prouinciæ Arelatenſis in ſuo libello ad Leonem I. ita verba Zozimi explicant, vt omnes Gallias ſibi Apoſtolicæ Sedis vice mandata ſub omni Eccleſiaſtica regula contineret.

Conceſſit quoque Zozimus *eadem Epiſt.* Arelatenſi ordinationes Epiſcoporum Prouinciæ Viennenſis & vtriuſque Narbonenſis, quamuis deindè Bonifacius primam Narbonenſem exceperit. Verùm nuſquam Zozimus priuilegij congregandi Synodos ex Prouinciis Gallicanis meminit, & tamen hoc ius Arelatenſes ambiuerunt. Quare Hilarius Arelatenſis in II. Synodo Arelatenſi hunc Canonem XVIII. *Ad Arelatenſis Epiſcopi arbitrium Synodus congreganda, ad quam vrbem ex omnibus mundi partibus præcipuè Gallicanis, ſub ſancti Marini tempore legimus celebratum fuiſſe Concilium, atque conuentum.* Vbi vides agi de Synodo omnium Galliarum. Et ſanè illa Synodus ex pluribus Prouinciis conſtitit, vt patet ex *Can.* 42. & 56. Sirmundus ſub Rauennio celebratam, non ſub Hilario conicit. Certum eſt Hilarij ambitionem à Leone primo eſſe caſtigatam: nam *Epiſt.* 89. *ad Epiſcopos Vulnuenſis Prouinciæ*, prohibet Hilarium Synodos ex variis Prouinciis indicere: *Suis* (inquit) *vnaquæque Prouincia ſit contenta Conciliis, nec vltra Hilarius audeat conuentus indicere Synodales.* Eidem Hilario dignitatem Metropolitani in Prouinciam Viennenſem ademit Leo *Epiſt. cit. cap.* 4. *Qui non tantum nouerit ſe ab alieno iure depulſum, ſed etiam Viennenſis Prouinciæ, quam malè vſurpauerat, poteſtate depulſum eſſe, ſua tantum ciuitatis illi Sacerdotium pro ſedis Apoſtolicæ pietate præceptio noſtra ſeruauerit.* Poſt Hilarij verò obitum Leo Arelatenſem Prouinciam diuiſit in duas, *Epiſt.* 109. & Viennenſi quidem, *ita vt Viennenſis, quatuor ſibi vicinis oppidis præſideat, Valentiæ, Tarantaſiæ, Geneuæ & Gratianopoli, vt cùm ipſa Vienna ſit quinta ad cuius Epiſcopum prædictarum omnium Eccleſiarum ſolicitudo pertineat, reliquæ verò ciuitates eiuſdem Prouinciæ ſub Arelatenſis Antiſtitis auctoritate & ordinatione conſiſtunt.* Quod Leonis præceptum confirmatum etiam eſt à Symmacho Pontifice. Probo V. C. *Coſſ.* Rauennio Hilarij ſucceſſori idem Leo *Ep.* 110. tribuit tanquam primo Metropolitano ius denuntiandi cæteris Epiſcopis quæ in Concilio definita fuiſſent, eáque de cauſa ad illum ſuam Epiſtolam ad Flauianum de Incarnatione mittit, quam & Epiſcopi Gallicani probarunt, & illi de ea gratias egerunt, *& tanquam Symbolum fidei adſciuerunt.* Tandem Hilarius *Epiſt.* 8. *ad Epiſcopos Viennenſis, Lugdunenſis, Narbonenſis primæ & ſecundæ, & Alpium Pœninarum*, anno 462. Ita iuſſit *cap.* 2. *per annos ſingulos, ex Prouinciis, quibus potuerit congregari, habeatur Epiſcopale Concilium: ita vt opportunis locis atque temporibus ſecundùm diſpoſitionem fratris & Coepiſcopi noſtri Leontij, cui ſollicitudinem in congregandis fratribus delegauimus, Metropolitanis per litteras eius admonitis celebretur: vt ſi quid vſpiam, vel in ordinandis Epiſcopis vel presbyteris vel cuiuſlibet loci Clericis faciendis contra præcepta Apoſtolica reperitur admiſſum aut in eorum conuerſatione quippiam reprobatur, communi omnium auctoritate reſecetur.* Deinde de grauioribus cauſis, quæ in Synodo non potuerint iudicari, Apoſtolicam ſedem conſulendam edicit.

Obſerua porrò in hac Epiſtola Hilarium non agere de Concilio omnium Galliarum, ſed ſolum Prouinciarum aliquot, quæ viciniores Arelatenſi, quæque in inſcriptione nominantur, quæque faciliùs poterant congregari. Deindè hanc ſolicitudinem congregandi Epiſcopos delegari Leontio Arelatenſi, ab Hilario Pontifice R. qui illi ſuas vices delegabat, non concedit tamen Eccleſiæ Arelatenſi, vel eius Epiſcopis ordinariam poteſtatem cogendi ex pluribus Prouinciis Cōcilia. Quare ex illis nihil colligere poſſunt

Arelatenſes

Arelatenſes pro primatu totius Galliæ, ſed ne quidem in Prouincias, in inſcriptione recenſitas, cùm tota illa facultas vni Leontio data fuerit tanquam Pontificio delegato: *Cui* (inquit Hilarius) *ſolicitudinem in congregandis fratribus delegauimus.* Non habebat igitur ante iſtam delegationem & ex proprio iure ſuæ Sedis. Neque dicit Hilarius eam curam ab Apoſtolica Sede fuiſſe mandatam Arelatenſi, ſed ſe illam Leontio delegare. Vindicarant quidem Arelatenſes illud ius, ſed à Papa Leone repreſſi ſunt, vt conſtat; eam tamen curam Hilarius reſtituit Leontio congregandi quos poſſet, qui nempè à principibus, qui Romanum Imperium inter ſe partiebantur, in vnum coïre permitterentur: cùm enim Arelatenſis Epiſcopus eſſet in Prouincia adhuc Romano Imperio ſubiecta, faciliùs Pontifex potuit illi committere curam congregandi, quos poſſet Epiſcopos per annos ſingulos, quæ erant Concilia ordinaria.

5 Nam Concilia extraordinaria, v. g. Oecumenica, Concilia vniuſcuiuſque Diœceſis, aut ex variis Diœceſibus compoſita non habebant tempus aliquod definitum, ſed vbi neceſſitas cogenda eſſe ſuadebat, haberi iubebantur, vel ab Imperatoribus, vel eorum auctoritate à Præfectis prætorio eorúmve Vicariis, qui litteras tractorias ſingulis Epiſcopis dabant, locumque commodum definiebant, & deinde ſua auctoritate, quæ definita fuerant, atque executioni mandari curabant, vt in Conciliis Oecumenicis *ſuperiori capite* fieri monuimus. Et in ipſa noſtra Gallia Conſtantinus anno 314. Synodum Arelatenſem in cauſa Donatiſtarum, qui à ſententia Melchiadis ad Imperatorem appellarant haberi voluit. Conſtabat illa Synodus ex legatis Diœceſis Galliarum, Britanniæ Hiſpaniæ, Africæ, & Italiæ, quod patet ex ſubſcriptionibus; qui omnes ſine principis auctoritate in vnum locum conuenire non poterant. Anno 381. Aquileiæ, quæ erat Italicæ Diœceſis, habitum eſt Gratiani Imperatoris iuſſu Concilium, ad quod conuenerunt Epiſcopi Italiæ, Pannoniæ, quæ erat Illyrici Prouincia, & Diœceſeon Galliarum & Africæ legati, neque cœtus tam extraordinarius Epiſcoporum ex variis Diœceſibus haberi ſine auctoritate Imperatoris potuit. Vnde Ambroſius in actis ſic loquitur: *Nos in Occidentis partibus conſtituti conuenimus ad Aquileienſem ciuitatem iuxta Imperatoris præceptum.* Et *Epiſt. Synodica* ad ipſoſmet Imperatores: *Gratias agimus vobis, clementiſſimi Principes, quòd & fidei veſtræ ſtudium probauiſtis qui ad renouandas altercationes congregare ſtuduiſtis Sacerdotale Concilium.* Et mox: *Omnes prope ex omnibus Prouinciis accedentibus miſſi adfuere legati.* Maximus qui cæſo Gratiano Gallias obtinebat anno 385. Syricio Pontifice Burdigalæ contra Priſcillianiſtas Synodum haberi voluit, in qua Inſtantius Epiſcopatu abdicatus, Priſcillianus verò Synodi iudicium declinans, ad principes prouocauit. Siricius Pontifex conqueſtus fuerat apud Maximum de Agricio malè ad presbyteratum prouecto, cui Maximus ſe huius rei iudicium Synodo, quam ea de cauſa intra Galliam cogi permitteret, retulit. *Ceterùm de Agricio quem indebitè ad presbyterij gradum conſcendiſſe commemoras, quid religioni noſtræ Catholicæ poſſum præſtare reuerentius quàm vt de hoc ipſo eiuſmodi eſſe videatur, Catholici iudicent Sacerdotes?* Quorũ conuentum ex opportunitate *omnium, vel qui intra Gallias vel qui intra quinque Prouincias commorantur, in qua elegerint vrbe, conſtituam, vt iiſdem reſidentibus & cognoſcentibus quid habeat conſuetudo, quid legis ſit iudicetur.* Hæc igitur extraordinaria Concilia Imperatorum auctoritate & iuſſu in Gallia cogebantur, neque tamen vllus Imperatorum in Concilio prærogatiuam ſibi ſumebat, vti fuit explicatum.

4 Debilitato immò & extincto Romanorum in Galliis Imperio variarum nationum armis & irruptione, quæ ſibi Galliam vniuerſam inter ſeſe partitæ ſunt: Gothi enim vtramque Aquitaniam, Nouempopulaniam, Narbonenſem vtramque Prouinciam, & Appellium occuparant; Burgundiones ſubiecerunt ſibi Viennenſes, Lugdunenſes, Veſontionenſes, & denique Franci reliquas Gallias occuparunt, donec ipſi ſoli expulſis Gothis domitiſque Burgundionibus in Gallia regnarunt, ſed & ipſi variis factionibus diſtracti, & multiplici prole aucti, totum regnum in varias tetrarchias, & regna ſciderunt; quod ferè totum in vltimam regum noſtrorum propaginem ſiueDynaſtiam denuò coaluit. Diſtracto igitur ea ratione Galliarum Imperio, non potuit Synodus totius Diœceſis Galliarum, ſiue omnium Epiſcoporum Galliæ conuocari, propter regnorum, ſiue tetrarchiarum Gallicarum diuerſitatem; quod teſtatur Auitus Viennenſis *Epiſt.* 31. ad Fauſtum, & Symmachum Senatores vrbis, immò & Patricios ambo, ac quondam Conſules ordinarios, vtrumque tamen ſine collega, quam ſuo & Gallicanorum omnium Antiſtitum nomine ſcribit, de Synodo Romana & iudicio in ea aduerſùs Symmachum Papam Theodorici Regis auctoritate conſtituto, expoſtulans, Italiæque Epiſcopos perſtringens, quòd de eminentiore iudicium inferiores ſibi ſumpſerant, quamuis in ea fuerit abſolutus. *Vellemus* (inquit Auitus) *quod fatendum eſt, vel eò ſecuritatis accedere, vt quæ in cauſa communi ſupplicare oportet, Amplitudo veſtra congregatorum Galliæ Sacerdotum relatione cognoſceret. Sed quoniam huius quoq; nos voti non poteſt reddi Prouincia præfixis regnorum determinata limitibus:* quamprimum *ſupplici voce poſco, ne celeberrimo ordini veſtro pagina hæc aliquod moueat quaſi ab vno dictata faſtidium: quoniam à cunctis Gallicanis fratribus meis ad hoc ipſum non minus per mandata, quàm per litteras oneratus quæcumque à vobis omnes ambimus, vnus ſuggerenda ſuſcepi.* Cùm igitur in vnum conuenire non liceret Gallicanis Epiſcopis propter regnorum diuerſitatem, quod vnum in eo rerum & temporum ſtatu licebat, per litteras & legationes inter ſe agebant, & animis, ac ſententiis conueniebant, qui loco cogi non poterant. Non fuerunt igitur toto eo temporis interuallo Synodi totius Gallicanæ coactæ, ſed totius alicuius regni & ex variis Prouinciis, quæ illo regno continebantur, præter varias etiam Synodos Prouinciales: quæ omnia diligenter aduertenda ſunt, ad notitiam diſciplinæ Eccleſiaſticæ, quæ diuerſis illis variorum regnorum Prouinciis præſcribitur, approbatur, damnatur, ſtabilitur, reiicitur, mutatur, defenditur, & eiuſmodi aliis mutationibus obnoxia admodum eſt. Itaque de diuerſis Synodis in variis regnis pauca ſunt obſeruanda.

5 Sub Gothorum igitur regibus Synodus Agathenſis anno 506. Alarico Rege Vviſigothorum in Gallia regnante anno 22. & Symmacho Pontifice VIII. habita eſt, cui ſubſcripſerunt Metropolitani, Arelatenſis Narbonenſis, Burdegalenſis, Eluſanus, Biturienſis, Turonenſis per ſuum Vicarium, atque earundem Prouinciarum plurimi Epiſcopi, qui regnum Toloſanum conſtituebant; nulli verò ex regnis Francorum, & Burgundionum, neque etiam ex Hiſpania, in cuius tamen parte aliqua imperabat Alaricus, niſi fortaſſis Petrum Epiſcopum de Palatio, dicas, *Epalentio*, vel *Palentia*, Hiſpanum dicis, qui tum fortè erat Toloſæ in comitatu Alarici regis.

6 Sub Burgundionum regibus Concilium Epaonenſe habitum fuit, imperante Sigiſmundo 17. Kalend. Octob. anno Chriſti 517. Hormiſdæ Papæ IV. & Regis Childeberti Franci VI. habemus tractoriam

Epiſt.

Epiſtolam Auiti Viennenſis, quâ Epiſcopos ſuæ Prouinciæ Viennenſis inuitat ad Synodum in Parochia Epaonenſi habendam, quem locum ipſe elegerat, tanquam conuentui opportunum: illi interfuerunt Epiſcopi Regni Burgundionum, & nulli Francorum, vt conſtat ex ſubſcriptionibus.

Eodem Chriſti anno 517. regnante eodem in Burgundia Sigiſmundo Lugdunenſis prima Synodus à Viuentiolo Lugdunenſi habita eſt contra Stephanum, qui cùm ſibi cognata Palladia inceſtum admiſerat. Omnes Epiſcopi qui huic Concilio interfuerunt, Epaonnenſi quoque adfuerunt, quo priorem faciunt aliqui hanc Synodum; alij verò poſteriorem. Certè Patres ipſo ſtatim initio dicunt ſe, *Iterato in vnum congregari Lugduni in cauſa Stephani inceſtus crimine polluti.* Vbi illum *Iterato congregari*, ſignificat eum ſe iam ſecundò in eadem inceſtus cauſa congregari; quod vix credam, cùm in aperto crimine damnando, ſecundus conuentus neceſſarius non eſſet, vel ſe iam Epaonæ paulò antè congregatos iterùm Lugduni coire ad crimen Stephani & Palladiæ cognatæ iudicandum; res tamen quoad tempus iſtud priuſne, an poſteriùs Epaonnenſe Concilium fuerit Lugdunenſi incerta eſt, cùm tamen eodem anno habita conſtet hæc Concilia.

7 Exciſo Clodouæi armis Alarici & Vviſigothorum in Gallia Imperio, Metropoles quæ Alarico parebant ſuo adiecit Clodouæus, nimirùm Turonenſem, Bituricenſem, Burdigalenſem, & Eluſanam ſiue Nouempopulaniam; Narbonenſis autem, ſi Toloſam exceperis, manſit in ditione Gothorum, qui proximas Hiſpanias obtinebant, Arelatenſis quoque Theodorico Regi Italiæ ceſſit. Itaque angulus ille Regno Italiæ accenſebatur, dicebaturque Gallia Prouincia, ſicut & à Gothis Hiſpanis, Prouincia Narbonenſis vocabatur Prouincia Gallia. Clodouæus igitur nouo auctus Imperio primam Synodum generalem ex omnibus regni ſui Prouinciis Aureliæ conuocauit anno 511. nempè ex Turonenſi, Bituricenſi, Burdegalenſi, Eluſana, Rotomagenſi, Senonenſi, & Remenſi, quarum omnium Prouinciarum Epiſcopi & Metropolitani interérant. Ex Treuirenſi autē Moguntina & Colonienſi nulli aderant, neſcitur quo conſilio, niſi vitio aliquo laborent ſubſcriptiones, in quibus etiam Codices antiqui nonnullam diuerſitatem habent, vt obſeruauit Sirmondus. Iuſſu verò Clodouæi, qui religionis cura & zelo Sacerdotali, res ſacras pro mouebat, & de iis Sacerdotes tractare volebat, cáque de cauſa titulos, de quibus agerent miſit, quod profitentur PP. *Epiſt. Synod.* ad ipſum Regem; *Domino ſuo Catholicæ Eccleſiæ filio Chlotouecho glorioſiſſimo Regi omnes Sacerdotes quos ad Concilium venire iuſſiſtis. Quia tantum ad religionis Catholicæ cultum glorioſæ fidei cura vos excitat, vt Sacerdotalis mentis affectu Sacerdotes de rebus neceſſariis tractaturos in vnum colligi iuſſeritis ſecundùm voluntatis veſtræ conſultationem, & titulos quos dediſtis, ea quæ nobis viſum eſt definitione, reſpondimus, ita vt ſi ea quæ nos ſtatuimus, etiam veſtro recta eſſe iudicio comprobantur, tanti conſenſu Regis, ac domini maiori auctoritate ſeruandam tantorum firmet ſententiam Sacerdotum.* Hanc integram Synodicam referre placuit, eo quòd primum illud Concilium Aurelianenſe forma deinceps fuerit cæterorum: & ex ea Synodica colligere liceat qua ratione Synodi Gallicanæ conuocarentur à Regibus ſiue regio iuſſu, & ab iiſdem ſtatutorum Synodicorum confirmatio poſtularetur, neque tamen Pontificiam & ſacram poteſtatem regiæ ſubiiciamus, quod inconſultò verentur aliqui, qui nollent duas illas poteſtates, quibus mundus regatur, conſentire; verùm vtriuſque iura ſancta & illibata hactenus in Gallia fuerunt obſeruata, vti conſtabit ex dicendis. Priùs tamen obſeruo variatum eſſe in ſcribendo & pronuntiando nomine Clodouei: patres enim Aurelianenſes, vt vides, Chlothouechum dicunt, Auitus Chlodouæcum & mollita tandem aſperitate vocis, nos Clodouæum pronuntiamus.

Eodem porrò anno quo habitum eſt Concilium Aurelianenſe anno 511. obiit Clodouæus, vt notat Chronicum S. Vincentij Metenſis: & ſane non potuit priùs obiiſſe cùm ipſo iubente, & ſuperſtite habitum fuerit hoc Concilium Felice Conſule, qui in faſtis notatur anno 511. neque diutiùs obitum Clodouæi differri poſſe oſtendit ſequentium Conciliorum Epocha. Mortuo porrò Clodouæo Regnum in varias tetrarchias ſciſſum eſt & à Clodouęi liberis occupatum, qui ſinguli Reges Francorum dicerentur & portiones regni, quæ addito Regis ſui nomine diſtinguerentur. Regnum v. g. Childeberti, Clotharij, Ludouici &c. Vigilius Papa ſcribit ad Epiſc. ſub regno Childeberti Regis per Galliam conſtitutos: aliqui veteres vocant Marcham v. g. Marcham Childeberti: Synodus Aruenica in Synodica ad Theodebertum, cuius conſenſu in vrbe Aruenia Synodus coïuerat, anno 535. rogat. *Vt dum vnius Regis quiſque poteſtati ac dominio ſubiacet in alterius ſorte poſitum iure cunque, vt adſolet, impetitione non amitteret facultatem.* vbi ſortem pro regno accipiunt. In his diuerſis regnis habitæ ſunt Synodi, aliquando totius regni, alias ex variis eius Prouinciis aut vnius dumtaxat; aliquando ex aliorum quoque regnorum Prouinciis, quod ſine Regum ipſorum conſenſu non potuiſſe contingere ſatis vides. Aliquando denique quibuſdam in partibus diutiùs omnes Synodi ceſſarunt, cùm diſciplinæ Eccleſiaſticæ alluſione, fidei & morum corruptione ignoratis & proculcatis Canonibus ob frequentia bella & ſeditiones, quibus poſt annum 660. vexata eſt, & penè periit fundiùs Gallia, adeò vt ad Rheni limites reuiuiſceret etiam idololatria, quibus permotus Gregorius II. Bonifacium legatum ſuum in Germaniam miſit, vt gentium illarum & Paganorum conuerſioni laboraret, eumque Carolo Martello Francorum Duci commendauit anno 722. vt ex eius Epiſtolis colligitur ad Carolum maiorem domûs regiæ quem deindè Gregorius III. Subregulum vocat in ſuis Epiſtolis. Ait igitur Gregorius II. *Ep.* 2. ſe illum *ad prædicandum plebibus Germaniæ genti, ac diuerſis in Orientali Rheni fluminis parte conſiſtentibus Gentilitatis errore detentis, vel ignorantiæ obſcuritatibus prædeditis neceſſario deſtinare.* Idem explicat *ſequenti Epiſt.* 3. ad Epiſcopos, Clericos, & laïcos omnium ordinum, & *Epiſt.* 6. ad populum Thuringorum: *Non adoretis Idola, nec immoletis carnes; quia Deus non recipit iſta.* Et fuſiùs *Epiſt.* 7. ad populum Altſaxonum: Carolus verò commendatum ſibi à Pontifice Bonifacium ſub ſuo mundeburdo, & defenſione ſuſcepit, eáque de re publicas litteras ad omnes dedit, quæ *tom.* 1. *Concil. Galliæ* extant. De neglectis verò Synodis & Canonibus Bonifac. ad Zachariam Pontificem *Epiſt.* 1. ſcribit per octoginta annos non fuiſſe collectam in Francia Synodum & Carolomanum, *in parte regni Francorum quæ in ſua eſt poteſtate incipere congregare,* eáque de cauſa ſe ab illo accerſitum fuiſſe, & quàm miſerabilis eſſet illius Franciçæ Eccleſiæ ſtatus pluribus narrat. Bonifacius igitur duo Concilia fieri ſuaſit Carolomano, vnum in Germania, quo loco neſcitur, anno Chriſti 742. alterum anno ſequenti 743. apud Liptinas, vel vt nominat Aimonius, Leptinas, Palatium, & villam regiam in pago Cameracenſi, in quo prioris Concilij ſtatuta relata & confirmata ſunt. Sic igitur habet præfatio Liptinenſis:

Ego

Ego Karolomanus Dux & Princeps Francorum, anno ab Incarnatione Domini 742. *II. videlicet Kalendis Maij, cum conſilio ſeruorum Dei & Optimatum meorum, Epiſcopos qui in regno meo ſunt cum preſbyteris, ad Concilium & Synodum pro timore Chriſti congregaui, id eſt Bonifacium, &c. vt mihi conſilium dediſſent, quomodo lex Dei & Eccleſiaſtica Religio recuperetur, &c.* Conſequuntur deinde Canones, qui nomine Carolomani, cum conſilio religioſorum & Optimatum ſuorum feruntur, & in primo quidem conſtituit per ciuitates Epiſcopos, & Bonifacium Archiepiſcop. *Ordinauimus per ciuitates Epiſcopos & conſtituimus ſuper eos Archiepiſcopũ Bonif. qui eſt miſſus S. Petri.* Eodem Canone iubet ſingulis annis haberi Synodum ſe præſente: *Statuimúſque per annos ſingulos Synodum congregari, vt nobis præſentibus Canonum decreta, & Eccleſiæ iura reſtaurentur, & religio Chriſtiana emendetur.* Eodem prorsùs tenore in cæteris VII. conſequentibus Canonibus, qui omnes ſunt de diſciplina Eccleſiaſtica loquitur: qui omnes Canones fuerant conditi in priori Synodo Germanica, & deindè in Liptinẽſi relicti & confirmati ſunt, ſic enim ait: *Modo autem Synodali in hoc conuentu, qui congregatus eſt ad Kalendas Martias, in loco qui dicitur Liptinas, omnes venerabiles Sacerdotes Dei, & Comites & præfecti prioris Synodi decreta conſentientes firmauerunt, ſéque ea implere velle, & obſeruare promiſerunt.* Deindè adduntur tres alij Canones de Eccleſiaſtica pecunia ſub precario cenſu in ſubſidium exercitûs præſtanda, de inceſtis, matrimoniis & mancipiis Chriſtianis, déque plectendis Paganas obſeruationes facientibus, eodem modo concepti: *Conſtituimus, ſtatuimus, decernimus.* Similia conſtituit an. ſequenti 744. Concilium Sueſſionẽſe, quod Pipinus frater Carlomanni Major domûs in Burgundia & Neuſtria conuocauit, vt habetur in præfatione: *Ego Pipinus Dux & Princeps Francorum, dum pluribus non habetur incognitum qualiter nos in Dei nomine vnà cum conſenſu Epiſcoporum ſiue Sacerdotum vel ſeruorum Dei conſilio, ſiue Comitum & Optimatum Francorum, colloquiũ apud Sueſſionis ciuitatem Synodum vel Concilium facere decreuimus, quod ita in Dei nomine facimus.* Ex Maiori Domus regiæ Pipinus factus & inauguratus Rex, quam inchoauerat diſciplinam Eccleſiaſticã collapſam reſtaurare maiori animo & conatu perrexit, atque ſtatim anno ſui regni primo & Stephano II. Pontifice Concilium apud Vermeriam Palatium indixit anno Chriſti 352. in quo conditi ſunt Canones 21. & non multò poſt aliam Synodum habuit: quo loco & tempore incertum, quamuis aliqui in Metenſi quodam conuentu habitam velint, in ea conditi VII. Canones, quorum III. Archidiaconus Epiſcopi presbyteros ad Synodum commonere vnà cum Comite iubetur & contemptorem presbyterum Comes diſtringere faciat vt 60. ſolidos componat, & ad Synodum eat, & Epiſcopus Clericum & presbyterũ iuxta canonicam auctoritatem diiudicari faciat, anno ſui regni 4. Chriſti 755. in Vernopalatio idem Rex Pipinus Concilium ex vniuerſis propè Galliarum Epiſcopis coëgit, vt habet præfatio eius. *Illuſter vir Pipinus Rex Francorum vniuerſos penè Galliarum Epiſcopos aggregari facit ad Concilium Vernopalatio publico, recuperare tantiſper cupiens inſtituta Canonica. Et quia facultas* modo non *ſuppetit, ad integrum tamen aliqua ex parte vult eſſe correctum quod Eccleſiæ Dei valdè cognoſcitur eſſe contrarium, & ſi tempora ſerena ſpaciaque tranquilla diuinitùs fuerint ei collata, cupit ad plenum ſecundum ſanctos Canones pleniùs opitulante diuina gratia, meliùs, perfectiùs integréque, vt anteà conſeruare, & cum ita factum fuerit, ceſſent hæc quæ neceſſitate cogente ex ſacris Canonibus remiſſiùs ſunt excerpta. Maneántque præfata iura Canonica firma, integra, atque intemerata: tamen interim, quod meliùs poſſumus, hæc inconuulſa atque inuiolata eſſe cupimus, &c.* Canon IV. bis in anno fieri Synodum iubet. Primã in menſe primo, quod eſt Martiis Kalendis, vbicunque Rex iuſſerit in eius præſentia. Secunda Synodus Kalendis Octobris aut ad Sueſſionem, aut alibi, vti in Martiis Kalendis inter ipſos Epiſcopos conuenit. Vt verò, quæ in hac Synodo promiſerat Pipinus præſtare, anno deindè regni ſui 6. & Chriſti 757. Pauli Pontificis I. apud Compendium Palatium publicum in generali populi conuentu Concilium celebrauit, in eóquo Canonibus 18. quamplurima de coniugibus conſtituta ſunt, quæ ad politiam Eccleſiaſticam & ciuilem æque pertinebant. Sirmond. notat in Codice M.S. legi hunc titulum, *Decretum quod factum fuit apud Compendium Palatium publicum.* In hoc conuentu Compendienſi mutatum eſt tempus, quod habendæ Synodo aſſignatum fuerat Kalendis Martiis Canone IV. Vernenſi, cùm Pipinus Kalendis Maij voluerit haberi, quod docet Fredegarius agens de Placito Aureliæ habito: *Pipinus*, inquit, *Aurelianis Placitum ſuum Madio campo, quod ipſe primus pro campo Martio pro vtilitate Francorum inſtituit, tenens, multis muneribus à Francis & proceribus ditatus eſt.* Id ipſum docent Annales Francici à Ducheſno editi *tom.* 2. *Hiſt. Gall. Anno*, inquiunt, 755. *venit Taſilo ad Martis campum, & mutauerunt Martis campum in menſe Maio.* Atqui Taſilo ſe Pipino ſubdidit in conuentu Compendienſi, qui incidit in annum 757. ex Eginhardo. Quare in illis annalibus reponendus eſt annus 757. pro 755. Quia porrò conuentus & Synodus habebatur in campo, dicebatur campus Martius, Maius, vel Madius. Denique cum Pauli legati, & ſimul alij Pipini reuerſi eſſent Conſtantinopoli ad Pipinum, apud quem erant & Græci Imperatoris legati, Synodum habuit apud Gentiliacam villam in agro Pariſienſi anno 767. in qua de proceſſione Spiritus ſancti à Filio, & de cultu Imaginum diſputatum eſt. Ita Eginhardus *in Annalibus*, & Ado Viennenſis *in Chronico* ad illum annum 767.

Pipino ſuccedens filius Carolus Magnus non minori ardore Eccleſiaſticam diſciplinam reſtaurare & 9
conſeruare ſtuduit coactis frequentibus ſynodis, & imprimis quod iam Canone IV. Vernenſi conſtitutum fuerat de congreganda ſynodo bis in anno, ſeruari voluit. Ex his vna erat conuentus generalis ex Epiſcopis & Abbatibus, atque ex Comitibus, proceribus & Optimatibus regni atque Conſiliariis regiis: in ea præſente Rege tractabantur & examinabantur cauſæ communes ac generales, quæ ad diſciplinam Eccleſiaſticam & rempublicam pertinebant. Vocabatur hic conuentus Placitum, Concilium, Conuentus, Synodus, Colloquium & non malè Synodum ſiue Concilium regium nominauit Marca *lib.* 6. *cap.* 23. *numero* 5. *& capite* 24. & fuſiùs *capite* 32. atque huius regiæ Synodi vel Concilij, quod in palatio præſide Rege coram Epiſcopis & optimatibus regni fiebat, exemplum habemus in præfatione Leptinenſis Concilij à Carlomanno Duce & principe Francorum ſuaſu Bonifacij congregati, quam *ſuperiùs* retulimus, & iterum damus hoc loco: *Ego Carlomannus Dux & Princeps Francorum anno ab Incarnatione Domini* 743. *cum conſilio ſeruorum Dei & Optimatum meorum, Epiſcopos, qui in regno meo ſunt cum Presbyteris ad Concilium & Synodum pro timore Chriſti congregaui, id eſt Bonifacium Archiepiſcopum, &c. vt mihi conſilium dediſſent, quomodo Lex Dei & Eccleſiaſtica Religio recuperaretur, &c.* Et ſub finem: *Statuimúſque per annos ſingulos Synodum congregari, vt nobis præſentibus Canonum*

nomen decreta & Eccleſiæ iura reſtaurentur, & religio Chriſtiana emendetur. Id ipſum factum à Pipino Carlomanni fratre, & in regno Burgundiæ & Neuſtriæ regnante, referebamus & Synodo Sueſſionenſi: *Propterea* (inquit) *nos vnà cum conſenſu Epiſcoporum ſiue Sacerdotum, ſeu ſeruorum Dei, & Optimatum in eorum conſilio decreuimus vt annis ſingulis Synodum renouare debeamus.* Et ſub finem: *Si quis contra hoc decretum quod 23. Epiſcopi cum aliis Sacerdotibus vel ſeruis Dei vnà cum conſenſu Principis Pipini vel Optimatum Francorum conſilio conſtituerunt, transgredi, vel legem irrumpere voluerit, vel deſpexerit, iudicandus ſit ab ipſo principe, vel Epiſcopis, vel Comitibus, & componat, ſecundum quod in lege ſcriptum eſt, vnuſquiſque iuxta ordinem ſuum.* Idem Pipinus iam factus Rex in Concilio generali Vernenſi, in quo vniuerſæ Galliæ Epiſcopos congregauit, anno 758. Can. 4. duas Synodos quolibet anno imperauit, *quarum prima Kalendis Martij, vbicunque dominus Rex iuſſerit, in eius præſentia celebretur, altera Kalendis Octobris Sueſſione, vel vbicumque ab Epiſcopis ſtatutum fuerit, in præcedenti Concilio.* Hæc igitur Synodus, quam generalem & regiam iure nominant, non ex ſolis Epiſcopis, ſed & Comitibus atque Optimatibus conſtabat, & præſente Rege, in conuentu generali regni & Palatio publico habebatur. Quod etiam conſtat ex inſcriptione Concilij Compendienſis an. 757. in eáque negotia Eccleſiaſticæ diſciplinæ & reipublicæ agitabantur.

Secunda verò Synodus, quæ Sueſſione, vel in loco ab Epiſcopis in priore Synodo deſignando celebranda erat, ſolis Epiſcopis, Abbatibus & Metropolitanis conſtabat, ideoque illam Eccleſiaſticam nominamus: in illa cauſæ ſpirituales, & Eccleſiaſticæ diſceptabantur, & quod definitum erat, iterum in Concilio generali probandum erat, & confirmandum; neque ante eiuſmodi approbationem vim legis obtinebant. Quare in Concilio Vernenſi *Canone V.* Monachi emendari iubentur ab Epiſcopo, in cuius Parochia ſunt, *qui ſi id non poſſit, referat ad Metropolitanum, qui, ſi neque id nequeat, veniant iſti ad Synodum publicam, & ibidem Canonicam ſententiam accipiant: & ſi publicam Synodum contempſerint, aut honorem ſuum perdant, aut excommunicentur ab omnibus Epiſcopis: & tales in eorum loco, in ipſa Synodo conſtituantur per verbum, & voluntatem domini Regis vel conſenſu ſeruorum Dei, qui ſecundum ordinem ſanctum ipſum gregem regant.* Vides rem totam definiendā à Synodo publica, in qua Rex ipſe aderat, ex cuius verbo & voluntate præficiendus erat in locum amoti præſulis. Synodus quidem iſta publica & generalis iudicabat de reo, qui ſi propter contemptum Synodi iudicium honore ſuo priuandus erat aut excommunicandus, id ab omnibus Synodi Epiſcopis præſtandum erat. Quod ſi in damnati locum quiſpiam alius ſufficiendus erat, conſulenda erat Regis præſentis voluntas, *qui conſenſu ſeruorum Dei, id eſt Epiſcoporum verbo ſuo ſufficiendum nominaret.* Quæ ſingula diligenter expendenda ſunt, vt videamus in hac generali Synodo quæ ex Optimatibus & proceribus, & Epiſcopis ſimul præſente Rege conſtabat, diuerſas fuiſſe ſingulorum partes: itaque ſeruatam eſſe regiam Maieſtatem, vt Pontificia & Eccleſiaſtica nullatenus imminueretur.

11 Quod vt fiat apertius, repetendi ſunt illius æui mores, & ſapientiſſimi ac piiſſimi Principis Caroli magni, qui hæc omnia quæ maiores inſtituerant, meliùs digeſſit. Scripſit Adhalardus Abbas Corbeienſis, & magni Caroli cognatus ac conſiliarius librum de ordine Palatij, qui nobis periit, ſed Hincmarus, qui illum legiſſe, & ſcripſiſſe ſe dicit, nobis eius ſynopſim retulit *Epiſt.* 3. *editionis Moguntinæ*; Sirmundianæ verò *opuſc.* 14. Obſeruat igitur ex Adhalardo Hincmarus §. 29. bis in anno ex conſuetudine illius temporis placita duo teneri, vnum quando ordinabatur ſtatus totius Regni ad anni vertentis ſpatium, quod ordinatum nullus euentus rerum niſi ſumma neceſſitas quæ ſimiliter toti regno incumbebat, mutabatur, in quo placito generalitas vniuerſorum tam Clericorum, quàm laïcorum *conueniebat*, id eſt, vt eodem libro indicat Adhalardus, ex Epiſcopis, Abbatibus, & Comitibus regni conſtabat. Secundus conuentus erat particularis, ex antiquioribus Epiſcopis, & Comitibus, & nonnullis aliis miniſtris, quorum conſiliis Princeps vtebatur, in eóque conuentu ſtatuebantur quæ in proximo conuentu generali proponi, & ſtatui deberent. In conuentu generali Rex ipſe proponebat aliqua capitula, de quibus deliberari volebat in conuentu, exemplo ipſius Clodouæi, qui in Synodo Aurelianenſi prima propoſuit titulos, de quibus agi volebat à Synodo; ita & Carolus. *Mox*, cui Hincmarus §. 34. *auctoritate Regia per denominata & ordinata capitula, quæ vel ab ipſo per inſpirationem Dei inuenta vel vndique ſibi nunciata poſt eorum abſceſſum* (*ſolutum nempè poſtremum conuentum*) *præcipuè fuerant eis ad conferendū vel conſiderandū patefacta ſunt.* Acceptis igitur his capitulis Optimates examinabant cauſas, ita tamen, vt penes antiquiores eſſet maxima in cenſendo auctoritas, quibus iuniores ſuum ſenſum adiiciebant potiùs, quàm iure ſuffragij ſententiam dicerent. Hæc diſceptatio biduum aut triduum tenebat; Palatini deindè Regis reſponſa ſuper dubiis propoſitis ad conuentū referebant. Synodus his acceptis, deliberabat, ad eúmque Synodalis deliberatio referebatur, qua tandē audita Rex ſententiam, quam æquiorem exiſtimabat proferebat, quā omnes amplecterentur: ita enim Hincmarus §. 34. *Proceres verò prædicti, ſiue in hoc, ſiue in prædicto illo præfato placito, quin & primi Senatores regni, ne quaſi ſine cauſa conuocati viderentur, mox auctoritate regiā per denominata & ordinata capitula, quæ vel ab ipſo per inſpirationem Dei inuenta, vel vndique ſibi nuntiata poſt eorum abceſſum præcipuè fuerant, eis ad conferendum vel conſiderandum patefacta ſunt. Quibus ſuſceptis interdum die vno, interdum biduo, interdum etiam triduo, vel ampliùs, prout rerum pondus expetebat, accepto ex prædictis domeſticis Palatij miſſis intercurrentibus, quæque ſibi videbantur interrogantes, reſponſúmque recipientes, tamdiu ita nullo extraneo appropinquante, donec res ſingulæ ad effectum perductæ glorioſi Principis auditui in ſacris eius obtutibus exponerentur, & quidquid data à Deo ſapientia eius eligeret, omnes ſequerentur. Ecce ſicut de vno, ita de duobus, vel quotquot eſſent, capitulis agebatur, quouſque omnia Deo miſerante illius temporis neceſſaria expolirentur.* Quia porrò diuerſæ prorſus erant cauſæ quæ in his conuentibus diſceptabantur, id non fiebat indiſcriminatim ab omnibus, neque Epiſcopi, & Abbates paſſim cum laïcis eodem in loco conueniebant, ſiue conuentus ſereno cœlo ſub Dio haberetur, ſiue intra ædes Palatij: vnuſquiſque enim ſuam curiam diſcretam & ſeparatam atque ſplendidè ornatam & inſtructam habebat, in qua de quæſtione ad ſe pertinente ſeorſim deliberabat, quamquam interdùm ſimul conuenirent & ſententiam dicerent, prout genera cauſarum, quæ agitabantur, poſtulabant. Audi Hincmar. §. 35. *Sed nec illud* prætermittendum, *quomodo, ſi tempus ſerenum erat, extra, ſin autem intrà diuerſa* loca diſtincta erāt, vbi, & ſi abundanter ſegregati ſeiunctim, & cętera multitudo ſeparatim reſidere potuiſsēt; priùs tamen cęterę inferiores perſonæ intereſſe minimè potuiſſent.

tuiſſent. *Quæ tamen ſeniorum ſuſceptacula ſic in duobus diuiſa erant, vt primo omnes Epiſcopi, Abbates, vel huiuſmodi honorificentiores Clerici, abſque vlla laicorum mixtione congregarentur: ſimiliter Comites, vel huiuſmodi Principes ſibimet honorificabiliter à cætera multitudine primo mane ſegregarentur, quouſque tempus ſiue præſente, ſiue abſente Rege occurrerent; & tunc prædicti ſeniores ſolito more, Clerici ad ſuam, laici vero ad ſuam conſtitutam curiam, ſubſelliis ſimiliter honorificabiliter præparatam conuocarentur.* Qui cùm ſeparati à cæteris eſſent in eorum manebat poteſtate quando ſimul, vel quando ſeparati reſiderent, prout eos tractandæ cauſæ qualitas docebat ſiue de ſpiritualibus, ſiue de ſecularibus, ſiue etiam commixtis. Similiter ſi propter quamlibet veſcendi, vel inueſtigandi cauſam, quemcumque conuocare voluiſſent, & re comperta diſcederet, in eorum voluntate manebat. Hæc interim de his, quæ eis à Rege ad tractandum *proponebantur.* Vides igitur in regio generali conuentu res ſpirituales ſeorſum ab Epiſcopis, & Abbatibus fuiſſe tractatas, ſæculares à laïcis, mixtas autem & communes ab vtriſque ſimul, & omnia deindè ad regem relata, vt poſteà vim legis haberent, & eius auctoritate mandarentur executioni. Qua in re nullum ſibi ius noſtri Reges in res ſpirituales & merè Eccleſiaſticas arrogabant, quâ ratione Pipinus, vt nuper ex Eginhardo referebamus, conuentu generali Gentiliaco Synodum habuit, & quæſtionem de Trinitate & cultu Imaginum Epiſcopis, qui aderant, diſcutiendam dedit. Hinc etiam placita diſtinguebantur à Synodis, quamuis ſimul in conuentu generali haberentur. Quare Carolus Magnus in *Capitulari II. capite* 13. *anni* 779. & *libro* 6. *Capitul. Titul.* 153. ait: *Ea verò* (nimirum Capitula) *quæ bonæ memoriæ genitor noſter in ſuis placitis conſtituit, & in Synodis conſeruari volumus.* Ex antiqua ſiquidem diſciplina, quæ horum Principum ætate reſtituta eſt in Gallia, Synodus pro conuentu Eccleſiaſtico, in quo leges Eccleſiaſticæ, & Canones condebantur, vſurpata eſt. Quia verò diſciplina Canonica magna etiam ex parte ad rempublicam ſpectabat, & ex ea nouæ ſæpiùs leges ferendæ erant, ea materia ſimul ab Epiſcopis, & laïcis Comitibus, & Optimatibus tractabatur in conuentu generali, ita tamen vt quæſtiones de fide & ſpirituales à ſolis Epiſcopis agitarentur, cæteræ verò quæ erant mixtæ, quoque à laïcis, à quibus etiam ſolis ſæculares diſceptabantur modo explicato. Quare Capitulare Caroli Magni an. XI. regni ſui, in menſe Martio ſic incipit: *Congregatis in vnum Synodali Concilio, Epiſcopis, Abbatibus, viriſque illuſtribus Comitibus, vnà cum piiſſimo Domino noſtro ſecundùm Dei voluntatem pro cauſis opportunis conſenſerunt.* Vbi plurima de Epiſcopis & Clericis, de latronibus, periuris, de bonis Eccleſiaſticis, nimirùm nonis, & decimis & teloneis, & de vaſis Dominicis, aliáque eiuſmodi conſtituta ſunt ab Epiſcopis ſimul & Comitibus, præſente & conſentiente Rege. Verùm illuſtrius huius moris exemplum & eorum, quæ hactenus diximus, habemus in Synodo Francofordienſi ann. 794. *Concilium Epiſcoporum ex omnibus regni Prouinciis congregauit Carolus*, inquit Eginhardus, ad illum annum, cui etiam Hadriani Pontificis legati Theophilactus & Stephanus interfuerunt. Quare I. ipſius Concilij Canon ſic loquitur: *Coniungentibus Deo fauente, Apoſtolicâ auctoritate, atque piiſſimi Caroli domini noſtri Regis iuſſione Anno XXVI. Principatus ſui cunctis Regni Francorum, ſeu Italiæ, Aquitaniæ, Prouinciæ Epiſcopis, ac Sacerdotibus Synodali Concilio, inter quos ipſe mitiſſimus ſancto interfuit conuentui.* Libellus verò Epiſcoporum Italiæ in ipſo Concilio editus, & eiuſdem iuſſu ad Prouincias Galliciæ, & Hiſpaniarum contra Elipandum miſſus, ſic incipit: *Sancto incitante Spiritu ac zelo fidei Catholicæ ſcintillatim ſub pectore ferueſcente, clementiſſimi & tranquilliſſimi, glorioſique Caroli Regis domini terræ Imperij, eius decreto, per diuerſas Prouincias regni eius ditioni ſubiectas ſumma celeritate præcurrente, multitudo Antiſtitum ſacris obtemperando præceptis in vno collegio aggregata conuenit. Quadam die reſidentibus cunctis in aula ſacri palatij, adſiſtentibus in modum coronæ Preſbyteris, Diaconibus, cunctóque Clero ſub præſentia prædicti Principis allata eſt Epiſtola miſſa ab Elipando auctore noxij ſceleris, Toletanæ ſedis Pſeudo-epiſcopo Hiſpalenſi termino circumſcripta. Cúmque iubente Rege publicâ voce recitata fuiſſet, ſtatim ſurgens venerabilis Princeps de ſella regia ſtetit ſupra gradum ſuum, ac loquutus eſt de cauſa fidei prolixo ſermone & adiecit: Quid vobis videtur?* Et mox: *Cúmque imprecata & conceſſa eſſet moroſa dilatio per dies aliquot, placuit eius manſuetudini vt vnuſquiſque, quidquid ingenij captu rectiùs ſentire potuiſſet, per ſacras ſyllabas de ſtatuto eius clementiæ oblatum ſui cor pectoris fidei munus ſtyli ferculo mentis viuacitate deferret.* Non abſimilia dicunt Concilij PP. in Epiſtola Synodica ad Epiſcopos Hiſpaniæ: *Congregatis nobis in vnum charitatis conuentum præcipiente & præſidente piiſſimo & glorioſiſſimo domino noſtro Carolo Rege, ad renouandum cum conſilio pacificæ vnanimitatis*, ſanctæ Dei Eccleſiæ *ſtatum, & ad prædicandam orthodoxæ fidei veritatem.* Et pergunt deinde narrare vt iuſſerit Rex adferri librum, & à Notario ad finem vſque perlegi, quem validè PP. Concilij in hac Synodica refellunt. Ex his porrò omnibus ſapienter colligit Marca, *lib.* 6. *cap.* 23. *num.* 7. & 5. primò Carolum conuocaſſe Synodum, in quam eius præcepto conuenerant omnes Regni Epiſcopi, qui id apertè profitentur. 2. Carolum fuiſſe interlocutum, & iuſſiſſe recitari publicè Elipandi Epiſtolam, atque eâ recitatâ rogaſſe Synodi ſententiam, qui ſunt actus præſidentiæ, quæ tamen nihil in res merè ſpirituales vindicabat Regi, cùm enim ipſe conuocaſſet Synodum in aulam ſuam, & ad conuentum generalem, conſentiente etiam Hadriano, qui ſuos legatos ad illam miſerat, ſanè æquum erat illum præfari & explicare, qua de cauſa tot in vnum Epiſcopos conuocarat, atque Elipandi Epiſtolam, ad quam examinandam voluerat conuenire Epiſcopos, recitari iubere. Epiſtolâ recitatâ ſermonem prolixum de fide habuit Carolus, non quidquam definiens, ſed Patrum ſententiam inquirens & expectans, quia de cauſa è ſella regia, & ſtans in gradu ſuo, vt ait libellus Italorum, magna cum reuerentia Patres ad fidem explicandam adhortatus eſt, atque moram examinandi quæſtionem propoſitam, & legendi ſcripturas, & conſulendi Patres conceſſit, & ab iis quid ſentiendum eſſet accepit, atque illorum ſenſum ſequutus omninò eſt. Quare tandem damnata eſt Elipandi hæreſis ab Epiſcopis, qui ſoli illam examinarunt. Quare Can. I. vbi dixit *in primordio capitulorum, exortum de impia ac neſaria hæreſi Elipandi, &c.* Quam omnes qui, ſuprà ſanctiſſimi Patres, reſpuentes vnâ voce contradixerunt, atque hanc hæreſim funditus à ſancta Eccleſia eradicandam *ſtatuerunt*, in qua damnatione, Patrum dumtaxat, & Synodi Epiſcoporum, non verò vllam Imperatoris mentionem fieri vides. Quod idem fit in 2. *Canone*, in quo reiicitur cultus Imaginum, & Synodus Nicæna, ſiue ſeptima reprobatur: ſed malè omninò. *Qui ſuprà ſanctiſſimi Patres omnimodis adorationem & ſeruitutem renuentes contempſerunt, atque conſentientes condemnarunt.* In his quæſtion. quæ de fide ſunt, *tota definitio ſolis* Patribus, nô verò Imperatori tribuitur:

è contrario verò proximè *ſequenti Canone* 3. vbi de venia Toſſiloni Duci Baioriæ ſæpiùs rebellanti agitur, eam à ſolo Carolo in Synodo conceſſam traditur, neque Synodo quidquam tribuitur. *Idcircò dominus noſter miſericordiâ motus, præfato Toſſiloni gratuito animo & culpas perpetratas indulſit, & gratiam ſuam pleniter conceſſit.* 4. cauſæ Canonicæ ſimul à rege, & Synodo conſtitutæ ſunt : ſic *Canon. VI. ſtatutum eſt à domino Rege & ſancta Synodo, vt Epiſcopi iuſtitias faciant in ſuis Parochiis. Canon. VII. Definitum eſt à domino Rege & ſancta Synodo vt Epiſcopus non migret de ciuitate in ciuitatem*, quod idem obſeruatum eſt in cauſis communibus, quæ tunc definitæ fuerunt : nam *Canon. VIII.* controuerſia inter Vrſionem Viennenſem, & Eliſantum Arelatenſem Archiepiſcopos definita fuit ſecundùm Pontificum Romanorum Epiſtolas : de Tarantaſia verò, Ebreduno, & Aquis legatio facta eſt ad ſedem Apoſtolicam. *Canone IX.* accuſatio inſtituta aduersùs Petrum Epiſcopum læſæ Maieſtatis reum, iudicata eſt à domino Rege noſtro & à ſancta Synodo *Can. X.* Gerbordi Epiſcopi ordinatio perperàm facta iudicata *à domino Rege & ſancta Synodo*, & eius Metropolitanus atque Epiſcopi comprouinciales iuſſi ſunt eum deponere. *Can. 39.* Presbyter accuſatus ab Epiſcopo ſuo iudicari debet, & conſtringi : quod ſi accuſatus crimen neget : & accuſator probationibus careat, ac proindè lis ab Epiſcopo definiri nequeat, ad vniuerſale Concilium, hoc eſt conuentum generalẽ Galliæ reiiciatur. Sed de eo caſu dicam *inferius*, nunc moneo ad conuentum generalem cauſas ſingulares & quæ communes non erant, non referri ſolitas eſſe : iudicabantur enim in Prouinciis, vti dicitur in *Capitularibus*.

12 Præter hæc Concilia, de quibus modò diximus & conuentus generales quibus Rex ipſe intereſſat, in quibus de diſciplina Eccleſiaſtica & politia totius Reipublicæ, ac regni agebatur, iubebant aliquandò Reges ſimiles quoſdam conuentus & Synodos variis in locis haberi, qui & cauſas examinarent, & Canones etiam conderent, qui tamen non obtinebant vllam vim donec à Principe probati fuiſſent & eorum obſeruatio, ſiue executio imperata. Carolus Magnus quinque eiuſmodi Synodos, vti narrat Eginhardus anno 813. imperauit Arelate, Moguntiæ, Remis, Turonibus & Cabillone; & quidem PP. Moguntini Concilij in Synodica ad Carolum Auguſtum dicunt 1. ſe ſecundùm iuſſionem eius in ciuitatem Moguntinam conueniſſe, & deindè ſe in communi collegio tres feciſſe turmas. In 1. conſederunt Epiſcopi, qui ex Euangeliis, Epiſtolis, & Actibus Apoſtolorum, Canonibus, Patrum opuſculis, maximè Paſtoralis Gregorij, diligenti ſtudio perquirerent, *quibus modis ſtatum Eccleſiæ Dei & Chriſtianæ plebis profectum ſanâ doctrinâ, & exemplis iuſtitiæ, largiente gratia Dei, perficere, & conſeruare potuiſſent.* In 2. turma conſederunt Abbates & probati Monachi, qui viderent qualiter ex regula S. Benedicti Monachorum vitam in meliorem ſtatum perducere potuiſſent. In tertia turma ſederunt Comites & Iudices in mundanis legibus decertantes, Vulgi iuſtitias perquirentes, omniumque aduentorum cauſas diligenter examinantes, modis quibus poterant iuſtitias terminantes. Demùm petunt à Rege ſuorum capitulorum, vt faciliùs obſeruentur, firmitatem : *De his tamen omnibus valde indigemus, veſtro adiutorio & ſanâ doctrinâ, quæ & nos iugiter admoneat, atque clementer erudiat, quatenus ea, quæ paucis ſubter perſtrinximus capitulis, à veſtra auctoritate firmentur, ſi tamen veſtra pietas ita dignum eſſe iudicauerit: & quidquid in eis emendatione dignũ reperitur, veſtra magnifica Imperialis dignitas iubeat emendare, vt ita emendata nobis omnibus & cunctæ Chriſtianæ plebi ac poſteris noſtris proficiant ad vitam, &c.* Arelatenſis Synodus in præfatione orauit pro Imperatore, *cuius*, inquiunt, *iuſſu fraternitatis noſtræ cætus adunatus eſt.* Deindè miſſi eiuſdem domini Imperatoris Ioannes Arelatenſis & Nebridius Narbonenſis Archiepiſcopi, de zelo fidei & magnificentia præfati rogarunt, vt preces pro illo eiuſdemque familiâ indicerentur : ſequenti deinde die de digerendis capitulis egerunt PP. orſi à fide Catholica. Et tandem ſic Synodum concludunt : *Hæc igitur ſub breuitate, quæ emendatione digna perſpeximus quam breuiſſimè adnotauimus, & domino Imperatori præſentanda decreuimus, poſcentes eius Clementiam, vt ſi quid ſic minus eſt, eius prudentia ſuppleatur : ſi quid secùs quàm ſe ratio habet, eius iudicio emendetur : ſi quid rationabiliter taxatum eſt, eius adiutorio diuinâ opitulante clementiâ perficiatur.*

Hoc ipſo anno Concilium Remenſe, Vlfario Archiepiſcopo *à domino Carolo piiſſimo Cæſare more priſcorum Imperatorum congregatũ*, præfatur ſimili ratione.

Turonenſe III. hoc anno 813. poſt explicatas Imperatoris laudes in tractandis regni negotiis, & hortandis ad ſua officia Sacerdotibus ſic ait : *Definitum itaque de locis & tempore, quandò & vbi coadunari fuerit opus, & quod à tanto principe nobis iniunctum eſt, ad ſtatuta loca conueniemus ; ſiquidem vrbe Turonis congregati Epiſcopi Abbates & venerabilis Clerus, pro paruitate noſtra, pauca, quæ ad tantum opus pertinere animaduertimus : & quæ ſecundùm Canonicam regulam emendatione indigent, diſtinctè per capitula adnotauimus ſereniſſimo Imperatori noſtro oſtendenda*, & in clauſula Concilij: *Hæc nos in conuentu noſtro ita ventilauimus; ſed quomodo deinceps piiſſimo principi noſtro de his agendum placebit, nos fideles eius famuli libenti animo ad nutum & voluntatem eius parati ſumus.*

Denique Concilium Cabilonenſe III. eiuſdem anni ſic habet in præfatione : *Auxiliante Domino noſtro Ieſu Chriſto, & imperante ſereniſſimo, atque inclyto Auguſto Carolo, conuenimus Epiſcopi & Abbates totius Galliæ Lugdunenſis, in vrbem Cabilonenſem, & de quibuſdam rebus, in quibus nobis emendatio neceſſaria videbatur, quædam capitula, quæ ſubter inſerta ſunt, eidem domino Imperatori præſentanda, & ad eius ſacratiſſimum iudicium referenda adnotauimus : quatenus eius prudenti examine, ea quæ rationabiliter decreuimus, confirmentur ſicubi minus aliquid egimus, illius ſapientiâ ſuppleatur.*

Parentis optimi veſtigia ſecutus eſt optimus filius 13
Ludouicus Pius : leges enim & capitula ſanciebat in conuentibus, ſiue Synodis generalibus, modo nuper explicato, vt maioris auctoritatis vim haberent quæ ibidem probata eſſent, & deindè miſſos ſuos deſtinabat ad Prouincias vt executionem ipſorum vrgerent, & rebelles punirent. Quare cùm anno 816. *Aquiſgrani Palatio generalem ſanctùmque conuocaſſet conuentum, & cœpiſſet ſecundùm ardentiſſimam erga Diuinum cultum ſibi cœlitùs inſpiratam voluntatem, multa congrua, & neceſſaria de emendatione ſanctæ Eccleſiæ ſolerter ac curioſè pertractare.* Eius deindè inſtructionis à Cõcilio digeſtæ exemplar miſit Ludouicus ad Sicharum Archiepiſcopum Burdigalenſem per ſuum miſſum Adaleſinum vt obſeruandum curaret, atque ſe Kalendis Septembribus miſſos ſuos per Imperium deſtinaturum, *an eandem inſtitutionem prælati & ſubditi ſeruent.* Anno deindè 821. Moguntienſis, Colonienſis, Treuirenſis & Remenſis Archiepiſcopi cum ſuis ſuffraganeis, & nuntiis reliquorum Epiſcoporum Galliæ, & Germaniæ apud Theodonis villam in Concilio congregati, *vt communi conſenſu & ſimili deuotione ſupplicarent auribus principis*, vt percuſſores Clericorum punirentur, ſecundùm

Canonica

Canonica & Synodica ſtatuta. Quare Ludouicus anno ſequenti Triburiæ in alio conuentu generali, *Placuit*, inquit, *nobis & fidelibus noſtris, vt ſicut ab Epiſcopis & reliquis Sacerdotibus ac Dei ſeruis, alio anno apud Theodonis Villam admoniti fuimus, & rogati, vt Epiſcopi, & eorum miniſtri, quos Deus ſuo non humano iudicio reſeruauit, iuxta ſanctorum Canonum, ſanctorúmque Patrum ac capitulorum præcedentium Regum coràm poſitorum ſtatuta, & Dei Sacerdotes eorúmque cooperatores, &c. intacti permaneant conſtituimus, vt ſi quis, &c. cap. 5. iuxta id quod apud Theodonis Villam à XXXII. Epiſcopis decretum eſt, & quod ibi à nobis & à Primatibus totius Germaniæ & Galliæ benignâ collaudatione, collaudatum, & ſubſcriptum eſt, pœniteat, &c.* deindè quædam decretis ab Epiſcopis adiicit, *Et hoc*, inquit, *de noſtro adiecimus*, &c. *Et ſi omnibus vobis iſta placuerunt, dicite.* Et tertiò ab omnibus conclamtum eſt, *placere, & Imperator, & penè omnes Galliæ & Germaniæ Principes ſubſcripſerunt ſinguli ſingulas facientes cruces, & Eccleſiaſticus ordo Deo, & Principibus, laudes referentes hymnum*, Te Deum laudamus, *decantabant, & ſic ſoluta eſt Synodus.*

Anno Imperij ſui 16. & Chriſti 818. in Concilio Aquiſgranenſi & in priuato placito conuentum Epiſcoporum quatuor in locis fieri iuſſit Ludouicus Moguntiæ, Pariſiis, Tholoſæ, & Lugduni à Prouinciarum illarum Archiepiſcopis eorúmque ſuffraganeis; & capitula, de quibus in iis Synodis ageretur ſcripſit, quæ habes in eius *Capitulari III.* in eodem Aquiſgrani priuato placito. Quæ omnia ſunt de cauſis ad religionem Chriſtianam, & eius curam pertinentibus, illa deindè ad generalia placita ſunt reſeruata. Hæc pij Imperatoris mens explicatur in Epiſtola generali; quam vnà cum ſuo filio Clothario item Imperatore ſcripſit, quæque præfixa eſt Concilio Pariſienſi VI. ea de cauſa tunc habito, *Volueramus ſiquidem tempore congruo placitum noſtrum generale habere & in eo de communi correctione agere, &c. ſed quia tunc fieri non potuit, &c. viſum nobis præſens placitum cum aliquibus ex fidelibus noſtris habere*, &c. *Quapropter noſſe volumus ſolertiam veſtram quod in iſto præſenti placito cum fidelibus noſtris conſideranimus vt primo omnium Archiepiſcopi cum ſuis ſuffraganeis in locis congruis, tempore opportunò conuenirent, & ibi tam de ſua, quàm de omnium noſtrum correctione & emendatione ſecundùm diuinam auctoritatem quærendo inuenirent, &c.* Pergit deindè piiſſimus Imperator calamitates, quibus Deus peccata populos vltus erat, & regnum afflixerat, luculenter explicare. Et mox: *Quapropter ſtatuimus atque decreuimus cum conſultu Sacerdotum cæterorúmque fidelium noſtrorum huius rei gratia, &c. eorumdem Epiſcoporum in quatuor Imperij noſtri locis congruentiſſimè fieri, &c. in quibus conuentibus tractare, quærere, & cum Dei adiutorio inuenire debent de cauſis ad religionem Chriſtianam & eorum curam pertinentibus, &c.* Deindè quæ cogitata fuerint, vult occulta eſſe, & à Notario fideli excipi, qui iuramento ſe obſtringat ea ſe non proditurum, nimirum deferenda erant ad principem, & ad placitum generale vt ab eo comprobarentur, quod & factum eſt in generali placito Vvormatienſi, quod anno 829. habitum eſt, & quæ in quatuor Synodis Epiſcopi inuenerant confirmata, vt docet Hincmar. *De diuortio Clotarij & Terbergæ, ad Interrogat.* 5. in hoc Vvormatienſi conuentu plurimas à variis legationes, & dona accepit Ludouicus, vt ait Eginhardus ad annum 829. In his ſine dubio fuit Pontificius legatus quem interfuiſſe Concilio dicit Hincmar. *loco citato*, ſicut & Compendienſi Synodo Legati Pauli I. Georgius Prouinciæ Romanæ Epiſcopus, & Ioannes Sacellanus, quorum mentio fit, *Canone* 9. qui cum illi Synodo non præfuerint, quantum ex actibus illius & Canonibus licet colligere, non malè coniicimus non fuiſſe miſſos à Romano Pontifice ad Synodum, ſed ad Pipinum quorundam negotiorum cauſa, & ad Synodum quæ tunc habebatur honoris cauſa inuitatos fuiſſe, ac proinde de illorum legatione nulla fit mentio in actis & decretis. Ex his omnibus vides in his Conciliis regiis & conuentibus generalibus, miram inter Pontificiam & regiam auctoritatem fuiſſe concordiam, in eorum tum conuocatione, tum confirmatione eorum quæ decreta erant: nam Reges nonniſi conſultu Epiſcoporum, Sacerdotum & ſeruorum Dei, eos conuocabant, locum & tempus aſſignabãt, cùm ſoli Sacerdotes & Epiſcopi de fide agerẽt ſeorſim, de diſciplina verò Eccleſiaſtica, cùm in illa plurima continerentur quæ vt ſeruarentur & firma eſſent & vim legis in regno obtinerent, egebant authoritate regiâ, Canones ſiqui ederentur & decreta in conuentu generali primum proponebantur, & demum principi oblata ab illo denuò vim integram accipiebant: & idcirco illæ Synodi regiæ dicebantur & conuentus, Concilia, placita, colloquia. Deinde ſub prioribus poſterioris ſtirpis regibus ſucceſſit curia, conuentus, Concilium generale regni, Parlamentum Curiale, colloquium, vt videbis apud Rigordum, Hincmarum, Iuonem Carnotenſem *epiſt.* 158. Sugerium Abbatem, in geſtis Ludouici VII. ſiue iunioris *cap.* 1. vbi ait illum ducta Burdigalæ in vxorem Eleonore Aquitaniæ duciſſa, repetiiſſe Pariſios, *vbi*, inquit, *ſolent Reges antiquitus conuentum prælatorum & principum*, id eſt, *magnum parlamentum conuocare, ad tractandum ſuper ſtatu Eccleſiæ & de regni negotiis ordinandum*; nulli tamen in iis Synodis condebantur noui Canones, ſed ſatis habebant, antiquam fidem & diſciplinam Eccleſiaſticam, antiquis Canonibus ſtabilitam & illæſam ſeruare. Sic Robertus Rex anno 1017. vbi accepit à Ricardo Aurelianenſi Comite inibi nouam hæreſim Manichæorum excitatam, eò ſe contulit & conuocato Epiſcoporum, Abbatum, illuſtriorúmque laicorum cœtu, regium conuentum habuit, in huius impietatis auctorem inquiri iuſſit, & Heribertum, atque Liſonium præcipuos è Clero ſectæ capita compertos ex ſententia omnium laïcorum, ſiue, vt loquitur Glaber hanc hiſtoriam referens, *vniuerſæ plebis conſenſu, niſi celeriùs* ad ſanam *fidei mentem redeant, igne protinus cremari iuſſit.* Anno 1130. Ludouicus III. ſchiſmate Petri Leonis contra Innocentium ſecundum, Concilium regium conuocauit apud Stampas, ex Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus & viris Religioſis, id eſt, laicis, atque ex ſententia totius Eccleſiæ Gallicanæ Innocentio adhæſit, quod narrat Sugerius Abbas, & Arnulphus Sagienſis Archidiaconus aduerſus Gerardum Epiſcopum Engoliſmenſem, legatum Petri Leonis in Aquitania *cap.* 5. ait primum regnum catholicum Ludouicum vocatis Epiſcopis, toto Clero, regnique Magnatibus Concilium generale ſtatuiſſe: lege hunc auctorem apud Lucam Dacherio *tom.* 2. *ſpicilegij.* Idem habet Bernardus Abbas Bonæ Vallis *lib.* 2. vitæ S. Bernardi Claræ Vallenſis item Abbatis.

14 Arque hæc fuit Conciliorum regiorum ſeu conuẽtuum generalium regni antiqua conſuetudo, vt decreta Synodarum particularium Eccleſiaſticarum, quæ nouos Canones & leges in rempublicam indicebant, examinarentur antequàm mandarentur executioni & regnum obligarent: optima ſanè mente, nequid turbarum oriretur, atque vt facilior fieret obſeruatio: nam pœnas etiam graues aliquando violatoribus imponebat Rex in eo conuentu generali atque huius moris, ſciſſo iam ſeditionibus & bellis regno atque imminuta regum, quod indè ſequitur, Maieſtate, adhuc recenti exempla duo valdè illuſtria-

dare licet:cùm enim an.846.ex conſenſu Caroli Calui Venilo Senonenſis, Hincmarus Remenſis, & Rudolfus Bituricenſis , & deindè Guntboldus Rotomagenſis Meldis Concilium habuerit & plurimos Canones tum ex nter ioribus Synodis etiam Gallicanis collegiſſent , & paucos alios adiecisſent , & in clauſula Concilij Regem enixè rogaſſent vt ea capitula maximè quæ ipſemet decreuiſſet , & manu propriâ confirmaſſet ; atque præcedentium regum capitula *impleri*,hoc eſt obſeruari vellet,& iuberet Rex à conuentu generali in villa Spatnaco ad Matronam fluuium relegenda curauit,&diffidentibus primoribus, regni ab Epiſcoporum admonitione:ſic enim ſua decreta ad regem miſſa vocabant, & teſtabantur, ſe vti iuſſerat,conſilium ſecundùm Deum dediſſe.Rex Concilium cum proceribus , remotis ab eo Epiſcopis habuit, & ex omnibus illis capitulis, nouemdecim *tantùm* obſeruanda & complacenda ſibi collegerunt , & Epiſcopis ſcripta tradiderunt dicentes , non ampliùs de eorum capitulis quam iſta & iſta velle cum principe *obſeruare*. Anno deindè Chriſti 853. Epiſcopis, iuxt inſtituta Canonum Synodum celebrare volentibus annuit idem Rex Carolus , eóſque ad vrbem Sueſſionum in Monaſterio S.Medardi & S. Sebaſtiani X. Kalend. Maias conuenire præcepit , vbi poſthabitis ſæcularibus curis ipſe quoque Rex adeſſe dignatus eſt vt non ſolum deuotione Eccleſiæ ſe filium eſſe oſtenderet , verùm etiam ſicubi opus eſſet , protectorem regia poteſtate *monſtraret*. Sic habet eius Concilij , quod ex quinque Prouinciarum Epiſcopis coaluit præfatio, & non modò interfuit Carolus, ſed & plurima tractanda propoſuit. Quare *Canone I.* dicitur,*Cum itaque præſules diuerſarum Eccleſiarum pro rege multa humiliter & prudenter proponente tractaſſent potius quædam , quam definiſſent , &c. iam Rex abſque vlla ambitione Synodum ſolus ingreſſus ſimpliciter cum Epiſcopis reſidebat.* Nouum regiæ demiſſionis exemplum habes in Canone VI. in quo *Romanus* Rex Carolus coram ſacra Synodo quendam Diaconum Remenſis Eccleſiæ,nomine Rigamſudum impetiit,quòd præcepta falsa regio nomine compilaſſet , ſicut ad eum quorundam ſuggeſtionibus , & veroſimilibus indiciis eſſet *perlatum*. Non iudicauit igitur Diaconum læſæ Maieſtatis in falſandis regiis litteris, ſiue diplomatibus,ac, vt id temporis vocabant,præceptis, reum , ſed iudicandum Synodo detulit , quæ propter defectum plenæ & omnimodæ probationis illi interdixit , ne à Parochia Remenſi quoquo modo præſumeret abſcedere , donec ſe ab illis , quæ ei impingebantur, idoneum redderet vel competenter ſatisfacere *procuraret*. Canone VII. *ſtatuit ſancta Synodus annuente pio principe vt idonei legati dirigerentur qui ſingulorum locorum ſtatum diligentiſſimè perſcrutarentur, & quæ ipſi per ſe nō valerent corrigere,iudicio proximè futuri Concilij & poteſtati regiæ reuelarent.* Eiuſdem præterea regis modeſtiam indicant geſta Synodalia quæ *Act. I. ipſi fratres libellum conſcribentes porrexerunt Hincmaro Archiepiſcopo , qui tunc vna cum Venilone Archiepiſcopo & Amalrico Archiepiſcopo, ſub præſentia glorioſi regis domini Caroli Synodo præſidebat.* Vides itaque Carolum nōn præſidem egiſſe Synodi ſed ſuffragatorē.Poſt VII. Actionem Capitula Synodo propoſuit , & *conſultu Epiſcoporum per regnum ſuum innoteſcenda, exercenda & conſeruanda commonuit, præcepit, & confirmauit.* Quæ omnia ferè ſunt de miſſis regiis quid vnà cum Epiſcopo , & quid cum comitibus agere debeant. Hoc ipſo anno 853.menſe Auguſto in Synodo apud Vermeriam palatium , quæ in Synodo Sueſſionenſi conſtituta fuerunt relecta ſunt & approbata.Quare *Can.3.* Synodi Vermerienſis ſic habetur : *Sed & Capitula quæ ſunt Synodali conſultu , dominus Rex Carolus in Concilio memorato apud Sueſſionis ciuitatem ſacro propoſuit conuentui , coram fidelibus ſuis , in eodem Palatio Vermeria relegi fecit , & ab omnibus conſonanter ſuſcepta ſunt , & accepta.*

Anno Chriſti 855.Lotharij Imperatoris & Caroli Calui Regis 15. coactum apud vrbem Valentiam in domo Baſilicæ S.Ioannis adiacente Concilium eius nominis in quo ſic præfatur : *Cum propter Epiſcopi ciuitatem , ipſius criminibus diffamati ex iuſſione præfati pij principis reuerendiſſimi trium Prouinciarum Epiſcopi in vnum collecti reſediſſent.* Erant porrò illæ Prouinciæ, Lugdunenſis , Viennenſis & Arelatenſis , ex quibus Epiſcopi numero XIV. conuenerant.

Anno 858. menſe Nouembri Epiſcopi è Synodo apud Cariſiacum coacta ſcribunt ad Ludouicum Germaniæ Regem Caroli fratris regnum inuadentem , & in Attiniaco Palatio tunc exiſtentem, & excuſant quòd eius iuſſa non potuerint exequi,& ſe Remis , vti ſuis litteris iuſſerat , ſe ſiſtere ad Synodum. *Quatenùs ibi nobiſcum & cum cæteris fidelibus veſtris, de reſtauratione ſanctæ Eccleſiæ , & de ſtatu, ac ſalute populi Chriſtiani tractaretis*, accuſant autem anguſtiam temporis,inconuenientiam loci, & tumultus exortos, & addunt : *Quapropter nouerit veſtra Sublimitas quia mandatū veſtrum noſtra non contempſit Humilitas* , adiiciunt tamen ſua pro ſtatu rerum,vti nominant, conſilia, & de habenda Synodo generali, agunt , cap. vltimo. Anno 859. ab Epiſcopis duodecim Prouinciarum præſentibus Carolo caluo, eiuſque nepotibus Lothario & Carolo Regibus celebratum eſt Concilium, in ſuburbano Tullenſi villa Saponarias,Iunio menſe,Nicolai Pontificis anno 12. In ea Synodo *Can. VI.* Rex Carolus contra Venilonem Archiepiſcopum qui ab eo defecerat *proclamationis diploma porrexit* , qui libellus poſt Canones eiuſdem Synodi editus eſt *tomo 3. Concil. Galliæ*,& *Canon. II.* de Abbate regulari Monaſterij ſancti Benedicti, & eius priuilegiis conſeruandis rogat Carolum Synodus.*tandem* poſtulauit *humiliter* Generalis Synodus , ſe ad terram vſque proſternens ante Carolum Regem.

Anno 876. Synodus Pontigonenſis ex quinque Prouinciis iuſſu Caroli Calui coacta eundem Carolum à Ioanne VIII. iam electum & in Synodo Ticinenſi confirmatum in Imperatorem iterum elegerunt anno eius Imperij I. & regni Francici 36. in ea Synodo ſicut & in Ticinenſi Palatio capitulare edidit , *vnà cum conſenſu venerabilium Epiſcoporum & illuſtrium optimatum , reliquorumque fidelium ad honorem ſanctæ Dei Eccleſiæ,ad pacem & profectum totius Imperij* ſui , in quo ferè omnia capitula de rebus Eccleſiaſticis , Epiſcopis & presbyteris leges ferunt : interfuit quidem illi Synodo Ioannes Epiſcopus Tuſcanenſis legatus Ioannis VIII. P.R. ſed in tota ea capitulari Imperator Carolus ſuo , non Synodi nomine loquitur.

Atque hæc ſufficiunt vt antiquum Galliæ morem 15
in cogendis Synodis in conuentibus generalibus regni hactenus obſeruatum vſque ad Imperium Caroli Calui demonſtremus. Deinceps enim turbata domeſticis bellis,vt variis factionibus de Imperio & regno decertantium Gallia , conuentus eiuſmodi generales ſenſim defierunt, quamuis ſibi perpetuò eam auctoritatem retinuerint Reges, vt Synodos vel totius regni vel plurium Prouinciarum indicerent vbi , vel Regni vel Eccleſiæ neceſſitas & turbæ excitatæ id depoſcerent,atque cauſæ grauiores,in quibus de totius Eccleſię diſciplina reſtituenda,confirmanda vel ſancienda agebatur. Synodi verò Eccleſiaſticæ frequentes ſemper fuerunt & antiquorum Canonum decreta hac

in re diutiùs obſeruata ſunt tum annuentibus regibus qui ea ſeruari volebant, tum etiam indicentibus, cum ex pluribus diuerſis Prouinciis cogendæ erant Synodi; nunquam enim ſine regis permiſſu fiebant: ſi quos verò Canones, & leges eiuſmodi Synodi ſancirent, quæ nouam diſciplinam in regnum indicerent, mittebantur ad regem, qui ſua auctoritate illas firmabat, vt ab omnibus ſeruarentur, & qui eas violaſſent plecterentur, etiam pœnis grauioribus & temporalibus quas ipſe imponebat, nam pœnæ ſpirituales, iam ab ipſis Synodis inflictæ erant, & denique vt Rex eorundem nouorum Canonum & legum Eccleſiaſticarum tutorem ac defenſorem ſe præberet.

16 Indicebantur quoque Gallicanæ Synodi ab ipſo R. P. cuius obſeruantiſſima perpetuò fuit Eccleſia Gallicana, vt ex ipſis Synodis conſtat, id verò fiebat tribus modis. 1. ſcribebant ad Regem vt Synodum fieri præciperet: ſic Bonifacius nomine Zachariæ perſuaſit Carolo Martello & Carolomano Francorum ducibus iuberent Synodos fieri in iis partibus quæ ipſorum adminiſtrationi parebant. Et Gregorius Magnus anno 599. contra Simoniacos voluerit Synodum haberi & rogat Brunechildem vt id iuſſio regia conſtituat *lib. 7. Epiſt.* 113. eaque de cauſa rogat Theodoricum & Theodebertum reges *lib. 7. Epiſt.* 114. vide eundem *lib. 9. Epiſt.* 49. & *Epiſt.* 53. 56. & 57. 2. ipſemet Pontifex aliquando indicebat, vt factum à Nicolao variis de cauſis iudicandis ac retractandis ſcimus, & aliquandò ipſi in Gallia præſentes cogebant, quod peruulgatum eſt, & *alibi* dicetur. 3. legatos & Vicarios ſuos ad id mittebant, non tamen vnquã inconſulto, & non niſi annuente Rege, ſed de his legatis, vel Vicariis, ſiue ad certum aliquod negotium, ſiue perpetuis fuſiùs agemus *tomo* 3. vbi de vniuerſa hierarchia, quæ hoc loco libanda non ſunt, ne grauem & implexam quæſtionem perfunctoriè tractaſſe videamur.

17 Ad extremum circa Synodos Gallicanas reſtaret explicanda earum auctoritas in definiendis cauſis & controuerſiis, & an ab earum ſententiis, licuerit ad aliam Synodum prouocare, an ad ſedem Apoſtolicam & plurima eiuſmodi, quæ magnam partem pertinent ad tractatum de iudiciis Canonicis, quem annuente Numine, accuratum pollicemur *tomo* 3. *huius operis*. Hoc vnum in præſentiarum moneo, in dubiis cum neutrius partis erant ſatis liquidæ probationes ſemper conſultam eſſe ſedem Apoſtolicam, tum à Regibus, tum ab ipſiſmet Gallicanis Synodis, vt exemplis illuſtribus demonſtrat Marca *lib. 6. cap.* 25. §. *vltimo*, & *cap.* 26. *num.* 2. quæ nos *tom.* 3. vbi de appellationibus, afferemus.

CAPVT VI.

De iure priuato & proprio ſingularum Eccleſiarum.

QVÆSTIO I. *An ſit aliquod ius priuatum & proprium Eccleſiaſticum.*

QVÆSTIO II. *An Epiſcopus in ſua Parochia ſiue Diœceſi, Metropolitanus in Prouincia Exarchus in Diœceſi, & Patriarcha in Patriarchatu poſſit ius proprium Eccleſiaſticum conſtituere.*

QVÆSTIO III. *An ſacra Collegia & Societates poſſint ſibi ius proprium conſtituere.*

QVÆSTIO IV. *An Parochus poſſit in ſua plebania vel Parochia ius proprium Eccleſiaſticum ferre.*

NON vſurpo nomẽ priuati & proprij iuris in ea omnimoda ſignificatione quam ſequuti Iuſtinianum accepimus, *lib. proximè ſuperiori cap.* 7. *q.* 1. & 2. vbi de his vocibus fuſiùs diſputauimus. Sed ſicut vocamus ius commune Eccleſiaſticum illud, quo vel tota Eccleſia Chriſtiana, vel ampliores & illuſtriores eius partes vtuntur, ita proprium & priuatum illud dicimus quod ſingulares aliquæ Eccleſiæ præter ius commune ſequuntur, quamquam ſi rem ad viuum reſecare placeat, illud tantùm ius commune hoc loco dici deberet quo vniuerſa Eccleſia Chriſtiana regitur, quod vel in Scriptura ſacra, vel in legibus, & Canonibus Synodorum Occumenicarum continetur: proprium verò, & priuatum ius illud erat quod vniuerſæ Eccleſiæ partes, vt Eccleſia Orientis, Occidentalis, Africana, Gallicana, Hiſpanienſis, & aliæ eiuſmodi ſibi conſtituerent in ſuis Synodis Patriarchalibus, Diœceſanis, Prouincialibus à quibus proprios & priuatos ſibi Canones ac leges Eccleſiaſticas acceperunt, ſicut Iuſtinianus ius commune vocat, quo gentes omnes vtuntur: ius verò ciuile proprium ciuitatis alicuius, vt ius Romanum, Athenienſe, Lacedemoniorum. De hoc iure proprio Eccleſiaſtico egimus, *cap. ſuperiori*, in vniuerſum, illud ſiquidem à Synodis non Occumenicis ſancitur, de quibus fuſè, vt vides, diſputauimus. Aliud eſt prætereà ius priuatum & proprium, quod ne quidem vni genti, regno, Diœceſi aut Prouinciæ commune eſt, immò neque aliquando toti vni Epiſcopatui aut Parochiæ, ſed ſingulari omninò alicui Eccleſiæ aut communitati Eccleſiaſticæ, quæ ſuas ſibi ſanciuit aut ab alio ſancitas accepit leges aut vſu diuturno & continuis moribus ſeruauit, quod ſanè priuatum, & proprium eſt, cum non ſit aliis commune, aut ſi quando ab aliis vſurpetur, id non ſit ratione alicuius communis inter ſe iuriſdictionis, ſed quod ſinguli illud ſibi ſuiſque rebus commodum rati elegerunt. Quare in eo eſt potiùs quædam ſimilitudo quàm communitas, quomodo plures leges Athenienſibus & Lacedemoniis fuere ſimiles non communes, cum vnam eandemque rempublicam non conſtituerent & non ideò ſeruarentur Lacedemone, quia Athenis latæ erant & qui illas Athenis ſanciuerant, non illas Lacedemoniis edixerunt. Neque ſemper verum eſt quod ex Cicerone referebamus aliàs, vbi eſt iuris ſimilitudo, ibi eſſe communitatem ciuitatis, niſi illa ſimilitudo iuris ſit omnimoda & ab eadem auctoritate profecta. De hoc itaque iure priuato & proprio in hac ſtrictiori ſignificatione diſputamus hoc capite, de communi enim tum vniuerſæ Eccleſiæ, tum aliquibus eius partibus egimus hactenùs. De eo porrò duo quærenda ſunt, primum an detur eiuſmodi ius aliquod, ſecundum à quo illud conſtitui poſſit.

QVÆSTIO I.

An ſit aliquod ius priuatum ſiue proprium Eccleſiaſticum.

Probatur ius eiuſmodi ex municipiis, n. 1.
Ex variis Sodalitatibus, n. 2.
Et ratione, n. 3.
A quonam condi poſſit, n. 4.

1 DAri ius aliquod proprium Eccleſiaſticum oſtendi facilè poteſt ex iure municipali; Municipes enim ita Ciues Romani erant, vt tamen rempublicam ſeparatam haberẽt, ſua ſacra, & ſuas leges. Seruij filius, inquit Feſtus, *aiebat initia fuiſſe qui ea conditione ciues Romani fuiſſent, vt ſemper Rempublicam ſeparatim à populo Romano haberent, Cumanos videlicet, Acerranos, Atellanos, qui aeque Ciues Romani erant, & in legione merebant, ſed dignitates non capiebant.* Paulus verò. *Municipium id genus hominum dicitur, qui cum Romam veniſſent, neque Ciues Romani eſſent, participes tamen fuerunt omnium rerũ ad munus fungendum vnà cum Romanis Ciuibus, præterquàm de ſuffragio ferendo, aut magiſtratu capiendo; ſicut fuerunt Fundani, Formiani, Cumani, Acerrani, Lanuuini, Tuſculani, qui poſt aliquot annos Ciues Romani effecti ſunt. Alio modo id genus hominum definitur, quorum ciuitas vniuerſa in ciuitatem Romanam venit: vt Affricani, Carites, Anagnini. Tertiò id genus hominum definitur, qui ad ciuitatem Romanam ita venerunt, vti municipia eſſent ſua cuiuſque ciuitatis ac coloniæ, vt Tiburtes Praneſtini, Piſani, Arpinates, Nolani, Bononienſes, Placentini, Nepeſini, Sutrini. Lucenſes.* Ex Paulo igitur, tria erant genera municipum, prout Ciuitate Romana donati erant, ſinguli ſua ſibi propria ſacra, leges, & iura retinebant, quod obuium eſt in iure, & colligitur ex *C. de municipib. & originariis, & D. ad municipalem*, vbi legem ſubintelligunt Politianus, Budæus, & Fornerius *lib. 1. Selectorum cap. 13.* reprehenſi à Cuiacio *lib. 9. obſeruat. cap. 37.* cum toto eo Titulo nihil de lege municipali agatur, *quæ enim de lege*, inquit Cuiacius, *an de certa aliqua, an de omnibus municipiorum propriis, & earum condendarum poteſtate?* neutrum occurret. Is titulus *l. 2. C. de veteri iure enucleando*, inſcribitur *ad municipales*, & non *ad municipalem*, quaſi ad municipes, de quibus omninò agitur, & Baſilicæ inſcribunt περὶ πολιτῶν. ſunt igitur ex Feſto propriè Ciues Romani ex Municipiis ſuo iure & legibus vtentes; muneris tamen honorarij cum populo Romano participes, nullis aliis neceſſitatibus, neque vllis populi Romani legibus adſtricti, cum numquam populi Romani, eorum fundus factus ſit: Coloniæ municipiis contrariæ: nam ex ciuitate Romana prognatæ ſunt, & iura omnia populi Romani, non ſui arbitrij habent: quæ conditio etſi ſit magis obnoxia, & minùs libera, potior tamen & præſtabilior exiſtimatur propter amplitudinem populi Romani, cuius iſtæ Coloniæ, quaſi effigies paruæ ſimulachraque eſſe videntur. Ita Aulus Gell. *lib. 16. cap. 13.* Erant igitur municipalia iura, quibus municipia vtebantur, quibus comparare licet priuatas Eccleſias, cum eo tamen diſcrimine; quod municipia nulla lege populi adſtricta eſſent ſed ſuis vterentur, priuatæ verò Eccleſiæ & vniuerſæ Eccleſiæ legibus communibus vtantur, & ſuas tamen proprias ſeruent. Vnde licet non ſint propriè loquendo municipia, non ſunt etiam Coloniæ quæ nullis legibus, quam Romanæ Ciuitatis vtebantur, nam Eccleſiæ priuatæ vniuerſalis Eccleſiæ legibus ſimul, & ſuis propriis reguntur.

Confirmari idem poteſt ex variis Collegiis & ſo- 2 dalitatibus quas Græci ἑταιρείας dicunt, quibus *l. Sodales 4. D. de Collegijs, poteſtatem facit lex pactionem, quam velint ſibi ferre, dum ne quid ex publica lege corrumpant*: lex verò quæ permittit collegiatis ſibi pactionem & iura facere, eſt antiqua Solonis lex, & vt ibidem affirmat Caius, quam & ipſe adducit, idem traditur *l. 1. D. ead. §. 1.* Ex diui Seueri reſcripto *religionis cauſa coire non prohibentur, dum tamen non fiat contra SC. quo illicita collegia arcentur.* Cum igitur Collegia intra eandem ciuitatem ſuas ſibi leges & iura propria ſanciant, quæ tamen communibus non derogent, neque aduerſentur, cur priuatæ Eccleſiæ ſuas etiam ſibi leges quibus conſeruentur, & quæ communibus nihil derogent, condere non poterunt?

Exemplum habemus in variis moribus & ritibus diuerſarum Eccleſiarum, atque in tam multis Canonibus & regulis à tot ſynodis diœceſanis, & metropolitanis magnâ laude & prudentiâ ſancitis: ex quibus etiam mirabilibus illa Eccleſiarum diuerſitas cum vnitate coniuncta eluceſcit, ex quibus fit vt vna perpetua ſit & conſtans Eccleſiæ vnitas vt tam ſæpè inculcat Cyprianus, & nos ex illo nonnunquam monuimus.

Denique manifeſta ratio hanc proprij iuris diuer- 3 ſitatem & multiplicitatem euincit, nam cum morum, temporum, negotiorum, opportunitatum, & variarum circumſtantiarum neceſſitas, varias diuerſaſque leges exigat, neque communis vnuſque legiſlator poſſit omnibus & ſingulis occurrere, & quæ vni ſunt commoda, aliis importuna exiſtant, neceſſarium eſt vt pro illa diuerſarum perſonarum, nationum ac morum varietate diuerſæ leges exiſtant, cum vna eademque ſingulis & omnibus vtilis eſſe non poſſit. Deindè cum diuerſæ ſodalitates & ſocietates in vna eademque ciuitate ad eius commodum neceſſariæ ſint, neque eæ ſodalitates coaleſcere poſſint niſi aliquo iuris vinculo inter ſe colligentur, ius illud proprium & peculiare ſit oportet, ſi enim commune fuerit, non facient peculiarem ſodalitatem ſed communem cum aliis omnibus, ſi illis in omnimodo iure communicet: vt enim dicebat Cicero, vbi eſt communio iuris, ibi eſt communio ciuitatis, quæ non erit tantùm communio ſed omnimoda vnitas, ſi idem prorſùs ſit ius, in quo ſit communio, nullaque prorſùs diſtinctio: quæ omnia demonſtrant (niſi fallor) aliquam iuris diuerſitatem in diuerſis Eccleſiis eſſe oportere. Omnia & ſingula corporis membra diuerſam conſtitutionem, operationem, motum, ſenſum, affectiones, morbos, vitia, remedia, habent præter communem totius corporis ſpiritum & motum, quod in Eccleſiæ myſtico corpore nemo diffitebitur.

Quare inquirendum dumtaxat reſtat, à quo ius 4 iſtud proprium condi poſſit, & debeat, cum aliæ ſint Eccleſiæ Patriarchales, aliæ diœceſanæ, Metropolitanæ, aliæ Epiſcopales, & denique inferiores, quæ ſingulæ eiuſmodi ius proprium habere poſſunt, ſunt item & quædam collegia & ſodalitates, tum Eccleſiaſticorum, vt Canonicorum & virorum religioſorum, tum laicorum, ad finem aliquem Eccleſiaſticum aut ſacrum, de quibus omnibus quæri poteſt, à quo ius peculiare, quo reguntur, accipiant, an à ſolo præſide, an à tota communitate, an ab aliquo alio ſupremo.

QVÆST.

QVÆSTIO II.

An Epiſcopus in ſua Parochia ſiue Epiſcopatu, Metropolitanus in Prouincia, Exarchus in Diœceſi, & Patriarcha in Patriarchatu, proprium ius Eccleſiaſticum ſancire poſſint & quomodo?

Quid poſsint Epiſcopi, n. 1.
Quando, & quomodo, n. 2. & 3.
Quid Archiepiſcopi, & ſuperiores, n. 6.
Quid legati, & Vicarij Pontificij, ibidem.

1 DVbium eſſe nequit quin in Synodis Patriarchalibus, Diœceſanis, Prouincialibus & Epiſcopalibus ſiue ciuilibus, de quibus omnibus proximè *ſuperiori capite* diſputauimus, poſſint Canones & leges Eccleſiaſticæ propriè ſanciri, ad id enim coguntur eiuſmodi Synodi vt Eccleſiæ neceſſitatibus occurratur efficaciùs, *quandò ſimul adſunt, & vno lumine micant tot ſpecioſiſſima tabernacula Dei, tot membra excellentiſſima corporis Chriſti*, inquit Leo *ſerm. 1. de ſua aſſumpt.* Et ſanè non alium finem ſibi proponunt prælati, qui Synodos iſtas conuocant, neque ipſæmet Synodi, quàm quæ ad emendationem morum Eccleſiaſticorum, & Eccleſiæ vtilitates pertinent, vt habet Concilium Aluern. *cap. 1.* & ferè omnes Synodi in initio conuentus ſui teſtantur. Quia verò prælati, de quibus agimus hoc loco ſunt earum Synodorum capita & præſides, poſſunt etiam vnà cum illis & in illis leges Eccleſiaſticas ac ius Prouinciæ ſuæ & Eccleſiæ proprium condere. Quæſtio igitur eſt de eiuſmodi Prælatis ſeorſim ſumptis, an ipſi ſine Synodo Diœceſana, Prouinciali aut Patriarchali eâque inconſulta proprium ius, & legem ſtatuere; quæ quæſt. ſupponit aliam multò implicatiorē, & quam *ad tom. 3. de Hierarch.* & de eiuſmodi prælatorum poteſtate tractandam remittimus. Quare paucis dumtaxat hoc loco poſitam controuerſiam definiemus.

2 Ordior igitur ab Epiſcopis, quos in ſuis Epiſcopatibus poſſe condere leges Canonicas affirmo cum Suar. *lib. 4. de legib. cap. 4. num. 2.* & aliis paſſim Doctoribus: eos enim conſtituit Spiritus ſanctus regere Eccleſiam Dei, inquit Paul. *Act. 20.* ſuntque Paſtores ordinarij, quibus ligandi, ſoluendique facultas data eſt. Quare ex vi proprij muneris, & iure ordinatio ipſis competit, ſtatuta & leges condere, id tamen malè colligunt aliqui, apud eundem Suar. *lib. 6. ex cap. cum omnes 6. & cap. cùm acceſſiſſent 8. de conſtitutionibus*: nam in illis ne vllum quidem verbum eſt, quod in hanc rem trahi valeat: *Capite enim cum omnes*, agitur de quodam ſtatuto à Canonicis Trecenſibus poſito circa perceptionem integrorum fructuum à ſolis Canonicis reſidentibus. Impetrat autem Innocentius III. vt Epiſcopus Trecenſis, iuniores Canonicos antiquis coæquet: *cap.* verò *cùm acceſſiſſent* agitur de Primiceriatu Eccleſiæ Tullenſis, ad ſedem Apoſtolicam deuoluto, nihilque illis locis, vt vides, de poteſtate legum Latina Epiſcopi tractatur. Ineptè etiam affertur *cap. 1. de conſecrat. diſt. 3.* Vbi indicitur certorum feſtorum feriatio & modus illius feriationis, nam feſta illa ibi indicuntur ex auctoritate Concilij Lugdunenſis, non alicuius ſingularis Epiſcopi. Efficaciùs igitur eiuſmodi auctoritas Epiſcopi probatur *ex c. ſi quis 2. de maioritate & obedientia.* Vbi ſi quis contra decretum Epiſcopi venerit, ab Eccleſia abiici videtur, vel ex Agathenſi Synodo anathemate percelli; quia, qui non obedierit principi, morte plectendus eſt, *1. Reg. capite 13.* Si autem Epiſcopus habet vim coactiuam, multò magis habebit directiuam. Hæ porrò duæ facultates ad veram, & propriè dictam iuriſdictionem omninò ſufficiunt, quæ iuriſdictio cùm ſit in totam communitatem, legiſlatiua prorſus erit. *cap.* item *vt animarum 2. in 6.* Bonifacius VIII. facultatem condendi ſtatuta agnoſcit in Epiſcopo.

Non poteſt tamen Epiſcopus aut derogare iuri 3
communi, aut aliquid contra ea, quæ R. P. ſibi reſeruauit, aut illi prohibuit, ſuis legibus ſtatuere, quia in his omnibus inferior eſt. Quare Innocentius III. expoſtulat, cum Antiocheno Patriarcha, quòd Lucum Apameenſem electum licet, nondum conſecratum, in Tripolitanam Eccleſiam tranſtulerat, eo quod eiuſmodi Epiſcoporum tranſlationes ad ſedem Apoſtolicam pertineant. Inde etiam fit vt in cauſis grauioribus cuiuſmodi ſunt nouæ fidei declarationes, & ea quæ vniuerſalibus conſuetudinibus aut ritibus Eccleſiæ repugnarent, nihil poſſit ſine Pontificis conſenſu, in aliis autem omnibus non egeat eius approbatione.

Non tenetur etiam conſenſum Cleri, aut populi 4
in ferendis legibus Epiſcopus expectare niſi in caſibus à iure expreſſis: quia ab illis in ſua iuriſdictione non pendet, neque vlla ratio cogit eam ita coarctare, niſi forraſſis ea ſtatuta officerent priuilegiis ab alio ſuperiore Clero vel populo conceſſis: iis enim inuitis, illa tollere aut minuere non poſſet, maximè ſi confirmata fuiſſent à Pontifice.

Duo verò vlteriùs quæri poſſunt, an videlicet ea 5
poteſtas legiſlatiua Epiſcopalis, ſiue iuriſdictio ſit omninò diuina, an humana & conceſſa à Pontifice, & an omnes Epiſcopalibus ſtatutis ligentur, quod poſtremum definiemus, *lib. 7. vbi de obligatione iuris Canonici*, primum verò illud de iuriſdictione Epiſcopali quomodo ſe habeat ad Pontificem, & an ſit ex iure diuino, an ex iure etiam humano, diſceptabitur *fuſius tomo 3. vbi de Hierarchia*, iterùm adi Suar. *lib. 4. de legibus.*

Archiepiſcopi & Metropolitani, Exarchi & Patri- 6
archæ poſſunt in ſuis ſingularibus Diœceſibus & Epiſcopatibus, id omne quod Epiſcopi in ſuis Parochiis & Epiſcopatibus, eandem poteſtatem habent legiſlatiuam, ſicut alij Epiſcopi ſibi ſubditi: ratio manifeſta eſt, quia illi ſunt peculiares, & veri Epiſcopi illorum Epiſcopatuum; in Prouincia verò Patriarchali & Diœceſi ratione ſuæ dignitatis nihil poſſunt niſi quod ipſis vel iure ſpeciali, vel conſuetudine vel priuilegio conceditur, poſſunt quidem conuocare Synodos, illis præeſſe, cauſas Epiſcoporum iudicare, & alia eiuſmodi, & ſunt immediati ſuperiores Epiſcoporum in iſtis, ſed nihil poſſunt in Diœceſibus ſibi ſubditorum Epiſcoporum, quorum omnium ratio vniuerſaliſſima eſt, quia omnes iſtæ dignitates, Metropolitica, Exarchatus, Patriarchatus, ratione quarum præeminent Epiſcopis, ſunt dumtaxat ex iure Eccleſiaſtico, vti ſuperiore cap. diximus, & iterùm *tomo 3.* docebimus. Nihil igitur ipſis aliud tribuunt iſtæ dignitates, quam quod illis iure ſpeciali concedit Eccleſia, quæ & hoc ipſum declarauit, nam Nicolaus I. ſic ſcribit Rhodolpho Bituricenſi Archiepiſcopo, & refertur *cap. Conqueſtus IX. quaſt. 3. conqueſtus eſt Apoſtolatui noſtro frater Sigedodus Archiepiſcopus Narbonenſis, quod Clericos ſuos, eo inuito ad iudicium tuum venire compellas, & de rebus ad Eccleſiam pertinentibus, eo inconſulto quaſi iure Patriarchatus tui diſponas, cum*

hoc

hoc nec antiquitas (cui Patres ſanxerunt reuerentiam) habeat, & auctoritas ſacrorum Canonum penitus interdicat: niſi fortè pro cauſis quæ apud ſe terminare non poſſunt, ad te quaſi ad Patriarcham ſuum prouocauerint, vel ſi Epiſcopus ſuus deceſſerit res Eccleſiæ ſuæ iudicio tuo diſpenſare voluerint, Primates enim vel Patriarchas nihil priuilegij habere præ cæteris Epiſcopis niſi quantum ſacri Canones concedunt & priſca conſuetudo illis antiquitus contulit, definimus: ita vt ſecundùm Nicænas regulas ſua priuilegia ſeruentur Eccleſiis, præterquàm ſi Apoſtolica ſedes aliquam Eccleſiam, vel ipſius rectorem ſpeciali priuilegio decreuerit honorare. Quæ Nicolai definitio notanda omninò eſt, cum & expreſſa ſit & antiquos Canones alleget, nam *Can.* 33. Apoſtolorum iubet Epiſcopos nihil agere contra ſui Metropolitani conſcientiam & Metropolitanum etiam nihil facere ſine Epiſcoporum ſuorum conſilio, & vnumquemque facere, quæ ad ſuam Parochiam pertinent, & pagos qui ei ſubſunt, τοὺς ἐπισκόπους ἑκάστου ἔθνους εἰδέναι χρὴ τὸν ἐν αὐτοῖς πρῶτον, καὶ ἡγεῖσθαι αὐτὸν ὡς κεφαλὴν καὶ μηδέν τι πράττειν περιττὸν ἄνευ τῆς ἐκείνου γνώμης, ἐκεῖνα καὶ μόνα πράττειν ἕκαστον ὅσα τῇ αὐτοῦ παροικίᾳ ἐπιβάλλει καὶ ταῖς ὑπὸ αὐτὴν χώραις, ἀλλὰ μηδὲ ἐκεῖνος ἄνευ τῶν πάντων γνώμης ποιείτω τι· οὕτως γὰρ ὁμόνοια ἔσται. Epiſcopos vniuſcuiuſque gentis noſſe oportet eum, qui in ipſis primus eſt, & exiſtimare eum vt caput, & nihil quod ſit arduum, & magni momenti, præter eius ſententiam facere, illa autem vnumquemque facere, quæ ad ſuam Parochiam & pagos & ſubiectos pertinent, ſed nec ille, abſque omnium ſententia quidquam agat. Sic enim erit concordia. Hic ſine dubio Canon, qui allegatur nomine Canonis abſolutè *cap.* 1. 9. *quæſt.* 3. quod Gratianus ibi recitat ex Concilio Martini cum reuerà ſumptum ſit ex Martini Bracarenſis capitulis *c.* 4. Clarius eundem Canonem adducit Concilium Antiochenum *c.* 9. vbi neque Epiſcopos ſine conſenſu Metropolitani, neque Metropolitanum ſine ſententia ſuffraganorum Epiſcoporum quidquam agere prohibet, δίχα τοῦ τῆς μητροπόλεως ἐπισκόπου μηδὲ αὐτὸν ἄνευ τῆς τῶν λοιπῶν γνώμης: vbi vides Concilium vti eadem voce γνώμης, tam circa Metropolitanos reſpectu ſuffraganeorum, quam circa inferiores Epiſcopos reſpectu Metropolitani, vt oſtendi pari iure mutuũ illum conſenſum requiri, ſed vt videas Canonem Antiochenum ſumptum eſſe ex Canone Apoſtolico vtriuſque verba confert & eadem ferè eſſe comperies: τοὺς, inquit Antiochen. καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν εἰδέναι χρὴ τὸν ἐν τῇ μητροπόλει προεστῶτα ἐπίσκοπον καὶ τὴν φροντίδα ἀναδέχεσθαι πάσης τῆς ἐπαρχίας διὰ τὸ ἐν τῇ μητροπόλει πανταχόθεν συντρέχειν πάντας τοὺς τὰ πράγματα ἔχοντας ὅθεν ἔδοξε καὶ τῇ τιμῇ προηγεῖσθαι αὐτὸν μηδέν τε πράττειν περιττὸν τοὺς λοιποὺς ἐπισκόπους ἄνευ αὐτοῦ κατὰ ἀρχαῖον κρατήσαντα τῶν πατέρων ἡμῶν κανόνα, ἢ ταῦτα μόνα ὅσα τῇ ἑκάστου ἐπιβάλλει παροικίᾳ καὶ ταῖς ὑπ' αὐτὴν χώραις, ἕκαστον γὰρ ἐπίσκοπον ἐξουσίαν ἔχειν, τῆς αὐτοῦ παροικίας διοικεῖν τε μετὰ τὴν ἑκάστῳ ἐπιβάλλουσαν εὐλάβειαν καὶ πρόνοιαν ποιεῖσθαι πάσης τῆς χώρας, τῆς ὑπὸ τὴν αὐτοῦ πόλιν, ὡς καὶ χειροτονεῖν πρεσβυτέρους καὶ διακόνους, καὶ κατὰ κρίσεως ἕκαστα διαλαμβάνειν, περαιτέρω δὲ μηδὲν πράττειν ἐπιχειρεῖν δίχα τοῦ τῆς μητροπόλεως ἐπισκόπου, αὐτὸν ἄνευ τῆς τῶν λοιπῶν γνώμης. Per ſingulas regiones Epiſc. conuenit noſſe Epiſcopũ Metropolit. totius Prouinciæ curam, & ſollicitudinem gerere, propter quod ad Metropolitanum vndique omnes qui videntur habere negotia concurrant, vnde placuit eum honore præcellere, & nihil ſine ipſo cæteros Epiſcopos magni momenti aggredi, ſecundum antiquum patrum noſtrorum Canonem, niſi ea ſolá, quæ ad vniuſcuiuſque Parochiam conferunt, & ad regiones & ſubiectos, oportet enim vnumquemq; Epiſcopum habere ſuæ Parochiæ, & Diœceſis poteſtatem, & prouidentiam totius ſubiectæ regionis ſecundùm competentem ipſi reuerentiam, ita vt illi liceat Presbyteros & Diaconos ordinare, & de ſingulis illius regionis cauſis cum moderatione & pondere diſceptare. Nihil autem amplius illi agere permittitur, citra Metropolitani conſcientiam, neque etiam Metropolitano ſine reliquorum Epiſcoporum conſilio, quidquam agere conceditur. Hoc porrò Concilium Africanum à Conſtantio in encæniis & dedicatione templi quod Dominicũ Aureum nuncuparunt, coactum ad damnationem Athanaſij, quamuis Arrianum fuerit, eius tamen Canones qui veterẽ diſciplinam teſtantur, & recepti ſunt, & ſæpius allegantur. Vides itaque Canonem Apoſtolicum & Antiochenum & eandem ſententiam iiſdemque ferè verbis continere & Metropolitanum nihil in Prouincia aggredi poſſe ſine ſententia comprouincialium Epiſcoporum, & multò minùs leges ac Canones vniuerſæ Prouinciæ præſcribere, aliis inconſultis. Vides quoque ſingulos Epiſcopos ſuæ Parochiæ, & Epiſcopatus curam ac ſollicitudinem gerere, quamuis aliquid magni momenti, ſine conſcientia ſui Metropolitani ſuſcipere non debeant. Quare ſi nouam aliquam & magni momenti legem ferret, debebat ex antiquis Canonibus Metropolitanum conſulere, & ab illo licebat ad Metropolitanum prouocare vt dicetur tractatu de iudiciis Canonicis. Quare iſta hactenus adducta ſufficiant hoc loco: quæ porrò diximus de Archiepiſcopis, eadem de Exarchis, primatibus, & Patriarchis, reſpectu ſibi ſubiectarum regionum & Prouinciarum dicenda ſunt.

Quæri porrò idem poteſt de Cardinalibus, an ipſi leges ferre poſſint in Eccleſiis ſuorum titulorum: 7
& Reſpondeo poſſe, quia in illis habent iuriſdictionem quaſi Epiſcopalem, quod ipſum affirmamus de Abbatibus habentibus iuriſdictionem Epiſcopalem in ſuis quaſi Diœceſibus, de legatis, Vicariis Pontificiis, an in ſua Prouincia poſſint condere leges, dicemus *citato* ſæpiùs *tomo* 3. *de Hierarchia*: moneo tantum in præſentiarum iure ordinario id poſſe, eaſque leges, tamdiu duraturas, quamdiu vel à Pontifice, vel ab alio poteſtatem æqualem habente, non reuocabuntur: id enim perſpicuè definitur, *cap. Nemini* 10. *de officio legati. Nemini dubium eſſe volumus* (inquit Gregorius IX.) *quin legatorum ſedis Apoſtolicæ ſtatuta edita in Prouincia ſibi commiſſa durent tanquam perpetua, licèt eandem poſtmodùm fuerint egreſſi.*

QVÆSTIO III.

An ſacra collegia & Sodalitates poſſint ſibi proprium ius conſtituere.

Collegium Cardinalium, n. 2. & 3.
Collegium Canonicorum, n. 6. & 7.
Communitates Clericorum, n. 9.

Sacra iſta Collegia nomino, imprimis cœtum Epiſcoporum in Conciliis Oecumenicis, vel non Oecumenicis, Collegium Cardinalium, deindè Canonicorum, & demum Clericorum quorumdam ſocietates, qui vni alicui Eccleſiæ deſeruiunt. De Collegiis Epiſcoporum diximus hactenùs *duobus ſuperioribus capitibus*, certúmque iam nobis eſt iſtos Epiſcoporum conuentus poſſe leges ferre, ſiue vniuerſæ 1

in

in Conciliis Oecumenicis, ſiue certis quibuſdam Prouinciis, aut regionibus in Conciliis non Oecumenicis. Neque circa hanc quæſtionem quidpiam addendum videtur: reſtant tria illa reliqua collegia, de quibus non agimus hoc loco, niſi præciſe quoad poteſtatem condendi peculiares leges, aut ſtatuta, quibus ſibi proprium ius condant, quod vel ipſos, vel etiam alios quoſdam obliget.

Obſeruandum verò eſt communitates iſtas poſſe quidpiam ad bonam ſui ipſius adminiſtrationem & regimen, duobus modis ſtatuere. Primo quidem per modum veræ & propriæ legis, quæ oritur ex poteſtate iuriſdictionis & per ſe ſuos ſubditos perpetuò obligat. 2. per modum pacti cuiuſdam, in quod vel omnes, vel maior pars conſenſit, atque ſe obligauit, etiam ad pœnas, ſi ſecùs fecerint. Quod ſtatutum non eſt verè lex, & non poſtulat in ſtatuente poteſtatem iuriſdictionis, vt optimè diſtinguit Suar. *lib.4. de legibus, cap.6.* atque ita varias Canoniſtarum ſententias ſapienter conciliat.

2 Collegium Cardinalium viuente Papâ nullas leges Eccleſiaſticas ferre poteſt, quibus vel vniuerſam Eccleſiam, vel ſeipſos obliget: quia nullam per ſe & ſeorſim à Pontifice viuente habent iuriſdictionem ordinariam, quamuis ſinguli in ſuis titulis habeant, vt diximus *q. proxima*, iuriſdictionem Epiſcopalem, quæ extra illos titulos, & veluti Parochias non porrigitur; immò neque viuente Pontifice, eóque inconſulto poſſunt in vnum coïre ad diſponendum de iis, quæ pertinent ad regimen Eccleſiæ, neque proinde ferre leges Eccleſiæ inuito aut inſcio Pontifice, niſi velis viam ſchiſmatibus aperire.

3 Idem Collegium Cardinalium vacante Sede non poteſt ferre leges vllas, quæ vniuerſam Eccleſiam obſtringant. Ita Gloſſa *in Clem. vnic. de Schiſmaticis, verſ. Sede vacante.* Panormit. *in cap. cum te, de re iudicata, num.* 13. Felin. *ibid. num.* 11. & alij: quia nullam iuriſdictionem in Eccleſiam habet, quam tamen legiſlatio requirit: vel enim illam habet ex iure quodammodo naturali ratione dignitatis Cardinalitiæ, quæ ſemel inſtituta, requirit ſimilem, vel ex iure diuino poſitiuo, vel ex iure denique Eccleſiaſtico. Primum dici nequit, cùm natura dignitatis Cardinalitiæ illam non exigat: ius verò diuinum nullibi habemus; Eccleſiaſticum quoq; contrarium omninò exiſtit. Nam Clement. *ne Romam, de Electìon.* prohibet, immo irritum, & inane decernit, quidquid poteſtatis aut iuriſdictionis, ad Romanum dum viuit Pontificem pertinentis; cœtus Cardinalium dixerit exercendum, nihilque aliud quàm quod Gregorius X. in ſua conſtitutione edita in Concilio Lugdunenſi permittit. In ea verò conſtitutione quæ etiam adducitur *cap. vbi periculum, de electione in.* 6. Gregorius de ſola dumtaxat electione Romani Pontificis agit, & Alexandri III. ſanctionem in Concilio Lateranenſi editam confirmat, pleraque alia quæ opportuna viſa ſunt adiiciens; neque verbum vllum habet de iuriſdictione.

4 Neque dicas cum Iacobatio *lib.* 1. *de Cardinalib. Artic.* 12. Albano *ſimili tractatu, q.*42. & Manfredo, item de Cardinalib. *deciſ.*6. Senatum Eccleſiæ Romanæ, Collegium Cardinalium eſſe voluit Conſtantinus in priuilegio quod indulſit Romanæ Eccleſiæ, & refertur *cap. Conſtantinus* 14. *diſt.*96. Senatum verò poſſe leges condere habetur, *l. non ambigitur, D. de legib. Deindè* tunc Collegium iſtud repræſentat totam Eccleſiam, cùm eius vice, & nomine Pontificem, qui toti præeſt, eligit, quæ omninò nihil faciunt ad adſtruendam iuriſdictionem collegij Cardinalium mortuo Pontifice, in vniuerſam Eccleſiam, cùm ipſamet Eccleſia in Concilio Oecumenico Lugdunenſi probans & admittens conſtitutionem allatam Gregorij X. iuriſdictionem ſolùm ipſi tribuat, ad eligendum Pontificem nouum in locum demortui, cui & poſt decem dies omninò intendere vult. Quod verò inſtar Senatus Romani Cardinales eſſe voluerit Conſtantinus, importunè affertur; id enim tribuit omnibus reuerendiſſimis Clericis, in diuerſis ordinibus, *eidem Romanæ Eccleſiæ ſeruientibus, illud culmen ſingularitate, potentia, & præcedentia habere ſancimus, cuius ampliſſimus noſter ſenatus videtur gloriâ adornari, id eſt Patritios atque Conſules effici, nec non & cæteris dignitatibus Imperialibus eos promulgamus decorari.* Quæ, vt vides, omnibus Clericis reuerendiſſimis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſeruientibus, qui non ſolos Cardinales comprehendunt, conceduntur, &c. vt nihil dicam de eiuſmodi edicto, non potuit piiſſimus Imperator iuriſdictionem ſpiritualem, & Pontificiam mortui Pontificis tribuere Collegio Cardinalium, aut in illud deriuare, cùm ipſe nullam eiuſmod haberet: tribuit igitur honorem, quo ornabatur Romanus Senatus, & illuſtria dignitatis inſignia; vnde Græcè habetur: καὶ ἔχειν ἐκείνην τὴν ὑψηλότητα, καὶ μεγαλοσύνην ἣν κεκόσμηται ἡ μεγάλη σύγκλητος ἡμῶν ἤτοι οἱ πατρίκιοι, καὶ οἱ κόνσουλοι, ἤτοι οἱ ὕπατοι καὶ λοιπὰ ἀξιώματα, indulget nempe illam celſitatem, & amplitudinem, qua magnus ſenatus ornatur, & Patritij, ipſique Conſules & hypati, & reliquæ dignitates. Hypati dicebantur Conſules, quia eorum erat ſumma poteſtas, eadem ratione concedit Pontifici omnia Imperialia ornamenta Pontificia ſimulque omnia ſigna & banda, de qua voce vide Suïdam verbo βάνδα, dignitatem quoque regiorum equorum, ἀξιώματα τῶν βασιλικῶν ἀλόγων, inquit Balſamon: deindè nouis iſtis Patritiis & Senatoribus Romanæ Eccleſiæ, Clericis, ὡς ἡ ἡμετέρα σύγκλητος φέρει ὑποδήματα τὰ σανδαλιάλευκα ὀθονίων, ὅπως καὶ τὰ οὐράνια ὡς καὶ τὰ γήϊνα πρὸς αἴνεσιν τοῦ θεοῦ, vt nimirum calceis albis cum linteaminibus albis, quemadmodum Senatus vtantur; atque ita terreſtria ſimul & cœleſtia, ad laudem Dei conueniant, dum nimirùm Eccleſiaſticæ & cœleſtes iiſdem ornamentis fulgent, quibus terrenæ & Imperiales, in quibus omnibus nullum verbum fit de iuriſdictione, quam etiam, vti monui, conferre non poterat Conſtantinus, neque vis vlla fieri debet in nomine & comparatione Senatus; nam quilibet S. Presbyterorum cœtus, Senatus dicitur, *cap. Eccleſia* 7. 16. *quæſt.* 5. Quod ſumitur ex Hieronymo *Epiſtola ad Ruſticum*, & ex commentariis *ad cap.* 3. *Iſaiæ.* Maneat igitur Collegium Cardinalium, etiam Sede vacante, non poſſe leges vniuerſæ Eccleſiæ ferre defectu iuriſdictionis, quam nullam habet niſi ad eligendum Pontificem: quid verò orto ſchiſmate poſſit, dicetur *alibi*.

Dices cum Henriques *lib.*10. *cap.*27. *num.*2. Cardinales mortuo Pontifice regere Eccleſiam vniuerſalem: ſuccedunt igitur in eius iuriſdictionem, ſicut Capitulum Sede vacante, & mortuo Epiſcopo: adhoc verò regimen vniuerſalis Eccleſiæ, nemo negabit neceſſariam eſſe poteſtatem legum latiuam cùm plurimæ poſſint eſſe cauſæ quæ nouas leges exigant, vacante Sede, maximè ſi diutiùs duret illa vacatio, vti contigit aliquando in diuturno ſchiſmate. 5

℞. ex his nihil aliud ſequi quàm Cardinales Sede vacante habere iure Eccleſiaſtico adminiſtrationem Eccleſiæ in his, quæ pertinent ad electionem Pontificis, non verò quoad reliqua, niſi quatenus illis ab Eccleſia conceditur, aut prohibetur, vti iam vidimus: nullibi autem illa poteſtas ferendi leges in vniuerſam Eccleſiam tribuitur: quid verò ſi diutiùs differretur electio, cum grauiſſimo Eccleſiæ damno, faciendu m ſit,

ſit, ſicut & tempore ſchiſmatis dicemus *alibi*, vti iam monuimus.

6 Capitulum ſiue Collegium Canonicorum Cathedralis Eccleſiæ non poteſt viuente Epiſcopo legem aliquam, immo neque mandatum ferre, quæ alios quam ſuos Capitulares, & Canonicos obliget, cum, vt ſtatim conſtat, non habeat in alios illam iuriſdictionem.

Poteſt tamen condere aliqua ſtatuta in ſeipſum ſiue in Capitulares ſuos, quæ ad bonam ſui & ipſius Eccleſiæ gubernationem ſpectent: diſſentiunt verò DD. an id poſſit ſine conſenſu Epiſcopi, aut eo inuito. Diſtinguendum mihi videtur & conciliandæ diuerſæ opiniones cum Suar. *lib. 4. de legibus cap. 6. num. 11.* minora enim quæpiam quæ ſolum bonum ordinem, & regimen Capituli ſpectant, ab illo ſtatui poſſunt ſine Epiſcopi conſenſu: grauiora verò quæ ad Eccleſiæ commoda, & antiquatum conſuetudinum aut morum, eiuſdem Eccleſiæ obſeruationem, vel mutationem, vel etiam abolitionem pertinent, indigent non modo conſenſu, ſed etiam confirmatione Epiſcopi; immò & aliquando ipſius ſummi Pontificis. Deinde exiſtimarim diſtinguendum eſſe an hæc noua ſtatuta præcipiant aliquid quod vetera, aut antiquas leges abroget; an verò leges omnino nouas, & aliis nullo modo contrarias. Obſeruandum eſt Epiſcopum eſſe quidem ſuperiorem Capituli, ſicut & totius ſuæ diœceſis omniúmque illius Eccleſiarum, niſi fuerint exemptæ, non tamen aut proximum caput capituli, aut eius partem eſſe, cùm Capitulum ſit corpus diſtinctum & habeat ſuum proximum caput, nimirum Decanum; quare Capitulũ in iure diſtinguitur ab Epiſcopo, vti apparet ex rubrica *de his quæ fiunt à Prælatis ſine conſenſu Capituli, in 6.* & ne Sede vacante *cap. vnic.* hoc notato certum videtur ex Gloſſa *in cap. 2. §. 1. verſ. ſtatutum, de verborum ſignificat. in ſexto.* Silueſt. *verſ. lex. q. 4.* Panormit. Innocent. & Felin. qui alios refert *in cap. cùm omnes, de conſtitut. minor.* quædam ſtatui poſſe à Capitulo ſine Epiſcopo ad bonum ſui regimen. Ex his omnibus etiam conſtat tum ex *cap. 1. cum omnes & cap. cùm acceſſiſſent, de conſtitutionibus,* non poſſe in rebus grauioribus, ſine Epiſcopo quidpiam ſtatuere, cum quod Capitulum Trecenſe ordinarat de numero Canonicorum & inæquali perceptione fructuum, Pontifex irritarit. Vide Felinum, vbi circa aliqua ſingularia agit, maximè circa numerum, & reſidentiam Canonicorum. Nos in vniuerſum rem totam definimus, & dicimus, Capitulum nihil poſſe definire, & ſtatuere per modum legis ordinariæ, niſi circa ea, circa quæ habet iuriſdictionem ad condenda ſtatuta tali communitati proportionata; vel ſi careat eiuſmodi aliqua iuriſdictione, ea ſtatuta non habebunt vim legis, ſed cuiuſdam regulæ operandi ex conuentione partium, ex qua habebunt vim obligandi ex vi promiſſionis, vel pacti; non autem legis, vt dixi, vel iuramenti, quod ſolet accedere. Non negamus autem Capitulum habere poſſe iuriſdictionem ad ſtatuta ſibi proportionata, & commoda condenda, quam iuriſdictionem accipit à Papa, vel à conſuetudine ex tacito Pontificis conſenſu, maximè fauente iure communi.

7 Maior videtur difficultas de Capitulo maioris & Cathedralis Eccleſiæ Sede vacante, quia tunc quoad adminiſtrationem iuriſdictionis Epiſcopalis ſuccedit Epiſcopo *cap. cùm olim, de maioritate, & obedientia,* & *cap. vnico, tit. eodem, in 6. & cap. ſi Epiſcopus, & cap. vlt. de ſupplenda neglig. prælat. in 6.* & Trid. *ſeſſ. 24. c. 16.* Succedit igitur in iuriſdictione Epiſcopi quoad totã adminiſtrationem in ſpiritualibus, & temporalibus, poteſtque quidquid poteſt Epiſcopus, niſi illi ſpecialiter prohibitum ſit. Quia tamen reſponderi poſſet, Capitulum non ſuccedere in iuriſdictione Epiſcopali, niſi circa id quod iure præſcriptum eſt, quomodo argumentatur Gloſſa *in Clement. de hæreticis §. 1. verſ. Capituli,* vbi agens an Capitulum poſſit viſitare, Sede vacante, non eſt hoc iure expreſſum, inquit, ergo non tribuendum. Cùm igitur neque tribuatur, neque prohibeatur Capitulo leges ferre, dubium omnino eſſe debet, an id poſſit, deinde magna videretur innouatio, ſi Capitulum leges ferret, eáſque perpetuò duraturas. Itaque hanc poteſtatem negant Capitulo, Sola *diſp. 8. de legib. ſect. 15. n. 86.* Arriaga *tom. 4. diſputat. 18. ſect. 4.* & fusè Paſqualius *tom. 2. diſput. 15. ſect. 12. n. 63.* qui & aliquos veteres laudant: communis tamen veráque ſententia concedit Capitulum ferre poſſe leges pro tota Diœceſi duraturas, donec vel à futuro Epiſcopo, vel ab ipſomet Capitulo reuocentur. Panormitan. *cap. cùm olim, de maiorit. & obedientia, n. 54.* Felinus *cap. cùm omnes, de conſtitut. num. 9.* Silueſt. *verſ. Capitulum, q. 6.* & alij quibus ſubſcribunt recentiores, Grauat. *2. p. contron. 3. tract. 5. part. 1. diſp. 3.* Bald. *tom. 1. lib. 5. cap. 8. num. 7.* aliiqúe cum Suar. *lib. 4. de legib. cap. 6. num. 14.* qui hanc & communiorem & probabiliorem iudicat; Diana *part. 2. tract. 3. reſol. 24.* vbi alios dabit, quia Capitulum vacante Sede ſuccedit in Epiſcopali iuriſdictione; & hæc poteſtas poteſt eſſe aliquando neceſſaria, neque futura electio aliquando ſine graui iactura expectari poteſt in damnum graue ipſius Eccleſiæ, non eſt etiam damno futuro Epiſcopo, qui legem eiuſmodi incommodam ſibi, Eccleſiæ poterit reuocare. Neque ab hoc caſu ad collegium Cardinalium vacante Sede argumentandum eſt, vti diximus contra Henriquem; quia Cardinales nihil aliud habent, quam vrgere & facere electionem noui Pontificis, & non habent adminiſtrationem niſi admodum limitatam, ab ipſomet iure & Eccleſia, cùm Capitulum mortuo Epiſcopo habeat omnimodam & illimitatam iuriſdictionem, vt patet ex illis quæ illi etiam ſigillatim conceduntur, quæ habet Diana *reſolutione citata.*

Alia Canonicorum Capitula, quæ inferiora dicuntur; 8 de rebus minoribus quædam ſtatuere valent non de maioris momenti, & expendendum eſt an habeant veram iuriſdictionem in ſuos Capitulares, an verò per modum pacti & prouiſionis: ex hoc enim definitur facile, vti diximus, controuerſia.

De minoribus Eccleſiis, in quibus ſunt quæpiam 9 Clericorum communitates, idem omninò dicendum eſt pro iuriſdictione quam habent, poterunt leges inter ſe ferre aut ſtatuta per modum pacti & promiſſionis, in quam conueniunt ſponſione, condere atque eiuſdem pacti, fidelitatis & promiſſionis, atque etiam iuramenti vi obligari quiſque poterit, modò non ſint iuri communi & aliis legibus ac ſtatutis à ſuperiore confirmatis contraria, aut Eccleſiæ iniurioſa.

QVÆSTIO IV.

An Parochus poſſit ius proprium & leges in ſua Parochia condere.

Parochi leges non poſſunt condere in ſuis Parochiis, n. 1.

Parochus ius excommunicandi non habet, numer. 2.

Ius excommunicandi ſolis Epiſcopis reſeruatum eſt, ibid.

Quódnam

Quódnam ius competat Epiſcopis, & quódnam Parochis, n.3.& 4.

Parochis an competat nomen ordinariorum, numer.5.

1 HÆc quæſtio ex hactenus diſputatis definita videtur; cùm enim Parochi & Presbyteri parœciarum Rectores ordinariam iuriſdictionem externam non habeant, ſed ſolum in foro pœnitentiali, vti ex ſententia communi diximus *q.6.cap.ſuperiori*, non poterunt legem, quæ neceſſariò iuriſdictionem poſtulat, ferre, immò neque illis licet publicam pœnitentiam indicere, aut pœnitentem publicè in Eccleſia reconciliare, aut abſoluere, ex Conc. Carthagin. *II.can.3.* Concilio item tertio *can.32.& 86.* Concil. Agathenſi *Can.24.* & *Can. ſi iubet. Can. Presbyteri Can. miniſtrare. Can. Presbyter. 2.26.q.5.* immò nequidē id licet Chorepiſcopis: quia Pontificij apicem non habent ex Leone *Ep.86.* Can. *quamuis 68. diſt.* neque etiam id permittitur Abbatibus, Can. *accedentibus. de exceſſu prælat.* hæc omnia reſeruantur Epiſcopo. & ex eius mandato fiunt, cùm tamen publici pœnitentes præſentantur Epiſcopo, ante fores Eccleſiæ adeſſe debent Decani ſiue Archipresbyteri Parochiarum, & Presbyteri Pœnitentium, qui pro modo culpæ pœnitentiam iniungunt, per gradus deinde eos in Eccleſiam introducunt ſolemniter per Epiſcopum reconſecrandos, ex Concil. Agathenſi, *Can. 9. Can. in capite 50. diſtinct.* Si ergo Parochus Pœnitentiam iniungere, aut publicè relaxare nequit, multò minùs legem ferre poterit.

2 Dices Parochus habet ius excommunicandi ex Alexandro III. *cap. cùm ab Eccleſiarum, de officio ordina.* iubet enim Epiſcopo Florentino ſententiam excommunicationis & interdicti à Plebano ſancti Pancratij in ſuos Parœcianos latam ſeruare curet, igitur habet iuriſdictionem externam Parochus, cùm excommunicatio ſine illa infligi nequeat: verùm *capite ſuperiori quaſt.6.* nihil omninò ex illo Alexandri reſponſo colligi poſſe ad adſtruendam Parocho excommunicandi poteſtatem oſtendimus, maximè cùm excommunicatio ſit perpetuò reſeruata Epiſcopo, eo quòd ſit vltima, & grauiſſima pœna omnium, quas Eccleſia poteſt infligere, ita vt poſt illam non habeat vltra quid faciat, vt ait Cæleſtin. III. vel, vt alij legunt, Clemens III. *cap. cum ab homine. 10. de iudiciis.* Ideoque Clericum niſi ea pœna corrigatur, per ſæcularem poteſtatem comprimendum eſſe dicit, illique idcircò tradendum & permittendum: idcircò ea pœna comparatur proſcriptioni & deportationi ciuili, & vocatur bannum Chriſtianitatis à Concilio Agathenſi, vti refertur *cap. 2. de purgatione Canonica*, & apud Matthæum Pariſ. in edicto Henrici II. Angli, interdictum Chriſtianitatis. Bannum verò, & proſcriptio non niſi à maioribus Magiſtratibus, quibus erat merum imperium & gladij poteſtas imponebatur; neque igitur grauiſſima excommunicationis pœna, qua quis exiorris ab Eccleſia, & Chriſtianitate fit, ferri debet, niſi ab eo qui præcipuâ dignitate in Eccleſia fungitur, & cui omnes & ſingulæ Eccleſiæ Parochiæ & Diœceſis totius creditæ, & commiſſæ ſunt, qui eſt Epiſcopus ex Concilio Antiocheno *Can.24.* Can. *quæcunque X.q.1.* omnes Baſilicæ ſunt in poteſtate Epiſcopi in cuius territorio poſitæ ſunt *Can. omnes Baſilicæ 16.q. 7. ex* Concilio Aurelian. I. *Canon. 19.* Ille igitur ſolus ratione culpæ reos ab Eccleſiis excludere poterit, vnde dicitur Bannus Epiſcopalis à *Concilio Triburienſi capite octauo, Nemo contemnat*, neque tranſgrediatur *bannum ab Epiſcopis ſuperpoſitum*, & mucro Epiſcopalis 16. *quaſt.2. Canon. viſis*, & Ioanne Papa ad Iſaacum Syracuſanum: *Felici*, inquit, *mucrone Epiſcopi Sacerdotum piacula reſecentur.* Quare Dionyſ. *capite 7. Hierarch. Eccleſiaſt.* Epiſcopis ſolis hanc tribuit poteſtatem, ὅτω οἱ τὰς ἀφοριστικὰς ἔχουσιν οἱ ἱεράρχαι δυνάμεις ὡς ἐκφαντορικοὶ τῶν θείων δικαιωμάτων. Sic etiam vim ſegregandi, hoc eſt excommunicandi, & ſegregrandi ab Eccleſia habent Hierarchæ & Pontifices, vtpotè diuinorum interpretes iudiciorum, & *initiò illius* §. 7. eodem nomine donarat Hierarcham ex Scripturis, ἐκφαντορικὸς τῶν θεαρχικῶν δικαιωμάτων. Ἄγγελος γὰρ κυρίου παντοκράτορός ἐστι. Dei omnipotentis Domini Angelus eſt. Et mox: ὁ ἱεράρχης ὁ τῆς δὲ ἀρχικῆς δικαιώσεως ὑποφήτης, hac de cauſa ſegregat & excludit pios ab impiis, atque, vt loquuntur, excommunicat Epiſcopus, quia eſt diuinorum iudiciorum interpres, ex Dionyſio, qui idem manifeſtiùs eodē loco explicat paulò pòſt, κατὰ τὰς ἐν αὐτῷ γινομένας τῶν πατρικῶν δικαιωμάτων ἀποκαλύψεις ἐκφαντορικῶς καὶ διαπορθμευτικῶς τούς τε θεοφιλεῖς προσιέμενος, καὶ τοὺς ἀθέους ἀποκληρῶν, iuxta reuelationes paternarum iuſtificationum ſibi indultas, quaſi interpres ac partitor Deo charos admittat, & impios excludat ex aliorum ſorte, & tandem concludit Dionyſ. ſanctis Antiſtibus tam ſegregandi, quàm aliis ſacris facultatibus vtendum eſſe, prout ipſis diuinorum myſteriorum Auctor diuiniùs inſpirarit, & ita à cæteris obſeruandos eſſe in iis, quæ vt Pontifices gerunt, tanquam ipſi à Deo moueantur, τοὺς μὲν οὖν ἐνθέους ἱεράρχας οὕτω καὶ τοῖς ἀφορισμοῖς, καὶ πάσαις ταῖς ἱεραρχικαῖς δυνάμεσι χρηστέον ὅπως ἂν ἡ τελετάρχις αὐτοὺς θεαρχία κινήσοι τοὺς ἄλλους οὕτω τοῖς ἱεράρχαις, ἐν οἷς ἂν δρῶσιν ἱεραρχικῶς προσεκτέον ὡς ὑπὸ θεοῦ κεκινημένοις. Dionyſij mentem diſertè explicat S. Maximus in ſcholiis: interpretans enim illa verba relata, τὰς ἀφοριστικὰς ἔχουσι, ait illum loqui de excommunicationibus & ſegregationibus, quæ ab Epiſc. fiunt, περὶ τῶν ἀκοινωνησιῶν, καὶ ἀφορισμῶν dicitq; illis à Deo conceſſas eſſe facultates decernendi, ac approbandi iudicia, quibus peccatores à iuſtis ſecernant, vel contra δυνάμεις γὰρ φησὶ τὰς ἐκ θεοῦ δεδομένας αὐτοῖς γνωστικὰς δοκιμασίας καὶ κρίσεις δι᾽ ὧν ἀφορίζουσι τοὺς ἁμαρτωλοὺς ἐκ τῶν δικαίων ἢ τὸ ἔμπαλιν. Quis autem, amabo, hanc excommunicandi & ſegregandi vim, quam tanquam præcipuam Hierarchæ & Pontificis dotem adeò magnificè commendat Dionyſius Parocho, vt ordinariam & vt proprij officij competentem tribuat? Negant itaque paſſim Theologi hanc excommunicandi poteſtatem Parochis cum S. Thom. *3. p. in ſupplem. q. 1. art. 22.*

Sed eam adſtruere nouiſſimè contendit eruditus 3 Dadinus Alteſerra, *lib. 6. diſſertationum iuris Canonici cap. 8.* tum ex Alexandri III. reſponſo, ſed illud à nobis nuper expoſitum eſt, tum ex ipſo vſu antiquo, quem reuocari vellet; nam Origen. *in cap. 21. Exod. Hom. 1.* ait Principes populi & Presbyteros plebis debere omni horâ populum iudicare, lites dirimere, & reconciliare diſſidentes: ſed ea verba nihil probant; explicat enim Origenes Iudices à Moyſe conſtitutos auctore Iethro, qui iudicarent populum omni horâ, & ſi quid grauius accideret, referrent ad Moyſem: monet itaque & populi Principes, & Magiſtratus & Presbyteros vt omni horâ iudicent. Sed quid hæc faciunt ad noſtros Parochos, qui quidem in iure paſſim Presbyteri nomine deſignantur: ſed de his Origenes exponendus non eſt, Principes populi & Magiſtratus, nomine Presbyterorum indicat, vt alibi: inde enim dictus quoque eſt ſenatus. Affert deindè Alteſerra *cap. experientiæ*, & *caput, ſi quiſquam 11. quaſt. 1.* quæ ſumuntur ex Epiſtolis Pelagij II. Primum quidem ad Beneceſtum defenſorem, vbi ait Pontifex: *In iis negotiis*, in

in quibus Eccleſiaſtici officij perſona pulſatur, totius ſubmoto pulſationis obſtaculo, ad Epiſcopi vel Presbyterorum, in loco vbi quæſtio vertitur conſtitutorum, occurrat indifferenter examen. Presbyteri igitur Parochi cauſas Clericorum iudicabant, ſanè non ſine iuriſdictione.

Reſpondeo cum Gloſſa, laïcum conuenire debere
5 Clericum coram proprio Epiſcopo, vel Synodo conſtituta in loco vbi quæſtio vertitur, id eſt vbi res, de qua agitur, vel vbi crimen, quod intenditur, eſt commiſſum. Confirmatur hæc Gloſſæ expoſitio de Synodo *ex ſequenti capite, ſi quiſquam*, ex eodem Pelagio *Epiſt. ad Sergium Cancellarium*, vbi Pontifex idem omninò dicit: *Si quis autem laicus Clericorum cuiuſcunque gradus duxerit eſſe pulſandum, ad Epiſcoporum iudicium in eadem ciuitate vel territorio conſtitutorum proponat quas ſe habere exiſtimat actiones.* Ne igitur Pontifex in eadem omninò cauſa contraria definiat, nomine Presbyterorum ipſos Epiſcopos intelligat neceſſe eſt, cùm deindè ſileat de Presbyteris, & ſolùm de Epiſcopis agat, ipſorúmque dumtaxat iudicium, nullâ factâ mentione Presbyterorum in examinandis quorumcunque Clericorum cauſis requirat. Quare eadem Gloſſa particulam, *vel Presbyterorũ*, exponit acceptione non inuſitatâ in iure: & ſanè non ſolebat Epiſcopus ſolus ſine ſuorum Clericorum præſentia alicuius Clerici cauſam iudicare ex Concilio IV. Carthagin. *cap.* 24. & refertur 15. *q.* 7. *c. Epiſcopus* 6. An verò iſti Clerici tunc forent iudices, quærit *ibidem* Gloſſa, & reſpondet ex quorundam ſententia, nullum ex ipſis Clericis eſſe per ſe iudicem: Capitulum tamen habere iuriſdictionem ordinariam; ex aliorum tamen mente Clericos tunc eſſe aſſeſſores Epiſcopi, ſine quibus eius ſententia nulla erit, ſicut ſententia contra fiſcum nulla eſt, lata abſente procuratore fiſci, *l. ſi fiſcus, de iure fiſci*, & ſententia quæ fertur officio iudicis, ipſo abſente, nulla omninò eſt, *l. cùm ſententiam, C. de ſent. & inter. omn. iudic.* in eod. Concil. IV. Carthagin. *cap.* 29. & refertur 6. *q.* 2. *cap. Epiſcopus* 1. *ſi Epiſcopus laico, vel Clerico crimen impegerit (Eccleſiaſticum nimirùm) deducatur ad probationem in Synodum*, hoc eſt in conuentum Clericorum, qui Concilium dicitur, ſine cuius præſentia non debet, vt diximus, Epiſcopus cauſas audire. Dum igitur *cap. experientiæ nup. allato* Clericus pulſatus debet Epiſcopi vel Presbyterorum examen ſubire, *indifferenter*, ſapienter Gloſſa intelligit *vel* pro *&*, quod vel Epiſcopi vel Clericorum ac Presbyterorum examen & iudicium ſimul in Concilio coactorum ſubire debeat. Quod ſi illud, *vel* disjunctiuè placeat accipere, dic vel ſolius Epiſcopi vel ſimul Presbyterorum, aut Synodi ex Epiſcopo & Clericis conſtantis iudicium, Clerico pulſato expectandum eſſe. Addit & aliam explicationem Gloſſa, vt cauſa deducatur ad examen Epiſcopi, vel Presbyterorum ad id delegatorum, quod non impedit quominus Epiſcopus iudex ſit ordinarius, vt ait Gregor. *l.* 2. *Epiſt.* 54. ad Ioannem defenſorem miſſum in Hiſpaniam; & refertur II. *q.* 5. *cap. de perſona* 38. Vbi Gregorius adducit Iuſtiniani conſtitutionem. Cùm igitur Epiſcopus ſit iudex ordinarius, poterit cauſam Presbytero vel Clerico iudicandam delegare: poterit etiã à Clerico pulſato, conſentiente accuſatore & Epiſcopo iudice ordinario, eligi aliquis Clericus, vel Presbyter in iudicem: quia, vt ait eadem Gloſſa *in cap. experientiæ, citatum*, iudicem facit aut conſuetudo, aut conſenſus populi, & vt ego interpretor, litigantium. Nihil igitur præſidij Alteſerræ relinquitur in Pelagij decretis allatis, ad adſtruendam Parochi iuriſdictionem ordinariam & excommunicandi poteſtatem.

Affert præterea Canonem 8. Concilij Matiſconenſis primi, vbi iubet Concilium omne negotium Clericorum aut in Epiſcopi ſui, aut Presbyteri, aut Archidiaconi præſentia finiri. Verùm cùm hoc Concilium euocatione Regis Guntéranni Burgundi, ſub eodem Pelagio II. præſide Priſco Lugdunenſi Epiſcopo coactum fuerit, non alia fuit eius mens, quàm ipſius Pelagij, neque aliud voluit, quàm prohibere, ne quis Clericus cauſam aduerſus alium coram ſæculari ageret; ſed ſi quod negotium haberent illud coram ſuo Epiſcopo vel Presbytero, vel Archidiacono finirent, quod diſtributione accommoda intelligendum eſt, vt cauſam terminarent coram Epiſcopo, tanquam iudice, vel corã aliquo ſuo Presbytero vel Archidiacono agerent, tanquam delegatis ab Epiſcopo, vel electis à ſe iudicibus finirent, aut tanquam arbitri amicabiliter diſceptarent, modò non agerent coram ſæculari iudice, quod vnum prohibet Concilium: *Nullus*, inquit, *Clericus ad iudicem ſæcularem quemcumque alium fratrem de Clericis accuſare, aut ad cauſam dicendam trahere quocunque loco præſumat, ſed omne negotium Clericorum aut in Epiſcopi ſui, aut in Presbyteri, aut Archidiaconi præſentia finiatur.* Quàm verò Concilium Clericorum coram iudice ſæculari diſceptationem abhorreret, liquet ex addicta pœna: *Quod ſi quicunque Clericus hoc implere diſtulerit, ſi iunior fuerit vno minus de quadraginta ictus accipiat: ſi certè honoratior* 30. *dierum incluſione mulctetur.* Deindè nihil eſt in toto Canone, quod nomen Presbyteri ibidem abſolutè poſitum ad Presbyterum parœcialem ſiue Parochum reſtringatur. Quare vel ex eo Canone cuilibet Presbytero vindicanda eſt iuriſdictio, vel dicendum, Concilium, dumtaxat velle vt Clerici ſua negotia, vel coram Epiſcopo ſuo tanquam ordinario iudice, vel coram aliquo Presbytero, vel Archidiacono à ſe electo finiant, & omninò ne iudicem ſæcularem adeant, neque indè quidquam deſumi poteſt ad adſtruendam Parochorum iuriſdictionem externam, & ordinariam.

Plurima deindè ſubiicit *eodem cap.* Alteſerra de nomine ordinariorum quod Parochis competere probare conatur, quæ modò non expendo: lubens enim fateor eos eſſe rectores, atque etiam Prælatos ordinarios quoad ſuæ Parochiæ adminiſtrationem, non tamẽ 6
omnia poſſe, ſed ſolum circa curam & ſolicitudinem animarum in Sacramentis miniſtrandis, & aliis quibuſdam, & in iis poſſe ſibi Vicarios aſſumere, aut quando fuerit opus ſuam poteſtatem aliis delegare: nego tamen poſſe aut excommunicare, aut eam poteſtatem aliis delegare, aut legum latiuã poteſtatem habere: illa enim non continetur in poteſtate Ordinarij reſtricta, & ad quædam officia determinata, qualis eſt Parochorum, ſed in ampliſſima & vniuerſali, qualis eſt Epiſcoporum.

Hic author veterem propterea vſum & praxim Eccleſiæ obiicit: conſtat enim Parochos aliquando excommunicaſſe, nam *l. qui ſua* 39. §. 1. *C. de Epiſc. & Cleric.* Iuſtinian. prohibet Epiſcopis & Clericis, infligere excommunicationem, propter negatas oblationes & augurias, quamuis vſus ita obtinuerit: eo igitur æuo ſoli Epiſcopi non excommunicabant, *οὐ δεῖ τοὺς ἐπισκόπους ἢ τοὺς κληρικοὺς ἀναγκάζειν τινὰς καρποφορεῖν, ἢ ἀγαρείας διδόναι ἢ ἄλλως ἐπηρεάζειν ἢ ἀφορίζειν ἢ ἀναθεματίζειν καὶ ἂν ἔθος τοιοῦτον ἐκράτησεν.*

Reſpondeo prauam illam conſuetudinem iure fuiſſe ſublatam & damnatam à Iuſtiniano, non modò quòd excõmunicatio propter iniquas huiuſmodi cauſas infligeretur, ſed etiam quia & ipſi Clerici id præſtarent arrogatâ ſibi, qua carerent, Epiſcopali poteſtate, neq; hic vlla Parochorum mentio fit, ſed Clericorum in vniuerſum: nõ dices porrò idcircò Clericos omnes ſolitos

ſolitos eſſe ea tempeſtate excommunicare. Eadem ratione explico nouellam conſtitutionem 123. in qua prohibetur Epiſcopis & Presbyteris aliquem à ſacra communione ſegregare, *ἀφορίζειν τινὰ τῆς ἁγίας κοινωνίας*, ante probatam cauſam; nam ne ipſi quidem Presbyteri iudices delegati ab Epiſcopis ſegregare poſſunt, niſi monſtratâ causâ propter quam ſanctę regulæ hoc fieri iubent, nēpè ita ſegregare, *πρὶν ἡ αἰτία δειχθῇ δι᾽ ἣν οἱ ἐκκλησιαστικοὶ κανόνες τοῦτο γίνεσθαι κελεύουσι*. Refertur hæc conſtitutio & probatur à Concilio Pariſienſi ſub Ludouico, & refertur *cap. illicita* 24. *quæſt.* 3. ex eadem etiam nouella deſumptus eſt Canon, *nemo* 2. *quæſt.* 1. vbi Gloſſa, illud *nemo preſbyter*, reponit de Archipresbytero, & inde argui poſſe etiam ſimplici Sacerdoti ineſſe poteſtatem excommunicandi: quia tamen contraria eſt communis opinio, per hactenus allata nodum diſſoluit Gloſſa, id poſſe Archipresbyteros, vbi talis conſuetudo viget, quia conſuetudo dat iuriſdictionem. Quæ Gloſſæ ſolutio diluit omnia, quæ de excommunicationibus ab aliis, quàm Epiſcopis aliquando & alicubi factis obiicit Alteſerra: fatemur enim vel conſuetudine moliti, vel delegatione ipſos hanc excommunicandi poteſtatem vel iuriſdictionem obtinuiſſe, vel aliundè eam habuiſſe. Sic Canones Bononienſes ob contumaciam à Priori ſuo excommunicatos abſoluit Innoc. III. præſtito debito iuramento, & ad Clauſtrum ſuum redire iuſſit; ideoque ab Abbatibus S. Proculi & ſancti Stephani, id curari mandat, *cap. cum in Eccleſiis de maioritate & obedientia.* Verùm hîc agitur de Priori regulati qui in ſuos Canonicos regularem iuriſdictionem habeat, vt dicemus *cap. ſeq.* Idem Innoc. probat excommunicationem quam Abbas Iamblacenſis in eos ex ſuis regularibus qui pecuniam dediſſent Leodienſi Epiſcopo, vt ab eo confirmationem ſui Abbatis quem elegerant, obtinerent, & quam Epiſcopus aliter dare noluerat. Innocentius verò *cap. ſicut eius litteris, de ſimonia*, Abbatem illum negat eſſe Simoniacum, cùm eam pecuniam dari ſub excommunicatione prohibuiſſet, & alios eius criminis & excommunicationis reos fatetur Pontifex. Non negamus autem Abbatem in ſuos Monachos iuriſdictionem habere, & illos excommunicare poſſe, ſi cauſa ſubſit. Idem dico de Decano Aurelianenſi qui aduerſus Balini iniuriā, & ſacrilegam vexationem gladio Eccleſiaſtico ſe defenderat, quod ipſi licuiſſe, ait Innoc. IV. *de ſententia excommunicat. in 6. cap. dilecto:* hanc enim Decanum iuriſdictionem in prædictum Balinum habuiſſe ſupponit eo loco Pontifex. Facit etiam ad id quod diximus de conſuetudine, poſſe alium Prælatum, quàm Epiſcopum excommunicare, non tamen de iure communi quod ſolum quæritur hoc loco *cap. dudum* 54. *de electione.* Decanus enim Rothomagenſis in Epiſcopum eiuſdem Eccleſiæ electus, & coram Pontifice accuſatus, quòd ſimul cum illo Epiſcopatu Archidiaconatum Ambianenſem quem priùs habuerat, retinuiſſet contra Concilij decretum. Poſt litē diutiùs conteſtatam tandem Innocentius III. Decanum damnat, cùm ipſemet in iure faſſus fuiſſet, Archidiaconum Ambianenſem de conſuetudine ſuſpendere, excommunicare, & abſoluere Presbyteros & Priores, & Parochiales Eccleſias interdicere: viſitare & inquirere quæ viderit inquirenda; vbi Gloſſa ſapienter obſeruat hunc Archidiaconum hæc omnia ex conſuetudine potuiſſe, non ex iure communi, & quæ in contrarium afferuntur, ſoluit.

Obiiciunt *lib.* 8. *conſtit. Apoſt. cap.* 28. vbi inter Simonis Cananæi Canones refertur, Presbyterum excommunicare eos quos habet infra ſe, & Diaconum, excommunicare, Hypodiaconum, Lectorem, Cantorem, & Diaconiſſam, ſi opus ſit. Reſpond. inde, nihil aliud haberi, quàm munus excommunicandi poſſe tū Presbytero, tum Diacono committi ab Epiſcopo, tanquam ſuo miniſtro, non verò illos hanc ex ſuo munere habere poteſtatē, quam etiam illis non committit Epiſcopus, niſi circa *eos quos habent infra* ſe, vt *ibidem* dicitur. Delegatur igitur ipſis ea poteſtas, ſed eam non habent ordinariam.

Ad extremum non fauet aduerſariis, quod adducunt ex Chryſoſt. qui *homil.* 17. *in Matth.* minatur auditoribus ſe illis aditum Eccleſiæ prohibiturum; *ἀπαγορεύσω λοιπὸν ὑμῖν τῶν ἱερῶν τούτων ἐπιβῆναι προθύρων*. Ego de cætero vobis ne ſacra hæc veſtibula ingrediamini, vetabo, Hieronym. *Epiſt. ad Helidorum*, & refertur 16. *q.* 1. *c. alia cauſa, mihi ante Presbyterum ſedere non licet, illi, ſi peccauero, licet me tradere Satanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat.* Theodoſius Iunior à quodam Monacho excommunicatus ne quidem cibum capere voluit priuſquàm ab eodem ſolueretur excōmunicatione ex Theodoret. *lib.* 5. *c.* 37. quæ omnia inutiliter afferuntur: nam inde liceret colligere omnibus Presbyteris & Monachis fas eſſe excommunicare, illiſque adeò iuriſdictionem externam competere. Deindè ſingula obiecta expendenti conſtabit, male in hanc rem, de qua diſputamus ea adduci: nam Chryſoſt. *in fine Homiliæ citatæ*, cum vehementiùs peroraſſet ægrè ferens ſe plauſibus excitatis interrumpi, monet ſe opera non plauſus quærere, & niſi ab iis abſtineant & dicta exequantur, ſe prohibiturū aditum ad templum & conciones, mallēque ſe ad paucos auditores, qui ex ſermone proficiant, quàm ad frequentem concionem, quæ plauſus tantùm reddat, dicere. Quod ex Hieronymo adducitur, nihil etiam fauet; nam eo loco Hieronymus ſtatum Clericalem Monachali iure præfert, quod Clerici Sacramenta Monachis miniſtrent, nec ipſis ante Presbyterum ſedere liceat, & ſi peccent, poſſint tradi ſatanæ, hoc eſt excommunicari, quod poſſet explicari, quòd dicuntur à Chriſto retineri à Sacerdote quoties non abſoluit, ex communi Doctorum interpretatione. Itaque nihil aliud ſignificabat Hieronymus quàm Monachum ſi peccauerit abſoluendum eſſe à Presbytero, alioquin negata abſolutione, & retentis peccatis tradendum Satanæ. Verùm ſi de vera excommunicatione placeat Hieronymum capere, loquitur de Monachis, quorum Monaſterium erat in iuriſdictione Sacerdotis, aut Archidiaconi, qui in illos Monachos veram iuriſdictionem habebat, & illos proindè excommunicare poterat, vt obſeruat Gloſſa *in cap. alia cauſa citat.* quod & nos dicimus. Sed ex Epiſcopi ſine dubio commiſſione, qui illum regendo Monaſterio præficiebat, quoad Sacramentorum adminiſtrationem, & alia plurima quæ Monaſterij Patri, qui ſæpè ne quidem Sacerdos erat, competere non poterant. Theodoſij factum eius pietatem maximè commendat, ſed Monachi poteſtatem non probat; cum enim ille Monachus vir audaci & præferendo ingenio, vt ait Theodoretus, fruſtrà quidpiam ſæpius ab Imperatore petiiſſet, repulſam indignè ferens illū communione priuauit, pius verò Imperator cibum ſumere noluit, ſed ad Epiſcopum mittere, vt illi vinculum laxari ab eo Monacho qui vinxerat, iuberet. Reſpondit Epiſcopus ipſum iam ſolutum, neq; vinculum illud ab vnoquoq; temerè eſſe admittendum, cum quilibet illud, niſi temerario poſſet iniicere; voluit tamen Imperator conquiri Monachum illum & ab eo laxari idem quod ipſemet iniecerat, ex quibus & Imperatoris pietas & Monachi audacia manifeſta quidem fit, non adſtruitur tamen inde Parochis poteſtas ordinaria excommunicandi.

Quare cùm Parochi non habeant iuriſdictionem ordinariam in foro externo, & male ex poteſtate excommunicandi illam nonnulli ipſis vindicent, vti hactenus oſtendimus, manifeſtò ſequitur ipſos carere poteſtate legum latiua, quæ nunquam ſine iuriſdictione reperitur: non poterunt igitur Parochi proprium ius & veras leges nouas in ſua Parochia conſtituere, quod vnum tota hac quæſtione contendebamus.

CAPVT VII.

De iure Regulari.

QVÆSTIO I. *Quid & quale ſit ius regulare.*

QVÆSTIO II. *A quo conſtitui poſſit ius regulare.*

QVÆSTIO III. *De materia iuris regularis.*

QVÆSTIO IV. *De obligatione iuris regularis.*

QVÆSTIO VI. *Conſectaria ex doctrina tradita.*

CVM inter Eccleſiaſticas communitates maximè emineant religioſi ordines, mirum enim in modum Eccleſiam illuſtrant ipſúmque Dei nomen ſanctificant, & glorificãt, vt Niſſen. *orat.* 3. *in orat. Domin.* Chryſoſt. *in illud ad Corinth. Glorificate & portate Deum in corpore veſtro,* & *Hom.* 9. *ad populum.* Et Iſaacus Abbas *lib. de contemptu mundi fuſius* explicauit. Quare hoc decus peculiare ſibi vindicat, quod vnà cum Apoſtolis cœpit, vt conſtat ex Dionyſio Areopagita: lex enim antiqua non niſi quaſdam ſimilitudines, aut potiùs delineationes habuit in Eſſenis, Rechabitis, Nazaræis, & filiis Prophetarum, vti oſtendunt Nicolaus Ceratius *in Trebareſio,* Proſper Stellattius *lib.* 2. *de coronis per* 4. prima capita, & Franciſc. Mendoza. *lib.* 1. *in* 1. *Reg. annotat.* 10. *litterali. ſect.* 2. extra Hebræos verò nullibi vera Religioſorum noſtrorum ſpecies reperta eſt, niſi vmbratica & deteſtanda, quod eleganter omninò demonſtrat Nazian. *orat.* 1. *in Iulian. num.* 36. qui ſpeciem quandam Monaſterij inter ſuos indicere ſtuduit. Quare hoc decus ſingulare eſt Eccleſiæ Catholicæ, cùm autẽ hæ cõmunitates in ſuo viuendi genere pluribus differant à communi vita Chriſtianorum, idcircò enim illos Nazianſ. *orat.* 19. vocat ſui temporis Nazaræos, qui ita dicti ſunt à voce *Nazar,* quæ ſi ſcribatur per zain ſignificat ex Hieronym. *in c.* 11. *Iſaia, ſeparare,* ſanctificare, conſecrare, à communi vſu diſtrahere, ſi verò per ſade, ſignificat obſeruare, florere & Nazaræus obſeruantem, florentem. Neceſſe omninò eſt noſtros Nazaræos, & Religioſos peculiari aliquo iure regi, & non ſolum iure communi. Quare ad integram iuris Eccleſiaſtici, quam molimur, explicationem de hoc etiam peculiari, & priuato iure Regularium, quod eſt etiam Eccleſiaſticum & Canonicum, vt vox ipſa *Regularis* indicat, agendum nobis eſt hoc loco. Non eſt verò animus de ſingularum religionum diuerſitate diſputare, id enim commodius fiet *tomo* 3. ſed ſolum ius illud regulare conſiderare in communi.

QVÆSTIO I.

Quid & quale ſit ius Regulare.

Quid ſit ius regulare, n. 1. & 9.
An Anachoretæ illo regantur, n. 2. & 3.
An illi ſint veri Religioſi, n. 3. 4. 5. 6. & 7.
An hodierni Eremitæ, n. 8.
Quotuplex ſit ius regulare, n. 10. & 11.
Quid ſit regula, n. 12. & 13.
Quid ſint conſtitutiones, n. 14.
Quomodo differant regula, & Conſtitutiones, num. 15.

IVs regulare appellamus illud, quo communitates & ordines Religioſi reguntur, & quo cæteri Chriſtiani non tenentur, licet ipſi Religioſi iure communi ſiue legibus Eccleſiaſticis obligentur, niſi vel ratione ſtatus, vel per aliquam legitimam diſpenſationem ab illarum obſeruatione eximantur: cùm enim eminentiorem quandam & perfectiorem vitam profiteantur, non debent communis dumtaxat vitæ legibus obſtringi, & eorum ſtatus quædam ſine dubio perfectiora ab ipſis poſtulat. Quare præter leges omnibus Chriſtianis communes aliis quibuſdam regi omninò illos oportet. 1

2 Dixi verò communitates, vel Ordines religioſos hoc iure & legibus teneri. Nam ſolitarij & Anachoretæ vix eiuſmodi, quod nominamus, iure regulari obſtringuntur, ſed ferè ſinguli ſuas ſibi proprias leges dicunt, & non ab alio accipiunt, & fortaſſis ea de cauſa propriè religioſi non ſunt: obſerua enim, quod fuſiùs diſſeruimus *tractatu de clauſura regulari, diſquiſit.* 3. *cap.* 1. §. 3. Aſcetarum, ſiue Monachorum duo eſſe in vniuerſum genera ex Auguſt. *lib.* 1. *de moribus Eccleſiaſticis, cap.* 31. alij ſiquidem, inquit, ſecretiſſimi penitùs, ab omni hominum conſpectu deſertiſſimam terram incolunt: alij contemptis, atque deſertis mundi huius illecebris, in communem vitam caſtiſſimam, ſanctiſſimámque congregati ſimul ætatem agunt. Quibus verbis ſanctiſſimus pater, Cœnobitas, & Anachoretas deſcribit: & ſanè hæc duo vitæ genera, communis nimirum & ſolitariæ, totam viuendi rationem adæquatè partiuntur, cùm ſeſe inuicem & immediatè excludant, neque medium inter illa dari poſſit. Nam vita ſolitaria, qua quis ſolus, & ab aliorum omnium conſortio ſeparatus viuit, negat vitam communem, qua aliquis ſimul cum aliquo quopiam viuit: quòd enim ſint plures, aut pauciores, qui in communem vitam congregentur, non facit diuerſitatem, niſi admodum materialem, ſicut quòd quis ſolus in loco remotiori, mediis in ſyluis, aut alibi degat. Itaque vita communis, & ſolitaria, ſiue Cœnobitica & Anachoretica ſunt duo veluti ſumma genera vitæ religioſæ, quæ, deindè pro variis inſtitutis, fine proximo, ac mediis, diuerſiſque obſeruationibus, in ſubiectas ſibi ſpecies commodè diuiditur. His porrò omnibus commune Aſcetarum, & Monachorum nomen conuenit, & æquè tribui ſolet, & *ἀσκηταί* ſiue Exercitatores à Baſilio, Palladio, Theodoreto, & aliis dicuntur; quod nomen ex re gymnaſtica ſumptum eſt: ſic enim Athletæ ex Iulio Polluce *lib.* 3. *cap.* 3. nominantur apud Platonem, quòd curſu, cæſtu, pugnis, aliiſque rationibus ſeſe ad pugnandum exerceant: ſimili modo, oratione, meditatione, corporis afflictationibus, labore manuum, aliiſque huiuſmo

huiuſmodi pietatis officiis ſeſe exercent ad ſtudium virtutis decurrendum, & Dæmonis inſultus frangendos, tum qui in communi vita viuunt & turmatim, vt aiebat Theodoretus, decertantes, κατὰ συμμορίαν ἀγωνιζόμενοι, & veluti ſuccenturiatis manipulis pugnant, tum qui ſoli luctantur. Inde vita religioſa & Monachalis, à Theodoreto in Philotheo ἀσκητικὴ πολιτεία, & à Baſilio, Palladio, Concil. Gangrenſi *Canon.* 12. 13. 17. & 18. ἄσκησις, & exercitatio dicitur; quæ & alia ſimilia de nomine Aſcetæ, & deindè de nomine Monachi Anachoretis & Cœnobitis paſſim attributo, & de vtriuſque nominis ſignificatione proſequutus ſum *c.* 1 *citato* §. 2. quæ piget exſcribere hoc loco: pauca iſta ſufficiant, ad explicandam allatam iuris regularis definitionem, nempè eſſe illud, quo communitates Religioſæ reguntur. Quare ex noſtra iſta definitione, illo iure ſoli Cœnobitæ tenentur, non Anachoretæ, qui ſibi ſinguli ſunt lex, vt aiebat Paulus Diaconus Neapoleos, Latinus interpres Saphronij ſcriptoris vitæ, Mariæ Ægyptiacæ S. de Monachis monaſterij ad Iordanem poſitis, qui ineunte quadrageſima egrediebantur è Monaſterio in varias ſolitudines, vſq; ad Dominicam Palmarum. Vnuſquiſque ſe annouabat, prout poterat, aut volebat: Canon autem erat vnuſquiſque ſibi ipſi, & lex abſque præuaricatione. Nullo igitur, vt vides, iure in ea ſolitudine ligabantur, quod in reliquis Anachoretis æquè dicendũ eſt. Cùm enim ius vel ſit ipſa lex, vel eius effectus, vt diximus *l.* 3. lex autem ſit quidpiam in bonum commune, & pluribus communiter ſancitum, non poteſt vni ſoli ferri, neq; ab vnoquoque ſibi ipſi pro libito imponi, ab eodémque ad arbitrium relinqui, mutari, figi, & refigi. Sapienter igitur definimus ius Regulare, quo communitas aliqua Regularis obſtringitur. Non quod vnus aliquis ſingularis ſibi ſponte eligit, ſéque ſeipſum volens regit, ſed illi omninò ab alio, eóque ſuperiore impoſitum eſſe oportet, vt illo obligetur, quod in homine ſolitario & ſingulari, qui extra omnes alios ſeorſim viuit, nulliq; ſuperiori ſubeſt, reperiri nequit; aliundè tamen durum videtur Anachoretam qui ſublimiſſimę vitę genus ſectatur & inter religioſos eminet, vel nullo iure Regulari teneri, vel quod indè omninò ſequeretur, Religioſũ non eſſe; quod quis aſſerat?

Hæc difficultas pendet ex alia quæſtione, quam diſcuſſimus *diſquiſ.* 3. *citata. de Clauſura Regulari, c.* 1. 6. 7. An nimirũ Anachoretæ eſſent verè religioſi, hodiéq; ſint: ſi enim religioſi non fuerunt, non dirigebantur iure Regulari, ſed vel communi Eccleſiaſtico, vel aliquo alio peculiari Anachoretico, cuius hactenùs nemo meminit.

2 Diſtinguenda eſt duplex Anachoreſis, vna quæ poſt traductam aliquandiu vitam Cœnobiticam ſuſcipitur, & ex Cœnobio, quis egreſſus vel in varias ſalitudines, vel certo loco includitur; quæ Anachoreſis ſolemnis erat Monaſteriis Nilo impoſitis. Ex his enim, inquit Sulpitius *dialogo* 1. *capite* 4. *ſi qui maiorem virtutem mente conceperint, vt acturi ſolitariam vitam, ad Eremum ſe conferant non niſi permittente Abbate diſcedant.* Plures igitur ea tempeſtate poſt diuturnam in Cœnobio exercitationem, impetrabant illum receſſum, & ſecretiorem Anachoreſim ſuſcipiebant, quos propriè Anachoretas dici vult Iſidor. *lib.* 7. *Etymol. c.* 13. & *lib. de diuin. offic.* & Piamm. apud Caſſian. *collat.* 18. *c.* 6. ait ex Cœnobiorum perfectorum fœcundiſſima radice ſanctorum Anachoretarum flores fructúſque prolatos eſſe. Anachoretam verò, id eſt receſſorem meritò nuncupari eò quòd nequaquam contenti hac victoria, qua inter homines occultas inſidias diaboli calcauerunt, aperto certamine ac manifeſto conflictu dæmonibus congredi cupientes vaſtos Eremi receſſus penetrare non timeant, & *c.* 4. dixerit, Anachoretas priùs in Cœnobio inſtitutos, iámque in actuali conuerſatione perfectos, ſolitudinis eligere ſecreta. Hieronym. *Ep. ad Ruſticum*, obſeruatum ait, vt de ludo Monaſteriorum egrederentur milites, quos Eremi rudimenta non terrerent. Similia tradit Caſſiodor. *lib. de diuinis lectionibus cap.* 29. Quare eos omnes, qui in Eremum antequam in Cœnobiis vitia domuerint, ſecedunt, ſuo damno ſecedere paſſim affirmant rerum Aſceticarum tractatores, vt Caſſian. *lib.* 8. *inſtit. c.* 17. & *collat.* 18. *c.* 4.

Altera Anachoreſis eſt eorum, qui contento curſu in ſolitudinem ſe abdunt, neque priùs in vita communi, & vnius patris diſciplina erudiuntur, ad difficile iſtud ſpirituale certamen ſuſcipiendũ; quod præſtiterunt viri egregiè ſancti, quos Deus Religioſæ vitæ columina atque auctores eſſe toto terrarum orbe cupiebat. Ita Antonium ex Nilotica, Pacomium ex Thebana, Baſilium ex Pontica, Hilarionem ex Palæſtina, Macarium ex Scilicia, alios ex alia Eremo, ad inſtituendas in Oriente Cœnobitarum acies euocauit; Marcium Turonica, Honoratum Lerinenſis, Romanum Iurenſis, Benedictum Sublacenſis, Columbanum Luzonienſis; aliόſque non paucos aliæ ſolitudines Cœnobiorum patres Occidenti dedere.

Ex hac igitur duplici Anachoreſi, quoties illa poſt vitam Cœnobiticam aſſumitur, vti omninò fieri volunt Patres, & Concilia, Religioſum ſtatum in Cœnobio ſuſceptum omninò ſupponit, neque illum mutat. Nam & in ea vita Religioſa ſeruari æquè poſſunt, ac debent, quod de paupertate, & caſtitate certum eſt, de obedientia quoque liquet, quod eiuſmodi Anachoretæ ex Abbatis permiſſu in Eremum ſecedant, & ab illius imperiis perpetuò pendeant. *Hæc* inquit Sulpitius, *cap.* 4. *dialogo citato) Illorum prima virtus eſt parere alieno imperio: tranſgreſſis ad Eremum Abbatis illius ordinatione, panis, vel quilibet cibus alius miniſtratur.* Hi igitur Anachoretæ in cibo & potu, & multò magis in cæteris ex Abbatis nutu pendebant. Vides igitur hunc receſſum ex prælati conſenſu non pugnare, cum propria ratione vitæ religioſæ; immò neque cum illa ſui traditione, quam Religioſus facit Religioni, & quam ad ſtatum Religioſum neceſſariam eſſe diximus *lib.* 2. & *alibi* adſtruemus *tomo* 3. Quare Silueſt. *Verſ. Eremita. num.* 1. dicit eum qui adſtrictus obedientiæ voto alicui Religioni ſecedit in Eremum ex Prælati conſenſu, non eſſe propriè Eremitam, ſed religioſum, Eremiticam vitam ducentem, id ipſum dico de Anachoretis, qui ex Cœnobio modò dicto ſecedentes, non in Eremum abibant, ſed in certo aliquo loco includebantur, quod de Lauritis, qui diſtinctis Cellis viuebant, & vnius patris, aut Abbatis imperiis ſuberant, & eius diſciplina inſtituebantur, certum eſt, vt in *citata diſquiſitione* 3. *cap.* 3. §. 1. & 2.

Tota igitur difficultas eſt de Anachoretis qui ſolitudines initio ſuæ conuerſionis penetrarunt, aſt in cellas, antra, aut alia latibula ſe pluribus annis abdiderunt, aut denique ſe perpetuò abdiderunt, de quibus incluſis longam diſputationem dedimus *citata diſquiſ.* 3. *c.* 4. *toto.* An hi omnes verè eſſent Religioſi, cum non conſtet, An paupertatem, & obedientiam vouerint, neque cui obedientiam promiſerint, & demùm cui Religioni ſe tradiderint, & nuncupauerint: quæ tamen omnia ad verum Religionis ſtatum exigunt paſſim Theologi. Quare Silueſt. *Verſ. Eremita*, negat eſſe Religioſos: S. verò Thom. 2. 2. *quæſt.* 86. *Art.* 5. *ad* 3. ait Religioſorum obedientiam attendi principaliter ad Epiſcopos ex Dionyſij *capite ſexto Hierarch. Eccleſ.* quod ſi ab illa quandoque eximantur, ſubduntur Pontifici quoad diſciplinam Religioſam. Sed non ſatisfacit hæc ſolutio, quia hæc obedientia debet eſſe facta ex voto, &, vt loquun- 3

tur, in manibus Epiſcopi, quod de illis Anachoretis, quis verè affirmarit? Neque magis ſatisfacit idem S. Doctor *ibid. q.* 188. *Art.* 8. *ad* 3. dum ait ad perfectionem Religioſam non requiri actualem obedientiam, ſed habitualem ſufficere, & in animi præparatione, qualem habuiſſe hos ſolitarios negari nequit: & ſanè ſuas ſolitudines deſerere parati fuerunt, & aliud vitæ genus inſtituere, vbi ita imperaſſent Epiſcopi, hoc, inquam, non ſufficit: quia oſtendit duntaxat eos qui è cœnobiis cum venia ſuperiorum Anachoreſim amplexi erant, Religioſos tamen eſſe & perſeueraſſe, licèt in remotioribus illis locis nullum haberent ſuperiorem tunc, cui actu parerent: parati enim erant ad illorum imperia, vbi illa accepiſſent, obſequi, cùm ad id ex obedientiæ voto tenerentur, quod viſum quamuis non ſit ſemper neceſſarium ad perfectionem perſonalem, requiritur tamen ad ſtatum religioſum, & vt quis pars communitatis religioſę exiſtat, vt ex eo deindè voto oriatur obligatio parendi, & ſequatur illa obedientia tum habitualis in animi præparatione, tum actualis dum reipſa quidpiam imperabitur. Cùm igitur priſci Anachoretæ, de quibus agimus, neque paupertatem, neque caſtitatem & obedientiam in manibus Epiſcopi aut alterius qui Dei vice acciperet, vouerent, nec vlli ſui traditionem facerent, neque ad certam regulam ſibi ab alio præſcriptã viuere ſeſe adſtringerent, Religioſi profectò dici non poterant. Quare Suar. *tractatu 9. de Religione, lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 12. dubius omninò hæret, neque quidpiam audet definire, cùm aut dicendum ſit hos Anachoretas ante ſuum ſeceſſum, profeſſionem feciſſe in manibus Epiſcopi, quod diuinare eſt, aut eos fuiſſe religioſos eminenter apud Deum & altiori quadam ratione, ſpecialiter approbata, peculiari tamen ſancti Spiritus inſtinctu, non verò ſecundùm ſtatum publicum iure ordinario ab Eccleſia approbatum: nos verò agimus de iure regulari, quod non ſolum à Deo approbari & ſacro inſtinctu ſuſcipi debet, ſed ab Eccleſia probari debet, cuius iuris lege ſtatim vides non teneri hos Anachoretas cum veris religioſis ab Eccleſia tanquam eiuſmodi approbatis.

6 Hæreo igitur in tradita à nobis *alibi* doctrina, iſtos ſolitarios & Anachoretas, fuiſſe quidem in ſtatu perfectionis, non autem propriè dictæ & veræ Religionis: primùm patet ex obligatione quam ſibi indixerant, ex voto, vt credere par eſt, non deſerendi illum viuendi modum in quo ſublimioris perfectionis opera exercere tenebantur. Quare immobilitas, quam requirimus ad ſtatum, colligitur tum ex voto, tum ex abundantiori quadam gratia illos confirmante in eo vitæ genere: perfectio vero ex operibus ad quæ vi ſtatus illius obligantur. Neque neceſſaria illis fuit ad eam perfectionem obligatio obedientiæ, quia vti ſapienter diſſerit S. Thom. *locis nuper allatis*, idcircò requiritur ad Religioſum ſtatum obedientia, quia ille ſtatus eſt diſciplina, & exercitium tendendi ad perfectionem: vbi autem quis inſtituitur, vel exercetur, vt perueniat ad aliquem finem, indiget alterius directione, & magiſterio à quo diſcedere non debet. At verò vbi Spiritus ſanctus eiuſmodi directionem ſupplet, non eſt opus obedientiam promittere magiſtro, à quo regaris. Potuerunt igitur magni illi, & toto orbe commendati Anachoretæ, quos diuino Spiritu concitatos eſſe cõſtat, perfectioni vacare abſque obedientiæ voto, atque in ſtatu perfectionis exiſtere, non tamen in ſtatu religionis: quia ad illam requiruntur alia plura, nempe tria illa vota vulgaria, cum ſui traditione & mancipatione, ab aliquo Dei, & Eccleſiæ vice acceptante, vt ſupponimus, *tom.* 3. fuſiùs probandum.

Vides igitur longè aliam fuiſſe rationem eiuſmodi 7
Anachoretarum, & Virginum ac viduarum, quæ quondam in domibus priuatis vitam religioſam ducebant, vti monuimus *diſquiſit.* 1. *cap.* 1. & *alibi de clauſura regulari*, illæ enim ab Epiſcopis velabantur, & conſecrabantur, & Religionem profitebantur, modo ab Eccleſia inſtituto & probato. Quare nihil ipſis deeſſe poterat ad verum ſtatum non modò perfectionis, ſed etiam religionis, cùm priſci Anachoretæ, de quibus agimus, non profiterentur in manibus, vt loquuntur, vllius & nullam profeſſionem emitterent; ac proindè Religioſi dici non poſſent formaliter, vt ait Suar. ſed ſolum eminenter. Quod ego ita explico, vt perfectionem non inferiorem Religioſâ in illo ſuo ſtatu profiterentur.

Ex quibus facilè definies noſtrates Eremitas, qui 8
in aliqua Religione profeſſi non ſunt, minimè religioſos eſſe, cùm non voueant paupertatem, caſtitatem, & obedientiam, ſaltem ſecundùm regulam aliquam, ab Eccleſia probatam, quod modò requirit Concilium Lateranenſe, vti *lib.* 2. diximus, & iterùm *tom.* 3. docebimus, immò Silueſter nuper allatus *verſ. Eremita*, hos Eremitas, ne quidem inter perſonas Eccleſiaſticas cenſendos eſſe velit, ſed in ea controuerſia non placet modo immorari: de ea vide Suar. *tract.* 9. *de religio. lib.* 4. *cap.* 2. *num.* 10.

Ex his tandem explicata manet definitio iuris Re- 9
gularis à nobis initio allata, nempè eſſe illud, quo Ordo aut communitas Religioſa regitur, non verò quo aliquis duntaxat ſingularis obſtringitur, ſiue illud ſibi ipſi impoſuerit, ſiue etiam ab alio, licèt ſuperiore impoſitum fuerit, ſi ipſe pars non fuerit eiuſmodi communitatis, & ordinis religioſi: ſiue, vt vno verbo dicam, ſi ipſe non fuerit Religioſus, ſiue in communitate maneat, ſiue ſeorſim, ex ſuperioris tamẽ venia, cuius adhuc imperiis obſequi tenetur, & reuera paret, vti dicebamus de iis, qui ex vita cœnobitica ad quampiam Anachoreſim ſiue perpetuam, ſiue temporariam, ſiue remotam, & diſſitam, ſiue proximam tranſibant, & qui vel in deſertis & ſyluis errabant, vel certo aliquo loco includebantur, ſiue ad Synaxes aliquandò conuenirent, ſiue ne præſcriptos clauſuræ limites frangerent, ab illis Synaxibus abſtinerent, de quibus omnibus aliqua diximus, *diſquiſit.* 3. *de clauſura Regulari.*

Hoc porrò ius Regulare hactenùs definitum, duplex 10
in vniuerſum ſtatui poteſt, vnum naturale, alterum poſitiuum: prius illud ſequitur ex natura voti Religioſi & ſui ipſius traditione atque mancipatione, atq; ex natura ipſius ſtatus Religioſi, quem plurimæ obligationes ex natura rei conſequuntur: quamuis enim eiuſmodi ſtatûs ſuſceptio voluntaria & libera omnino ſit, vbi tamen quis illum aſſumpſit ad plurima per ſe & ex natura rei obligatur, ad quæ priùs non obligabatur, quod in omnibus officiis & ſtatibus reperitur. Hoc igitur voco naturale Regulare, quod quale ſit explicata natura religionis, & votorum religioni ſubſtantialium innoteſcet, quæ omnia explicanda non ſunt hoc loco, vt vides.

Ius regulare poſitiuum eſt, quod plurima quæ ius 11
naturale non præſcribit Religioſis facienda, ſancit, vel fieri vetat, quod iterùm duplex eſt, vnum Pontificium & commune, quod omnibus Religioſis ſeruandum imponitur ab Eccleſia, vel in Conciliis vel in Pontificum reſcriptis, ex quibus tamen aliqua communia ſunt omnibus religioſis, alia verò quibuſdam ordinibus aut congregationibus peculiariter impoſita. Sanè in Conciliis tum generalibus, tum Prouincialibus multa de Religioſis ſancita legimus, in vtraque etiam decretalium collectione ſiue Gregorij IX. ſiue

Bonifacij

Bonifacij VIII. & in Clementinis Clementis V. atque extrauagantibus tum Ioannis XXII. tum communibus aliorum Pontificum plurimi habentur tituli, circa Religioſos, de regularibus & tranſeuntibus ad aliam religionem, de conuerſione coniugatorum, de ſtatu Monachorum,& Clericorum Regularium,de Religioſis domibus, vt Epiſcopo ſint ſubiectæ, de capellis Monachorum & aliorum.

12 Alterum ius regulare poſitiuum ſingulis Ordinibus religioſis priuatum & proprium, eſt pro religionum diuerſitate,quæ ex fine proximo, mediis, & variis obſeruationibus petenda eſt, continetúrque ipſarum regulis & conſtitutionibus ſiue ſtatutis : quare videndum omninò eſt quid ſit regula, quid conſtitutiones.

Regula Latinis, & κανὼν Græcis propriè inſtrumentum, finis ſiue linea,qua Architecti & cæmentarij in dirigenda fabrica vtuntur, vt eius menſuras dirigant & æquent, ex Vitruuio *lib.7. de Architect.* & Tullio *lib. 1. Epiſt. 3. ad Q. Fratrem.* quare Gregor. *hom.3.in Ezech.In funiculo autem cæmentarij* (inquit) *hoc agi ſolet vt cognoſci æqualitas, vel rectitudo ſurgentis parietis debeat, vt ſi lapis intus eſt,foras eiiciatur, ſi exterius prominet,interius reuocetur.* Itaque regula dicitur ab Iſidoro in *Etymol.* quod rectè, neque aliquandò alíorſum trahat, &; vt Ariſt. *lib.1.de anima, textu 85.* regula rectum & obliquum cognoſcimus verum, & falſum,bonum,& malum diſcernimus,& Senec. *Ep.7.* Regula eſt qua rectum probari ſolet, quam ſi flectis quidquid ex illa mutaueris, iniuria eſt recti. Quare Chryſ. *Hom.12. in Epheſ.* immutabilem dicit,cui nec addi,nec detrahi quidquā poſſit *alioquin* (inquit,) *hoc ipſum quod regula eſt,amittit,& perdit.* Et Lucret.*lib.4.*

Denique vt in fabrica,ſi praua eſt regula prima,
Normaque ſi fallax rectis regionibus exit :
Et libella aliqua ſi ex parti claudicat hilum :
Omnia mendoſè fieri,atque obſtipa neceſſum eſt,
Praua,cubantia,prona,ſupina atque abſona tecta,
Iam ruere, vt quædam videantur velle,ruántque,
Prodita iudiciis fallacibus omnia primis.

Ab hac architectonica, & cæmentaria regula, ducta eſt metaphora,per quam quædam certæ,conſtantes,& vniuerſales propoſitiones, quibus in ſcientiis,artibus, & moribus dirigimur, & quæ nos in illis errare non ſinant, regulæ dicuntur, ſúntque præcepta quædam vniuerſalia ad quæ omnia, quæ dicuntur in ſcientiis artibus,& moribus exigenda ſunt,ne erremus. Quare axiomata Grammaticorum, Rhetorum, Iuris, & Artium, quæ vniuerſalia ſunt, regulæ dicuntur, ſicut & leges politicæ Ciuiles, Eccleſiaſticæ, & monachales regulæ quoque dicuntur, & vt propius ad noſtram rem accedamus, norma certa & diſciplina viuendi, quæ continet præceptiones ſeruandas ab aliquo certo & pio inſtituto,quæque aliis communis non eſt,dicitur Regula,v.g.S.Benedicti. S.Baſilij, &c. quam omnes illius inſtituti profeſſores ſequi & amplecti debent, & per quam à ſectantibus diuerſa alia inſtituta diſtinguuntur. Quæ regula, vt vides, non continet vnam tantùm & alteram præceptionem,ſed quidquid in vniuerſa diſciplina, & in tota viuendi norma repetitur, vnde frequentes iſtæ locutiones, apud Benedictum, & alios, *Legatur regula per ordinem cap.58. Sciat, ſe omnem regulæ diſciplinam ſeruaturum, cap.60. Regulam hanc deſcripſimus, cap.77.* & aliæ ſimiles. Denique regulam eſſe formam religioſè viuendi dixit Innoc. VII. *in Bulla confirmationis tertij Ordinis S. Dominici,* Thomas à IESV *in regulam Carmelitar. 2.p. dub.1.* definit Monaſticam regulam, normam viuendi Euangelicam,ab Eccleſia approbatam,quæ tradit viam tendendi ad perfectionem ſecundùm tria ſubſtantialia vota, & alias obſeruantias proprias religionis. Quæ definitio non modò regulam, ſed etiam proprias cuiuſque ordinis conſtitutiones continet, vt conſtabit ſtatim : quam aptè verò huiuſmodi viuendi norma dicatur regula ad ſimilitudinem regulæ cæmentariæ, fuſius explicat Humbertus *in prœm. regulæ S.Auguſtin. cap.7.* & Iulius Nigronius *in explicatione tit. Regul. Societatis IESV, part. 1. numero 23.* & ex illis Haſtenus *lib. 1. diſquiſition. Monaſticar.tract.1. diſquiſit.1.*

Conſtitutiones aliquando ſunt ipſamet regula,neque ab ea differunt, vt apud Carthuſienſes PP.Minimos, & Societatem IESV, qui aliique non habent,niſi vel regulam vel conſtitutiones. 13 Nam hæ duæ voces, *regula,& conſtitutiones*, idem ſonant, legem nimirùm, & præcepta, quibus Religio continetur, quod & ipſum dicunt conſtitutiones regulares, ipſaque vox *conſtitutionis* præceptum poſitum, & fixum ſignificat, vnde Clemens Romanus, Apoſtolorum tum præcepta, tum inſtitutum inſcripſit conſtitutiones Apoſtolorum, ipſéque ſanctus Benedictus regulam quidem Monachis ſuis præſcripſit, quæ totum Occidentem peruagata eſt, & ab omnibus Monachis recepta penè fuit, nullas tamen conſtitutiones diſtinctas illi addidit,quamvis plurimi qui regulam commentariis illuſtrarunt, quorum præcipuos enumerat Haſtenus *lib.2. diſquiſit. Monaſtic tractatu 5. diſq.4.* & alij qui nonnulla de conſuetudine variorum monaſteriorum immiſcuerunt, vel nouas editiones regulæ,vel potiùs nouas regulas, & nonnihil immutatas, atque adeò variorum authorum quàm ipſius Benedicti nobis dederint,vt idem Haſtenus *diſt.citata* oſtendit.

Conſtitutiones, dum à regula diſtinguuntur, ſunt 14 ſanctiones quædam,& ſtatuta,vel leges,vel inſtitutiones ad clariorem regulæ explicationem aut faciliorem eius praxim pro ratione finis, & inſtituti cuiuſque Ordinis, qui eiuſmodi primariam regulam ſibi ſeruandam aſſumpſit. Sicut enim licet vna ſit diuinæ charitatis perfectio, ad quam vita Chriſtiana tendit, quia tamen diuerſi ſunt eius gradus, ipſáque latiſſimè funditur & diuerſiſſima media ad illam acquirendam faciunt, quorum alia propius aliis accedunt, & quiſque tum certum eius gradum aquirendum,tum certa ad illum media aſſumit, & ſecundùm illum finem ac media peculiarem ſibi viuendi modum & regulam eligit vel ſolus,vel cum aliis, indéque nata eſt regularum Religioſarum ſiue tendentium ad perfectionem diuerſitas, variorúmque Ordinum Religioſorum diſtinctio, quæ, vt docuimus ex S.Thom.*lib. 2.ſuperiori,* ex peculiari cuiuſque fine ; & mediis ad illum adhibitis ſumenda omninò eſt. Ita cum eiuſdem iam præſcriptæ regulæ partem aliquam ſibi ſingulari ſtudio excolendam aliqui ſumpſerint, vel vniuerſam amplexi ſint alijque rigidiùs, alij laxiùs, & cum aliquo temperamento,ſinguli pro ſuo arbitrio, & ingenio, & ad ipſam illam integræ, vel partialis regulæ obſeruationem, & commoda, variáque media vſurparint, diuerſas quoque conſtitutiones ediderunt, quibus tum ipſam regulam explicarunt, tum modum quo illam obſeruari vellent præſcripſerunt. Quare ſuis conſtitutionibus non derogarunt primariæ regulæ ; ſed illius praxim ſibi peculiarem docuerunt, quæ praxes cum ſingulares quibuſque ſint, neque omnibus eandem regulam profitentibus communes, neceſſariò diuerſæ ſunt & diſtinctæ, eadem ratione qua diuerſæ ſunt ipſæmet regulæ, neque vna & eadem omnibus regularibus, vti iam diximus ; & pluribus oſtendit Haſtenus *lib.1.diſq.monaſt.diſq.4.& 5.* Quò poſtremo loco varias regularum diuerſitates proſequitur, & denique *reliquis eiuſdem lib.2. tractatibus* variis cuiuſque

ſæculi regulas à variis conſcriptas numerat, quarum tamen paucæ fuerunt omninò diuerſæ, & quàm pluima habuere communia paucis additis, aut detractis, ita vt fuerint potiùs quædam conſtitutiones, quibus priorum regularum intelligentia, vel praxis explicaretur, vti modò conſtitutionum religioſarum vocem accipimus, atque ita intelligendum eſt, quod aliquandò videntur fuiſſe plures regulæ, ſiue quia monachi qui ex vno monaſterio ad aliud ibant, in quo diuerſa erat regula, vtramque regulam, quantum fieri poterat, obſeruabant, ſiue quia erat vna primaria & veluti princeps regula: alia verò ad illius faciliorem obſeruationem faciebat, erátque veluti, quas vocamus hodie conſtitutiones, & additiones quædam atque interpretationes. Sic legebantur regulæ & ſtatuta Patrum in ſingulis monaſteriis, & peculiares cuiuſque Monaſterij, quod ita fieri mandat Paul. & Stephan. *cap.* 41. *ſua regulæ*. Citatur eiuſmodi regula in concordia Regularum & illam antiquiſſimam vocat Trithemius. Quinam verò hi monachi, & quo tempore, & vbinam vixerint, inquirit Haſtenus *lib.* 1. *tract.* 5. *diſq.* 13. & ipſe S. Benedictus ſub finem iubet legi regulam Baſilij, & ſcripta Caſſi. Caſſiodorus verò *cap.* 32. *Inſtitut.* Viuarienſibus ait: *Quapropter, omnes quos monaſterij ſepta concludunt, tam Patrum regulas, quàm præceptoris proprij iuſſa ſeruate.* Gregor. Turon. *lib.* 10. *de geſtis Franc. cap.* 9. agens de Aredio Abbate, *Cœnobiúmque fundauit, in quo non modò, Caſſiani, verùm etiam Baſilij, & reliquorum Abbatum, qui monaſterialem vitam inſtituerunt, celebrantur regulæ, beata muliere victum, atque veſtitum ſingulis miniſtrante.* De monaſteriis, in quibus S. Benedicti & S. Columbani regula ſeruabatur teſtatur Orderic. Vitalis, *lib.* 8. *hiſt. de diſcipulis S. Mauri* & Flodoard. *hiſt. Rem. lib.* 2. *cap.* 7. de monaſterio Altumvillari; de monaſterio Floriacenſi à S. Leodebaldo fundato, Carolus Sauſſey *in Annalib. Eccl. Aurelian.* de monaſterio Corbeienſi Belfudus Ambianorum Epiſcopus: in priuilegio illi monaſterio à ſe indulto, de ſancto Philiberto Surius 20. Auguſt. Theodorus Stidita *in ſuis monaſticis inſtitutis*, & ſua commendat, & Patrum ac ſancti Baſilij regulas. Verùm exiſtimarim has regulas in eodem monaſterio non fuiſſe niſi vnam quandam regulam ex variis aliis, v. g. Benedicti & Columbani collectam, atque adeò vtramque illam regulam ſecundum aliqua capita fuiſſe ſeruatam. Et ſanè ſi omnes illas diuerſas regulas, quas loco citato numerat Haſtenus, attentius expendamus, facile fuerit deprehendere pleraſque ex aliis antiquioribus fuiſſe collectas, quibuſdam additis, vel detractis, vti iam monuimus. Eiuſmodi fuit regula, quam Donatus Archiepiſcopus Veſontionenſis Virginibus monaſterij à Flauia matre ſua conſtructi præſcripſit ex beati Cæſarij Arelatenſis, Benedicti, & Columbani regulis, vt ipſemet fatetur, in prologo ad Gauſtrudem, & eius congregationem in Cœnobio à famula Dei Flauia conſtructo. De hoc Donato Haſtenus *l.* 1. *tract.* 7. *diſq.* 6. Denique ipſemet S. Benedictus aliqua ſibi ſumpſit & ex S. Martini inſtitutis libauit, v. g. vt Abbas hoſpitibus pedes lauaret, & aquam manibus infunderet: id enim vſurpaſſe ſanctum Martinum etiam iam Epiſcopum teſtatur Seuerus Sulpitius *cap.* 16. *vita S. Martini*, & Paulinus *Epiſt.* 3. *ad Seuerum.* Ad extremum obſerua cum Petro Rouerio *in illuſtratione hiſtoriæ monaſticæ S. Ioannis Reomaenſis n.* 6. triplicem maximè vitæ monaſticæ rationem fuiſſe in Gallia. Primam eorum qui ſuo ſibi arbitrio leges dicerent, cuiuſmodi ferè erant Anachoretæ: alteram eorum, qui vnius ferè præpoſiti monita, vel iuſſa pro lege haberent: tertiam eorum, qui vni cuidam communi ac perpetuæ legi ac regulæ ſeſe addicebant. Talia erant Licinenſium, ac Grianicenſium ſtatuta, quorum Sidonius meminit. *lib.* 7. *Epiſt.* 7. Hæc ſtatuta plurimi deindè alij ſectati ſunt, ſed ſuo modo ſibi accommodarunt, vnde factæ plurimæ regulæ, eæque magna ex parte diuerſæ, quas alij conſtitutiones & ſtatuta nominarunt, vt primariæ regulæ ſuus honor reſtitueretur, eáque eſt hodie vocis conſtitutionum religioſarum notio, vbi cum primaria regula comparantur. Quid verò ſingulæ ab Eccleſia iamdiù probatæ, Baſilij, Auguſtini, Benedicti & Franciſci habeant ſibi proprium, noſtrum non eſt annotare, id ipſarum lectio ſatis demonſtrat, & aliqua notauit Azor. *tom.* 1. *lib.* 13. *cap.* 2. vbi & de variis Ordinibus, qui ſub ſingulis illis regulis militant.

Differunt igitur 1. conſtitutiones à regula, quia 15
iſta à primis fundatoribus condita eſt, & cum ipſamet religionis cuiuſque origine nata: conſtitutiones verò deinceps pro morum, temporum, & negotionum momentis additæ ab ipſomet Ordine vniuerſo vel conſtitutæ, vel ſaltem confirmatæ fuerunt. 2. quia latiùs patet regula, quæ vniuerſo Ordini & ſingulis congregationibus intra eundem ordinem communis eſt: ſingulis verò congregationibus propriæ ſunt conſtitutiones, quæ, vt habet Nider *lib.* 2. *de reformat. regul. cap.* 2. ſunt loco differentiæ, & Regula vicem generis obtinet, v. g. inquit, *Regula B. Auguſtini communis eſt Ordinibus, Prædicatorum, Eremitarum S. Auguſtini, Præmonſtratenſium, Paulitarum & ſimilium, qui omnes profitentur eandem regulam, nec in hoc differunt, ſed pro ſingulis Ordinibus præfatorum Religioſorum ſunt formatæ conſtitutiones quædam in inceſſu, in victu, amictu, ritibus & ceremoniis, quibus inter ſe cauſant differentiam.* 3. differunt penes perpetuitatem; quod conſtitutiones pro variis opportunitatibus interdum mutari poſſint, & quandoque mutentur à Capitulo generali, vti fatentur Carthuſienſ. in antiquis ſtatutis *prima part.* §. 1. *& in nouis, in prologo.* Regula nonniſi à ſummo Pontifice mutari, aut abrogari queat: ita S. Antonin. 1. *part. tit.* 16. *cap.* 1. §. 4. & Azor *tom.* 1. *lib.* 13. *cap.* 11. *p.* 2. ex Ioanne Andrea. Verùm ſapienter aduertit Suar. *tom.* 4. *de Religion. lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 5. diſcrimen iſtud non eſſe vniuerſale: nam conſtitutiones à ſummo Pontifice confirmatæ non poſſunt ipſo inconſulto abrogari, aut mutari, neque omnes ſimul etiam refigi: fieret enim alia omninò congregatio, quæ regulam ſeruaret ſecundùm alium ſenſum, intelligentiam ac praxim, quàm hactenùs fecerat, & tamen ex ſuis conſtitutionibus ab aliis omnibus congregationibus, eandem regulam complectentibus differret. Præterea poterit à Pontifice, per diſpenſationem aut alia quapiam ratione refigi regula, atque ex eiuſdem Pontificis auctoritate, idem à Capitulo generali fieri, non quidem quoad vniuerſam regulam, ſic enim noua fieret religio, ſed quoad aliquam partem, ſaltem non ſubſtantialem. 4. diſtinguunt aliqui penes obligationes ad culpam, vel ad pœnam tantùm, vel ad vtramque; & ad culpam mortalem, aut venialem tantùm; quod diſcrimen iure reiicit Suar. *l. cit.* cùm hæ omnes obligationes poſſint cadere, tum in regulam, tum in conſtitutiones; ſecundùm mentem & intentionem condentis regulam, aut conſtitutiones, grauitatem materiæ, & alias circumſtantias, ex quibus diximus ſumendam eſſe legis obligationem, & iterum dicemus *inferius lib.* 7.

Atque ex hactenus *tota iſta quæſtione* diſputatis 16
habemus totum ius Regulare conſiſtere in regula & conſtitutionibus ſimul vbi iſta differunt, vel vbi non diſtinguuntur, in altero illorum, & plures ordines poſſe ſub eadem regula viuere cum diuerſis tamen conſtitutionibus, à quibus totam ſuam differentiam

rentiam capiunt, cùm vel vniuerſam regulam,vel eius dumtaxat partem ſibi ſeruandam putant, variis modis & mediis quæ in ſingulis conſtitutionibus explicantur, vti ſæpius monuimus & videmus in Ordinibus variis, qui Benedictum, aut Auguſtinum alióſve tanquam parentes agnoſcunt, eorúmque Regulas obſeruare ſe dicunt.

QVÆSTIO II.

Quis poſſit condere ius Regulare.

An iuriſdictio ſit neceſſaria in Religioſa communitate, n. 1.
Poteſtas dominatiua ſufficit, num. 2.3.4.5.6.7. & 8.
Quis dicat ius referre, n. 9. & 10.
De variis Prælatis, n. 11.12.13. & ſeq.

CVm poteſtas condendi leges, ſit poteſtas iuriſdictionis aut eius præcipua pars, non poſſumus definire, quis poſſit ius regulare conſtituere, niſi ſimul aperiamus in quo ſit poteſtas illa iuriſdictionis in communitatem religioſam; nam de illa ſolùm agimus hoc loco, non de religione in vniuerſum, ſiue illa in aliqua perſona ſingulari vt in Anachoreſi conſiſtere poſſit, ſiue non.

1 Obſeruandum verò imprimis eſt in communitate religioſa, ad illam adminiſtrandam & conſeruandam neceſſariam eſſe poteſtatem aliquam non modò dominatiuam, ſed etiam iuriſdictionis ſiue intra ipſam communitatem exiſtat, ſiue extra illam, à qua omninò pendeat. Diſtingo cum Vaſq. Suar. locis mox adducendis, & cum aliis paſſim poteſtatem dominatiuam & poteſtatem iuriſdictionis. Prima illa eſt ius acquiſitum alicui, v. g. Religioni, & eius prælatis ad imperandum alicui, & vtendum eius operibus, per quam v. g. Religio, eiúſve prælatus poteſt Religioſis imperare, & eius operibus vti pro arbitrio, atque proue conſentaneum eſſe iudicauerit, & quod indè ſequitur, cogendi Religioſum ad imperata facienda, alioquin inutilis eſſet ea poteſtas dominatiua, cuius dominium impunè contemni poſſet. Hæc porrò poteſtas dominatiua præciſè ſumpta, non eſt poteſtas iuriſdictionis, niſi vocibus abuti libeat: poteſtas iuriſdictionis eſt poteſtas ſpiritualis ad claues Eccleſiæ pertinens, & à Domino Chriſto medio Pontifice vel Epiſcopis deriuata, quod non conuenit poteſtati dominatiuæ, vt vides: illa enim neque pertinet ad claues, neque profluit à Chriſto per ſpecialem donationem Eccleſiæ factam, ſed immediatè oritur ex traditione, quam ſui faciunt religioni, profeſſionem facientes cum promiſſione ſeruandi talem regulam, & promiſſione atque obligatione obediendi ſecundùm illam. Vbi vides eam nihil pertinere ad poteſtatem ſpiritualem, & Clauium à Chriſto deriuatam, neque proinde eſſe vllam poteſtatem iuriſdictionis, niſi placeat ita vocare poteſtatem omnem imperandi, & cogendi ad imperata; cuiuſmodi eſt poteſtas patris in filium, & domini in ſeruum. Qui loquendi modus & improprius eſt, & Iuri Canonico ac ciuili minimè notus: in vtroque enim illo iure non dicitur iuriſdictio niſi poteſtas publica, quæ vel à principe, vel à republica manauit. Itaque poteſtas iuriſdictionis etiam in communitate Religioſa diſtincta eſt, & omninò ſeparabilis à poteſtate gubernatiua & dominatiua, quod facilè oſtenditur ex diuerſis cauſis, ex quibus duæ iſtæ poteſtates oriuntur: dominatiua enim naſcitur, vt dixi, ex ſui traditione facta Religioni, quam neceſſario profeſſio religioſa includit; quæ traditio ius aliquod confert Religioni in profitentem, diſtinctum ab illo quod tradit iuriſdictio, quam Chriſtus, vel eius Vicarij conferunt. Iuris verò illius vſus alius fingi nequit, quàm gubernatio perſonæ, & illius applicatio ad hæc, vel illa opera, ad bonum religionis conducentia. Deindè ſtatus ſeruitutis, quem omnes agnoſcunt in Religione, diſtinctus ſine dubio eſt à ſtatu ſubiectionis, qui conuenit omnibus fidelibus ratione iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, non poteſt autem oriri niſi ex poteſtate dominatiua: quæ & alia adducit Suar. *tract. 7. de Relig. lib. 2. cap. 18. n. 5.*

Quæſtio verò eſt, an vtraque iſta poteſt tum dominatiua, tum iuriſdictionis ſit neceſſaria, ad communitatem Religioſam, an altera tantum, & quænam illa ſit. Vaſq. 12. *diſt.* 166. *cap.* 14. & Baſilius Pontius *q.* 3. *ex variis, cap.* 3. volunt neceſſariam omninò eſſe poteſtatem iuriſdictionis præter dominatiuam præciſè ſumptam, & vt condiſtinctã: Suar. verò *c.* 18. *n.* 8. exiſtimat ſolam dominatiuam præciſè loquendo ſufficere. Ego diſſidentes ſententias cõpono, dum aio poteſtatem dominatiuam ſiue domeſticam, & œconomicam ſine alia propria ſpirituali iuriſdictione, quæ ſit intra communitatem ipſam, ſiue in eius prælato & immediato, eiuſdémque communitatis ſufficere ad Religioſum ſtatum conſtituendum, neceſſariam tamen eſſe propriam poteſtatem iuriſdictionis, quæ ſit in aliquo prælato Religionis ſaltem extrinſeco, & aliis quoque fidelibus communi; atque hoc ipſum probat vtraque illa ſententia, quamvis inuicem diſſidere videantur. 2

Et quidem ſolam poteſtatem dominatiuam & œconomicam ſatis eſſe, probatur ex Monialibus in quas Abbatiſſa, ſiue ſuperiotiſſa nullam habet iuriſdictionem, neque ſpiritualem, cùm eius capax non ſit, neque ciuilem, aut temporalem, cùm à nullo principe ſæculari eam acceperit; ipſi nihilominùs Monachæ obedire tenentur ſecundùm regulam, quam ſunt profeſſæ, quod etiam videmus in antiquis Monachis, quorum Abbates, & ſuperiores nullam propriam iuriſdictionem habuiſſe videntur, cùm nullos eiuſmodi iuriſdictionis effectus in illis deprehẽdamus, vt in votis & præceptis Eccleſiaſticis diſpenſationem, cenſurarum v. g. excommunicationis inflictionem, & eiuſmodi alia: quæ enim in antiquis regulis leguntur excommunicationes, veræ cenſuræ Eccleſiaſticæ non erant, ſed priuationes quædam & ſeparationes à communi conſortio aliorum, in pœnam inflictæ. 3

Neque ſatisfacit Vaſq. dum reſpondet iuriſdictionem Abbatiſſæ ſatis conſtare ex eo quòd poſſit compellere Moniales ad ſuæ regulæ obſeruationem, & delinquentes punire pœnis ſaltem corporalibus, etſi non per cenſuras; vtraque enim illa punitio iuriſdictionem aliquam præſupponit. Nam ſi quæ virgo cuipiam vouiſſet obedientiam & præſcriptam ſibi ab eo regulam ſeruare non poſſet, tamen, ſi delinqueret, ab eo puniri, & ad votum ſeruandum inflictis pœnis compelli: quare concedenda eſt aliqua iuriſdictio Abbatiſſæ, licèt non omnimoda illa, quæ ſe ad cenſuras illas infligendas extendat, ſed aliqua, quæ ad punitionem corporalem, & ad vim adigendam ſufficiat, quatenus regulæ & votorum obſeruatio ita poſtulat. Verùm omnis coactio & punitio dici nequit iuriſdictio, niſi admodum impropriè, alioqui dominus, qui ſeruum cogit ad ſibi mandata implenda, & pater, qui corripit filium, & mater caſtigans filiam, dicerentur habere propriam iuriſdictionem, & in omni regimine domeſtico, & œconomico poteſtas directiua & coactiua eſſent iuriſdictiones, quæ tamen non ſunt niſi dominia paterna, vel herilia, quod idem dices de vxore, quæ vi matrimonij viro ſubiicitur. 4

Obiicit

5 Obiicit ſecundò Vaſquez omnem poteſtatem dominatiuam in prælatis Religioſis non oriri niſi ex iuriſdictione, vti oſtendebamus in eo, qui voto ſimplici ſe alicui obligaſſet ad ſibi mandata perficienda, neque enim idcircò poteſtatem dominatiuam illi conferret, neque ab eo cogi & puniri poſſet.

Reſpondeo enim dominium, quod etiam Abbatiſſa & alius omnis prælatus Religioſus habet in vouentes vt eos cogat ad vota præſtanda, non oriri præciſè ex ſolo voto, ſed ex ſui traditione, quam vouendo facit Religioni, quæ traditio, vti iam monui, *& alibi tom. 3. de profeſſione Religioſa* diſputantes dicemus, tradit aliquod dominium Religioni in profitentem: & ſanè, ſi quis in mancipium alteri ſe traderet, eius dominio ſubiiceretur, ab eóque puniri & cogi ad mandata exequenda poſſet, & tamen non conferret illi iuriſdictionem: cur etiam perſonæ non poſſent ex pacto in ſocietatem conuenire, & vni alicui dare facultatem aliis imperandi, & reos mulctandi, aut puniendi, quod videmus in omnibus licitis collegiis, & quæ prohibita non ſunt: ille tamen non haberet in alios poteſtatem iuriſdictionis ſed aliam aliquam, veluti domeſticam & œconomicam, quam nos dominatiuam nominamus.

6 Obiicit tertiò idem Vaſq. ius iſtud dominatiuum in prælato Religioſo oriri à iuriſdictione. Quod probat: quia Religioſorum vota irritare poteſt, alio longè modo quàm dominus qui ſerui vota irritare dumtaxat poteſt, quando materia voti eſt ſub dominio domini, non ſerui: prælatus verò poteſt etiam perſonalia vota Religioſi irritare, ratione iuriſdictionis, quam habet in ipſius perſonam, ratione voti obedientiæ ipſi facti, & quam illi Pontifex conceſſit. Neque dicas fideles omnes ſubiici iuriſdictioni Pontificis, qui tamen nequit eorum vota irritare: quia fideles neque Pontifici, neque Epiſcopo vouent peculiarem obedientiam, neque eos ipſe in peculiarem curam admittit: ſi enim hoc fieret, poſſet in eos peculiarem iuriſdictionem exercere, ipſorúmque omnia opera peculiari ipſius iuriſdictioni ſubiicerentur, eo planè modo, quo Religioſi opera prælato ſubiiciuntur; eam ſiquidem iuriſdictionem omnem prælatus à Pontifice accipit, quæ ſine dubio eſt in Pontifice circa eos qui ipſi peculiarem aliquam obedientiam circa quandam regulam vouerint, quam ipſemet etiam acceptarit. Sicut ergo Pontifex iuriſdictionem illam in ſubditos Religioſos communicat: ita illam in ſe recipit: neque enim eam communicando, eandem abiicit, vt patet in omni alia iuriſdictionis & poteſtatis communicatione. Quare ſicut Religioſi ita ſubduntur prælatis, vt ab illis eorum vota per iuriſdictionem à Pontifice traditam poſſint irritari: ita etiam ſubduntur ipſi Pontifici, vt ab eo illorum vota irritari poſſint; quod idem erit dicendum de Epiſcopis, dum Religiones ab ipſis poterant approbari, & confirmari, ac proindè tota prælatorum in Religioſos iuriſdictio ab Epiſcopis pendebat, & deriuabatur.

Reſpondeo poteſtatem irritatiuam voti Religioſi, non oriri ex poteſtate iuriſdictionis, ſed ex poteſtate dominatiua, quam habet prælatus in Religioſum ratione traditionis ſui, quam fecit Religioni. Nam fatetur ipſemet Vaſques, Pontificem, licèt habeat iuriſdictionem ſpiritualem in omnes fideles, non poſſe tamen pro arbitrio & poteſtate irritare ipſorum vota, ſed religioſorum dumtaxat, quia cæteri fideles non fecere illi ſpeciale obedientiæ votum, neque ipſe eorum peculiarem curam admittendò eiuſmodi votum accepit. Ergo poteſtas illa irritatiua non prouenit præciſè ex ſpirituali iuriſdictione, quam Pontifex in omnem Eccleſiam, & ſingulos fideles accepit à Chriſto, ſed ex peculiari obedientiæ voto ipſi facto, & peculiari illa cura, quam ipſorum ſuſcepit. In quo vides ſingularem quandam ſui traditionem, & ſubiectionem curæ Pontificis, eiúſque acceptationem, ex qua poteſtas dominatiua & non iuriſdictionis confirmatur: nam impuberis filij vota irritare poteſt pater, vti ex communi Theologorum ſententia dicemus *tomo ſequenti*. Pater autem non aliam poteſtatem in filium habet, quàm dominatiuam, non verò iuriſdictionis, vti iam monuimus. Et ſanè cùm duplex tantùm modus irritationis voti fingi poſſit, vti loco citato dicemus, indirectus vnus, ratione materiæ, quæ ab alterius voluntate pendet, qui eiuſmodi materiam non vult ſine ſua voluntate vſurpari, vti videmus in ſeruo, cuius omnia cùm domini ſint, non poteſt de illis ſine domini voluntate diſponere; & in filio, cuius vota realia quoties voluntati paternæ repugnant, ſunt irritabilia à parente, cui materia votorum eiuſmodi ſubditur; quæ omnia, non niſi ex poteſtate dominatiua oriuntur, non verò ex poteſtate iuriſdictionis, vt patet. Alter verò modus irritationis voti directus per ſolutionem vinculi ipſius voti, eo quòd voluntas vouentis, quæ alteri omninò ſubdita eſt, non potuerit ſe firmiter obligare niſi dependenter ex voluntate alterius, à quo omninò dependet; atque hæc irritatio non fit ex iuriſdictione in vouentem, alioqui eſſet in Pontifice, ratione omnium fidelium, vti argumentabamur. Eſt igitur ratione voti obedientiæ, & traditionis, quam ſui facit Religioſus, vnde oritur poteſtas dominatiua. Maneat igitur ex omnibus hactenùs diſputatis, poteſtatem dominatiuam, & œcumenicam ſiue domeſticam ſufficere ad ſtatum Religioſum, ſine vera & propria iuriſdictione ſpirituali, quæ ſit intra ipſam communitatem religioſam, vti in monaſteriis Monialium euicimus, & in aliis non exemptis & quæ ex antiquo more ſub poteſtate & regimine Epiſcoporum adhuc exiſtunt.

Dixi nihilominùs ad perfectæ religioſæ communitatis ſtatum & gubernationem, neceſſariam eſſe poteſtatem iuriſdictionis ſiue intra ipſam communitatem, ſiue extra illam, in aliquo videlicet prælato extra ipſam Religionem, Epiſcopo nimirum, cui quondam omnes Monachi parebant. In hanc aſſertionem conueniunt omnes: nam ipſe Vaſq. *illo c. 4. n. 28.* dum ait, licèt in Abbatiſſa non ſit plena iuriſdictio ad excommunicationem & infligendas alias cenſuras, ſed ſolùm ad puniendam regulæ violationem pœnâ aliâ corporali, eſſe tamen alium præpoſitum, qui eas excommunicare poſſit, ſiue ille ſit Abbas, aut Generalis eiuſdem Ordinis, ſiue Epiſcopus, aliúſve, cui illæ Moniales ſubditæ ſunt. Vult igitur Vaſques ad perfectam communitatis Religioſæ gubernationem neceſſariam eſſe propriam iuriſdictionem ſpiritualem, ſiue ſit in prælato Religionis, ſiue extra ipſammet religionem: affirmat verò hanc neceſſitatem Suar. *cap. 18. laudato n. 2.* Primò quia neceſſaria eſt ſpiritualis iuriſdictio ad regendum vniuerſam Eccleſiam, & præſertim ſtatus Eccleſiaſticos; nam ſtatim atque Religioſus aliquis & Eccleſiaſticus ſtatus inſtituitur, oritur veluti connaturaliter in illo ſubiectio quædam ad ſpiritualem Eccleſiæ iuriſdictionem, quod ipſo vſu & inductione conſtat; nam in monaſteriis, etiam Monialium datur prælatus aliquis, qui propriam in illas iuriſdictionem habet, ſiue ipſe ſit Abbas, ſiue prælatus alius monaſterij virorum eiuſdem Ordinis, ſiue Epiſcopus in non exempta ab eius iuriſdictione, ſiue ipſemet Pontifex in monaſteria exempta: quod idem de monachis quondam Epiſcopo ſubiectis dicendum eſt, & ſicuti in politia laica, nulla datur priuata familia, aut collegium, quod non ſubdatur principi, alterive in 7

ipſam

ipſam iuriſdictionem propriam immediatè habenti; ita neque in politia Eccleſiaſtica, nullus dari poteſt ſtatus, independens ab omni prorſùs iuriſdictione propria ſpirituali, & Eccleſiaſtica: ſtatus verò Religioſus eo ipſo quod inſtituitur & approbatur, eſt ſtatus ſacer & Eccleſiaſticus atque ſub peculiari Dei dominio conſtitutus, cùm eius perſonæ ſint ſpecialiter diuino obſequio deputatæ, ad ipsúmque ſpeciali iure pertineant, vt *alibi* 3. *Tomo* dicemus, & quod indè ſubſequitur ſub ſpirituali paſtorum Eccleſiæ iuriſdictione conſtitutæ. Quare illa ſubiectio peculiaris Eccleſiæ, & eius paſtoribus, eſt quædam veluti naturalis proprietas ſtatum Religioſum conſequens, cuique ſubiectioni correſpondet ſpiritualis quædam iuriſdictio, quæ determinat aut reſtringit vniuerſalem iuriſdictionem, quam Pontifex & Epiſcopus habent in vniuerſalem Eccleſiam, aut maiorem aliquam eius partem. Illa enim iuriſdictio vniuerſalis ſeſe ad peculiares ſtatus accommodat, & non eoſdem effectus ſiue actus iuriſdictionis, circa ſingulos ſtatus ſed circa cuiuſque capacitatem & indigentiam exercet. 2. ſola poteſtas dominatiua, quam explicuimus, non ſufficit ad perfectam Religioſi ſtatûs gubernationem, ſæpius enim opus eſt cenſuris, & grauioribus pœnis corporalibus, ad quas non ſufficit poteſtas œconomica, domeſtica, & materna, paternáque dominatio. Quare opus eſt iuriſdictione propriè dicta, & ſpirituali, quod ipſe vſus cottidianus docet.

8 Coniunguntur porrò iſtæ duæ poteſtates in eodem prælato iuriſdictionis & dominationis, quæ, vti docuimus, naſcitur ex ipſa profeſſione, & ſui traditione vnà cum voto obedientiæ, illud enim votum & pactum cum ſui traditione implicitum fit cum prælato, per ſe, vel per alium profeſſionem acceptante, vt conſtat.

9 Ex his explicata manet præcipua difficultas, initio propoſita, quiſnam ſcilicet valeat conſtituere ius Regulare, is nempè qui veram & propriam iuriſdictionem habet in Religionem, ratione cuius poteſt & leges ferre, & præcepta imponere, pro ratione videlicet iuriſdictionis, quam habet, vel in vniuerſam religionem, vel in certam eius partem vt prouinciam, vel monaſteriũ, & provt dependenter, vel independenter ius dicit. Vel habet iuriſdictionem ſupremam, aut inferiorem, mediatam vel immediatam, perpetuam, aut temporalem, reuocabilem, aut irreuocabilem, limitatam, aut illimitatam, in perſonas, aut in res tantùm: nam cùm poteſtas legum latiua, & obligandi ad ſeruandas ſancitas leges, non aliud ſit, quàm poteſtas dicendi ius, cui neceſſariò correſpondet obligatio ſeruandi ius dictum; & iuriſdictio ſit poteſtas dicendi ius, qui habet veram & propriè dictam iuriſdictionem, habet quoque poteſtatem dicendi ius & ferendi leges, pro natura iuriſdictionis eiuſmodi, quæ ſi ſit politica, erit poteſtas ferendi leges politicas; ſi verò ſpiritualis & Eccleſiaſtica, erit poteſtas ſanciendi leges Eccleſiaſticas pro natura & conditione talis poteſtatis. Cùm igitur in omni ſtatu Religioſo ſit prælatus aliquis vel in ipſa religione, vel extra illam qui habeat iuriſdictionem, habebit quoque poteſtatem condendi ius Religioſum & ſanciendi leges Religioſas, provt, & quatenus ſe extendat eius iuriſdictio dependenter, vel independenter ab aliis.

10 Sunt verò ſimiles prælati in Religione diuerſi admodùm, ratione iuriſdictionis, & modi quo illam participant: nam aliquando in ſola communitate exiſtit, quamvis quoad vſum & exercitium in aliquo ſingulari, ab ipſa communitate electo neceſſariò reperiatur, quia fieri nequit vt omnia & ſingula quæ agenda ſunt, communi plurium conſilio diſponantur. Ideoque in ſingulis religionibus regimen quoad proximam & immediatam gubernationem, monarchicum ferè eſt. Et ſanè religionis perfectio, quæ diuinam gubernationem æmulatur, requirit vnum gubernatorem & caput, quod ſingularis perſona quoad vſum & exercitium exiſtat neceſſe eſt, in quo prælato tum poteſtas iuriſdictionis, tum dominatiua modò nuper explicato reperitur, quod ipſe vſus & experientia confirmat: nam virorum Religioſorum Ordines, ſiue monachales, ſiue Clericales, ſiue mendicantes, habent ſinguli prælatos cum ſpirituali, immò & Epiſcopali iuriſdictione. Vel enim ſunt exempti ab Epiſcopali iuriſdictione, vel non ſunt, vti quondam fiebat; quo caſu Epiſcopi ſunt veri & proprij illorum Ordinum vel monaſteriorum prælati: ſi verò primum dicas, manent illi Ordines Pontificis iuriſdictioni immediatè ſubiecti; quandoquidem à iuriſdictione Epiſcoporum ſubducuntur, non poteſt autem Pontifex immediatè Religionum eiuſmodi gubernationi vacare, vt liquet, id igitur præſtet per commiſſarios, aut Vicarios à ſe delegatos neceſſe eſt, qui ſint paſtores ordinarij & proximi, quibus ea cura incumbit ex officio: quandoquidem in eo caſu ipſi Epiſcopi non ſunt paſtores & prælati proximi, & ordinarij propter exemptionem ab ipſorum cura & iuriſdictione conceſſam, ſunt autem hi Paſtores Religionum eiuſmodi ſiue generales, ſiue prouinciales, ſiue locales pro amplitudine ſuæ gubernationis nominentur, veri, & proprij prælati. Itaque nominantur in iure, vti obſeruat Gloſſa *in Clem. 1. de electione, verſ. prælatum*, & Panormit. *in cap. cum ab Eccleſiarum. de officio ordina.* éſtque euidens ratio: habẽt ſiquidem illi Religionum ſuperiores iuriſdictionem propriam & ſpiritualem etiam fori contentioſi, ex vi proprij muneris, ac proindè ordinariam, quámque delegare poſſunt. Neque ſanè aliud ad rationem propriè dicti prælati requiritur, vti docent Silueſt. & Angelus *verſ. prælatus*, vndè verò iſti prælati Religioſi habeant hanc iuriſdictionem an iure diuino, an Eccleſiaſtico dumtaxat, quando & quomodo illam habere cœperint, non diſquirimus in præſentiarum, ne longiùs alieno loco digrediamur. Vide Suar. *tract. 8. de Religione cap. 1. lib. 2.*

Obſeruo dumtaxat in Religionibus à Pontifice 11
approbatis, & ab Epiſcoporum cura & iuriſdictione exemptis, duplex eſſe prælatorum genus, quocumque nomine vocentur, ſecundùm magis aut minùs amplam & vniuerſalem iuriſdictionem. Aliqui enim vni tantùm monaſterio aut domui præſunt, nullúmque alium ſibi inferiorem prælatum in eodem monaſterio habent, quamvis plures habeant miniſtros & officiales ſibi ſubiectos, atque hic prælatus dici poteſt localis, aut conuentualis. Alij prælati præſunt pluribus domibus & monaſteriis, intra certum tractum, habéntque & prælatos ſibi ſuperiores, qui toti ordini præſunt, & alios quoque ipſis inferiores, qui ſingulis domibus præficiuntur, atque hi prælati medij quodammodo dici poſſunt, cuiuſmodi ſunt in Religionibus mendicantibus, & aliis quibuſdam Prouinciales, qui vni vel prouinciæ, vel nationi præſunt. Sunt denique ſupremi prælati, qui nullum ſibi ſuperiorem agnoſcunt, & cui alij omnes eiuſdem religionis prælati ſubiiciuntur, ac proindè iure ſupremos nominauimus, cùm nulli alteri intra eam Religionem ſubiecti ſint, qualis dicitur quoque Generalis, qui denique ſolum Pontificem tamquam ſuperiorem agnoſcit extra ſuam religionem; quamvis enim non repugnaret illum ſubiici Epiſcopo, & reuera ſubiiceretur, niſi ab illo per Pontificem eximeretur; numquam tamen eiuſmodi ſubiectio Epiſcopo in talibus prælatis generalibus reperitur, tum quia habent iuriſdictionem

quaſi

quaſi Epiſcopalem: quare fruſtrà Epiſcopo ſubiicerẽtur. Deindè pollent iuriſdictione vniuerſaliori, quàm ſit Epiſcopalis, cùm habeant monaſteria ſibi ſubiecta in diuerſis Prouinciis, Epiſcopatibus, atque etiam regnis, ac proindè penderet à pluribus Epiſcopis in ſua gubernatione, quæ proindè vniformis eſſe non poſſet in toto ordine, ſed omninò multiplex & varia. Quæ etiam ratio eſt, ob quam non poſſit eſſe niſi vnus ſupremus eiuſmodi prælatus, &, vt loquuntur, Generalis; nam ſi quandoque plures aliquando reperiri videantur & nominari, vel habent aliquam inter ſe ſubordinationem, & dependentiam ab vno aliquo, & ille erit omninò ſupremus & verè ac ſimpliciter totius Ordinis Generalis, vel nullam talem, & minimam quidem ſubiectionem & dependentiam ab vno habent, & ſunt ſinguli ſupremi ac Generales in ſua congregatione, prouincia, natione, & regno; & diuerſæ illæ congregationes non faciunt propriè vnum corpus cum reliquo toto Ordine, & ceteris illius congregationibus, quocumque modo vocentur, niſi vnitate primæ regulæ, quam omnes quidem ſe ſequi profitentur, ſed illam variè interpretantur, & diuerſo modo obſeruant, vti in ſuis conſtitutionibus explicant. Non faciunt tamen vnum corpus, cùm diuerſa & plura habeant capita, quod æquè monſtroſum erit in corpore morali, ſiue politico, atque in corpore phyſico bicipiti aut tricipiti. Maneat itaque non eſſe niſi vnum ſupremum prælatum in vna Religione, pro modo vnitatis illius, neque plura quoque genera prælatorum, quàm ſupremi, medij & infimi, vti fuit explicatum. Loquimur verò de prælatis ordinariis, non de extraordinariis, qui interdum vel ab ipſa communitate, vel ab ipſo ſupremo deſignantur, & mittuntur vt commiſſarij, Viſitatores, Cuſtodes prouinciarum, aliique, qui neque perpetui ſunt, neque niſi extra Ordinem deſignantur.

12 Hi porrò omnes prælati, verè prælati ſunt, vti ex Siluestro & Angelo monebamus, habéntque veram & propriè dictam iuriſdictionem ſpiritualem in ſubditos tum in foro interno pœnitentiæ, tum in foro externo contentioſo religioſo, & verè Eccleſiaſtico, eámque ordinariam, & non delegatam dumtaxat: quia ſunt ordinarij Paſtores religioſorum, quorum illis peculiaris cura incumbit, vel quaſi Epiſcopalis ſi ſunt prælati vniuerſales, vel ſi ſunt tantùm locales quaſi Parochialis, & proindè in foro pœnitentiæ, & proportione quadam in foro externo, ne Religioſi careant in ſingulis domibus, aut Prouinciis illo auxilio quod haberent ab Epiſcopis, à quibus tamen fauore quodam & priuilegio fuerunt exempti; eiuſmodi ſiquidem exemptio illis noceret, non faueret, vt patet: neque enim ad ſupremum, & generalem prælatum recurrendum eſt, cùm in ſingulis ſuis prouinciis, & domibus immediatè præſint aliqui. Quare in illis omnibus opus eſt immediato aliquo gubernatore. Siue paſtore, qui curam & iuriſdictionem ordinariam habeat, eámque ex officio ad quod electi, vel deputati ſunt, ac proinde ordinariam & non ſolum delegatam, quod fatentur omnes DD. quoties quis deputatur vel eligitur ad officium & præfecturam, cui annexa eſt iuriſdictio, vel ex conſuetudine, vel virtute legis, vel ex natura rei, ſiue eiuſmodi officij. Paſtorale porrò officium Eccleſiæ authoritate inſtitutum & approbatum, ita intrinſecam ex natura ſua iuriſdictionem habet, vt ſine illa executioni mandari non poſſit, immò neque vix intelligi.

13 Neque hæc iuriſdictio in prælatis enumeratis ordinaria tantum eſt, ſed etiam quodammodò Epiſcopalis, ſiue, vt loquitur *Clem. 1. de rebus Eccleſiaſticis non alienan. verſ. proprij* & *c. Abbates de priuilegiis, in 6.* vbi Alexander IV. de poteſtate Abbatum in conuerſos ſiue religioſos ſibi ſubditos loquens ait: *In quos Eccleſiaſticam, & quaſi Epiſcopalem iuriſdictionem obtinent.* Abbates, ſuperiores, conuentuales, & locales, de quibus omnibus idem idcircò dicendum eſſe ſapienter colligunt DD. & ad cæteros eiuſmodi prælatos extendunt. Neque obiici poteſt ita loqui Alexandrum, quia illi Abbates pleniſſimam eo tempore poteſtatem obtinebant in ſua Monaſteria, nullúmque alium ſibi ſuperiorem aut Generalem agnoſcebant, quod non conuenit hodiernis Prouincialibus, & multò minùs aliis inferioribus & localibus prælatis. *Ad Abbatem* (inquiebat Pelagius *c. nullam. 18. q. 2.*) *poteſtas tota pertinere conuenit.* Nam Pelagius vel loquitur de poteſtate tantùm dominatiua, vt ſuſpicatur Suar. *lib. 2. tract. 8. cap. 2. n. 11.* vel ſi agat etiam de poteſtate iuriſdictionis, comparat Abbatis poteſtatem cum reliquis Monachis, qui partem eius aliquam ſibi retinere volebant, immò & ipſum Abbatem pro arbitrio eiicere vel expellere, quod damnat Pelagius: non quærit verò an ille Abbas alium ſuperiorem habeat, ſed vult illum habere plenam poteſtatem in ſuos Monachos, & ſuum monaſterium; quam poteſtatem Alexander IV. dixit quaſi Epiſcopalem, quæ particula *quaſi* eſt diminuens, quia non extenditur ad omnes actus, quos poteſt præſtare Epiſcopus, v. g. ad eos qui ordinem & conſecrationem Epiſcopalem prærequirunt, neque etiam ad illos qui conueniunt Epiſcopis tanquam à Pontifice, ratione ſuæ dignitatis delegatis, & quos neque ipſorum Vicarij præſtare poſſunt.

Hæc denique iuriſdictio in omnibus prælatis regularibus eſt immediata in ſubditos, & in monaſteria ſibi ſubiecta, eodem modo, quo Epiſcopus poteſt immediatè omnibus ſibi in ſua Diœceſi ſubiectis præcipere & indicere, & non tantùm mediantibus Parochis, Decanis & Archipresbyteris: ſic Generalis præcipit toti Ordini ſuo, & ſingulis perſonis, & Prouincialis toti ſuæ etiam Prouinciæ, & non ſolùm mediantibus prælatis localibus, vel conuentualibus, vti vſus & praxis docet, non alia ſanè de cauſa, quàm quia omnes, & ſinguli Regulares prælatis etiam maioribus, & vniuerſalioribus ſunt immediatè ſubiecti. 14

Quamuis autem iſta quaſi Epiſcopalis, ordinaria, & immediata iuriſdictio omnibus prælatis conueniat, non tamen eodem prorſùs modo, & cum eadem amplitudine, ſed in illa, ſicut & in dependentia, atque ſubordinatione differunt. Generalis ſiquidem ampliſſimam habet in omnia loca, & perſonas ſui Ordinis, cùm Prouincialis habeat tantùm in ſuam Prouinciam & eius quoque perſonas: localis prælatus in ſuum monaſterium, & quoad materiam poſſit quædam Generalis quæ neque Prouincialis, aut Conuentualis poſſunt, inconſulto Generali, & ſine eius licentia: qua de cauſa iſti inferiores prælati nequeunt imperare quod ſupremus poteſt, vt mutationem in alienam Prouinciam, aliáque permulta, quæ ab inferioribus prælatis præcipiuntur, poterit à ſubditis ad ſuperiorem prælatum prouocari, qui vel præcepta confirmabit, vel ſuâ authoritate reſcindet. Vnde patet quoque dependentia vnius iuriſdictionis ab alia, ſiue in ſuo eſſe, quòd vna deriuetur ab alia, & ab ea vel tolli, vel ampliari, vel reſtringi poſſit, ſiue in ſua actione quæ impediri, ſuſpendi, & ligari poſſit ab alia ſuperiori, à qua nimirùm pendet in operari, ſicut cauſa particularis ab vniuerſali, & ſecunda à prima, quod tamen fieri non debet ſine iuſta & honeſta cauſa, quamquam ſi talis cauſa deſit, probabiliùs exiſtimem validam fore eiuſmodi reſtrictionem quamvis illicitam.

Hæc porrò omninò intelligi debent in ſingulis re- 15
ligionibus

ligionibus ſecundum varias eius conſtitutiones, & praxim atque diuerſa inſtituta, tum antiqua, tum noua, quæ conſulenda omninò erunt; quapropter in præſentiatum nihil circa illa definimus: aginus tantùm in vniuerſum de conuenientia & differentia, quæ eſt inter varios prælatos in iuriſdictione, atque in eius amplitudine, & dependentia, quæ ſapienter omninò conſtituta eſt, cùm omnes iſti prælati diuerſos fines intendant, & diuerſa quoque atque diſtincta reſpiciant. Supremus quidem prælatus intendit bonum totius Ordinis, medius ſuæ ſolius Prouinciæ, infimus ſui tantùm Monaſterij ac proindè diuerſa media vſurpare, & ſeſe iuuare debeant, non impedire in agendo vt reuera, contingeret ſublatâ iſtâ dependentiâ & ſubordinatione.

17 Ex his omnibus vides, poteſtatem condendi ius regulare eſſe penes eos, qui habent in Religione iuriſdictionem, quam hactenùs deſcripſimus, nimirùm quaſi Epiſcopalem ordinariam, atque etiam delegatam, & denique immediatam pro ratione iuriſdictionis illis conceſſæ, & quandiu illa durabit, V.G. ſupremus prælatus feret ius toti Ordini, medius ſuæ Prouinciæ, & localis ſuo Monaſterio ſecundùm varia Ordinum inſtituta, & mores, & pro amplitudine eius poteſtatis. Quare vel abſolutè ius dicet, vel dependenter ab alio, neque quidquã ampliùs in vniuerſum conſtituere modò poſſumus. Quid enim ſinguli diſtinctè & in particulari poſſint, tum ex ſingulis, vt monui, regulis quærendum eſt; iura enim iſta particularia non tractantur ab vniuerſali doctore, & ignorari non poſſunt à ſingulis Religionibus, tum ex alibi circa quaſdam particulares controuerſias diſputabuntur, dum fuſiùs, diſtinctiúſque *tom.* 3. de ſtatu religioſo eiúſque adminiſtratione atque iudiciis Regularibus diſputabimus.

QVÆSTIO III.

Materia iuris Regularis.

Status quæſtionis, n. 1.
Poſſunt quæ ſunt conformia regulæ per modum regulæ imperari, n. 2. 3. & 4.
Non quæ ſunt ſupra regulam, n. 5. 6. & 7.
An Pontifex id poſſit, n. 8.
Poſſunt quæ ad regulam reſtituendam, n. 9. 10. 11. & 12.
Quid hinc poſſit, n. 13 & 14.

1 AGo de iure Regulari quod faciunt leges Regulares, non de præceptis, quæ à prælatis Regularibus imponi poſſunt, cùm eiuſmodi præcepta fixa non ſint, neque perpetua, ſicut lex atque ius ex ea natum, quod etiam bonum commune reſpicit; præceptum verò habeat finem aliquem particularem. Non igitur quæro quid præcipi poſſit Religioſo à ſuo prælato, ſed quæ lex, quódve ſtatutum toti communitati, aut aliquibus eius perſonis ad eiuſdem communitatis bonum conſtitui queat: illud enim voco materiam iuris Regularis, circa quod eiuſmodi lex quidpiam ſtatuete poteſt, ius verò quod ita conſtituitur, poteſt vel obligare totam communitatem, vt dum lex fertur toti Ordini, vel obſtringere vnam dumtaxat aliquam partem, vt prouinciam vel Monaſterium pro ratione iuriſdictionis quam habet prælatus ius conſtituens, aut legem ferens. De illa igitur tantùm materia iuris Regularis in vniuerſum diſputo hoc loco; quare plurimæ difficultates, quæ circa præceptorum Regularium materiam excitari poſſunt; non explicabimus ſigillatim hoc loco, commodiùs enim differuntur *in diſputationem de obedientia Regulari, tomo* 3. moneo tantùm omnia quæ poſſunt præcipi, poſſe quoque eſſe materiam iuris & legis Regularis, ſi cetera requiſita ad legem concurrant, ago etiam præciſè de iure Regulari, vti regulare eſt, hoc eſt religioſis proprium; nam ius tum naturale, tum diuinum, tum commune ceteris omnibus fidelibus ſeruandum eſſe Religioſis, niſi quoad ius commune peculiari aliquâ ratione eximantur à Pontifice; nemo dubitat; quare quæ illi communia ſunt indici peculiaribus ſtatutis à prælato poſſe nemo dubitat. Tota igitur difficultas eſt quænam leges & edicta circa alias materias ferri poſſint à prælatis Regularibus.

Dico primò materiam iuris regularis eſſe omnia quæ ſunt conformia regulæ, faciúntque ad eius obſeruationem: quia directè & expreſsè, ſiue indirectè & implicitè in ea continentur; alia verò indici non poſſe per modum legis & ſtatuti perpetui, ſiue is prælatus edicens ſit ſolus Generalis, & toti Ordini præfectus, ſiue vnà cum Capitulo generali, ſiue ſit denique ipſemet ſummus Pontifex. 2

Explicatio Propoſitionis.

Hæc vniuerſalis propoſitio tripartita eſt, prima pars eſt affirmatiua, & aſſerit quid poſſit lege Regulari conſtitui, nempè omnia quæ quocumque modò ſunt conformia regulæ ad eiúſque obſeruationem faciunt. Altera eſt negatiua, aſſignat nimirum ea de quibus nihil dici poteſt. Tertia demùm agit de prælatis, qui ius illud nouum conſtituere, aut non conſtituere poſſunt; quæ ſingulæ partes vt dilucidiùs probentur,

Obſeruandum eſt cum communi DD. ſententiâ quidpiam ad regulam duplici modo pertinere poſſe imprimis expreſsè & directè, ſiue explicitè, deindè indirectè & implicitè. Primum contingit, cùm in ipſa regula, aut conſtitutionibus continentur & diſertè explicantur; ſecundum verò quæ neceſſaria ſunt ad regulam obſeruandam, vt mutua quædam obſequia, ſine quibus vix religioſus ſtatus conſeruari nequit, quæ etiam pertinent ad pœnas moderatas, pro violatione & transgreſſione regularum; pro ratione culpæ, eiúſque grauitate, aut tenuitate, licèt eiuſmodi culpæ non exprimantur in regula: nam in omni benè ordinata communitate debent eſſe pœnæ, quibus delicta caſtigentur, ſiue ex ſtatæ ſint, ſiue arbitrariæ: immò Vaſq. 12. *diſp.* 154. *cap.* 14. *num.* 20. numerat inter hæc indirectè ad regulam pertinentia, corporis afflictiones & nouas auſteritates ad imminens periculum peccati vitandum, quas idcircò ſuperior alicui poſſet imperare: verùm non agimus hoc loco de præceptis, quæ vni alicui imponuntur, & non durant ſaltem finitâ vitâ, aut iuriſdictione imperantis, ſed de ipſis ſtatutis perpetuis, & quæ ſaltem toti communitati imponuntur. Quare exiſtimarim cum Vaſq. *citata diſp.* & Sanch. *lib.* 6. *in decalog. cap.* 21 *numero* 4. eo caſu teneri quidem Religioſum obedire, illáſque ſubire auſteritates, ex cura quam debet habere ſuæ ſalutis, & adhibendi media neceſſaria, ad vitandum peccatum, quare idem Sanch. vult eum Religioſum teneri dum iudicat, multùm omninò conferre illud præceptum ad eundem finem, & tunc etiam ſuperior præcipere poteſt; quia, vt ait Caietan. 2. 2. *quæſtione* 88. *art.* 8. *dub.* 1. tunc eiuſmodi præceptum non eſt propriè contra regulam, ſed ad illam indirectè pertinet, cùm prælatus teneatur mediis opportunis & maximè neceſſariis ſubditi

ſubditi ſui præcauere ſpirituale periculum. De auſteritatibus verò, quæ in pœnam imponuntur certũ, eſt, vt iam dixi, pertinere ad regulam indirectè: ſi verò ad maiorem tantùm perfectionem & meritum indicãtur, iam ſunt ſupra regulam, vt docent Roſella *verſ. obedientia n. 10.* Tabiena *verſ. eod. n. 29.* Angel. *verſ. Religioſus, n. 29.* Silu. *verſ. Religio. 6. q. 6.* Corduba *in Regul. S. Franc. c. 10. q. 2.* Leſſius *lib. 2. c. 4. n. 77.* quos ſequitur & allegat Sanch. *lib. 6. in decal. c. 2. n. 45.* qui etiam addunt poſſe ad tempus imponi omnibus quaſdã auſteritates propter publicam neceſſitatẽ, idq; eſſe regulæ cõſentaneum. Monet tamen Corduba fore præceptum illud ſupra regulam, ſi eæ auſteritates vni tantùm alicui, & non toti communitati iniungerẽtur; quare neque ille teneretur obedire. Atque, vt dilucidiùs iſta explicentur, obſerua aliquid eſſe ſecundùm regulam explicitè, vel implicitè, vti diximus, aliud ſupra regulam, quia regulæ limites excedit, V. G. ire ad Infideles cum mortis aut ſeruitutis periculo, ieiunare, aut abſtinere diutiùs à carnibus, aut alia ſimilia; non tamen, vt monui, in criminũ pœnam inflicta. Alia ſunt contra regulam, & contra illa quæ in ipſa conſtituuntur. Alia ſunt præter regulam, quæ indifferentia dicuntur à S. Thom. *quodlib. 10. art. 1.* quia nullo modo pertinent ad regulam, quia neque eius obſeruationem promouent, neque ipſi etiam nocent, vt leuare humo feſtucam, aſpicere aues volantes. Quædam denique ſunt infra regulam, quia minoris perfectionis ſunt. His obſeruatis facile eſt ſingulas noſtræ propoſitionis vniuerſalis partes confirmare.

4 Et prima quidem quæ affirmat omnia quæ directè vel indirectè continentur in regula, ſúntque illi conformia; atque ad eius conformationem faciunt, eſſe materiam iuris regularis, de iiſque ferri poſſe leges, magno omnium conſenſu traditur, quia vi voti obedientiæ tenentur Religioſi ad omnia quæ legitimè illis imperantur ſiue ſingulis, ſiue toti communitati imperentur, nihil autẽ æquius imperari poteſt quàm quod in regula, quam ampiexi ſunt, continetur; nam vrgetur tantum tunc id, ad quod ipſi ſe ſpontè obligarunt. Et ſanè ſuperior tenetur Regulæ obſeruationem curare, & quæ illam impediunt remouere, atque media quæ ad illam conferunt adhibere: igitur & quæ in illa continentur vel ſecundùm illam exiſtunt, ſiue illi conformia ſunt, edicere valent etiam nouis legibus & repetitis ſtatutis.

5 Altera pars: quæ limites regulæ excedunt, & ſunt ſupra regulam edici non poſſunt, neque de iis noua ſtatuta inuitis ipſis condi. Ratio à priori eſt: quia non obligantur Religioſi ad iſtas leges & præcepta, niſi ex peculiari obedientiæ voto, eo enim ſibi peculiarem obligationem imponunt, quam non habent reliqui fideles, neque vlla alia eiuſmodi obligationis radix, aut cauſa fingi poteſt, quàm tale votum, vti probauit D. Thom. *in 2. diſt. 44. q. 2. a. 3.* & *ibid.* Bona. *art. 3. q. 2.* vbi ſapienter diſtinguit inter obedientiam perfectionis & neceſſitatis: priorem illã in omnibus conſulit ex Bernardo, qui eam certos fines & menſuram non habere dicit: hanc poſteriorem ait menſurari voto & obligatione ſecundùm regulam, vnde & in variis Religionibus amplior & perfectior eſt illa obligatio obediendi. Et quamvis in præfectis Regularibus ſit iuriſdictio ad præcipiendum & ad ſua vrgenda præcepta; id tamen non eſt niſi ad exequendam obligationem voti ſponte ſuſceptam, vti oſtendit Vaſq. *q. 12. diſp. 154. c. 4. num. 21.* Quare ſi iubeant aut edicant aliquid ſupra aut præter regulam, neque ad illam nullo modo pertinens explicitè, vel implicitè, fruſtrà iubent, neque obligant Religioſos. Neque aliud voluit S. Thom. *l. c. in 2. diſt. 44.* vbi cum S. Bonau. loquitur de obedientia perfecta, dum ait: *Ceterùm ſubditus obedientiam, quæ voti finibus cohibetur nouerit ex Bern.* lib. de præc. & diſp. c. 9. *imperfectam, & ad hanc profitentes ex neceſſitate coguntur: obedientia verò perfecta eſt,* ſecundùm quam ſubditus ſimpliciter obedit in omnibus quæ non *ſunt contraria legi Diuinæ, vel regulæ, quam profeſſus eſt. Perfecta obedientia legem neſcit, terminis non arctatur, non continetur profeſſionis anguſtiis, & ad omne quod iniungitur ſpontaneo vigore liberalis, alacriſque animi modum non conſiderans in infinitum fertur.* vbi vides S. Thom. agere de obedientia perfecta, non neceſſaria. Itaque ſi fiat præceptum aut edictum de rebus ſupra regulam, & ad quæ vi voti non tenetur, illo edicto non obligabitur Religioſus. Deindè ſicut nemo vi ſui voti & profeſſionis poteſt compelli tranſire ad aliam Religionem auſteriorem, neque etiam in ſua Religione, ad arctiorem & auſteriorem vitam illâ, quam profeſſus eſt. Probatur etiam à priori: quia quælibet Religio habet finem determinatum, & media determinata, neque poteſt vna omnium aliarum fines intendere & media vſurpare, tum quia illa ſæpiùs ſunt inter ſe incompoſſibilia, tum quia vna Religio eſſet omnis Religio. Nequit igitur omnia ſtudioſa & bona licet, ſi ſunt extra ſuam Religionem imperare, & multò minùs edicere, alioqui & ſuam Religionem mutaret, & regulam. Sapienter itaque Bernard. *lib. de præcepto, & diſp. c. 8. videtis iam ergo obedientiæ limites, quos requiritis, Synodus eſt obeditionis, tenor profeſſionis: nec ſe valeat extendere poteſtas imperantis, niſi quatenus attigerit votum profitentis. Profectò citra & vltra eo etiam contra, quid aliud quàm obedientiæ limites quoſdam cenſuerim, & his ſuis terminis virtutem eandem circumcludi? Quamobrem quiſque profeſſus in quòvis genere ſaluiferæ vitæ, nec vltra obedientiæ legem cogendus, nec citra eſt inhibendus quam ſua ipſius videtur complecti profeſſio, quantò minùs contra, is qui medius eſt vitæ modus præfixus voto, profeſſione firmatus, tanquam lignum quod erat in medio paradiſi, ſolus ſine dubio legi erit ſubiectus, obnoxius iuſſioni. Ergo prælati iuſſio, vel prohibitio non prætereat terminos profeſſionis, nec vltra extendi poteſt, nec contrahi citra: nihil me prælatus prohibeat eorũ, quæ promiſi, nec plus exigat quàm promiſi: vota mea nõ augeat ſine mea voluntate, nec minuat ſine certa neceſſitate; neceſſitas quippe non habet legẽ, & ob hoc excuſat diſpẽſationem.* Et mox: *Ponamus ergo præpoſiti metam obedientiæ ſubiectorũ ex votis labiorum ipſorũ, non ſuorum deſideriorum, monentes eos non cogentes ad celſiora, condeſcendentes eis cum neceſſe fuerit, ad remiſſiora noncadentes cum eis.* Monet tamen idem ſanctus *c. ſeq.* non eam obedientiam ſic terminatam, eſſe quidem neceſſariam, ſed imperfectam, vt cum S. Bonau. loquebamur: perfecta enim nullis finibus, etiam voti & profeſſionis finibus cohibetur, ad eámque hortatur ipſe Bernard. probátque ex Benedicti regula quæ monet, vt ſi fratri impoſſibilia iniungũtur confidens de adiutorio Dei obediat *ex charitate.* Et quia *in eadem regula* tertius humilitatis deſcribitur gradus, vt omni obediẽtia Monachus ſe ſubdat maiori dicens: *Quippe omni non vult nos in obediendo menſurâ eſſe contentos profeſſionis, non attendere promiſſi debitum, non de pacto ſumere modum, ſed tranſire alacriter etiam votum, & obedire in omnibus. Eſt ſane quidem obedientiæ limes, ſecundùm tempus ipſa temporis extremitas, vt is ſit terminus obediẽtiæ qui & vitæ.* Hortatur deindè exẽplo Chriſti quod ſubiicit. Quæ omnia placuit paulò fuſiùs recenſere; non potui enim grauioribus verbis, validiori ratione, illuſtriorique auctoritate, quàm ſanctiſſimi viri ſententiã noſtrã confirmare. Si enim non licet prælato quidquam Religioſo ſupra, præter, aut contra regulam imperare, multo minùs legẽ toti Ordini, vel cõmunitati alicui cõmuné & perpetuã ferre, cùm ius & præceptũ legis multò grauiùs ſit,

ſit, quàm nudũ & ſimplex præceptum, quod vni tantùm fit, neque perpetuum eſt. Noſtram porrò & S. Bernardi ſententiam amplexi ſunt magno conſenſu Theologi, & Canoniſtæ ſiue Caſuiſtæ: ſupra triginta ſex enumerat & ſequitur Sanch. *lib.6. in decalog. cap.2.n. 15.* in iiſque S.Thom. Bonau. Durand. Richard. Turrecremat. Maiorem Gabriel. Paludan. Antonium, Caietan. Sotum, Valentiam, Vaſq. Leſſium, alióſque magni nominis viros.

6 Tertia pars noſtræ propoſitionis affirmat in vniuerſum nullum prælatum, cuiuſcunque authoritatis ſit, poſſe leges, & edicta regularia de iis quæ ſunt ſupra regulam, ſiue illi non conformia & in ea directè vel indirectè non contenta, ferre. Sunt verò, vti diximus, tria genera prælatorum regularium, ſupremi, medij, infimi, quorum omnium poteſtatem ad eas leges non ſe extendere, non difficulter oſtenditur.

Supremus ſuperior eſt vel ipſe Generalis, qui toti Ordini præeſt vel ſolus, vel vnà cum Capitulo, & quidem, ſi agamus de Generali ſolo, ſecluſo Capitulo, non poſſe illum noua ſtatuta obligantia ſingulos Religioſos ad nouum, arctiorem, & auſteriorem viuendi modum, quàm ferat regula, probatur: illi enim ſoli id poſſent, quibus eam facultatem conceſſit Pontifex, quam reuera non fecit ſoli Generali inconſulto Capitulo, cùm & hæc grauiora ſint, & paſſim Capitulum generale etiam ipſi Præpoſito generali imperare queat, cum ſit eius ſuperior. Quare poteſt leges, quas ipſe ſolus fixerit, refigere, & ipſe leges ſibi à Capitulo generali, tanquam à ſuo ſuperiori latas ſeruare, & earumdem in aliis, ſicut & aliarum legum obſeruationem curare, & vrgere teneatur; quod apparet etiam in iis Ordinibus, in quibus Præpoſiti generales & maiorem, & quodammodo plenam & abſolutam, vniuerſalem authoritatem ac iuriſdictionem habere videntur, vt in Soc. Iesv, vti dicitur *part.9. Conſtitut. c.3.* ab eóque tanquam à capite vniuerſa facultas Prouincialium egredi, ac per eos ad locales, per hos autem ad ſingulas perſonas deſcendere dicitur, *parte 8. cap. 1.* §.6. nihilominùs *par.10.* §.8. ſubiicitur ſocietati, quæ etiam illi modum victus & veſtitus præſcribere poteſt, *par.9. cap.4.* §. 2. immò illum amouere & à Societate dimittere poſſet, *parte eadem 9. & eodem cap.4.* §.7. eo modo qui deſcribitur eadem *part. cap.5.* §.4.

7 Quinimò neque conſentiente Capitulo generali, poterit generalis Præpoſitus, eiuſmodi nouas leges ſupra veterem regulam, ſeueriores, & perfectiores licèt, ſancire Ita Sanch. *c.2. cit. n.18.* cum Felino, Angelo, Armilla, Corduba, Vaſq. & aliis, quos adducit contra plures veteres Canoniſtas, ab eodem laudatos *n. 7.* quia neque ipſum Capitulum accepit à Pontifice poteſtatẽ condendi alia ſtatuta, quàm quæ primæuæ regulæ conformia ſunt, modo nuper explicato; alioquin poſſet Capitulum nouam ſenſim regulam ſtatuere, & omnia eius immutare. Deindè ea noua lex auſterior & ſeuerior reſpicit omnes & ſingulos Religioſos, non tantùm quatenus vnum corpus efficiunt, ſed etiam, quatenus ſinguli ſunt; ſiquidem à ſingulis ſeruari debebunt, & non ſolum à communitate: atqui certiſſima regula iuris eſt, 29. *de regulis iur. in 6. Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari*, quæ ſumitur etiam ex iure Ciuili, *l. finali, C. de authoritate præſtanda & l. fundum. 11. D. de ſeruitut. ruſtic. prædior.* vbi Ant. Faber ſapienter notat initio legis mendum haberi, dum dicitur, ius eundi per fundum, qui plurium, poſſe ſeparatim cedi: legẽdum enim eſt non poſſe: quia ſtatim in eadem lege, *Ergo ſubtili ratione non aliter meum fiet ius, quàm ſi omnes cedant.* Quæ verba contraria ſunt, vt vides, initio adductis, fauétque aperta ratio iuris; ſeruitutem ſiquidem, cùm indiuidua ſit, neceſſe eſt aut totam cedi, aut totam retineri. Atque hæc regula ad omnes caſus & negotia, quæ ita ſingulos vt vniuerſos tangunt extenditur, vt pluribus exemplis facile foret demonſtrare.

Quod verò obiiciunt aduerſarij Monachum renuntiaſſe propriæ voluntati, & illam in ſuperiorem tranſtuliſſe, non valet; ea ſiquidem voluntatis tranſlatio, non eſt niſi ad illa omnia, quæ regulæ, quam profitentur, conformia ſunt. Exemplum Bonif. VIII. *qui cap. periculoſo, de ſtat. regul. in 6.* clauſuram Monialibus indixit, quod deindè Trident. *ſeſſ. 25. c.8. de reformat.* confirmauit, nihil probat: quia clauſura neceſſaria erat ad caſtitatis votum in fragili ſexu ſeruandum. Qua de re, & de ea lege plura diximus *tractatu de Clauſura, diſquiſit. 1. cap. 1.* §.4. & 5.

Dices regulam allatam in pluribus falſam eſſe: nam ſeruus plurium dominorum poterit initiari Clericatu, ex vnius ſolius domini conſenſu, vt ait Gloſſa *in cap. nullius. diſt. 54.*

Reſpondeo ita quidem ſentire Gloſſam, & vocem *eorum* diſtributiuè interpretari vnius vel alterius, ſed contra manifeſtè Leonis, cuius eſt illud caput, mentẽ & verba. Cùm igitur allata regula firma ſit, vti etiam *alibi* dicetur, non poterit Capitulum generale Regularibus inuitis nouum viuendi modum auſteriorem indicere, niſi in prima regula contineatur aliquo modo. Quare non requiritur tantùm hoc caſu omnium Capitulantium, aut maioris partis conſenſus, ſed etiam ſingulorum, qui nouis ſtatutis ſupra regulam, illáque rigidioribus obligari non poſſunt inuiti, vti ſapienter philoſophantur Angelus *verſ. Religioſus, n. 29.* Silueſt. *verſ. Religio. 6. q.6.* Corduba *in regul. S. Franciſci, c.10. q. 2. dicto 6.* Vaſq. 12. *diſp.* 154. *c.4. n.25.* Sanch. *c. 2. citato n. 19.* qui tamen omnes concedunt ſapienter aduerſariis, omnes, qui huic nouæ legi conſenſerint, illâ obligandos, cùm poſſint iugum illud nouum ſubire, & reuera ſuo conſenſu ſubierint, neque ipſis deindè licebit pro arbitrio legem, quam ſemel valentes acceptarunt, reiicere, vnde magna perturbatio naſceretur.

Profeſſuri quoque eâ lege latâ tenebuntur, quia profitebuntur modum viuendi ſecundùm regulã Religionis & conſtitutiones editas illæ vero ſunt editæ: ante profeſſionem, neq; queri poſſunt nouam ſibi, & auſteriorẽ vitam imponi, ſicut queri poſſunt qui ante nouã legem profeſſi ſunt; quia iſti nouâ prorsùs & graui obligatione, ſupra ſuam profeſſionis regulã vexantur.

Reſtat quærendũ, an ſaltem Pontifex qui eſt ſupremus & immediatus prælatus Religionum omnium, poſſit ex abſolutâ poteſtate auſteriorem regulam, quàm fuerit primæua, Religioſis iam profeſſis indicere: ita enim ſentiunt imprimis omnes qui affirmabant id poſſe Generales cum Capitulo. Deindè Ioann. Andreas *cap. Ioannes, n.18. de regular.* Anchar. *n.8.* & Panorm. *cap. ſuper eo. n.6. de regularib.* Felin. *c. ad noſtram. de appell. n.6.* atq; è Theologis Maior *in 4. diſt. 38. q.20.* quia Pontifex habet poteſtatem illimitatam, non vt Capitulum, & Generalis, qui habent limitatã ab ipſo Pontifice. Deindè, quia id reuera factitatum iam olim eſt tum à Bonif. VIII. qui clauſuram Monialibus indixit, tum à Pio V. qui iuſſit Franciſcanos Conuentuales in Hiſpania è ſuis conuentibus eiici, & tranſire in aliquem Ordinem alium mendicantiũ qui multò duriorem & ſeueriorem vitam viuerent. Dixi tamen in noſtra vniuerſali propoſitione, neque ipſum etiã Pontificẽ eiuſmodi nouam legem & vitam poſſe iam profeſſis indicere, quod ipsũ docuit Silueſt. *l. cit.* & Corduba adductus, Leſſ. *lib.2. c.41. n.77.* Sanch. *lib.6. in decal. c.2. n.21.* quia Põtifex non habet aliam iuriſdictionẽ in Religioſos, quàm in cæteros Fideles, niſi ratione voti obedientię, quod profitẽtur; illa verò nõ extenditur, niſi ad regulã, quam profeſſi ſunt, & non vltra illã, modò explicato 8

ſubditi ſui præcauere ſpirituale periculum. De auſteritatibus verò, quæ in pœnam imponuntur certū, eſt, vt iam dixi, pertinere ad regulam indirectè: ſi verò ad maiorem tantùm perfectionem & meritum indicātur, iam ſunt ſupra regulam, vt docent Roſella *verſ. obedientia n.10.* Tabiena *verſ. eod. n.29.* Angel. *verſ. Religioſus, n.29.* Silu. *verſ. Religio.6.q.6.* Corduba *in Regul. S.Franc. c.10.q.2.* Leſſius *lib.2.c.4.n.77.* quos ſequitur & allegat Sanch. *lib.6.in decal.c.2.n.45.* qui etiam addunt poſſe ad tempus imponi omnibus qualdā auſteritates propter publicam neceſſitatē, idq; eſſe regulæ cōſentaneum. Monet tamen Corduba fore præceptum illud ſupra regulam, ſi eæ auſteritates vni tantùm alicui, & non toti communitati iniungerētur; quare neque ille teneretur obedire. Atque, vt dilucidiùs iſta explicentur, obſerua aliquid eſſe ſecundùm regulam explicitè, vel implicitè, vti diximus, aliud ſupra regulam, quia regulæ limites excedit, V.G. ire ad Infideles cum mortis aut ſeruitutis periculo, ieiunare, aut abſtinere diutiùs à carnibus, aut alia ſimilia; non tamen, vt monui, in criminū pœnam inflicta. Alia ſunt contra regulam, & contra illa quæ in ipſa conſtituuntur. Alia ſunt præter regulam, quæ indifferentia dicuntur à S.Thom. *quodlib.10. art.1.* quia nullo modo pertinent ad regulam, quia neque eius obſeruationem promouent, neque ipſi etiam nocent, vt leuare humo feſtucam, aſpicere aues volantes. Quædam denique ſunt infra regulam, quia minoris perfectionis ſunt. His obſeruatis facile eſt ſingulas noſtræ propoſitionis vniuerſalis partes confirmare.

4 Et prima quidem quæ affirmat omnia quæ directè vel indirectè continentur in regula, ſúntque illi conformia; atque ad eius conformationem faciunt, eſſe materiam iuris regulis, de iiſque ferri poſſe leges, magno omnium conſenſu traditur, quia vi voti obedientiæ tenentur Religioſi ad omnia quæ legitimè illis imperantur ſiue ſingulis, ſiue toti communitati imperentur, nihil autē æquius imperari poteſt quàm quod in regula, quam amplexi ſunt, continetur; nam vrgetur tantum tunc id, ad quod ipſi ſe ſponte obligarunt. Et ſanè ſuperior tenetur Regulæ obſeruationem curare, & quæ illam impediunt remouere, atque media quæ ad illam conferunt adhibere: igitur & quæ in illa continentur vel ſecundùm illam exiſtunt, ſiue illi conformia ſunt, edicere valent etiam nouis legibus & repetitis ſtatutis.

5 Altera pars: quæ limites regulæ excedunt, & ſunt ſupra regulam edici non poſſunt, neque de iis noua ſtatuta inuitis ipſis condi. Ratio à priori eſt: quia non obligantur Religioſi ad iſtas leges & præcepta, niſi ex peculiari obedientiæ voto, eo enim ſibi peculiarem obligationem imponunt, quam non habent reliqui fideles, neque vlla alia eiuſmodi obligationis radix, aut cauſa fingi poteſt, quàm tale votum, vti probauit D. Thom. *in 2.diſt.44.q.2.a.3.* & *ibid.* Bona. *art.3.q.2.* vbi ſapienter diſtinguit inter obedientiam perfectionis & neceſſitatis: priorem illā in omnibus conſulit ex Bernardo, qui eam certos fines & menſuram non habere dicit: hanc poſteriorem ait menſurari voto & obligatione ſecundùm regulam, vnde & in variis Religionibus amplior & perfectior eſt illa obligatio obedienti. Et quamvis in præfectis Regularibus ſit iuriſdictio ad præcipiendum & ad ſua vrgenda præcepta; id tamen non eſt niſi ad exequendam obligationem voti ſponte ſuſceptam, vti oſtendit Vaſq. *q.12. diſp.154. c.4. num.21.* Quare ſi iubeant aut edicant aliquid ſupra aut præter regulam, neque ad illam nullo modo pertinens explicitè, vel implicitè, fruſtrà iubent, neque obligant Religioſos. Neque aliud voluit S.Thom. *l.c. in 2.diſt.44.* vbi cum S.Bonau. loquitur de obedientia perfecta, dum ait: *Ceterùm ſubditus obedientiam, quæ voti finibus cohibetur noueris ex Bern.* lib. de præc. & diſp. c.9. *imperfectam, & ad hanc profitentes ex neceſſitate coguntur: obedientia verò perfecta eſt*, ſecundùm quam ſubditus ſimpliciter obedit in omnibus quæ non *ſunt contraria legi Diuinæ, vel regulæ, quam profeſſus eſt. Perfecta obedientia legem neſcit, terminis non arctatur, non continetur profeſſionis anguſtiis, & ad omne quod iniungitur ſpontaneo vigore liberalis, alacriſque animi modum non conſiderans in infinitum fertur.* vbi vides S.Thom. agere de obedientia perfecta, non neceſſaria. Itaque ſi fiat præceptum aut edictum de rebus ſupra regulam, & ad quæ vi voti non tenetur, illo edicto non obligabitur Religioſus. Deindè ſicut nemo vi ſui voti & profeſſionis poteſt compelli tranſire ad aliam Religionem auſteriorem, neque etiam in ſua Religione, ad arctiorem & auſteriorem vitam illâ, quam profeſſus eſt. Probatur etiam à priori: quia quælibet Religio habet finem determinatum, & media determinata, neque poteſt vna omnium aliarum fines intendere & media vſurpare, tum quia illa ſæpiùs ſunt inter ſe incompoſſibilia, tum quia vna Religio eſſet omnis Religio. Nequit igitur omnia ſtudioſa & bona licet, ſi ſunt extra ſuam Religionem imperare, & multò minùs edicere, alioqui & ſuam Religionem mutaret, & regulam. Sapienter itaque Bernard. *lib. de præcepto, & diſp. c.8. videtis iam ergo obedientiæ limites, quos requiritis, Synodus eſt obedit ionis, tenor profeſſionis: nec ſe valeat extendere poteſtas imperantis, niſi quatenus attigerit votum profitentis. Profectò citra & vltra eo etiam contra, quid aliud quam obedientiæ limites quoſdam cenſuerim, & his ſuis terminis virtutem eandem circumcludi? Quamobrem quiſque profeſſus in quóvis genere ſaluiferæ vitæ, nec vltra obedientiæ legem cogendus, nec citra eſt inhibendus quam ſua ipſius videtur complecti profeſſio, quantò minùs contra, is qui medius eſt vitæ modus præfixus voto, profeſſione firmatus, tanquam lignum quod erat in medio paradiſi, ſolus ſine dubio legi erit ſubiectus, obnoxius iuſſioni. Ergo prælati iuſſio, vel prohibitio non prætereat terminos profeſſionis, nec vltra extendi poteſt, nec contrahi citra: nihil me prælatus prohibeat eorū, quæ promiſi, nec plus exigat quàm promiſi: vota mea nō augeat ſine mea volūtate, nec minuat ſine certa neceſſitate; neceſſitas quippe non habet legē, & ob hoc excuſat diſpēſationem.* Et mox: *Ponamus ergo præpoſiti metam obedientiæ ſubiectorū ex votis labiorum ipſorū, non ſuorum deſideriorum, monentes eos non cogentes ad celſiora, condeſcendentes eis cum neceſſe fuerit, ad remiſſiora noncadentes cum eis.* Monet tamen idem ſanctus *c.ſeq.* non eam obedientiam ſic terminatam, eſſe quidem neceſſariam, ſed imperfectam, vt cum S.Bonau. loquebamur: perfecta enim nullis finibus, etiam voti & profeſſionis finibus cohibetur, ad eámque hortatur ipſe Bernard. probátque ex Benedicti regula quæ monet, vt ſi fratri impoſſibilia iniungūtur confidens de adiutorio Dei obediat *ex charitate*. Et quia *in eadem regula* tertius humilitatis deſcribitur gradus, vt omni obediētia Monachus ſe ſubdat maiori dicens: *Quippe omni non vult nos in obediendo menſurâ eſſe contentos profeſſionis, non attendere promiſſi debitum, non de pacto ſumere modum, ſed tranſire alacriter etiam votum, & obedire in omnibus. Eſt ſane quidem obedientiæ limes, ſecundùm tempus ipſa temporis extremitas, vt is ſit terminus obediētiæ qui & vitæ.* Hortatur deindè exēplo Chriſti quod ſubiicit. Quæ omnia placuit paulò fuſiùs recenſere; non potui enim grauioribus verbis, validiori ratione, illuſtriorique auctoritate, quàm ſanctiſſimi viri ſententiā noſtrā confirmare. Si enim non licet prælato quidquam Religioſo ſupra, præter, aut contra regulam imperare, multo minùs legē toti Ordini, vel cōmunitati alicui cōmunē & perpetuā ferre, cùm ius & præceptū legis multò grauiùs ſit,

ſit, quàm nudũ & ſimplex præceptum, quod vni tantùm ſit, neque perpetuum eſt. Noſtram porrò & S. Bernardi ſententiam amplexi ſunt magno conſenſu Theologi, & Canoniſtæ ſiue Caſuiſtæ: ſupra triginta ſex enumerat & ſequitur Sanch. *lib.6. in decalog. cap.2. n.15.* in iiſque S. Thom. Bonau. Durand. Richard. Turrecremat. Maiorem Gabriel. Paludan. Antonium, Caietan. Sotum, Valentiam, Vaſq. Leſſium, alióſque magni nominis viros.

6 Tertia pars noſtræ propoſitionis affirmat in vniuerſum nullum prælatum, cuiuſcunque authoritatis ſit, poſſe leges, & edicta regularia de iis quæ ſunt ſupra regulam, ſiue illi non conformia & in ea directè vel indirectè non contenta, ferre. Sunt verò, vti diximus, tria genera prælatorum regularium, ſupremi, medij, infimi, quorum omnium poteſtatem ad eas leges non ſe extendere, non difficulter oſtenditur.

Supremus ſuperior eſt vel ipſe Generalis, qui toti Ordini præeſt vel ſolus, vel vnà cum Capitulo, & quidem, ſi agamus de Generali ſolo, ſecluſo Capitulo, non poſſe illum noua ſtatuta obligantia ſingulos Religioſos ad nouum, arctiorem, & auſteriorem viuendi modum, quàm ferat regula, probatur: illi enim ſoli id poſſent, quibus eam facultatem conceſſit Pontifex, quam reuera non fecit ſoli Generali inconſulto Capitulo, cùm & hæc grauiora ſint, & paſſim Capitulum generale etiam ipſi Præpoſito generali imperare queat, cum ſit eius ſuperior. Quare poteſt leges, quas ipſe ſolus fixerit, refigere, & ipſe leges ſibi à Capitulo generali, tanquam à ſuo ſuperiori latas ſeruare, & earumdem in aliis, ſicut & aliarum legum obſeruationem curare, & vrgere teneatur; quod apparet etiam in iis Ordinibus, in quibus Præpoſiti generales & maiorem, & quodammodo plenam & abſolutam, vniuerſalem authoritatem ac iuriſdictionem habere videntur, vt in Soc. Iesv, vti dicitur *part.9. Conſtitut. c.3.* ab eóque tanquam à capite vniuerſa facultas Prouincialium egredi, ac per eos ad locales, per hos autem ad ſingulas perſonas deſcendere dicitur, *parte 8. cap. 1. §.6.* nihilominùs *par.10. §.8.* ſubiicitur ſocietati, quæ etiam illi modum victus & veſtitus præſcribere poteſt, *par.9. cap.4. §. 2.* immò illum amouere & à Societate dimittere poſſet, *parte eadem 9. & eodem cap.4. §.7.* eo modo qui deſcribitur eadem *part. cap.5. §.4.*

7 Quinimò neque conſentiente Capitulo generali, poterit generalis Præpoſitus, eiuſmodi nouas leges ſupra veterem regulam, ſeueriores, & perfectiores licèt, ſancire Ita Sanch. *c.2. cit. n.18.* cum Felino, Angelo, Armilla, Corduba, Vaſq. & aliis, quos adducit contra plures veteres Canoniſtas, ab eodem laudatos *n. 7.* quia neque ipſum Capitulum accepit à Pontifice poteſtatẽ condendi alia ſtatuta, quàm quæ primæuæ regulæ conformia ſunt, modo nuper explicato; alioquin poſſet Capitulum nouam ſenſim regulam ſtatuere, & omnia eius immutare. Deindè ea noua lex auſterior & ſeuerior reſpicit omnes & ſingulos Religioſos, non tantùm quatenus vnum corpus efficiunt, ſed etiam, quatenus ſinguli ſunt; ſiquidem à ſingulis ſeruari debebunt, & non ſolum à communitate: atqui certiſſima regula iuris eſt, 29. *de regulis iur. in 6. Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari,* quæ ſumitur etiam ex iure Ciuili, *l. finali, C. de authoritate præſtanda* & *l. fundum. 11. D. de ſeruitut. ruſtic. prædior.* vbi Ant. Faber ſapienter notat initio legis mendum haberi, dum dicitur, ius eundi per fundum, qui plurium, poſſe ſeparatim cedi; legẽdum enim eſt non poſſe: quia ſtatim in eadem lege, *Ergo ſubtili ratione non aliter meum fiet ius, quàm ſi omnes cedant.* Quæ verba contraria ſunt, vt vides, initio adductis, fauétque aperta ratio iuris; ſeruitutem ſiquidem, cùm indiuidua ſit, neceſſe eſt aut totam cedi, aut totam retineri. Atque hæc regula ad omnes caſus & negotia, quæ ita ſingulos vt vniuerſos tangunt extenditur, vt pluribus exemplis facile foret demonſtrare.

Quod verò obiiciunt aduerſarij Monachum renuntiaſſe propriæ voluntati, & illam in ſuperiorem tranſtuliſſe, non valet; ea ſiquidem voluntatis tranſlatio, non eſt niſi ad illa omnia, quæ regulæ, quam profitentur, conformia ſunt. Exemplum Bonif. VIII *qui cap. periculoſo, de ſtat. regul. in 6.* clauſuram Monialibus indixit, quod deindè Trident. *ſeſſ.25. c.8. de reformat.* confirmauit, nihil probat: quia clauſura neceſſaria erat ad caſtitatis votum in fragili ſexu ſeruandum. Qua de re, & de ea lege plura diximus *tractatu de Clauſura, diſquiſit.1. cap.1. §.4. & 5.*

Dices regulam allatam in pluribus falſam eſſe: nam ſeruus plurium dominorum poterit initiari Clericatu, ex vnius ſolius domini conſenſu, vt ait Gloſſa *in cap. nullius. diſt.54.*

Reſpondeo ita quidem ſentire Gloſſam, & vocem *eorum* diſtributiuè interpretari vnius vel alterius, ſed contra manifeſtè Leonis, cuius eſt illud caput, mentẽ & verba. Cùm igitur allata regula firma ſit, vti etiam *alibi* dicetur, non poterit Capitulum generale Regularibus inuitis nouum viuendi modum auſteriorem indicere, niſi in prima regula contineatur aliquo modo. Quare non requiritur tantùm hoc caſu omnium Capitulantium, aut maioris partis conſenſus, ſed etiam ſingulorum, qui nouis ſtatutis ſupra regulam, illáque rigidioribus obligari non poſſunt inuiti, vti ſapienter philoſophantur Angelus *verſ. Religioſus, n.29.* Silueſt. *verſ. Religio. 6. q.6.* Corduba *in regul. S. Franciſci, c.10. q.2. dicto 6.* Vaſq. *12. diſp.154. c.4. n.25.* Sanch. *c.2. citato n.19.* qui tamen omnes concedunt ſapienter aduerſariis, omnes, qui huic nouæ legi conſenſerint, illâ obligandos, cùm poſſint iugum illud nouum ſubire, & reuera ſuo conſenſu ſubierint, neque ipſis deindè licebit pro arbitrio legem, quam ſemel valentes acceptarunt, reiicere, vnde magna perturbatio naſceretur.

Profeſſuri quoque eâ lege latâ tenebuntur, quia profitebuntur modum viuendi ſecundùm regulã Religionis & conſtitutiones editas illæ vero ſunt editæ: ante profeſſionem, neq; queri poſſunt nouam ſibi, & auſteriorẽ vitam imponi, ſicut queri poſſunt qui ante nouã legem profeſſi ſunt; quia iſti nouâ prorsùs & graui obligatione, ſupra ſuam profeſſionis regulã vexantur.

Reſtat quærendũ, an ſaltem Pontifex qui eſt ſupremus & immediatus prælatus Religionum omnium, 8
poſſit ex abſolutâ poteſtate auſteriorem regulam, quàm fuerit primæua, Religioſis iam profeſſis indicere: ita enim ſentiunt imprimis omnes qui affirmabant id poſſe Generales cum Capitulo. Deindè Ioann. Andreas *cap. Ioannes, n.18. de regular.* Anchar. *n.8.* & Panorm. *cap. ſuper eo. n.6. de regularib.* Felin. *c. ad noſtram. de appell. n.6.* atq; è Theologis Maior *in 4. diſt.38. q.20.* quia Pontifex habet poteſtatem illimitatam, non vt Capitulum, & Generalis, qui habent limitatã ab ipſo Pontifice. Deindè, quia id reuera factitatum iam olim eſt tum à Bonif. VIII. qui clauſuram Monialibus indixit, tum à Pio V. qui iuſſit Franciſcanos Conuentuales in Hiſpania è ſuis conuentibus eiici, & tranſire in aliquem Ordinem alium mendicantiũ qui multò duriorem & ſeueriorem vitam viuerent. Dixi tamen in noſtra vniuerſali propoſitione, neque ipſum etiã Pontificẽ eiuſmodi nouam legem & vitam poſſe iam profeſſis indicere, quod ipſũ docuit Silueſt. *l. cit.* & Corduba adductus, Leſſ. *lib.2. c.41. n.77.* Sanch. *lib.6. in decal. c.2. n.21.* quia Pôtifex non habet aliam iuriſdictionẽ in Religioſos, quàm in cæteros Fideles, niſi ratione voti obediẽtiæ, quod profitẽtur; illa verò nõ extenditur, niſi ad regulã, quam profeſſi ſunt, & non vltra illã, modò explicato

explicato atque ex ratione Religioſorum habet etiam ille poteſtatem limitatam terminis emiſſæ profeſſionis, vti dicebat laudatus nuper Bernard. alioquin poſſet cogere Religioſum ad auſteriorem regulam & Religionem, quod nemo dicet. Neque exempla allata quidquam probant: illud enim de Monialibus reiectum eſt, clauſuram ſiquidem indictam valdè neceſſariam eſſe, & ad profeſſionis earum obſeruationem pertinere iudicatum eſt. Ad Pij verò V. Bullam anni 1567. quamuis aliqui de eius æquitate & valore dubitarint, reſpōdemus, eam propter notiſſima ſcandala in Hiſpaniæ partibus neceſſariam omninò fuiſſe ad tria ſubſtantialia vota, quæ Franciſcani illi promiſerant. Ex quibus tandem tertia pars noſtræ vniuerſalis propoſitionis, quā aſſerebamus, nullum etiam ſupremum prælatum, ſiue is ſit Generalis Ordinis, ſiue Capitulum generale, ſiue denique ſummus Pontifex, poſſe nouas & auſteriores leges ſupra primam regulam niſi conſentientibus Religioſis omnibus edicere. Quare licet hoc loco illud *cap. geſt. diſt.* 74. vſurpare: *Iuſtum eſt vt nemo creſcere compellatur inuitus.* Quæ ſunt magni Gregorij *lib.* 1. *regeſt. Ep.* 19. *ad Natalem Epiſcopum Solamitanum.*

9 Dico ſecundò prælatum, cuius eſt condere ſtatuta & leges, ſiue pro toto Ordine, ſiue pro loco particulari, poſſe laxatam & collapſam priſtino ſtatui reſtituere, & leges deinceps obſeruationem profeſſos obligantes ſancire. Ita docent DD. cum communi Caroniſtarum *in cap. ſuper eo de regularibus*, videlicet cum Innocentio, Ancharano, Antonio de Buttio, Cardinali, Dominico, Henric. Decio, Felino, Silueſtro, Armilla, Roſella, Tabiena, Corduba, quos aliόſque allegant & ſequuntur Azor 1. *par. lib.* 13. *cap.* 11. *q.* 17. Vaſq. 12. *diſp.* 154. *cap.* 4. *n.* 25. 26. *&* 27. Sanch. *lib.* 6. *in decalog. cap.* 2. *n.* 35. & alij, & vt faciliùs confirmetur,

10 Obſeruandum eſt profeſſos regulam aliquam longâ conſuetudine, quæ ſufficeret ad leges Eccleſiaſticas abrogandas, non teneri illam ſeruare niſi ſecundùm ſubſtantialia paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ: quia cùm obligatio quoad ſubſtantialia votorum huiuſmodi ſit iuris diuini, ac naturalis, vbi emiſſa ſunt, illam nulla conſuetudo abrogare poteſt; at verò cæteræ leges Regulares, quę neque votis, neque religioni ſunt ſubſtantiales, licèt plurima quæ ad perfectionem faciliorémque illorum obſeruationem conducunt contineant, humanæ aut regulares, & Eccleſiaſticæ duntaxat exiſtunt, & æquè conſuetudine tolli poſſunt; atque reliquæ leges Eccleſiaſticæ, neque vlla ratio reddi omninò poteſt cur conſuetudo non poſſit id in Regulares, & poſſit in Eccleſiaſticas. Quare vbi erit eadem aut ſimilis conſuetudo, idem proſsùs efficiet; vbi verò conſuetudo non erit ſufficiens ad leges abrogandas, quæ proindè obligabunt regulam illam profeſſos, quia illa nondùm legitima conſuetudine ſublata eſt, atque adeò primæua regula adhuc viget. Ita S. Thom. *in* 4. *diſt.* 38. *q.* 1. *A.* 3. *q.* 1. *ad* 5. Palacios *ibid. diſt.* 36. *diſp.* 1. Turrecremata 17. *q.* 1. *in ſumma Art.* 4. *n.* 12. Azor 1. *p. lib.* 13. *c.* 2. *q.* 15. Nauarr. *in ſumma c.* 12. *n.* 5. Rodrig. *tom.* 2. *ſummæ c.* 95. *n. vlt.* & alij; falſum enim eſt obligationem ſeruandi regulam circa obſeruantias omnes quas præſcribit, præter tria ſubſtantialia vota eſſe iuris diuini & oriri ex voto. Nam etiam modi eorum votorum non ſunt ſubſtantiales Religioni & & laxari, aut declarari poſſunt, tum lege tum conſuetudine. Quare neque opus eſt vt profitentes habeant intentionem vouendi ſecundùm regulam, prout tunc obſeruabatur, neque etiam vt conſuetudo ſit immemorialis: quia reipſa non profitentur aliam regulam, quàm quæ tunc eodem loco ſeruatur. Neque requiritur alia conſuetudo ad illam abrogandam, quàm quæ ſufficit ad leges Eccleſiaſticas tollendas, quæ ſemper immemorialis eſſe non debet, vti *lib.* 6. *ſeq.* dicemus.

Hinc fit vt ſi regula primæua non ſit adhuc abrogata propter inſufficientiam & inefficaciam conſuetudinis, adhuc reuera obliget, quia profitens vouet viuere ſecundùm regulam, quæ, cùm abrogata non ſit, ipſum obligat; neque enim promittit obſeruare id quod de facto & reipſa obſeruatur; ſed viuere ſecundùm regulam, quæ non eſt niſi primæua, & nondum laxata, cùm illa laxatio nondùm legitima conſuetudine confirmata fuerit, ac proindè non ſuſtulerit primæuam obligationem. 11

Quod ſi profeſſus in laxata Religione neque ſciuerit, neque propter ſimplicitatem, vel ſtupiditatem ſcire debuerit regulam illam ſeueriorem, rigidiorémque eſſe, quàm tunc temporis ſeruabatur, exiſtimat Sanch. *cap. cit. n.* 27. talem profeſſum poſſe ad laxiorem Religionem, qualem putabat eſſe illam, quam profeſſus, eſt tranſire, neque opus habere diſpenſatione Pontificiâ, quam requirebat Corduba *in cap.* 2. *Regulæ S. Franciſci q.* 16. *punct.* 1. Quòd ſi noluerit mutare Religionem, & in ſua perſeuerare, regulæ rigorem ſequi tenebitur, quia iam ſcit eius obligationem vigere. 12

Si verò vouens ille nouerit regulæ nondum fuiſſe ſufficienti conſuetudine derogatum adhúcque illam obligare, & tamen voluerit non ſe expreſsè obligare, niſi ad regulam, vti reipſa id temporis obſeruatur, non obligabitur ad aliud vi voti; eius ſiquidem obligatio non fertur vltra vouentis intentionem, vti philoſophatur Corduba *q.* 16. *cit. punct.* 3. Exiſtimat nihilominus Sanch. *n.* 28. illum ratione iniuriæ quam intulit Religioni profitendæ, cum particulari fictione & intendendo ſe non obligare ad ſtatuta, quæ tunc reipſa obligabant, teneri in eadem Religione perſeuerare, eáq; ſtatuta ſequi: quia volens in Religione profiteri, tenetur verè profiteri. Corduba verò permittit tranſitum ad aliam Religionem laxiorem, in qua tam rigida ſtatuta non vigeant. Ego fateor illatam fuiſſe iniuriam Religioni, quam reparare tenetur, ſi tamen aliâ ratione poſſit ſufficienter reparari, quàm perſeuerantiâ in eadem Religione, poſſe illam, vt docebat Corduba, relinquere; ſi verò non poſſit fieri reparatio, niſi perſeuerando in ea Religione, ad id obligabitur, & ad ſeruanda illa ſtatuta, vt diximus.

Dicendum tertiò eſt poſſe prælatum, cui facultas eſt condendi ſtatuta, nouas etiam leges neceſſarias, vel ad regulæ antiquæ reſtitutionem vel ad eius ne labatur conſeruationem. Quæ concluſio probatur ex prima, quia ea omnia continentur aliquo modo in regula, illique conformia ſunt. Quare nouæ illæ leges erunt ſecundùm regulam, & non ſupra illam, ergo ſi ferantur, obſeruandæ ſunt, tenetúrque profeſſus pati nouas aliquas leges, etiam paulò ſeueriores potiùs quàm Religioſum ſtatum, quē profitetur, collabi, aut diſſolui, ſi eiuſmodi leges ad eam diſſolutionem & laxationem impediendam admodùm neceſſariæ ſunt, vel ſaltem maximè vtiles, quod prudentium iudicio arbitrandum omnino relinquit Vaſq. *cap.* 4. *citato*, ſapientérque monet, non videri idoneum reformandæ Religionis collapſæ modum, aſſumere ſeueriores alterius Religionis regulas præcipuas, & quibus ab aliis inſtitutis diſtinguitur: id enim eſſet omnia inſtituta confundere, ſed videndum erit, vt ait Sanch. *n.* 36. quidnā regulam relaxarit, ex eáque parte remedium adhibendum, indéq; reſtaurationem faciendam. Quis enim dicat primæua Religionis ſtatuta non fuiſſe media ſufficientia ad finē ipſi præſtitutū aſſequendum? Quare illa priora inſtituta reuocāda ſunt ad praxim, & in ſeuriorē obſeruationē inducēda; ſic enim labes & ruinæ, ſiue vitia reparabuntur. Quare neque quidquam nouum 13

aut

aut ſeuerius erit inducendum, niſi ratione loci, temporis,& aliarum circumſtantiarum,id omnino neceſſarium exiſtimetur, quod non leuiter, ſed prudenter diligentérque penſandum erit,& vbi compertum erit, poterit quilibet ſuperior illud præcipere, etiamſi nequeat de eo ſtatutum perpetuum & vniuerſale cōdere, illi ſiquidem incumbit cura, vt in loco ſibi ſubiecto regula ſeruetur,& collapſa reparetur, ideoque quæ ad illud neceſſaria erunt præcipere valebit: ſunt enim, quod ſæpiùs monui, in regula contenta, ac ſecundùm illam præcipiuntur.

24 Si tamen profeſſus regulam collapſam viribus deſtituatur ad nouam regulæ inſtaurationem ſeruandam, ad quam tamen, ſi ſatis firmitatis haberet, obligaretur, cum eo diſpenſandum monet Sanch. cum aliis *n.* 38. Si etiam, quod iam diximus, dum profiteretur, habuit animum non ſe obligandi, niſi ad illam regulam, qua in re nullam facit iniuriam Religioni, tenebitur ad aliam Religionem æqualis obſeruantiæ tranſire, vel illi reformationi obedire, quæ omnia intelligenda monuimus nuper, quando regula ita laxata eſt, vt eius ſeueritas, diuerſæque obſeruantiæ ſufficienti conſuetudine fuerint abrogatæ, quod annotauimus in primæ propoſitionis explicatione.

QVÆSTIO IV.

Obligatio iuris Regularis.

Hæc quæſtio ex iis quæ diximus *lib.* 1. *c.* 7. *q.* 6. de obligatione iuris poſitiui ciuilis,& iis quæ dicemus *lib.* 7. de obligatione iuris Canonici in vniuerſum explicata manebit.

1 Diximus enim priori illo loco legem omnem, tum ciuilem, tum Eccleſiaſticā ſubditorum, quibus fertur, conſcientias obſtringere, eámque obligationem aliquandò eſſe ſub mortali, aliàs ſub veniali, quod quomodo,& quando fiat, *ibidem* explicuimus, ſicut quomodo intentio legiſlatoris faciat ad obligandum ſub mortali, aut veniali, ad augendam, vel minuendam obligationem, aut etiam tollendam, & ad ſolam pœnam obligandum, diximus quoque. Hinc colligenda ſit materia grauis, & intentio legiſlatoris, obligandi, ſecundum eius capacitatem, quæ omnia æquè valent in legibus Regularibus ſicut & quæ *ibid. q.* 7. diſputauimus de lege pœnali, *lib.* porrò 7. aperiemus cauſas quæ liberant ab obligatione iuris Canonici, cuiuſmodi ſunt legitima exemptio, diſpenſatio, defectus promulgationis, & eiuſmodi aliæ, quæ omnes æquè valent in iure Regulari, illíſque facilè poſſunt accommodari: neque hoc loco quidquā adiiciendū videtur.

2 Reſtaret dumtaxat explicare, quænam & qualis ſit ſingularum regularum obligatio, ſed id ad priuatum doctorem minimè pertinet & minimè neceſſarium videtur, cùm quiſque religioſus ſcire debeat ſuam regulam, eiuſque obligationem; de ſingulis tamen regulis id quæſiuerunt Antoninus 3. *part. tit.* 16. *cap.* 1. §. 5. *&* 6. & Azor *par.* 1. *inſtit. lib.* 13. *cap.* 11. ſigillatim verò de Regula S. Auguſt. Henricus *quodlibet.* 6. *q.* 17. Humbertus in eius expoſitione *c.* 10. Ioannes Dominicus ex Ordine Prædicatorum, aliique, de Regula S. Franciſci Corduba in eius commentariis & S. Bonauent. de regula Carmelitarum, Thomas à Iesv, de regula S. Benedict. Bern. *lib. de præcepto & diſpenſatione*, Turrecremata *tractatu* 5. *&* 6. *in eam regulam* & fuſiſſimè Haſtenus *lib.* 2. *diſquiſit. monaſticar. tractatu* 8. *diſq.* 1. vbi propoſitione prima in vniuerſum pronuntiat, eam regulam non obligare *ad mortale*, niſi apertè contineat materiam voti, aut aliquid quod præcepto diuino poſitiuo, aut naturali aut Eccleſiaſtico: aliàs ad mortalem culpam obſtringit; quod quidem vbi contingit non tam ex regula, quam ex voto aut alio illo præcepto; obligatio talis naſci cenſenda eſt. Vnde tranſgreſſio talis præcepti nec eſt ſpeciale peccatum, nec grauius eò quòd ſit contra regulam. Ita ille doctor qui ſuam aſſertionem pluribus probare conatur reliquis diſquiſitionibus, ac propterea motiua & media varia ad obſeruandam regulam,& quomodo ſit obſeruanda ſapienter docet, quare illum adire non pœnitebit.

QVÆSTIO V.

Conſectaria.

Ex proxima *quæſtione* 3. *&* 4. plurimæ difficultates circa ſuperiorum præcepta, & debitam illorum iuſſis obedientiam explicari poſſunt, quas tamen libenter *hic* omittimus & in diſputationem de voto obedientiæ religioſæ *tom.* 3. reiicimus: quia modò agimus tantùm de ſtatutis Regularibus, & legibus, non de præceptis, quæ (vt dixi) neq; perpetua ſunt, neque omnibus & toti communitati ſiunt. Deinde, quia tractanda eſſet hoc loco parum commodè, ſanè tota materia de obedientia, quæ & diffuſa eſt,& non amouenda à ſuo loco, atque in hunc cum magna rerum perturbatione transferenda. Iure igitur merito ab his enodandis difficultatibus in præſentiarum abſtinemus.

CAPVT VIII.

De iure piarum Fraternitatum.

Qvæstio I. *Piarum fraternitatum varietas.*

Qvæstio II. *Quo iure regantur piæ fraternitates.*

Non ago de omnibus fraternitatibus in vniuerſum: nam fraternitates & Collegia, quæ habent finem tantum temporalem, quamvis honeſtum, & quæ ideò licita ſunt, non reguntur niſi iure communi & ciuili ex pactis inter ſe initis, quæ licita & bona ſunt orta. Piæ verò fraternitates quæ ad finem aliquem non honeſtum modò, ſed etiam pium & ſpiritualem coëunt, vt ad colendam Virginem, & ſanctos cultu quodam ſpeciali, ad exercenda miſericordiæ opera, aliáque eiuſmodi, & quæ non modò à republica, ſed etiam ab Eccleſia ipsóque Pontifice approbantur,& inſtituuntur, atque etiam variis priuilegiis indulgentiiſque ſæpè donantur, ad ius Eccleſiaſticum, & non ad ſolum ciuile pertinere quodammodò videntur, ſicut & obligationes ad illa pia opera, quæ ex pactis inter ſe initis exercent. Quando igitur vniuerſum ius Eccleſiaſticum per varias eius ſpecies & membra proſequimur hoc loco, non debet à nobis præteriri hæc quæſtio, vt videamus an reuera huiuſmodi piæ fraternitates, vel, vt vocant Confraternitates, pertineant ad ius Eccleſiaſticum, an ad aliquod aliud, & varias difficultates, quæ inde excitari ſolent, paucis explicemus.

QVÆSTIO I.

Piarum Fraternitatum varietas.

Nomen, n. 1.
Definitio, n. 2.
Multiplicitas, n. 3.
Litteræ filiationis, n. 4.
Apud Monachos, n. 5.
Vſus illarum, n. 6.
Obiecta diluuntur, n. 7. 8. & 9.
De communicatione ſatisfactionum, n. 10.

1 SVnt piæ fraternitates ſiue, vt vulgus appellat, confraternitates, cœtus quidam, & collegia ad finem aliquem ſpiritualem inita. Dicuntur verò vniuerſali nomine fraternitates, ſiue confraternitates. Budæus quidem *annotat. in Pandectas ad l.* 1. *D. de officio prætor.* abiecto illo vulgari nomine vult appellari confratrias, ex Græco nomine φρατρία, quod ſignificat cœtum vtentium iiſdem ſacris, & quaſi ex vno puteo viuentium: φρέαρ enim puteus eſt; afférque Ariſtotelem, qui *in politicis* φρατρίαν, & tribus, conuentus hominum eadem ſacra habentium vocat. Indéque Budæus vult noſtras confraternitates vocandas confratrias eſſe. φράτορες dicti ſunt ſodales, & ſocietas φρατρία, atque hoc etymon paſſim ſequuti ſunt alij, vt Durantus *lib. de ritibus cap.* 20. *num.* 9. quod tamen reiicit pluribus Biſciola. *tom.* 1. *horar. ſubſecinarum lib.* 13. *cap.* 22. ex ipſis Græcis Grammaticis. Alij potiùs deduci volunt ab ipſis tribubus & curiis in quas diuidi ipſæmet tribus ſolebant, vt innuit Ariſt. *loco allegato* à Budæo. Quidam originem deducunt à πατὴρ vnde πατρὶς, quo patria ſignificatur, & πόλις, φυλὴ ἡ ἐκ τοῦ αὐτοῦ, καὶ πατρὸς γένεσις: inde πατρία familia. Pro πατρία dixere φρατρία inſerto ρ. Hinc φρατὴρ & φράτωρ, qui eiuſdem πατρίδος, ſeu φυλῆς & familiæ, ſeu cognationis eſt. Simplicior aptiórque videtur à nomine fratris origo, propter neceſſitudinem quam habent inter ſe iſti cœtus: nam & olim amicos vocabant fratres, teſte Quintiliano *declam.* 321. *Certè quoties blandiri volumus his, qui eſſe amici videntur*, nulla *adulatio procedere vltra hoc nomen poteſt, quam vt fratres vocemus.* Obtinuit etiam vſus vt confratres vocarint collegas: ſic apud Varron. *lib.* 4. *de ll.* fratres Aruales, vbi ſic dictos putat, quòd ſacra facerent, vt arua fruges ferrent, *A ferendo & aruis fratres Aruales dicti. Fratria eſt Græcum vocabulum partis hominum, vt Apollini etiam nunc.* Quæ verba videntur non conſentire prioribus: nam frater à ferendo eſt ex Varrone, & fratria Græcum verbum, partem hominum ſignificat vt Apollini nunc. Scaliger legit *Neapoli*, alij *Appuli*, vbi per partem hominum intelligit tribum, vti referebamus ex Ariſtotele. Verùm quidquid ſit de illa voce Græca, quid vetat fraternitatem deducamus à fratre, & quia plurium perſonarum cœtus complectitur ſimul & fraternitatis dicat quaſi fratrum amicitia conuentum, & etiam φρατρία ſit quaſi tribus aliqua ſeparata, &, vt dicebat Ariſtot. conuentus hominum propria ſacra ſibi facientium. Certum eſt ſodales collegiorum paſſim dici confratres, & collegium à Græcis ἑταιρείας vocari admonet Caius *l. ſodales* 4. *D. de collegiis illicitis*, ἑταῖρος eſt ſodalis, quomodo apud Xenophontem *lib.* 5. *pæd.* Cyrus vocabat Areſpum Medum ἑταῖρον, & Choſroës ad Iuſtinianum ſcribens Ιουστινιανῷ καίσαρι ἀδελφῷ ἡμετέρῳ, & Alaricus Rex ad Clodoueum Regem, *Si frater meus velit*, apud Gregor. Turon. *lib.* 2. *cap.* 35. vt videas etiam à Regibus hanc vocem fuiſſe vſurpatam, quod in regni dignitate ſunt veluti ſocij, & ſodales. Silueſt. *Ep.* 82. doctrinæ familiarem, cui nempè familiaritas intercedit cum doctrina dixit, τὸν παιδείας ἑταῖρον. A familiaritate igitur & amicitia orta ἑταιρεία, quam inter eiuſdem Collegij ſodales reperiri voluit Caius, quæ ſanè amicitia, neceſſitudo & eiuſdem inſtituti communitas, non potuit meliùs quàm fraternitatis nomine ſignificari. Epiſcopi ſeſe fratres olim nominabant, & ſuam fraternitatem dicebant. Greg. *Ep.* 61. *ad Ianuarium Epiſc. Calaritanum, Licet Fraternitas veſtra zelo iuſtitiæ, ſe in diuerſorum tuitionem congruenter impendat.* quod alibi dixit dilectionem, *Ep.* 15. *ad Bal. Epiſcop.* Verùm quid magis obuium, quam fraternitas Chriſtiana, quæ erat amicitia & neceſſitudo religionis ſocietate tam fortiter coalita, vt gentibus ſuſpecta eſſet coniurationis cuiuſdam, vt pro altero mori eſſent parati. Ab hac ſocietate arcebantur hæretici, ſchiſmatici, immo & pœnitentes, & Cathecumeni, qui à cæteris fidelibus minimè fratres appellabantur, eo quòd ius ad Chriſti hæreditatem non haberent. Cathecumeni non recitabant orationem Dominicam, cum indignum omninò eſſet, Deum patrem vocare, qui nondum à Dæmone manumiſſi forent. Id innuit Ambr. *lib.* 5. *de Sacram. cap.* 4. *Attolle oculos ad Patrem qui te per lauacrum genuit, ad patrem qui te per Filium redemit, & dic, Pater noſter.* Vide clariora apud Cypr. *de oratione Dominica.* Et ſanè Cathecumeni eiiciebantur ab Eccleſia ante confectam Euchariſtiam, & orationem Dominicam recitatam. Fraternitatem porrò Chriſtianorum commendat Tertull. *Cap.* 39. *Apolog. Sed & quod fratres nos vocamus, non aliàs nos, opinor, infamant quàm quòd apud ipſos omnes ſanguinis nomen de affectatione ſimulatum eſt. Fratres etiam veſtri ſumus iure naturæ, matris vnius, & ſi vos parum homines, quia mali fratres. At quantò digniùs fratres & dicuntur, & habentur qui vnum patrem Deum agnouerunt, qui vnum ſpiritum biberunt ſanctitatis, qui de vno vtero ignorantiæ eiuſdem ad vnam lucem expauerint ſanctitatis*, &c. Pergit enim Tertullian. in ea fraternitate & eius cauſis deſcribendis, ſicut & *lib. de corona milit. cap.* 1. quod idem faciunt Iuſtin. *in Apologia* Athenagir. *orat. pro Chriſtianis*, Clem. *lib.* 5 *ſtrommat.* Arnobius, Cyprian. Minut. qui varias huiuſce fraternitatis cauſas enumerant, vnde Eccleſiam, fraternitatem nominari apud Cyprianum, Hieronymum, Ambroſium, & Tertullianum obſeruauit Pamelius *in notis ad Tertullian. ad martyres cap.* 2. *ſcholio* 24. & *in lib. de præſcriptio. cap.* 20. *ſcholio* 124. *eodem* ſiquidem *cap.* Tertull. ait omnes Eccleſias vnam probare vnitatem, *quod facit communicatio pacis & appellatio fraternitatis, & conteſſeratio hoſpitalitatis; quæ iura non alia ratio regit, quàm eiuſdem Sacramenti traditio.* Quæ cauſæ quàm benè fraternitates adſtruant obſeruat eo loco Pamelius. Quòd igitur fraternitatis nomen vniuerſæ primùm Eccleſiæ tributũ eſt, & ſingulis Chriſtianis vt fratres dicerentur, propter eiuſdem fidei, religionis, & Sacramentorum vnitatem, id deindè de peculiaribus etiam Chriſtianorum cœtibus, qui peculiarem quandam circa pia opera coniunctionem habebant ſpeciali quadam attributione vſurpatum eſt, vt ad eiuſdem inſtituti Religioſos, & alia conſortia. ex quibus deinde pia Collegia, deriuatum fuit: atque ita fraternitatem, & confraternitatem, de qua agimus nihil attinet cum Budæo, aliiſque paſſim à voce Græca φρατρία deducere, quæ propriè ſignificat multitudinem, quare ſcholiaſtes Callimachi in lauacra Palladis νυμφῶν φρατρία καὶ ἄθροισις & vetus Gloſſarium φρατρία contubernium. Si ſignificat etiam factionem & coniurationem multitudinis φρατρία ξεῖνος μυλτάεσι, qui nempe multitudinem ad coniurationem

&

& factionem concitant, & Concil. Chalced. *Act*. 15. *Canon*. 18. τὸ τῆς συνωμοσίας ἢ φρατρείας ἔγκλημα, crimen conſpirationis & coniurationis ait eſſe legibus prohibitum: ideoque ſi qui Monachi, vel Clerici reperiantur coniurantes aut conſpirantes, vel inſidiantes Epiſcopis, vel aliis Clericis, à ſuo gradu moueri penitus iubet Synodus; συνομνύμενοι ἢ φρατριάζοντες ἢ κατασκευὰς τυρεύοντες ἐπισκόποις ἢ συγκληρικοῖς ἐκπιπτέτωσαν πάντῃ τοῦ οἰκείου βαθμοῦ. Si igitur Græca vox, φρατρία, noſtris piis fraternitatibus aptanda ſit, tanquam vocis *fraternitas* etymon, & multitudini in ſeditionem & factionem conſpirantium accommodetur. Quare multitudini in pia opera ſanctè conuenientium, conſpirantiúmque non meliori multo iure accommodabitur? Verùm retineamus, vt iam dixi, & monet Nauarr. *miſcellan*. 4. *de orat*. cum Archidiacono *in cap. ſi quis deſpicit*, 42. *diſt*. communem deriuationem à fratre, vnde fraternitas & confratres: nam & collegiorum profanorum ſodales, fratres dici poſſe ait Caius *l*. 4. *D. de collegiis illicitis*, cum inter eos ἑταιρείαν eſſe fateatur, cœtus, etiam omnes coëuntium ad conuiuendum, negotiandum, aliudve quidpiam agendum dicuntur Collegia & corpora, vt *ibidem* ait Caius ſocietates *l. ſocietas*, *D. pro ſocio*, Sodalitia *l*. 1. *& vlt. D. de Colleg. illicitis*, Conuenticula *l. Conuenticula. C. de Epiſcopis*, immò Collegia Alexandrinorum, Cyrenenſium & aliorum à Luca *Actor*. 6. nominantur Synagogæ, quæ vox in Scriptura pro quocunque ſiue bonorum, ſiue malorum cœtu vſurpatur, vti oſtendit Lorin. *in illud cap. 6. Actor*. Noſtræ igitur fraternitates, Collegia, corpora, ſodalitia ac etiam Synagogæ nominari non incongruè poſſent: nos communi & vſitata voce *fraternitatum*, & *confraternitatum* vtemur.

2 Hactenus de vocibus: venio ad rem ipſam. Sunt igitur piæ fraternitates conuentus hominum ad finem quendam ſpiritualem & pium coacti, quo fine diſtinguo illos ab omnibus aliis profanis conuenticulis, & ſodalitiis ſiue collegiis, quæ non niſi ad finem quendam temporalem coëunt, vt ad conuiuendum, negotiandum, & eiuſmodi alia; quæ niſi prohibeantur à lege vel Magiſtratu, licebit ad illa exercenda, Collegia inſtituere, vti monet Caius *ex l. Salonis*, quam adducit *l*. 4. *de Collegiis illicit*. S. Ambroſius *initio Epiſt. de tradendis Baſilic*. agit de corpore mercatorum, Collegij ſuariorum, & piſtorum mentio habetur *l*. 2. *veterum epigrammatum*, de his aliiſque profanis fraternitatibus non agimus hoc loco, ſed de piis dumtaxat: erant quidem apud Ethnicos variæ ſolemnitates & ſacræ fraternitates, de quibus Alexand. Neapolit. *lib*. 1. *genial. cap*. 26. Sigonius *de antiquo iure Romano cap*. 7. Conſalnus de Ponceleone, *opere de ſodalitate nominis Dei* per duodecim principia, Claudius Guichard. *lib*. 1. *de funeribus. cap*. 9. horum ſodalitiorum originem non malè à Numa rege repetunt paſſim: fuit enim ille omnium ſuperſtitionum apud Romanos præcipuus auctor. His igitur omnibus omiſſis, nos de Chriſtianis fraternitatibus & verè piis diſputamus.

3 Eæ porrò multiplices & variæ ſunt. Primò enim aliqui coëunt ad cultum alicuius ſancti, quem ſpeciali reuerentiâ proſequuntur, & cuius feſtum præcipuo honore celebrandum ſuſcipiunt, quod in omnium ferè opificum corporibus conſuetum eſt, denominantúrque illæ fraternitates ab illo ſancto, cuius feſtum colendum ſuſcipiunt, illóque maximè die inter ſe coëunt, ad pompam aliquam inſtruendam. Hæc ſodalitia improbanda non ſunt, ſi reuera cultum Chriſtianum, & ſanctum exhibeant ſancto quem colere intendunt, & quæ externæ lætitiæ ſigna exhibent, illa quoque ſancta ſint, & ad ſanctitatem prouocent, non ab illa remoueant. Quare feſti ignes, florum ornatus, & alia eiuſmodi & honeſta, aut ſaltem indifferentia, tolerari & etiam vſurpari poſſunt; de quibus Chryſoſt. *Hom*. 20. *ad popul*. opera quoque pietatis communiter exerceantur, interſint Sodales ſolemni ſacro & officio, quod in Eccleſia fit de illo ſancto, & concioni de eius laudibus, aut ſaltem eius vitæ acta legantur, ad ſacram Exomologeſim, & diuinam Euchariſtiam conueniant; debet ſiquidem eſſe diſcrimen aliquod inter feſta quæ ciuilia dici poſſunt, & quæ Nazianz. *orat*. 42. vocat feſta humi defixa, qualia deſcribit *orat*. 40. dum celebrant dies, quibus nati ſunt, vel matrimonio iuncti & nomen acceperunt, aliáque ſimilia ipſis contigerunt; & feſta pia, ac religioſa, quibus honorem Deo & ſanctis peculiari deuotione exhibemus, quæ quâ ratione per quàm religioſè tranſigi debeant, ſcribit idem Nazian. *orat*. 39. conſiſtere enim ait in purgatione a peccatis. Gregorius autem Papa monet *Homil*. 26. *in Euangel*. ne agentes feſta hominum excludamur à feſto Angelorum. Fuſiùs S. Ephrem *Homil. de cruce*, de celebritate pulchra & verè Chriſtiana diſputat. Recolenda etiam eſt memoria finis, in quem inducta eſt celebratio cuiuſque feſti, quod in Sabbato commonſtrat Auctor *tractatus de obſeruatione Sabbatorum* apud Athanaſ. S. Paulin. *natal*. 9. *de ſancto Felice*, rationem petit ex vegetiore deinde pietate reſumenda poſt aliquam pauſationem.

Ergo velut cœlum ſtellis, vt floribus arua,
Temporibúſque annos, Dominus ſic ipſe diebus
Tempora diſtinxit feſtis, vt pigra diurnis
Ingenia obſequiis ſaltem diſcrimine facto,
Poſt interuallum reduci ſolemnia voto
Sancta libenter agant, reſidéſque per annua mentes
Feſta parent Domino: quia iugiter intemeratos
Iuſtitiæ ſeruire piget.

Imitandi ſancti, quorum feſti dies coluntur, quod frequentiùs de celebratione & feſtis Martyrum monent PP. denique maximè in his ſodalitiis quæ ferè eo tantum die Patroni ſui congregantur, quæ in feſtis Ethnicorum PP. & in feſtis Iudæorum ipſa quoque aliquando Scriptura reprehendunt comeſſationes, & compotationes, ebrietates, ſaltationes, &, vt loquuntur, balationes, negotiationes & feriæ, ſiue nundinæ, turpe & vitioſum otium, ac ſabbatiſmum, quæ aliáque feſta dehoneſtant, & reddunt infeſta, & quæ maxime in opificum feſtis ac fraternitatibus reperiri ſolent, de quibus fuſiùs agemus, *tomo ſequenti*, vbi de religione feſtorum: tu iterum adi Theophil. Reinaudum *in heteroclit. ſpiritualibus*, *parte* 1. *ſectione ſecunda*, *puncto* 10. vbi fusè & eruditè iſta omnia congerit.

Aliæ ſecundò ſunt laicorum confraternitates, etiã cum quibuſdam cœtibus religioſis qui illis dant litteras ſiue diplomata, quæ vocant filiationes: Caſſinenſes verò nominant *litteras gratioſas*, vt Chronicum Lirinenſe *tom*. 2. *pag*. 178. Litteras gratioſas, Carthuſian. *Litteras participationis ordinis*, teſte Dorlando *lib*. 5. *Chronic. Carthuſ. cap*. 8. Paludan. *in* 4. *diſt*. 45. *vocanit litteras receptionis* ad beneficia ordinis, alij *litteras aggregationis ad merita*, alij *Beneficium ordinis*, quod Robertum de Abriſſello prædonibus, à quibus malè fuerat habitus ſed facti pœnitentibus contuliſſe narratur, in eius vita ab Andrea Fontibraldenſi, *in Chartulario etiam Fontibraldenſi*, *charta* 275. habetur Goffridum Vindocinenſem, habere beneficium ordinis Fontis Ebraldi, & ideò cùm obierit orandum eſſe pro illo. Inierat quippe Goffridus anno 114. ſocietatem cum ordine Fontis Ebraldi. Eſt igitur iſta 4

fraternitas, ſiue filiatio velut adoptio quædam moralis, quæ fit à præſidibus ordinum religioſorum, per quam veluti tranſcribunt velut in membra ſui corporis, eos, quibuſcum hanc fraternitatem ineunt, vnde vt perſona ſic adoptata fiat mẽbrum peculiare illius corporis myſtici, & neceſſitudinem quandam, atque affinitatem ineat cum eiuſmodi corporis perſonis, atque vt vna quodammodò ex ipſis agnoſcatur, ſuffragia & orationes quæ pro illo cœtu & corpore fiunt, ſint etiam communia perſonis illis adoptatis, & participes omnium meritorum & ſatisfactionum illius eiuſdem corporis reddantur, quod quidquid obiiciunt Vvicleſ. *lib.* 8. *Triologij*, *cap.* 3. & alij eius deindè aſſeclæ, non difficulter explicatur.

Si priùs obſeruaueris inter varia Monaſteria diuerſi inſtituti iam olim fuiſſe ſocietates monaſticas, quæ non modò fiebant vt cùm Monachi vnius Monaſterij ad aliud diuerterent non modo dormitorium, refectorium, & Capitulum illis commune eſſet, & vt is qui in ſuo Monaſterio moleſtiam pateretur, ad aliud perfugeret, à quo reconciliaretur, vt Abbas Monaſterij ad aliud ſocium adueniens, illius capitulo præeſſet, & reis veniam largiretur, vt pro defunctis vnius Monaſterij in alio fierent preces, & defuncti nomen in vtroque monaſterio referretur in Calendarium ſiue Menologium, & Patroni vnius Monaſterij feſtum in vtroque ageretur, eo quòd, vt ego exiſtimo, eſſet illa piorum operum, meritorum, & ſatisfactionum communio. De hac Monaſtica ſocietate habent plura Goldaſt. *tom.* 2. *de rebus Alemanicis*, *p.* 2. Et Petrus Rouerius *Illuſtratione* 141. *ad hiſtoriam S. Ioannis Reomenſis*, nóſque vidimus in Archiuio Monaſterij S. Eugendi, ſiue S. Claudij ſimilis ſocietatis diploma datum ab Eccleſia Lugdunenſi illi Monaſterio, munitum ſigillo illius Eccleſiæ in cera viridi, cui impreſſa eſt effigies reginæ throno inſidentis, capite diademate præcincto, & dextrâ liliatum ſceptrum præferente, cum hac epigraphe, *ſigillum Eccleſiæ Lugdunenſis.* Verum de his monaſticis ſocietatibus, fraternitatibus & filiationibus non ago, per quas vnius monaſterij Monachi ab altero veluti adoptabantur in fratres & filios, fiebántque communium operum etiam participes.

5 Ago modò de adoptione etiam laïcorum in fratres & filios, & facta illis communicatione meritorum, ſatisfactionum & piorum operum, quæ illis à Religioſorum ferè omnium præſidibus per diplomata vel litteras filiationis fit, quam nonnulli Vvicleffum, vt teſtatur Concil. Conſtant. *ſeſſ.* 8. æmulati rident, & illud Nicephori Cartophylacis *in Epiſt. ad Theodoſium Monachum* vſurpant, Eccleſiam auerſari *Monachos fratrificantes*: ineptè omninò, nam *ibidem* quoq; dicitur auerſari Eccleſiam Monachorum compaternitates, quæ erãt profanæ quædam neceſſitudines, cum religioſo ſeceſſu minimè conſentientes, non verò piæ iſtæ confraternitates & filiationes, quas modò deſcripſimus, quas iam à pluribus ſæculis comprobauit & ipſo vſu, & ſuâ auctoritate Eccleſia, vti demonſtrant Thom. Vvald. *tomo de Sacramentalibus*, *tit.* 10. *cap.* 94. & 95. Nauarr. *miſcella.* 11. *de orat.* Soto *in* 4. *diſt.* 21. *q.* 1. *art.* 4. *conc.* 2. Miranda *tom.* 2. *manuel. prælat. q.* 50. *art.* 1. & alij plerique; qui tamen non ſatis ſolidè demonſtrant ex vſu antiquo in ſcripturis prodito poſcendi aliorum preces, & proindè orandi pro aliis; indè enim non oſtenditur illa communio meritorum & ſatisfactionum quæ iſtis filiis & confratribus traditur. Itaque validius argumentum ex ipſa antiquâ Eccleſiæ praxi ducetur, in qua legimus frequentes eiuſmodi ſocietates, atque vt omittamus quandam communicationem eiuſmodi meritorum factam à ſancto Benedicto, quæ habetur in quodam diplomate Gordiani, quia Gallonius *in Apologetico contra Bellotum pag.* 92. eam ſuppoſititiam eſſe vult, quamuis Hieronymus Lauretus *in notis ad Chronicum Caſſinenſe* eam probet. In actis S. Mauri S. Benedicti diſcipuli narratur Theodebertum S. Maurum inuiſiſſe & in cœtu fratrum proſtratum petiiſſe, vt in ſuam ſocietatem ſe reciperet & ſuum nomen inter illorum nomina referret, petebat nimirum in illorum Monachorum cœtum adoptari, non Monachus fieri, cùm id ipſi neque per vxorem, neque per rempublicam liceret. S. Eduardus Anglorum Rex obtinuit à Nicolao primo ipſius & SS. Apoſtolorum ſocietatem. S. Leo IX. Concilio Rhemis coacto & ſolemni. S. Remigij tranſlatione, venit in Capitulum fratrum (Monachorum ſcilicet Abbatiæ S. Remigij) & ſocietatem illorum deuotè petiit & accepit, ſuámque eis humiliter petentibus largitus eſt anno 1049. vt habetur in Codice S. Remigij, qui exſcribitur à Binio *tomo* 7. *Concil.* Burannus Epiſcopus Aruernenſis, eiúſque Canonici dum concedunt Hugoni Cluniacenſi Abbatiam Mauziacenſem, aiunt ſe id facere, *Vt nos atque ſucceſſores noſtri Dei gratia mereamur fieri participes & confratres omnium bonorum, quæ fient in ipſa Cluniacenſi congregatione: ipſi quoque cunctorum huius noſtræ Eccleſiæ bonorum conſortes exiſtant.* Ita habet Cartha 156. in bibliotheca Cluniacenſi *pag.* 534. Hugo Cluniacenſis & Deſiderius Caſſinenſis Abbates communitatem & ſocietatem bonorum iniuere, teſte Leone Oſtienſi, cuius verba exſcribit Baron. anno 1083. Idem Hugo Epiſcopum Edeſſenum bonorum Cluniacenſis Ordinis fecit participem. Clarauallenſes apud S. Bernard. *Epiſt.* 29. fraternitate ſua Stephanum Metenſem Epiſcopum donarunt. Petrus Cluniacenſis repoſcens à Calo-Ioanne Alexis filio & Imperatore Conſtantinopolitano reſtitui ſuis Cluniacenſibus Monaſterium quoddam ipſis ablatum, ait: *Et vt aliquid beneficij ſpiritualis vobis iſta facientibus rependamus, ſicut prædeceſſores noſtri ac nos ipſi, reges Francorum, reges Anglorum, reges Hiſpanorum, reges Germanorum, ipſos Imperatores Romanorum, ac vicinos vobis reges Vngarorum, confratres & comparticipes omnium beneficiorum Cluniacenſis congregationis fecimus: ita ſublimitatem veſtram ex parte omnipotentis Dei, & B. Mariæ ſemper Virginis Dei genitricis, & ſanctorum Apoſtolorum, & omnium ſanctorum in iiſdem ſpiritualibus beneficiis plenè & perfectè, in quantum licet, ſuſcepimus.* Vbi habes & conceſſam hanc fraternitatem à religioſis, & eius diplomatis formulam, cui ſimilem obſeruabis apud Bernard. *Epiſt.* 45. vbi Stephanus Abbas & totus conuentus Ciſtercienſis queritur apud Ludouicum Regem de oppugnatione, quam ab eodem Rege olim amico & fratre patiebantur: *Mouentes*, inquiunt, *& rogantes per illam inuicem amicitiam noſtram, & fraternitatem, cui vos ſatis dignanter ſociaſtis.* Ibidem aiunt Epiſcopum Pariſienſem requirere ab ipſis litteras ad dominum Papam *iure fraternitatis*, quas non poſſint negare. A S. Bernardo eiuſmodi participationis meritorum litteras conceſſas refert Nider *lib.* 3. *de reformat. regular. fructu* 12. quarum exemplaria ſe vidiſſe teſtatur. Menologium Ciſtercienſe in Alexandro idem Hugonem Ducem Burgundiæ ab Alexandro Abbate obtinuiſſe atque de ipſo Friderico I I. Imperatore *in Epiſt. ad Ciſtercienſem ſcripta* habemus, quæ refertur in Apparatu ad Menolog. Ciſtercienſe. Alfonſus Rex Aragonum an. 1180. teſtatur ſe factum eſſe participem meritorum Ordinis Ciſtercienſis, vti refertur *faſciculi ſanctorum eiuſdem ordinis lib.* 1. *diſtinc.* 7. *cap.* 4. Capitulum generale Præmonſtratenſium an. 1233. Fratres Ordinis Prædicatorum

dicatorum, ſuorum bonorum operum participes faciunt, dato in eam rem diplomate. Gaufredus Minorum Generalis anno 1289. in Capitulo Reatino item generali, eandem participationem conceſſit Margaritæ Abbatiſſæ, & Cœnobio Fontis Ebraldi diploma habetur *lib. 1. hiſt. Ordinis Fontis Ebraldi cap. 16.* Similem communicationem & petit, & concedit Frodelmæ deuotæ ad ipſam ſcribens S. Anſelmus *lib. 1. Epiſt. 7.* ſimilem bonorum ſocietatem poſtulat à Grandimontenſibus Petrus Cellens *libro 8. Epiſt. 7.* idem præſtitit laïcorum multitudini quibus ſui Ordinis ſocietatem conceſſit S. Cæleſtinus, vti refertur *in eius actis cap. 22.* atque hunc vſum probat S. Gertrud. *capite 76. Inſinuationum diuinæ pietatis.* Hæc omnia & alia nonnulla profert eruditus Theophil. Reynaud. *parte 2. de Heteroclit. ſpirit. ſectione 5. punct. 3. num. 15.* qui & *num. 20.* aliqua Patrum ſuffragia adiicit.

6 Tota aut ſaltem præcipua eiuſmodi cum cœtibus religioſis fraternitatum difficultas eſt in communicatione meritorum, ſatisfactionum & piorum operum: nam merita vnius non poſſunt transfundi, vel transferri in alium, cùm merita non proueniant niſi ex gratia ſanctificante, gratia verò ex communi Theologorum conſenſu non fructificat niſi in proprio ſolo, neque germinat niſi in ſulcis quibus committitur. Quoad ſatisfactiones verò, Religioſi cœtus theſaurum non habent vllum, quem præſides poſſint communicare quibus voluerint, neque ſingulorum ſatisfactiones in illo theſauro reconduntur, vt inde à præſidibus depromi poſſint, alioquin poſſent concedere indulgentias, vti Pontifex, qui cum habeat claues eiuſmodi theſauri ex Chriſti meritis & ſatisfactionibus, atque ſanctorum in Eccleſia repoſiti, poteſt ex illo ſoluere quidquid pœnæ debetur diuinæ Iuſtitiæ pro reis, iam culpæ expertibus & illis ſuffragari, atque ita concedere indulgentias per modum ſolutionis, vel ſuffragij, quod nemo Catholicus aſſerit de religioſis præſidibus, qui nullum ſuæ Religionis ſatisfactionum theſaurum communicandum habent. Denique bona opera vnius non proſunt alteri, v. g. oratio & contemplatio non vnit Deo mentem alterius, & ſi quid alteri proſit, debet ab operante, qui ſe eius fructu priuat, alteri applicari, & non à ſuperiore operantis, inutilis eſt igitur tota illa communicatio meritorum, ſatisfactionum, & piorum operum, quæ fit ab Ordinum Religioſorum præſidibus, illis quos in filios & confratres aſſumunt.

7 Reſpondeo, hæc omnia facile reiici, atque vt à communicatione meritorum ordiamur. Merita duobus modis conſiderari poſſunt, obiectiuè, & formaliter. Conſiderantur formaliter prout ſunt actiones quædam aut perpeſſiones, quæ alteri quàm operanti ita applicantur vel communicantur, vt illi eodem prorſùs modo proſint, atque adeò operans vel patiens mereatur ſimpliciter, ſiue de condigno, ſiue ex iuſtitia alteri cui illa applicat. Merita ſumuntur obiectiuè, quia Deus mouetur ex interna bonitate operum meritoriorum, ad benefaciendum cuipiam. Merita formaliter ſumpta non communicantur per litteras filiationis à piis cœtibus, immò neque communicari poſſunt, cùm Chriſti ſolius proprium ſit condignè mereri pro aliis, quod magno conſenſu, vt dixi, tradunt Theologi *in 3. diſt. 20.* & *3. parte q. 19.* immò neque puro homini vim illam poſſe communicari, ſaltem de via ordinaria: nam Valent. *1. 2. diſp. 8. q. 6. punct. 5.* exiſtimat Deum poſſe, ſi velit, facere, vt quis condignè mereatur alteri gratiam & gloriam, quod modò non diſputo: ſatis eſt hanc poteſtatem nulli reipſa fuiſſe communicatam, & eſſe Chriſto propriam eſtque congruentiſſima ratio. Quiſquis enim meretur de condigno, meretur gloriam quæ eſt condignum præmium operis illius: ſi igitur meretur alteri gloriam, priuetur illâ oportet, aut geminatum præmium obtineat. Vtrumque inordinatum eſt, nam vel gloria non erit condignum præmium operis meritorij, vel qui ſe illâ priuabit, ſimul etiam gratiâ quam vnà cum gloria meretur, quæ erit inordinatio, & proprij ac maximi boni ſpiritualis profuſio inſipiens: rectè enim Claudius Imperator reſcribit *l. præſes 6. C. de ſeruitut.* & *aqua. durum & crudelitati proximum ex tuis prædiis aquæ agmen ſitientibus agris tuis ad aliorum vſum vicinorum iniuria propagari.* Vnde Alciat. *de præſumpt. 1. regul. præſumpt. 32.* quemlibet præſumi rem ſuam primùm curare, deindè alienam; quod deindè pluribus illuſtrat. Non poteſt igitur cœtus religioſus ſua merita formaliter ſumpta communicare confratribus, ſuis & filiis in ſuum corpus adoptatis, per modum meriti de condigno.

Poſſet nihilominus id facere per modum meriti de congruo, ex quadam tantùm decentia, abſque vllo pacto, aut promiſſione diuina, qua ad præmium rependendum Deus ſe obligatit; hoc enim hominis meritum pro alio agnoſcunt Theologi cum Magiſtro *in 2. diſt. 27. & 28.* & S. Thom. *1. 2. q. 11. art. 6.* Guilielmo Pariſienſ. *tractatu de meritis ſub fin.* Suare *libro 12. de gratia, cap. 35. n. 2.* & *tom. 4. in 3. par. diſp. 55. ſect. 5. num. 11.* vbi hanc participationem meritorum cœtus religioſi hoc modo exponit. Neque contemnenda eſt hæc meritorum quæ dumtaxat de congruo aliis impetrant, communicatio, vt enim obſeruat Nauarr. *in commentario de orat. cap. 19. num. 46.* vti ſe ipſemet allegat *miſcellan. 11. de pſalterio Sæpè: plura & maiora per viam liberalitatis & congruitatis impetrantur quàm iuſtitiæ: qui enim fodit in vinea regis via iuſtitiæ certum quid meretur, qua via preces reginæ non poſſunt mereri aliud tantundem, via tamen decenti liberalitatis, & magnificentiæ poteſt ei plus mereri vno verbo, quàm ille centum dierum operis.*

Propriè igitur accipiuntur merita obiectiuè in hac communicatione quæ fit à cœtibus Religioſis, atque etiam ab aliis, vt Deus intuitu illius corporis myſtici aut alicuius alterius ſibi gratis benefaciat aliis, qui aliqua neceſſitudine vel morali, vel politica, illi corpori coniunguntur, & dum benefacit corpori, membris quoque eius benè velit, atque ita litteras illas fraternitatis & filiationis, quibus fit ea meritorum communicatio, ſapienter exponunt Theologi cum Corduba *quæſt. 39. de Indulgentiis*, Miranda *tomo 2. mannab. quæſt. 50. art. 2.* Adriano *quodlibet. 8. art. 3.* Paludan. *in 4. diſt. 45. quæſt. 2. art. 2. concl. 5.* Antonio *1. par. titulo 10. cap. 2. §. 4.* Nider *lib. 3. de reform. relig. cap. 3. fructu 12.* immo Alanus *libro de Miſſa, cap. 31.* ita exponit articulum Symboli de communione ſanctorum, de qua pridem diximus, aliquid diſputantes de cenſuris, quæ bonis quibuſdam ſpiritualibus priuant, quod in excommunicatione manifeſtum eſt. Neque abeſt S. Thomas *opuſc. 6. Sicut in corpore* (inquit) *naturali operatio vnius membri cedit in bonum totius corporis: ita in corpore ſpirituali, ſcilicet Eccleſia. Et quia omnes fideles ſunt vnum corpus, bonum vnius alteri communicatur.* Obſeruat deinde S. Doctor aliud eſſe membrum principale, quod eſt Chriſtus, quia eſt caput Eccleſiæ *ad Epheſ. 1. Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius.* Bonum ergo Chriſti communicatur omnibus Chriſtianis, ſicut virtus capitis omnibus membris, & hæc communicatio fit per Sacramenta Eccleſiæ, in quibus operatur virtus paſſionis Chriſti, quæ operatur ad conferendam gratiam in remiſſionem peccato-

rum

rum. Alia huius corporis membra ſunt ſinguli fideles *ad Roman.* 12. ſinguli autem, alter alterius membra, atque ita faciunt vnum corpus,& bonum vnius membri communicatur alteri, ſed ſanè longè diuerſo modo quàm bonum capitis, quod in omnia & ſingula membra vim,motum, & ſenſum continuò influit,atque Chriſtus gratiam & vitam ſpiritualem, quod reliqua membra non præſtant aliis, licet ad illorum operationes, & conſeruationem conferant, atque, vt ait S. Doctor: *Quidquid ſancti boni fecerunt,communicatur in charitate exiſtentibus; quia omnes vnum ſunt* Pſal. 118. Particeps ego ſum omnium timentium te. *Et inde eſt quòd qui in charitate viuit,particeps eſt omnis boni, quod fit in toto mundo, ſed tamen ſpecialius illi, pro quibus fit aliquod bonum.* Ex quibus S. Doctoris verbis colligit Nauarr. *tractatu de orat. Erotemate* 15. & *num.* 56. Deum inſtituiſſe quandam fratriam, ſiue confraternitatem charitatis in qua omnes boni ſimul inuicem ſua bona ſpiritualia communicant.Hæc porrò generalis fratria, ſiue confraternitas non impedit alias ſpeciales, quod obſeruat etiam S. Thom. verbis à Nauarro relatis: obſeruat enim S. Doctor bonum quod ſancti exercent, ſpecialius communicari illis, pro quibus fit aliquod bonum: nam vnus poteſt ſatisfacere pro alio, ſicut patet in beneficiis, ad quæ plures congregationes admittunt aliquos. Beneficia vocat S. Thom. illam participationem bonorum & meritorum,quam cœtus ſacri faciunt ſuis filiis adoptatis, vel, vt vocant, confratribus. Hæc verò communicatio quoad merita ita intelligenda eſt, vti diximus, vt merita ſumantur obiectiuè & non formaliter, cùm nullus, vti oſtendimus, poſſit alteri mereri de condigno, ſed quia Deus intuitu meritorum cœtus illius pij, & corporis myſtici, cui quiſpiam tanquam membrum inſeritur, benefaciat, eóque etiam modo dignitas,& meritum vnius membri proſit alteri, & quò plures in illo corpore ſancti erunt, eò fructuoſior vtiliórque eſt communicatio ſiue participatio meritorum, cùm illis magis moueatur Deus ad plura bona conferenda illis, quibus ſpecialius applicantur, vt de communicatione inter omnes fideles ait Petrus à Nauarra *lib. 2. de reſtitut. cap.* 2. *num.* 257. Deum porrò intuitu vnius aut plurium neceſſitudine aliqua morali,& ſpirituali ſpecialiter coniunctorum aliis benefacere, ideoque magni æſtimandas eſſe eiuſmodi cum ſanctis tum ſeorſim & in ſingulari, tum maximè,vt corpus myſticum faciunt,ſpectatas ſocietates nemo negat.Nam amor quo Moſem proſequebatur Deus,obſtitit ne ingratum & ſceleſtum populum perderet, vt optimè expendit Auguſt. *qq. in Exodum*, quem conſule, & nota hæc eius verba: *Ille itaque ibi ſenſus in promptu eſt*, quod his verbis ſignificat. *Deus apud ſe plurimum prodeſſe illi populo, quia ſic ab illo viro diligebantur, quem ſic Deus diligebat, vt eo modo admonerentur cùm merita noſtra nos grauaſſent, ne diligamur à Deo,releuari nos apud eum illorum meritis poſſe, quos Deus diligit: nam cùm ab Omnipotente dicitur homini, Sine me,& conteram eos, quid aliud dicitur, quam contererem eos, niſi diligerentur abs te? Ita ergo dictum eſt,* Sine me, *ac ſi diceretur, Noli eos diligere & conterã eos, quia id ne faciam delectio tua in illos intercedit mihi.* Vide de eodem Moſis facto Chryſ. *ſerm. de pœnitentia,tom.* 5. *Latino.* Illuſtris quoque eſt illa Dei *Geneſ.* 18. promiſſio, ſe parciturum Sodomorum vrbi, ſi iuſti aliquot in ea reperirentur. Vide ea de re Philon. *l. de ſacrificio Abelis, & Caini*, & *lib. de migrat. Abrahami.* Ambroſ. *lib.2. de Caïn. & Abel. cap.3. ſub fin.* & *lib. 1. de Abraham. cap. 6.* hinc fit vt poſſimus Deo allegare aliorum opera bona, & merita vt Deum nobis exoremus.

Quod attinet ad communicationem ſatisfactio- 10
num in his fraternitatibus, fatemur quidem non eſſe in piis & religioſis cœtibus theſaurum aliquem ex ſuperabundantibus ſatisfactionibus,quæ in eo recondantur, indeque à præſidibus horum cœtuum aliis applicentur, quod pauci aliqui malè ſibi perſuaſerunt. Et ratio manifeſta eſt; hîc enim theſaurus conſtabit ex ſatisfactionibus præteritis, vel præſentibus, vel futuris, futuræ nondum ſunt, neque proindè adhuc theſaurum illum componunt; præteritæ verò iam ſuum effectum habuerunt, præſentes denique ſunt adhuc in dominio ſatisfacientis, & ab eius applicatione pendent.Certum quidem eſt vnum poſſe pro alio ſatisfacere, etiam ex condigno, ſicut poteſt quis debitum pro alio ſoluere, quoties verò quiſpiam facit opus ſatisfactorium, ſi ille eo indigeat aut toto, aut eius parte, ſtatim illi prodeſt ſecundùm ſuam indigentiam, niſi illud alteri applicet, cui etiam pro ſua egeſtate proderit. Quod ſi neque operans ea ſatisfactione, neque tota, neque eius parte egeat, neq;etiam ille cui communicauit,& cui prodeſſe voluit, vel ſi nulli applicauit, reponitur tota illa ſatisfactio in communi & inexhauſto Eccleſiæ theſauro, cuius adminiſtratio eſt penès Pontificem, & Epiſcopos, qui ex Chriſti meritis, & ſatisfactionibus, & omnium ſanctorum ſuperabundantibus etiam ſatisfactionibus conficitur, & qui, vt vides, non reperitur in cœtibus piis, ac religioſis, cùm in illo nullæ præteritæ ſatisfactiones, quæ iam totum ſuum effectum obtinuerunt,reponantur,& præſentes vbi exercentur & ponuntur, ſtatim habeant, vt monui,ſuum effectum, aut in theſaurum communem Eccleſiæ transferantur; futuræ autem nondum poſitæ ſunt, & nequeunt cenſeri in illo theſauro,aut ex eo depromi, & illæ ſolum poſſint communicari. Hinc fit quod ſolidè exponit Nauarr. *Miſcella.* 11. *de oration. & tractatu de Indulgentiis,notabili* 31. vt hæc communicatio meritorum, & ſatisfactionum non ſit indulgentia, quod quæſierat *Miſcellaneo* 11. *de orat.* 11. *q.* 5. *&* 6. vbi ex S. Thom. *in* 4. *diſtinc.* 20. varias rationes reddit diſcriminis inter hanc ſatisfactionem, quæ ſiue à prælatis regularibus, ſiue ab ipſiſmet confratribus mutuò fit, non eſſe communicationem, & veram indulgentiam. Quibus omiſſis ſufficit ea, quam affert ipſemet Nauarr. *locis paulò antè adductis*, ex natura theſauri, ex quo depromi poſſunt ſatisfactiones in eo reconditæ,cùm, vti oſtendimus, præteritæ & præſentes vel ipſi operanti, vel alicui particulari, ex operantis intentione iam fuerint applicatæ, aut in communi Eccleſiæ theſauro, qui ſolius Romani Pontificis diſpoſitioni ſubeſt,repoſitę:futuræ verò nondum exiſtant, & vbi fient, vel operanti, ſi eis indigeat, vel ex eius ſolum intentione alicui alteri proderunt, vel cum cæteris in communem, vt ſæpiùs dixi, theſaurum reponentur: Indulgentiæ verò concedantur depromptis ex eo communi Eccleſiæ theſauro ſanctorum, Chriſtíque ſatisfactionibus infinitis, & vni alicui applicatis eius qui eiuſmodi theſauri clauem habet auctoritate,ex quibus per indulgentiæ conceſſionem ſoluit pœnas, quibus aliquis diuinæ iuſtitiæ reus erat, & contractis ab eo debitis ſatisfacit. Qua ratione, vt vides, non fit ea de qua agimus ſatisfactio piorum cœtuum ſatisfactionum,&operum,quæ in illis fiunt,communicatio, quæ nonniſi de futuris intelligi poteſt:mutuo enim conſenſu confratrum & præſidum, quibus ſolis ſuorum bonorum ſpiritualium adminiſtrationem, & curam Religioſæ communitates, ſiue expreſſo pacto,ſiue ex conſuetudine & immemoriali præſcriptione, ipſóque continuo vſu ſemper permiſerunt confratribus per diplomata illa, &

litteras

litteras filiationis ac fraternitatis applicantur, atque ita fiunt confratres aut filij, eorum omnium bonorum operum futurorum participes, modo illo duplici à nobis indicato, tum formaliter per meritum de congruo, tum materialiter & obiectiuè, cùm illorũ bonorum operum intuitu moueatur Deus ad beneuolendũ & benefaciẽdum eiuſmodi fratribus & filiis, vt explicuimus, & diſſerit Nauarr. *citato Miſcellaneo* 11. *n.*6. ex mente S. Thom. *in* 4. *diſt.* 20. vbi S. Doctor ait, opera ſatisfactoria vnius alteri computari non ſolùm ex vi charitatis, ſed intentione operantis aliquo modo directa ad ipſum. Intentio verò alicuius poteſt ad alterum dirigi tripliciter, aut in generali, aut in ſpeciali, aut in ſingulari: in ſingulari quidem, vt cùm quis pro alio determinato ſatisfacit, & ſic quilibet poteſt alteri opera ſua communicare; in ſpeciali autem cùm quis orat pro congregatione ſua, & familiaribus & pro benefactoribus, & ad hoc ordinat etiam opera ſua ſatisfactioria alteri communicare, applicando pro intentione illorum qui ſunt de congregatione ſua ad hunc vel illum determinatè: in generali verò ſicut cum quis opera ſua ordinat Eccleſiæ vniuerſæ & ſic qui præeſt Eccleſiæ vniuerſæ, poteſt illa opera communicare, applicans intentionem ſuam ad hunc vel illum. Et quia homo eſt pars congregationis, & congregatio pars Eccleſiæ, ideò ille, qui præeſt Eccleſiæ, poteſt communicare ea quæ ſunt Eccleſiæ & congregationis, & huius hominis, ſed non è contrario. Aduertendum autem eſt, quod nec prima communicatio, nec ſecunda dicitur Indulgentia, ſed ſolum tertia in hoc S. Thomæ diſcutſu, multa *alibi*, vbi de Indulgentiis diſſeremus, diſcutienda continentur: nam eius verba tantùm adduximus modo, vt doceremus quomodo ex mente S. Doctoris cõmunicatio iſta bonorum operum alicuius piæ & religioſæ communitatis fiat à præſidibus horum cœtuum quibuſdam perſonis in aliquam fraternitatem, vel, vt aliqui loquuntur, filiationem Ordinis aſſumptis, nempè per mutuam omnium confratrum intentionem & applicationem vnius ad alterum, aut per ſimilem intentionem præſidis religioſi, qui ex quadam ſibi explicita, aut implicita totius cœtus & confratrum omnium voluntate, poteſt omnia bona ſatisfactoria quæ à ſingulis confratribus fiunt, aliis ex eadem confraternitate, aut cœtu religioſo applicare determinatè, vel indeterminatè, hoc eſt vel in vniuerſum omnibus & ſingulis, vel vni alicui particulari ex illis omnibus; ad quam applicationem, ſiue communicationem non eſt opus, vt vides, vllo theſauro cõmuni diſtincto ab vniuerſali Eccleſię theſauro ex ſuperabundantibus religioſorum aut confratrum ſatisfactionibus conflato, cuius adminiſtratio & diſpoſitio penes religioſos præſides exiſtat, vti oſtenſum eſt, ideoque ſapienter monet S. Doctor ex tribus communicationibus ab illo enumeratis, ſolam tertiam generalem quæ fit à Pontifice, qui præeſt Eccleſiæ vniuerſæ, eſſe indulgentiam, cuius rationem non ſatis commodam, vt vidit ipſe Soto, non videtur reddere S. Doctor quod fideles ſua bona opera ordinent ad bonum Eccleſiæ vniuerſæ, cui toti præeſt Pontifex Romanus. Illa ſiquidem ordinatio fictitia prorsùs eſt; ſed quia theſaurus Eccleſiæ, vt ſuo loco ſumus demonſtraturi, ex omnibus ſuperabundantibus Chriſti, ſanctorum, fideliúmque omnium ſatisfactionibus conflatur, ex quo ad ſatisfaciendum pro aliis delictis depromit quæ neceſſaria ſunt ad ſatisfaciendum Pontifex; atque adeò ex illis concedit Indulgentias, hoc eſt remittit pœnas debitas, ſiue ſatisfacit pro illis qui diuinæ iuſtitiæ obligabantur, vt ſuo loco dicturi ſumus. Neque aliud diſcrimen inter hanc bonorum operum communicationem, & indulgentiam modò quærendum eſt, quidquid de ratione S. Doctoris ſtatuatur. Sapienter tamen circa hanc bonorum operum communicationem cum indulgentia comparatam obſeruat Nauarr. *Notabili* 31. *de Indulgent. à num.* 20. per eiuſmodi communicationẽ confratres non liberari obligatione faciendi pœnitentias à Confeſſario ſibi iniunctas, ſicut neque eximerentur ea obligatione, ſi æqualem eiuſmodi pœnitentiam ipſi ſponte priuatim ſubiiſſent ſuſpenſis quoque indulgentiis, vti contingit tempore Iubilæi, non interdici hanc piorum operum communicationem hactenus explicatam. Quare etiam per bullas Cruciatæ, aliáſque ſimiles non prohibetur præſidibus monaſteriorum & Ordinum religioſorum, recipere aliquos in fratres & filios ſpirituales, & ipſi bona ſui Ordinis communicare. Denique indulgentia quodam reſpectu vtilior ea communicatione, alio verò eſt inutilior: vtilior quidem, quia per indulgentiam certiùs efficaciúſque ſoluitur pœna peccatis iam remiſſis debita, per communicationem verò bonorum operum, de qua loquimur, pœna illa debita non ſoluitur, niſi pro merito ſatisfactorio, quod ſupereſt illi communitati, cuius ſatisfactiones communicantur, quod totum incertum eſt, cùm illa bona opera & ſatisfactoria communicata, ſint tantùm finiti valoris, ac proindè certum eſſe nequeat nobis, vtrùm & quantum ſatisfactionis ſuperſit vel illi communitati, vel ſingulis eam conſtantibus; vt valeat aliis communicari. Aliundè tamen minùs vtilis dici poteſt Indulgentia communicatione, de qua diſputamus: quia Indulgentia ſolùm prodeſt ad extergendam pœnam hîc, vel in futuro ſæculo luendam: cùm tamen bonorum operum communicatio proſit etiam de congruo, tum ad reparandam gratiam ſanctificantem deperditam, tum ad eam augendam, firmiùs benè operandum, fortiùs carni & dæmoni reſiſtendum, aliáque eiuſmodi, de quibus agit Nauarr. *de ſententia excommunicat. cap. vltimo.* Quæ porro diſputata ſunt hactenùs de bonorum operum communicatione facta à Religioſorum Ordinum præſidibus ſiue laicis, ſiue aliis quos in ſuos fratres, & filios eligunt, valent quoque pro aliis confraternitatibus, in quibus ſimilis bonorum operum communicatio à tota confraternitate & ſingulis confratribus præſtitorum fit; in iis enim omnibus par omninò ratio eſt.

Tertia ſpecies piarum Confraternitatum, eſt cœtus piorum aliquorum laïcorum ad certa quædam opera præſtanda, iuuandi v.g. inopes, qui præ pudore ſuam tenuitatem prodere, vel mendicare nequeunt, viſitandi carcere detentos, luſtrandi Xenodochia, certis horis ac diebus viſitandi adorandique SS. Sacramentum Euchariſtiæ, recitandi Roſarium, aliáque permulta, quas confraternitates, vbi legitimè initæ & conſtitutæ ſunt, nemo pias & religioſas eſſe dubitare poteſt, atque pro nobilitate finis quem ſibi præfigunt, & operum quæ exercent, nobiliores, aut excellentiores eſſe nullus eſt qui neget. Eiuſmodi ex immani lue quæ circa Chriſti annum 255. toto orbe ſed maximè Alexandriæ graſſata eſt, excitata eſt ſodalitas Alexandrina, quæ omni ope, abiecto vitæ diſcrimine lue contactos foueret, apud Euſeb. *lib.* 7. *Hiſt. cap.* 17. *vel* 20. quæ ad infinitum penè numerum excreuit. His annumerant plerique Parabolanos, de quibus plurima conſtituit Theodoſ. *in ſuo Codice de Epiſc. & Clericis l.* 42. *& l.* 43. atque deinde Iuſtinian. *C. eodem l.* 18. De eorum nomine plura interpretes & nos *alibi*, hos quidem occaſione prioris illius Sodalitij Alexandrini excitatos, non tamen fuiſſe primos illos ipſos ſodales crediderim: erant enim Clerici, vt videre 11

eſt

eſt in *citatis legibus*, iiſque pollentes auctoritate, qui & turbas & factiones excitarint, ideoque & ab ipſis imperatoribus *citatis legibus*, & à Synodo Chalcedonenſi reprimendi fuerunt. De his clericis commodior erit dicendi locus, neque occaſione Sodalitij Alexandrini, de quo diximus ad hos Parabolanos excurrendum videtur, ne qualibet leui occaſione digrediamur longiùs à via, vt eruditi aliqui ſæpiùs faciunt.

Inſtituit quoq; Magnus Conſtantinus ſodalitatem ad ſepelienda cadauera defunctorum ex nongentis lecticariis, ſiue decanis quinquaginta ex diuerſis artium officinis, & ex ergaſteriis & Collegiis cũ immunitate ab omnibus publicis muneribus & vectigalibus, produnt aliqui, numerum auxit Anaſtaſius additis aliis centum quinquaginta officinis, vt omnes eſſent numero mille, & centum. Certos etiam reditus eidem ſodalitio attribuit, quæ omnia teſtatur *Nouella* 43. & 59. vbi Iuſtinianus perpetuo nomine λεκτικαρίων ἤτοι δεκανῶν vtitur, nos Veſpillones dicimus: verùm aliam eſſe Conſtantini, & Iuſtiniani mentem vide Cuiac. nam cùm ſumptus funerum faceret maior Eccleſia Conſtantinopolitana, Canſtantinus & Anaſtaſius vt eam tali ſumptu leuarent, deſtinarunt mille & centum tabernas ſiue ergaſteria atque officinas in præcipuis foris vrbis, vt ex earum reditu ſumptus iſtos funebres faceret, quod teſtatur Leo Imperator *Nouell. ſua* 12. qua iam conſtituta confirmat, quamuis in aliud miniſterium ad diuinum cultum, quàm ad ſumptus funerum officinarum eiuſmodi reditus Eccleſia diſpenſaret. Ex eis igitur officinis, earúmve inquilinis & habitatoribus alij defenſoribus Eccleſiæ præſtabant veſpillones, quos Iuſtinianus vocabat lecticarios, & Decanos & Copiatas *Non.* 59. & *l.* 4. *C. de ſacroſanctis Eccleſ.* & *l.* 1. *C. de collegiatis*, alij foſſarios, ſiue vt veteres vocarunt, Bargenas, aut Bergenas barbaros funerũ elatores. Gloſſæ veteres Bargina, νεκροφόρος βάρβαρος προςώποις βαρβάρω. Aliæ porrò tabernæ præſtabant œconomis Eccleſiæ eam in rem pecunias. Erant porro hæ tabernæ, & officinæ, liberæ & immunes à cæteris muneribus & intributionibus, non verò cæteræ tabernæ, quæ non erant funerum cauſâ Eccleſiæ deſtinatæ, minimè immunes erant, licèt ad Eccleſiam, aut alias domos pietati dedicatas, aut viros illuſtres, ipſamque domum Imperatoriam pertinerent. Vides itaque pium hoc Conſtantini, Anaſtaſij & Iuſtiniani inſtitutum nihil pertinere ad ſodalitates & confratrias, de quibus modò agimus, cùm ſumptus dumtaxat ad funera ſuppeditarint Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, eámque ob cauſam reditus tabernarum aliquot aſſignarint; illud tamen vetus inſtitutum quodammodo æmulantur, quæ quædam aliæ ſodalitates in Italia alibíque ad proſequenda funera inſtitutæ, quæ *Confraternitates mortis*, aut *Charitatis* dicuntur, de quibus agit Henricus Spondanus *in Annalium epitome anno Chriſti* 336. *num.* 14. & *tractatu de ſacris cœmeteriis.* Illuſtre hoc pietatis opus pluribus in Tobia commendat Ambroſ. *cap.* 1. *eius libri*, *Nihil hoc officio præſtantius conferre, qui vbi iam non poſſit reddere, vindicare à volatilibus, vindicare à beſtiis conſortem naturæ feræ hanc humanitatem defunctis corporibus detuliſſe produntur; homines denegabunt?* Similes alias Confraternitates ad pietatis certa quædam opera deſtinatas, vbique obuium eſt, Boſius *lib.* 9. *de ſignis Eccleſiæ, cap.* 5. ait S. Bonauenturam anno 1270. Romæ Archiconfraternitatem Gonfalonis condidiſſe. Vtrùm verò Bonauentura fuerit primus Confraternitatum author, vti affirmat Boſius, modo non diſputo, illum tamen minùs commodè reiicit Theophil. Reinaud. *in* 2. *par. Heteroclit. ſpiritual. ſectio.* 5. *punct.* 4. *num.* 6. ex parabolanis, lecticariis, & Decanis Bonauentura multò antiquioribus; neque enim illi inter has Confraternitates cenſeri poſſunt, vti oſtendimus.

QVÆSTIO II.

Quo iure regantur piæ Confraternitates.

An ſint pia loca, n. 1.
Quo iure regantur, n. 2. 3. & 4.
Obligatio illius iuris, n. 5.
De obligatione ſtatutorum, num. 3. 4. 5. 6 7. 8. & 9.

QVærendum imprimis eſt an iſtæ Confraternitates, vel, vt alij loqui malunt, Confratriæ cenſeri debeant inter pia & religioſa loca, gaudeántque eorum priuilegiis & immunitatibus, atque adeò de illis accipienda ſint iura & leges quæ de piis locis loquuntur: ita enim affirmare debent omnes, qui legatum piæ cauſæ relictum Confraternitatibus eiuſmodi dari poſſe concedunt, vt Bartol. *in l.* 1. §. *ſed religioſis. D. de Collegiis illicitis* Ioannes Andr. *in cap. Ioannes, de teſtament.* Abbas *volum.* 1. *Conſil.* 31. & alij, quos adducit Tiraquell. *de priuilegiis piæ cauſæ, in præfat.* Et ſanè cùm in eiuſmodi Confratriis plurima pia opera exerceantur, & eum in finem inſtitutæ ſint, non eſt vlla ratio, propter quam negemus legatum illis factum, in piam cauſam factum eſſe; quod affirmat Gloſſa *in pragmaticam ſanctionem, tit. de Annatis, verſ. Beneficiorum*, quam ſequuntur Alexander, Decius, & alij, quos refert Rebuff. *Tomo* 2. *in conſtitut. Gallic. tit. de Confratriis, num.* 3. quos etiam dabit Gutierres *lib.* 1. *Canonic. quæſtion. cap.* 35. *num.* 8. Communior tamen veriórque ſententia Gutierres eiuſd. *n.* 9. Rebuffi, & cæterorum negat, has Confraternitates, quæ ex laicis conſtant, eſſe pia loca, aut pro talibus haberi poſſe & debere. I. quia coram iudice laico & & non Eccleſiaſtico conueniuntur, & nullam in eiuſmodi Confratres peculiarem iuriſdictionem habet Epiſcopus. II. quia falſum eſt, legatum relictum pio, & religioſo loco ſolui poſſe Confraternitati, niſi fortaſſis annexum habeat Xenodochium, ſiue quodpiam hoſpitale, quã eſſe DD. communiſſimam ſententiam demonſtrat Menochius *de recuperand. poſſeſſ. remedio* 15. *num.* 31. ideoque ex legatis factis alicui Confraternitati deducendam eſſe Trebellianicam exiſtimabat Baldus *Conſilio* 6. *quod incipit, In teſtamento*, quem & alij ſequuti ſunt, ſed malè: quia licèt Confratria non ſit pius locus, quæ tamen illi relinquuntur in pios vſus & piam cauſam relinquuntur, vt ratiocinatur Paul. Caſtrenſis *lib.* 2. *Conſil.* 167. *quod incipit, Præſuppoſita, num.* 3. Quare neque etiam ex ſimilibus legatis quartam Epiſcopo non deberi affirmauit Menoch. *l. cit. num.* 1. III. Confraternitates non gaudent beneficio reſtitutionis in integrum, ſicut gaudent alia pia loca ex Ancharano *in cap. auditis, in* 2. *quæſt. de in integ. reſtitut.* addit Menoch. *num.* 32. ex Iaſone Doctores publicè docentes poſſe expellere ex habitatione vicina fraternitatem diſciplinatorũ, ſicut & fabrum ferrarium, aliόſve artifices, qui voce inconcinna, aut tumultu importuno illis impedimento ſunt, quod intellige ſi Doctor in ſua habitatione ſimiles artifices præuenerit. 4. harum Confraternitatum bona poſſunt alienari abſque ſolemnitate, quam ius Canonicum exigit in alienatione rerum Eccleſiæ &

& piorum locorum, & poteſt hæc Confraternitas de ſuis bonis ſicut de ſæcularibus liberè diſponere ex communi DD. ſententia, quam dabit Gutierres *c.* 35. *citato n.* 16. eſt igitur Collegium profanum, ſæculare, & non priuilegiatum. Neque Epiſcopus poteſt ſe in eiuſmodi bonis immiſcere, & de illis rationem ab eorum miniſtratoribus exigere, quod ego ita intelligo, vt Epiſcopi auctoritate fundatæ non fuerint Confraternitates, aut peculiari ſtatuto, in earum fundatione ius illud ſibi non reſeruarit, aut etiam in eius vſu non fuerit hactenus, aut denique niſi nouum Tridentini decretum *ſeſſ.* 22. *cap.* 9. in mores inductum ſit. Vide Gutierres *cit. cap.* 35. *à n.* 17. vbi *num.* 28. circa hanc Epiſcopi in Confraternitates, & earum bona iuriſdictionem plures caſus ſapienter diſtinguit: primo enim ſingulæ perſonæ Confratriæ poſſunt pro arbitrio ab ea recedere, modò nihil ſibi ea bonis illius retineant, alioqui ex reſtituere tenentur, priùs quàm Confraternitati renuncient. Secundò ſi bona confratriæ acquiſita quocunque modo ſunt, vt illis ſuo commodo vteretur, & pro arbitrio illa tractaret, ſiue de iis, vti commodum videretur, diſponeret, non habebuntur niſi vt bona Collegij ſæcularis, neque legibus Canonicis de alienatione rerum Eccleſiaſticarum obnoxia erunt. Tertio, ſi tùm fraternitas, tùm eius locus vel oratorium, ad Dei cultum dicatum ſit, ciúſque bona comparata ad oratorij illius opera, vt miſſas faciendas, alendos pauperes, aliáve ſimilia, ſiue illis Epiſcopi cõſenſus acceſſerit, ſiue non, locus ille pius erit, & bona illius pariter, quæ pro libito non poterunt alienari ſine conſenſu communitatis, & Epiſcopi auctoritate, vt in aliis piis & religioſis locis: & ſi lædi contingat Confratriam in eiuſmodi alienatione, competet ipſi reſtitutio in integrum, atque ſi controuerſia moueatur vel de rebus communitatis, vel de eius perſonis recipiendis, vel reiiciendis & expellendis, coram iudice Eccleſiaſtico, & non laïco contendendum erit: quia ipſa fraternitas quoad iſta, eſt annexa Eccleſiæ, quod maximè verum eſt in confraternitatibus ab Epiſcopo approbatis, vel inſtitutis, quia non niſi ad diuinum cultum tunc inſtituuntur. Quartò piarum fraternitatum viſitationem habet Epiſcopus & ius inquirendi an bona eius, & à fundatoribus aliiſve relicta expendantur in vſum, ad quem collata ab illis ſunt, ex decreto Tridentini nuper adducto. An vero, ſi quod ius patronatus competat iſtis fratriis, dicatur illud laïcum, an Eccleſiaſticum, diſputat Lambertin. *lib.* 1. *de iure patronat. prima quæſt. principali*, 1. *part. artic.* 10. & nos *alibi*.

2 Ex his omnibus ſequitur Confratrias iſtas, etiam pias regi iure communi, niſi vel ab illo in aliquo particulari eximantur, & in quibuſdam pro ratione bonorum ſuorum, aut finis vel inſtitutionis peculiari Epiſcoporum iuriſdictioni ſubſint, vti diximus, & in certis quibuſdam cauſis teneantur iudicem Eccleſiaſticum, & non laïcum adire.

In cæteris verò ſua peculiaria habent inſtituta, vel à ſe ipſis vel auctoritate publica, tum laica, tum Eccleſiaſtica conſtituta pro ratione eorum, quæ ſtatuuntur, & quidem poſſe eiuſmodi à confratribus inſtitui non repugnantibus legitimis ſuperioribus, pluribus habet Angelus *verſ. collegium, num.* 1. & *verſ. Confraternitas, initio.* Et ſanè collegia etiam particularia licita eſſe, ſi fiant ob iuſtam cauſam, maximè religionis intuitu, & nihil contra leges contineant, admittit Martianus *l.* 1. *D. de Collegiis illicitis*, & oſtendit, Rebuf. *de confratriis, n.* 1. Gutierres *l.* 1. *qq. Canon. c.* 35. aliique.

3 Ab ipſiſmet confratribus ſtatuta condi poſſe, non repugnante publica poteſtate aut legibus, æque apud omnes certum eſt, & probat Nauarr. *Miſcell.* 4. *de Roſario n.* 3. dixitque etiam Caius Iuriſconſultus *l. fin. de Collegiis illicitis*, quamuis ad maiorem auctoritatem conciliandam ſoleat peti à maiori auctoritate eorundẽ ſtatutorum confirmatio, maximè cùm facile dubitari queat an in illis aliqua reperiantur quæ ſuprema quadam auctoritate, an ſaltem maiori, quàm ſit in confraternitate ipſa indigeant; quod oſtendit Nauarr. *in Confraternitate Roſarij, Miſcellaneo* 4. & 5.

Circa obligationem porrò iſtorum ſtatutorum dicendum primò eſt, non ſeruantes hæc ſtatuta quatenus præcipiũt aliqua opera ad quæ nulla eſt aliundè obligatio, aut prohibent aliqua per ſe non mala, neq; aliũdè vetita aut illicita, non peccare, niſi fortaſſis ratione conſcientiæ errantis, ſed ſolum perdunt participationẽ bonorum operum, quæ fiunt à Confratribus toto orbe Chriſtiano, eo die quo iſta præcepta facere omiſerunt. Ita Nauarr. *Miſcell.* 4. quod ego ita interpretor, vt ſi tota communitas voluerit ſponte ſe obligare ad culpam non obſeruando aliquod ſtatutum, reuera ſic peccent, ſed hæc obligatio inducenda non eſt niſi de ea clarè conſtet. 4

2. Qui ratione valetudinis aut alicuius alterius impedimenti legitimi nequit præſtare, quod ſtatuta imperant, non tenetur ea per alium quempiam facere, vt recitare Roſarium, audire miſſam. Nauarr. *Miſcell.* 7. alioquin Clerici, qui tenentur ad Horas canonicas ex Eccleſiæ præcepto, quod magis obligat, quàm ſtatutũ Fratriæ alicuius, tenerentur cùm ægrotant eaſdem Horas per alium quempiam recitare, aut recitantes audire, quod contra Girardum ſapienter negat Nauarr. *in Enchyridio de orat. cap.* 11. *num.* 6. 5

3. Falſum eſt eum fratrem qui ſtatutum obſeruat per alium, v.g. recitat Roſarium, aut Miſſam audit, tantum lucrari, quantum ſi per ſe ipſum idem præſtaret, quod malè dicitur in ſtatutis Roſarij primæ inſtitutionis poſitum, & ex confirmatione eiuſdem Confraternitatis ab Alexandro Epiſcopo Forojulienſi in Germania legato ſupplicante Friderico III. Cæſare, & eius vxore Agnete, Coloniæ an. 1476. factâ colligunt. Hãc opinionẽ multis reiicit Nauarr. *Miſcell.* 9. cùm naturali humano, & diuino iuri repugnet bona, vel mala opera aliena, ſiue per alios facta, tantumdẽ prodeſſe, vel nocere; quantùm propria facta, quamuis quoad aliquos peculiares effectus proſint, aut noceant. Quare Deus per Ezechielem minatur *c.* 18. *Anima quæ peccauerit, ipſa morietur,* & *ad Galat.* 6. *Opera illorum ſequuntur illos.* Leges verò prohibent filios pro patribus & vxores pro maritis puniri *toto C. ne filius pro patre,* & *C. ne vxor pro marito.* Et ſanè ieiunium alterius non te diſponit ad ſeruandam caſtitatem, neque eius oratio, ne mens tua ad vana vagetur: poterit quidem alienum opus tibi quoad expiationem, & ſatisfactionem pœnæ debitæ etiam de iuſtitia & de condigno prodeſſe, ſi cum debita intentione tibi ab operante applicetur, non tamen quoad vim meritoriam gratiæ ſanctificantis, ſaltem de condigno & de iuſtitia, vti Richard. & Bonau. *in* 4. *diſt.* 13. aliique Theologi paſſim docent, & nos ſuo loco 12. expoſuimus. Vnde factum alienum non æquè prodeſt, aut nocet, quàm proprium, & quãuis quandoque factum alienum reputetur vt propriũ: nam factum mãdatarij habetur pro facto mandantis; id tamen neque eſt vniuerſaliter verum, neque ſimpliciter, quia non eſt verè factum proprium, ſed tantum fictè, vt communis Gloſſa notat *in C. qui per alium de regulis iuris in* 6. *verſ. & perindè*, ideoq; excommunicatio lata contra facientem non includit conſulentem, & mandantem, niſi id diſertè exprimat; quod idem oſtendit Nauarr. *in Enchyrid. cap.* 27. *n.* 51. Quia diſpoſitio in caſu vero, non extenditur ad caſum fictum, ideoque tandẽ negat illud ſtatutum Confraternitatis Roſarij Nauarr. & malè ex verbis Alexãdri ſtatuta illa confirmantis colligi. Concedit dumtaxat Alexander indulgen- 6

Indulgentiam 40. dierum fratribus tertiam ſaltem partem Roſarij per ſe, vel per alium recitantibus. Vnde malè infertur recitationem Roſarij per alium factam æquè prodeſſe, atque propriam, vel per te ipſum factam, cùm inde tantùm ſequatur valere duntaxat ad lucrandam indulgentiam ex ſpeciali concedentis fauore & beneficio. Ait itaque Nauarr. *Id inſertum ab aliquo fratre pio, qui pietate iuriſprudentiam ſuperante arbitratus fuit hanc extenſionem vtilem fore, cùm tamen nec causâ pietatis, nec humilitatis ſit à vero recedendum.* Quod ex Auguſtino, Iſidoro, Thoma, & Beda oſtendit, quare *Miſcellaneo* 28. negat Nauarr. eum qui recitat per alium, lucrari indulgentiam recitanti conceſſam.

Quartò qui debet ex confratriæ ſtatuto recitare
7 Roſarium, aliámve orationem, ſatisfacit obligationi recitando diuerſis horis illius temporis, intra quod recitare tenetur, ita Nauarr. *Miſcellaneo* 17. & *in Enchiridio de orat. cap.* 10. *n.* 37. quia reuera recitat integram orationem intra tempus præfixum, neque quidquam aliud requiritur quàm vt eo tempore recitet & non vt ſimul eodémque vno tenore recitet.

Quintò Confrater qui non impleuit præcepta ope-
8 ra Confratriæ, etſi ex negligentia grauiori peccarit, non tamen caret gratiis, & priuilegiis Confratriæ conceſſis, vt eligendi Confeſſarium, audiendi diuina officia tempore interdicti, iniuncto tamen illi aliquo onere. Nauarr. *Miſcell.* 29. 30. & 31. ſicut Clerici & religioſi peccant non geſtando habitum, non reſidendo, non recitando Officium, non amittunt tamen eo ipſo priuilegium Canonis, neque ſua beneficia, atque gratias ſuo conceſſas Ordini.

Cauenda verò ſunt in omnibus iſtis Confratriis anomalia quædam, vt vocat Theophil. qui & eas fusè
9 recenſet 2. *parte Heteroclit. ſect.* 5. *punct.* 4. *à n.* 7. Primo quod eo die quo quis in Confratrem admittitur inſtruatur ab illo lautũ ſodalibus omnibus conuiuiũ, quam, vt vocat Nauarr. corruptelam prohibitam eſſe à Trident. *ſeſſ.* 24. *c.* 14. atque à Concilio Senonenſi *in decretis morum cap.* 3. & denique ab Ethnicis ſodalitatibus, in quibus ſolitũ erat mutitare, hoc eſt Gellio interprete mutua agitare cõuiuia, contendit Theoph. 2. Penſitatio certæ pecuniæ aut penſionis, vt quis admittatur in pium cœtum: ſi detur in pretium admiſſionis, ſimoniaca eſt, ſi pios alios ob fines, vt ſactam ſupellectilem, procurandas miſſas, & alia ſimilia, caret labe, ſiue ſtatutum de ea pecunia pendenda concipiatur verbis negatiuis, ſiue affirmatiuis. Itaq; ſentiunt omninò Antonin. 2. *p. tit.* 1. *cap.* 5. §. 19. Angelus *verſ. ſimonia* 3. §. 27. Sa *verſ. eodem n.* 2. fauétque Trident. *ſeſſ.* 24. *cap.* 14. vbi probat aliquod dari in aditu beneficij non per modum pretij, ſed ad aliquos pios vſus, vt diximus. Vide Suar. *lib. de ſimon. cap.* 15. *n.* 7. & Gutierres *lib.* 1. *Canon. qq. cap.* 29. *num.* 13. & *cap.* 35. *n.* 5. Rebuf. *tractatu de confratriis n.* 4.

Tertio nefas porrò eſt contentum eſſe admiſſione
10 in ſodalitiũ, neglecto officio & operibus quæ ab illo præſcribuntur, quod quàm exitioſum ſit fuſiſſimè proſequitur Theoph. *l. cit. à n.* 9. *ad* 27.

Quarto peccant ſi nobilitatem ſodalitij in vanâ
11 quadam oſtentatione pietatis, pompâ & ſplendore conſtituant ſodales, certentque eâ ratione cætera ſodalitia vincere, aut etiam numero, & multitudine, quam vnam ambitioſè affectantur. In vtramque hanc labem eruditè inuehitur *puncto citato* Theoph. *à n.* 27. *ad* 37. quem non ſine vtilitate leges, ſicut & de peruerſa illa perſuaſione, certam omninò eſſe ſalutem ſodalibus, aut non niſi breuiſſimam in Purgatorio moram; quod quàm ſtultum ſit demonſtrat idem Auctor.

CAPVT IX.

An Princeps laïcus poſſit ius Canonicum & Eccleſiaſticum præſcribere.

QVÆSTIO I. *Quid poſſit Princeps laicus circa doctrinæ dogmata.*

QVÆSTIO II. *Quid poſſit Princeps circa conſtituendam diſciplinam Eccleſiaſticam.*

HÆc poſtrema quæſtio circa auctorem iuris Canonici nobis explicanda reſtat: quia verò ius Canonicum, vti *c.* 1. *huius libri diximus*, duo præcipuè capita complectitur, dogmata nimirùm fidei, & diſciplinam Eccleſiaſticam, quæ nomine Canonum & legum Eccleſiaſticarum deſignatur, quærimus, quid circa vtrumque hoc caput poſſit Princeps laïcus.

QVÆSTIO I.

Quid poſſit Princeps laïcus circa doctrinæ Chriſtianæ, ſiue fidei dogmata ſancienda.

Interfuere Conciliis Oecumenicis, cur, & quando, n. 1.

Tuiti ſunt Conciliorum definitiones, n. 2.

HÆc quæſtio prorsùs definita videtur ex iis, quæ 1
fusè diximus *ſuperiori cap.* 4. *q.* 3. *n.* 1. de indictione Conciliorum Oecumenicorum, in quibus fidei dogmata firmentur & declarentur, damnentúrque hæreſes: à ſolo enim Romano Pontifice eiuſmodi indici & conuocari poſſe, & obligare Epiſcopos totius orbis præſentes ſe illis, ſaltem per ſuos vicarios ſiſtere demonſtrauimus, quamuis Cæſares ad illa inuitare ipſos queant, ſed potiſſimum *q.* 4. *n.* 1. 2. & 3. oſtendimus Imperatorem eiuſmodi Synodo præſidere non poſſe, immo neque definitioni cauſarum, & controuerſiarum ſe immiſcere nullatenus poſſe, certiſſimis ipſorummet teſtimoniis euicimus. Et ſanè Arium Synodus Nicæna non Conſtantinus; Macedonium Synodus Conſtantinopolitana, non Theodoſius; Neſtorium Epheſina, non Theodoſius Iunior; Eutychetem Chalcedonenſis, non Marcianus dãnarunt: poterant tamen principes Synodis Oecumenicis, vbi de fide tractabatur, intereſſe, exemplo Magni Conſtantini, quod ſe æmulari dixit Marcian. *orat. ad Synod. Chalcedon. act.* 4. *Nos enim* (inquit) *ad fidem confirmandam, non ad poteſtatem aliquam oſtendendam exemplo religioſi principis Conſtantini Synodo intereſſe voluimus*, vel ne vlterius populi prauis perſuaſionibus *ſeparentur*. Rationem verò reddit Nicola. I. *Ep. ad Michaël. Cùm tractatibus de fide intereſſe poſſint principes, quia illa vniuerſalis, & cõmunis eſt, quæ non ſolùm ad Clericos, verùm etiã ad laïcos, & ad omnes omninò pertinet Chriſtianos. VIII.* Synodus Nicolaum ſequuta idem eadem de cauſa permittit Principibus, œcumenicis Synodis, cùm de fide agitur, adeſſe: non tamen illis permittit eiuſdẽ fidei definitionẽ. Quare cùm patricius Florentius iuſſu Theodoſij Imperatoris interfuit Synodo Conſtantinopolit. ſub Flauiano Archiepiſcopo contra Eutychem habita, id factum ait ipſemet Imperator in ſuo reſcripto relato in Concil. Chalcedon. *Act.* I. quia de fide ſermo erat, ἐπειδὴ λόγος περὶ πίστεως ἦν, non quod Florentio, liberum eſſet de fide tractare. Quare cum in actis in-

interlocutio

terlocutio Florentii legeretur his verbis: *Qui non dicit ex duabus naturis, & duas naturas, non credit rectè*, negat ipſe ſe quidpiam tale fuiſſe interlocutum: nefas enim ſibi eſſe de dogmatibus definire, ὐ γὰρ ἐγὼ ἴδιόν τι ἤμην δογματίζειν. Reddit igitur rationem Theodoſius, cur velit Patricium Florentium Synodo Conſtantinopolitanæ adeſſe contra Eutychem, quia in ea ſermo de fide habendus erat, propter quam cauſam Imperatores Oecumenicis Synodis adeſſe poterant.

Fidem verò ab Eccleſia definitam magnis animis Imperatores tuiti ſunt, & hæreticos damnarunt, pœnis etiam indictis, vt conſtat ex legibus & conſtitutionibus Conſtantini Magni, Valentiniani Senioris, Gratiani, Theodoſij Magni, Valentiniani Iunioris, Arcadij, Honorij, Theodoſij Iunioris, Valentiniani 3. & Placidiæ, quæ reſeruantur *lib. 16. C. Theod. tit. 5. de hæreticis*, quem conſule, & aliis locis *eiuſdem C.* ex quibus conſtabit quanta ſollicitudine piiſſimi principes, ad veram fidem errones iſtos reuocare conati fuerint, & tandem obſtinatos pœnis mulctarint, quæ omnia diligenter collegit Iacobus Gothofredus, *ad tit. 5. lib. 16. Cod. Theodoſ. in paratitlis ad illum tit. 5.* quem legiſſe non pœnitebit: nos aliò properamus, & de his iterum agendi locus erit *alibi*, vbi de hæreſi.

QVÆSTIO II.

Quid poſſit Princeps circa conſtituendam diſciplinam Eccleſiaſticam, ſiue an ſacros Canones & leges Eccleſiaſticas ſancire valeat.

Quid ſit tuitio, quid confirmatio Canonum, n. 1. & 2.

Princeps non fert propriè leges Eccleſiaſticas, n. 3. 4. 5. 6. & 7.

Neque facit nouum ius Eccleſiaſticum, numero 7. & 8.

Eſt tutor Canonum, n. 9. 10. 11. & 12.

In quo conſiſtat ea tuitio & confirmatio, numero 13. & 14.

Quomodo fieret, n. 15.

Edicta regia non ſunt contraria Canonibus, num. 16.

Quod in regibus Franciæ fuſiſsimè oſtenditur reliquo capite.

1 NOn quærimus hoc loco an Clerici & Eccleſiaſtici legibus principum ſint obnoxij, ſicuti cæteri ciues; ea enim quæſtio *alibi* diſputanda eſt, cùm agetur de immunitate Eccleſiaſtica, ſed quærimus vtrùm Principes valeant Canones & leges Eccleſiaſtic. ferre de ipſa ſacra & diuina diſciplina, de ritibus, & cerimoniis, de Sacramentis, Cleri Cenſura, conditionibus, & functione, criminibus mere Eccleſiaſticis, & eiuſmodi aliis ad cauſam religionis ſpectantibus, conſtituere Epiſcopatus & Metropolitas, de quibus & ſimilibus in vniuerſum ſic pronuntiat Petrus de Marca in eruditiſſimo opere *de concordia Sacerdotij & Imperij l. 2. c. 7. n. 8. vnde eſt quod de ritibus, cerimoniis, Sacramentis, Cleri Cenſura, functione, conditionibus & diſciplina, Canones à Conciliis & decreta à Pontificibus Romanis tanquam de materia ſibi ſubiecta frequentiſſimè edantur, & vix vlla proferri poſſit conſtitutio Principum quæ hac de re lata fuerit ex mero poteſtatis ſæcularis imperio, ſequutas quidē hac in parte leges publicas videmus, ſed non anteceſſiſſe.* Quæ vniuerſalis doctrina vt ampliùs & ſingillatim explicetur confirmetúrque, quod *capitibus ſequent. & initio lib. 4.* perſtitit ipſemet Marca.

Obſeruandum eſt aliud eſſe legem ferre, aliud illam tueri, confirmare & exequi. Lex continet præcepta quibus publica poteſtas & auctoritas quidpiam iubet aut præcipit, in quonam verò reſideat illa poteſtas ratione legum Eccleſiaſticarum diximus hactenus *toto iſto l.* in quo quæſiuimus quiſnam poſſet ius Canonicum & Eccleſiaſticum conſtituere, quod etiam quiſq; facilè definiet, ſi obſeruet ad legem ferendam opus eſſe poteſtate tum in perſonas, quibus fertur, & quas obligat, tum in rem, ſiue materiam, quæ iubetur, vel prohibetur, ſiquidem lex non obligat niſi ſubditum & dumtaxat circa materiam, quæ aliquo modo eſt in poteſtate præcipientis: quis enim de gazis & theſauris Turcæ quidpiam præcipiat? Tuitio legum eſt repulſio eorum, qui eas impugnant, aut qui earum obſeruationi ſe opponunt, & impedimenta obiiciunt. Confirmatio eſt legis iam latæ iterata ſanctio vel vſus, in quem inducitur; eo enim ipſo conſtat legem latam probari & vigere. Executio denique propriè attingit eos quibus lex eſt impoſita, qui illam obſeruare debēt, & comprehendit tùm tuitionē, tùm confirmationem, atque pœnam violantibus legem infligit. Aduertit porrò Marca *lib. 4. Conc. c. 1. n. 2.* in diſciplina Eccleſiaſtica & eius legibus, de quibus modò agimus, executionem & tuitionem Canonum aliquando confundi: nam Leo I. *Ep. ad Synodum Chalced.* ſe Canonum & traditionum antiquarum cuſtodem eſſe dicit & Facundus Hermian. nominat Martianum Imperatorem, *Executorem Canonum, non autem conditorem.* Itaque hac in parte Marca ait, executionem Canonum propriè reſpicere iuriſdictionem Eccleſiaſticam, cuius eſt iudicia Canonica reddere, pœnis Canonicis, excommunicatione, ſuſpenſione aliiſque reos plectere, & deníque ligandi ſoluendique Pontificium exercere: tuitio verò Canonum pendet à principibus, qui cuſtodiæ Canonum proſpiciunt, & eorum, quæ aduerſùs eos geſta ſunt, nullitatem declarant, atque ita omnia in integrum reſtituunt. Neque vltrà progreditur ad executionem Canonum, quam ab Epiſcopis implendam indicit. Quare principes non vtuntur eadem auctoritate in rebus Eccleſiaſticis, qua in ſæcularibus, idque apertè fateri Iuſtinianum, qui *Nouell.* 137. ſcribit datam ſibi à Deo fuiſſe legum ciuilium, τὴν ἐξουσίαν, id eſt plenam & liberam poteſtatem figendi ſcilicet & refigendi: legum verò Eccleſiaſticarum & Canonum, τῶν ἱερῶν κανόνων καὶ θείων νόμων παραφυλακήν, cuſtodiam, tuitionem, & defenſionem. Indè verò Græci ſcriptores monent difficiliùs ſolui. Canones quàm publicas leges, quæ à ſolo Principis nutu pendent, cùm Canones ab Epiſcopis conſtituti, & à principibus firmati fuerint: atque adeò illorum valdè interſit, ne quod ſumma cura decreuerunt, illis inuitis, aliquando ſine cauſa infringatur. Hactenus ferè Marca. His obſeruatis,

Aio primò principes laïcos non poſſe de fide quidquam definire & leges de dogmatibus Chriſtianis primi ferre, aut definitionibus Eccleſiæ contrarias præſcribere. Hæc aſſertio certa & Catholica eſt, manétque probata *ex quæſt. ſuperiori*, ac locis in ea relatis. Quare in illa non videtur immorandum ampliùs. Hinc porrò ſequitur non licere iiſdem principibus controuerſas de fide quæſtiones ſuis legibus dirimere, vt eodem loco diximus; atque, vt referebamus ex Theodoſio, *Epiſt. ad Synodum Epheſin.* quæ eiuſdem Synodi 1. *parte* refertur *cap.* 35. ἀθέμιτον τὸν μὴ τοῦ καταλόγου τῶν ἁγιωτάτων ἐπισκόπων τυγχάνοντα τοῖς ἐκκλησιαστικοῖς σκέμμασιν ἐπιμίγνυσθαι. Quibus verbis

reddit rationem, propter quam prohibuerat Condidiano, quem ad Synodum miſerat, ſe eiuſmodi quæſtionibus immiſcere. *Candidianum*(inquit)*ad ſacram veſtram Synodum abire iuſſimus, ſed ea lege, & conditione, vt cum quæſtionibus & controuerſiis quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quidquam commune habeat*, καὶ μηδὲν μὲν ταῖς περὶ τῶν δογμάτων γινομέναις ζητήσεσιν, κοινωνῆσαι ἀθέμιτον γὰρ, vti iam retulimus.

4 Aio ſecundò non licere Principibus laïcis de diſciplina merè Eccleſiaſtica conſtituere & nouas leges præſcribere, vnde S. Maximus Abbas in collatione cum principibus in Secretario anno 655. quam nuper edidit Sirmondus, vbi dixit: *Quoniam Sacerdotum eſt quærere, ac definire de ſalutaribus Eccleſiæ Catholicæ dogmatibus.* Principes cum quibus agebat Maximus, qui typum à Conſtante Imperatore de vna in Chriſto voluntate Maximo obtrudebant, vt ei conſentiret, reponunt: *Ergo non eſt omnis Chriſtianus Imperator etiam Sacerdos.* Quod ipſis concedit Maximus. *Non eſt*, inquit, *neque enim adſtat altari, neque poſt ſanctificationem panis exaltat eum dicens ſancta ſanctis, neque baptizat, neque Chriſmatis confectionem patrat, neque facit Epiſcopos vel Preſbyteros, aut Diaconos, neque linit Eccleſias, neque iudicia Sacerdotij fert, ſuperhumerale ſcilicet, & Euangelium, quemadmodum Imperij coronam & purpuram.* Quia verò iterùm obiiciebant Melchiſedechum regem & Sacerdotem fuiſſe, ait Maximus illum typum geſſiſſe Chriſti Regis & Sacerdotis immortalis; non verò cæteris Regibus ad eandem dignitatem præiuiſſe, quod deindè dixit Facundus Hermianenſis *lib.* 12. *cap.* 3. vbi ait Chriſti ſolius eſſe cum Sacerdotio regnum habere, *quoniam etſi quidam reges in eius venturi figuram Sacerdotio functi ſunt, tamen cùm manifeſta lux veniret in mundum, vmbras remouens futurorum, nulli alteri dedit quod ſibi ſingulare ſeruauit; ſed in diuerſis ſua dona diſtribuens, ſic quæ propria ſunt Sacerdotij interdixit. Quocirca quemadmodum vir ſapiens non profanum iudicaret hoc velle videri, quod ſolus eſt Chriſtus*, atque ita Auiicorum adulationes Imperatori Occidentes repellit, atque deindè ineptas Balſamonis meditationes, in meditatione de Patriarchis, vbi ineptiſſimè poteſtatem Imperatoriam eandem omnino facit cum Patriarchali.

5 Neque dicas Imperatorem poſſe controuerſias de fide dirimere & amicâ quadam compoſitione conciliare, pacis conſtituendæ causâ inter diſſidentes. Reſpondeo enim cum Concilio Lateranenſi, ſub Martino primo an. 642. celebrato *Secretario* 4. poſt lectam in Synodo Heraclij exthesim quam Pirrhus & Sergius & Paulus Conſtantinopolitani, & Cyrus Alexandrinus cum ſuis Synodis probarant, vti Orthodoxam, & lectum quoque in hoc ſecretario Conſtantis typum, quibus iſti Imperatores vnam vel duas in Chriſto operationes dici prohibebant, ſed vnum duntaxat in duabus naturis operantem afferi volebant, & permittunt vt diſſidia Monothelitarum cum Catholicis dirimerent, de his, inquam, Synodus Lateranenſis ſic pronuntiat: *Sancta Synodus dixit: Relectus typus bonum quidem intentum habere dignoſcitur: diſſonantem autem veritatem intentui continet, bonum eſt namque procul dubio & omnibus timentibus Deum deſiderabile, cohibere diſſenſiones & altercationes pro cauſa fidei: ſed non eſt vtile & bonum, cum malo deſtruere bonum, id eſt cum hæreticis Orthodoxorum Patrum verba & dogmata; quoniam hoc potiùs exurit; non enim mitigat merito in controuerſiarum ſtantium, nullo videlicet patiente denegare cum impietate hæretica venerabile verbum fidei: ſimiliter namque eſt & inhoneſtum, malum amplecti, & cum eodem bonum indiſcretè proiicere: quoniam vtrumque iuſtitiæ perimit traditionem.* Mitto cætera quæ eo loco proſequitur Synodus, quibus ſimiles conciliationes fidei Catholicæ cum hæreticis dogmatibus improbat. Et ſanè ex impoſſibiles ſunt; cùm enim fides vna ſit & indiuiſibilis, non poteſt vna pars aſſertionis Catholicæ ſuſtineri, & altera reijci ac negari, maximè cùm eæ ſint contradictoriæ immediatè vel mediatè, vt in exemplo Conſtantis typi, & exthesis Heraclij: vel enim dicendæ ſunt duæ voluntates & operationes in Chriſto, vel vna tantùm, duæque illæ propoſitiones non poſſunt ſimul eſſe veræ, neque ſimul falſæ; alioquin nulla eſſet in Chriſto voluntas & operatio, cùm neque ſit vna, neque multiplex, & ineptè loquuntur, cum reſpondent, vnum eſſe Chriſtum operantem in duabus naturis, nam ſic vtriuſque naturæ operationes fateantur oportet. Quod ſi velint eſſe vnam operationem ex duabus compoſitam, quam vocant Deivirilem, iam vnam operationem fatentur, & æquè dicent vnam eſſe in Chriſto naturam ex duabus compoſitam, ſicut & vnam operationem, atque ita cum Eutyche ſapient. Vides igitur nullam Catholicæ fidei & hæretici dogmatis conciliationem fieri, aut cogitari poſſe, cùm hæretica prauitas omninò tollenda ſit, & Catholica definitio illibatè ſeruanda: non eſt verò laïci principis, vti iam oſtendimus, Catholicum dogma definire, neque etiam explicare, & cum oppoſita prauitate hæretica componere, quocumque ex fine diſſenſionum cum hæreticis componendarum.

6 Iam verò quod addebamus non poſſe principes de diſciplina Eccleſiaſtica, ceremoniis in ſacrorum miniſterio, & functionibus ſacris Sacerdotum quidquam noui conſtituere, quod aliqui exemplo Regum Iudaïcorum, qui Sacerdotibus vices ſuas, & Leuitis ſacra munia diſtribuebant, ſibi licere ſunt arbitrati, audi Gelaſium P.R. *in Ep. ad Anaſt. Imp. Noſti enim, fili clementiſſime, quod licèt præſideas humano generi dignitate, rerum tamen præſulibus diuinarum deuotus colla ſubmittas, atque ab eis cauſas tuæ ſalutis expetis inque ſumendis cœleſtibus ſacramentis, eiſque, vt competit, diſponendis ſubdi te debere cognoſcis religionis ordine, quam præeſſe noſti.* Atque hæc cauſa eſt, cur Gregorius II. in Leonem Imperatorem, cæterique Pontifices in conſequentes Imperatores Iconomichos vſque adeo inuecti ſint, cum Imaginum cultus ad ceremonias referri poſſent. Notatus certè eſt Iuſtinian. qui *Nouell.* 137. verba myſtica conſecrationis Euchariſtiæ, elatâ non demiſsâ voce, vti ſolemne erat, pronuntiari voluit, μὴ κατὰ τὸ σεσιωπημένον, ἀλλὰ μετὰ φωνῆς, neque ratio deeſſe videbatur Iuſtiniano, vt nimirum idiotæ, *Amen* ſuccinere poſſent. Sed eius non erat de Liturgiæ ritibus qui præcipuam diſciplinæ Eccleſiaſticæ partem continent, ſtatuere, & contra communem ac ſolitum Eccleſiæ vſum quidpiam immutare, vt enim reuerentia ſacris myſteriis conciliaretur, preces myſticæ ſecretò & demiſsâ voce ſolebant efferri, quod de Oriente teſtatur Baſil. *lib. de Spiritu ſancto cap.* 27. originem huius ritus deducens ab Apoſtolis, οἱ τὰ περὶ τὰς ἐκκλησίας ἐξ ἀρχῆς διαθεσμοθετήσαντες ἀπόστολοι, καὶ πατέρες ἐν τῷ κεκρυμμένῳ καὶ ἀφθέγκτῳ, τὸ σεμνὸν τοῖς μυστηρίοις ἐφύλασσον, de Occidente verò multis ſæculis poſterior Alcuinus *lib. de diuinis nomin. capite* 40. Inſigne eſt hanc in rem quod *alibi* retuliſſe me memini; cùm enim Martianus quædam capita circa Clericorum & Monachorum diſciplinam conſtitui vellet, vt Monachi Epiſcopis cultum & obedientiam exhiberent, & non niſi de eorum conſenſu Monaſteria ædificarent, clerici à ſæcularibus negotiis abſtinerent, & in ſibi aſſignatis Eccleſiis miniſtrarent, de iis legem ferre ipſe abſtinuit, ſed Synodo Chalcedonenſi examinanda & ſancienda propoſuit, quæ Beronicianus diuini conſiſtorij Secretarius *Act. VI.* relegit

relegit ὁ θειότατος καὶ εὐσεβέστατος ἡμῶν δεσπότης πρὸς τὴν ἁγίαν σύνοδον εἶπε, quidnam porrò dixit diuiniſſimus Imperator, τινὰ ἐστι κεφάλαια ἅτινα πρὸς τιμὴν τῆς ὑμετέρας εὐλαβείας ὑμῖν ἐφυλάξαμεν πρέπον ἡγούμενοι παρ' ὑμῶν ταῦτα κανονικῶς κατὰ σύνοδον τυπωθῆναι ἢ νόμοις θεσπισθῆναι ἡμετέροις. *Quædam capitula ſunt quoad honorem veſtræ reuerentiæ ſeruauimus, decorum eſſe iudicantes, à vobis hæc potiùs regulariter & canonicè formari per Synodum, quàm noſtra lege ſanciri.* Vides itaque piiſſimum principem noluiſſe quæ ad Eccleſiaſticam diſciplinam Clericorum, & Monachorum lege ſua definire, ſed vt omnia canonicè & regulariter, ſiue ſecundùm antiquas regulas fierent, voluiſſe per Synodum formari, τυπωθῆναι, hoc eſt non modò Synodus ea iuberet, ſed modum ac formam ea exequendi diſertè præciperet, ipſáque verba quibus præciperentur conciperet. Et ſanè tria illa capitula relata deindè ſunt inter ipſius Synodi Canones; Primum quidem *in Canon. V.* Secundum *in Can.* 3. & Tertium in *Can.* 20.

Dices Conſtantinum interpellatum à Donatiſtis iudicaſſe de ipſorum lite contra Cæcilianum, in qua agebatur de communione cum ipſo repellenda vel ſuſcipienda, de eo ab Eccleſia pellendo & excommunicando, atque exauthorando, de diuinarum Scripturarum traditionibus, de vitio denique ordinationis: affirmabant enim Donatiſtæ Cæcilianum vitio ordinatum fuiſſe Epiſcopum Carthaginenſem, cum impoſitionem manuum accepiſſet à piorum librorum traditoribus, eorúmque communione fuiſſet infectus.

Reſpondeo Conſtantinum primo interpellatum non iudicaſſe, ſed vnà cum Melchiade Pontifice Clericos iudices; id eſt Epiſcopos Italos, & Gallicanos, qui de tota cauſa cognoſcerent, deſignaſſe, quorum iudicio & ſententia damnati Donatiſtæ denuò apud Imperatorem de illorum iniquitate queſti ſunt, verùm cognitionem & interpellationem reiecit Imperator. *Neque enim* (inquit Auguſtin.) *auſus eſt Chriſtianus Imperator, ſic eorum tumultuoſas & fallaces querelas ſuſcipere, vt de iudicio Epiſcoporum, qui Romæ ſederant, ipſe iudicaret.* Importunis tandem clamoribus Donatiſtarum vexatus de appellatione cognouit, ſed audi Auguſtinum factum & mentem piiſſimi principis explicantem: *Eis ipſe ceſſit, vt de illa cauſa poſt Epiſcopos iudicaret, à ſanctis Antiſtibus poſteà veniam petiturus, dum tamen illi quod vlterius dicerent non haberent.* Ex facto igitur Conſtantini colligi nequit, poſſe laïcos principes de diſciplina Eccleſiaſtica leges ferre, aut definire. Manet itaque firmum Valentiniani ſenioris reſcriptum ab Ambroſio relatum, *qua in cauſa fidei vel Eccleſiaſtici alicuius ordinis, eum iudicare debere ſtatuit, qui nec munere impar ſit, nec iure diſſimilis.* Sanè cùm Dioſcorus Alexandrinus à Synodo Chalcedonenſi citatus reſpondiſſet ſe nolle iudicio Synodi ſtare, niſi cognitioni adeſſent glorioſiſſimi iudices, & ſacer Senatus, qui pridiè locum principis obtinuerant, Cecropius Epiſcopus Sebaſtopolis, qui cum aliis duobus Epiſcopis miſſus erat à Synodo ad citandum Dioſcorum repoſuit, vti habetur *Act.* 3. κανονικῶν γὰρ ἐξεταζομένων οὔτε ἄρχοντας οὔτε ἑτέρους τινὰς λαϊκοὺς παρεῖναι χρὴ εἰ μὴ μόνον τὴν σὴν ὁσιότητα, τὴν εἰς πρόσωπον κατηγορουμένην οἰκεῖον. *Quando Canonicæ quæſtiones examinantur neque iudices, neque alios laicos intereſſe oportet, niſi tantummodo tuam ſanctitatem quæ in propria accuſatur perſona.* Hæc omnia facilè perſuadet tota & continua Athanaſij cauſa, qui iudicio Conſtantij & à Concilio Tyrio, cui veluti præerat Dionyſius Comes ſatellitio cinctus, dãnatus eſt, à quo Athanaſius appellauit, eo quòd in eiuſmodi iudiciis Eccleſiaſticis nihil Imperatori liceret, vt ait ipſemet Athanaſius *Apolog.* 2. vide & Epiſtolam Oſij ad eundem principem apud Athanaſ. & dialogum Conſtantij cum Liberio Mediolani habitum apud Theodoret. *lib.* 2. *cap.* 16. Chryſoſtomus à Theophylo Alexandrino & à Synodo ad Quercum propter Canonicas accuſationes, & non ob fidei quæſtiones damnatus, & in exilium pulſus ab Arcadio fuit, quod vbi audiit Honorius, ſic ad Arcadium fratrem ſcripſit: *Siquid de cauſa religionis ageretur, Epiſcopale oportuit eſſe iudicium ad illos enim diuinarum rerum interpretatio, ad nos religionis ſpectat obſequium. Sed eſto ſibi de myſticis & Catholicis quæſtionibus amplius aliquid principalis cura præſumpſerit, itáne vſq; ad exilia Sacerdotum, vſq; hominum cædes debuit indignatio concitata procedere?* In 8. Synodo de vitio ordinationis Photij in ſedem Conſtantinopolitanam intruſi, & reſtitutione Ignatij malè ex ea Sede depulſi, atque de Imaginum cultu, quæ omninò ad ſolam diſciplinam Eccleſiaſticam non ad fidem pertinebant agebatur, vbi porrò eas controuerſias Synodus definiuit, Baſilius Imperator ad Synodum acceſſit, vt eius definitionem ſua ſubſcriptione firmaret, his verbis quæ ex interpretatione Latina fideliſſimè adduco *Act. X.* Synodum alloquitur: *Laico cuicunque nulla ratione de cauſis Eccleſiaſticis diſputandi* περὶ ἐκκλησιαστικῶν ὑποθέσεων, *aut vniuerſam Eccleſiam œcumenicámque Synodum oppugnandi fas eſſe dico: hæc enim excutiendi, & in vtramque partem agitandi Patriarcharum, Sacerdotum, & Doctorum officium eſt, quibus à Deo ſoluendi & ligandi poteſtas conceſſa eſt. Nam laicus etſi omni pietatis & ſapientiæ laude præſtet, tamen laicus eſt,* & ouis, non Paſtor πρόβατον οὐ ποιμὴν, *Epiſcopus autem* ἀρχιερεὺς, *quamvis omnis religionis virtute deſtitutus oſtenditur, Paſtor tamen eſt, quamdiu in Pontificatûs munere verſatur,* ἐν ἀρχιερωσύνῃ τελῇ, nec oportet oues paſtori repugnare, οὐ χρὴ κατεξανίστασθαι τῶν ποιμένων τὰ πρόβατα. Quibus dictis ſubſcripſit Baſilius vnà cum Imperij conſorte Leone poſt Donatum Epiſcopum Oſtienſem, & cæteros legatos ac Vicarios Patriarcharum. Eadem omnino fuerat Iuſtiniani mens, qui *Nouella* 83. nequidem paſſus eſt Prouinciæ Iudices communicare iudicio de delicto, quod Eccleſiaſticum eſt, caſtigatione & mulcta Eccleſiaſtica indigens ἐκκλησιαστικὸν τὸ ἁμάρτημα, δεόμενον σωφρονισμοῦ, καὶ ἐπιτιμίων τῶν ἐκκλησιαστικῶν: illud enim iudicari vult ab Epiſcopo abſque communicatione clariſſimorum Prouinciæ Iudicum, μηδὲν ἐπικοινωνούντων τῶν λαμπροτάτων τῶν ἀρχόντων τῶν ἐπαρχιῶν. Immò iubet leges ciuiles talia negotia Eccleſiaſtica omninò neſcire, οὐδὲ γὰρ βουλόμεθα τὰ αὐτὰς ὑποθέσεις ὅλως, οὐδὲ γινώσκεσθαι τοῖς πολιτικοῖς ἄρχουσι. Non potuit grauioribus verbis eiuſmodi cauſarum Eccleſiaſticarum cognitionem iudicibus politicis interdicere; rationem reddit: quia eiuſmodi cauſæ debent examinari & emendari ſecundùm ſacras & diuinas regulas, & Canones, κατὰ τοὺς ἱεροὺς, καὶ θείους κανόνας, quos, inquit, noſtræ leges ſequi non dedignantur, οἷς καὶ ἡμέτεροι κατακολουθεῖν οὐκ ἀπαξιοῦσι νόμοι. Vides Imperatorem velle, ſuas leges ſubſequi diuinos Canones, & regulas Eccleſiaſticas non illis præire. Quare Hilarius Gallicæ eloquentiæ & fidei Chriſtianæ ornamentum, hortatur Conſtantinum Auguſtum ne permitteret ſuos iudices cauſas Clericorum, Eccleſiaſticas ſcilicet cognoſcere, *Epiſt. V.* vel libro ad ipſum ſcripto: *Prouideat & decernat Clemẽtia tua vt omnes vbiq; iudices quibus Prouinciarum adminiſtrationes credita ſunt, ad quos ſola cura & ſollicitudo publicorum negotiorum pertinere debet, à religioſa ſe obſeruantia* (id eſt diſciplina) *abſtineant, neque poſthac præſumant atq; vſurpent, & putent ſe cauſas cognoſcere Clericorum.* Vides itaq; Imperat. & Pontificum magno conſenſu, poteſtatem ſtatuendi &

& leges condendi de diſciplina merè Eccleſiaſtica, priucipibus laicis denegari.

8 Aio 3. nefas eſſe Principibus laïcis nouum ius Eccleſiaſticum & Canonicum condere, ſiue nouas leges Eccleſiaſticas & Canonicas ferre. Dixi *nouum ius & nouas leges ſancire*; quia ſi id faciant tantùm ad obſeruationem commodiorem, aut faciliorem quoquo modo procurandam vel vrgendam Canonum iam editorum, & promulgatorum, iam non ſunt nouæ leges, ſed prius à poteſtate ſpirituali, cui ligandi & ſoluendi Pontificium traditum eſt, vt dicebat nuper Baſilius Imperator, latæ, quarum obſeruationem ſuis deindè legibus procurant Principes, vt ſtatim dicam. Manifeſta verò & probata manet hæc aſſertio ex duabus ſuperioribus, cum enim omnes leges Canonicæ ferantur vel de fidei, & religionis dogmatibus, vel de diſciplina Eccleſiaſtica, eiúſque œconomia, pro ſingulis gradibus Eccleſiaſticis, aut pro omnibus in vniuerſum, eáque materia non ſit ſubiecta principibus laïcis, qui de rebus eiuſmodi ſtatuere nihil poſſunt, modo hactenus explicato, de illis ergo neque leges nouas ferre poterunt.

9 Aio nihilominus 4. Principes laïcos pro ſua dignitate & pro ratione ſui muneris eſſe tutores, defenſores & vindices Canonum atque legum Eccleſiaſticarum, ſiue de fide & religione, ſiue de diſciplina Eccleſiaſtica latæ fuerint. Dico autem id poſſe non modò pietatis ac deuotionis causâ, aut dum ab Eccleſia interpellantur, ſed ratione ſui muneris & officij, quo tenentur ciuium, & Reipublicæ tranquilitatem, atque veram Religionem tueri, qua vna maximè pax ciuium ſtat. Quare ipſi etiam Principes de religione ſatagere debent, licet in retinenda & procuranda falſa & impia Religione peccent: potiori multò iure Reges & Principes Chriſtiani qui Chriſto nomen dederunt, eique ſeſe deuouerunt, tenentur Dei cultum curare & augere ſuis legibus, atque iniurias Deo illatas violatione ſacrarum & diuinarum, vt appellant Imperatores, legum, vlciſci, & denique de vera religione eiúſque obſeruatione eſſe ſollicitos, & quia cum illis Deus reipublicæ adminiſtrationem crediderit, ad ciuium pacem & tranquillitatem, illáque religione conſeruetur atque per illam Ciues inter ſe, & cum Principe arctiſſimo quodam vinculo conſtringantur, de illa omninò ſeruanda ſatagere tenentur, & quæ ad illam promouendam conſtituta ſunt, ab Antiſtibus religionis à Chriſto datis, tueri, defendere, ſuáque etiam auctoritate confirmare. Atque ita exoritur mirabilis illa ſocietas religionis & regni, poteſtatis Pontificiæ & regiæ, quam vtriuſque poteſtatis, atque religionis, ad firmandum regum ſocietatem neceſſariam, & non modò vtilem agnouerunt Theodoſius Iunior & Valentinianus Imperatores, ſacra ſeu Epiſtola, quam θεῖον γράμμα vocant ad Cyrillum & reliquos Metropolitanos, quæ refertur *in prima part. Synodi Epheſinæ ipſo ſtatim initio*: fatentur enim politiæ ſuæ conſtitutionem niti pietate in Deum ἤρτηται τῆς εἰς θεὸν εὐσεβείας ἡ τῆς ἡμετέρας πολιτείας κατάστασις, addunt multam inter vtramque intercedere cognationem & familiaritatem τὸ συγγενὲς καὶ προσφυὲς, nam & ex ſe inuicem pendent, & vtraque proſperis alterius ſucceſibus incrementa ſumit, quandoquidem vt vera religio iuſta actione perficitur, ita Reſpublica vtriuſque opera nixa floreſcit. *Cùm itaque Deus Imperij habenas nobis tradiderit, iiſque qui Imperio noſtro parent pietatis, & ſecuritatis quoddam quaſi vinculum nos eſſe voluerit; harum intereſt ſocietatem, partim quidem priuatâ noſtrâ prouidentiâ freti, partim quoque humano præſidio vſi indiuulſam perpetuò conſeruare eniuxè contendimus, ad eúmque modum promouendæ pietati, propter Reip. ſalutem incumbimus, vt in omnibus ferè noſtrorum ſubditorum commodo intenti, vnum hoc perpetuò vrgeamus, contendamúſque ſedulò, vt piè religioſéque priuatim viuant omnes, & vt pios decet in Rep. verſentur vniuerſi. Denique vtriq; quam par eſt curam impendere non deſiſtimus; fieri enim vix poteſt vt qui alteri ſeriò inuigilãt, alterius curam negligant. Ante omnia autem ad id operam damus, vt Eccleſiaſticus ſtatus ἐκκλησιαστικὴ κατάστασις, eiuſmodi ſit qui & Deum deceat, & temporibus noſtris quàm maximè congruat, idemque ex omnium concordia & conſenſione ſuam tranquillitatem obtineat: tum per Eccleſiaſticarum controuerſiarum pacem à turbis & ſeditionibus liber exiſtat: tum demùm vt pia religio ab omni omninò notâ & reprehenſione immunis perſeueret, eorúmque vita, qui vel inter Clericos cenſentur, vel magno quoque inter illos Sacerdotio funguntur μεγάλην ἱερωσύνην τελοῦντας, omni prorsùs næuo & culpâ vacent.* Eaque de cauſa Synodum euocaſſe aiunt, *tanquam neceſſariam ad ortas controuerſias Eccleſiaſticas vt illa ritè ſecundùm Canones conſopiantur; quæ parùm decenter admiſſa ſunt, corrigantur; & denique pietatis in Deum publicaque vtilitatis firmitati conſulatur.* Non potuêre piiſſimi Imperatores illuſtriùs explicare commiſſam ſibi à Deo religionis aliquam ſollicitudinem, eo ipſo quòd iis imperium crediderit. Sic enim voluit illos eſſe ſubditorum quaſi quoddam vinculum pietatis & ſecuritatis, quam idcircò vtramque curare omninò debent ex officio Principis; quod omninò velle videtur Paul. dum 1. *ad Tim.* 2. iubet obſecrationes & poſtulationes fieri pro regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt, *vt quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & caſtitate: hoc enim bonum eſt & acceptum coram Saluatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſaluos fieri, & agnitionem veritatis venire.* Quibus verbis reddit Paulus rationem cur velit à Timotheo primo loco orationes fieri pro Regibus & aliis ſublimioribus poteſtatibus; quia ab illis maximè pendet Ciuium omnium pax & tranquillitas, non quælibet, ſed quæ ſit in omni pietate & caſtitate, hoc eſt in honeſtate, & vitæ integritate & σεμνότητι; addit: *Hoc enim bonum honeſtum & acceptum coram Deo ſaluatore, qui omnes homines vult ſaluos fieri.* Particula iſta cauſatiua, *enim*, reddit rationem, propter quam Deo acceptum ſit orare pro regibus; quia cum Deus ſaluator ſit velítque omnes ſaluos fieri & ad veritatis agnitionem venire, id eſt, fidei. Ad id conducunt maximè reges, qui & religioſi ſunt & religioni maximè ſeruiunt, dum illam tuentur. Quare magnus Leo Pontifex *Epiſtol.* 75. Leonem Auguſtum contra Dioſcorum, eiuſque fautores, qui damnati à Synodo Chalcedonenſi Alexandrinam Eccleſiam turbabant, accendit his verbis: *Cùm enim Clementiam tuam Deus Dominus tanta ſacramenti illuminatione ditauerit, debes incunctanter aduertere regiam poteſtatem tibi non ſolùm ad mundi regimen, ſed maximè ad Eccleſiæ præſidium eſſe collatam vt auſus nefarios comprimendo, & quæ bene ſunt ſtatuta defendendo, & veram pacem his quæ ſunt turbata reſtituas, depellendo ſcilicet peruaſores iuris alieni, & antiquæ fidei Sedem Alexandrinæ Eccleſiæ reformando, vt correctionibus tuis Dei iracundia mitigata regiæ ciuitati non retribuat quæ anteà admiſſa ſunt, ſed remittat.* Quibus & alia non minus vehementer adiicit, quam verò eiuſmodi ſollicitudo de fide tuenda neceſſaria ſit Imperatoribus, ſcripſerat ad Pulcheriam Auguſtam *ep.* 31. *Res humanæ* (inquit) *aliter tutæ eſſe non poſſunt niſi quæ ad diuinam confeſſionem pertinent, & regia, & ſacerdotalis defendat auctoritas. Ep.* verò 9. *ad Theodoſium:*

ſium : Pro integritate fidei Catholicæ Chriſtianum principem conuenit eſſe ſollicitum : ea de cauſa ad ſynodum indicendam in Italia hortatur, *vt* (inquit) *per vniuerſum regnum veſtrum integritate fidei Catholicæ ſeruata, & pacem Chriſtianam manere & veſtram apud Deum creſcere gloriam gaudeamus. Ep.* 7. eidem Theodoſio non ſolum regnum, ſed etiam ſacerdotalem animum ineſſe gaudet : quia nimirùm præter Imperiales & publicas curas piiſſimam ſollicitudinem Chriſtianæ religionis haberet. *Ep.* 12. *ad eundem Theodoſ.* ex ea Imperatoris ſollicitudine Dei in Eccleſiam prouidentiam ſic colligit : *Quantum rebus humanis conſulere diuina prouidentia dignetur, ſollicitudo clementiæ veſtræ ſpiritu Dei incitata demonſtrat, quæ in Catholica Eccleſia nihil impacatum, nihil vult eſſe diuerſum ; quoniam fides quæ non niſi vna eſt in nullo poteſt eſſe ſui diſſimilis Epiſt.* 57. *ad Marcianum Auguſt. Quàm excellenti pietate, & quàm glorioſo clementiæ veſtræ ſtudio in integrum nuper fides Chriſtiana reuocata ſit, totus mundus agnoſcat & ſaluti ſuæ ſingulare præſidium per vos à Domino eſſe reparatum.* Et *Ep.* 59. ad eundem : *Ineffabiliter Deo gratias ago, qui eo tempore quo oboritura hæreticorum ſcandala præſcibat, vos in Imperij faſtigio collocauit : in quibus ad totius mundi ſalutem & regia potentia & ſacerdotalis vigeret induſtria. Epiſt.* 70. ait ſe in Chriſtianiſſimo principe ſacerdotalem experiri affectum, eáque de cauſa eidem Marciano acclamatum eſt à ſynodo Chalcedonenſi *Act.* 6. τῷ ἱερεῖ τῷ βασιλεῖ, Sacerdoti, Imperatori : quia nimirùm ea cura & ſollicitudine res fidei & ſynodi curábat, quæ ſacerdotem ipſum deceret, quod & plures Chriſtiani principes ita præſtitere, vt, teſte Socrate *lib.* 5. *hiſt. in proœm.* ex eorum arbitrio res Eccleſiaſticæ pendere viderentur.

10 Atque hanc Eccleſiæ, fidei, & Canonum eius ſiue legum Eccleſiaſticarum tuitionem, quam in Imperatoribus agnouere ipſæ Synodi, Pontifices, vt paucis demonſtrauimus, & ampliùs ex dicendis *toto iſto* capite conſtabit, regibus quoque Chriſtianiſſimis ſingulari quodam iure competere, facile fuerit oſtendere : nam Clodouæus, cùm variis hæreſibus vexaretur Eccleſia, diuinitùs ab Idolorum cultu, ad fidem conuerſus eſt, vt eam defenderet. Quare Auitus Viennenſis *Epiſt.* 51. ad Clodouechum Regem, dum illi baptiſmum gratulatur, quem in Vigilia Natalis Domini celebratum dicit, non in Vigilia Paſchæ, quod Hincmarus Remenmenſis falsò ſibi, & rerum noſtrarum ſcriptoribus perſuaſit ait diuinam prouiſionem inueniſſe quendam tempori arbitrium : *Veſtra* (inquit) *fides, noſtra prouiſio eſt.* Gratulatur deinde Occidenti de rege Catholico, *ſiquidem & Occiduis partibus in rege non nouo, noui iubaris lumen effulgurat.* Et tandem hortatur vt fidem in alias quoque gentes & Prouincias propagari curet ; *vnum ergo quod vellemus augeri, vt quia Deus gentem veſtram per vos ex toto ſuam faciet, vlterioribus quoque Gentibus, quas in naturali adhuc ignorantia conſtitutas nulla prauorum dogmatum germina corruperunt, de bono theſauro veſtri cordis, fidei ſemina porrigatis : nec pudeat pigeátque etiam directis in rem legationibus adſtruere partes Dei, qui tantùm veſtras erexit, quatenus externi quoque populi paganorum pro religionis vobis primitùs Imperio ſerituri, dum adhuc in alios videntur habere proprietatem, diſcernant potiùs gentem quàm principem. Nulla igitur patria quaſi ſpeciali ſede ſibi vindicet totis quos honorum gradibus attollitis. Conſtat vos eſſe quo communis vno ſolis iubare omnia perfruuntur, vicina quidem plus gaudent lumine, ſed non carent remotiora fulgore : quapropter radiate perpetuùm præſentibus diademate, abſentibus maieſtate. Succeſſus felicium triumphorum, quos per vos regio illa gerit, omnes concelebrant, tangit etiam nos felicitas, quotieſcumque illic pugnatis, vincimus ; inter hæc tamen Catholicæ religionis affectum ſeruat in vobis cura miſerandi, & in apice rerum omnium gubernacula continente non minùs eminet ſanctitas, quàm poteſtas.* Vides inſignes victorias diuinitùs Clodouæo conceſſas fuiſſe, ad triumphum & propagationem fidei. Sed quid plura quærimus? cùm habeamus ipſius S. Remigij, qui Clodouæum ſacris eluit aquis, teſtimonium, qui illum regionis præſulem, prædicatorem fidei Catholicæ, atque defenſorē nominat : cùm enim Heraclius, Leo, & Theodor. Epiſcopi conquererentur de vitioſa ordinatione Claudij, quem Remigius, quamuis alienæ parœciæ ordinauerat in presbyterum, reſpondet Remigius, *Epiſt. ad ipſos* ſe id iuſſu Clodouęi feciſſe : *Scribitis Canonicū non eſſe quod iuſſit, ſummo fungimini ſacerdotio, Regionum præſul, cuſtos patriæ, gentium triumphator iniunxit.* Et deindè : *Præcellentiſſimi Regis teſtimonio, qui erat non ſolum fidei Catholicæ prædicator, ſed defenſor, feciſſe ſe dicit, illique quidpiam de rigore Canonum, remittendū fuiſſe.* Quid verò illud de Clodouæo, *regionū præſul*, niſi id quod de Conſtantino Euſebius *lib.* 1. *de eius vita, cap.* 37. dixit Κοινὸς ἐπίσκοπος, Pelagius I. *Epiſt.* 11. *ad Childebertum Regem : Cùm Celſitudini veſtræ multa dona miſericordia Diuina contulit, pro amore tamen, quē Eccleſiæ eius ſinceriter exhibitis, fecit vos multis regnantibus clariores ; quoniā inter alias regni veſtri curas pro tranquillitate ſanctæ Eccleſiæ præcipuam ſolicitudinem vos certum eſt exhibere.* Et tandem ſic claudit Epiſtolam : *Non aliter Deo noſtro rectè poteſt regalis deuotio prouidere, niſi prouidentia Eccleſiaſticorum ordinum ſernet integritatem.* Gregor. *Ep.* 53. *lib.* 4. ad eundem Childebertum ſcribens, vt plurima quæ in Eccleſia Gallicana prauè fiebant, emendentur eius opera, vt ſimoniaca hæreſis, promotio præceps laïcorum in Epiſcopos, eáque in re Vigilium Arelatenſem Epiſcopum iuuet, ſic ait, *Lætos nos Excellentiæ veſtræ vehementer fecit Epiſtola, quæ pia vos affectione de honore ac reuerentia Sacerdotali teſtatur eſſe ſollicitos.* Et ſub finem : *Salutantes itaque excellentiam veſtram paternæ charitatis affectu petimus, vt cuncta quæ ſuprà ſcripta fratri & Coëpiſcopo noſtro* (Vigilio) *fieri ſeruaríque mandauimus, fauoris veſtri præſidio compleantur, nec cuiuſquam ea aliquo modo, elatione, aut ſuperbia conuelli permittatis : ſed ſicut per prædeceſſores eius ſingulos in patris veſtri regno ſeruata ſunt, ita quoque auxilio veſtro ſollicitâ modò deuotione ſeruentur, oportebit. Ergo in hoc nobis vicariè rependatur, & ſicut nos veſtram implere non diſtulimus voluntatem : ita vos propter Deum & beatum Petrum Apoſtolorum principem, noſtra faciatis in omnibus ſeruari ſtatuta : quatenus Excellentiæ veſtræ laudabilis & Deo placita ſe circumquaque tendat opinio.* Quibus verbis non conſtituit Gregorius Childebertum ſuum Vicarium, dum petit, vt *ſibi vicariè rependat*, ſed rogat dumtaxat mutuis vicibus ſibi inuicem rependant, Pontifex poſtulata Regis concedendo auxilium ; Rex verò ſtatuta Pontificis tuendo & fouendo.

Pariſienſe Concilium Gregorio IV. Pontifice Ludouico Pio, & Lothario Imperatoribus ann. 829. pro reformanda diſciplina Eccleſiaſticâ coactum *lib.* 2. 11
capite 2. officium regis ſic deſcribit : *Ipſe enim debet primò defenſor eſſe Eccleſiarum, & ſeruorum Dei*, plurimáque hanc in rem maximè de miſericordia in pauperes ex ſcripturis colligit, demùm addit Iſidor. *lib. de ſummo bono, c.* 53. hæc verba : *Principes ſæculi nonnunquam intra Eccleſiæ poteſtatis adepta culmina tenent, vt per eandem poteſtatem diſciplinam Eccleſiaſticam muniant. Cæterùm intra Eccleſiam poteſtates neceſſariæ non eſſent, niſi vt quod non præualet ſacerdos ſufficere per doctrinæ ſermonem, poteſtas hoc imperet per diſciplinæ terrorem : ſæpè per regnum terrenum, cœleſte regnum proficit : vt qui intra Eccleſiam contra fidem & diſciplinam Ec-*

cleſiæ agunt, rigore principum conterantur, ipſámque diſciplinam, quam Eccleſiæ vtilitas exercere non præualet, ceruicibus ſuperborum poteſtas principalis imponat, & vt venerationem mereatur, virtutem potens impertiat. Cognoſcant principes ſæculi Deo reddere ſe debere rationem propter Eccleſiam, quam à Chriſto tuendam ſuſcipiunt. Nam ſiue augeatur pax & diſciplina Eccleſiæ per fideles principes, ſiue ſoluatur, ille ab eis rationem exiget, qui eorum poteſtati ſuam Eccleſiam credidit. Aquiſgranenſe Concilium ſub eodem Gregorio IV. & Ludouico Pio Imperatore anno 836. eadem Iſidori verba eandem ob cauſam refert, *cap.* 2. quibus ibidem præmittit Auguſtin. *lib. de veritate prædeſtinationis & gratiæ Dei lib.* 2. *cap.* 22. *Clementiſſimus quoque Imperator non ideo eſt vas miſericordiæ præparatum in gloriã, quia apicem terreni principatus accepit, ſed ſi in Imperiali culmine recta fide viuat, & cordis humilitate præditus, culmen regiæ dignitatis ſanctæ religioni ſubiiciat; ſi magis in timore ſeruiat Deo, quàm in tumore dominari populo delectetur, ſi præ omnibus ſe ſanctæ matris Eccleſiæ Catholicæ meminerit filium, vt eius paci atque tranquillitati, per vniuerſum mundum prodeſſe faciat ſuum principatum: magis enim Chriſtianum regitur ac propagatur imperium, dum Eccleſiaſtico ſtatui per vniuerſam terram conſulitur, quàm cum in parte quacumque terrarum pro temporali ſecuritate pugnatur.* Quæ ſapientiſſimi & illuſtriſſimi Patris dicta non tam ab illo in re grauiſſima probata conſiderari velim, *quàm vt à Religioſiſſimis totius Eccleſiæ* Gallicanæ Antiſtibus in Concilio generali coactis relata, & ad piiſſimum Imperatorem regémque Chriſtianiſſimum Ludouicum Pium, cuius iuſſu conuenerant recitata, monendo officij ſui Imperatorem.

12 Eadem portò Regum noſtrorum in tertia dynaſtia ſiue proſapia tuendæ Eccleſiæ & legum ipſius, pietas ac ſolicitudo fuit. Gregorius IX. anno 1239. ſcribens ad ſanctum Ludouicum contra Fridericum Imperatorem Romanæ Eccleſiæ hoſtem, poſt plurimas regni Gallicani laudes hæc addit: *Ex quibus euidenti ratione perpendimus, quod regnum Franciæ prædictum, benedictum à Domino, Redemptor noſter quaſi ſpecialem diuinarum voluntatum executorem eligens & ipſum ſibi ſicut pharetram circa femur accingens*, ex ipſa ſæpiùs ſagittas *electas extrahit, & eas ad tuitionem Eccleſiaſticæ libertatis & fidei in contritionem impiorum & defenſionem iuſtitiæ in arcu brachij potentis emittit.* Eadem de cauſa Innocentius IV. petiit à conuentu Patrum Ciſtercienſium, vt eundem S. Ludouic. IX exoraret, vt Romanum Pontificem ab iniuriis Friderici defenderet, quod narrat Matthæus Paris anno 1244. his verbis: *Secundùm antiquam & conſuetam Francorum conſuetudinem & libertatem, Romanum Pontificem contra inſultus Imperatoris defenderet, & ſi neceſſitas expoſtularet, eum in ſuo regno receptaret, ſicut bonæ memoriæ Alexandro Papæ exulanti, & à facie Imperatoris Friderici perſequentis.* Ipſe etiam S. Ludouicus ſanctionem, quam anno 1228. Pariſiis edidit, ſic exorditur: *Lodouicus Dei gratiâ Francorum Rex. Ad perpetuam rei memoriam, pro felici & tranquillo ſtatu Eccleſiæ regni noſtri, necnon pro diuini cultûs augmento, & Chriſti fidelium animarum ſalute, vtque gratiam, & auxilium omnipotentis Dei, cuius ſoli ditioni, & protectioni regnum noſtrum ſemper ſubiectum extitit, & nunc eſſe volumus, conſequi valeamus: quæ ſequuntur hoc edicto conſultiſſimè in perpetuum valituro ſtatuimus, & ordinamus.* Exemplum S. Ludouici nepotes eius æmulati ſunt, in quibus Carolus VII. in pragmatica poſt Baſileenſem Synodum edita ſic præfatur: *Inſcrutabili diuinæ altitudinis prouidentia poteſtatem regiam ad hoc inter cætera ordinatam in terris, vt Eccleſiam, eiúſque miniſtros fideliter protegeret, atque tueretur, & ſanctorum antiquorúmque Patrum decreta ſaluberrimo ſpiritu De promulgata, quibus neruus Eccleſiaſticæ diſciplinæ viget, ac ſolidatur ſinceriter exequi faceret, illibatéque obſeruari, ſed & ſpeciali debito iuramenti, in noſtri diadematis ſuſceptione inſigni, &c. ad id ipſum adſtringimur pariter & obligamur.* Præiuerat Ludouicus VII. qui litteras datas Pariſiis an. 1171. pro liberando Epiſcopo Anicienſi, qui à Vicecomite Podomniacenſi opprimebatur ſic exorditur: *Ludouicus Dei gratia Francorum Rex. Omnibus in perpetuum. Digna vox eſt maieſtate regnantis Dei ſeruum & Eccleſiæ defenſorem ſe principem profiteri, adeò de diuinæ promiſſionis & clementiæ culmine pendet authoritas vt ad laudem & gloriam ipſius, & opera noſtra & ipſorum intentionem operum referamus; indè eſt quod commiſſum à Deo nobis gladium, & in deffenſionem Eccleſiarum, & in oppreſſionem debemus ac volumus exercere tyrannorum.* Quæ litteræ integræ ſeruantur in Archiuio Epiſcopij Anicienſis.

Denique hanc Eccleſiæ tuitionem, defenſionem & 13
protectionem ab ipſis Romanis Pontificibus fuiſſe expetitam à noſtris Regibus Chriſtianiſſimis ab illiſque conceſſam, ſacro fœdere cum ipſis inito, res obuia eſt, & patet ex Pelagio II. an. 582. Ep. ad Aunacharium Epiſcopum Antiſſiodor. vt auxilium ipſi exoret contra Longobardos à Chilperico rege: *Nec enim* (inquit) *ſine magna diuinæ prouidentiæ admiratione diſpoſitum, quòd veſtri Reges Romano Imperio in orthodoxæ Fidei confeſſione ſunt ſimiles, niſi vt huic vrbi, ex qua fuerat oriunda, vel vniuerſæ Italiæ finitimos, adiutoréſque præſtaret, &c.* Eodem ſenſu Vigilius an. 549. ſcribit ad Aurelianum Epiſcop. Arelatenſem vt Childeberti Regis contra Gothos opem exoret. Quibus precibus auxilium Caroli Francorum Ducis implorarit aduersùs Longobardos Greg. III. *Ep.* 5. & 6. obuium eſt, miſſis ad eum ſacratiſſimis clauibus confeſſionis B. Petri. De fœdere icto ad eandem defenſionem obtinendam inter Stephanum II. & Pipinum teſtatur eius Epiſt. 3. & 4. & de data Regib. Chriſtianiſſimis patricij dignitate, de eadem protectione & defenſione, quam ſibi & ſuis filiis ac toti genti Francorum propriam eſſe voluerunt noſtri Reges, teſtantur tabulæ teſtamenti Caroli, quibus regnum Franciæ, Italiæ, & Aquitaniæ liberis ſuis diſtribuit: *Super omnia autem iubemus* (inquit) *vt tres fratres curam & defenſionem Eccleſiarum S. Petri ſuſcipiant, ſicut quondam ab auo noſtro Carolo & beatæ memoriæ genitore noſtro Pipino, & à nobis poſteà ſuſcepta eſt, vt eam cum Dei adiutorio ab hoſtibus defendere nitantur, & iuſtitiam ſuam, quantum ad ipſos pertinet, & ratio poſtulauerit, habere faciant.* Idem in diuiſione quoque regni in tres filios cauit Ludouicus Pius. Plura de hac Romanæ Eccleſiæ protectione à Francis Regibus præſtita dabit Marca *lib.* 1. *Concord. cap.* 12.

Vides itaque tuitionem Fidei, & religionis Eccleſiæ, eiúſque Canonum & legum competere Regibus Chriſtianiſſimis ex Patrum, Conciliorum, Pontificum, ipſorúmque regum conſenſu, eáque maximè de cauſa Deum regiam poteſtatem in Eccleſia ſingulari prouidentia inſtituiſſe, vt docent iidem PP. nuper adducti.

Explicandum modò reſtat in quo conſiſtat tuitio 14
& defenſio; & primò quidem principes tum Synodos vniuerſales, tum earum decreta approbabant & confirmabant, atque adeò damnatas exſcindebant; quare Iuſtin. *Ep. ad V. Synod.* de tribus Capitulis lecta & probata collat. 1. inquit: *Semper ſtudium fuit orthodoxis & piis Imperatoribus patribus noſtris pro tempore exortas hæreſes per congregationes religioſiſſimorum Epiſcoporum amputare, & rectâ fide ſincerè prædicatâ in pace ſanctam Dei Eccleſiam cuſtodire.* Quod probat exẽplo Conſtantini contra Arium in Synodo Nicæna damnatum, Theodoſij Senioris contra Macedonium in Synodo

nodo Conſtantinopolitana, Theodoſij Iunioris contra Neſtorium in Synodo Epheſina, & Marciani in Chalcedonenſi contra Eutychen; & mox: *His itaque omnibus per diuerſa tempora ſubſequutis, prædicti piæ recordationis patres noſtri, & quæ in vnoquoque Concilio iudicata ſunt legibus ſuis corroborauerunt & confirmauerunt, & hæreticos qui definitionibus prædictorum ſanctorum, quatuor Conciliorum reſiſtere & Eccleſia conturbare conati ſunt, expulerunt.* Idem ſuum ſtudium prædicat in litteris ad eandem V. Synodum, in quib. contra Origenem eiúſque ſectatores fuſiſſimè diſputat, ſubiectâ fidei ſuæ confeſſione aduerſùs tria capitula, quæ omnia Græcè habentur apud Binij collectionem, & in tractatu eadem de re ad Mennam Conſtantinopol. Patriarcham ibidem. Et ſanè Hiſtoria docet Arij damnationem in Nicæna Synodo à Conſtantino non modò ſuſceptam, ſed & impium Arium variis pœnis affectum fuiſſe. Synod. II. generalis Conſtantinopol. Theodoſium Seniorem de geſtis in Synodo certiorem reddit, & ſua ab illo decreta confirmari rogat: *Rogamus itaque* (inquiunt) *tuam clementiam, vt per litteras quoque tuæ clementiæ confirmetur Concilij decretum; vt ſicuti litteris, quibus nos conuocaſti, Eccleſiam honore proſequutus es: ita etiam finem eorum quæ decreta ſunt obſignes.* Subiiciunt deinde regulas de diſciplina Eccleſiaſtica à ſe latas. PP. Epheſini Theodoſium Iuniorem rogant ne pro Synodo habeat Conciliabulum à Ioanne Antiocheno paucorum Epiſcoporum coactum, ſed frequentem Synodum, Neſtorium damnantem confirmet. Nam *Act.* 5. ſic aiunt: *Iubeatis vt ea quæ conſtituta ſunt ab œcumenica & ſancta Synodo ad pietatis confirmationem contra Neſtorium & ſuum impium dogma, ſuum robur obtineant aſſenſu veſtræ pietatis ſtabilita.* Martianus Synodum Chalcedonenſem alloquutus teſtatur ſe Synodo intereſſe, non vt vim afferat ſed vt res iudicatas & geſtas, ſua auctoritate confirmet, & ipſamet Synodus *Epiſtola Synodica ad Leonem*, ait ſuam aduerſus Eutychetem ſententiam ab Imperatoribus velut quandam legem fuiſſe confirmatam, & tandem Marcian. ſuo edicto geſta omnia confirmauit, & exilij ac confiſcationis pœnam hæreticis, vrbe regia, & ciuitatibus Metropolitanis pulſis, & ne quis dubio locus eſſet, eos definit eſſe hæreticos qui Canonibus Eccleſiaſticis & principum legibus, qui eos receperant, damnati forent. Conſtantinus Pogonatus VI. Synodum aduersùs Monotheliras edicto ſuo confirmauit, vti ad Leonem II. ſcribit, διὰ ἐυσεβῶν ἡμῶν ἠδίκτων ἐπικυρώσαμεν: Quare ipſe Leo ad eundem Conſtantinum ei gratulatus, ſic reſcribit: *Synodali igitur ſententiâ & Imperialis edicti cenſurâ tanquam ancipiti ſpiritus gladio cum priſcis hæreſibus etiam noua prauitatis error expunctus eſt.* Synodus Orientalium Epiſcoporum in Trullo palatio coacta à Iuſtiniano Rhinotmero confirmationem ab eodem extorquere conata eſt. VII. Synodi profeſſio & definitio fidei vbi coram Conſtantino & Irene relecta fuit, & conſtitit eam ſummo omnium conſenſu editam fuiſſe, ab iiſdem Imperatoribus ſubſcripta fuit. Simili ratione vbi Synodi VIII. Canones, Symbolum fidei & Photij damnatio relecta ſunt coram Baſilio, & illis conſenſum ſuum omnes Epiſcopi præbuere, Baſilius Synodum alloquens edixit, *Vt ſi quis Clericus, aut laïcus quidpiam contra Synodi Canones obiiciendum haberet, prodiret in medium, & obiiceret.* Soluta quippe Synodo nullam veniam fore res conſtitutas oppugnanti, ſed iure damnandum & vrbe pellendum eſſe. Neque plura congerenda videntur, vt doceamus ad regiam Eccleſiæ tuitionem ſpectare confirmationem eius Canonum & legum.

15 Hanc verò decretorum ſuorum & Canonum confirmationem Pontifices, & Synodi vniuerſales ab Imperatoribus poſtulabant: quia cùm Canones publicati ab omnibus ſeruari debeant, vimque legis publicæ habeant, & non modò pertineat ad principem ſeruandis Canonibus inuigilare, ſed etiam illos tanquam proprias leges tueri; quare Iuſtinian. *Nou.* 58. *ſub fin.* in qua prohibet in priuatis domibus fieri τὰ ἱερώτατα, & μυσταγωγίαν, ſiue, vt alij habent, ſacrum epulum, quod ἀῤῥήτῳ ἐνεργείᾳ, vt ait Theophilac. ἀῤῥήτῳ φιλανθρωπίᾳ, καὶ θαυμαστῇ οἰκονομίᾳ, vt Samonas ait, & alia myſteria; niſi authoritate Epiſcopi; quia id iam antiquis legibus ſancitum eſt, & Mennæ Archiepiſcopo Conſtantinopolitano, ſi id permittat, pœnam indicit, concludit: *Volumus enim ſacerdotaliter & iudicialiter hæc ſeruata durare in perpetuum tempus immutata*, βουλόμεθα γὰρ ἱερατικῶς τε καὶ, ἀρχικῶς ταῦτα φυλαττόμενα, μένειν εἰς τὸν ἐφεξῆς χρόνον ἀκίνητα. Idem Iuſtinian. *Nou.* 6. in qua de Epiſcoporum, & Clericorum ordinationibus edicit; eo quòd, vt præfatur, maxima dona Dei ſint Sacerdotium, & Imperium ἱερωσύνη καὶ βασιλεία; quorum illud diuinis, iſtud humanis præſideat; & nihil adeò curæ debeat eſſe Imperatoribus quàm Sacerdotum honeſtas, ex qua pendent omnia bona Reipublicæ; hoc autem obtinebitur, ſi ſacrarum regularum obſeruatio cuſtodiatur, quam iuſti & laudandi, & adorandi inſpectores & miniſtri Dei verbi tradiderunt Apoſtoli, & ſancti Patres cuſtodierunt, & explanauerunt εἰ ἡ περ τῶν ἱερῶν κανόνων παρατήρησις φυλάττοιτο ἣν οἱ τε δικαίως ὑμνούμενοι, καὶ προσκυνούμενοι, καὶ αὐτόπται ὑπηρέται τοῦ θεοῦ λόγου παραδεδώκασιν ἀπόστολοι καὶ οἱ τῆς ἅγιοι πατέρες ἐφυλάξαντό τε, καὶ ὑφηγήσαντο. Sancit deindè *cap.* 1. vt deinceps ſacræ regulæ, ſiue regulæ in ordinatione Epiſcoporum ſeruentur, atque explicatis conditionibus, quas in ordinando Epiſcopo requirunt Canones; vult tandem §. 8. illi proponi ſacras leges, & moueri item niſi illas ſeruet, non modò pœnas Eccleſiaſticas incurſurum, ſed & Ciuiles leges non relicturas impunitum tale delictum, *Eo quòd* (inquit) *iuis Imperatoribus & à nobis ipſis rectè dictum eſt, oportere ſacras regulas pro legibus valere*, δεῖν τοὺς ἱερούς, κανόνας ἀντὶ νόμων κρατεῖν, maximè igitur intererat Eccleſiæ vt ſacri Canones & regulæ ſanctione quoque Imperiali firmarentur, vt Sacerdotali, & Ciuili virtute ſeruarentur, vti modò referebam ex eodem Iuſtiniano: nam, vt ſapienter monebat Hilar. Pontifex, *Conuelli non poſſunt quæ & ſacerdotali Eccleſiaſticâ præceptione fulciuntur & regia*, nempè violatis Canonibus principis authoritate confirmatis, violatur principis ipſius maieſtas, & Reip. leges, cùm Canones leges quoque regiæ cenſeantur, vnde fit vt principes curam Canonum non æqualem modò ac legum ciuilium habeant, ſed etiam multò maiorem, cùm Canones Sacri diuinæ quædam leges exiſtant, vti præclarè diſſerit Iuſtinian. *in nouella* 137. *in præfat. Si ciuiles leges, quarum poteſtatem nobis Deus pro ſua in homines benignitate*, (κατὰ τὴν ἑαυτοῦ φιλανθρωπίαν) *credidit firmas ab omnibus cuſtodiri ad obedientium ſecuritatem ſtudemus, quantò plus ſtudij adhibere debemus circa ſacrorum Canonum, & diuinarum legum cuſtodiam, quæ ſuper ſalute animarum noſtrarum definitæ ſunt*, περὶ τὴν τῶν ἱερῶν κανόνων καὶ θείων νόμων παραφυλακὴν, τῶν ὑπὲρ τῶν ἡμετέρων ψυχῶν σωτηρίας ἐκτεθέντων. Et *Epiſt. ad Dacianum Metropolitam Byzacij* priuilegia Primatibus Africanis à Canonibus tradita ſic confirmat: *Nam quæ quis in præiudicium ſtatutorum quibuſlibet rebus vſurpauit, corrigenda potiùs quàm imitanda cenſemus. Si quid igitur Metropolitano Carthaginis, vel Primatibus Numidiæ vel Byzacij, Conciliorum auctoritas præſtitit, & inoffenſa conſuetudo ſeruauit, hoc ſibi quiſque optet, ſibi vindicet, hoc noſtra ſperet ſanctione firmari, nos tutores tantùm ſumus vetuſtatis & vindices:*

nec

nec deerit Eccleſiaſtica vindicta, vel noſtra in eos qui aut ambitioſa ſuperbia, aut ſubreptitiis poſtulationibus antiquitatem temeraſſe docebuntur. Quoniam ad diuinitatis tendit iniuriam qui ſanctorum Patrum conſtituta contemnere ac violare non metuit. Quare vides hanc Canonum Eccleſiaſticorum confirmationem principali lege plurimùm ad eorum obſeruationem conducere.

16 Hæc confirmatio Canonum fiebat primò legibus vniuerſalibus, quibus Concilium aliquod & eius Canones vel Pontificum decreta in vniuerſum approbantur, & confirmantur, quâ ratione Theodoſius Iunior *l. omni innouatione 45. C. Th. de Epiſc. quæ etiam refertur in C. Iuſtin. de ſacroſanctis Eccleſiis l. 6. Omni innouatione ceſſante, vetuſtatem & Canones priſtinos Eccleſiaſticos qui nunc vſque tenentur per omnes Illyrici Prouincias, ſeruari præcipimus.* Agitur hic de Illyrico Orientali, cuius præfecto prætorio inſcribitur lex: nam Illyricum Occidentale diuulſum iam erat ab Orientali; iſtud verò Illyricum conſtabat duabus diœceſibus, Macedonia, & Dacia, & XII. Prouinciis. Obſerua quoque cum Gothofredo vetuſtatem hoc loco & Canones priſtinos, diuerſa eſſe; nam vetuſtas eſt *συνήθεια, ἔθος*, ſiue mores antiqui ac vetuſti, ſiue ius non ſcriptum. Canones verò priſtini ſunt *τύποι προςάξεις κανόνες κανόνικὰ διαλάγματα*, ſancita in Synodis. Iubet itaque Theodoſius priſcos omnes Canones, ritus & vetuſtatem, ſiue antiquum vſum in Illyrici Prouinciis ſeruandos omnino eſſe omni *innouatione ceſſante*, nempè non eſſe cogendos Illyricos aliarum Prouinciarũ Canones, ritus & mores, quos omnes qui boni & honeſti ſunt, & antiquo vſu probati, ſeruari in toto Illyrico Orientali vult Imperator, atque ita vetuſtos illos Canones in vniuerſum confirmat conſentaneè Canoni 6. Nicæno *τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, antiqua conſuetudo ſeruetur.* Neque plura de legibus à principibus latis, quibus in vniuerſum Canones Synodales confirmabant, afferenda videntur, cùm omnes confirmationes Synodorum ab iis factæ ita ferrent & omnes allocutiones atque Sacræ litteræ ipſorum ad Synodos ita loquantur.

17 Non modò autẽ Imperatores ſuis legibus, & edictis Canones Conciliorum vniuerſim confirmabant, & obſeruari præcipiebant, ſed etiam legibus ſpecialibus, & reſcriptis, quibus Eccleſiæ diſciplinæ certis in caſibus læſæ conſulebant, antiquos amplexi Canones; nam 1. *l. eum qui 19. C. de Epiſcop. & Cleric.* quæ etiam refertur *l. 45. in Codice Theodoſiano, eodem titulo*, Honorius & Theodoſ. Iunior prohibent Clericis, qui nuptias contrahere Canonibus vetantur, mulierem vllam *ἐπείσακτον* domi aſcitam, & quaſi focariam, vel, vt loquebantur, ſororem habere, excepta matre, ſorore, filia, & germana, in quibus nihil ſæui criminis exiſtimari fœdus naturale permittit. Hæc verò prohibitio à Canone Nicæno accepta eſt, & ab Hieronymo *Ep. ad Nepotianum*, aliiſque Patribus probata. Vide *cap. penult. de cohabitatione Clericor. & mulier.* & *lib. 1. capitul. c. 108. & 109.* quod cum *cap. 172. lib. 5.* conſonat. Quàm verò rigida fuerit hac in parte Academia Pariſienſis, quæ nequidem vetulam matrem vnius ex Profeſſoribus manere in gymnaſio permiſerit, docet Mainardus in *eam l. eum qui Codicis, verſ. matrem tamen.* Quod autem iidem Imperatores addunt in ſua lege, non eſſe expellendas domo eas quæ ante Sacerdotium maritorum, ipſis legitimo matrimonio fuerant coniunctæ, quod non habet Canon Nicænus, exſcriptum eſt ex Can. 6. Apoſtolico *Ἐπίσκοπος ἢ πρεσβύτερος ἢ διάκονος, τὴν ἑαυτοῦ γυναῖκα μὴ ἐκβαλλέτω προφάσει εὐλαβείας*, obtentu religionis, ſi eiecerit, excommunicetur, & ſi perſeuerauerit, deponatur, *ἐὰν δὲ ἐκβάλλῃ ἀφοριζέσθω ἐπιμένων δὲ καθαιρείσθω*: quare Leo I. *Epiſt. ad Ruſticum Narbonenſem, quæ eſt numero 92. cap. 5.* vbi de continentia miniſtrorum altaris, *Vnde vt de carnali fiat ſpirituale coniugium, oportet eos nec dimittere vxores, & quaſi non habeant, ſic habere, quò & ſalua ſit charitas coniugiorum & ceſſent opera nuptiarum.* Quantam verò in Epiſcopis Eccleſia ſemper pudicitiam hac in parte quæſierit, habet etiam Mainard. iam citatus *in eandem l. eum qui.* Neque opponas Can. 15. Concilij Nicæni, quod fuit VI. generale, permittere coniugatis initiatis ordinibus ſuas priores vxores retinere, & illis certis diebus vti: nam certum eſt VI. Synodum nullos edidiſſe Canones, & qui editi eius nomine, Canones eſſe conciliabuli Trullani; ac proinde ſpurios haberi, vt dicemus aliàs. Conſule interea Baron. anno *Chriſti* 58. Bellarm. *lib. 1. de verbo Dei, cap. 20.* & *lib. 2. de Roman. Pontif. cap. 17. & 18. lib. 1. de Concilijs, cap. 7. lib. 1. de Cleric. cap. 21.* & alios, atque hæreticam Balſamonis expoſitionem caue tanquam hæreticam.

18 Secundò Leo Imperator prohibuit Monachis egredi è Monaſterio, exceptis procuratoribus, & Apocriſiariis, *l. qui in Monaſteriis, C. de Ep. & Cleric. 29.* Sed ea ſanctio ex *Canon. 4.* Concilij Chalcedon. deſumpta fuit; qui Canon idem omninò vetat, ne Monachi negotiis ſiue ciuilibus, ſiue Eccleſiaſticis ſe immiſceant & aliquando totas Prouincias conturbent, vti de Barſuma factum in Syria multi queſti ſunt in eadem Synodo. Quare idem omninò de Monachis conſtitutum eſt à Leone I. Pontifice *Ep. 62. cap. 4.* ad Maximum Antiochenum, *Ep. 82.* ad Iulium Coënſem Epiſcopum & Conſtantinopol. legatum, *Ep. 63. c. 6.* ad Theodotum Cypri Epiſcopum, eſtque idem B. Bernardi ſenſus ſcribentis ad Hincmarum Romanæ Eccleſiæ Cancellarium *Ep. 40.* *Grauor intereſſe cauſis, quarum mea non intereſſe cognoſco: grauor, ſed trahor. Iudicantur, ſi placet, clamoſis ac importunis ranis de cauernis non egredi, ſed ſuis contentas eſſe paludibus, non audiantur in Conciliis, in palatiis non audiantur. Ad cauſſas, ad negotia nulla neceſſitas, nulla trahere poſſit authoritas. Sic forſitan poſſit veſter amicus declinare præſumptionis notam; nam noxam vnde contrahere potuerim, ignoro, cùm ſciam conſilij mei eſſe, & propoſitum, nunquam, ſi cauſa dumtaxat Ordinis noſtri non fuerit, exire de monaſterio, niſi Apoſtolicæ Sedis legato, aut proprio vocante Epiſcopo; quibus contradicere noſtra humilitati fas non eſt, niſi ex quoque ſuperioris authoritatis priuilegio.*

19 Petrus Damianus *in vita S. Romualdi* laudat duos eius Monachos *cap. 28.* Ioannem & Benedictum, qui à Buſelano Sclauorum rege Romam cum donis deſtinati vt coronam regni ſui Sedis Apoſtolicæ authoritate caperet, qui id facere recuſantes reſponderunt: *Nos in ſacro ordine poſiti ſumus: nobis ſæcularia negotia tractare non licet: & ita relinquentes regem ad cellam reuerſi ſunt.* Theodoſius & Valentinian. *l. 7. C. nemini licere ſignum Chriſti*, prohibent ſignum Chriſti, id eſt crucem *σταυρὸν τίμιον*, vt dicitur *Eclog. 1. cap. 15.* Venerabilem crucem vocat *l. 26. cap. de Epiſcop.* humi vel in ſilice, vel marmore inſculpere, aut pingere, & quodcumque tale reperitur, tolli ſub graui pœna; quæ lex impietatis argui nequit, cùm in Concilio Eliberitano *Can. 36.* prohibeatur pictura in Eccleſia, & quod colitur, aut adoratur in parietibus depingi. Quod Concilium circa tempora Nicæni habitum eſt, & antiquiſſimum eſſe conſtat ex eius erudito commentatore. Sanè præceſſit hanc Imperatoriam conſtitutionem, neque dicas hunc Illiberitanum Canonem ſuppoſititium videri Baron. *an. 52.* & ſuppoſitum eſſe à quodam Claudio Hiſpano Epiſcopo Iconoclaſto, qui Felici Vrgelitano fauit, & cum eo damnatus eſt: nam & ipſe Baron. *an. 35.* aliud cenſuit: & ſane eo non damnantur Imagines, vt pluribus exponunt Mendoza,

&

& Gondiſalvus de Teles *in huius Canonis commentariis*, varias Catholicorum expoſitiones afferentes, de quibus aliàs, ſiue quod agat de Dei Imaginibus, quem nolebant more Gentilium variis formis, interdùm etiam ineptis exprimi, ſiue quòd vereatur aliquam contumeliam inferri ſacris Imaginibus, ſiue vt poſſint ingruente perſecutione facile auferri & occultari, ſiue aliis piis de cauſis. Vſum autem & cultum Imaginum viguiſſe etiam ante ea tempora in Hiſpania, docent ijdem Commentatores, colligitúrque ex II. Nicæna Synodo: quare ob ipſum honorem imaginum, conditus eſt hic Canon Illiberitanus, de quo plura *alibi*. Neque aliud voluerunt Theodoſius & Valentinianus cum crucem humi inſculpi aut in ſilice vetuerunt, quod idem in Synodo Trullana *Can.* 73. prohibitum.

20 Plurima alia, immò omnia Chriſtianorum principum edicta de rebus Eccleſiaſticis lata, Canonibus ſacris conſona eſſe, aut ad eorum tuitionem, & confirmationem atque obſeruationem ſancita fuiſſe, facile foret oſtendere, & ex nomocanone Photij, aliorúmque ſatis conſtare poteſt; quin etiam aliquando ipſa Canonum verba tranſcribebant. Quare Clotharius I. ann. 615. Canones antiquos toto regno promulgari voluit: *Definitionis noſtræ eſt, vt Canonum ſtatuta in omnibus conſeruentur, & quod per tempora ex hoc prætermiſſum, vel dehinc perpetualiter obſeruetur.* Aliàs in ipſis Conciliis cum omni Epiſcoporum, ſacerdotum, ſeruorum Dei, & Optimatum eorum conſenſu edicebant, vt loquitur Childericus in Concilio Liptinenſi ſub Zacharia, ann. 744. *Pro morum reformatione, & vt Eccleſiaſtica regula, & lex Dei, quæ in diebus priorum principum corruerat, recuperaretur.* Idem profitetur Pipinus Rex in Concilio habito Vernis in palatio: ſe enim Concilium coëgiſſe ait, *recuperare aliquantiſper cupiens inſtituta Canonica, & quia facultas modo non ſuppetit, ad integrum tamen aliqua ex parte vult eſſe correctum, quod Eccleſiæ Dei valdè cognoſcitur eſſe contrarium.* Et in Concilio Liptinenſi anno 747. idem teſtatur Carolomannus: immò & hæc capitula ex Canonibus deſcripta magnâ reuerentiâ proponebant Synodis, & Epiſcopis principes in ſuis edictis. Inſigne eſt Caroli Magni factum in Capitulari Aquiſgranenſi, quod ex loco, in quo editum eſt Caroli Magni in Aquiſgrani Palatio, ſic nominatum fuit: ſic enim orditur: *Ego Carolus gratiâ Dei eiúſque miſericordiâ donante, Rex & Rector regni Francorum, & deuotus ſanctæ Dei Eccleſiæ defenſor, humiliſque adiutor, omnibus Eccleſiaſticæ pietatis ordinibus, ſeu ſæcularis potentiæ dignitatibus in Chriſto Deo æterno perpetuæ pacis & beatitudinis ſalutem.* Addit deindè cauſam, quæ illum ad hanc admonitionem faciendam mouit: quia nimirum vnà cum ſuis Sacerdotibus, & Conſiliariis diuinam in ſe & regnum ſuum clementiam, ac beneficia pro illis & gratias redderet, & bonis operibus inſiſteret ad continuam illam Numinis protectionem demerendam. *Quapropter placuit nobis veſtram rogare ſolertiam, ô paſtores Eccleſiarum Chriſti, & ductores gregis eius, & clariſſima Mundi luminaria, vt vigili curâ & ſedulâ admonitione populum Dei per paſcua vitæ æternæ ducere ſtudeatis, & errantes oues bonorum exemplo operum, ſeu adhortatione, humeris intra Eccleſiaſticæ firmitatis muros reportare ſatagatis: ne lupus inſidians aliquem Canonicas ſanctiones transgredientem, vel paternas traditiones vniuerſalium Conciliorum excedentem, quod abſit, inueniens deuoret.* Deinde nequis ſuam admonitionem (ſic enim ſuum edictum nominat) temeritatis arguat, vt qui ſibi munus indebitum vſurpet, ait ſe miſſos ſuos deſtinaſſe, qui ſui nominis auctoritate vnà cum ipſis Epiſcopis, quibus nempè vim neceſſariam præberent, quæ corrigenda eſſent, corrigeret, tum addit modum quo corrigenda eſſent, & regulam ad quam forent exigenda: *ſed & aliqua Capitula ex Canonicis inſtitutionibus quæ magis vobis neceſſaria videbantur, ſub maximis ne aliquis quæſo huius pietatis admonitionem eſſe præſumptuoſam putet vel iudicet, qua nos errata corrigere, ſuperflua abſcindere, recta coarctare ſtudemus, ſed magis beneuolo charitatis animo ſuſcipiat.* Affert deinde Ioſiæ exemplum, quem licet ſanctitate impar imitari vult, additque, *Quapropter, vt prædiximus, aliqua capitula notare iuſſimus, vt ſimul hæc eadem vos admonere ſtudeatis, & quæcunque vobis alia neceſſaria eſſe ſcitis, vt & iſta, & illa æquali intentione prædicetis.* Quibus verbis liberam quam habent Epiſcopi poteſtatem indicendi quæ vellent, reliquit, & ſibi ſolùm ſumpſit operam promouendi, iuuandíque eorum obſeruationem, & ſe de iis, quæ neceſſaria ſunt, admoneri cupit ſequentibus Ludouicus pius genitoris veſtigia conſectando, cùm plurima emendanda videret. Generalem Synodum anno tertio ſui Imperij, Chriſti 816. Aquiſgrani coëgit, *vt illã conſuleret, & immò conſulendo admoneret*, vt dicitur in illius præfatione, in qua ſubiungitur: *Ad quam admonitionem ſacer conuentus intimo gaudio repletus, expanſis in cœlum manibus, Creatori omnium gratias agens benedixit, quippe talem, tam pium, támque benignum Eccleſiæ ſuæ ſanctæ principem, cunctiſque eius neceſſitatibus ſapientiſſimum, ac deuotiſſimum prætulerit procuratorem.* Ita enim videlicet Ludouicus ſe gerebat, potiùs quàm Eccleſiæ dominantem. Addunt PP. eiuſdem principis liberaliſſimâ largitione copiam librorum habuiſſe, ex quibus Canonicam, quam moliebantur, inſtitutionem colligerent. Hæc deindè Concilij monita & inſtituta Ludouicus ad Sicharium Archiepiſcopum Burdegalenſem miſit per Adalelmum miſſum ſuum, vt cæteris Epiſcopis & prælatis Eccleſiæ in vnum coactis prælegi curaret; ipſe verò in Armario palatij ſui eius exemplum retinuit, *vt nihil in ſe ſcriptorum vitio deprauationis, aut detruncationis habens incolumis perueniret.* In capitulari deindè poſt Synodum edito, ſe vbique & in ſingulis capitib. ſacros Canones ſectari ſignificat, & maximè *cap.* 26. de puellis velandis allegat Concilium Africanum, *cap.* 16. quod non vult velari ante ann. 25. verùm cùm illud tempus imminutum fuerit generalis Tridentinæ Synodi decreto, Capitulare Ludouici, quod vno Concilij Africani Canone ducitur, aliter ex Synodi generalis mente tunc pronunciaſſet in Capitular. II. admonitionem ſuam ſacris Canonibus conſentaneam apertè indicat, in his maximè, quæ ad ſacros miniſtros pertinent. *in Capitular. III. ann.* 823. in Aquisgrani palatio habito, proponuntur capitula, quæ in Conciliis, quæ in quatuor locis habenda erant, expenderentur, vti omnia conſtituerentur auctoritate Eccleſiaſtica, & deindè regia. Vide præfationem Pariſienſis Concilij VI. eiuſdem Ludouici Imp. an. 16. Vide & eiuſdem diploma de ordine in Monaſterio S. Dionyſij, auctoritate Epiſcoporum reſtituto, in quo quænam ſint Imperatoris partes in emendandis ordinum Eccleſiaſticorum noxis, docet, & tandem ait: *Quapropter ſæpiſſimè Sacerdotes Domini, quorum id officij eſſe noueramus, admonere curauimus, ac noſtram principalem auctoritatem adiutricem ad eorum miniſterium, iuxta voluntatem Dei exequendum promptè exhibuimus.* Deindè de emendatione Monaſterij S. Dionyſij: *Ad eoſdem præſules Eccleſiarum idem cenſuimus referre negotium, vt noſtri principatus authoritate, eorúmque iudicio, quibus tanta eſt collata poteſtas à Domino, idem ordo in eodem loco abſque retractatione reſtitueretur.*

21 Lotharius poſt mortem Ludouici Pij in ſuo Capitulari, quod edidit Goldaſtus, plurima ex capitulis Caroli, & Ludouici refert, & vult illa pro legibus haberi:

haberi: *Placuit*, (inquit) *nobis vt hæc capitula, quæ excerpſimus de capitulis ſanctæ memoriæ aui noſtri Caroli, ac domini noſtri Ludouici Imperatoris, ab omnibus ſanctæ Eccleſiæ Dei, ſeu noſtris fidelibus in regno Italiæ conſiſtentibus pro lege teneantur, & conſeruentur; & quicunque huius capitularis contemptor extiterit, ſexaginta ſolidis componat, ſicut in capitulis prædicti aui domini noſtri.* Quæ trium principum Capitula, cùm in iis quæ pertinent ad diſciplinam Eccleſiaſticã, conſona ſint ſacris Canonibus, aut etiam ex ipſis tranſcripta, & *hos Canones* pro lege haberi voluiſſet, vides ipſos nullã legem Eccleſiaſticam inuitis Sacerdotibus & Conciliis, aut nullo habito ipſorum conſenſu, aut ad eos reſpectu tuliſſe. Quare Leo IV. *Ep. ad Lotharium* ſcribit, vti refert Gratian. *diſt.* 10. *C. de capitulis. De capitulis vel præceptis Imperialibus veſtris, veſtrorúmque prædeceſſorum irrefragabiliter cuſtodiendis & conſeruandis quantùm valuimus, & valemus, Chriſto propitio, & nunc, & in æuum nos conſeruaturos modis omnibus profitemur: & ſi fortaſſe quilibet aliter vobis dixerit, vel dicturus fuerit, ſciatote eum profectò eſſe mendacem.* Idem Epiſtolæ fragmentum refert Iuo 4. *par. cap.* 176. & *in Panorm. lib.* 1. *cap.* 149. in eo tamen diuerſus à Gratiano, quod legerint, *veſtris noſtrorúmque etiam prædeceſſorum Pontificum*, & in Panormia, *Veſtris veſtrorúmque Pontificum & prædeceſſorum.* Vnde malè colligunt aliqui Imperatores etiam Chriſtianos Pontificis nomẽ ſibi retinuiſſe, quod multò tempore ante Lotharium reliquerant; quare neque Gratiani lectionem eo ſenſu probauerim, neque etiam Iuonis: non dubitabat enim Lotharius an Leo priorum Pontificum Romanorum capitula ſeruaturus eſſet, ſed an ſua & priorum Imperatorum, maximè aui Caroli, & parentis Ludouici, quibus in Imperio ſucceſſerat; quod ſe facturum ſanctè profitetur Leo, & meritò certè, cùm tria illa Capitularia & conſtitutiones Eccleſiaſticæ in ipſis contentæ ex Epiſcoporum & Optimatum regni conſilio latæ fuiſſent. Quare in pluribus Synodis poſterioribus laudata videmus ea capitula. Synodus Meldenſis ann. 845. imperante Carolo Caluo habita, poſtulat *cap.* 78. vt capitula Eccleſiaſtica à domino Carolo magno Imperatore, necnon & à domino Ludouico Pio Auguſto promulgata obnixè obſeruari præcipiantur, ſicut & legalia obſeruanda eſſe noſcuntur.

22 Fuêre itaque principes maximè Franci, dum leges conderent de rebus Eccleſiaſticis, omninò ſolliciti vt Canones tuerentur, nihilque ipſis diſſonum ſtatuerent, & ex conſilio Sacerdotum agerent: quinimmò ſi quod dubium de mente Canonum & diſciplina Eccleſiaſtica oriretur, Sacerdotes, hoc eſt prælatos, conſuli voluerunt, & ſi quidpiam in ſuis edictis aduerſarium ſacris Canonibus excidiſſet, illud nullum & inualidum eſſe iuſſerunt.

23 Et quidem in dubiis antequam quidquam ſua lege definirent principes, aut Iudices regij pronuntiarent, conſultos fuiſſe Pontifices obuium eſt. Eius rei duos, eóſque locupletiſſimos teſtes afferre ſufficiet: primus eſt Theodoſ. Iunior anno Chriſti 421. ſtatuit *l. omni innouatione* 45. *C. Theod. de Epiſcopis, & Clericis* præcipit omnes priſtinos Eccleſiaſticos Canones per omnes Illyrici Prouincias ſeruari, vti in cæteris reliquarum diœceſeon Prouinciis, ita vt ſi quid innouatum fuerit contra Canones, Epiſcoporum incuriã, vel ambitu, omni effectu careat. Reſtituit igitur Theodoſius moribus antiquis & Canonibus integram auctoritatem, & omnes renouationes reiicit. Deindè ſecunda parte conſtitutionis addit: *Tum ſi quid dubietatis emerſerit, id oporteat non abſque ſcientia viri reuerendiſſimi ſacroſanctæ legis Antiſtitis vrbis Conſtantinopolitanæ, quæ Romæ veteris prærogatiua lætatur, conuentui Sacerdotali, ſanctóque iudicio reſeruari*, hoc eſt, ſi dubietas emerſerit ſuper vetuſtate, & Canonibus Eccleſiaſticis alicuius Illyricæ Prouinciæ, déque interpretatione, & obſeruatione illius, id reſeruandum eſſe *conuentui Sacerdotali ſanctóque iudicio*, hoc eſt ad Synodum totius diœceſeos, ſeu Epiſcoporum omnium totius diœceſeos referendum, & non ſola principis auctoritate, aut iudicium ipſius ſententiã definiendum: id tamen in Illyrico fieri non debebat ſine ſcientia Archiepiſcopi Conſtantinopolitani, non quod ipſius ſententiã definienda eſſet quæſtio, quæ à Synodo totius diœceſeos terminanda erat, ſed monendus de illa erat Conſtantinopolitanus qui & ſuum ſenſum, ac mentem aperire poterat: atque hic eſt verus legis Theodoſianæ ſenſus. Non moror enim hoc loco in refellendis Photij *in nomocan. tit.* 9. *cap.* 1. & Molinæi falſis expoſitionibus, atque illuſtriſſimi Perronij ſententia: id enim accuratè præſtiterunt de Marca *l.* 4. *de concord. cap.* 2. *n.* 1. 2. & 3. & Iacobus Gothofredus *in commentariis huius legis Theodoſianæ*: ſufficit enim præſenti inſtituto voluiſſe principes, vbi de mente Canonum & eorum legitima obſeruatione dubitatur, eã dubitationem *conuentui ſacerdotali, ſanctóq; iudicio*, hoc eſt Synodo diœceſanæ definiendam relinqui.

Alter huiuſce obſeruantiæ aduersùs Canones à 24
principibus in eiuſmodi dubiis exhibitæ teſtis omni exceptione maior eſt Carolus Magnus, de quo etiam Marca *l.* 2. *c.* 12. *n.* 6. cùm enim quæreretur an presbyteri vehementi ſuſpicione laborantes, ſed non penitùs conuicti, damnandi eſſent, & diutiùs Synodi Gallicanæ nihil certi ſtatuiſſent; ideóq; in Francofordienſi illam ab vniuerſali Galliarum Concilio definiri vellet Carolus, quem diuturnæ illæ quæſtiones torquebant, vt quidpiam certi definiretur, legatos ad Leonem III. miſit, & intereà monuit Epiſcopos, & proceres regni vt de hoc toto negotio inter ſe accuratiùs conferrent, vt certi aliquid conſtituere poſſet; quod tandem conſultu Leonis Apoſtolici, cæterorúmque Romanæ Eccleſiæ Epiſcoporum, & reliquorum Sacerdotum, ſiue Orientalium & Græcorum Patriarcharum, & multorum ſanctorum Epiſcoporum, & Sacerdotum, necnon & noſtrorum Epiſcoporum omnium, cæterorúmque Sacerdotum, & Leuitarũ auctoritate, & conſenſu atque reliquorum fidelium, & cunctorum Conſiliariorum noſtrorum conſultu *definitum eſt edicto regio.* Quam definitionem habes *lib.* 5. *capitul. c.* 34. Pontificiam verò conſultationem petitam *cap.* 33. Idem contigit in quæſtione de auctoritate Chorepiſcoporum, qui ordinabant presbyteros, Diaconos, & Subdiaconos, confirmabant baptizatos, & Eccleſias, & Virgines benedicebant. Qua de controuerſia Leonem III. conſuluit Carolus, miſſo ad illum Arnone Archiepiſcopo, vt ipſemet Carolus explicata quæſtione, miſiſſe ſe dicit *lib.* 7. *c.* 183. ex Canonica authoritate, quæ iubet maiores cauſas ad Sedem Apoſtolicam incunctanter referri. *Ibid.* addit Leonis reſponſum & Synodi, quam Ratiſbonæ coëgerat, aſſenſum. Reſpondit Pontifex nullam partem muneris Epiſcopalis attingendam eſſe à Chorepiſcopis, & quidquid in Ordinationibus, & Benedictionibus attentaſſent, vitioſum & irritum eſſe; & qui id fecerint, deponendos. Quo reſponſo accepto Carolus conuentum generalem Ratiſbonæ indixit, in quo reſponſum Leonis probatum eſt, & edicto regio confirmatum, vt habetur *lib.* 7. *Capitul. cap.* 328. his verbis: *Placuit ſicut Leonis Papæ, & omnium Epiſcoporum noſtrorum, atque reliquorum fidelium generali & Synodali conuentu decreuimus, vt nullus Chorepiſcopus*, quod etiam *cap.* 329. repetit: pœnam verò depoſitionis & exilij, quam Leo reis iſtis Chorepiſcopis inflixerat, Synodus illo permit-

tente

tente molliuit, vt dicitur *cap.* 187. *Iſta verò omnes maximè regni nobis à Deo commiſſi Epiſcopi eum eodem Arnone permittente præfato Apoſtolico miſſus tractantes iam dictos villanos Epiſcopos inter presbyteros ſtatuerunt.*

25 Voluerunt prætereà principes leges à ſe de cauſis Eccleſiaſticis latas irritas & nullas eſſe quoties Canonibus liquidò aduerſantur. Sic edicunt Imperatores Valentinian. III. & Marcian. an. 454. *l. priuilegia* 12. *C. de ſacroſanctis Eccleſiis*: *Omnes ſanè pragmaticas ſanctiones, quæ contra Canones Eccleſiaſticos interuentu gratiæ vel ambitione elicitæ ſunt, robore ſuo, & firmitate vacuatas ceſſare præcipimus.* Quare vniuerſim pronuntiauit Gothofred. in notis: *Canones vbi agitur de re Eccleſiaſtica iuri Ciuili præferendi.* Habemus & illuſtre exemplum ex Synodo Chalcedon. *Act.* 4. inter Photium Tyri, & Euſtathium Beryti, Epiſcopos, qui ſingula iura Metropolitani Phœniciæ ſibi vindicabant: Euſtathius enim diploma obtinuerat à Theodoſ. quo Berytus Metropolis conſtitueretur, eique Eccleſias quaſdam eo iure ſubiectas habuerat, quas à Tyro, quæ vna erat Phœniciæ Metropolis, auulſerat. Quare Photius in Concilio queritur, ſua iura violata, & contra Patrum regulas factum fuiſſe; ideoque poſtulat Theodoſij pragmaticum reſcindi, & interrogari vult quid ex regulis ſanciat Synodus, quas vnas ſeruari depoſcit: *Ego enim*, inquit, *à regulis Patrum non diſcedo, nec volo typos euertere, ſed poſtulo, ne iura illa euertantur*, ἐγὼ γάρ τῶν κανόνων οὐκ ἐξίσταμαι οὔτε τύπους τῶν πατέρων ἀνατρέψαι βούλομαι· ἀλλ' ἐκεῖνα τὰ δίκαια μὴ ἀνατραπῆναι. Iudices verò qui nomine Imperatoris Marciani aderant, cùm ageretur de pragmatico Theodoſij, reſponderunt Imperatorem velle cauſas Epiſcoporũ ſecundùm Canones, non ſecundùm pragmaticas & ſacras Imperatorũ litteras finiri, & iudicari, τῷ θειοτάτῳ δεσπότῃ τῆς οἰκουμένης ἤρεσε, μὴ κατὰ θεῖα γράμματα ἢ πραγματικοὺς τύπους τὰ τῶν ὁσιωτάτων ἐπισκόπων προβαίνειν. Itaque iubent remotis pragmaticis definitionibus legi quid Canones ea in controuerſia definiant, rogántque ſacram Synodum an velit ex Canonibus, an ex pragmaticis ſacris, ſiue Imperatoriis rem examinari, & definiri, quandoquidem iam accepit quidnam ſacro apici τῇ θείᾳ κορυφῇ, videatur nimirum Imperatori, nolle pragmatica ſua præhaberi Canonibus; reſponditque ſancta Synodus: κατὰ τῶν κανόνων πραγματικὰς μηδὲν ἰσχύουσιν οἱ κανόνες τῶν πατέρων κρατήτωσαν. Et inferiùs ſæpè acclamauit Synodus, *vt Canones & regulæ obtinerent.* Et tandem Cecropius Epiſcopus petiit à iudicibus, decernerent vt pragmaticæ, quæ contra Canones Eccleſiarum ſtatum, & ordinationum iura immutant, in vniuerſum reuocentur. Friderici Ænobarbi conſtitutio anno 1220. nota eſt, & *in Codicem de ſacroſanctis Eccl. poſt l.* 12. *Marciani nuper adductam, relata*, cùm eodem pertineant. Iubet Fridericus, *omnia ſtatuta & conſuetudines contra libertatem Eccleſiæ eiúſque perſonas inductas aduersùs Canonicas & Imperiales ſanctiones, nullas eſſe ipſo iure, & de capitularibus penitùs aboleri mandat.* Balſamon *ad tit.* 1. *cap.* 2. *Nomocanon. Photij*, ait, *Canones à ſanctis Patrib. & Imperatoribus editos, atque confirmatos ſuſcipi tanquam diuinas ſcripturas*, ὡς αἱ θεῖαι γραφαὶ δέχονται: leges autem à ſolis Imperatoribus editas, non obtinere vim aduerſus diuinas ſcripturas & Canones, οὐ κατισχύσει τῶν θείων γραφῶν οὐδὲ τῶν κανόνων. Quare Honorius III. *cap. nouerit*, 49. *de ſentent. excommunicat.* eos excommunicat, qui ſtatuta & conſuetudines contra Eccleſiæ libertatem retinerent, & intra duos menſes de Capitularibus non delerent, conſentaneè nimirum Friderici conſtitutioni, & iam olim Nicolaus I. ad Siluanectenſem Synodum *Ep.* 32. negat in omnibus Eccleſiaſticis controuerſiis vtendum eſſe, *præſertim cùm inueniuntur Euangelicæ, ac Canonicæ ſanctioni obuiare*, quod probat teſtimonio Innocentij *Epiſtola* 10. *decretali ad Alexandrum Antiochenum Epiſcopum*, vbi de diuiſis Imperiali iudicio Metropolibus. Adducit deindè Gregorij verba ſcribentis ad Theotiſtam patriciam *lib.* 9. *Ep.* 39. negat enim diſſoluenda eſſe coniugia religionis cauſâ: quia etſi hoc lex humana conceſſit; lex tamen diuina prohibuit. Verba Nicolai refert Gratian. *Can.* 1. *diſt.* 10. & Ivo 4. *par. cap.* 187. vbi ex eod. Nicolao ait: *Imperiali iudicio non poſſe Eccleſiaſtica iura diſſolui*, non eſſe tamen Imperatorum leges rejiciendas, ſed tantùm eas Euangelicis, Apoſtolicis, atque Canonicis decretis poſtponendæ ſunt, nullum inferre poſſe præiudicium.

Quamvis autem ipſi etiam principes noluerint ſuas ſanctiones valere, vbi ſacris Canonibus aduerſarentur; vbi tamen illæ non aduerſarentur, eas ſeruari voluerunt ipſi Pontifices, & ſi quando aduerſæ forent, reſcindendæ eſſent, eas ab ipſiſmet Imperatoribus reſcindi humillimè poſtulârunt, quod modo factum vidimus ab ipſamet Synodo Chalcedonenſi in cauſa Photij Tyri, & Euſtathij Berythi Epiſcoporum: rogauit enim Synodus iudices Marciani vt pragmaticæ contra Patrum regulas, & Canones latæ reuocarentur, & vt deinceps nullius eſſent roboris. Illuſtre etiam exemplum ſuppeditat Marca *lib.* 2. *c.* 11. *n.* 8. & ex S. Gregorio, qui legem Mauritij, etſi Eccleſiaſticæ libertati contrariam, vt quæ militibus Monachiſmum profiteri vetaret: illam tamen Deo minimè concordare Mauritium admonuit, vt eam videlicet reuocaret, ac reſcinderet *lib.* 2. *Ep.* 61. Duo imperabat ſua lege Mauritius, primò vt adminiſtrationibus publicis implicato ad Eccleſiaſticum officium venire non liceret, quod laudat Gregorius, *ſciens quia qui ſæcularem habitum deferens ad Eccleſiaſtica officia venire feſtinat mutare vult ſæculum, non relinquere.* Neque dicas Gregorium aduerſari hoc loco Innocentio I. vt refertur *d.* 51. *cap. præterea* vbi meminit edicti Imperialis, quo præcipitur eiuſmodi homines à Monaſterio reuocari. Ita iuſſerat Conſtantin. *l. Officiales* 4. *C. de Epiſcop.* & Imperat. Arcad. & Honor. *l. ſi quis*, 12. *Cod. eod. de Curialib.* 26

Reſpondeo, eas leges intelligendas de adminiſtratoribus rei publicæ, vel priuatæ, atque curialibus obnoxiis reddendæ rationi, antequam ea reddita ſit, & ipſi libertati eiuſmodi rationibus propter cauſas, quas attulimus *lib. ſingulari, de irregularitat. c.* 3. *q.* 5. *à n.* 10. neque eam legem Innocentius, alijque Pontifices reuocarunt, & probauit ipſe Gregor. *Epiſt.* 61. *citata.* Alterum caput legis Mauritianæ erat, *vt nulli qui in manu ſignatus eſt, conuerti liceat*, hoc eſt militi non liceat fieri Monachum. *Quam conſtitutionem ego fateor* (inquit) *dominis meis vehementer expaui: quia per eam cælorum via multis clauditur, & quod nunc vſquè licuit, ne liceat prohibetur*, &c. *Ego verò hæc dominis meis loquens, quid ſum, niſi puluis & vermis? Sed tamen quia contra auctorem omnium Deum hanc intendere conſtitutionem ſentio, dominis tacere non poſſum*, &c. *Apertâ voce dicitur, vt ei qui ſemel in terrena militia ſignatus fuerit, niſi aut expletâ militiâ, aut pro debilitate corporis repulſus Domino noſtro Ieſu Chriſto militare non liceat.* Plurima alia addit, quibus ab ea lege Mauritium dehortatur, eam tamen tranſmitti ſe feciſſe fatetur: *Ego quidem iuſſioni*

ſubiectus, *eandem legem per diuerſas terrarum partes transmitti feci: quia lex ipſa omnipotentis Dei minimè concordet, ecce per ſuggeſtionis meæ paginam sereniſſimis dominis nunciaui. Vtrobique ergo quæ debui exolui, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo, quod ſenſi, minimè tacui.* Hanc tamen Epiſtolam Gregor. noluit per ſuum Reſponſalem Mauritio reddi, ſed per ipſius medicum Theodorum, vt ait *Epiſt. 64. ad eundem Theodorum, eod. libro ſecundo*, in qua de iniquiſſima lege queritur, & ſimilem legem primùm quondam protuliſſe Iulianum Dei aduerſarium affirmat. Ita verò tranſmittit legem ad Metropolitanos, vt ſimul doceat quomodo ea ſeruanda & temperanda ſit, *libro ſeptimo, Epiſt. 2. ad Theſſalonicenſem, & alios Epiſcopos*, vt non admittantur ad monaſteria iſti actionibus publicis implicati, niſi priùs illis abſoluti fuerint: milites verò non niſi vita eorum fuerit viſibiliter inquiſita, & in ſuo habitu permanentium iuxta normam regularem probati, additque ſic placari Imperatorem. Neque alia ratione edicta Imperatoria ad præfectos prætorio mittebantur, qui à legum executione abſtinebant, aut eas molliebant, donec Imperatori ſuggeſſiſſent quæ publica vtilitas ea in parte depoſceret. Mirare interim Magni Gregorij ſubmiſſionem animi & prudentiam, quam eandem probauit in cauſa Alcyſoni Corcyritani Epiſcopi, & Gregorij Iſauri etiam Epiſcopi, circa caſtrum Caſſiopi, quod Iſauriæ Epiſcopo à Mauritio principe tributum fuerat, & Corcyritano Epiſcopo auulſum: nam cùm capta ab hoſtibus Iſauria, eius Epiſcopus Corcyram cum ſuo Clero delatis ſecum martyris Donati reliquiis ſeceſſiſſet, impetrauit à Mauritio principe, vt Caſſiopi caſtrum cum eius Eccleſia S. Ioannis ipſi tribueretur & à Corcyritana Eccleſia reſcinderetur. Quare Alcyſonus Corcyritanus Epiſcopus interceſſit, cùm illa Mauricij iuſſio contra leges, & Canones facta foret. Itaque lis Andreæ Nicopoleos Epiſcopo, & metropolitæ diiudicanda credita eſt, etiam principali iuſſione. Metropolita ſecundùm Alcyſonum Corcyritanum Epiſcopum iudicauit, eámque Metropolitæ ſententiam Gregorius, vtpote ſecundùm Canones latam, confirmauit; ea tamen conditione, vt Gregorius Iſauriæ Epiſcopus caſtrum Caſſiopi tamdiu precario retineret, quandiu Iſauria in hoſtium poteſtate eſſet: tunc verò ad ſuam Eccleſiam cum ſuo Clero & reliquiis Donati martyris reuerteretur. Huic tamen ſententiæ eiúſque confirmationi Gregorij non acquieuit Iſaurus Epiſcopus, ſed à Phoca, qui Mauritio ſucceſſit in Imperio, reſcriptum per ſubreptionem obtinuit, quo caſtrum Caſſiopi Iſauriæ Epiſcopo confirmatur, contra Metropolitæ ſententiam, Pontificis ſummi confirmationem, & Canonum iura. Quid faceret in in his anguſtiis Gregorius, ne Canones infringi pateretur, & Pontificiam auctoritatem violari, & ne Imperatoris iram prouocaret? Scribit ad Bonifacium Reſponſalem ſuum Conſtantinopoli, vt hæc omnia Imperatori exponat, agátque cum ipſo, vt ipſemet ſuam iuſſionem reuocet, ac ſuam mentem nouo reſcripto explicet, atque ita iura Canonica ſeruentur, & principis maieſtas non violetur. Audi illum *libro 12. Epiſt. 3. Itaque dilectio tua pietati eius* (Imperatoris nimirùm) *cuncta diligenter inſinuet, atque conſtanter adſtruat hoc omnino illicitum, omninò prauum omninò iniuſtum, & ſacris valdè Canonib. inimicum, & ideò huiuſmodi temporibus ſuis introduci Eccleſiæ præiudicium non permittat. Sed quid de hoc negotio iudicatum antefacti quondam Metropolitæ iudicium contineat, vel à nobis qualiter ea quæ ab illo decreta ſunt, confirmata fuerint, ſuggerat, atque id agere ſtudeat, vt eùm eius iuſſione noſtra illic ſententia tranſmittatur: & quatenùs ſerenitati ipſius, ſicut dignum eſt, reſeruaſſe & rationabiliter correxiſſe, quæ malè præſumpta videbamur. Qua in re omninò danda opera eſt, vt, ſi fieri poteſt, etiam iuſſionem ſuam ipſe tribuat, in qua ea quæ à nobis definita ſunt, ſeruari præcipiat: nam hoc facto omnis de cætero ſubreptionis locus obſtruitur*, &c. Childebertus Rex Sapandum Arelatenſem Epiſcopum accuſatum, iudicio cuiuſdam inferioris Epiſcopi ſubiecerat: qua de re conqueritur Pelagius I. *Epiſtola 11. ad eundem Regem*, in hunc modum: *Paſſi eſtis ſubripi vobis Sapandum fratrem & Coepiſcopum noſtrum, Arelatenſis ciuitatis Antiſtitem, cuius Eccleſia in regionibus Gallicanis primatus priuilegio, & Sedis Apoſtolicæ vicibus decoratur, ad petitionem Epiſcopi ab ipſo ordinati in iudicium ſequentis ciuitatis Epiſcopi, quod nulla Eccleſiaſticâ lege vel ratione conceditur, iudicandum iuberetis occurrere: vt ipſo de conculcato loci ſui præiudicio conquerente, illum, qui vſurpauit, neceſſe ſit de illicita præſumptione culpari. Pro quibus Chriſtianitatis veſtræ confidentiâ freti, paterno ſtudio poſtulamus, vt ſi quid eſt tale factum, congruâ ſatisfactione celeriter amputetur, nec vllum ſui exemplum in perturbatione Eccleſiarum, quas vobis Deus credidit, relinquere concedatur.*

Ex quibus vides imprimis perpetuam poteſta- 27
tis Eccleſiaſticæ & principalis in tuenda Eccleſiaſtica diſciplina conſenſionem, atque amicitiæ fœdus, cùm neutra alterius inuadat iura, ſed vna alteram foueat, eóque conſenſu Mundus cum ſumma pace adminiſtretur, *eáque conſenſione duarum poteſtatum ſit vna vis* (inquit Gregor. II. *Epiſt. ad Leon. Imperat.* (Συμβουλία δὲ τῶν φιλοχρίστων βασιλέων, ϗ τῶν εὐσεβείων ἀρχιερέων μία δύναμις ἐστιν ὅταν μετ' εἰρήνης, ϗ ἀγάπης τὰ πράγματα διοικῶνται, Chriſti amantium, & piorum Pontificum conſenſus, & vnio, eſt vna poteſtas, quoties cum pace & charitate operantur. Quare ſapienter omninò Orientales Epiſcopi *Epiſt. ad Tharaſium Conſtantinopolitanum*, vti refertur in *VII. Synodo Actio 3.* gratulantur, vtriuſque huius poteſtatis diſcordiam eſſe diſciſſam, & ruptum maceriæ murum pacémque redditam Eccleſiæ, ἱερωσύνη γὰρ βασιλείας ἁγιασμὸς, ϗ βασιλεία ἱερωσύνης ἰσχὺς ϗ κραταίωμα, Sacerdotium eſt Imperij ſanctificatio, & Imperium Sacerdotij firmamentum & fortitudo: adducúntque ſapientiſſimi, & ſanctiſſimi Regis dictum, Deum duo maxima dona hominibus dediſſe, Sacerdotium & Regnum, μέγιστον δῶρον θεὸς ἀνθρώποις παρέσχεν ἱερωσύνην, ϗ βασιλείαν: quia Sacerdotium regit cœleſtia τὰ οὐράνια κατακοσμοῦσαν, ϗ διέπουσαν: Imperium verò iuſtis legibus terrena moderatur, διακρίνουσαν θεσμοῖς δικαίοις τὰ ἐπίγεια. Rationem reddunt, Leo & Conſtantin. *in Ecloga edita an. 837 tit. 3.* §. 8. quia cùm reſpublica corpus quoddam ſit, ſuis membris & partib. conſtans, ſicut corpus humanum, præcipuæ & principes partes ſunt princeps, & Patriarcha, τὰ μέγιστα, ϗ ἀναγκαιότατα μέρη, βασιλεύς ἐστι, ϗ πατριάρχης: ideoque ſubditorum felicitas tam animæ, quàm corporis conſiſtit in concordia, & conſenſione Imperij cum Sacerdotio, διὸ ϗ ἡ κατὰ ψυχὴν, ϗ σῶμα τῶν ὑπηκόων εἰρήνη, ϗ εὐδαιμονία βασιλεία ἐστὶ, ϗ ἀρχιερωσύνη ἐν πᾶσιν ὁμοφροσύνη, ϗ συμφωνία. Itaque ſumma illa conſenſio, qualis eſt in ſymphonia, & muſica,

Pontificiæ,

Pontificiæ, & regiæ poteſtatis paries, quietem, & mirabilem tranquillitatem in omnibus ſubditis, quam proindè qui perturbant, grauiſſimè in ipſam rempublicam peccant, cuius principes partes variis & fictis obtrectationibus diſtrahunt, quam omnibus artibus fouere debent, ſi rempublicam ſaluam velint: quare Gregorius VII. *lib.* 1. *Epiſt.* 19. anno 1073. ſic ſcribit: *Status Imperij glorioſius regitur & ſanctæ Eccleſiæ vigor ſolidatur, cùm Sacerdotium & Imperium in vnitate concordia coniungitur.* Quare ibidem duobus oculis quibus totum corpus regitur comparat: *Sicut duobus oculis humanum corpus temporali lumine regitur, ita his duabus dignitatibus in pura religione concordantibus corpus Eccleſiæ regi & illuminari probatur.* Idem omnino ſentit Iuſtinian. *nou.* 6. *in præfat.* cùm maxima dona, *μέγιστα δῶρα*, data hominibus dicit Imperium, & Sacerdotium, quorũ vnum diuina miniſtrat, alterũ humanis præſidet; quæ ſi conſentiant, naſcitur ex illa conſonantia generis humani, quã & omnia cõmoda cõſequuntur, *ἵνα συμφωνία τις ἀγαθὴ πᾶν ὅτι χρηστὸν τῷ ἀνθρωπίνῳ χαριζομένη γένει.* Arnulf. Lexon. *Epiſt.* 68. illud ipſum clariùs expreſſit, vnáque ſimul Gallicanæ Eccleſiæ ſenſum. Dignitas Eccleſiaſtica regiam prouehit, potiùs quàm adimit dignitatem, & regalis dignitas Eccleſiaſticam conſeruare potiùs ſueuit, quàm tollere libertatem. Etenim quaſi quibuſdam inuicem ſibi complexibus dignitas Eccleſiaſtica & Regalis occurrunt, cùm nec Reges ſalutem ſine Eccleſia, nec Eccleſia ſine protectione regia, conſequatur. Bern. *Epiſt.* 243. *ad Conradum Romanorum regem*, eleganter de hac vtriuſque poteſtatis confœderatione diſputat: *Vtrumque intereſſe Cæſaris conſtat, & propriam tueri coronam, & Eccleſiam defendere: alterum regi, alterum conuenit Eccleſiæ aduocato.*

28 Ex hactenùs diſputatis colliges ſecundò, non eſſe facilè damnandas principum ſanctiones de rebus & diſciplina Eccleſiaſtica: expendendum enim eſt, an Canones tueantur, & confirment; an illos euertant, an ex Pontificum & Sacerdotum conſenſu latæ ſint, vt videmus in pleriſque eorum edictis factum, vti in Caroli Magni, Ludouici Pij & aliis regum noſtrorum capitularibus.

29 Hinc tertiò vides quid ſentiendum ſit de pleriſque Iuſtiniani nouellis, quæ de pluribus rebus Eccleſiaſticis agunt, & à multis idcircò ſunt improbatæ, donec ab ipſa Eccleſia in vſum quædam receptæ fuerunt: ille tamen non habuit in animo nouas leges Eccleſiæ præſcribere, ſed veteres confirmare & augere; quod ipſemet teſtatur in Epiſtola aut iuſſione ad Decianum Metropolitam Concilij Byſaceni: *Nos*, inquit, *auctores ſumus vetuſtatis & vindices.* Et: *Semper noſtra Serenitati cura fuit ſeruanda vetuſtatis, maximè diſciplinæ, quam nunquam contempſimus, niſi vt & in melius augeremus, præſertim quoties de Eccleſiaſticis negotiis contingit quæſtio, quæ paſtorum conſtat regulis definita: immo aduentu ſuperni luminis inſpirata, quia conſtat eſſe cœlitùs conſtitutum quidquid Apoſtolica decernit auctoritas.* Quis igitur dicit, voluiſſe illum violare leges, quas diuinitùs inſpiratas, & cœlitùs dictatas ipſemet fatetur, & contra vetuſtatem ſancire, cuius ſe ipſe vindicem fatetur, & qui ſe *nouella* 6. & 123. omnia ſecundum Canones agere profitetur. Quæ ex ſingularum conſtitutionum examine non difficilè foret oſtendere, vndè & à ſummis Pontificibus quandoque laudatæ fuerunt, & ab ipſis Conciliis, vt *in* 6. *Synodo*, in *Epiſt. Agathonis*, ipſáque Synodus VI. inter acclamationes factas Conſtantino Pogonato, cuius maximè cura ea fuerat coacta, acclamatum legimus *Nouo Iuſtiniano Imperatori multos annos*, ſicut acclamatum fuerat, *Nouo Conſtantino, nouo Theodoſio, nouo Marciano, νέῳ Ἰουστινιανῷ βασιλέως πολλὰ τὰ ἔτη*, & deinceps varij ſcriptores commendarunt, vt Ioannes Scholaſticus Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui in ſuo *nomocanone tit.* 1. vbi ſe ex Canonibus SS. Patrum ſcripſiſſe ait & ex diuinæ ſortis codice Iuſtinianeo *τῆς θείας λήξεως Ἰουστινιανοῦ*, quæ ortodoxorum Patrum conſtitutionibus conſentaneæ ſunt, & ex Imperiali poteſtate auctoritatem habent, *ἅτινες οὐ μόνον τοῖς τῶν ὀρθοδόξων ἡμῶν πατέρων κανόσιν ἀκολουθοῦσιν, ἀλλὰ καὶ τὴν ἐκ τῆς βασιλικῆς ἰσχύος αὐθεντίαν χαρίζονται.* Magnus Gregor. *lib.* 11. *regiſt. Epiſt.* 54. Ioanni defenſori in in Hiſpaniam miſſo, illas ſequendas monet. Ioan. Pontifex VIII. eas allegat in cauſa Bicbertini laïci, quem aliqui ante cognitionem cauſæ excommunicare tentabant. Hincmar. *opuſc.* 17. probari eas nouellas à Romana Eccleſia dicit, quod & ipſum teſtatur Iuo *Epiſt.* 280. Denique Baron. an. Chriſti 528. *num.* 5. reſpondet iis, qui Iuſtinianum quaſi diuinarum rerum inuaſorem arguunt. Omnes Eccleſiaſticas Iuſtiniani conſtitutiones fuiſſe Epiphanij Conſtantinopolitani Epiſcopi & Memnæ eius ſucceſſoris, qui libentius eas edi voluerint nomine Imperatoris, vt validioris eſſent obſeruantiæ: deinde quod ipſe Imperator eadem ſe conſtituere dicat ad confirmandas ſanctorum Patrum regulas, & Canones ſtabiliendos, ita vt non ſe legum earum authoritatem, ſed Canonum executorem prætulerit. Vide plura de his apud Spondanum *in Epitome eiuſdem anni.*

Quæ omnia potiori ratione de regum noſtrorum capitularib. dici poſſunt quæ fermè ex Synodorum Canonibus excerptæ ſunt, & ab Eccleſia Gallicana tanquam antiqua Eccleſiaſtica ſcita vſu receptæ ſunt. His omnibus addo principes non modò Canonum & legum Eccleſiaſticarum tutores, ſed & defenſores, ac vindices profiteri; nam ſæpius præter Canonicas pœnas ab Eccleſia hæreticis, cæteriſque Canonum violatoribus inflictas, alias exilij, immò & viuicomburij aliquando impoſuerunt, vt patet & commodiori loco dicetur *tomo* 2. *operis*, atque ea in re maximè ſe reges Chriſtianos exhibebant, vti eleganter ſcribit Auguſtin. *Epiſt.* 50. de legibus à Conſtantino contra Donatiſtas latis, illud Pſalm. 2. explicans, *Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram: Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Quomodo ergo reges Domino ſeruiunt in timore, niſi ea quæ contra iuſſa Domini fiunt, religioſâ ſeueritate prohibendo atque plectendo? Aliter enim ſeruit, quia homo eſt, aliter quia etiam rex eſt: quia homo eſt, ei ſeruit viuendo fideliter, quia etiam rex eſt, ſeruit, leges iuſta præcipiens & contraria prohibens conuenienti vigore ſanciendo, &c. In hoc ergo ſeruiunt Domino Reges inquantum ſunt Reges, cùm ea faciunt ad ſeruiendum ei quæ non poſſunt facere niſi reges.* 30

* * *

CAPVT X.

De Canonum & legum Eccleſiaſticarum Collectoribus.

QVÆSTIO Vnica.

CVM ius Canonicum, cuius hactenùs auctorem & originem tradidimus, conſtet SS.Synodorum regulis & Canonib.atque Pontificum Romanorum decretis, & conſtitutionibus,quod hactenus *toto iſto libro* euicimus, aperiendum reſtat quinam eiuſmodi regulas, & Canones nobis ſcripto mandarint,ne cogamur perpetuò Conciliorum codices,& Canonum indices faſtidiosè percurrere, quo labore nos leuarunt plures eruditi viri, qui eiuſmodi Canones, & decreta collegerunt, & ex Conciliis & Pontificum conſtitutionibus excerpſerunt. Eos itaque paucis indicare viſum eſt.

1 Nota imprimis quod monet Socrat.*lib.* 1. *hiſt. capite* 5. agens de Concilio Nicæno, morem fuiſſe vt ea quæ in Synodis communi conſenſu decreta erant, cuiuſque manu ſubſcriberentur, & ita rata in commentarios referrentur: additque Sabinum Epiſcopum Macedonianorum Heracleæ Thraciæ incolentium, varia Concilia ſcriptis edita in vnum volumen collegiſſe: & mox, *σαβῖνος τὰς παρὰ Ἰουλίου ἐπιςολὰς ἐν τῇ συναγογῇ τῶν συνόδων ὐκ ἔθηκεν*: erant verò duo Synodicarum collectionum genera: vnum continebat acta quæ ad fidei dogmata & doctrinam ſpectabant, & à Socrate dicitur *συναγώγη τῶν συνόδων*, vel *συνοδικῶν*. Alterum Canones ad diſciplinam Eccleſiaſticam & ſacram politiam pertinentes, & à Concilio Chalcedon. *βιβλίον κανόνων*, vocatur *act*.4.11. *&* 13. Romanæ editionis, éſtque frequens diſtinctio apud Græcos *διατυπώσεων*, & *κανόνων*. Synodalia geſta & monumenta pauca ſincera, & plena extant; Canonum autem quibus ius, quo regitur Eccleſia, & ſacra politia, diuerſæ fuerunt collectiones, cùm in ſingulis Synodis fierent,vt monebat Socrates, & deindè in vnum corpus pro more compingerentur.

2 Obſeruat autem vir eruditiſſimus Petrus de Marca *l.* 3. *de concord. Sacerdotij & Imperij capite ſecundo* §.1. Eccleſiam Occidentalem initio nullis Canonibus nullóque iure ſcripto, ſed conſuetudinario dumtaxat, receptis moribus,& traditione vſam fuiſſe,ante Concilium Nicænum: poſt illud verò ſolos eius œcumenicæ Synodi Canones amplexam eſſe, vſque ad Innocentium I. & annum nempè cccc. quod probat ex ipſius Innoc. *Ep. ad Clerum Conſtantinopolitanum* apud Sozom.*lib.* 8. *capite* 26: ſcribit enim Canones Nicææ ſancitos, recipiendos, & eos ſolos à Catholica Eccleſia ac ſecundùm eos iudicandum eſſe: *οἷς μόνοις ὀφείλει ἐξακολυθεῖν ἡ καθολικὴ ἐκκλησία*. Rationem reddit: quia plurimi Canones à Nicænis diſſentientes, & qui auctores hæreticos haberent, vel ſaperent, proferri ſolebant, quos iure merito Catholici Epiſcopi reiiciebant, ne hæreticorum inuenta Catholicis Canonibus annecterentur cum magna ſine dubio rerum Eccleſiaſticarum & totius diſciplinæ perturbatione; additque hæreticos perpetuò Patrum Nicænorum Concilium imminuere tentaſſe per contraria decreta. Hanc eandem Innocentij Epiſtolam refert Nicephor. *lib.* 13. *cap.* 32. éſtque inter Epiſtolas Innoc. *tom.* 1. *Epiſtol. Pontif.* 15. apud Binium verò vigeſimanona, ex quibus Innocentij verbis colligit ſapienter vir eruditus, non fuiſſe in Eccleſia Occidentali hactenùs alios Canones, aliúdque ius commune ſcriptum, quàm quod in Nicæna magna Synodo fuiſſet conſtitutum.

Res verò aliter ſe habuit in Eccleſia Orientali, in 3
qua etiam ante Nicænam Synodum fuêre aliqui Canones in vnum collecti, qui ius commune conſtituerant, primáque omnium collectio fuit Canonum Apoſtolicorum lxxxv. quæ tribuitur Clementi Romano qui eos habet *cap. extremo conſtitutionum Apoſtolicarum*. Et ſanè Clementi hanc collectionem tribuit Matthæus Monachus *initio nomocanonis* de Conciliis & ſcriptoribus, qui Canones ediderunt.

Non diſputo modò de auctore eorum Canonum, 4
& Conſtitutionum, & an fuerint ipſi Apoſtoli, an ipſe Clemens: de iis enim erit commodior agendi locus *inferius tomo vltimo*: ſatis nobis hoc loco eſt, hanc collectionem, ſiue corpus lxxxv. Canonum Apoſtolicorum vſui fuiſſe in Eccleſia Orientali, etiam ante Concilium Nicænum; nam ipſummet Concilium *Canone* 15. ait migrationes ab vna parœcia in aliam, quam ibi damnat, factas fuiſſe *præter Canonem*. Innuit igitur aliquem alium anteriorem Canonem, qui alius non reperitur præter xv. Apoſtolicum. Et ead. Synod. *Can.* 5. prohibet ne vnus Epiſcopus admittat in communionem excommunicatum ab alio Epiſcopo, *κατὰ τὸν κανόνα*: qui Canon alius non eſt quàm XII. *&* XXXVI. Apoſtolicus, & denique Canon Nicænus X. agens de lapſis qui vel per ignorantiam, vel per diſſimulationem ordinantium promoti fuerint,ait hoc non præiudicare Eccleſiaſticæ regulæ, & deponi iubet. Illa verò Eccleſiaſtica regula alia non eſt quàm Canon Apoſtolicus LXII. qui iubet Chriſtum negantes gradu deiici, & pelli ab Eccleſia: nihil verò cauet de ordinatis poſt lapſum,quos tamen Synodus eâdem pœnâ & lege comprehendi vult & ad eum caſum Eccleſiaſticam & antiquam regulam eo Canone Apoſtolico LXII. poſitam extendi mandat, ne quem illam ad tuendam ordinationem lapſi excipiat: alia quamplura profert Marca, quibus demonſtret, hanc collectionem Canonum & agnitam, & vſurpatam iam olim fuiſſe in Eccleſia Orientali, tum ante Nicænam Synodum,tum deinceps, quæ *alibi* nos vbi de illorum authoritate agemus, afferemus. Hoc vnum modò contendimus hanc collectionem Canonum, iúſque Eccleſiaſticum illis præſcriptum,fuiſſe antiquiſſimum,illúdque commune in Oriente etiam ante Nicænum: quandò verò primum innoluerit ea collectio difficillimum eſt inuenire,ſed de eo *loco citato* diſputabimus.

Præter eam Canonum Apoſtolicorum antiquam 5
collectionem,ante Nicænam Synodum quædam diœceſes coniunctis ſuffragiis regulas quaſdam ſibi conſtituerant, quibus in iudiciis diſceptandis vterentur: quod enim de Nicæno ait Socrates *libro primo hiſt. cap.* 5. idem in omnibus Synodis ſeruabatur, vt quæ in communi decreta erant, cuiuſque manu ſubſcriberentur; & ita rata in commentariis referrentur.Ita Concilium Ancyranum, Neocæſarienſe, Gangrenſe, Antiochenum, & Laodicenum decreta quædam ſanxerunt, quæ non obligabant cæteras Orientis Eccleſias, ſed eas tantùm, quarum Epiſcopi ſuis ſuffragiis eiuſmodi regulas conſtituerant. Anno

no

no quidem 314. libertate Eccleſiæ reddita XVIII. Epiſcopi ex diœceſibus Orientis Aſiana, & Pontica, Ancyræ in Galatia metropoli coacti XXV. Canones ediderunt, qui illas tres diœceſes obligabant, non verò diœceſim Ægyptiacam & Thracicam; & multò minùs diœceſes Occidentis. Soluta Ancyrana Synodo iidem illi XVIII. Epiſcopi Neocæſaream, quæ eſt Metropolis Ponti Polemoniaci, ſe contulerunt, vbi ad pleniorem diſciplinam Eccleſiaſticam Ancyræ priùs conſtituram XIV. Canones edixerunt: deindè anno 315. Gangris, quæ eſt Paphlagoniæ Metropolis, XVI. Epiſcopi diœceſis Ponticæ conuenerunt, & Canones XXI. condidère. Anno poſtmodùm 341. ex Prouinciis, quæ ad diœceſim Orientis ſeu Antiocheni Patriarchatûs pertinebant, nimirùm Syria, Phœnicia, Palæſtina, Arabia, Meſopotamia, Cilicia, Iſauria vti *ex Epiſtola Synodica* conſtat, Epiſcopi XC. teſte Athanaſio *lib. de Synodis*, vel ſi Hilario *ſimili tractatu* credimus XCVII. & ſi Sozomeno *lib.3.cap.5.* nonaginta nouem, & XXV. Canones ediderunt. Circa annum verò 365. Laodiceæ, quæ eſt Phrygiæ Metropolis habita Synodus eſt à variis Aſianæ diœceſis Prouinciis *ἐκ διαφόρων ἐπαρχιῶν τῆς ἀσιανῆς*, inquit inſcriptio Synodi. Hunc annum conijcit Marca, quia illo ſine dubio anno habita videtur, quo ad eos Epiſcopos Aſianæ diœceſeos litteras ſuas,, & Synodicam Illyriciani Concilij Valentinianus Imperator miſit, teſte Theodoreto *lib.4.cap.8.* Synodicæ verò Illyriciani hæc erat epigraphe, *Epiſcopi Illyrici Epiſcopis Dei, & Epiſcopis diœceſis Aſianæ, Phrygiæ, Cataphrygiæ Pacatianæ. Electus Valentinianus anno Chriſti* 364. Epiſtola verò ipſius Valentiniani, & Valentis fratris, quem ſibi in collegam aſciuerat ſimilem eandemque habet inſcriptionem: *Epiſcopis diœceſis Aſianæ, Phrygiæ Cataphrygiæ Pacatianæ*, quibus quid in frequenti Illyrici Concilio definitum ſit de retinendâ fide Nicænâ, circa conſubſtantialem Trinitatis monent. Electus porrò eſt Valentinianus Imperator anno Chriſti 364. & Conſtantinopol. perueniens Valentem fratrem Auguſtum pronunciauit. Ex his omnibus non leuis coniectura ducitur, hanc Illyrici Concilij Synodicam & Valentiniani litteras directas ad Epiſcopos diœceſis Aſianæ, & Phrygiæ Pacatianæ ſcriptas fuiſſe ad Synodum, quæ id temporis ex variis Aſianæ diœceſeos Prouinciis coacta erat Laodiceæ, quæ Phrygiæ Pacatianæ Metropolis erat, ſtatim poſt Illyricum Concilium quod anno 365. habitum eſſe tradit Baron. Synodum enim Laodicenam non eſſe habitam Laodiceæ in Syria, quæ dicta eſt Seleuciæ Tetrapolis à Seleuco condita non longè à Ponte Orontis fluuij Chalcidis contermina, non Laodiceæ in Media à Macedonibus conditæ, ſed Laodiceæ in Phrygia Pacatiana, cuius Metropolis erat; idque probat eius inſcriptio *ſuperiùs* relata. De tribus iſtis Laodiceis vide Strabon. *lib.13.* Plin. *lib.5. cap.20.* Ptolemæum, & alios Coſmographos: éſtque admodùm veriſimile, eam Synodum fuiſſe, ad quam Illyriciana Synodica & Valentis ac Valentiniani Auguſtorum epiſtola dirigitur, ac proindè non fuiſſe coactam ante annum 363. & nonniſi poſt Nicænam, cuius fidem amplectitur. Deindè poſteriorem eſſe hanc Synodum Nicænâ liquet ex eius Canone VII. in quo Photinianorum meminit, & eorum baptiſma probat. Illi verò poſt Nicænum Concilium prodierunt. Hoc argumentum Baron. *an.* 314. Binius *in notis ad Canon. VII. Laodicen.* & alij reiiciunt, ex eo quòd mendum eſſe ſuſpicentur in lectione vulgata eradendámque eſſe vocem Photinianorum: idque probant, quia Concil. Arelatenſe II. *Can.* 16. ſub Siricio edicit Photinianos ſiue Paulianiſtas baptizari oportere, & Theodoret. *libro ſecundo hæreticar. fabula.* Photinianos idem cum Paulianiſtis ſenſiſſe referat, eóſque Concilium Arelatenſe citatum confundat: Paulianiſtas verò ad fidem venientes baptizari iuſſit Synod. Nicæna *capite decimonono*, & tamen Canon VII. relatus ex Concilio Laodiceno baptiſma Photinianorum prohibet; ſi mendoſa illa lectio retineatur; quare emendanda omninò eſt, neque ex eo quòd Photinianorum, qui poſt Nicænum prodierunt, meminerit hic mendoſus Canon, facere poſſumus Laodicenam Synodum Nicænâ poſteriorem, mirum tamen eſt, eam lectionem tum in Græco textu, tum in verſione Dionyſij Exigui, qui antiquam correxit, reperiri, atque etiam in nouiſſima Gentiani Herueti, quamvis ab Iſidori Mercatoris collectione abſit, eámque expungere nos omninò oporteat, ne dicamus Patres Laodicenos pugnare cum Patribus Nicænis, & præterea Photinianorum, qui Chriſtum ſolum & nudum hominem dicebant, baptiſmum probaſſe, quod Eccleſia ſemper reiecit, ſatiúſque videtur mendum Librario, quàm hæreſim Patribus, quorum ſcita in codicem Canonum vniuerſæ Eccleſiæ relata ſunt, impingere, neque ex eo Librarij craſſiſſimo errore, cam Synodum poſt exortos Photinianos reijcere, potuíſque non aduertere Dionyſius mendoſum eſſe textum Græcum, idémque mendum in ſua verſione retinere, vel aliquem ſciolum, dum ex mendoſo textu Græco Dionyſij verſionem voluit emendare, illam ineptiſſimè corrupiſſe, quod deindè Iſidorus Mercator, qui longè poſterior Dionyſio Exiguo fuit ſapientiſſimè emendarit eraſâ *Photinianorum* voce. Cæterùm Laodicenæ Synodi tempus præceſſiſſe illud Nicæni Concilij non leuis coniectura eſt, quòd in Canone ſacrorum librorum Laodiceni PP. omiſerint, librum Iudith, quem tamen Nicæni receperunt, teſte Hieronym. *Epiſt.* 3. quis verò credat Laodicenos PP. diſceſſiſſe à mente Nicænorum ſibi in eo ſacro Canone & indice præeuntium. Deinde 12. & 20. & plures Canones Laodiceni iidem omninò ſunt cum Nicænis. Nam 3. Laodicen. de Neophytis non ſtatim promouendis, idem eſt cum 2. Nicæno. Canon. 5. Laodicen. negat neceſſarium eſſe electiones fieri in præſentia omnium, qui ius eligendi habent: id ipſum tradit Canon 4. Nicæn. qui exigit tantùm tres præſentes Epiſcopos, vbi cæteri adeſſe non poſſunt, modò per litteras conſentiant. Sunt & alij quidam Canones omninò inter ſe conſentientes, quos ſi Patres Laodiceni acceperunt à Nicænis, eos laudare omninò debuerunt, vt ipſorum auctoritate ſua edicta ſacirent, vti perpetui moris eſt dum minores Synodi maiorum ſtatuta referunt, quæ ipſæ confirmare non poſſunt, ſed ab illis conſtituta accipere; quod ipſum obſeruat hæc, de qua agimus, Laodicena Synodus: nam *Can.* 1. definit bigamis ritè conuictis communionem poſt breue tempus, ieiunium, & preces reddi debere ſecundùm Eccleſiaſticam regulam *κτ̀ τὸν ἐκκλησιαστικὸν κάνονα*, qui Canon eſt Concilij Neocæſarienſis tertius. Idem ſanè præſtitiſſet Synodus iſta, ſi aliquid ex Canonibus Nicænis ſtatuiſſet, quod non fecit, quia Nicænam Synodum præceſſit: Nicæna verò Synodus vel œcumenica & ſummæ auctoritatis, ſua conſtituta aliarum Synodorum auctoritate firmare non debuit, cum ipſa vel nouam regulam ſtatuat, vel priorem ſeruari omnibus edicat. Quidquid porrò de tempore Laodicenæ Synodi ſtatuas, ſiue prior, ſiue poſterior fuerit Nicæna, certum

certum eſt, illam non obligaſſe, niſi Prouincias, ex quarum Epiſcopis coacta fuerit; quod idem dicendum eſt de Canonibus Concilij Conſtantinopolitani I. ex diœceſib. Ægypti, Orientis. Aſiæ, Ponti, & Thraciæ coacti anno 381. imperante Theodoſio: illis enim Occidentis Eccleſiæ non tenebantur; immò & illi erant incogniti anno 452. Sedi Apoſtolicæ, vti affirmat Leo I. *Ep.53. ad Anatolium Conſtantinopolitanum*, qui poſt abſolutam Synodum Chalcedonenſem ambiuerat Alexandrinum & Antiochenum Patriarchatum ſibi ſubiicere, & Conſtantinopolitanam Sedem ſecundam poſt Romanam conſtituere fauentibus aliquot Epiſcopis, qui ſolutâ Synodo remanſerant, obiiciebantque tum Anatolius, tum ipſi Epiſcopi in ſua Synodica ad Leonem, Canonem prioris Conſtantinopolitanæ Synodi 150. Epiſcoporum imperante Theodoſio Seniore habitæ anno 831. qui id ipſum ſanciuerat. Hanc, vt loquitur Leo *Ep. citata*, quorumdam Epiſcoporum ante ſexaginta annos factam ſubſcriptionem numquam ad Apoſtolicæ Sedis tranſmiſſam fuiſſe notitiam ait, nec ab ipſis quidem Epiſcopis Conſtantinopolitanis Anatolij prædeceſſoribus. Vnde conſtat, eam Synodum Conſtantinopolitanam ann. 381. vel ignotam fuiſſe Occidenti, quod vix dici poteſt, cùm ea auctore Damaſo, vti probat Baron. eo anno, & Theodoſio Seniore imperante coacta fuerit, & idcirco habita fuerit hæc Synodus generalis, quod conſtat ex Epiſtola Synodali ad Epiſcopos Occidentales anno ſequenti ſcripta, quam refert Theodor. *lib.5.c.8.* vel quod verius eſt, Damaſum ſolam fidei Nicænæ confirmationem, & Macedonianorum, Eunomianorum, aliarúmque hæreſeon damnationem ibi factam probaſſe & accepiſſe, non verò Canones ab ea Synodo conditos, aut probaſſe, aut ſeruandos Occidenti publicaſſe, quod manifeſtè ait Gregorius *lib.6. Ep.125.* agens de hac ipſa Synodo: *Romana*, inquit, *Eccleſia, eoſdem Canones, vel geſta illius Synodi hactenùs nec habet, nec accipit; in hoc autem eandem Synodum accepit, quod eſt per eam contra Macedonium definitum: reliquas verò hæreſes, quæ illic memoratæ ſunt, ab aliis iam Patribus damnatas reprobat.* Atque hoc ſenſu intelligendus eſt Photius *lib. de Synodis*, cùm ait eam Synodum à Damaſo confirmatam fuiſſe, nimirùm, quoad definitionem fidei, non quoad Canones de aliis rebus, præterquam quod III. illum Canonem de prærogatiua Sedis Conſtantinopolitanæ poſt Romanam ſuppoſititium eſſe plurima perſuadent, de quibus *alibi*. Conſule intereà Baronium. Sufficiat nobis ex hactenùs adductis, iure Innocentium I. dixiſſe, anno 405. Eccleſiam nullis Canonibus regi præterquàm Nicænis; quod *ſuperiùs* retulimus, & diligenter annotandum eſt ad plurimas controuerſias ſuo loco definiendas.

6 Apud Orientales verò paulò ante Concilij Chalcedonenſis tempus, quod ſub Leone Pontifice, & Marciano Auguſto coactum fuit anno 451. collecti ſunt in vnum corpus Canones Nicæni, Ancyrani, Neocæſarienſes, Gangrenſes, Antiocheni, & Laodiceni, omnes numero centum ſexaginta quinque, vel alicuius Epiſcopi auctoritate & induſtria, quem aliqui ſuſpicantur fuiſſe Stephanum Epheſinum, quod eius nomen præferret vetus Codex M. S. in Bibliotheca Palatina, vel alicuius Synodi Orientalis decreto: ea tamen collectio cùm non vbique reciperetur, & Canones illâ comprehenſi nondum ab omnibus Eccleſiis, maximè Occidentali, & Ægyptiaca probati fuiſſent, idcirco in Synodo Chalcedonenſi lecta fuit ea collectio, in qua Canones omnes continuâ ſerie numerorum recenſebantur: nam in hoc Concilio recitati ſunt 4. Canones Antiocheni ſuppreſſo nomine Concilij, & numero quem inter cæteros Antiochenos obtinent, ſed eo ordine, eáque numerorum ſerie, qua digeſti ſunt in collectione generali, vt enucleatè demonſtrat Iuſtellus *in præfat. ad veterem Codicem Canonum vniuerſæ Eccleſiæ*; quod idem factum eſt de Canone Nicæno XVI. & de Synodico Conſtantinopolitano, quod illius Synodi primum, ſecundum, & tertium Canonem complectitur. Itaque PP. Chalcedonenſ. collectionem generalem probarunt ſuo decreto, & Canone I. τοὺς παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων καθ' ἑκάστην σύνοδον ἄχρι τοῦ νῦν ἐκτεθέντας κανόνας κρατεῖν ἐδικαιώσαμεν: quæ verba ſic vertit Dionyſ. Exiguus, *Regulas ſanctorum Patrum per ſingula nunc vſque Concilia conſtitutas, proprium robur obtinere decernimus.* Huic deindè collectioni generali additi ſunt ipſi Chalcedonenſes Canones, de quorum confirmatione *alibi* dicemus. Vide Bellarm. *lib.2. de Romano Pontif. cap.22.* & Marc. *lib.3. de concord. cap.3. §.5.* & alios. Hæc generalis collectio Canonum, ita aucta ſuam deinceps auctoritatem obtinuit apud Orientales, atque etiam Occidentales, & deinceps Iuſtinian. *nouella* 13. iubet vim legis obtinere Eccleſiaſticos Canones conſtitutos & confirmatos, κανόνας ἐκτεθέντας ἢ βεβαιωθέντας, à quatuor Synodis, Nicæna, Conſtantinopolitana, Epheſina, & Chalcedonenſi. Per Canones confirmatos βεβαιωθέντας ſignificat Iuſtinian. Canones Ancyranos, Neocæſarienſes, Gangrenſes, Antiochenos, & Laodicenos, qui ab ipſis Conciliis œcumenicis probati fuiſſent: quare Balſamon *ad tit. 1. cap.2. Photiani nomocanonis*, ait *in ea nouella* per Canones confirmatos intelligi Canones Synodorum localium, τῶν τοπικῶν συνόδων: hos Canones confirmatos primus, quoque Leo & Romana Synodus deſignare *ſubterannexorum* nomine, dum Epiſtola ad Theodoſium in cauſa Flauiani Patriarchæ Cõſtantinopolitani petit vt iubeat Synodum generalem in Italia cogi, in qua Nicæna decreta, & ſubterannexa cognoſcerentur, poſt Synodum Chalcedonenſem, Codex iſte Canonum Latinitate donatus eſt, & Occidentali Eccleſiæ communicatus, eáque verſio & noua collectio, quam auctoritate Leonis Papæ I. confectam fuiſſe ſuſpicatur Marca *in additionibus ad cap.3. lib. 3. concord.* ſola viguit in Occidente per ſexaginta & ampliùs annos, donec illi ſucceſſit verſio Dionyſij Exigui, quamquam idem Marca *citato capite* 3. §.6. obſeruat non vnicâ verſione vſos fuiſſe Epiſcopos Occidentales, ſed variis, cùm manifeſtò conſtet interpretationem, qua vtuntur Ferrandus, Iſidorus Carolus Magnus, diuerſam eſſe ab illa antiqua, quam M.S.C. Codices exhibent.

Tandem Dionyſius Exiguus, vir eruditus, vt teſtatur Caſſiodor. *cap.23. diuinar. lection.* imperante Iuſti- 7
niano rogatus à Laurentio Romanæ Eccleſiæ preſbytero, nouam interpretationem aggreſſus eſt, eò quòd antiquior illa confuſione laboraret, vt ipſemet teſtatur *in præfatione.* Adhæſit verò Græcæ collectioni, & Canonum conſequentiam per numerorum ſeriem à Nicæno ad Concilium III. Conſtantinopolitanum obſeruauit, & centum ſexaginta quinque Canonibus comprehendit, omiſſiſque Canonibus Concilij Epheſini, Chalcedonenſes ſubiunxit, in hiſque eſſe finem Canonum Græcorum admonuit. Prætereà collectioni antiquæ addidit Canones Apoſtolicos & Concilij Sardicenſis, & Conciliorum Africanorum Latinè editos. Itaque hæc collectio Dionyſij conſtat centũ ſexaginta Canonibus collectionis Græcorum, tum XXVII. Concilij Chalcedonenſis, XXI. Sardicenſis, & CXXXVIII. Conciliorum Africanorũ;

ac denique L. Apoſtolicos Canones adiunxit. Itaque Canonum omnium ſumma reddit CCCXCIV. & nequid ſuæ collectioni deeſſet Pontificum Romanorum decreta attexuit Dionyſius, mimirùm à Siricio ad Hormiſdam vſque.

8 Hanc porrò collectionem Canonum Græcè primùm editam, & deindè Latinè verſam, initio ab auctore nobis incomperto, & poſteà à Dionyſio Exiguo emendatum fuiſſe Codicem ſiue librum vniuerſalis Eccleſiæ conſtat ex Græca epigraphe, Βίβλος κανόνων τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, eóque vſam Eccleſiam pluribus oſtendit Iuſtellus, *in præfat.* neque de Eccleſia Græca dubitare poſſumus: Occidentalem verò vſam quoque fuiſſe Latinâ verſione tum antiquiori initio, tùm Dionyſij æquè manifeſtum eſt, & de hac poſtrema teſtatur Caſſiodor. *loco nuper citato* celeberrimo vſu eam complecti Romanam Eccleſiam, & præterea conſtat ex literis Ioannis II. Romani Pontificis anno 534. ad Cæſarium Arelatenſem datis in cauſa contumelioſi Regenſis Epiſcopi, quem ab Epiſcopatu ſuſpendit, referuntur illa ex antiquis exemplaribus *tom. 2. Concilior. Gall.* In his igitur Ioan. aſſert. Capitulum VII. ex Epiſt. Syricij, Capitulum XXV. & XXXIX. ex Canonibus Apoſtolicis, & Capitulum IX. & XV. ex Canonibus Antiochenis, ex Dionyſij interpretatione ad verbum. Neque dubium eſſe poteſt, quin omnes Occidentis prouinciæ receptis à Romana Sede Canonibus ad dirimendas lites & iudicia Clericorum, vſæ fuerint, quamuis aliquæ diutiùs antiquam collectionem ſequutæ fuerint, neque ſtatim Dionyſianam acceptarint propter additionem plurium Canonum, & decretorum, quam ſuæ interpretationi appoſuerat, vt indè codicem Canonum Eccleſiaſticorum conficeret, &c.

9 Galli quidem antiquam collectionem Canonum, qui à Chalcedonenſi recepti fuerant, tenaciſſimè obſeruarunt, quos per ordinem legi placuit in Synodo Agathenſi *Can. I.* anno 506. & *Can. VII.* de rebus Eccleſiæ ſeruandis, vel alienandis, decernit, *Sicut priſca Canonum præcepit auctoritas.* Concilium Aurelian. I. *Can. XV.* anno 511. præcipit omnia bona Eccleſiaſtica in Epiſcopi poteſtate conſiſtere, & *antiquorum Canonum ſtatuta ſeruanda.* Erant verò illi Canones Antiocheni. Concilium Epaonenſe anno 517. *Can. XXXI.* homicidis eam pœnitentiam indicendam eſſe conſtituit, quam Ancyriani Canones decreuerunt; collectio quoque ſiue interpretatio Dionyſiana ſenſim etiam à Gallis recepta fuit: iis enim Canonibus, quos ex ea verſione, vt diximus, Ioann. II. ad Cæſarium Arelatenſem miſerat, idem Cæſarius contumelioſum repulit anno 534. vt refertur. *tom. 1. Concil. Gal. Nemo mihi,* inquit Arelatenſis, *alia qualibet contra auctoritatem Sedis Apoſtolicæ, aut contra 318. Epiſcoporum præcepta, vel reliquorum Canonum ſtatuta obiiciat, quia quid contra illorum definitionem, in quib. Spiritum ſanctum loquutum eſſe credimus, dictum fuerit recipere non ſolum temerarium, ſed etiam periculoſum eſſe non dubito.*

10 Concilium Aurelianenſe III. anno 538. *Can. 3.* iubet Metropolitanum à Comprouincialibus Epiſcopis promoueri, cum conſenſu Cleri & ciuium, *Sicut decreta Sedis Apoſtolicæ continent.* Hæc decreta ſunt Leonis Papæ ex Epiſtola ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem, quæ valere non poterant decretorum nomine apud Gallos, niſi quia in Dionyſij collectione, ſub eo nomine inſerta erant, quam collectionem Epiſcopi Galli iam fuerant amplexi. Chilpericus anno 577. damnationem Prætextati Rotomagenſis Epiſcopi vrgens, tranſmiſit ad Epiſcopos ea de cauſa coactos librum Canonum, *in quo erat quaternio nouus annexus habens Canones quaſi Apoſtolicos continentes hæc: Epiſcopus in homicidio, adulterio, & periurio deprehenſus à Sacerdotio diuellatur.* Hæc ſunt verba Gregorij Turon. *lib. 5. Hiſto. cap. 19.* Hic liber Canonum à Gallis nimirùm conſulebatur in controuerſiis, & iudiciis Canonicis definiendis, quamuis etiam poſt editam Dionyſij collectionem nondum Canones Apoſtolicos illi inſertos accepiſſent, neque ex iis iudicarent, neque immeritò coniicere licet Codicem Gallicanum iis caruiſſe: quia cùm non eſſent in antiqua collectione & in eius limine à Dionyſio fuiſſent appoſiti, noluerunt Galli iis teneri, & ab iis in ſuo Codice exſcribendis abſtinuerunt. Verùm de horum Canonum Apoſtolicorum auctoritate *alibi.* Pipinus Maior regiæ domus cùm anno 747. Zachariam R. P. conſuluiſſet de quibuſdam articulis ad reſtaurandam diſciplinam Eccleſiaſticam, quæ bellis ciuilibus corrupta fuerat, reſpondit Pontifex ſeptem capitulis quæ confirmauit Canonibus & decretis Pontificum ex collectione Dionyſij ad verbum expreſſis. Denique Adrianus I. Magno Carolo hunc Canonum Codicem Dionyſianum dono dedit, præfixâ Epiſtolâ quæ primis ſingulorum verſuum litteris hunc titulum reddit, *Domino excell. filio Carolo Regi Adrianus Papa.* Hanc edidit *in tomo 2. Concilior. Gall.* Sirmondus, ex vetuſtiſſimo S. Germani Codice M.SC. Caroli ipſius temporibus exarato, anno regni eius XXXVII. Chriſti DCCCV.

In Hiſpania Codicis antiqui Canonum auctoritatem receptam fuiſſe conſtat ex Concilio Bracarenſi anno 563. Deinde Martinus Bracarenſis Epiſcopus qui è Græcia venerat in Hiſpaniam, nouam collectionem inſtituit vt Latinæ interpretationi vel obſcuræ, vel minus emendatè ſcriptæ conſuleret. Ea Collectio probata fuit à Concilio Lucenſi in Gallæcia an. 571. Sed de ea *alibi.*

Demum in Britannia non vſurpatam fuiſſe ean- 11
dem Dionyſij collectionem, neque notam fuiſſe apparet ex Leone IV. qui an. 849. reſpondens ad conſulta Epiſcoporum Britanniæ, ait Sedem Apoſtolicam in iudiciis Eccleſiaſticis vſurpare dumtaxat Canones, *& decretalium regulas,* id eſt, inquit, *quæ habentur apud nos ſimul cùm illis in Canone.* Deindè recenſet Canones & decreta Pontificum, quæ habentur in collectione Dionyſij. Hæc Leonis Epiſtola refertur integra *in tom. 3. Concil. Gallic.* & à Baron. an. 885. *n. 17.* & eius fragmentum à Gratiano *C. de libellis, diſt. 20.* arguit autem Leo Britannos, qui cauſas iudicabant ex ſententiis Auguſtini, Hieronymi, & aliorum commentatorum, omiſſis Pontificum decretis, & Conciliorum Canonibus. Docet verò Leo in iudiciis conſulendos eſſe primùm Canones, deindè decreta Pontificum: quod ſi res adhuc dubia ſit, recurri poſſe ad dicta Auguſtini, Hieronymi & Iſidori, ſimiliúmque ſanctorum Doctorum, vel denique ad Sedem Apoſtolicam, totam cauſam eſſe referendam; atque hanc eſſe Leonis mentem ſapienter explicat Gloſſa. Quod verò decreta Silueſtri inter aliorum Pontificum decreta ibidem numerentur à Leone, mendum eſt Librarij, aut alterius ſcioli, cùm eo tempore Canones Silueſtri neque à Sede Apoſtolica, neque in prouinciis adhuc recepti eſſent; quod teſtatur Hincmar. *Ep. 7. cap. 22.* ſed ea de re *alibi.* Modò ex hoc Leonis reſponſo duo colligo, primum eſt, non fuiſſe Britannis Epiſcopis in iudiciis Eccleſiaſticis, librum Canonum, & Dionyſianam collectionem vſui: alterum eſt eo tempore inuiolatam fuiſſe eius collectionis auctoritatem tum Romæ, tum aliis in prouinciis Occidentis, atque hactenùs de iure communi Eccleſiaſtico antiquo, vel primitiuo.

Huic ſucceſſit ius nouum, vt ait Marca *lib. 3.* 12

concord. cap. 1. §. 1. quod ab anno 836. publicari cœpit, & deinde ſenſim per Occidentem inualuit. Compactum eſt illud ius ex iis quæ in antiquo iure, & collectione Dionyſij continentur, additis antiquorum Romanorum Pontificum qui Siricium præceſſerunt, Epiſtolis: Dionyſius enim illas omiſerat & à Siricio fuerat orſus: additi ſunt quoque Canones tum Gallicani, tum Hiſpanici. Tributa diutiùs fuit hæc collectio Iſidoro Hiſpalenſi Epiſcopo, cuius illuſtre nomen præferebat ætate Hincmari an. 570. vt ipſemet Hincmarus teſtatur *Epiſt.* 7. *cap.* 12. eam deindè alij Iſidoro Mercatori tribuerunt ex quibuſdam M. S C. codicibus. Verùm obſeruant plures in melioris notæ libris, non Iſidorum *Mercatorem*, ſed *peccatorem* dici, & Librarium imperitum ſcripſiſſe, *Iſidorus Mercator*, pro, *Iſidorus peccator*, ignorauit enim ſolemne fuiſſe, quibuſdam Epiſcopis etiam in Conciliis ſe *peccatores* inſcribere, vti apparet ex ſubſcriptionibus Concilij Turon. I. Turon. II. Pariſienſis III. & Matiſconenſ. I. & apud Græcos Epiſcopi dici volebant *ἁμαρτωλοὶ*. Cuínam verò Iſidoro Hiſpalenſi, an Mercatori tribui debeat hæc collectio, lis eſt. Et quidem Hiſpalenſi plurima abnegant, nam imprimis ſordes verborum, quæ in eam collectionem irrepſerunt eruditiſſimo, & reconditæ lectionis viro, in quo, vt ait Braulio Epiſcopus Cæſarauguſtanus in eius vita: *Quidquid, ſibi antiquitas vindicauit, immò verò tempus antiquitatis in eo ſcientiã imaginauit*, tribuendæ non ſunt, quod obſeruauit quoque Baron. *ad an.* 865. *n.* 5. deindè meminit ea collectio Cõcilij vndecimi *habiti an.* 675. *&* 16. habiti an. 681. cùm tamen Iſidorus ante quadraginta annos obiiſſet, anno nimirùm 636. vt Redẽptus eius Diaconus in eiuſdem vita teſtatur. Adducit quoque iſte Pſeudo-Iſidorus epiſtolas Gregorij II. & III. & Zachariæ R. P. qui poſt annum ſeptingenteſimum vixerunt, neque ſanè Braulio, neque Ildefonſus Toletanus *lib. de viris illuſtribus cap.* 9. dum diligenter indicem operum Iſidori texunt, huius collectionis meminerunt, quæ aliáque vrget Anton. Auguſt. *tractat. de collectoribus Canonum cap.* 15. *&* 16. Itaq; alius Iſidorus quærendus eſt, qui, ſi fidem habeamus Chronico Iuliani Toletani, non malè dici poterit Iſidorus Mercator, qui, vt teſtatur Iulianus, fuit Epiſcopus Belubenſis, & obiit circa annum 805. & ope cuiuſdam Monachi compilationem Canonum feciſſe dicitur. Verùm illius quoque Chronici fides apud eruditos vacillat: huius collectionis cenſuram quæ Mercatori tribuitur dabit ibid. Auguſtin. *cap.* 18. cùm tamen ætate Hincmari nomen Iſidori Hiſpalenſis prætulerit, illi relinquere nihil vetat: & quiſquis demùm fuerit hic Collector Epiſtolarum & Canonum, eam collectionem ex Hiſpania in Gallias attulit Riculfus Epiſcopus Moguntius; quod tradit Hincmarus *opuſc. cap.* 24. Tenuit ille Sedem Epiſcopalem ab an. 787. ad 814. & cum impensè Sedem Romanam incoluerit, ſuſpicatur Marca *cap.* 5. *cit. n.* 3. illum vt Romanam auctoritatem in Galliis reſtitueret Pontificiarum Epiſtolarum collectionem publicaſſe, & eodem fermè tempore capitula Hadriani ab Ingelranco Metenſi Epiſcopo an. 789. diuulgata ſunt.

13 Non tamen vbique in Gallia hæc noua collectio recepta fuit, propter veteres illas Epiſtolas Pontificis, quas aut ſuppoſititias, aut pluribus in locis interpolatas iure merito ſuſpicabantur Epiſcopi Gallicani, licèt ex illis aliquot ſententias, & Canones in in ſuos & ipſi Codices tranſcripſerint, fuitque magna contentio cum Nicolao I. qui Epiſcopos Gallicanos litteris ſuis anno 865. datis vrgebat, vt decreta iis Epiſtolis contenta reciperent: ſed de tota illa contentione, & veteribus illis Epiſcopis commodior erit *alibi* diſputandi locus. Senſim ea collectio magna ex parte recepta eſt: nam Concilium Remenſe ab Hugone & Roberto Francorum regibus anno 992. coactum in cauſa Arnulphi ex Anacleti, Iulij, Damaſi, & aliorum Pontificum Epiſtolis æquè atque ſi in Canonum cenſum relatæ forent iudicatum eſt. Quare pòſt paulò Burchardus Vormacienſis Epiſcopus ſuam nouam collectionem, quam circa ann. 1100. adornauit, veterum Pontificum Epiſtolis auxit, atque locis Auguſtini, Hieronymi, & Iſidori, quem deindè Iuo & cæteri collectores æmulati ſunt.

Huic nouo iuri ſucceſſit aliud quod nouiſſimum liceat appellare, quod poſteriores collectores propria primum auctoritate digeſſerunt, & deinde in vſum ſenſim inductum in iudiciis Canonicis fuit. Iuo quidem Carnotenſis anno milleſimo centeſimo decretum ſcripſit, eandem rationem quam Burchardus ſequutus, & plura alia addidit. Succeſſit anno MC. L. Gratianus ſatis notus qui decretum quoque ex Conciliorum Canonibus nouis & antiquis PP. RR. conſtitutionibus & pluribus Patrum ſententiis conflauit; quod decretum in ſcholis publicè recitatur & prælegitur. Hoc poſtmodum decretum ſubſequutæ ſunt collectiones decretalium Epiſtolarum Alexandri III. Innocentij III. & Honorij III. & deindè Gregorij IX. de qua ſic ait Matthæus Pariſ. in Henrico III. *His quoque temporibus Gregorius videns tædioſam decretalium prolixitatem, ſub quodam compendio eas eleganter abbreuiatas, & collectas ſolemniter, & authenticè per totius mundi latitudinem legi præcepit, & publicari.* Bonifacius VIII. addidit ſextum decretalium in tot libros & titulos diuiſum, in quot compilatio Gregorij partita fuerat: ſimili ordine & ſerie additæ ſunt Clementinæ à Clemente V. in Concilio Viennenſi conditæ: ſubinde Extrauagantes Ioan. XXII. quia ab eo conſtitutæ, extra Gratiani decretum, & plures compilationes decretalium Gregorij IX. & Bonifacij VIII. poſitæ ſunt, & quodam modo vagantur. Quæ eſt eadem ratio nominis extrauagantium communium, quæ poſtremo loco in Codice decretalium additæ ſunt & à variis Pontificibus poſterioribus editæ, de quibus omnibus, aliiſque decretalium collectionibus earúmque auctoritate, commodiùs diſſeremus *tomo* 5. hæc enim ſtrictim libaſſe ſufficiat, vt videas quibus incrementis, & acceſſionibus ius Canonicum auctum ſit, & cùm per annos ferè octingentos vno, eoque non grandi volumine contineretur, in tantam modò molem excreuerit, vt plura eáque grauia volumina, ad quæ terenda perindè lacertorum atque ingenij viribus opus ſit, vt loquitur Marca. Quare fieri nequit, vt tot acceſſionibus, & nouis ſiue Canonibus, ſiue conſtitutionibus, non fuerit facta aliqua iuris Canonici mutatio, & quin ius iſtud nouiſſimum, quo hodie vtuntur, non differat in pluribus ab antiquiori, & quod in omnibus politiis contingit, propter varias prudentéſque rationes, mutatis rerum & temporum vicibus, mutata in nonnullis fuerit politia Eccleſiaſtica. Neque enim leges ita immobiles exiſtunt, vt non aliquando vel abrogentur, vel emendentur, vel temperentur, vel laxentur, aliáve ratione mutentur, vbi noua aliqua grauis cauſa, quæ priùs non occurrebat, ita poſtulare ſapientiſſimis conſultiſſimiſque viris videbitur. 14

Has verò inter ius antiquum & nouum differentias præcipuas enumerat de Marca *lib.* 3. *cap.* 6. §. 5. *Primum*, *&c.* quas omnes ad ſummum illud caput reuocari ait, quod ſuprema poteſtas, quam in publicis cauſis iudicandis Synodi prouinciales obtinebant, penitùs extincta ſit, & ad ſolum Pontificem reuocata, & ea quæ in Canonibus condendis verſatur admodum 15

dum imminuta ſit, ſolique Pontifici conſtitutionum condendarum onus incumbat, quibus eam rerum formam præſcribit, de quibus apud illum diſceptandum eſt. Hinc ſequutus eſt nouus iudiciorum Eccleſiaſticorum ordo ad cognitiones per reſcripta Pontificum in prouinciis inſtituendas, vnde tot conſtitutiones emanarunt de reſcriptis, de iudicibus delegatis, de officio iudicis ordinarij, de dilationibus, exceptionibus, ſententiis, appellationibus, & de toto iudiciorum ordine. Hæc omnia non olim adeò ſolemniter, & exactè exercebantur, vti nouis conſtitutionibus decretum eſt, quæ magna ex parte in formulis actionum, & tritura fori anxiè & ſcrupuloſè verſantur. 2. Beneficia ab ordinationibus diſcreta & ſeiuncta ſunt: antiquo ſiquidem iure, & à Concilio Chalcedonēſi probato nullus aſciſcebatur in Clerum quin ad certam Eccleſiam ſub alicuius ordinis gradu adſcriberetur, & manus impoſitionem ſtatim ſequebatur adſcriptio in Canonem, ſeu laterculum & matriculam Eccleſiæ. Hodie verò, ſi Epiſcopos excipias, ordinationes cæteræ fiunt ἀπολελυμένως, & abſolutè abſque titulo Eccleſiæ: hæc verò beneficiorum & ordinationis ſeparatio nouas inuexit in ius Canonicum regulas antiquo prorſùs incognitas de beneficiis acquirendis, conſeruandis, & amittendis, quæ ferè vtramque paginam iuris faciunt. 3. matrimoniorum impedimenta nouis interdictis ad tuendam publicam honeſtatem introducta & earum cauſarum cognitio ad ſolam Eccleſiam reuocata, earumque ordo forenſibus formulis adſtrictus nouam iuri Canonico materiam ſubminiſtrauit.

4. Religioſorum multitudo nouis & regulis, & inſtitutis Pontificum curam ad ſe traxit. 5. Indultæ Monaſteriis & Canonicorum capitulis exemptiones, & priuilegia varias cauſarū figuras Pontificibus diſceptandas præbuerunt. Hæc omnia placuit ex eruditiſſimi viri ſenſu, & eius ferè verbis afferre, qui ſapientiſſimè addit rerum & negotiorum varietatem ab inuitis Pontificibus pro vtilitate Chriſtianæ reipublicæ hæc omnia extorſiſſe. Deindè monet, eos qui antiqui iuris reſtitutionem nouo abolito moliuntur, perindè facere atque eos, qui imperiorum antiquorum adminiſtrationem, ad eam formam reuocare velint, quam in ſua prima conditione habuerunt, quod & ridiculum & impoſſibile foret.

Monet 2. iuris Eccleſiaſtici peritum decretalium notitiam acquirere debere, non neglectâ tamen iuris antiqui peritiâ, & ſtudio, eâque in re ſuperiora aliquot ſæcula peccaſſe, vnde refert ex auctore librorum de Hierarchia ſubcœleſti an. 1406. in C. MSC. in Eccleſia Græca multos eſſe Canoniſtas, ſiue ſcientes Canonum vniuerſalium, & generalium Conciliorum, in Latina nullos eſſe Canoniſtas, ſed multos Decretaliſtas. Verùm & Canonum & Decretalium notitia, cum vtroque iure nunc vtamur, nobis neceſſaria eſt, atque ita antiqui & noui iuris definitiones ſequimur: plurimis enim negotiis, de quibus ſilebant antiqui Canones, ſapienter decreta Pontificum proſpexerunt, aut propter factam rerum maximam mutationem veteres Canones explicare & mollire variis modis, vrgentiſſimis rationibus coacti ſunt. Et ſanè plerique qui ius antiquum cottidiè obiiciunt, vix veterum Canonum Codicem libarunt, neque aliud viderunt quàm quod in Gratiani decreto, & decretalium compilatione comprehenditur, ſed hac de re, & de noui iuris auctoritate *ſuperiùs lib.* 4. diſputauimus.

76 Atque hactenùs de iure communi tum antiquo, tum nouo, & eius primis collectoribus: præter illud verò ius commune, fuit & priuatum pluribus Eccleſiis, & Diœceſibus, ex aliquot Synodis prouincialibus, atque quibuſdam Canonibus Conciliorum vniuerſalium, & denique ex propriis regulis & communi ac proprio ſibi vſu in iudiciis Canonicis obſeruato ſibi concinnarunt. Sic Eccleſia Gallicana habuit ſuum Codicem Canonum, vt videbis apud Turon. *lib.* 5. *cap.* 18. *citato*, nominat Hormiſda, vti refertur à Gratiano *Can. ſiquis Diaconus*, *diſt.* 50. *Gallicanos Canones*, qui ſententias 318. Epiſcoporum, id eſt Nicænos Canones continerent, aduerſùs Clericos in adulterio deprehenſos vel conuictos vel confeſſos deponendos. Meminit & Concilium Tarraconenſe in Hiſpania, Hormiſda etiam Pontifice celebratum anno 517. nam Can. II. agens contra Monachos forenſis negotij ſuſceptores ait: *Canonum antè omnia Gallicanorum de eis conſtitutione ſeruata.* Concil. Ilerdenſe an. 529. *Can.* 3. Valentin. ann. 590. *Can.* 2. & deinceps Hiſpalenſe I. & Toletan. XI. obſeruari ſtatuunt, quæ in Conciliis Gallicanis, Agathenſi, Aurelianenſi, Regenſi, & Valentino conſtituta priùs fuerant. Quam verò habeant vim Gallicani Canones, & an eiuſdem ſint auctoritatis cum aliis cùm iis defuerit Romana, aut Imperatoria auctoritas, diſputat Agobardus *Epiſt. ad Imperator.* & *lib. de diſpenſat. Eccleſ.* qua de re *alibi*. Quid etiam contineret Codex iſte Gallicanorum Canonum, conijcere licet ex variis locis; atque imprimis continebat Canones quatuor primorum antiquorum Conciliorū vbique receptos, non ex verſione quidem Dionyſij Exigui, quam ante Carolum Magnum, vt monui, non accepit, ſed ex antiquiori illa, de qua nuper: continebat verò Canones Apoſtolicos, vt apparet ex loco Turonenſis allato vbi Chilpericus ad Synodum Pariſienſem in cauſa Prętextati miſit librū Canonū, in quo erat quaternio nouus annexus *habens quaſi Canones Apoſtolicos*; qui Canones, vt vides, non erant in libro Canonum, tunc ab Eccleſia Gallicana trito. Erant igitur in eo Codice Canones antiqui. Quare Sigebertus *Epiſt. ad Deſiderium* Cadurcenſem Epiſcopum *tom.* 1. *ſcriptor. Franc.* vult ſeruari ſtatuta Canonum & Eccleſiaſticas regulas; & Synodus Metenſis ſcribit, Childeberto Auſtraſiorum Rege, *Lectis Canonum ſanctionibus.* Sacerdotio mouit Ægidium Remenſem Epiſcopum, & Gregor. *lib.* 9. *cap.* 23. in cauſa Eugeltrudis, imperante eodem Childeberto, citat Canonum Nicænorum nomine Canonem XIV. Concilij Gangrenſis. Synodus quoque Valentina, Regenſis, Arelatenſis II. Agathenſis, & Epaonenſis adducunt Canones Nicænos, Ancyranos, & Laodicenſes ex veteri tranſlatione Codicis veteris Canonum; quod manifeſto argumento eſt, illos omnes fuiſſe in Codice illo Canonum Gallicanorum vſque ad Dionyſij collectionem, qua & auctorio ab ipſo appoſito deinceps vſi ſunt Epiſcopi Gallicani, poſt Magnum Carolum, quod Synodi Ludouico Pio imperante, & cæteris eius ſucceſſoribus coactæ faciunt manifeſtum, & ex Hincmaro Remenſi *opuſculo contra Hincmarum Laudunenſem cap.* 43. colliges. Sed de Pontificiis Epiſtolis poſtmodum illi codici inſertis diximus aliquid nuper, & iterùm agemus *alibi*.

2. Ante receptam à Carolo Magno collectionem Dionyſianam vſi ſunt Galli Africanis Canonibus. Quare Concilium Matiſcon. II. an. 588. *Canon.* 6. probat, quod definitum fuiſſe ait in Conciliis, ne Sacramenta altaris niſi à ieiunis celebrentur. *Quam*, inquit, *definitionem noſtro quoque dignam duximus ſociare decreto & adlocare*. Suo quoque Codici Gallos, aliquot Pontificum decreta inſeruiſſe colligimus ex Concilio Agathenſi, *Can. IX. Siricij Epiſcopi auctoritas, quæ eſt his Canonibus inſerta, ſeruetur.* Et illa Epiſtola

Epiſtola Siricij R. P. ad Himerium Epiſcopum Tarraconenſem: fuit verò celebratum hoc Concilium anno 506. anno 22. Alarici Vviſigothorum regis.

Subſequuta deindè ſunt varia capitularia, Caroli, Ludouici Pij, Lotarij, Caroli Calui, de quibus *alibi*.

Hiſpanenſis Eccleſia iure Canonum, qui in Codice vniuerſæ Eccleſiæ collecti erant, vtebatur, immò & Synodis, cum hac formula ſubſcribebant, *Salua auctoritate Canonum*, quod in ſubſcriptionibus Concilij Toletani II. obſeruabis an. 531. ſub Bonifacio R.P. & in Concilio Bracarenſ. I. anno 563. Lucretius, qui illi præerat, rogat Synodum vt recenſitis antiquis Canonibus ſanctorum Patrum inſtituta omnibus innoteſcant; quod vbi probauit Synodus, relecta ſunt *ex Codice Canonum, coram Concilio tam generalium Synodorum Canones, quàm localium.* Ideò *Can.* 40. *eiuſd. Codicis* meminit Toletanum IV. an. 633. *nam. cap.* 2. *antiquos Canones decreuiſſe ait, vt vnaquæque prouincia parem pſallendi & miniſtrandi morem habeat. c.* 3. affert Patrum antiqua decreta de celebrandis Conciliis, deindè *cap.* 4. modum habendi Concilij deſcribens: *Diaconus*, inquit, *albâ indutus Codicem Canonum in medio proferens Capitula de Conciliis agendis pronunciet.* Hos verò antiquos Canones habebant & laudabant ex veteri tranſlatione, non ex illa Dionyſij ipſius tunc ignota. Quare & ex antiqua ratione citant numerum Canonum Concilia Hiſpaniæ, vt Toletan. XII. deindè carebant Canonibus Apoſtolicis, quos etiam Martinus Bracarenſis in ſua collectione diuiſit, & Iſidorus Hiſpalenſis, qui Toletano IV. ſubſcripſit apochryphos dicit. Neque exiſtimandum eſt in illo Codice Canonum, quibus vtebantur Hiſpani, fuiſſe tantùm illos qui in veteri Codice vniuerſæ Eccleſiæ continebantur, vt nuper explicabamus, ſed etiam alios ipſarum Synodorum Hiſpanienſium: nam illos omnes recitatos fuiſſe in primo Bracarenſi Concilio iam monuimus: deindè teſtatur Innoc. III. *Epiſtola ad Petrum Compoſtellanum*, agens de Concilio Emeritenſi, quod Petrus authenticum eſſe contendebat, eâ maximè ratione quod, *cum aliis Conciliis contineretur in libro, qui corpus Canonum appellatur, quem Alexander Papa per interlocutionem authenticam approbauit.* Illi etiam Hiſpanienſi Codici aliqua ſtatuta Gallicana, & R. P. Epiſtolæ nonnullæ inſertæ fuêre, vt nuper monuimus, & conſtat ex Toletano III. *Can. I.* & Barcinon. *Can. III.* deindè Toletan. IV. *Can.* 16. contendit Apocalypſim, & Ioannis Euangeliſtæ opus eſſe & inter diuinos libros recipiendam: quia ita decernunt multorum Conciliorum auctoritas, & Synodica ſanctorum præſulum Romanorum decreta, nempè Innocentij primi Epiſtola ad Exuperium Toloſanum, in qua de libris Canonicis agitur, Concilium Toletan. VI. vſurpat ſententiam Leonis ad Ruſticum Narbonen. Deindè Martinus Bracarenſis Græcorum Canonum Latinam interpretationem dedit nomine collectionis Orientalium Canonum; nōn adſcripſit tamen vnde ſingula capitula deſumpſiſſet, ſed vel ipſe, vel quis alius aliqua ex Conciliis Toletanis ad vſum Hiſpaniæ addidit. Demùm Iſidorus non Hiſpalenſis, ſed ille alius cognomento peccator ſi & vulgo Mercator, Hiſpalenſi poſterior, vt nuper monui, quippe qui meminit Conc. Toletan. XI. anno 675. celebrati, collectioni, quam edidit, inſeruit tum Apoſtolicos Canones, tum alios vſque ad Conc. Toletan. XII.

17 Habuit quoque Eccleſia Britannica & Anglica ſuum Canonum Codicem: nam Theodorus Archiepiſcopus Cantuarienſis ſcripſit librum qui Patrum Canones vocabantur, quem anno 3. Egfridi Regis Synodo Herfordienſi propoſuit, vt deligerent quod fusè habet Beda *lib.* 4. *hiſtor. Eccleſ. cap.* 5. habebant quoque, & Angli ſuarum Synodorum vetuſtiorum Canones, quos leges in editione Conciliorum Angliæ, Henrici Spelmani.

Africanam Eccleſiam ſuos habuiſſe Canones qui- 18
bus in dirimendis controuerſiis Eccleſiaſticis vteretur, dubium eſſe non poteſt viris peritis, & ex antiquis iiſque multiplicibus Conciliis Africanis obuium eſt, quanquam in illis Synodis ordine ſuo collocandis, & ætate, non exigua apud pleroſque ſit perturbatio, de qua dicemus *alibi*, & denique habemus Codicem Canonum Eccleſiæ Africanæ, ex Synodis dumtaxat Africanis collectum, à v. c. Chriſtophoro Iuſtello editum, emendatum, & eruditis notis illuſtratum.

Atque ex his hactenùs in vniuerſum diſputatis, 19
(accuratiorem enim tractationem ſuo loco dabimus) colliges priores diuiſiones vniuerſales iuris Eccleſiaſtici. Prior eſt in ius antiquum, nouum & nouiſſimum, cuius hodie vſus eſt in iudiciis Canonicis: poſterior eſt in ius commune vniuerſæ Eccleſiæ, & in priuatum ac quibuſdam ſingularibus Eccleſiis particulare; quod vtrùm aliquando diſcedat à iure communi, aut etiam cum illo pugnet, diſquiremus *alibi*. 3. diuidi poterit vtrumque iſtud Ius in ſcriptum & conſuetudinarium, quod videlicet moribus & longo vſu ſenſim inductum fuit, nullâ latâ lege, quamuis poſtmodùm illæ ipſæ conſuetudines ſcriptis mandatæ fuerint, quæ & deinde vim legis habent, & ferè ius eiuſmodi, priuatum potiùs eſt quàm commune, cùm mores ſint ſingulorum, à quibus deindè communicantur aliis, & aliquando contagio quodam latiùs ſerpunt, fiúntque communes, atque tandem edictis & ſanctionibus, Senatuſconſultis, & ſupremis Principum, Curiarúmq; iudiciis nonnumquam confirmentur.

Quia verò ingens eſt rerum, de quibus ius Canonicum agit, materia, & velut immenſa ſylua, vt illud ordine & methodo ſcientifica tradamus, nouámque ſcientiam Canonicam, quod molimur hoc opere, explicemus, ipſum in ſuas partes diuidere, & analyticè partiri debemus, reliquas ſcientias, quæ ſingulæ ſuâ peculiari vtuntur methodo & ſui obiecti analyſim tradunt, æmulati, ne habeamus dumtaxat confuſam collectionem Canonum, & regularum faſcem, aut perpetuos indices nullo ordine, qui legentium memoriam onerent, & Codices inutilibus citationibus ac ſæpè falſis, aut inuicem pugnantibus, ex quibus nihil certi & conſtantis colligere liceat. Obſerua igitur, antiquum librum & Codicem Canonum, quo vetus vniuerſáque Eccleſia vtebatur, continuiſſe quidem omnes Canones, quibus tunc regebatur Eccleſia, qui vnum tunc veluti corpus compacti erant, cui neque addi, neque detrahi quidquam poſſet priuata auctoritate, ne aut falſi aliqui facilè ſupponerentur, aut extra illud corpus vagantes auctoritatem aliquam obtinerent in iudiciis, & politia: quam ipſam ob cauſam Theodoſ. nouella de confirmatione ſuarum nouellarum, ait ſe in vnum Codicis corpus ſuorum prædeceſſorum conſtitutiones collegiſſe, ne aliunde quàm ex ſuo Codice proferrentur in iudiciis, quod idem fuit Iuſtiniani conſilium in ſuo Codice componendo, quod ipſemet teſtatur *l.* 7. *C. de emendat. Cod.* Quare deinceps iura, quæ non continebantur in corpore Codicis, extrauagantia nominarunt, quòd extra corpus diuagarentur, vt loquitur Iuſtinian. Idque ipſum ſeruauit Eccleſia, quæ etiam ſolita erat iura, quæ afferebantur, ſuo Codice non comprehenſa, tanquam notha & adulterina nulliúſque auctoritatis reiicere, quod factitatum à Gallicanis

canis Epiſcopis in contentione cum Nicolao I. iam *alibi* monuimus, iterúmque monebimus, dicemúſque fuſiùs aliquando. Hic porrò primus Codex Canonum, eiúſque verſio Latina, tum antiquior, tum noua Dionyſij Exigui ſingula conſequentia Concilia certo ordine diſpoſita, certáque ac continuâ ſerie, nec interruptâ numerorum connexione continebat, nequid videlicet huic Codici detrahi vel addi poſſet. Quare PP. in Conciliis Epheſino & Chalcedonenſi paſſim vocant, *τάξιν καὶ ἀκολουθίαν τῶν κανόνων, ἀκολουθίαν ἐκκλησιαστικὴν, ἀριθμῶν ἀκολουθίαν*, neque in certos titulos aut capitula reuocabantur, aut diuidebantur. Quod idem ſeruatum videmus in Codice Eccleſiæ Africanæ, de quo nuper.

21 Subſequentes verò Canonum collectores ad certos titulos Canones reuocarunt, & quid de eo capite diuerſæ Synodi ſtatuiſſent, ſimul retulerunt. Ordior à Latinis. Primus occœpit Ferrandus Diaconus Eccleſiæ Carthaginenſis, Dionyſio Exiguo ſuppar, aut etiam Synchronus: floruit ſiquidem Dionyſius vſque ad annum circiter 540. Ferrandus verò ab anno 510. ad annum 548. Iuſtini & Iuſtiniani temporibus: eius cum laude meminit Facundus Hermianenſis in Africa Epiſcopus *lib. 4. pro defenſione trium capitulorum, cap. 3.* Scripſit igitur Ferrandus opus ſingulare, quod breuiationem Canonum inſcripſit, in qua omnis diſciplina Eccleſiaſtica breuibus quibuſdam ſummulis continetur, citatis ad ſingulos titulos Conciliorum Canonibus, qui ad eos titulos pertinent, totúmque ſuum opus ducentis triginta duobus capitibus abſoluit. Ducentis ferè pòſt annis Criſconius vel Creſconius Epiſcopus Africanus rogatu Liberij vel Liberini item Epiſcopi æmulatus Ferrandum, quem laudat, ſimile opus aggreſſus, Breuiatium Canonicum nominauit, eadem methodo & ratione trecentis omninò capitulis comprehenſum. Baronius ad annum Chriſti 527. ait Creſconium collectioni ſuæ ſubieciſſe eam, quam in eodem fermè tempore Ferrandus elaborauit, ſed alio planè ordine, non citando, ſed recitando Canones, quámque meritò Breuiarium Canonicum appellauerit. Verùm non benè videtur illuſtriſſimus Annalium Scriptor facere Creſconium Ferrando ſupparem, cùm ducentis ferè annis poſterior fuerit. Nam (vt diximus) Ferrandus floruit ab anno 510. ad 548. at verò Creſconius circa tempora Leontij Imperatoris, & an. 690. quo adhuc ſcribebat: ſiquidem ex illo ipſo Codice M. S. Vaticano, quem Baron. an. 527, allegat, vixit Creſconius, quo tempore Ioannes Patricius victoriam de Sarracenis in Africa reportauit, hoc eſt, ex Cedreno anno 1. Leontij Imperator. & ex Anaſtaſio *in hiſto. Eccleſiaſtica*, anno Chriſti 690. Deindè Creſconij vel geminum fuit opus, vel potiùs bipartitum: prius quidem eſt Breuiarium Canonicum, eadem ratione & methodo ſcriptum, qua Ferrandi Breuiatio, quamquam huius ordo & ſpectabilior, & accuratior, quàm Creſconij exiſtat. Poſterius integros Canones ac decreta eodem ordine, quo in Breuiario citantur, refert, inſcribitúrque in M.SSC. Codicibus, *Concordia Canonum*, vel *Liber Canonum*. Quare videtur Baronius Breuiarium Ferrandi & Creſconij in vnum confudiſſe, ideoque ait Creſconium ſubieciſſe ſuam collectionem Canonum illi, quam elaborauit Ferrandus eodem ordine, non citando ſed recitando Canones. Itaque Breuiarium, in quo diſciplina Eccleſiaſtica comprehenditur per ſubtilitatem titulorum, notatis ad ſingulos titulos Conciliorum Canonibus, tribuitur Ferrando à Baronio; cui collectioni ſubindè Creſconius ſingulis titulis Canones integros ſubiecerit, atque ita vnam collectionem integram perfecerit magno lectoris compendio, vti monet ipſe Creſconius *in præfatione ſuæ concordiæ*, cùm tamen fuerint duo diſtincta iſta Breuiaria Canonum, vnum Ferrandi, alterum Creſconij, quæ licèt ordine conueniant, in pluribus tamen aliis differunt, vt differit Voëlius *in præfat. ad Bibliothecam iuris Canonici*, quam nuper accurauit non modò numero capitulorum, ſed etiam materiâ. Ferrandus plurima allegat Concilia etiam Africana, quorum ne meminit quidem Creſconius, hic etiam Canones Apoſtolorum & Concilij Chalcedonenſis, atque RR. PP. decreta refert, quæ nuſquã laudauit Ferrandus. Præterea Creſconius vtitur editione Dionyſij Exigui, ex eáque refert Canones iiſdem penè verbis, iiſdémque numeris: ſecus verò Ferrandus, qui codicibus antiquioribus verſione Dionyſiana, atque adeò diuerſis vſus omninò eſt. Sed hanc Ferrandi & Creſconij conſonantiam, & diſcrepantiam facilius intelliges ex tabulis vtrique operi ſubiectis, *tomo priori Bibliothecæ iuris Canonici*.

3. Ante Creſconium Martinus, Dumienſis cœnobij Abbas, & fundator in Gallæcia, & deindè Bracarenſis Epiſcopus regnante Theodemiro, ſeu Mirone, Sueuorum Rege in Hiſpaniis, & Athanagagildo Vviſigothorũ, Iuſtiniano imperante edidit collectionem Canonum Orientalium ex Græcis Synodis, in gratiam Nitigeſij, in Gallæcia Epiſcopi. Non tamen omnia ex Græcis collegit: aliqua ſiquidem inſeruit ex Concilio Toletano I. & ex quibuſdam Bracarenſibus, neque Græca (vti habentur) reddidit, ſed aliquando ex duobus aut tribus diuerſorum Conciliorum capitulis vnum conficit, vti aduertit Anton. Auguſtin. *in iudicio de collectoribus Canon.* Quare vtiliſſimam nobis operam præſtitit Ioannes Douiatus Toloſanus, Canonum ſacrorum profeſſor Regius, & Pariſienſis Anteceſſor, qui opus illud edidit, adſcriptis ad marginem tum variis lectionibus, tum Canonibus Conciliorum, ex quibus capitula quæque non indicatis fontibus depromta fuerant ab auctore. Diuiſit porro Martinus ſuum opus, ac proinde totum ius Canonicum in duas partes; prior eſt de perſonis, & rebus ac ritibus Eccleſiaſticis. Secunda de rebus ad laïcos pertinentibus, & omnia octoginta quatuor capitibus abſoluuntur. Obiit anno 580. Childeberti Regis Francorum V. vt teſtatur Gregor. Turon. *lib. 5. hiſt. cap. 37.* præfuerat Bracarenſi Concilio II. æra Hiſpanica 610. id eſt Chriſti anno 572. Fuit natione Pannonius, & ex Oriẽtis partibus nauigans venit in Gallæciam, non, vt mendosè legitur apud Iſidor. *cap. 22. Catalog. de viris illuſtribus*, & apud Honorium Auguſtodunenſ. *lib. 3. de luminaribus Eccleſ.* & alios, in Galliam. Primus igitur ius Canonicum in ſuas partes diſtribuit, vt vides. 22

23 Quartò, anno Domini 827. Anſegiſus Lobienſis Cœnobij Abbas, & deindè Senonenſis Archiepiſcopus capitula Caroli Magni, & Ludouici Auguſti atque Lotharij filij eius Cæſaris adunauit, & quatuor libellis diſtinxit. In primo quæ domnus Imperator ad legem Eccleſiaſticam pertinentia fecit, deſcripſit: in ſecundo libello quæ domnus ac piiſſimus Imperator Ludouicus & Lotharius Cæſar filius ipſius ad eandem legem Eccleſiaſticam ediderunt: in tertio ea quæ domnus Carolus: & in quarto, quæ Ludouicus & Lotharius ad legem mundanam edixerunt. Vides itaque Anſegiſum eandem partitionem ſequutum fuiſſe in adunandis capitularibus Caroli Magni, & conſequentium Imperatorum ac Regum, quam inierat prius Martinus Bracarenſis, & quæ ad diſciplinam Eccleſiaſticam faciebant duobus libellis adunaſſe, quę ad legem mundanam duobus aliis, ſicut Martinus totam ſuam iuris Canonici collectionem

diuiſerat

diuiſerat in ea quæ agebant de perſonis, ritibus ac rebus ſacris,& quæ de rebus ad laïcos ſpectantibus.

Iſtis quatuor libris tres alios addidit Benedictus Leuita,& deſcripſit tum quæ omiſſa vel ignorata fuerant ab Anſegiſo Abbate, tum conſequentium Regum & Imperatorum ordine quidem ſibi proprio,ſed ad iuris Canonici analyſim parum commodo. Sunt & additæ deinceps tres appendices, quarum prima pertinet ad ſtatuta quæ plures Abbates in palatio Aquiſgranenſi iuſſu Ludouici Pij anno Chriſti 817. coacto ad diſciplinam monaſticam ſanxerunt.Secunda additio continet capitula, quæ ſeriùs reperta ſunt. Tertia comprehendit quæ maximè ad Epiſcopos ſpectant.

24 5.Burchardus ex Monacho Lobienſi Vvormacienſis Epiſcopus collaborante Osberto Abbate ſuo viro doctiſſimo, edidit ex Conciliis, Pontificibus & Patribus Catholicis, atque Imperatorum & regum ſanctionibus, magnum volumen XX. libris diſtinctum, quod Trithemius decretum, Sigebertus Canonum volumen, Iuo Carnotenſis collectionem vocant. Laudat Iuo eius prudentiam in ſecernendis rebus, de quibus agitur, ordine non quidem inutili, ſed qui aptior eſſe potuiſſet, Anton. Auguſtin. qui & vitio cæteris deinde ſubſequentibus ſcriptoribus communi, laboraſſe ait, *Quod non ex fontibus ipſis hauſerit ſingula, ſed ex riuulis & ſtagnis aliorum, ac proinde non ſine vitio & mendis. Obiit anno* 1026. *die* 14. *Octobris.*

Illum Simlerus malè in indice Iuriſconſultorum nominauit Bruccardum Lambienſem pro Burchardo Lobienſi monacho, vt diximus. Ioannes Molinæus præf. in Iuonem, obſeruat Burchardū primùm totum ius Pontificium in artem redegiſſe, ipſi quidem materiam ſuppeditaſſe Iſidori promptuaria. Enimverò ordinem,& œconomiam eorum, quæ apud Iſidorum rudia, indigeſta, ac confuſa iacebant contuliſſe, & methodum Iuſtinianeam ex parte imitatum fuiſſe, atque cæteris deinde compilatoribus hac in parte præiuiſſe.

25 6. Deuſdedit Cardinalis Presbyter tituli SS. Apoſtolorum in Eudoxia an. 1086. *ex variis ſanctorū patrum & Chriſtianorum principū auctoritatibus potioribus quibuſq; in vnū congeſtis deflorauit opuſculum quadrifaria diſpertitum partitione*, vt ipſemet loquitur in illius præfatione ad Victorem III. ſucceſſorem Gregorij VII. Primo autem libro agit de priuilegio auctoritatis Romanæ Eccleſiæ; & quia Eccleſia ſine Clero ſuo eſſe non poteſt, neque Clerus ſine rebus temporalibus ſubſiſtit, ſubiunxit ſecundum & tertium de Clero, & rebus eiuſdem Eccleſiæ. Quia verò ſæculi poteſtas Dei Eccleſiam ſibi ſubiugare nititur, libertas Eccleſiæ & Cleri, & rerum eius tertio & maximè 4. libro euidenter oſtenditur, qui ordo non eſt quidem incommodus, verùm non complectitur totum ius Canonicum,& ferè de priuilegio Eccleſiæ Romanæ, atque libertate Cleri aduersùs ſæculares poteſtates qua ipſam ſub iugum mittere conantur, diſputat. Deinde non allegat dumtaxat dicta Patrum & Conciliorum, vti faciunt alij collectores,ſed ipſemet pugnat rationibus,illiſque Patrum dicta confirmat & aduerſariorum obiecta diluit,acriuſque agit cauſam quæ id temporis Eccleſiam perturbabat. De inueſtituris Epiſcoporum & Abbatum, per virgam & annulum quas Henricus Imperator ſibi vſurpabat, acriter repugnante Gregorio VII. diſputat: igitur Cardinalis dum ſuo opere, non collectorem Canonum agit, neque certis ſemper auctoritatibus agit.

26 7. Circa idem tempus ſanctus Anſelmus Lucenſis Epiſcopus, Gregorij VII. indefeſſus cooperator, vt ait Sigebertus *in Chronico* anno 1086. ſcripſiſſe dicitur collectionem hac inſcriptione, *Authentica & compendioſa collectio regularum & ſententiarum ſanctorum Patrum, & auctorabilium Conciliorum.* Dubia huius operis fides eſt, & inter varios illius Codices magna diuerſitas & perturbatio multaque alia in illam objicit Anton. Auguſtin. *cap.* 29. *tractat. de collectoribus Canon.* Henricus Caniſi. *tom.* 6. *antiquar. lection.* edidit huius Anſelmi nomine breuem quandam Canonum collectionem, quæ eſt dumtaxat tractatus de facultatibus Eccleſiæ non vſurpandis à ſæcularibus, quod ex ſcripturis, Conciliis, & Romanorum Pontificum teſtimoniis comprobat.

8. Iuo ex ſancti Quintini Beluacenſis Præpoſito & 27
Canonico Regulari Ordinis S. Auguſt. creatus Epiſcopus Carnotenſis ab Vrbano II. anno Chriſti 1092. ſcripſit, vt ipſemet loquitur *in prologo ſui operis*, Exceptiones Eccleſiaſticarum regularum, partim ex Epiſtolis Romanorum Pontificum, partim ex geſtis Conciliorum Catholicorum Epiſcoporum, partim ex tractatibus Patrum Orthodoxorum, partim ex inſtitutionibus Catholicorū Regum. Vocem, *Excerptiones*, ſolus vſurpauit Trithem. cum alij atque etiam M. S C. S. Victoris Pariſienſis, & in omnibus editis legatur *Exceptiones*; reſtituit tamen Molinæus in ſua editione *Excerptiones*, eamque emendationem tanquam legitimam Anton. Auguſtin. aliique recipiunt. Hoc opus, Decretum Iuonis, inſcribitur. Plurima deſumpſit ex Burchardo: excipe tamen ſecundam partem, in qua fuſiùs agit de errore Berengarij. In 16. parte plurima inſeruit ex Iure Ciuili Romanorum, & ex Capitularibus Caroli aliorumque ſubſequentium Imperatorum & Regum. Totum opus XVII. partibus comprehenditur, quæ tamen ad pauciora capita commodiùs fortaſſis reduci poſſent. Primum eſt de fide & Sacramentis & actionibus ſacris, quod continebit partem XVII. & I. II III. & IV. Alterum caput agit de perſonis, nimirum R. P. Primatibus, Metropolitanis, & Epiſcopis, *parte* 5. de Clericis, 6. *parte* de monachis. *VII. parte* caput III. agit de variis ſceleribus, de quibus Eccleſia & Ius Canonicum agit, ſiue de quibus Canones lati ſunt, nimirùm de Virginum & viduarum raptu, & coniugij violatione. 8. *parte* de inceſta copulatione. *Parte* 9. de variis homicidiorum generibus. 10. *parte* de incantationibus, Auguriis, ſortilegiis, diuinationibus & cæteris huiuſmodi. 11. *parte* de mēdacio, periurio, falſariis, &c. 12. *part.* de raptoribus, furibus, venatoribus, maledicis, contumelioſis, comeſſantibus, &c. 13. *parte* caput IV. de pœnis & pœnitentiis nempè de excommunicatione. 14. *parte* de pœnitentia. 15. *parte* denique cap. V. agit de officiis laïcorum, & eorum cauſis. 16. *parte* præter decretum eſt aliud opus *Panormia* dictum, quod Iuoni quoque tribuitur: ſed vtrùm Iuonis germanus fœtus ſit iure merito dubitant viri docti, veriúſque eſt, quandam dumtaxat eſſe Iuonis decreti epitomen, malè concinnatam, cuius auctor ignoratur. Vincentius Bellonac. *l.* 26. *ſpeculi, c.* 84. narrat Hugonem quēdam Catalaunum volumine decretorum Iuonis abbreuiato compoſuiſſe libellum quendam portatilem, qui ſumma decretorum Iuonis appellebatur. Hanc ſummam eſſe ipſam Panormiam coniicit Molinæus *in præfat. ad Iuon.* & alij quidem, ſic dictam quòd paucis tota iuſtitiæ & legum materiam complecteretur. Anton. Auguſtin. *cap.* 31. *de collector.* ſuſpicatur Panormiam fuiſſe Hildeberti Cænomanenſis primùm Epiſcopi, deinde Turonenſis, qui fuit Honorij II. familiaris, eò quòd *Epiſt.* 48. *vel* 49. dicat ſe excerptiones decretorum, quas in vnum volumen ordinare diſpoſuerat, nondum ad ſuum finem perduxiſſe; bonam tamen earum partem explicuiſſe. Et *Epiſt.* 81. *aliàs* 83. illa

ipſa

ipſa habeat quæ Iuo in prologo decreti. Verùm in pleriſque mendoſas, mutilatas, & imperfectas eſſe Hildeberti hactenùs editas Epiſtolas, vt neceſſe ſit iterum illas ad M. S SC. codices exigere monet Philippus Labbæus *in diſſertatione de ſcriptoribus*, fuitque facile quæ erant Iuonis Hildeberto tribuere, vti in aliis contingit ſæpiùs, & neque Labbæus ipſe, neque alij qui Indicem ſcriptorum Hildeberti texuerunt, illi decretorum volumen vllum aut collectionem Canonum tribuerunt. Sanè Panormiam Iuonis non eſſe patet ex eo quòd adducat quaſdam ſanctiones Innocentij II. qui in R.P. electus eſt anno 1130. obiitque anno 1145. cùm Iuo obierit anno 1115. vel, vt alij volunt, anno 1114. vel 1116.

28 9. Circa eadem ferè tempora Henrici 4. & 5. & aliquor conſequentium Imperatorum, qui cum Gregorio VII. Victore III. Vrbano II. Paſchali II. de inueſtituris grauiſſimè contenderunt & variis modis Eccleſiam grauiſſimè vexarunt, pij & viri eruditi ad ius Eccleſiæ & Romanorum Pontificum dignitatem, auctoritatémve tuendam in colligendis veterum Cōciliorum Canonibus & Pontificiis antiquis decretis laborarunt, vt ex iis conſtaret quænam fuiſſet olim antiqua diſciplina, quæque retinenda eſſet. Itaque plures eiuſmodi collectiones emanarunt ea ætate: nam Gregorius quidam Presbyter ſub Callixto II. qui vixit an. 1119. ſcripſit collectionem Canonum, quam Polycarpum nominauit. Quare falluntur qui nomen auctoris eſſe putant, & vt ſic allegant, cùm ſit nomen ipſius operis, non extenditur vltra nominatum Pontificem: dicitur eſſe in Bibliotheca Vaticana lib. 27. comprehendens. Eo vſi ſunt emendatores Gratiani Romæ: eius quoque meminit Auguſtin. *dial.* 15. *lib. 2. de emendat. Gratian.* & *tract. de collectorib. c.* 32. breuiorem fuiſſe tractatum exiſtimat.

29 10. Fuit & alia collectio quam Cæſarauguſtanam nominat Anton. Auguſt. *cap.* 33. *de collecto.* & *dialog.* 5. *de emendat. Grat.* eò quòd ad ipſum miſſa fuerit ex monaſterio Cæſarauguſtano Carthuſienſium. Diuiditur in 15. libros, continet Conciliorum Canones, ſanctorum Patrum teſtimonia, & RR. PP. decretá vſque ad Vrbanum II. dumtaxat, vnde eius tempore videtur ſcripta circa annum 1088.

11. Eſt & alia Tarraconenſis ab eodem Auguſtino dicta, eò quod ex inſigni & regio Monaſterio, circa Tarraconem quod *Populeti* vel *Polete* vocatur, eruta fuerit, non extenditur vltra Gregor. VII. cùm ſubſequentium Pontificum non meminerit; ideò paulò ante Cæſarauguſtanam collectionem conſcripta fuiſſe videtur.

30 12. Anno 1151. Eugenio III. Pontifice Gratianus Cluſij in Etruria natus, Monachus Benedictinus compoſuit ex Conciliis, Epiſtolis RR. PP. & Patrum ſententiis Decretum imitatione, vt videtur, Iuonis, quo poſterior fuit annis ferè quinquaginta; quamquam Ioan. Molinæus *præfat. in Iuon.* exiſtimet Gratianum neque Iuonis, neque Burchardi decretum vidiſſe, ſed vtriuſque tantum compendiis adiutum eſſe, quia ſi vel fontibus ipſis Canonum, vel Iuonis, vel Burchardi limpidiſſimis riuis hauſiſſet, non tam multas fæces collegiſſet, quas ex compendiis lutoſis contraxit, neque *eo vecordiæ potuiſſe procedere Gratianum, vt exiſtimaret ſuorum centonum & farraginum aliquod operæ pretium futurum, quoad alterius horum, Burchardi, inquam, aut Iuonis, volumina ſupereſſent.* Quamquam ſapienter obſeruat idem Molinæ. non idem Gratiano, quod Burchardo & Iuoni conſilium fuiſſe: iſti enim ſimpliciſſimam eámque optimam diſcendi docendique iuris Pontificij rationem & methodum tradere contenti, ſingula ad conuenientes titulos collegerant, & aptis ſedibus collocauerunt, nihilque vel diſputando vel explicando addiderunt. At verò Gratianus non tam ſtuduit artem iuris Pontificij dare, quod priores Compilatores tentarant, quàm conſtitutionum Eccleſiaſticarum diuerſitatem, & antinomiam, quantum liceret, componere; quod primæua illius inſcriptio docet, nempe Canonum diſſonantium concordia, quæ ſola in omnibus veteribus exemplaribus inuenitur, eraſa vbique voce, *Decretum*, tanquam inepta, vti obſeruat Anton. Aug. *dialogo* 1. *de emendat. Gratian. lib.* 1. Vide eundem *ibid. in addition.* Hinc fit, vt Turrecremata *in proœm. quæſt.* 12. quærat quomodo Canones, qui inſtinctu Spiritus ſancti editi ſunt, diſſonantes inter ſe eſſe poſſint; reſpondétque id non eſſe in veritate, ſed in apparentia, non in ſpiritu intelligentiæ, ſed in ſuperficie litteræ, traditq; 7. regulas ſiue claues ad componendam iſtam diſſonantiam, de quibus alias. Gratianus itaq; inquiebat Molinæus, non tam compilatorem Canonum, quàm diſceptatorem, & cognitorem agit, & qui in Gratiani volumine methodum veſtigant, videntur, inquit Molinæus *l. c.* non abſimiles iis qui delphini in ſyluis, aut in fluctibus apri venationem inſtituunt, aut qui ea quærunt, quæ nuſquam ſunt. Denique magiſtrum eſſe cenſet valdè confuſum, impeditum, & inconditum, omnique tractandi, docendique dexteritate, & venere carentem: miranturque plures quánam iudiciorum peruerſitate factum fuerit, vt hoc vno retento, alij omnes maximè Burchardus & Iuo ab Scholis ita exulent, vt ne quidem priuatim legantur. Hæc aliáque Ioann. Molinæus, parùm fortaſſis in Gratianum æquus, & in Iuonem, quem ferè primus è tenebris in lucem dabat, propenſus: nam licèt multis mendis & fæcibus ſorderet quondam Gratianus, hodie tamen aliquot ſummorum Pontificum curâ, & eruditiſſimorum virorum longâ & accuratâ operâ emendatus non immeritò teritur omnium manibus, & in Scholis prælegitur, illique illuſtrando & Burchardus & Iuo commẽtarij inſtar eſſe poſſunt, quod fatetur ipſe Molinæus; immò & aliqui volunt, hoc opus ab Eugenio III. fuiſſe probatum. Quod ſi verum ſit, aliud non afferet illa probatio, quàm permiſſio illud legendi, adducendi in iudiciis Eccleſiaſticis quoad Canones & decreta, quæ adducit, quæ Pontifice Eugenio nondùm à Librariis corrupta aut deprauata fuerunt, monétque Anton. Auguſtin. *libro* 1. *dial.* 1. *de emendat. Gratian.* nihil eo opere, ſi rectè ſcriptũ legatur, & ex ſuis fontibus ſingula capita deducta ſint, vtilius iuris Pontificij ſtudioſis eſſe poſſe, vt mirum videri non debeat, ſi in hoc vno potiſſimùm Compilatore caſtigando, & emendando tantùm operæ & laboris impenſum fuerint: quod teſtatur Anton. Auguſtin. *dialogo citato, & libri poſterioris dialogo* 15. Quod attinet ad ordinem quem tenuit Gratianus, is non peruerſus ita videtur, vt contendebat Molinæus, vti videbis apud Azor. *lib.* 5. *cap.* 29. 1. *par. inſtit.* Iulio Pacio *in œconomia* vtriuſque iuris fusè & diſtinctè, Poſſeuin. *in Bibliotheca lib.* 17. & aliis ſolemnis diuiſio, quam ſequitur, & paucis non ita ſingillatim explicat Turrecrem. *in proœm. q.* 11. eſt in tres principes partes, & veluti ſumma capita, quæ iterum ſubdiuiduntur. Prima igitur pars eſt de miniſteriis Eccleſiaſticis, & eorum officiis, quæ centum & vna diſtinctione continetur, & appellatur diſtinctionum, ſiue ordinandorum; & iterùm in 7. partès diuiditur. Prima eſt de iure & de differentiis ſpecierum ipſius. Secunda agit de officiis Eccleſiaſticis, vnde originem habuerunt, & quare ſic appellata ſunt, de eorum ad inuicem differentiis, de examine eorum, qui ad talia officia promouendi ſunt, quidve ad vnum-

quodque officium pertineat & protenditur *ad §. nunc autem diſt. XXV.* Tertia pars tractat de ordine Epiſcopali, & in Epiſcopo requiſitis, per XIII. capitula Apoſtolicæ regulæ, vbi & de continentia Clericorum, vſque ad diſt. XXXV. & protenditur hæc pars *ad diſt. L.* Quarta eſt de impedimentis ordinandorum, vel exercitiis iam ordinatorum, ideoque agit de hæreticis, de bigamis, ſeruis, publicè pœnitentibus, filiis presbyterorum, corpore vitiatis, & aliis quibuſdam impedimentis, & porrigitur ad lx. diſt. Quinta pars de gradibus à quibus, & ad quos Clerici ſunt promouendi, adeoque de Canonica electione, de ordinatione & conſecratione, quibus fit Clericorum promotio diſputat LXXXI. diſt. Sexta pars nouo compendio tradit XIII. Apoſtolicas regulas vſque ad XCIII. diſt. Septima cùm inter miniſtrorum Eccleſiaſticorum officia ſit magna inæqualitas, aliique ſint maiores, alij minores, tum ratione ordinis, tum ratione adminiſtrationis, idcircò *tract. de maioritate, & obedientia*, vſque ad ſecundam partem principalem, quæ eſt cauſarum, & tractatuum de negotiis tam Eccleſiaſticorum quàm laïcorum, quatenùs tamen pertinent ad Eccleſiam, vt de matrimonio, & de his quæ ad omnium ſalutem ſpectant, continet cauſas XXXVI. inſertus tamen eſt cauſæ 33. tractatu de pœnitentia. Denique III. pars principalis agit de Eccleſiaſticis Sacramentis, & 5. diſtinctionibus continetur, quæ diuiſio, vt vides, perturbata nonnihil eſt, & illa Pacij prolixior, & minutior: tu tibi quam voles, finges, niſi quam *libro* 1. attulimus, tibi commodior videatur.

31 13. Poſt Gratianum qui, vt diximus, collectionem ſuam ſcripſit an. 1151. Bernard. Circa Papienſis præpoſitus, deinde Fauentinus Epiſcopus Breuiarium extrauagantium ſcripſit, hoc eſt collectionem Epiſtolarum RR. PP. quas decretales nominamus: ipſe verò extrauagantes dixit quòd extra corpus iuris vagarentur: in illis adducit Epiſtolas Alexandri III. Lucij tertij, aliorúmque ſubſequentium, ac demùm Cœleſtini III. qui obiit anno 1198. ideoque hæc decretalium collectio prior fuit Gregorianâ, de qua mox, quamuis iiſdem titulis ambæ conſtent: ideoque veteres eam primam compilationem vocarunt, alij librum primum, & cæteras deindè collectiones, compilationem ſecundam, tertiam, quartam, quintam, alij librum 2. 3. 4. 5. dicuntur tamen ab Speculatore, & ab eius interprete Ioanne Andrea filio, fuiſſe, antiquiores collectores Ruffinus, Silueſter, Ioannes Hiſpanus, Ioannes Falenſis, ſiue Fauenſis, ſiue Fauentinus, quorum ſcripta ſe vidiſſe negat Anton. Auguſtin. *in præfat. de quinque veteribus collectionibus decretal.* Potuerunt illi ex decretorum collectionibus à Burchardo, Iuone, Anſelmo, & Gratiano aliiſque nuper recenſitis ſuas farragines congerere. Prætereà idem Bernardus ſcripſit ſummulam, iiſdem diuiſam titulis, & gloſſulas ſuæ collectioni adieciſſe dicitur.

32 14. Duodecim annis à prima iſta Bernardi compilatione decretalium, facta eſt alia, eáque ſecunda compilatio dicta à Gilberto, atque Alano, & qui nomen aliis præripuit, Ioanne Gallenſi ſiue Vallenſi Volaterrano, illa eorundem Pontificum reſcripta refert, atque etiam Cœleſtini III. illique Vallenſis ſua addidit ſcholia, & demùm eius collectionis interpretes fuerunt Hugo Ferrarienſis Epiſcopus, cuius aliquandò meminit Innocentius III. & Bernardus Compoſtellanus, Maior, Archidiaconus, in eamque notas & ſcholia Vincentij, Alni Tancredi, Laurentij, & aliorum ſe vidiſſe teſtatur Anton. Auguſtin.

15. Cœperat eodem tempore tertiam collectionem laudatus Bernardus Compoſtellanus ex regiſtris Innocentij III. eáque Romana compilatio dici cœperat: verùm cùm ea plura referret quæ à recepto iudiciorum vſu diſſidebant, offenſi Romani, ab eodem Innoc. III. impetrarunt vt aliqua tandem compilatio Pontificia auctoritate conficeretur, ederetúrque: quæ enim hactenùs prodierant ſiue decretorum, ſiue decretalium collectiones, non niſi priuatâ collectorum auctoritate, ſicut & ſtudio concinnatæ fuerant. Quare quæ in illis referebantur, facile negari poterant, niſi ex ſcriniis Romanæ Eccleſiæ probarentur. Annuit iuſtæ petitioni Pontifex, & Petrum Beneuentanum, Notarium huic rei perficiendæ præfecit, anno ſui Pontificatus XII. Chriſti 1209. quod teſtatur ipſemet Innocent. ad Magiſtros ſcholares Bononienſes Epiſtola, quam refert Anton. Auguſt. initio tertiæ collectionis, qua teſtatur Pontifex Epiſtolas decretales à Petro ſubdiacono, & Notario ſuo fideliter compilatas, & ſub competentibus titulis collocatas contineri in ſuis regiſtris, vſque ad annum XXII. eáſque ſe ſub bulla transmittere, vt ſine dubitationis ſcrupulo iis vti poſſint in iudiciis & Scholis. Vide Boſquetum *in notis* ad Innocentij regiſtrum ab ipſo editum, *ad librum* 1. *Epiſt.* 71. vbi refert præfationem Tancredi Bononienſis ad compilationem tertiam ex M. S C. Codice, vbi quæ ad varias compilationes pertinent, narrat, & de earum auctoribus agit; ipſe verò primas & ſecundas decretales gloſſulauit. Collegit quoque Boſquetus gloſſas quartæ compilationis, quas Ioanni Teutonico tribuit, Anton. Auguſtin. eſſe ipſius Tancredi, quamuis in ſingulis Gloſſis nomen Ioannis ſcriptum reperiatur, quod videlicet aliquid addiderit, aut notarit, & cùm ſolum reperiatur nomen Io. quis fuerit ille Io. ſiue Ioannes, nobis diuinandum relinquitur. Huius collectionis interpretem fuiſſe Paulum Hungarum refert Ioannes Andre. filius. 33

16. Celebrato Concilio Lateranenſi, cui præfuit idem Innocent. III. anno 1215. Pontificatus eius anno 18. facta eſt quarta collectio Canonum & Capitulorum LXXI. quæ in eo condita fuerant, & aliquot reſcripta, quæ eo quinquennio ediderat Innocent. ipſi adiecta, quamquam geminam fuiſſe hanc collectionem, obſeruat Anton. Auguſt. quarum vna ſolos Concilij Canones complectitur, altera etiam ſubſequuta Innocentij decreta: eius interpretes fuere Vincentius, Ioannes, Iacobus, & Robertus ex Antonio Auguſtino. 34

17. Innocentio ſuffectus eſt Honorius item 3. anno 1216. cuius conſtitutiones deindè ſunt à Tancredo Bononienſi Archidiacono collectæ, fuitque illa quinta collectio, quæ dicta eſt Honorij III. illam interpretatus eſt Iacobus Albanus Fauentinus Epiſcopus Henrici Oſtienſis præceptor.

18. Demùm Gregor. IX. qui proximè Honorio 3. fuit ſubrogatus anno 1227. cùm diuini humanique iuris ſcientiſſimus eſſet, opera Raymondi de Pennafort Ordinis Prædicatorum, Capellani ſui, & ſanctitate ac eruditione eximij, decreta priorum omnium Pontificum, & ſua quoque ex diuerſis Conciliis & Epiſtolis, in quibus ſparſa erant, colligi curauit, in ordinem ac compendium digeri quinque libris comprehenſa decretalium nomine, & ab omnibus in controuerſiis iudicandis vbique ſeruari præcepit. Extat huius Pontificis ea de re conſtitutio & in bulla Canonizationis eiuſdem Raymondi, facta à Clemente VIII. *tom.* 3. *Bullar. conſtit.* 77. 35

19. His quinque libris Gregorianæ collectionis 36

Bonifac.

Bonifacius VIII. anno 1294. Pontifex electus ſextum, in quinque etiam libros, & ſub iiſdem titulis diuiſum addi curauit opera Guillelmi Archiepiſcopi Ebredunenſ. Berengarij Epiſcopi Biterrenſis, & Magiſtri Richardi de Senis S. R. E. Vicecancellarij, & deindè Cardinalis, qui & vetera decreta recenſuerunt, & noua addiderunt, ipſius maximè Bonifacij; quæ omnia conſtant ex Bonifacij conſtitutione, ad Bononienſes, vt eo volumine vtantur in iudiciis, & Scholis, nullas alias præter eas quæ illi volumini inſeruntur, aut ſpecialiter referuntur decretales, aut Conſtitutiones prædeceſſorum ſuorum RR. PP. poſt editionem huius voluminis promulgatas recepturi. In hunc librum Gloſſas continuas ſcripſit Ioannes Andreas Bononienſis.

37 20. Centum ferè annis poſterior Clemens V. anno 1305. Pontifex electus, plurimas conſtitutiones, tum in Concilio Viennenſi, cui præfuit, tum poſt ipſum Concilium plurimas conſtitutiones edidit, quas in vnum collectas libris 5. & variis titulis diſtinctas eodem ordine, quo priores Pontifices Gregorius & Bonifacius ſuas collectiones ediderunt, vulgare cupiebat, ſed cùm id perficere non potuerit, Ioannes XXII. eius ſucceſſor eas publicauit titulo Clementinarum, quas Ioannes quoque Andreas Bononienſis ſuis gloſſematis illuſtrauit.

38 21. Denique ipſe Ioannes XXII. creatus an. 1316. tum proprias conſtitutiones, tum aliorum Pontificum, quæ in prioribus collectionibus non continebantur, vulgauit ſub nomine Extrauagantium duabus compilationibus, priori quidem Extrauagantium Ioann. XXII. ſub quatuordecim titulis comprehenſas, poſteriori, nomine Extrauagantium communium libris 5. eo ordine & ſerie, quo aliæ decretales Gregorij & Bonifacij relatæ ſunt.

Atque his omnibus libris continetur nouiſſimum ius commune decreto Gratiani, 5. decretalium, 6. decretalium, Clementinis & Extrauagantibus, in quibus idem omninò ordo tituli, eadémque diuiſio ſeruatur, quibus accedunt nouæ conſtitutiones quæ quotidiè pro negotiorum ac rerum diuerſitate prodeunt, quæ facilè ad aliquot caput, & titulum veterum conſtitutionum reuocari poſſunt, cùm eas aut abrogent, aut reſtringuant, aut amplificent, aliáve quâpiam ratione immutent.

Diuiſionem porrò totius illius ſcripti iuris facilè ipſâ lectione deprehendes, aut tibi alium, ſi lubeat, concinnabis. Intereà dum nos vnum, niſi fallor, tradendæ, diſcendæve ſcientiæ Canonicæ commodiſſimum tibi paramus; adi Iulium Pacium in Oeconomia vtriuſque iuris. Atque hactenus de partitione & veluti œconomia iuris Eccleſiaſtici apud Latinos.

39 Venio ad Græcos. Monui verò nuper, primam apud illos collectionem Canonum continuâ ſerie & ordine factam fuiſſe, neque in certos titulos & capita digeſtam fuiſſe, vt apparet ex veteri Codice Canonum tum Eccleſiæ vniuerſæ, tum Eccleſiæ Africanæ, ſed poſteà ſubſequentem plures in titulos & capita collegerunt.

40 Primus fuit Ioannes Scholaſticus Antiochiæ Preſbyter & Apocryſiarius, & deindè Eutychio Patriarcha Conſtantinopolitano in exilium pulſo, in eius locum à Iuſtiniano ſuffectus eſt. Dictus verò fuit Scholaſticus: quia prius in foro ex Scholaſticorum ἀπὸ σχολαστικῶν Aduocatorum numero fuerat. Compoſuit ille συναγωγὴν κανόνων, & Canones Conciliorũ in Codice veteris Eccleſiæ recenſitos in quinquaginta titulos digeſſit, non obſeruato ordine temporis, neque ſerie & conſequentia numerorum, ſed ſingulos Canones ad eandem rem pertinentes ſub eodem titulo integros collocauit, atque vt ipſemet præfatur; οὐ τάξιν τινὰ καὶ ἀκολουθίαν ἀριθμῶν, ἀλλὰ ὅμοια τοῖς ὁμοίοις συναρμόσαντες, καὶ ἴσῳ κεφαλαίῳ συμπλέξαντες. Hic primus addidit ſuæ collectioni Canones Apoſtolicos LXXXV. & Concilij Sardicenſis XXI. & S. Baſilij LXVIII. Hunc allegare videtur Nicolaus I. *in Epiſt. ad Photium Patriarcham Conſtantinop. Quomodò non ſunt,* inquit, *penes vos Canones Sardicenſes, quandò inter quinquaginta titulos, quibus concordia Canonum apud vos texitur, ipſi quoque reperiuntur.* Vocat concordiam Canonum Nicolaus, quia concordantes Canones per certa capita diſtributi, in vnam conſonantiam reducti ſunt.

Scripſit idem Ioann. Scholaſticus Nomocanonem, ſeu Epitomen prioris collectionis quinquaginta titulorum, omiſſis integris Canonibus, quorum ſententiam & numerum tantum adnotauit, & illi, τὰ συνάδοντα νομικὰ, hoc eſt, concordantes leges; maximè nouellas conſtitutiones Iuſtiniani adiecit. Videtur ad hoc opus reſpexiſſe Theodorus Balſamon *ad Canon. primum Concilij Conſtantinopol. in Trullo,* in exemplari Græco Ioan. Tilij, & Latina interpretatione Gontiani Herueti, vti exiſtimauit Chriſtoph. Iuſtell. *in præfat. ad hoc opus*, vbi & obſeruat videri Ioannem hanc ſuam collectionem Canonum quinquaginta titulis diſtinctam perfeciſſe, cùm adhuc Antiochiæ Presbyter eſſet: Nomocanonem verò vbi Patriarcha Conſtantinopolit. factus fuit à Iuſtiniano, deindè ſuppoſititiá eſſe inſcriptionem quæ in M.SC. Codice Bibliothecæ regiæ legitur, θεοδωρήτου ἐπισκόπου κύρρου, quaſi Theodoretus Cyrrenſis Epiſcopus, eſſet auctor collectionis quinquaginta titulorum; cui Ioannes Scholaſticus leges attexuerit; quod contra omnium aliorum M. SSC. Codicum fidem eſſe oſtendit; qui omnes Ioanni hoc opus tribuunt, & vni eidemque auctori vtramque illam collectionem. Adde neque Theodoreto dignam eſſe eiuſmodi collectionem, neque eius ſtylum ſapere, qui præterea Canones Apoſtolicos & Sardicenſes à Græcis nondum receptos, & veteri Codici Canonum, quo vniuerſa Eccleſia vſa eſt in Concilio Chalcedonenſi, cui ipſemet Theodoretus interfuit, nondum additos; primus ſuæ collectioni nõ adiecisſet. Itaque Ioannem Scholaſticum huius collectionis primum auctorem; vt omnes alij Codices præferunt, debemus agnoſcere. Quam turpi verò adulatione Patriarchatum Conſtantinopolitanum ſibi quæſierit Ioannes, fauens hæreſi Iuſtiniani, quo ſibi reſiſtentem ſanctum Eutychium Sede ſua exturbauit, diſces ex Baronio an. 564. Sed tandem obiit Ioan. ann. 578. & S. Eutychius ab Imperatore Sedi ſuæ magnâ omnium gratulatione reſtitutus fuit.

2. Poſt Ioann. Scholaſticum Alexius Ariſtinus Diaconus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ pluribus poſt annis, hoc eſt anno M. C. XXX. iuſſu Ioannis Commeni Imper. Epitomen Canonum edidit: eius fragmentum refert Genebrard. *lib. de Trinit.* ex opere quod inſcribitur, σύνοψις τῶν ὅλων κανόνων τῶν ἐκτεθέντων παρὰ τῶν οἰκουμενικῶν ἁγίων ἑξ συνόδων καὶ τῶν μεταξὺ τῶν αὐτῶν τοπικῶν. Continet illa Epitome Canones Codicis veteris Eccleſiæ, & priorum Conciliorum additis Canonibus Apoſtolicis, Sardicenſibus, & Africanis XXII. Tullenſibus & tribus Epiſtolis Canonicis S. Baſilij, illum ex Bibliotheca regia Chriſtophorus Iuſtellus edidit. 41

3. Simeon Magiſter Logothatæ poſterior Alexis 42
ſimilem Epitomen ſcripſit; quamuis alio ordine, cùm Concilia quatuor œcumenica priori loco, topica ſecundo loco addiderit; tertio verò Canones Apoſtolicos Africanos LXXXIV. Tullenſes, & ad

tres easdem Baſilij Epiſtolas Canonicas. Hoc opus habemus ex M. S C. Codice regiæ Bibliothecæ, Iuſtelli operâ.

4. Arſenius monachus & Patriarcha Conſtantinopolitanus qui imperante Theodoro Laſcari iuniore vixit circa annum M.C C.LV. ſynopſim quoque Canonum ex ſimilibus & concordantibus Canonibus Conciliorum & Patrum Græcorum Epiſtolis à Synodo Trullana receptis concinnauit, & νομικὰ κεφάλαια, ſiue concordantium legum capita adiecit, & nomocanonem idcircò inſcripſit, edidit ex eadem regia Bibliotheca Iuſtellus.

5. Præiuerat his omnibus Photius Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui eiecto per Bardam Cæſarem S. Ignatio anno 858. ſedem Conſtantinopolitanam inuaſit, & de quo plurima Baron. aliique ſcriptores. Nomocanonem titulis XIV. ex Canonibus Apoſtolicis, Conciliorum, & Imperatorum legibus concinnauit. Scripſit prætereà Epitomen ſeptem Conciliorum generalium, quam Græcè & Latinè edidit Iuſtellus cum Nilo, incertóque alio auctore de eodem argumento libellum quoque Synodicum qui omnes Synodos, ſiue orthodoxas, ſiue hæreticas, vſque ad Photium & Ioannem Papam celebratas complectitur ante annos 700. Græcè ſcriptum.

43 6. Theodorus Balſamon Patriarcha Antiochenus, qui à Nicolao Choniata *lib.* 2. *Hiſtor.* Iſaaci Angli, ἀνὴρ ὑπὲρ τοὺς τότε πάντας ὄντας νομοτριβὴς dicitur. Viuebat adhuc anno 1203. ſchiſmaticus & Romanæ Eccleſiæ hoſtis, multáque in defenſionem ſuorum dogmatum, etiam ex Canonibus malè adducens, ideoque cautè legendus iuſſu Emanuelis Commeni Imperatoris, & Patriarchæ Conſtantinopol. Michaëlis Anchiali, τοῦ γεγονότος ὑπάτου τῶν φιλοσόφων. Scripſit ſcholia in Photij Nomocanonem, cum adhuc eſſet Diaconus magnæ Eccleſiæ & iam Archiepiſcopus Antiochenus perfecit, atque Xiphilino Patriarchæ Conſtantinopolitano obtulit.

44 Scripſit prætereà expoſitionem Canonum Apoſtolicorum, & Synodorum tum œcumenicarum, tum topicarum. In lib. etiam v. iuris Græco-Romani Apud Leunclauium extāt interrogationes Marci Alexandrini, & ad eas reſponſa Theodori Balſamonis, *lib.* quoque 8. eiuſdem iuris Orientalis leguntur meditata, ſiue reſponſa huius Theodori. I. de Patriarcharum priuilegiis. 2. de officiis Chartularij, & primi defenſoris. 3. de quæſtione Synodica, an vnus duabus ſobrinis iungi poſſit. 4. Epiſtola de incenſis, quæ à Patriarcha dari ſolent, quódve catecheſis habetur. 5. de conuocationibus quæ fiunt ad ſacras ædes Monaſteriorum.

Scripſit denique Theodorus collectionem conſtitutionum Eccleſiaſticarum, τῶν ἐκκλησιαστικῶν διατάξεων συλλογήν, quam primus Latinè edidit Leunclauius paratitlorum nomine, cum duobus notatorum libris abſque nomine Auctoris, qui adhuc latebat. Prodiit deinde Græcus contextus emendatus, & notis illuſtratus à Carolo Annibale Fabroto, qui & nomen Auctoris aperuit ex MS. Codice Nicolai Peireſcij Senatoris Aquenſis, neque adhuc ampliùs dubio locus eſſe videtur. Arguit tamen Fabrotus quòd hæc collectio paratitlorum nomine primùm prodierit ab Leunclauio, cùm ipſa paratitla faciant partem huius collectionis, & non ſint ipſa collectio. Erant verò paratitla, vt obſeruat ipſe Leunclauius, Ioannes à Coſta, Iulius Pacius, Fabrotus, & alij contra Cuiacium, quæcumque ex cæteris titulis ad vnum certum reuocari poterant. Sunt itaque paratitla acceſſiones, & ſupplementa ex aliis titulis deſumpta à verbo ἐλλειπικοσπαρβάζω, quaſi extra titulum deſumpta, ſicut dicuntur parapherna, quæ ſunt extra dotem: ita paratitla quæ ſunt extra titulum. Cùm igitur ad vnum aliquem titulum per indicem, ſiue ſummatim, & κεφαλαιωδῶς, referuntur quæ ſuis quæque titulis, & vti ab auctoribus concepta ſunt, leguntur, fiunt paratitla. Atque hanc interpretandi iuris rationem probauit Iuſtinianus; nam ſic ait, de concep. Digeſtorum: *Sufficiat per indices tantummodò, & titulorum ſubtilitatem, quæ παράτιτλα nuncupantur, quaſdam admonitoria eius facere.* Et de confirmatione Digeſtorum: *Si quæ forſitan per titulorum ſubtilitatem adnotare maluerint, & ea, quæ paratitla nuncupantur, componere.* Commodum in his paratitlis, quod ſtudioſi omnia quæ ad eumdem iuris articulum pertinerent, ſimul, & vno conſpectu viderent.

Hos ſcriptores tum Latinos, tum Græcos innumeri Recentiores ſequuti ſunt, qui varios iuris Canonici indices, ſummas, diuiſiones, analyſes, & partitiones texuerunt. Tu, quas voles, partitiones elige: Nos quæ nobis ſcientificæ expoſitioni magis idonea videbitur *quæſt. ſequenti* explicabimus. Satis nobis fuit hoc loco cæterorum præcipuas diuiſiones, ſummas, & collectiones aperire.

LIBER

LIBER SEXTVS
DE IVRE CANONICO
& Eccleſiaſtico non ſcripto.

P*ARTITI ſumus* lib. 1. ſuperiori cap. 1. quæſt. 1. *ius Eccleſiaſticum in ius ſcriptum, & non ſcpritum, Iuſtinianum* ibid. *adductum æmulati qui eodem modo ius Ciuile diſtribuit. Quia verò ius Canonicum, vti notauimus eodem loco, duo maximè continet, dogmata nimirùm, & doctrinam fidei, ſiue Canones, & Regulas diſciplinæ Eccleſiaſticæ, duplex quoque eſt ius Eccleſiaſticum non ſcriptum: vnum quod doctrinam & dogmata fidei reſpicit: alterum quod diſciplinam Eccleſiaſticam, & eius Canones ac regulas. Primum vocamus traditiones, alterum conſuetudinem, quare* hoc libro, *in quo de iure Eccleſiaſtico non ſcripto diſputamus, de iure traditionum & conſuetudinis agendum accuratè eſt: abſtinebimus tamen ab iis quæ de traditionibus ſingillatim inquirunt qui de fidei controuerſiis cum Heterodoxis ex inſtituto diſputant.*

CAPVT PRIMVM.

De Traditionibus.

QVÆSTIO I. *Quid & quotuplex ſit traditio Eccleſiaſtica.*

QVÆSTIO II. *Neceſſitas & vtilitas Traditionum.*

QVÆSTIO III. *Diluuntur obiecta aduersùs Traditiones.*

QVÆSTIO IV. *Notæ & vſus Traditionum.*

EXPOSITIONEM iuris Canonici & Eccleſiaſtici non ſcripti ordimur à dogmate & fidei doctrina per manus tradita, & non ſcriptis conſignata à primis eius auctoribus, ſed viuâ voce tradita, ſiue à iure traditionum.

QVÆSTIO I.

Quid & quotuplex ſit Traditio Eccleſiaſtica.

Quid ſit traditio, n. 1.
Quotuplex ſit, n. 2.

Diuiſio prima, n. 3. *& ſeq.*
Aliæ diuiſiones, n. 6.

ORdior ab explicatione naturę Traditionum, cui præponenda foret ex methodo ſcientifica diſputatio de earum exiſtentia: quia vix poteſt explicari Traditionum exiſtẽtia, niſi priùs intelligamus quænam ſit earum definitio: ex illa enim ſtatim apparebit an admittendæ ſint, an reiiciendæ, & deindè in conſequentibus ex earum neceſſitate & vtilitate facilè conſtabit eiuſmodi aliquas eſſe.

1 Traditionem igitur accipimus doctrinam quæ ab Apoſtolis aut Chriſto, ſine ſcripto, & ſolâ voce ad inſequentium annorum poſteritatem profluxit: etſi enim vox ipſa Traditionis in ampliſſima, & tamen natiuâ notione ſignificet quidquid ab aliis deriuatum, & vti loquimur, ſiue ſcripto, ſiue non ſcripto, & ſolâ voce traditum accepimus: ex communi tamen Theologorum mente, & Eccleſiæ vſu reſtricta eſt eius ſignificatio ad ea quæ à primis auctoribus ſolâ voce ad nos, perenni quodam fluxu promanarunt, ideoque PP. ſacram Scripturam à Traditionibus diſtingunt. Quare Irenæus *lib. 3. cap. 2.* ait, hæreticos neque ſcripturis, neque Traditionibus conſentire, & Tertullian. *lib. de Corona militis, cap. 4. Si legem poſtules, ſcripturam nullam inuenies, Traditio tibi prætenditur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſeruatrix.* Agit Tertullian. de corona, quam miles Chriſtianus in donatiuis Imperatorum diſpenſatione facta Tribuum accedens manu geſtabat, quam cæteri in capite, & ſibi Chriſtiano coronato nefas eſſe publicè incedere, reſpondit, vnde ruſſatus ſuo ſanguine in carcerem rapitur, quam obſeruationem ſatis auctoratam eſſe oſtẽdit Tertullian. ex traditione etiam non ſcripta, quam eſſe recipiendam ex baptiſmo, Euchariſtiæ Sacramento, oblationibus pro defunctis, ſer-

nando die Dominico, non ieiunando illo die, & aliis quæ ſcripta non ſunt docet *cap. illo 3. & 4.* quod idem demonſtrat Cyprian. *lib. 2. Epiſt. 3. ſiue Ep. 63.* vbi diuinum calicem aquâ mixtum offerendum eſſe contendit, non niſi ex Dominica traditione. Et ſanè non dixit Chriſtus vinum eſſe offerendum, ſed ſuo exemplo ita faciendum eſſe docuit, vnde *ibid.* Cyprian. *Admonitos autem vos ſciatis vt in Calice offerendo, Dominica traditio ſeruetur, neque aliud fiat à nobis quam quod pro nobis Dominus prior fecerit.* Sapienter enim Auguſt. *Epiſt. 129. ad Ianuar. Neque enim præcepit Chriſtus quo deinceps ordine ſumeretur hoc Sacramentum, vt Apoſtolis, per quos Eccleſias diſpoſiturus erat, reſeruaret* Cyprianus igitur aliique veteres vocem Traditionis ad doctrinam non ſcriptam, & deinceps Theologi paſſim reſtringunt, non dicitur verò doctrina non ſcripta, quaſi nuſquam, & nullibi ſcripta ſit, non potuit enim ad nos peruenire, niſi ab aliquo fuerit litteris mandata, & eius teſtimonio comprobata, ſed quia non eſt ſcripta à primo eius auctore, Chriſto videlicet, Euangeliſta, aut Apoſtolo, ſed voce tantum commendata, quam cæteri deinde magnô conſenſu & tenuerunt, & nobis tradiderunt.

2 Hæc verò tradita doctrina, gemina eſt, videlicet de fide, vel de moribus v.g. quod ſint quatuor Euangelia, quod beata Chriſti mater virgo ſemper fuerit, & alia quædam, quæ pertinent ad fidem, & in Euangeliis non diſertè & expreſſè leguntur: mores verò ſpectant ſignum crucis in fronte notandum, certorum dierum ieiunia, vt quadrageſimæ, & abſtinentiæ quæ in ſcripturis, neque in libris Euangelicis, neque in Apoſtolicis ſcriptis vllibi leguntur. Atque hæc eſt prima Traditionũ partitio quoad materiam, quam PP. omninò ſequuntur, cùm fidei & myſteriorum diuiniſſimorum doctrinam à verbo Dei ſcripto, & non ſcripto pendere, in illóque fundatam eſſe dicunt. In illis inſignis eſt Dionyſius Areopagita, nam ex diuinis oraculis, ſic enim ſcripturas perpetuò deſignat, ſuam doctrinam deriuat, verùm ſecundùm myſticam eorum explanationem; quæ ſanè explanatio myſtica, non niſi per Traditionem accepta eſt; ipſa enim diuina oracula non ipſa ſeſe explanant, ſed à myſticis & initiatis doctoribus explanantur, & traduntur. Quare *cap. 2. cæleſt. Hierarch.* ait cæleſtes Hierarchias eſſe celebrandas, κατὰ τὴν αὐτῶν ἐν τοῖς λογίοις ἐκφαντορίαν, ſecundùm earumdem myſticam in oraculis explanationem, & *cap. 6.* ſcribit, ſe nihil ex propria mente dicturum, ſed ſecundùm Angelica ſpectacula à ſanctis Theologis edoctum, qui ſancti Theologi non ſcripto, ſed doctrina & voce tradiderunt, ἀλλ' ἡμεῖς μὲν οὐκ ἀφ' ἑαυτῶν αὐτοκινήτως, ὅσα δὲ τῶν ἀγγελικῶν θεαμάτων ὑπὸ τῶν ἱερῶν θεολόγων ἐξεπαιδεύθη ταῦτα μυηθέντες ἡμεῖς ὡς οἷοί τε ἐσμὲν ἐκθησόμεθα. *Itaque nos quidem nihil proprio motu dicemus, ſed quæ Angelica ſanctis Theologis viſa fuerint, edocti pro viribus exponemus.* Quæ ſanè Angelica ſpectacula non litteris ſacris, conſignata, ſed voce tradita & explicata ab Apoſtolicis viris accepit Dionyſius, vt vides. Sed clariùs *capite 1. de Hierarch. Eccleſiaſt. §. 1.* ait Hierarchiam eſſe functionem diuinæ & deificæ ſcientiæ, & afflationis ex ſupermundialibus oraculis, quam ſanè deificam ſcientiam afflationem, & perfectionem ex ſupermundialibus oraculis non poſſe niſi ab iis, qui diuinâ illâ luce, aut ſpiritu afflati ſunt. & illa ſupermundialia oracula, doctrina percipi ſtatim conſtat, &, vt ipſe ait, ab iis, qui ex Hierarchicis myſteriis Traditionibuſque ſacro ſunt hoc munere initiati, τῆς ἐνθέου, καὶ θείας, καὶ ἱεραρχικῆς ἐπιστήμης, καὶ ἐνεργείας, καὶ τελειώσεως, ἐκ τῶν ὑπερκοσμίων ἱερωτάτων ἡμᾶς ἀποδεῖξαι λογίων χρὴ, τοῖς τὴν ἱερὰν μυσταγωγίαν τὴν τελετὴν ἐξ ἱεραρχικῶν μυστηρίων, καὶ παραδόσεων τετελεσμένοις. Demonſtrandum itaque ſuſcipit Dionyſius, noſtram Hierarchiam eſſe diuinæ deificæque ſcientiæ afflationis, & perfectionis functionem, demonſtrandum, inquam, ex ſupermundialibus oraculis, & ex Hierarchicis myſteriis, ac Traditionibus eorum, qui ſunt ſacro munere initiati. Deinde §. 4. ait ſubſtantiam & eſſentiam noſtræ Hierarchiæ eſſe diuinitùs tradita oracula, illa maximè quæ à ſacris initiatoribus diuino ſpiritu afflatis in Scripturis ſacris libriſque theologicis tradita nobis ſunt, & illa quæ ab iiſdem viris ſanctis, ſubtiliori, non omninò diſſita ab ordine cœleſti niſi ratione de mente in mentem, mediante verbo, corporeo quidem illo, ſimili tamen immateriali ſine ſcriptione inſtitutores noſtri ſacra quadam traductione ſunt edocti, οὐσία γὰρ τῆς καθ' ἡμᾶς ἱεραρχίας ἐστὶ τὰ θεοπαράδοτα λόγια, σεπτότατα δὲ λόγια ταῦτα φαμὲν, ὅσα πρὸς τῶν ἐνθέων ἡμῶν ἱεροτελεστῶν ἐν ἁγιογράφοις ἡμῖν, καὶ θεολογικαῖς δεδώρηται δέλτοις, καὶ μὴν ὅσα πρὸς τῶν ἱερῶν ἀνδρῶν ἀϋλοτέρᾳ μυήσει, καὶ γειτονί πως ἤδη τῆς οὐρανίας ἱεραρχίας ἐκ νοὸς εἰς νοῦν διὰ μέσου λόγου σωματικοῦ μὲν, ἀϋλοτέρου δὲ ὅμως, γραφῆς ἐκτὸς, οἱ καθηγεμόνες ἡμῶν ἐμυήθησαν. Non poterat Dionyſius elegantiùs verbum Dei tam ſcriptum, quàm non ſcriptum explicare. Sacros initiatores vocat Apoſtolos, quorum ipſe & Timotheus, ad quem ſcribit, erat diſcipulus. Addit deindè illorum Traditionem magis accedere ad Angelorum locutionem, quàm ſcripturam, quia licèt eiuſmodi traditio & doctrina fiat ore corporeo, in eóque deficiat ab angelica locutione, qui ſibi mutuò ſuos conceptus à mente in mentem inſinuant & patefaciunt; modo tamen minùs materiali fit hæc traditio, quam per ſcripturam, cùm fiat ſolo verbo: in ſcripturâ verò materia quædam craſſior, nimirùm calamus & atramentum adhibeatur. Quare non modò Dionyſius admittit Traditiones non ſcriptas, ſed etiam eiuſdem vult eſſe cum verbo ſcripto auctoritatis, & iiſdem non minùs quàm per ſcripturam Eccleſiam dirigi, cum æquali modò ad ſubſtantiam noſtræ Hierarchiæ pertineant, immò nobiliores quodammodò eſſe Traditiones, cùm & magis ſpirituales ſint, & Hierarchiarum cœleſtium regimini ac locutioni conformiores. Quare Maximus in ſcholiis ait, Dionyſium definire Hierarchiam ſecundùm venerandã Traditionem καθὼς ἡ σεπτὴ ἡμῶν παράδοσις περιέχει. Deindè ait ipſum vocare immaterialiorem inſtitutionem, ἀϋλοτέραν μύησιν, eam quam Apoſtoli ſenſum ſcripturæ, & notitiam à Spiritu ſancto acceperunt, τὴν ἐκ πνεύματος γενομένην τοῖς ἀποστόλοις γνῶσιν τῶν τῆς γραφῆς νοημάτων, ſcripturam verò appellauit ſermonem corporeum, σωματικὸν ἐκάλεσε λόγον. Pachymeres *in paraphraſi* vult Dionyſ. ſuſcepiſſe demonſtrandam noſtram Hierarchiam per ſe diuinam eſſe, non ſecus ac cœleſtem, non tamen omnibus, ſed iis ſolis, qui per traditiones Apoſtolorum iſtiuſmodi inſtitutione digni ſunt, οὐ πᾶσι, ἀλλὰ μόνον τοῖς ἠξιωμένοις τῆς τοιαύτης μυσταγωγίας διὰ τῆς τῶν ἀποστόλων παραδόσεως. Oſtendit deindè quomodo Apoſtoli ex Spiritus ſancti lumine ſenſum & cognitionem ſcripturarum nobis tradiderunt, ſermone quidem corporeo, quia per inſtrumenta corporea locuti ſunt; magis tamen immaterialiter, quia ſermone ſolo, & non ſcripto myſticè tradiderunt, διὰ λόγου σωματικοῦ μὲν ὅτι δι' ὀργάνων σωματικῶν ἐλέγοντο ἀϋλοτέρου δὲ ὅμως ὅτι λόγῳ μόνῳ, καὶ οὐ διὰ γραφῆς παρέδοσαν μυστικῶς. Hac ipſa de cauſa idem Dionyſius *cap. 1. cæleſtis Hierarch.* vocat arcanam & Sacerdotalem Traditionem, τὴν κρυφίαν, καὶ ἱερατικὴν παράδοσιν, & Apoſtolos diuinóſque Theologos Dei Spiritu afflatos, & initiatos Hierarchas, & primos præceptores *illo cap. 1. cæleſt. Hier.* τοὺς θεολόγους, τοὺς

ἐνθέους

ἐνθέους ἱεροτελεστὰς τοὺς πρώτους τῆς καθ' ἡμᾶς ἱεραρχίας καθηγεμόνας: quia diuino Spiritu afflati ſenſum nobis Scripturæ tradiderunt: ſic enim inquit §. 5. *eius capitis primi* ἐκ τῆς ὑπερουσίου θεαρχίας αὐτοῖς τε ἀναπλησθέντας, καὶ ἱερῶς δ' ἄρχειν, καὶ εἰς τοὺς ἑξῆς αὐτοῦ προαγαγεῖν ὑπὸ τῆς θεαρχικῆς ἀγαθότητος ἀπεσταλμένους, ex ſuperceſſentiali diuinitate ſacro ipſos munere repletos, & in poſteros illud ipſum deriuatum à diuina bonitate miſſos,&c. qui nobis ſenſum ſcripturarum tradiderunt diuino lumine illuſtrati, & à diuina bonitate miſſi ad hoc ſunt; vnde eorum traditiones venerandas, & acceptandas tanquam diuina & ſacra eloquia cenſet Dionyſ. maximè dum ſacram & diuinam doctrinam tradunt.

3 Illuſtris quoque eſt magni Baſilij *lib. de Spiritu ſancto ad Amphylochium cap.* 27. animaduerſio circa doctrinam per Traditiones acceptam: cùm enim Baſilius in ſolemni Triſagio diceret, σὺν τῷ πνεύματι *cum Spiritu*, non vt cæteri quidam, ἐν πνεύματι *in Spiritu*, plurimi, etiam Catholici, eiuſmodi nouitate ſunt offenſi, quibus vt ſatisfaceret Baſilius librum de Spiritu ſancto ſcripſit, in quo quàm multis argumentis ſuam fidem, & ſuum illum loquendi modum demonſtrat, maximè *cap. illo* 27. ex antiquâ & Apoſtolicâ traditione. Atque imprimis eorum dogmatum & inſtitutorum quæ in Eccleſiâ ſeruantur, quædam haberi ex doctrinâ ſcripto traditâ, quædam rurſus ex Apoſtolorum traditione communicata nobis in myſterio, & in occulto tradita recepimus, quorum vtraque parem vim habent ad pietatem, τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ πεφυλαγμένων δογμάτων, καὶ κηρυγμάτων τὰ μὲν ἐκ τῆς ἐγγράφου διδασκαλίας ἔχομεν τὰ δὲ ἐκ τῆς τῶν ἀποστόλων παραδόσεως διαδοθέντα ἡμῖν, ἐν μυστηρίῳ παρεδεξάμεθα, ἅπερ ἀμφότερα τὴν αὐτὴν ἰσχὺν ἔχει πρὸς εὐσέβειαν. Diſtinguit ergo ſapienter Baſil. δόγματα, & κηρύγματα, & quædam ex illis eſſe ſine ſcripto tradita ab Apoſtolis in myſterio,& tanquam arcana, atque vtraque ab Eccleſiâ ſummo ſtudio ſeruati, & pari pietate; quod nemo negat, qui vel minimum nouit leges & iura Eccleſiaſtica, καὶ τούτοις οὐδεὶς ἀντερεῖ ὅστις γε κἂν κατὰ μικρὸν γοῦν θεσμῶν ἐκκλησιαστικῶν πεπείραται. Denique ſi vel minimas vel non ſcripto traditas conſuetudines imprudenter contemnamus, maximum Euangelio damnum inferemus; immò & ipſam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus. δόγματα pertinent ad fidem, vel ſunt articuli, vt nominamus, fidei, quæ vt ipſe ait, ſæpiùs ex minimè vulgata, ſed ſecreta doctrina profecta ſunt; quam doctrinam quieto miniméque curioſo ſilentio patres noſtri cuſtodierunt, probè quidem intelligentes, myſteriorum maieſtatem taciturnitate ſeruari, οὐκ ἐκ τῆς ἀδημοσιεύτου ταύτης, καὶ ἀπορρήτου διδασκαλίας ἣν ἐν ἀπολυπραγμονήτῳ, καὶ ἀπεριεργάστῳ σιγῇ οἱ πατέρες ἡμῶν ἐφύλαξαν καλῶς ἐκεῖνοι δεδιδαγμένοι τῶν μυστηρίων τὸ σεμνὰ σιωπῇ διασώζεσθαι. Atque hac ratione initio Eccleſiæ leges condiderunt Apoſtoli, οἱ τὰ περὶ τὰς ἐκκλησίας ἐξ ἀρχῆς διαθεσμοθετήσαντες ἀπόστολοι; & Patres in occulto, & ſimul verbis expreſsè ſuam ſeruauere myſteriis dignitatem, καὶ πατέρες ἐν τῷ κεκρυμμένῳ, καὶ ἀφθέκτῳ τὸ σεμνὸν τοῖς μυστηρίοις ἐφύλασσον: neque enim omninò myſterium eſt quod ad populares, atque vulgares aures effertur, οὐδὲ γὰρ ὅλως μυστήριον τὸ εἰς τὴν δημώδη, καὶ εἰκαίαν ἀκοὴν ἐκφερόμενον. Atque hæc ratio eſt, cur quædam iure ſcripto tradita ſint: ne videlicet dogmatum cognitio apud vulgus ipſa conſuetudine vileſceret οὗτος ὁ λόγος τῆς τῶν ἀγράφων παραδόσεως ὡς μὴ καταμελετηθεῖσαν τῶν δογμάτων τὴν γνῶσιν εὐκαταφρόνητον τοῖς πολλοῖς γενέσθαι διὰ συνήθειαν. Plura igitur ſacra dogmata non ſcripta initio, ſed tradita ſunt ex Baſilio, ne eorum maieſtas vileſceret; qui fuit & aliorum Patrum ſenſus dum de myſteriorum, atque Scripturæ obſcuritate diſputant: deſtinato enim Dei conſilio Scripturam neque explicatu facilem, etiam in iis quæ ad dogmata & fidei capita dicunt. Sed id modò non agimus: ſufficiat vnus Origen. *cap.* 9. *Philocalia*, & *tom.* 9. *in Ioan.* vniuersè enim propoſitum fuiſſe ait, tum ſpiritui, qui erat in Prophetis, tum verbo Chriſti, quod erat in Apoſtolis, occultare veritatis ſenſa, nec apertè proferre. Proſper verò ex Auguſtino *ſententia* 67. *Bonæ ſunt*, inquit, *in ſcripturis ſanctis myſteriorum profunditates, quæ ob hoc teguntur, ne vileſcant: ob hoc quæruntur vt exerceant: ob hoc aperiuntur vt paſcant.*

Porrò non ſolùm dogmata, ſed etiam κηρύγματα traditione communicari dicebat Baſilius: eſt verò κήρυγμα inſtitutum, lex, ſiue decretum, quod omnibus ſeruandum proponitur: ſic enim ſuas leges,& edicta, quas publicè obſeruari, & voce præconis promulgari volunt, nominant. Itaque κηρύγματα ſunt rerum agendarum, ac rituum, qui in ſacris actionibus paſſim in Eccleſiâ ſeruantur; atque vtriuſque huius antiquæ traditionis δογμάτων & κηρυγμάτων plurima exempla adducit *eodem capite* Baſilius, eorúmque rationem myſticam exponit. Quoad conſuetudines quidem & ritus crucis ſigno ſeipſum obſignare, ad Orientem ſe in oratione conuertere, aquam ad baptizandum benedictione conſecrare, ter in aquam eos, qui baptizantur, immergere, Dominico die, ac per quinquaginta poſt paſcha dies genua non flectere, & alia id genus complura, quæ propterea ſine ſcripto fidelibus tradita eſſe dicit, ne ad profanos, & nondum initiatos homines vulgata peruenirent. Ad dogmata verò & profeſſionem fidei ſpectat ipſa profeſſio fidei ex eadem traditione, *Profeſſio ipſa fidei, qua credimus in Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, quæ quidem nullis eſt litteris commiſſa*, αὐτὴν δὲ τὴν ὁμολογίαν τῆς πίστεως πιστεύειν εἰς πατέρα, καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα ἐκ ποίων γραμμάτων ἔχομεν, ac denique ex particula σὺν πνεύματι, Spiritus ſancti æqualitatem coniunctionémque cum aliis duabus perſonis exprimimus, cum dicimus, Gloria Patri, & Filio cum Spiritu ſancto, vti exponit *ſub finem capitis*. Vides igitur ex Baſilio probatam eſſe ſolemnem Traditionum partitionem in eas, quæ ad Chriſtianam fidem, & quæ ad ritus & conſuetudines pertinent.

Hoc tamen inter iſta diſcrimen eſt, quòd dogmata diuini iuris, ſint ea quæ Apoſtoli ex Chriſti ore, vel ſancti Spiritus reuelatione accepta, ita Eccleſiæ tradiderunt vt illa penitùs immutare, nefas omninò ſit: κηρύγματα verò, & ritus ita quoque tradiderunt, vt neque ſemper, neque vbique ſeruata fuerint, ſed contrariis interdum moribus obliterata, aquam v.g. quam vnicam eſſe baptiſmi Sacramenti materiam tradiderunt Apoſtoli, nemo Chriſtianus à baptiſmi Sacramento audeat abiudicare. Trinam verò in aquam immerſionem, cuius originem ex eadem Apoſtolica traditione Baſilius *eodem cap.* 27. arceſſit, ſenſim Eccleſiæ conſuetudo mutauit, & ad ſimplicem aſperſionem redegit: quare aliæ ſunt Traditiones diuini iuris & immutabiles, aliæ iuris poſitiui ac humani, quæ Eccleſiæ, vel Pontificiâ auctoritate, vel etiam contrario more poſſunt abrogari. Inter eas porro quæ diuini iuris atque æternæ & immutabilis inſtitutionis ſunt, numerat Baſil. *l. cit.* vnctionem quæ ſub baptiſmum fieri conſueuerat, hoc eſt, Sacramentum confirmationis, quod ſub baptiſmum tribui ſolebat, vti fieri imperat Synodus Laodicena *Canone* 48. ὅτι δεῖ τοὺς φωτιζομένους μετὰ τὸ βάπτισμα χρίεσθαι χρίσματι ἐπουρανίῳ, καὶ μετόχους εἶναι τῆς βασιλείας τοῦ χριστοῦ, quod oportebat eos qui baptizantur poſt lauacrum regenerationis, Chriſma

cœleſte præcipere,& eſſe participes regni Chriſti,eius negat Baſilius expreſſam mentionem reperiri in ſcripturis,nempè quatenùs vnctione,& chriſmate conſtat, in quâ ſola manuum impoſitio,per quam dabatur Spiritus ſanctus memoratur. Atqui vnctionem & chriſmationem tunc acceſſiſſe, & illud Sacramentum etiam vnctione, tanquam parte neceſſaria, & ὁμοιώδει conſtare docebimus *ſequenti tomo*, & quamvis illius nuſquam Scriptura meminerit, ita tamen ex Apoſtolica traditione cenſuit Baſilius, & cæteri veteres, vt non arbitrarij & humani iuris eſſet illa vnctio, ſed ſuperioris cuiuſdam diuinâ auctoritate ſanciti. Inter eaſdem diuinas traditiones in calice Dominico miniſtrando, vt mixtus vino offeratur, cenſuit Cyprian. *Ep.67. nuper citata*, quam & innouari prohibet. Similis eſt traditio de baptizandis paruulis, vt ait Auguſtin. *lib. 1. de peccat. merit. & remiſſ. cap.26.* & illa item alia de non rebaptizandis hæreticis, contra Cyprianum idem Auguſt. *lib.2. de baptiſ. contra Donat. cap.7.* & *lib. 4. cap. 23.* quam traditionem tam acriter Stephanus Papa contra Epiſcopos Africanos, ipsúmque Cyprianum tuitus eſt. De conſuetudinibus ac rituum traditione probat multis exemplis fuſiſſimè Tertull. *l. de coron. militis. cap.3.* Auguſtin. *Ep.118. lib.6. de baptiſ. contra Donatiſt. l.4.c.23.* & *l.6.c.26.* Atque hactenus de prima diuiſione traditionum, ratione materiæ, in eas, quæ vel dogmata, vel ritus & cerimonias continent.

6 Secunda diuiſio eſt ratione auctoris in diuinas, quas Chriſtus Apoſtolis tradidit, cuiuſmodi ſunt quæ ad materias & formas Sacramentorum pertinent, vix in ſcripturâ expreſſas. Aliæ ſunt Apoſtolicæ, quæ ab ipſis Apoſtolis, ſiue diuini Spiritus aſſiſtentia inſtitutæ, vt ieiunium quadrageſimæ & Dominicæ dies, ſunt Eccleſiaſticæ, ritus ſcilicet, & conſuetudines antiquæ, quæ à prælatis vel populis inductæ, ſenſim tacito conſenſu vim legis obtinuerunt: diuinæ & Apoſtolicæ conſtitutiones vim legis obtinent, & ſi vniuerſales ſint, vix mutari aut abrogari poſſunt; Eccleſiaſticæ denique pro legibus Eccleſiaſticis habentur.

Tertiò Traditiones aliæ perpetuæ ſunt, ſemper duraturæ, aliæ temporaneæ, quæ ad certum dumtaxat tempus ſeruandæ inſtituuntur.

Quartò denique quædam traditio per modum præcepti habetur, vt celebratio Paſchæ die Dominica poſt 14. Lunam Martij: quædam liberæ ſunt, & per modum conſilij feruntur, vt aſperſio aquæ luſtralis, aliáque ſimilia, vt ait Bellar. *lib. 4. de verbo Dei non ſcripto, cap. 3. extremo.*

QVÆSTIO II.

Traditionum vtilitas & neceſſitas.

1 EX natura & partitione traditionum hactenùs explicata hoc θεώρημα & veluti corollarium efficitur, non vtiles, ſed & neceſſarias eſſe traditiones: nam in primis nulla in ſcripturis plurium dogmatum, quæ tamen vt fide certa profitetur Eccleſia, expreſſio eſt. Cùm enim ab Adamo ad Moyſem aliqua fuerit Eccleſia, & diuinus cultus, qui fide aliqua ad ſalutem neceſſaria regebatur nullæque tunc fuerint ſcripturæ, cùm Moyſes non modò primus ſacer ſcriptor fuerit, ſed etiam primus omnium ſcriptor, vti pluribus oſtendit Euſebius Nieremburgenſis *l. 2. de origine ſacra Scriptura*, ſequitur veram religionem, fidem, & Dei cultum, per bis mille annos ſine ſcriptura, ſoláque traditione propagatum & ſeruatum eſſe; vnde neceſſariò ſequitur ad fidem & religionem neceſſariam omninò eſſe, & Traditionem ſolam etiam ſine ſcriptura ſufficere. Et ſanè fides Abrahæ, quæ ſola vera fides erat nonniſi traditione propagandam eſſe dicit Dominus *Geneſ.* 18. *v.* 19. vbi enim promiſit Deus, Abrahamum futurum eſſe in gentem magnam & robuſtiſſimam, & in illo benedicendas eſſe omnes nationes terræ, addit: *Scio enim quod præcepturus ſit filiis ſuis, & domui ſuæ poſt ſe, vt cuſtodiant viam vnam Domini, & faciant iudicium & iuſtitiam.* Deindè quamvis Moſes legem diuinam, & mandata, ac reliquum religionis cultum ſcriptis conſignarit, illæ tamen ſcripturæ non ad alios quàm Hebræos pertinebant, cùm tamen plurimi alij ad veri Dei cultum, religionem, & fidem pertinerent; qui ſanè non vtebantur ſcripturis ſibi ignotis, ſed traditione dumtaxat. Id patet ex Iobo & eius amicis, affirmátque Auguſtin. *lib.2. de peccat. merit. cap.24. lib. 1. de prædeſtin. ſanctor. c.9. & lib.18. Ciuitat. cap.47.* Denique ipſa ſacra vetus Scriptura Iudæos ad Seniorum & patrum ſuorum traditionem mittit, & vult patres docere filios ſuos, Exod.13. *Narrabis filio tuo in illo die dicens, Hoc fecit Dominus:* Deut. 32. *Interroga patrem tuum & annuntiabit tibi; maiores tuos & dicent tibi*, & *alibi* vti colligit Bellarm. *lib. 4. de verbo Dei, cap.* 4. poſt Chriſti aduentum non ſtatim habuimus ſcripturas, quas conſuleremus, cùm teſtetur Irenæus *lib.1. cap.* 4. ſua ætate fuiſſe id temporis gentes aliquot, quæ ſcripturam nullam haberent.

Probat ſecundò Bellarm. *cap.4. cit.* Scripturam ſine traditione ſufficientem non eſſe ad integram fidem, cùm neque ſinguli libri ad id ſufficiant, vt patet, neque totus Canon, cùm neque ex ipſis hæreticis certum adhuc ſit, an habeatur totus Canon, & plures in illo veros libros numerari negent, & plurimi, qui in eo contineri debuerant, perierint, neque quis ſit ſacræ Scripturæ verus & integer Canon, nobis ex Scriptura conſtare poſſit, ſed ex ſola traditione.

Tertiò plurima quæ fide tenenda eſſe fatentur Heterodoxi, in ſcripturis non reperiuntur, vt remediũ peccati originalis pro paruulis maſculis ante diem VIII. defunctis, & pro omnibus fœminis. Quartò plurima quæ in Scripturis exprimuntur, ſæpiùs obſcura ſunt, & in plurimos ſenſus non ineptè trahi poſſunt. Quis igitur docuit quænam vera ſit Scripturarum intelligentia? Non ſacra Scriptura, ſed traditio docere id potuit; quæ & alia multa adducit Bellarm. *illo cap.*4. alioquin perpetuò opinionum æſtu, & pugnantium inter ſe dogmatum conflictione iactabimur, inde hæreſes, & ſectæ natæ, quas quiſque pro ſuo arbitrio, & ingenij modulo ſibi finxit. Sapienter itaque PP. Gangrenſes circa annum Domini 324. Silueſtro primo Pontifice *Canones* 21. ſic à ſe ſancitos concludunt, πάντα συνελόντας εἰπεῖν τὰ παραδοθέντα ὑπὸ τῶν θείων γραφῶν, καὶ τῶν ἀποστολικῶν παραδόσεων ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ γίνεσθαι εὐχόμεθα. Quintò ex iis quæ ſcripta ſunt plurima deducuntur, per conſequentiam deducimus quæ de fide eſſe nemo negat. Scriptura igitur ſola non ſufficit, ſed ratiocinatione iuuatur, atque etiam traditione: rectè enim Ioannes Philopomus *l. 1. de mundi opificio c.* 11. ait multa alia dogmata præter ea, quæ ſcripta ſunt, in Eccleſia celebrari, quæ per conſequentiam ex cæteris colliguntur, vt, Deum eſſe incorporeum, figuræ ac dimenſionis expertem, propter quod etiam indiuiduus eſt: ſanctam Trinitatem conſubſtantialem ὅτι καὶ ἕτερα πολλὰ τῶν δογμάτων ἀγράφως ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ τοῦ θεοῦ πολιτεύεται ἐξ ἀκολουθίας ἑτέρων συλλογιζόμενα τὸ ἀσώματον εἶναι τὸν θεὸν, τὸ ἀσχημάτιστον, τὸ ἀδιάστατον δι᾽ ὃ ἀμερὲς ὑπάρχει, τὸ ὁμοούσιον εἶναι τὴν ἁγίαν τριάδα. Ex Scripturæ itaque ſilentio,

aut

aut ex eius non expreſſione, vel etiam obſcuritate & ſimul ambiguitate, neceſſitas traditionum apparet; illæ enim nobis explicant quæ latebant, aut non exprimebantur, vel quæ ex illis per conſequentiam & acolouthiam deduci poſſunt, & quæ tanquam fidei capita tenet Eccleſia. *Ex iis quæ legimus* (inquit Auguſtin. *lib. 3. contra Maximum Arian. cap. 3.*) *aliqua etiam quæ non legimus, intelligimus*. *Denique inter Chriſtiana dogmata numerari quæ nuſpiam ſcripta ſunt*, habet Nazianz. *orat.* 37. Baſil. *lib. nuper citato de Spiritu ſancto cap.* 27. & 29. Gregor. Nyſſen. *lib. 3. contra Eunom.* Origen. *tom. 9. in Ep. ad Romanos*, & *in Philocalia, cap. 9.* aliíque: nam ne ipſam quidem Trinitatem & illud *ὁμόουσιον* ſine traditione diſertè in Scripturis expreſſum habemus, quod etiam ſingulas illius perſonas oſtendit *tom. 2. Theologicorum dogmatum* eruditiſſimus Petauius. Cùm etiam nihil tam perſpicuum ſit quod captioſa ingenia & ad perfidiam obdurata, controuerſum non faciant, vti monet Hilarius *lib. 2. de Trinitat. initio*: *Homines mente peruersà omninò confundunt, & implicant, & vſque ad naturæ demutationem ſenſus ſui peruerſitate contendunt, vt quod pater eſt, patri adimant, dum nolunt filio auferre, quod filius eſt, &c.* & ſuperiùs: *Extiterant plures qui cœleſtium verborum ſimplicitatem pro voluntatis ſuæ ſenſu, non pro veritatis ipſius abſolutione ſuſciperent, aliter interpretantes quàm dictorum virtus poſtularet. De intelligentia enim hæreſis, non de Scriptura eſt, & ſenſus, non ſermo fit crimen.*

3 Quæ omnia confirmantur ex iis, quæ tanquam certa fidei capita magno conſenſu admittunt hæretici, qui tamen illa non Scripturâ, ſed ſola traditione poſſunt oſtendere, quod vel ex vno baptiſmate Cardinalis Perron. *in reſponſione ad Regem Britanniæ tractatu de traditionib.* demonſtrat à *c.* 7. Imprimis enim conſentiunt nobiſcum hæretici, non eſſe baptizandos hæreticos, ſed ad Eccleſiam redeuntes cum ſolâ manûs impoſitione eſſe ſuſcipiendos. Vbinam verò legunt in Scripturis, validum eſſe baptiſma hæreticorum, contra Cyprian. cui ſola conſuetudo & traditio obiiciebatur, vti diſſerit Auguſt. *lib. de vnit. Eccleſ. cap.* 19. & *lib. 5. de baptiſmo contra Donat. c.* 23. Et ſanè in tam frequentibus diſputationibus quas hac de controuerſia Auguſtinus inſtituit, an vel vnum ſolum Scripturæ locum ad definiendam tam grauem litem protulit? cùm tamen Donatiſtæ plurima ex Scriptura circumferrent, quibus ſuam hæreſim ſtabilirent: qua de re vide Vincentium Lirinenſem *in commonitorio*, vbi & addit Stephanum Pontificem huic nouæ doctrinæ vnam antiquam conſuetudinem, & traditionem obieciſſe. Vide & Hieron. *Dialogo aduersùs Luciferianos.*

4 Secundò, paruulorum baptiſma vſurpant, & probant hæretici: vnde verò ex Scriptura hoc fidei caput probabunt? quod enim dicitur *Ioann. 3. Qui non renatus fuerit ex aquâ & Spiritu ſancto, non intrabit in regnum cœlorum*, eluditur à Caluino *in commentariis huius capitis*, vbi ea verba exponit de baptiſmate Spiritus ſancti, deindè de iis, qui & credunt, & baptizantur exponunt alij, cùm eo capite agatur de fide, cuius incapaces ſunt pueri, & quod inde ſequitur, baptiſmatis, aliáque quamplurima obiiciunt Anabaptiſtæ, quæ fuſiùs recenſet Perronius.

5 Tertiò, Symbolum Conſtantinopolitanum in quo Spiritus ſanctus ex Patre, Filióque procedere dicitur, admittunt hæretici, quod tamen præcisè ex ſola Scriptura ex traditione Apoſtolica deſtituta nequit oſtendi, vt fuſiùs ait Perron. *cap. 9. tract. citat.* ex reſponſis quæ Græci reponunt aduersùs Scripturas à nobis adductas, illúdque præcipuum ex *Ioannis 16. Quia de meo accipiet, & annunciabit vobis*, referunt ad doctrinam & officium, & non ad eſſentiam, vel perſonam. Nam Spiritus ſanctus eandem Filij doctrinam erat traditurus, idémque officium geſturus; quare Synodi vniuerſales quæ & diuinitatem Spiritus ſancti, & eius à Patre Filióque proceſſionem inter capita fidei numerarunt, ſola traditione ductæ ſunt, in Scriptura quidem non expreſſa, ſed per quandam conſequentiam, illationem & ratiocinationem deducta.

Quartò. Quid autem de mutatione Sabbathi in diem Dominicam ab Eccleſia factam, & quam imitantur, hæretici reſpondebunt? An alicubi in diuina Scriptura præcipitur ea mutatio, quæ tamen vbique terrarum vſurpata eſt ab ipſo naſcentis Eccleſiæ initio, & referri nequit niſi ad ſolam traditionem? Alia innumera prætereo, quæ hîc afferri poſſent & à controuerſiarum cum hæreticis tractatoribus, Bellarmino, Perronio, Hoſio, eminentiſſimis Cardinalibus, cæteríſque ſcriptoribus adducuntur. 6

QVÆSTIO III.

Obiecta aduersùs Traditiones diluuntur.

Ingenium hæreſis, n. 1.
Obiecta diluuntur, n. 2.
Obiecta ex nouo Teſtamento, num. 3. 4. 5. 6. & ſeq.

QVàm ſit verſatile & leue hæreticorum ingenium deſcribit Irenæ. *lib. 3. aduersùs hæreſ. cap. 2.* *Cùm enim*, inquit, *ex ſcripturis, arguuntur, in accuſationem conuertuntur ipſarum ſcripturarum, quaſi non rectè habeant, neque ſint ex auctoritate, & quia variè ſint dicta, & quia non poſſit ex his inueniri veritas ab his, qui neſciant traditionem. Non enim per ſcripturas traditam illam, ſed per viuam vocem, ob quam cauſam & Paulum dixiſſe, Sapientiam autem loquimur inter perfectos: ſapientiam autem non mundi huius. Et hanc ſapientiam vnuſquiſque eorum eſſe dicit, quam à ſemetipſo adinuenit, fictionem videlicet, vt dignè ſecundùm hos ſit veritas, aliquando quidem in Valentino, aliquando autem in Marcione, aliquando in Cerintho, deindè in Baſilide: fuit autem & in illo qui contrà diſputat, qui nihil ſalutare loqui potuit; vnuſquiſque enim ipſorum omni modo peruerſus ſemetipſum, regulam veritatis deprauans, prædicare non confunditur. Cùm autem ad eam iterùm traditionem, quæ eſt ab Apoſtolis, quæ per ſucceſſiones presbyterorum in Eccleſiis cuſtoditur, prouocamus eos, aduerſantur traditioni, dicentes, ſe non ſolùm presbyteris, ſed etiam Apoſtolis exiſtentes ſapientiores, ſinceram inueniſſe veritatem: Apoſtolos autem admiſcuiſſe ea, quæ ſunt legalia, Saluatoris verbis, & non ſolum Apoſtolos, ſed etiam ipſum Dominum modò quidem à demiurgo, modò autem à medietate; interdùm autem à ſummitate feciſſe ſermones: ſe verò indubitatè & incontaminatè & ſincerè abſconditum ſcire myſterium. Quod quidem impudentiſſimè eſt blaſphemare ſuum factorem. Euenit itaque ſcripturis, iam, neque traditioni conſentire eos. Aduersùs tales certamen nobis eſt, dilectiſſimi, more ſerpentum lubricè vndique effugere conantes.* Hos Gnoſticos, Marcionitas, & Valentinianos alióſque, aduersùs quos ſtylum ſtringebat Irenæus, æmulantur noſtri Nouatores: cùm enim illis Patres Scripturam obiiciebant, illi vel partes ſcripturarum reſecabant, vel apochripham eſſe, & ſine pondere & auctoritate eſſe oſtendebant: & demùm contra illam traditionem veterem obiiciebant, & propria figmenta, tametſi pugnantia, Euangelio negato, pro vera traditione magna impudentia obtrude 1

obtrudebant: cùm verò ſolito more Patres traditionem, ſiue doctrinam viua voce, & praxi ſingularum Eccleſiarum per orbem ab Apoſtolis inſtitutarum & à conſequentibus prælatis traditam, & magno ſtudio ſeruatam opponebant Catholici, ipſi traditiones reiiciebant,& nec ſcripturis, nec traditionibus conſentiebant, ſed Scripturam traditioni,traditionem Scripturæ obiiciebant, quaſi inter ſe pugnarent: & licèt traditio prior fuerit Euangelio, quod Apoſtoli, vt ait Irenæ. *lib. 3. eodem cap. 5. primùm præconiauerant, poſteà per Dei voluntatem in ſcripturis nobis tradiderunt fundamentum & columnam fidei noſtræ futuram*, vti oſtendit *ibid.* Irenæus, vtrumque tamen & Euangelium & doctrinam traditam repudiabant: quinimmò noſtri Nouatores ipſa Scriptura nobiſcum, contra Scripturas pugnant, & eas reiiciendas eſſe contendunt, tum ex veteri, tum ex nouo Teſtamento plurima inſulsè colligentes.

2 Atque imprimis illud *Deuteron. 2. v. 32. Quod præcipio tibi, hoc tantum facito Domino, nec addas quidquam, nec minuas.* Verùm quid hæc amabo ad doctrinã vel traditiones faciunt? Iubet Deus exactã ſuorum mandatorũ exequutionem,quibus nihil detrahi,nihil addi, quaſi diuinum foret mandatum, mandat: non prohibet autem plurima alia pietatis opera,quæ mandata non fuerint, exercere: nam & deinceps Ioſue *cap. 6.* arcam transferri iuſſit, & coram illam proſterni: & Dauid *Pſalmo* 98. iubet adorari ſcabellum pedum eius, quod de arcâ ipſi Geneuenſes interpretantur. Quam verò inſulſum eſt quod *ex Pſalm.* 18. afferunt! ibi enim dicitur lex Domini immaculata eſt, & præceptum Domini illuminans oculos. Quid hæc ad traditiones amabo? Veriùs videtur obiici illud *Iſai.*8. *v.* 20. *Ad legem magis, & ad teſtimonium. Quod ſi non dixerint iuxta verbum hoc, non erit matutina lux.* Vt verò omittam varias Hebraïzantium aliorúmque expoſitiones, & commentarios, quos variè reiicit Cardinalis Perron. *de traditionibus, cap. 2.* non video qua ratione poſſint iſta verba aptari traditionibus: illo enim *cap.* 8. cùm dixiſſet Deus, regna Syriæ & Samariæ breuî fore delenda, neque diutiùs permanſura, quàm recens natus puer bonum internoſcat à malo, ſeu patrem & matrem vocare incipiat, addit deindè grauiter ab Aſſyriis vexandam eſſe Iudæam, ſed eos breuî eſſe delendos. Denique his, qui à Deo eiúſque præceptis defecerint, & Pythones conſuluerint, aduerſa minatur omnia, eóque pertinent verba ab aduerſariis allata *v.* 18. *Et cùm dixerint ad vos: Quærite à Pythonibus,& à diuinis qui ſtrident in incantationibus ſuis.* Si quis in his rerum anguſtiis ſuaſerit à Pythonibus, & Ariolis, rerum futurarum euentus ſciſcitemini, huic vos liberè & audacter reſpondete: *Nunquid non populus à Deo ſuo requiret viſionem pro viuis,& mortuis?* ſcilicet Nũquid eſt,Deus in Iſraël, à quo populus exquirat reſponſa? Nunquid à mortuis, in viuorum cauſa & pro eorum ſalute poſcet oracula? *Ad legem magis & ad teſtimonium,* ad legẽ potiùs & ad teſtimonium in grandi volumine deſcriptum confugiemus. *Quod ſi non dixerint iuxta verbum hoc*, ſi domus Iacob aliter quàm ego nunc præcipio reſpondeat, conſulendoſque putauerit mortuos pro viuis, *non erit eis lux matutina*, non orietur illi lux matutina, neque habebit quidquam non aduerſum, & ab omni felicitate quantocyùs excidet, & cætera quæ ibidem propheta comminatur, illi contingent. Quánam verò ratione ex his verbis colligent aduerſarij non eſſe admittendas traditiones?

3 Ex nouo Teſtamento plurima etiam nobis obiiciunt: nam Chriſtus, imprimis Apoſtolis, nunquam iubet nos veterum traditiones conſulere, ſed ſæpius mittit nos ad ſcripturas legendas, & ſcrutandas; vnde ſibi colligere videntur aduerſarij totam fidei Chriſtianæ & religionis doctrinam in ſcripturis contineri. Quod quam inſulſum ſit, nemo non videt: nam id ipſum ex ſcripturis deberet demonſtrari. Vnde enim habent aduerſarij nihil à Chriſtiano credendum, quod non in ſcripturis extet? An-ne ſcripturæ eam nobis regulam præſcribunt, & teſtantur nihil præter ipſas fide diuina, & Chriſtiana credendum eſſe? Niſi id demonſtrent ex ſcripturis, non demonſtrabunt ſuam regulam veram eſſe. Qua ſanè ratione Ariſtoteles impugnabat Protagoram, qui nihil eſſe verum, nihil falſum affirmabat: ſi enim verum dicebat, quidpiam veri erat, ſi etiam falſum, aliquid falſum agnoſcendum erat: falſa enim, vel vera erat eius regula. Sed ad ſingula, quæ allegant, loca veniamus.

Afferunt primo illud Chriſti *Ioann. 5. v.39. Scru-* 4
tamini ſcripturas, quia vos putatis vitam æternam habere. Reſp. ex Leont. & Cyrill. *in Ioan. l. 3. cap.4.* quos Beſa, Geneuenſes, aliique hæretici ſequuti ſunt,hæc verba non eſſe in imperatiuo modo,ſed in indicatiuo: arguit enim Iudæos, qui in ipſum non crederent, & tamen legerent,& ſcrutarentur ſcripturas, quæ de ipſo teſtabantur; ſed ſicut & Ioannis, & Patris teſtimonium reiiciebant: ita & ſcripturarum.Sed demus, verba illa eſſe in imperatiuo modo; quod Auguſtin. *Serm. 45. de verbis Domini*, aliique voluerunt, non imperat Chriſtus Iudæis alias ſcrutari ſcripturas, quàm veteris Teſtamenti, quas tunc ſolas habebant. Illæ verò non erant ſatis ad fidem Chriſtianam ſtabiliendam, cùm neque de Baptiſmo & cæteris Sacramentis agerent, neque plenam fidei Chriſtianæ inſtitutionem ſuppeditarent; immò & illæ traditionibus Patriarchalibus, Moſaïcis, & Propheticis iuuari atque explicari debebant. Denique Chriſtus non amandabat Iudæos ad ſcripturas, niſi vt ex illis cognoſcerent ſuam miſſionem, &, quod inde ſequebatur, ſuam doctrinam audirent, nullámque haberent occaſionem, illam reiiciendi. Sed inde malè colligunt hæretici, ſcripturas ſolas omnia quæ ad religionem Chriſtianam pertinent,clarè & perſpicuè illas docere. Obſeruat porrò Cardinalis Perronius *cap. 3. citato*, aliud eſſe doctrinam Chriſti, aliud doctrinam de Chriſto: prior illa erat doctrina quam Chriſtus docebat; quæ reuera non continebatur in veteris Scripturæ libris, neque ad eam probandam iubebat Chriſtus Iudæos ſcrutari ſcripturas. At verò doctrina de Chriſto, de eius perſona, diuinitate, miſſione in veteri & Moſaïca lege continebatur; ab illa enim promiſſus fuerat, immò tota illa, & ſcripturæ veteres ad Chriſtum referebantur. Quare ſapienter Chriſtus ab eiuſmodi ſcripturis teſtimonium accipere dicebat, eámque ob cauſam Iudæos volebat ſcrutari Scripturas.

Afferunt 2. *Luc. Actor.* 17. *v.* 11. Theſſalonicenſes 5
qui erant Berœæ *ſuſcepiſſe verbum* (Pauli, & Silæ) *cum omni auiditate, quotidie ſcrutantes Scripturas, ſi hæc ita ſe haberent.* Sed quid hæc amabo ad traditiones? Diſputauerat Paulus Theſſalonicæ de Chriſto, eiúſq; paſſione, & reſurrectione, & Chriſtum tanquam verum Meſſiam annunciauerat,probarátque ex ſcripturis. Inde pulſus Berœam venit cum Sila, ſimúlque ſynogogam ingreſſi eadem prædicarunt, quæ Berœenſes, vnáque ſimul nobiliores Theſſalonicæ qui eodem confugerant, auidè audiebant;& an quæ dicebat conuenirẽt Scripturis, vti ipſe iactabat,pari ſtudio & diligentiâ ſcrutabantur, vt etiam explicant ipſi Geneuenſes *notat. 11. in illud caput.* Neque omnia quæ docebat Paulus, vt Baptiſmum, eiuſque formam,

Euchari

Euchariſtiam, aliáque capita religionis Chriſtianæ quærebant Theſſalonicenſes in ſcripturis, quæ tunc erant ſolius veteris Teſtamenti. Et ſane ipſe Paulus *Epiſt. 1. ad Theſſal. cap. 3. v. 10.* ſic ſcribit: *Nocte ac die abundantiùs orantes, vt videamus faciem veſtram, & compleamus ea quæ deſunt fidei veſtræ.* Illa verò quæ deſunt eorum fidei, non ait eſſe in ſcripturis quærendā; quinimmò *in 2. Ep. cap. 2. v. 14.* monet vt traditiones quas ab illo acceperant, conſtanter teneant. *Itaque* (inquit) *fratres, ſtate, & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam noſtram*; quæ traditiones ſine dubio non poterant peti ab ſcripturis. Eadem ratione intelligendum eſt quod Paul. *Act. 26. q. 22.* teſtatur coram Agrippa Rege, nihil ſe aliud dicere, quàm ea quæ prophetæ loquuti ſunt futura eſſe, & Moyſes, *ſi paſſibilis Chriſtus, ſi primus ex reſurrectione mortuorum lumen annuntiaturus populo, & Gentibus*, nimirùm ſe Chriſtum, de quo prænuntiarunt Prophetæ, prædicare, ſed loquitur de aliis Chriſtianæ fidei capitibus quæ etiam prædicabat.

6 Afferunt tertiò loca, in quibus Scripturæ vtilitas, immò & neceſſitas ad fidem commendatur, ſed ea nihil probant, niſi ſimul affirment ſolam Scripturam ſufficientem eſſe ad ſalutem, ita vt nullis aliis ſit opus; quod nunquàm faciunt. Duo ſunt præcipua eiuſmodi loca: primum eſt *Ioann. 20. v. 31.* *Hæc autem ſcripta ſunt vt credatis quia Ieſus eſt Chriſtus, Filius Dei, & vt credentes vitam habeatis in nomine Filij Dei.* Ex quibus verbis malè prorsùs inferunt aduerſarij, ſolum Euangelium à Ioanne conſcriptum ſufficere ad vniuerſam doctrinam Chriſtianam, & ad ſalutem acquirendam, ſed dumtaxat illud in finem adipiſcendæ ſalutis vtile eſſe: quod non negamus. Adde loqui Ioannem non de doctrinâ à Chriſto traditâ, ſed de miraculis ab ipſo editis, quæ cùm innumera eſſent, ea ſe præſcribere poſſe negat Ioannes, ſe quædam dumtaxat narraſſe illuſtriora quæ ad Chriſti diuinitatem inſtruendam ſufficiant, cùm ex illis ſufficienter ipſum eſſe & verum Meſſiam, & Filium Dei, inque eius nomine, & fide, non in veteri ritu capiendam eſſe ſalutem. Ille Meſſias Abrahamo, Iacobo, Dauidi promiſſus, quod ipſe palam profeſſus eſt, addidítque, vt id appareret, miracula à ſe facta, vaticiniis congruentia, & ſe reſuſcitatum iri, *& vt credentes vitam habeatis in nomine eius* ἵνα πιϛεύοντες ζωὴν ἔχητε, ius nempe ad vitam æternam. Similia dixit Petrus 1. *Ep. cap. 1. verſ. 19.* κομισόμενοι τὸ τέλος τῆς πίστεως ὑμῶν σωτηρίαν ψυχῶν reportantes fidei veſtræ ſalutem animarum. Vnde non colligent, ſolam fidem ſufficere ad ſalutem, niſi fides illa actuoſa ſit, ad quam lex & Prophetæ ducunt, vti interpretatur Grotius.

7 Secundus locus, in quo & maiorem vim ponunt aduerſarij, ducitur ex *2 ad Timoth. cap. 3. verſ. 15.* *Quia ab infantia ſacras litteras noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem, per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Sed quid hoc fauet aduerſariis? Hortatur Paulus Timotheum vt perſiſtat firmus in fide, quam didicit & ipſo Paulo Doctore, & à Scriptura, *in quibus ab infantia eruditus eſt ad ſalutem in fide Chriſti*; quæ ſcripturæ, quas ab infantia didicerat Timotheus, erant tunc ſolius veteris Teſtamenti, quas certum eſt non docere myſteria omnia legis Chriſtianæ, quæ fide quoque credimus. Agit autem Paulus de fide in Chriſtum Saluatorem, quæ σωτηρίαν ad ſalutem inſtruebat, & non in lege Moſaïca; quâ de re ſæpiùs contendebat Paulus aduersùs Iudæos, etiam ex ipſis veteris legis ſcripturis, ex quibus idem diſcere poterat Timotheus, cùm in illis ab infantia eruditus foret.

8 Eodem modo exponendum eſt quod addit Paul. *ibid. v. 16.* *Omnis Scriptura diuinitùs inſpirata, vtilis eſt ad docendum, arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus.* Quæ omnia verè dicta ſunt à Paulo; ſed non oſtendunt quod volunt aduerſarij, nimirùm ſolam Scripturam ſufficientem eſſe. Deindè vox πᾶσα γραφὴ, de veteri Teſtamento hoc loco intelligitur, vt Caluinus, Bulingerus, Beza & Geneuenſes exponunt. Prætereà illud, *omnis*, non collectiuè, ſed diſtributiuè accipitur cùm quælibet Scripturæ pars vtilis omninò ſit, non verò ſola ſufficiens; quod & per ſe patet, & pluribus oſtendit Perron. *cap. 4. citato.*

Afferunt quartò loca, in quibus Scriptura prohibet aliud credere quàm quod ſcriptum eſt, *1. ad Cor. cap. 4. v. 6.* *Hæc autem, fratres, transfiguraui in me, & Apollo propter vos,* ταῦτα δὲ ἀδελφοὶ μετεσχημάτισα εἰς ἐμαυτὸν, καὶ Ἀπολλὼ δι' ὑμᾶς, *vt in nobis diſcatis ne ſupra quod ſcriptum eſt, vnus aduersùs alterum inflетur pro alio,* μὴ ὑπὲρ ὃ γέγραπται φρονεῖν ἵνα μὴ εἷς ὑπὲρ τοῦ ἑνὸς φυσιοῦσθε κατὰ τοῦ ἑτέρου. 9

Reſpondeo Paulum, vt ſedaret factiones Corinthiorum, quæ ex ſuperbia doctorum, & miniſtrorum naſcebantur, qui ſe præferebant aliis, & pro quibus ipſi Corinthij diſſidebant, cùm vnus ſe Apollo, alius Pauli diceret, & ſuos magiſtros aliis præferret, multa de Magiſtrorum illorum dixiſſe modeſtia, & cùm ob reuerentiam quandam illos noluiſſet nominare, ne crabrones irritaret, hæc omnia ſibi & Apollo accommodaſſe, vt eorum exemplo diſcerent, non ſapere ſupra quod iam initio ſcripſerat, & nequis ſuperbia, & tumore, pro ſuo Magiſtro aduersùs alium tuendo, aut efferendo, diſtenderetur, vnde iurgiorum, & ſeditionum cauſa naſcebatur. Atque hunc ſenſum Caluinus, Bulingerus, Petrus Martyr, & Zuinglius tradunt in commentariis huius loci. Illud verò, ſupra quod ſcriptum eſt, *ſapere*, non refertur ad totam Scripturam, quæ tunc, vti ſæpius monui, erat tantum Moſaïca, ſed ad illa quæ ipſemet Paulus prioribus capitibus ſcripſerat; vti exponunt Sedulius, S. Thomas, Lyranus, & alij, Chryſoſtomus, Theodoret, & Theophilact. de quibuſdam ſententiis Scripturæ, ad quas Paulus alludebat. Ex quibus non colliges, ſcripturas ſolas ad totam fidem Chriſtianam eſſe ſufficientes.

Obiiciunt etiam *ad Galat. cap. 1. v. 3.* *Sed licet nos, aut Angelus de cœlo euangelizet vobis præter quam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit, & v. 9. Si quis euangelizauerit præter id quod accepiſtis, anathema ſit.* Ergo credendum non eſt aliud, quàm quod Euangelio continetur. 10

Reſpondeo Apoſtolum increpare Galatas, quòd tam leuiter diſcederent ab accepto Euangelio à falſis Apoſtolis deluſi; ſuum verò ita firmum eſſe, vt aliud ab illo, & ipſi contrarium affirmanti vel Angelo credendum non ſit, immò doctorem illum execrandum, & anathematizandum eſſe: παρὰ enim ibi ſignificat, *præter*, aut *contra* Euangelium, à me vobis annuntiatum, ſignificatione apud ſacros & profanos vſitata. Sic παρὰ φύσιν *contra naturam*, παρὰ συνήθειαν *contra morem*, παρὰ νόμον, *præter aut contra legem*, hinc παρανομία, παρὰ λόγον *præter rationem*. Inde παρὰ λογισμὸν, παρὰ ποταμὸν, *contra flumium.* Neque Latinis ignotus eſt ille loquendi modus, vt apud Terentium, *præter morem ac legẽ*; atque ita illud *præter* apud Paulum hoc loco reddunt, *contra*, ipſi Geneuenſes, & Caluin. Bulinger. & Beza, qui addit ſe eo modo transferre ad tollendam vocis ambiguitatem. Eadem ratione Auguſtin. & Chryſoſt. exponunt, & ex textus acoluthia, atque ipſis Pauli verbis demonſtrant. Nos etiam fatemur nihil ſcripturis aduerſarium credendum, aut prædicandum eſſe; inde tamen non ſequitur, nihil aliud quàm quod in ſcripturis eſt, credendum eſſe: cùm enim, vt fatentur hete-

todoxi

rodoxi interpretes, Paulus tunc non loqueretur niſi de veteris Teſtamenti ſcripturis, certum quoque eſt in illis non contineri pleraque à Chriſto inſtituta, & alia ab Apoſtolis docta, & tradita, quæ Galatæ acceperunt, quibus contraria prædicantes Paulus iubet eſſe anathema.

11 Objiciunt prætereà *Apocal. cap. vlt. v. 19. Si quis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius, auferet Deus partem eius de libro vitæ, &c.* atqui traditiones addunt, vel minuunt contentis in ſcriptura.

Reſpondeo, falſum eſt illud ſubſumptum; neque enim traditiones. Scripturæ contrarias probamus, Deindè, minæ illæ non ſunt niſi deprauantibus librum Apocalypſim, addendo, vel detrahendo; quod indicant illa verba, *libri prophetiæ huius*; & præterea iſtæ additiones vel detractiones non debent capi, niſi de additione, & imminutione textûs ipſius; alioquin omnes interpretationes & commentarios rejicere oporteret & nulli alij libri ſacri ſcribendi fuiſſent, ſi ea clauſula de tota Scriptura ſacra capienda foret, peccaſſétque ipſemet Ioannes, qui ſuum Euangelium poſt Apocalypſim ſcripſiſſe, & publicum feciſſe dicitur. Quare in verbi Dei corruptores & falſificatores iaciuntur iſta fulmina, vti exponit hæreticus interpres Marolatus *in illud caput*, eratque olim ſolemnis ea conteſtatio ſcriptoribus, qui vt corruptores & falſificatores cauerent, eiuſmodi maledictis ſua opera claudebant; quod feciſſe Irenæum teſtatur Euſeb. *lib. 5. Hiſt. cap. 19. aliàs 20.* cuius verba ſic reddidit Hieronym. in Catalogo: *Adiuro te, qui tranſcribis librum iſtum, per Dominum Ieſum Chriſtum, & per glorioſum eius aduentum, quo iudicaturus eſt viuos & mortuos, vt conferas poſtquam tranſcripſeris, & emendes illum ad exemplar, vnde ſcripſiſti diligentiſſimè: hanc quoque obteſtationem ſimiliter transferas vt inueniſti in exemplari.*

12 Afferunt denique loca, in quibus Chriſtus, vel Apoſtoli traditiones ipſas diſertè improbant. Nam Matthæi 15. v. 3. *Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram?* Et verſ. 6. *Irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram. Prophetauit de vobis Iſaias, Sine cauſa colunt me docentes doctrinas & mandata hominum.* Similia habentur *Marci 7.* cùm enim Phariſæi interrogarent Chriſtum, *Quare diſcipuli tui non ambulant iuxta traditionem ſeniorum, ſed communibus manibus manducant panem?* Reſpondit Chriſtus, *Benè prophetauit de vobis Iſaias, &c. in vanum autem me colunt docentes doctrinas & præcepta hominum, relinquentes autem mandatum Dei, tenetis traditionem hominum, baptiſmata vrceorum, & calicum, & his ſimilia facitis multa, &c. Benè irritum facitis præceptum Dei, vt traditionem veſtram ſeruetis, &c.*

Reſpondeo. Verba ipſa Chriſti euidenter oſtendunt, illum improbare traditiones quaſdam Phariſaicas, & humanas, quæ ficto religionis prætextu diuinis legibus aduerſabantur, & ſub pietatis ſpecie, tum ipſi pietati, tum proximis erant iniuriæ: aliquas etiam hodie reperiri quæ ſuperſtitionem, non religionem ſapiant, non diffitemur. De variis porrò eiuſmodi traditionibus quædam annotabimus *alibi*. Verùm ex his ineptiſſimè colligitur, omnes traditiones improbaſſe, cùm plurimæ legi diuinæ conſentaneæ forent, eiúſque vſum & obſeruationem dicerent: nam & ipſe Chriſtus magno ſtudio legales, & Moſaïcas traditiones vſurpauit, obſeruauitque, vt in manducatione Agni Paſchalis, lotione pedum, benedictione Calicis, & aliis, illáſque commendat Paulus *ad Hebræ. cap. 9.* dum meminit mixti ſanguinis cum aquâ ad purificandum populum, cum aſperſione libri legis cum ſanguine, thuribuli aurei in ſanctuario collocati. Iudas quoque *in ſua Epiſtola* prælium Moſis cum Angelo, & propheriæ Enochi, quoad iudicium finale refert. Quare cùm & Chriſtus ipſe, & Apoſtoli traditiones quaſdam legales, & obſeruauerint, & commendarint, non potuerunt illas in vniuerſum damnare, tanquam diuinæ legi aduerſarias.

Secundò *Epiſt. ad Coloſſ. cap. 2. v. 8. Videte ne quis* 13
vos decipiat per Philoſophiam & inanem fallaciam ſecundùm traditionem hominum, ſecundùm elementa mundi huius, & non ſecundùm Chriſtum: damnat igitur Paulus humanas traditiones.

Reſpondeo, Paulum auertere Coloſſenſes ab heterodidaſcalia, tum Simonianorum, qui ex vana Philoſophia, eos decipiebant, & ſuperſtitiones ex gentilitate, & Philoſophia, Chriſtianæ religioni admiſcere tentabant, & ex Iudaizantium obſeruationibus, qui ritus Iudaïcos & legales iam nouâ Euangelij promulgatione extinctos renouare cupiebant & ad illos Chriſtianos obligare, vti interpretatur Hieronym. *ad Algaſiam, Epiſt. 151. q. 10. Loquitur*, inquit, *hæc vniuerſa contra eos qui credentes ex Iudæis in Dominum ſaluatorem Iudaicas ceremonias obſeruare cupiebant.* Expendamus ſingula verba, μή τις ὑμᾶς ἔςαι ὁ συλαγωγῶν διὰ τῆς φιλοσοφίας, καὶ κενῆς ἀπάτης. Obſerua igitur, ὁ συλαγωγῶν, verbum eſſe militare quod ſignificat prædam agere. *Videte*, inquit Paul. *ne quis vos deprædetur & abigat à vera fide*, quod faciebant pſeudo-Apoſtoli & maximè Simoniani per ineptam, & fallacem quandam Philoſophiam, διὰ τῆς φιλοσοφίας: neque enim damnat ſimpliciter Philoſophiam, qui principiis cum Philoſophia communibus vtitur ſæpius; alioquin damnanda eſſet ex mente Pauli Philoſophia, illáque abſtinendum Chriſtiano. Vndè hæreticus, qui apud Hieronymum in dialogiſmo agebat orthodoxum, ſic compellabat aduerſarium: *Oro te vt Philoſophorum in argumentando modo depoſito, Chriſtiana mecum ſimplicitate loquaris, ſi tamen non Dialecticos ſequeris, ſed piſcatores.* Sic & apud Auguſtinum Creſconius Grammaticus & Maximinus *lib. 1. aduerſ. ipſum*, & hodie plures hæretici, ſed omninò inſulsè: nam Apoſtolus de inani Philoſophia per abuſum loquitur; vnde ait παραλογίζεται, non ad verum vſum, & per illam deprædationem, quam ſignificat verbum συλαγωγῶν. Quare ſatis oſtendit ſe loqui de praua quadam & prædatrice Philoſophiâ, quæ, vt vertit Tertullian. *lib. de præſcriptionibus*, circumueniat fraude ſimpliciores. Hanc Philoſophiam deſcribit hic auctor *lib. cit. cap. 6. 7. & 8. Hæ ſunt*, inquit, *doctrinæ hominum, & dæmoniorum prurientibus auribus natæ de ingenio ſapientiæ ſæculi, quam Dominus ſtultitiam vocans, ſtulta mundi in confuſionem etiam Philoſophiæ ipſius elegit. Ea eſt enim materia ſapientiæ ſæcularis, temeraria interpres diuinæ naturæ, & diſpoſitionis, ipſa denique hæreſes à philoſophia ſubornantur. Inde Æones & formæ neſcio quæ, & Trinitas hominis apud Valentinum, &c.* Pergit alia quædam impia commenta ex Philoſophia nata narrare, additque deinceps: *Inferunt Ariſtotelem qui illis dialecticam inſtituit, artificem ſtruendi & deſtruendi verſipellem, in ſententiis coactum, in coniecturis durum, in argumentis operarium contentionum, moleſtum etiam ſibi ipſi, omnia retractantem, ne quid omninò tractauerit. Hinc illæ fabulæ, & genealogiæ indeterminabiles, & quæſtiones infructuoſæ & ſermones ſerpentes ſicut cancer, à quibus nos Apoſtolus refrenans, nominatim Philoſophiam teſtatur caueri, ſcribens ad Coloſſenſes: Videte ne quis vos circumueniat per Philoſophiam, & inanem ſeductionem, & ſecundùm traditiones hominum præter prouidentiam Spiritus ſancti. Fuerat Athenis & iſtam ſapientiam humanam, affectatricem, interpolatricem veritatis de congreſſibus nouerat, ipſam quoque in ſuas hæreſes multipartitam varietate ſectarum*

inuicem

inuicem repugnantiū. Quid ergo Athenis & Hieroſolymis, quid Academia, & Eccleſiæ? quid hæreticis & Chriſtianis? noſtra inſtitutio de porticu Salomonis eſt, &c. Hæc igitur eſt Philoſophia ſeductrix, & deprædatrix, hæreſum parens, aut (vt ipſe loquitur Tertull.) ſubornatrix; qui & *lib. adu. Hermog.* Philoſophos, Patriarchas hæreticorum dixit, & ex illo accepit Hieronym. *initio l. contra Pelagian. ad Cteſiphontem.* Et iterùm Tertull. *lib. 1. aduerſus Marc. E quorum ingeniis omnis hæreſis animatur.* Quare ſæpiùs eiuſmodi Philoſophos inſectatur *in Apolog. c. 47. Philoſophi gloriæ ſolius, & eloquentiæ libidinoſi, ſi quid in ſacris ſcripturis offenderunt digeſtum pro inſtituto curioſitatis ad propria verterunt.* Et mox: *Ex horum ſemine & noſtram hanc nouitatem paraturam, viri quidem ſuis opinionibus ad philoſophicas ſententias adulterauerunt, & de vna via obliquos multos & inextricabiles tramites ſciderunt.* Vide eundem *libro de reſurr. carnis.* & latiſſimè Cyrill. Hieroſolym. *catech. myſtagogica 18.* Quare non prohibet Paulus Coloſſenſibus Philoſophiam abſolute, ſed dumtaxat ſeductricem, & hæreſum parentem: aliam enim neque Paulus, neque deindè Patres damnarunt, ſed probarunt, vt Auguſt. *lib. 1. contra Creſconium* per plura capita *lib. 2. de doctrina Chriſtiana, cap. 31. lib. 1. de ordine, cap. 8.* Chryſ. *in primam ad Corinth. cap. 15. hom. 4.* Rupert. *lib. 1. de operibus Spiritus ſancti cap. 9.* Origen. *lib. 1. contra Celſum,* Hieronym. *in Epiſtola ad Oratorem magnum,* & *in Ezechiel.* & aliĳ.

Obſerua verò falſarum omnium religionum ſpecies ad tres reuocari poſſe. Prima eſt ex quibuſdam curioſis ſpeculationibus, quæ reconditæ cuiuſdam ſapientiæ ſpeciem, aut famam aucupantur. Eiuſmodi eſt *ἀγγελολατρεία* ex Triſmegiſti, Platonis Iamblici, Porphyrĳ, & ſimilium commentis. Secunda eſt ea, quam Paulus hoc loco traditionem hominum vocat, quæ eſt humanæ vanitatis partus inanis, ac manifeſtè ſuperſtitioſa, qualis erat Ethnicorum. Tertia erat Iudaïzantium, qui ritus Iudaïcos permiſcebant Chriſtianis, de quibus crebra fuit Pauli contentio: eam ſuperſtitionem hoc loco nominat Apoſtolus, *ſecundùm elementa mundi*, & non ſecundùm Chriſtum: ait autem elementa mundi *τὰ ϛοιχεῖα τοῦ κόσμου*, non ea elementa naturalia, ex quibus mundus componitur, ſed initia & rudimenta, quibus Dominus Eccleſiam ſuam quaſi ſub pædagogo erudiit; vti habetur *capite quarto Epiſt. ad Galat.* vocat verò *elementa mundi*; quia lex Moſaïca in ſuo externo cultu vix aliud erat, quàm mundana: quare ad Hebræos ſanctuarium legale, mundanum nominauit Paulus.

14 Nihil igitur afferunt Nouatores ex diuinis Scripturis, quibus impugnentur Apoſtolicæ, vel Eccleſiaſticæ traditiones; nos verò ex illis ipſis diuinis libris neceſſariò euincimus plurima à Chriſto, & Apoſtolis dicta, & tradita eſſe, quæ vel ſcripta non ſunt, vel ſaltem ab illis non ſunt, & quæ proindè ſolâ maiorum traditione diſcere potuimus. Nam 1. Chriſtus *Ioann. 16.* ait, ſe multa reticere tunc Apoſtolis, quia eorum nondum capaces erant: *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò*; illa verò dicenda à Chriſto, non erant nugæ, ſed quædam Apoſtolis vel neceſſaria, vel ſaltem vtilia: vbinam verò illa docuit? Sanè poſt reſurrectionem loquens cum illis per quadraginta dies de regno Dei illa docuiſſe volunt; ſed vbinam litteris mandata exiſtunt? Boni magiſtri eſt, non omnia ſimul ingerere, ſed ſuis diſpenſare temporibus, & quædam ad maiorem diſcipulorum maturitatem reſeruare, vt habet 1. *Cor. capite tertio, verſ. 23.* & *ad Heb. capite quinto, verſ. 2.* Pergit Chriſtus: *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem,* ὁδηγήσει ὑμᾶς εἰς πᾶσαν τὴν ἀλήθειαν inducet, manuducet ad perfectam cognitionem eorum quæ ad Eccleſias conſtituendas pertinent. Tertullian. *de præſcription. cap. 22. Adĳciens ipſe deducet vos in omnem veritatem, oſtendit illos nihil ignoraſſe, quos omnem veritatem conſecuturos per Spiritum veritatis promiſerat: & vtique impleuit repromiſſum, probantibus actibus Apoſtolorum, deſcenſum Spiritus ſancti; quam ſcripturam non recipiunt, nec Spiritum ſanctum poſſunt agnoſcere diſcentibus miſſum, ſed nec Eccleſiam ſe dicant defendere; qui & quando, & quibus incunabulis inſtitutum hoc corpus probare non habent.* Quæ igitur Chriſtus Apoſtolos non docuit, deinde ſenſim per Spiritum ſanctum ipſi docti docuerunt, non ſcriptis, vt conſtat, ſed viua voce, & his incunabulis ex Tertulliano creuit, & adoleuit Eccleſia. Quare idem Tertullian. quamuis iam ſpiritu fanatico dementatus montani & prophetiſſarum eius hæc Eccleſiæ incrementa deſcribit per Apoſtolorum ſine dubio traditiones. Nam *lib. de velandis virginibus, capite primo*, quæ tamen moneo cautè accipienda; *Hac lege fidei manente, cætera, iam diſciplinæ & conuerſationis admittunt nouitatem correctionis, operante ſcilicet; & proficiente vſque in finem gratia Dei. Quale eſt enim vt diabolo ſemper operante, & adĳciente quotidie ad iniquitatis ingenia, opus Dei, aut ceſſauerit, aut proficere deſtiterit, cùm propterea Paracletum miſerit Dominus, vt quoniam humana mediocritas omnia ſemel capere non poterat paulatim digeretur, & ordinaretur, & ad perfectum adduceretur diſciplina ab illo Vicario Domini Spiritu ſancto. Adhuc, inquit, multa habeo loqui vobis, ſed non poteſtis ea baiulare: cùm venerit ille Spiritus veritatis deducet vos in omnem veritatem, & ſuperuenientia renuntiabit vobis. Quæ eſt ergò Paracleti adminiſtratio, niſi hæc, quod diſciplina dirigitur, quod ſcripturæ renouantur; quod intellectus reformatur, quod ad meliora proficitur,* &c. *Aſpice ipſam creaturam paulatim ad fructum promoueri. Granum eſt primò, & de grano frutex oritur; & de frutice arbuſcula enititur. Deinde frondes & rami inualeſcunt, & totum arboris nomen extenditur. Indè germinis tumor, & flos de germine ſoluitur, & de flore fructus aperitur. Is quoque rudis aliquandiù & informis: paulatim ætatem ſuam digerens eruditur in manſuetudinem ſaporis: ſic & iuſtitia primò fuit in rudimento naturæ Deum metuens: dehinc per legem & prophetas promouit in infantiam: dehinc per Euangelium efferbuit in iuuentutem: nunc per Paracletum componitur in maturitatem. Hic erit ſolus à Chriſto magiſter dicendus & verendus.* Videtur igitur Apoſtolos à Spiritu ſancto doctos plurima Eccleſiæ tradidiſſe ad eius perfectionem, & diſciplinam, quorum tamen pleraque ſcripto non tradiderunt, viua voce contenti, quæ à maioribus ad nos vſque peruenerunt; quamvis non diffitear, Tertullian. alióſque hæreticos ea doctrina communiſſima; & vera abuſos nonnulla in Eccleſiam inducere perperàm conatos fuiſſe. At de his non agimus modò, ſed illud dumtaxat contendimus ex Chriſti ipſius verbis, qui ſuam omnem doctrinam non docuit Apoſtolos, ſed ad Spiritum ſanctum, ſui quodammodò Vicarium (vt loquitur Tertullian.) ſuos Apoſtolos amandauit; admittendam eſſe aliam quandam doctrinam, non aduerſam tamen, neque contrariam, ab Apoſtolis Spiritus ſancti numine afflatis accipiendam, quam doctrinam Apo-

ſtolicam traditionem nos nominamus, & ſuſcipiendam eſſe commendimus. Vide alia in illum Ioannis locum, in quo Chriſtus teſtatur multa ſe habere dicenda, quorum tunc incapaces erant Apoſtoli, quæ Spiritus docturus illos erat. Conſule Origen. *lib. 2. in Celſum.*

15 Verùm pergamus ad alia loca quibus Scriptura diuina traditiones probandas eſſe præcipit, 2. ad Theſſ. 2. *Itaque fratres tenete traditiones, quas accepiſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam.* Et 1. ad Timoth. *cap. vlt. Timothee depoſitum cuſtodi, & 2. ad Timoth. c. 1. Formam habe ſanorum verborum, quæ à me audiſti; bonum depoſitum cuſtodi per Spiritum ſanctum, qui habitat in nobis;* & *cap. 2. Tu ergo, fili mi, confortare gratiâ, quæ eſt in Chriſto Ieſu, & quæ audiſti à me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Ioan. *Ep. 2. & 3. Multa habens ſcribere vobis, nolui per chartam & atramentum.* Quibus, aliiſque Paulus, & Ioannes ſignificant, ſe plurima auribus commendaſſe, & non ſcripto; illa verò ſeruanda fuiſſe, & eſſe nemo negat.

16 Quare ex eiuſmodi traditionibus ſæpiùs Concilia argumentantur, & ſeruandum eſſe quod traditum eſt edicunt. Idem omninò profitentur PP. quorum catalogum texere inutilis foret operæ, cùm id accuratè præſtiterint Bellarm. Perronius, Cardinales, Caniſius, Cottonus, & cæteri aduersùs Heterodoxos diſputantes, vt mirum ſit Nouatores illos, ipſos PP. vt Irenæū, Tertullianum, Cyprianum, & alios quos initio adduximus, & qui maximè contra hæreſes, & nouas opinationes argumentantur ex antiquis traditionibus, nobis obiicere, propter lacinias quaſdam illorum verborum malè aſſutas, cùm totis & integris voluminibus, paſſim ſuam mentem teſtentur, & venerationem, quam veteribus traditionibus tribuunt, cùm vbique conteſtentur, ſeruandas eſſe antiquas conſuetudines, & mores Eccleſiæ. Verùm iſta ſingillatim percenſere alterius eſt inſtituti; nobis ſufficiat quaſdam omninò eſſe admittendas traditiones in vniuerſum: de ſingulis enim in operis decurſu, probandæ-ne, an improbandæ ſint dicemus, vbi ſe dabit occaſio: modò tradimus duntaxat doctrinam vniuerſalem, & notas generales, quibus veræ & legitimæ, à falſis & illegitimis dignoſcendæ ſint.

QVÆSTIO IV.

Notæ, & vſus traditionum.

Quid ſit παράδοσις, n. 1.
Notæ traditionis Apoſtolicæ, n. 2. 3. 4. 5. & *6.*
Vſus traditionum, n. 6.

1 CVm fateamur alias eſſe traditiones diuinas, & Apoſtolicas, atque etiam Eccleſiaſticas, alias vanas, ineptas, ſuperſtitioſas, Phariſaïcas, & merè humanas: neque omnes traditiones æquè reiiciendæ aut improbandæ ſint, imò aliquæ ſint admittendæ, & tanquam verbum Dei faciant rem de fide, vti Dionyſius, & Baſilius affirmabant: alias verò reiicere teneamur, tradendæ ſunt aliquæ notæ, quibus hæc varia traditionum genera dignoſci inter ſe poſſint.

Παράδοσις eſt quod Græcis Philoſophis eſt δόγμα, & Chriſtus *Matth. 16. v. 12.* vocat διδαχὴν, Phariſæorum doctrinam. Nam παραδίδοναι, eſt διδάσκειν docere: Latini verò dicunt doctrinam vel quidpiam eiuſmodi tradere, quomodò dixit Cæſar *lib. 6. de bello Gallico* agens fusè de diſciplina Druidum: *De mundi ac terrarum magnitudine, de rerum natura, de deorum immortalium vi ac poteſtate diſputant, & iuuentuti tradunt.* Hinc fictum nomen traditionis ad exemplum παραδόσεως; nam traditio propriè apud Iuriſconſultos eſt ex Theophilo, ἀπὸ χειρὸς εἰς χεῖρα de manu in manum donatio, & ad poſſeſſionem neceſſaria ſæpiùs eſt. In vſu Eccleſiaſtico παραδιδόναι & παράδοσις de dogmatis Chriſtianiſmi vſurpatur. Paul. 1. *ad Cor. c. 11. v. 2.* καὶ καθὼς παρέδωκα ὑμῖν τὰς παραδόσεις κατέχετε, laudat Corinthios, quòd ſeruarent, & retinerent traditiones, ſiue præcepta, ſicut illis tradiderat: & *cap. 15. v. 3.* agens de ritu conficiendæ Euchariſtiæ: *Tradidi vobis*, ait, *inprimis*, παρέδωκα γὰρ ὑμῖν ἐν πρώτοις, Iudæ *v. 3.* παραδοθείσα πίστις. Primaria igitur ſignificatio vocis, παραδόσεως, eſt pro dogmatis, ſiue agenda, ſiue credenda præſcribantur. Non ſignificat itaque traditiones aut commenta, ſiue dogmata merè humana: tunc enim aliquid aliud additur, vt παραδόσεις ἀνθρώπων, aut τῶν πρεσβυτέρων, communis nunc acceptio eſt nominis παράδοσις ſit ἄγραφος, quam iuniores Hebræi, dicunt Cabala קבלה & maximè quæ eſt μυστικώτερος. Hæc igitur τῶν πρεσβυτέρων δόγματα, ſiue παραδόσεις, erant diuerſi generis: quædam enim interpretationes continebant eorum, quæ in lege ambigua erant, aliæ definiebant id quod lex diuina viri boni arbitrio permittebat, v. g. de itinere quod Sabbato facere licebat: aliæ erant ſepimenta legis, vt loquebantur, id eſt cautiones, quibus muniti homines à violanda lege longius arcebantur Sic Iuſtinian. Canones Eccleſiaſticos dixit παραφυλακὰς τῷ θείῳ νόμῳ, vel obſeruaſſe aliàs me memini, v. g. lex quadragenas plagas ſontibus infligi permittebat, & non ampliùs, ſapientes vnam detraxerunt, & voluerunt tantùm 39. azymorum & Sabbati tempus anteuertere docuerunt: atque hæc primùm pro Conciliis habita, deindè accedente eruditorum & plebis vſu, præceptorum, quæ etiam animum obligarent, vim obtinuere, quare Ioſephus *lib. 18. cap. 2. Antiquitatum Iudaicarum* de Phariſæis ita loquitur: ὧν τε ὁ λόγος κρίνας παρέδωκεν ἀγαθῶν, ἕπονται τῇ ἡγεμονίᾳ περιμάχητον ἡγούμενοι τὴν φυλακὴν ὧν προαγορεύειν ἠθέλησε τιμῆς γε τοῖς ἡλικίᾳ προήκουσι παραχωροῦσιν οὐδὲν ἐπ' ἀντιλέξει τῶν εἰσηγηθέντων ταῖσδε θράσει ἐπαιρόμενοι, è contrario verò Saducæi in laude ponebant, de maiorum inſtitutis dubitare. Vnde ſcribit idem Ioſeph. de illis: φυλακῆς δὲ οὐδαμῶν τινῶν μεταποίησις αὐτοῖς ἢ τῶν νόμων, πρὸς γὰρ τοὺς διδασκάλους σοφίας ἣν μετίασιν ἀμφιλογεῖν ἀρετὴν ἀριθμοῦσι. & *lib. 13. antiquitat.* νόμιμα πολλά τινα παρέδοσαν τῷ δήμῳ οἱ Φαρισαῖοι ἐκ πατέρων διαδοχῆς: at verò de Saducæis ἐκεῖνα δεῖν ἡγεῖσθαι νόμιμα τὰ γεγραμμένα τὰ δ' ἐκ παραδόσεως πατέρων μὴ τηρεῖν. Tanta fuit verò plebis erga illos magiſtros obſeruantia, vt eorum dicta pro diuinis oraculis haberent: hinc illud quod refert Rabbi Bachai, *Si dixerint Scribæ dexteram eſſe ſiniſtram, & ſiniſtram eſſe dextram audi eos, & quidquid ſapientes vetant palàm fieri, id etiam in penetralibus verum eſt*: quinimmò ſua commenta, diuinis legibus præferebant, vnde illud vulgatum, *Plus eſt in verbis Scribarum, quàm in verbis legis.* Quæ aliáque ineptè leges in Thalmudicis: perſuaſerant enim credulæ plebi hæc omnia non eſſe quidem ſcripta in lege, ſed à Deo Moyſi data, & Moyſen Ioſue, illum verò prophetis; ab his autem Eſdræ commendata: ab illo autem poſteris, atque ita continuâ ſerie ad ſe perueniſſe: quare Epiphanius contra Ptolemaïtas docet, alias Iudæorum traditiones à Moſe proficiſci, alias à Rabbi Akiba, alias ab Adda, alias ab Aſmonæis. Certum verò eſt pleraſque eiuſmodi conſuetudines & traditiones ineptas eſſe, atque etiam

diuinis

diuinis legibus contrarias, quarum aliquas reprehendit Chriſtus ipſe hoc Matthæi *cap.* 16. & Marci *cap.* 13. ad quas in præſentiarum digredi non vacat. Quia verò aliquæ traditiones, etiam inter Chriſtianos ineptæ & Phariſaïcæ ſiue humanæ obtrudi facile poſſint, videndum eſt quibus modis diuinæ, Chriſtianæ, Apoſtolicæ & Eccleſiaſticæ dignoſci poſſint ab aliis, quod Bellarm. *lib.4. de verbo Dei non ſcripto, cap.9.* & cæteri præſtiterunt, ex quibus hæc pauca reddo.

2 Primò igitur quoties vniuerſa Eccleſia quidpiam credit tanquam de fide, quod non continetur expreſsè in Scriptura ſacra, ex Apoſtolica traditione promanere oportet: cùm enim Eccleſia in iis errare nequeat, eò quòd ſit fundamentum & columna veritatis, & portæ inferorum, quæ ſunt hæreſes, aduerſùs eam præualere non poſſint, neque fides niti niſi in verbo Dei, illud ſcriptum vel traditum eſſe oportet: non enim nouis reuelationibus regitur Eccleſia; neceſſe eſt, id ab Apoſtolis, & Prophetis reuelatum eſſe, & iis qui miniſtri ſunt ſermonis; atque ita Eccleſia verè ædificatur ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum. Illa igitur vniuerſæ Eccleſiæ fides circa quidpiam in ſcripturis non contentum, nota certiſſima eſt traditionis Apoſtolicæ, ſic numerus ſcripturarum Canonicarum, B. Virginis perpetua virginitas, & alia nonnulla ex traditione Apoſtolica habentur.

3 Secundò. Quod vniuerſa obſeruat Eccleſia tanquam à Deo inſtitutum, cuius tamen inſtitutio non reperitur in ſcripturis, neceſſariò dici debet à Chriſto, vel Apoſtolis eſſe traditum, quia cùm illud non poſſit ab ipſa Eccleſia conſtitui, & aliunde ipſa non poſſit magis in eiuſmodi obſeruatione, quàm in fide errare, dicendum eſt à Deo inſtitutum illud fuiſſe, & traditione acceptum. Eiuſmodi eſt baptiſma hæreticorum, & paruulorum, vti diximus nuper: quare Auguſt. *lib.19. de Geneſ. cap.23. Conſuetudo matris Eccleſiæ in baptizandis paruulis, nequaquam ſpernenda eſt, neque vllo modo ſuperflua deputanda*, nec omninò credenda niſi Apoſtolica eſſet traditio.

4 Tertiò. Quod perpetuis temporibus ab vniuerſa Eccleſia ſeruatum eſt, etiamſi tale ſit, aut potuerit ab Eccleſia inſtitui, ex Apoſtolica tamen traditione fluxiſſe meritò credendum eſt, v.g. ieiunium Quadrageſimæ. Hanc regulam tradit Auguſtin. *lib.4. contra Donatiſtas, cap.24.* ex ea plurima, quæ Nouatores arguunt tanquam inania commenta hominum delirantium, probamus, quæ modò expendere nihil attinet.

Quarta regula. Quoties doctores omnes vnanimi conſenſu, ſiue ſeorſim ſcribant, ſiue in Concilio quodpiam eſſe, ab Apoſtolica traditione manaſſe affirmant, ita credimus; alioquin poſſet in errorem facile induci Eccleſia. Verum de auctoritate vnanimis conſenſus Patrum dicemus *lib.9.* Exemplum ſit veneratio imaginum in Concilio VI. Nicæno generali approbata.

5 Quintò. Quod habetur in aliqua nobili Eccleſia per continuas ſucceſſiones Epiſcoporum ex Apoſtolica traditione manaſſe, pro tali habendum omninò eſt. Ita Irenæus *lib.1. cap.3.* qui ſui dicti rationem optimam affert; quare eius verba, quamvis paulò prolixiora referre placuit: vno enim illo argumento Gnoſticorum deliria confutat. *Traditionem itaque Apoſtolorũ* (inquit) *in toto mundo manifeſtam, in omni Eccleſia adeſt perſpicere omnibus qui vera velint audire, & habemus annumerare eos qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epiſcopi in Eccleſiis & eorum ſucceſſores vſque ad nos, qui nihil tale docuerunt, neque cognouerunt quale ab his deliratur.* Rationem reddit optimam: *Etenim ſi recondita myſteria ſciuiſſent Apoſtoli quæ ſeorſim & latenter ab reliquis perfectos docebant, his vel maximè traderent ea, quibus ipſas etiam Eccleſias committebant: valdè enim perfectos & irreprehenſibiles eos volebant eſſe in omnibus, quos & ſucceſſores relinquebant ſuorum ipſorum, locum magiſterii tradentes, quibus emendatè agentibus fieret magna vtilitas, lapſis autem ſumma calamitas.* Addit deindè hanc traditionum probationem petendam maximè eſſe à principaliſſima Eccleſia Romana, & in qua fuerit vera, & continuata ſucceſſio: *Sed quoniam valdè longum eſt in hoc tali volumine omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones, maximæ & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & conſtitutæ Eccleſiæ, eam quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annuntiatam ab hominibus fidem, per ſucceſſiones Epiſcoporum peruenientem ad nos indicantes, confundimus omnes eos qui quoquo modo vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam ſententiam præterquam oportet colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt qui ſunt vndique fideles, in qua ſemper ab his qui ſunt vndique, conſeruata eſt ea, quæ ab Apoſtolis eſt, traditio.* Pergit deindè accuratè recenſere omnes à beato Petro ad ſua tẽpora Pontifices Romanos: tum *cap. 4. Tantæ igitur oſtenſiones cùm ſint hæc, non oportet quærere apud alios veritatem, quam facile eſt ab Eccleſia ſumere, cùm Apoſtoli quaſi in depoſitum diues, pleniſſimè in eam contulerint omnia, quæ ſunt veritatis, vti omnis quicumque velit, ſumat ex eo potum vitæ, &c. Quid enim, etſi quibus de aliqua modica quæſtione diſceptatio eſſet, nonne oporteret in antiquiſſimas recurrere Eccleſias, in quibus Apoſtoli conuerſati ſunt, & ab eis de præſente quæſtione ſumere quod certum, & liquidum eſt? Quid autem ſi neque Apoſtoli quidem ſcripturas reliquiſſent nobis, nonne oportebat ordinem ſequi traditionis, quam tradiderunt iis quibus committebant Eccleſias? cui ordinationi aſſentiunt multæ gentes barbarorum eorum qui in Chriſtum credunt ſine charactere & atramento ſcriptam habentes per Spiritum in cordibus ſuis ſalutem, & veterem traditionem, diligenter cuſtodientes,* &c.

Reſtat verò quærendum quomodò traditionibus 6
Apoſtolicis, & Chriſtianis vtendum ſit, tum ad confirmandam fidem, tum ad eius aduerſarios confutandos. Illud egregiè docet Gregorius Nyſſenus *lib. 3. contra Eunomium*: ait enim in primis ad fidem Catholici dogmatis ſolam abſque probatione ſatis eſſe traditionẽ, ſiue nulla prætereà diſerta ſit huius in ſacris litteris expreſſio, ſiue ita contineatur, vt interpretatione ſit adiuuanda. Secundò, poſſe nihilominùs traditionis auctoritatem ratione fulciri, ita vt illa comes eius ſit, & pediſſequa, non autem antecedat, & præeat. Tertiò denique, ſi argumentatione opus eſt vlla ad perſuadendum, multò eam magis nouæ opinioni atque hæreſi neceſſariam eſſe vt ſe contra vetuſtatis potentiam ac grauitatem deffendat, quàm receptæ iam ſententiæ, corroboratæque perpetuitate temporis, à qua niſi maximis & inuictis rationibus oppreſſum, nemo ſe deduci patiatur. Quare optimè Nicephorus Conſtantinop. *c.12. tom.4. Biblioth. Patrum: Omnibus liquet quod vetuſta & priſca Eccleſiæ traditio valentiſſima eſt & omni demonſtratione euidentior & firmior, & ſancti PP. noſtri docent, Apoſtolica oracula ſequentes.* Denique vide Ioann. Philoponum *lib.1. de mundi opificio cap.11.* vbi plurima fidei dogmata in Eccleſia eſſe ait, quæ ſcripta non ſunt, & ex cæteris per conſequentiam colliguntur, vt ſanctam Trinitatem conſubſtantialem eſſe, τὸ ὁμούσιον εἶναι τὴν ἁγίαν Τριάδα. Sed de traditionibus vide elegantes duas Epiſtolas Vvalerammi Neuburgenſis Epiſcopi ac Anſelmum Cantuarienſem, & Anſelmi ad Vvalerann. *lib.3. Epiſtolar. Anſelmi, Epiſt.136. & 137.*

CAPVT II.

De iure conſuetudine, & vſu inducto.

QVÆSTIO I. *Quid & quotuplex ſit conſuetudo.*

QVÆSTIO II. *Quænam vera & legitima ſit conſuetudo.*

HÆc iuris Canonici & Eccleſiaſtici non ſcripti pars altera, quæ reſpicit diſciplinam vel politiam Eccleſiaſticam : prima enim ſpectat dogmata & doctrinam, ſiue, vt alias diximus, *διατυπώσεις*, nominatúrque *traditio*, quia per illam doctrinam à maioribus acceptam, & veluti per canales ad ad nos vſque deriuatam, licet nullis ſcripturis ſacris conſignatam habemus, vti *c. proximo* demonſtrauimus, illique fides tanquam Dei verbo non ſcripto innititur, Eadem planè ratione inueterata & legitima conſuetudo circa diſciplinam, & politiam Eccleſiaſticam, ius inducit, vnde illud Iſidori *Can. 3. diſt. 1. Omne ius legibus & moribus conſtat hoc autem ius neque à principe, neque à republica, vel ſcripto, vel voce præconis ſancitũ & promulgatum eſt ; ſed illud vſus populi frequens, & inueteratus, communi adſenſione comprobauit*, quod ius in vtraque politia paſſim agnoſcimus : quare de illo nobis agendum hoc loco eſt; & quia inducitur, vt dixi, moribus & conſuetudine, de illa & eius efficaciâ ac poteſtate diſputare nos oportet.

QVÆSTIO I.

Quid & quotuplex ſit conſuetudo?

Quid mos, conſuetudo, & vſus, n. 1. 2. & 3.
Diuiſio conſuetudinis, n. 4.

1 MOs & conſuetudo, ſi præciſè loquimur, idem ſonare videntur : nam notum illud Ariſtotelis *lib. 2. moral. ad Eudem.* τὸ ἦθος ἀπὸ ἔθους ἔχει τὴν ἐπίδοσιν. Et Varro ſæpius ait morem creari ex conſuetudine, moréмque definit, communem conſenſum omnium ſimul habitantium, qui inueteratus conſuetudinem faciat : & *alibi*, morem eſſe in iudicio animi, quem ſequi debeat conſuetudo; quæ Seruius *in 6. Æneid.* refert, & Cujac. *in c. quæ ſit longa conſuetudo.* Nihilominùs mores & conſuetudines vix diſtingunt iura, ſed eas voces paſſim coniungunt, vt *l. 31. §. qui ad Senatum. de ædilit. edicto. Quæ moris ſunt & conſuetud.* & *l. 4. C. de emancipat. libert. Nec in cuiuſquam iniuriam beneficia tribuere moris eſt noſtri.* Aliàs illud *more maiorum* pro inueterato vſu, & conſuetudine vſurpant, *vt l. 5. de iuriſdictione. More maiorum ita comparatum eſt, vt is demùm iuriſdictionem mandare poſſit, qui eam ſuo iure, non alieno beneficio haberet.* Et ſimili loquutione *l. 1. §. qui mandatã D. de officio eius cui mandat.* Hinc illud, *ſaluo more maiorum, l. 11. de iuſtit. & iure l. 26. §. ait. D. ex quibus cauſ. maior. l. 35. D. de religioſis. l. 9. D. de l. Pompon. D. de parric. More inſanorũ, l. 4. D. de ædilit. edict. More milit. l. 35. D. de teſtam. milit. More iudiciorũ l. 10. C. de procuratorib. l. 14. D. de pactis l. 14. C. de Eodẽ; l. 2. C. de probationib. l. 3. C. ſi quis alteri, vel ſibi, l. 4. C. de ſtatu defunctorum l. 4. C. de accuſationib. l. 15. C. de excuſation. l. 3. C. ad l. Iuliam, de vi public.* & ſimilia paſſim. Hæc tamen difficultas de differentia moris & conſuetudinis, & quomodo mos inducat, aut, vt loquitur Varro, creet conſuetudinem, facilè explicabitur, ſi quid ſit propriè mos attendamus : eſt enim frequentia, & iteratio ſimilium actuum liberorum, qui laudis & vituperationis capaces ſunt : ibi enim (inquit S. Thom. *in 2. diſt. 24. q. 3. A. 2.*) incipit genus moris, vbi dominium voluntatis inuenitur; ab eo ſiquidem dominio, quod quis habet in ſuas operationes, laude aut vituperio dignus eſt, cùm operatur. Hinc etiam eiuſmodi actus liberi denominantur morales, qui & propriè ſunt humani : quia tunc homo operatur vt homo eſt. Mos igitur à quo etiam dicitur actus moralis, non dicitur niſi impropriè de brutis quamquam & de illis interdùm vſurpari obſeruanerit S. Th. 1. 2. *q. 58. art. 1.* cùm ipſa etiam Scriptura dicat aliquando homines more brutorum operari, vt *lib. 2. Machab. c. 10. In montibus, & ſpeluncis more beſtiarum egerunt, & c. 11. Leonum more impetu irruentes in hoſtem.* Sed hic loquendi modus per quandam dumtaxat ſimilitudinem & analogiam vſurpatur de ratione carẽtibus, vti notat S. Th. *in 3. diſt. 2. q. 1. Artic. 4. q. 2.* quatenus ex naturali quadam inclinatione eundem operandi modum & rationem perpetuo obſeruant. Sic etiam tribuitur mos rebus inanimis, vt l. 7. *c. de ſeruitutibus : Aqua ex veteri more atque obſeruatione per certa loca profluens.* Ex moribus igitur, ſiue ex iiſdem vel ſimilibus actibus moralibus, ſiue liberis frequenter poſitis comparatur conſuetudo, quæ proindè bene dicitur, creari ex moribus, aut per illos induci, ſicut & per vſũ, ex quo ſine dubio conſuetudinis vox deducitur. Nam & vſus quoque capiendus eſt : proprie enim & theologicè ſignificat actum quem voluntas liberè elicit, nimirum liberè exequendo quod elegit, de quo ſanctus Thom. 1. 2. *q. 16.* eáque vox de quolibet eiuſmodi actu etiam ſingulari, philoſophicè vſurpatur, cùm quilibet eiuſmodi actus ſit libera applicatio facultatis ad medij acquiſitionem, quod voluntas ad finem obtinendum elegit, vt diximus aliàs 1. 2. neque ad hanc denominationem requiritur actuum ſimilium frequentia, ſed quilibet eiuſmodi actus vſus dici poteſt : mos verò non vſurpatur niſi de frequentia ſimilium actuum, non de vnico dumtaxat actu. Quanquã & nonnunquam vſus, immò & communi loquendi modo ſignificet ſimilium actuum frequentiam, & dicatur, longo, & continuo tempore comparari : in qua acceptione vides non differre à more. Eſt & alia moris ſignificatio, quam & S. Th. probauit, & plurimum facere mihi videtur ad diſcrimen moris & conſuetudinis : ſignificat nimirùm mos inclinationem ad ſimiles actus frequenter exercendos ; quæ inclinatio, vel eſt à propria cuiuſque indole, & ingenio, quam tamen inclinationem quiſque liberè ſequitur ; poſſet enim illam comprimere, alioquin non operaretur liberè ; vel ex frequentia actuum relicta & comparata eſt, & eſt quidam habitus, atque ex ea inclinatione mos etiã brutis tribuitur, quæ ſuo more operantur, id eſt ſecundùm illum impetum naturalem, quem perpetuò ſequuntur, niſi impediantur. Itaque mos eſt quidam naturalis impulſus, qui cæco impetu naturæ ad ſimiles actus continuò impellit. Alius mos eſt liber, & rationalis, qui impellit quidem operantem ad ſimiles actus, quos tamen non elicit neceſſariò, ſed liberè dumtaxat, ſiue illa inclinatio ſit habitus dumtaxat ex frequentia actuum acquiſitus, ſiue indolis & ingenij propenſio quædam, quâ ſe abduci paſſim patiuntur homines.

Atque ex his non erit operoſum vſum, morem, & conſuetudinẽ diſtinguere. Nam conſuetudo eſt liberorum actuum frequentia, ſicut & mos; vnde S. Th. *in 3. d. 23. q. 1. Art. 4. Importat quandam frequentiam circa ea, quæ facere, vel non facere in nobis eſt, &c.* quod ipſum cõſuetudo æquè importat, & per quandam analogiam dicitur etiam de irrationabilibus ; vſus verò vel actum ſingularem ſignificat, vel continuam quandam frequentiam per aliquod tempus & tunc coïncidit 2

cum

cum moris & conſuetudinis ſignificatione. Quia verò conſuetudo non eſt ſolum aliquid facti, & quorundam actuum frequentia, ſicut & vſus & mos, atque ita relinquit aliquid phyſicum in animo operantis, habitum nimirùm & inclinationem illam, quam etiam relinquit mos, ſed etiam quandoque relinquit quidpiam morale, nimirùm ius & facultatem ſic operandi, diſtinguitur à more, qui pro ſola frequentia actuum ſumitur, quamquam & ex moribus oriri ius dicatur ſæpiſſimè, vt illud, *more maiorum*; idcircò promiſcuè his vocibus & nos vtemur cum Iuriſconſultis, qui definiunt conſuetudinem ius quod vſu diuturno & maiorum moribus ſine vllis litteris conſtitutum eſt, ſiue paucioribus, Ius non ſcriptum vtentium moribus comprobatum, conſentaneè *ad l. 32. D. de legibus. l. 33.* concinit D. Chryſoſt. *orat. de conſuet.* ἐστὶ δὲ ἔθος γνώμη μὲν τῶν χρωμένων κοινὴ, νόμος δὲ ἄγραφος ἔθνους ἢ πόλεως: δίκαιον δὲ ἑκούσιον, καὶ ταῦτα πᾶσιν ἀρέσκον εὕρημα δὲ ἀνθρώπου οὐδενὸς ἀλλὰ βίου, καὶ χρόνου Artemid. *lib. cap. 3.* τῶν νενομισμένων ἃ μὲν συνθέμενοι ἀλλήλοις οἱ ἄνθρωποι, αὐτοὶ ἑαυτοῖς πράττουσι καὶ καλεῖται τὸ τοιοῦτον ἔθος μᾶλλον ὡς ἡ ἐμοὶ λέγειν νόμος ἄγραφος, atque de conſuetudine in hac ſignificatione diſputamus hoc loco cum omnibus Iuriſconſultis.

3 Quare ſapienter obſeruauit Suar. *lib. 7. de legibus, cap. 1.* aliam eſſe conſuetudinem facti, quæ eſt ſola ſimilium actuum iteratio & frequentia, aliam iuris, quæ eſt ius quoddam non ſcriptum, ſed ſolâ diuturnâ conſuetudine genitum; quare vox illa & frequentiam actuum, & ius ex illa natum & moribus inductum ſignificat; alioquin conſuetudo dumtaxat facti nihil admodum reconditum habet, quod nos detineat. Non placet autem quod aliqui in eo diſtinguant morem à conſuetudine, quòd mos ſit ſemper aliquid facti, & conſuetudo ſit & facti, & iuris: nam etiam mos vtrumque eodem modo complectitur, quandoquidem ex ipſis etiam moribus inducitur ius, quod etiam mos dicitur, ſicut & conſuetudo: quare *l. 32. D. de legibus* dicitur ius moribus & conſuetudine inductum. Quod ſi placeat, voces iſtas non eſſe ſynonymas, ſicut reuera non ſunt præciſè acceptæ, vti docuimus hactenùs, mos erit veluti cauſa materialis, ſiue radix, ex qua conſuetudo, vt eſt quoddam ius vim legis obtinens, exoritur. Vtramque tamen vocem & moris, & conſuetudinis, pro frequentia ſimilium actuum & iure exinde nato, *in hac diſputatione* accipimus, quam idcircò de iure cõſuetudinario inſcripſimus, ſiue de conſuetudine, quã non niſi vt vim legis, & iuris obtinet, conſideramus.

4 Diuiditur conſuetudo in priuatam & publicam: prior eſt priuati hominis, aut ſingulorum quorumdam dumtaxat: altera eſt communitatis alicuius, quæ qualis eſſe debeat, dicam *ſequenti quæſtione.*

Secundò diuiditur in diuturnam, & recentem, ratione temporis ex quo cœpit. Tertiò in inchoatam & perfectam, ſiue completam, pro pluribus, vel paucioribus actibus, quibus formata & comparata, vel incepta tantùm eſt. Quartò Abbas *in c. vlt. de conſuetudine,* partitur illam in eam, quæ eſt ſecundùm legem, præter legem, & contra legem. Prima ſupponit legem præexiſtentem, diciturque conſuetudo legis, vt *Luc. 2. Vt facerent ſecundùm conſuetudinem legis pro eo*: atque hæc non fecit legem quam ſupponit, ſed eam firmat & approbat, vti ait Gratian. *ſup. in iſtis diſt. 4.* atque illam vbi dubium contingit, probat. Quare *l. 37. D. de legib.* dicitur optima legum interpres, vti dicemus *q. ſeq* quod intelligo non modò de lege ſcriptâ, ſed etiam traditâ dumtaxat: quare Tertullian. *lib. de corona milit. cap. 3. Hanc ſi nulla ſcriptura determinauit, certè conſuetudo corroborauit, quæ ſine dubio de traditione manauit,* & *cap. 4. Traditio tibi prætenditur auctrix, conſuetudo confirmatrix.*

Conſuetudo præter legem, illam tamen conſtituit, & ea in re vim legis habet. Vltima conſuetudo contra legem, eam abrogat, vt dicemus, ſiue ſit contra legem affirmatiuam, non faciendo quod imperatur, ſiue contra legem negatiuam, faciendo quod prohibetur; quamvis id non conueniat cuilibet conſuetudini, quæ idcircò tunc abuſus, & corruptelæ dicuntur, quod modò explicabimus. Diuiditur itaque conſuetudo in legitimam, & illegitimam, quam iura vocant corruptelam. Sic Innocent. III. eam conſuetudinem quæ contra leges Eccleſiaſticas pugnat *cap. ſuper eo de conſanguinitate,* nominauit conſuetudinem contrahendi matrimonium intra gradus ab Eccleſia prohibitos; ideóque iubet Archiepiſcopo Roſannenſi, ad quem ſcribit, eiuſmodi præſumptores Eccleſiaſtica diſtrictione punire, non obſtante contraria conſuetudine, quæ potiùs dicenda eſt corruptela. Et ſanè minimè æquum videtur, vt praui mores, ex quibus ſolis eiuſmodi peruerſa conſuetudo generari poteſt, præualeant in republica, & vim legis obtineant, atque etiam veterem legem abrogent, quod totum legitima conſuetudo præſtat, vt dicemus *cap. ſequenti.* Quare iura perpetuò inter bonos probabiléſque mores, & malos, ſiue peſſimos, & improbabiles diſtingunt, ex iiſque plura circa actionem de moribus inter virum & vxorem decidunt. Loca annumerat Budæ. *in verſ. mores.*

QVÆSTIO II.

Quænam ſit legitima conſuetudo?

Quid mos, conſuetudo, & vſus, n. 1.
An promulgatio ſit neceſſaria, n. 2. & 3.
Frequentia actuum ſimilium requiritur, n. 4.
Non vſus non ſufficit ad conſuetudines, n. 5.
Debent eſſe actus publici, n. 6.
Et communitatis perfectæ, n. 7.
Qualis violatio legis, n. 8. & 9.
Actus rationabiles, n. 10. 11. 12. 13. & 14.
Peccant qui primi violant legem, n. 18. & 19.
An bona fides requiratur? n. 20.
Præſcriptio legitima, n. 21.

INquirimus hoc loco conditiones neceſſarias ad legitimam conſuetudinem inducendam; quandoquidem aliqua reperitur conſuetudo quæ, tanquam corruptela, vti modò dicebamus, reiicienda eſt, & ex qua ius oriri non poteſt, ſed potiùs iniquitas.

Imprimis igitur induci debet per actus voluntarios & liberos, atque etiam publicos. Primum patet: quia cùm inducatur moribus, & mores, vti monebamus ex S. Thom. non ſint niſi actus liberi, in illis quoque ſolis poterit reperiri conſuetudo: publicos autem illos eſſe oporter, cùm fieri debeant à maiori parte populi, vti dicemus ſtatim, & fortaſſis haberi debeat Principis conſenſus, ſaltem tacitus, & iuridicus: illi igitur quapiam ratione debebunt innoteſcere. Eſt verò duplex publicitas, vel notorietas actuum, prima facti ſcilicet, quia palam & publicè fiunt, ideoque in illos populus factis conſentire videtur: altera notorietas iuris, quam veteres aliqui exigebant, & vel iudicium contradictorium, vel duas ſaltem ſententias requirebant, quos meritò impugnant Suar. *lib. 7. de legib. c. 11.* Vaſq. *1. 2. diſp. 177. c. 2.* Becan. *t. 2. tract. 3. c. 8. q. 4.* quia eiuſmodi iudicialis publicatio nullo iure neque Cæſareo, neq; Canonico requiritur: quæ enim afferri ſolent, non docet niſi iudicia, quibus de cõſuetudine conſtare poteſt, vel agunt de quibuſdã caſibus particularibus, vt *c. Abbate,* 1

de verborum ſignificat. vbi agitur de præſcriptione iuris eligendi cuiuſdam Abbatis; præſcriptio autem non eſt conſuetudo, vt ſtatim dicam. Deindè vel per ſententiam iudicis conſummatur conſuetudo, vel tantùm perfecta declaratur, hoc poſtremum ſi concedant, fruſtrà exigunt ſententiam iudicis, cùm ſit tantùm declaratiua conſuetudinis, quæ aliunde ſatis potuit innoteſcere: ſi primum nequit dari prima ſententia in fauorem conſuetudinis: illa enim declarans actum conſuetudine licitum, & validum fuiſſe, falſum contineret; nam cum nondum eſſet conſummata conſuetudo, non potuit dare vim actui aliàs illicito.

2 Hinc ſequitur, conſuetudinem non indigere promulgatione; cùm enim publica & notoria ſit, & à maiore populi parte ſeruetur, ignorari nequit.

3 Requirebam ſecundò, actus iſtos planè voluntarios eſſe; nam cùm & liberi ſint, non erunt niſi voluntarij. Deinde non oſtenderent populi conſenſum, cui tamen populo princeps fauet hac in parte: ideoque patitur quidpiam de ſuo iure decedere. Vnde colligit Suar. *l. 7. de legib. cap. 12.* actus per errorem aut ignorantiam verſantes circa ipſam ſubſtantiam conſuetudinis factos non inducere morem, & conſuetudinem; quia tunc ceſſat ratio voluntarij. Neque obiicias *l. quod non ratione introductum eſt, ſed errore primum, deindè conſuetudine obtentum, in aliis ſimilibus non obtinere* Reſpondeo enim præter illa quæ *lib.* 1.

Circa legem illam diſputauimus, eam particulam, *in ſimilibus obtinet*, non ſignificare eam conſuetudinem in tali materia valere, & non eſſe extendendam ad ſimiles caſus, ſed eam conſuetudinem intellecto errore non dare ius ad exercendos actus ſimiles illis qui ex conſuetudine exiſtimata tunc legitimà per errorem priùs exercebantur: nunc enim cognito errore fiunt illiciti, non obſtante conſuetudine per errorem inducta; ille verò error reperitur in actibus non voluntariis, quales ſunt qui per errorem vel ignorantiam fiunt, de quibus *lib. 2. de vſuris & commerciis* latè egimus, vbi etiá de actibus per vim & metum extortis diximus, qui etiam non poſſunt inducere conſuetudinem, neque ad eam firmandam afferendi ſunt: quia reuera neque voluntarij, neque liberi ſunt, & proindè morem, & conſuetudinem minimè inducunt, cùm neceſſarium conſenſum tollant.

4 Requiro tertio loco ſimilium actuum frequentiam, quia vnico actu neque mos, neque conſuetudo paritur. Azor. tamen. 1 *p. lib. 5. cap. 17. q. 9. & cap. 18. q. 15.* vnum actum continuum ſufficere putat, eò quòd pluribus æquiualeat, illorúmque vicem ſuppleat, neque id improbat Salas *de legibus diſp. 19. n. 96.* duos quoque, aut tres actus contra legem, quibus commodè contrarium edicere & reſiſtere poſſit princeps, ſatis eſſe ad conſuetudinem abrogatiuam legis exiſtimauit Leſſ. *lib. 2. cap. 6. dub. 74.* Emanuel Sà *verſ. lex neque abnuit.* Sanch. *l. 4. de matrim. diſp. 2. num. 22.* quia quod fit bis, aut ter, frequenter fieri dicitur, *cap. ita nos, 25. q. 2.* Rectiùs tamen Suar. *cap. 10.* Bonacina *diſp. 1. de legib. q. 1. punct. penult. §. 3.* plures quam duos actus requirunt ad eam frequentiam, quam omninò ſupponit conſuetudo. Ego exiſtimarim prudentis arbitrio conſiderandum eſſe primò numerum annorum qui ad inducendam conſuetudinem neceſſarius eſt; deindè an ſingulis annis vnus tantum, an plures actus exigantur: ex ea enim proportione indicandum erit; alioquin ſi duo, aut tres actus ſufficiant, facilè omnes leges abrogabuntur. Neque *caput, Ita nos, citatum* fauet aduerſariis: in eo enim geminatio criminis, non per modum legis, ſed quia ex aſſuetudine grauius fit delictum, grauius puniendum eſt. Nam Gelaſius *eo capite* Scyllacæorum, vel vt alij legunt, Syllanorum, aut Syllaticorum Pontificum geminatam cædem, tanquam horrendum crimen punit, dum illi ſubtrahit Epiſcopalem dignitatem, & eam parochiam ab externis ſacerdotibus gubernari mandat, ne videlicet, *velut vſum conſuetudinémque ſacrilegam* declinaret, & diſſimularet: ſic enim inducendus foret ſacrilegus vſus.

Hinc porrò colliges non poſſe induci conſuetudinem per merum non vſum, niſi videlicet accedat actus poſitiuus contrarius iuri, cui derogatur conſuetudine: quia nempè ius certum aliquem actum imperabat; hæ enim omiſſiones in moralibus, nomine actuum comprehenduntur. Et ſanè potuit per plures annos non occurrere occaſio ponendi actum imperatum: quid enim ſi per centum annos non committatur parricidium, an-ne idcircò lex de puniendis parricidiis abrogabitur? 5

Requiro quartò frequentes iſtos actus quibus publica conſuetudo, de qua ſola loquimur, fieri à communitate perfecta: quia actus vnius tantùm, aut alterius priuatæ perſonæ præſcriptionem potiùs, quàm conſuetudinem pariet, quamvis & ea præſcriptio, niſi fiat aliqua mutatio in materia, difficilè omninò patiatur; quia contra obedientiam non præſcribitur, *cap. cùm non liceat, de præſcription.* Neque conſuetudo priuata frangendi legem excuſat à culpa; ſed eam potius auget. Vt verò conſuetudo dicatur eſſe à communitate, ſatis eſt illam à maiori parte communitatis ſeruari: quia ea ſola pars ſufficeret ad ferendam legem expreſſam; quæ eadem ratio demonſtrat minorem populi partem non ſufficere. Si itaque duæ communitatis partes, in conſuetudine ſeruanda conſenſerint, quamvis tertia repugnet, dicitur conſuetudo totius communitatis, in qua tamen cenſeri non debent perſonæ inhabiles ad præſtandum conſenſum, vt infantes, amentes, furioſi, peregrini, & externi, ſi non teneantur legibus locorum, in quibus peregrinantur. 6

Addidi in aſſertione communitatem iſtam debere eſſe perfectam, nam domus vna, aut altera hanc vim non habet, vt patet: nomine autem communitatis perfectæ intelligo eam, quæ vim habet condendi legem, aut cui ſaltem imponi leges poſſunt. Ratio eſt, quia conſuetudo vim legis habet, vt dicemus. Hinc fit, vt communitas fœminarum, v.g. monialium poſſit inducere conſuetudinem, quia illæ ſunt capaces legis: ergo ab illis conſuetudine tolli poteſt; non poſſunt tamen inducere conſuetudinem, contra legem ſolos viros obligantem, ſicut neque id poſſunt laici contra legem obligantem ſolos Clericos, licèt Clerici poſſint derogare iuri communi, cùm vnà cum laicis faciant vnam communitatem, ratione illius iuris, non tamen poterunt nouam legem, quæ omnes obliget, condere. Quare in cauſa inducendæ legis conſiderandus eſt effectus, ad quem ordinatur: nam vt legi latæ derogetur, poteſt communitas quælibet illi ſubdita conſuetudinem inducere, non tamen vt legem nouam inducat, niſi quatenùs illi licet per ſuperiorem propria ſtatuta condere, vt communitati mercatorum, & aliorum artificum. 7

Quintò exigunt aliqui ad valorem conſuetudinis vt non poſſit abrogari aut violari ſine offenſione, & ſcandalo, ad quod vitandum princeps eiuſmodi offenſionem patiatur, quod probant ex *c. 1. de cognat. ſpirituali.* & *cap. quod dilecto. de conſanguinit. & affinit.* quibus locis Pontifex permittit aliqua matrimonia inter gradus prohibitos, ex allata ſibi conſuetudine, ne ex eius violatione ſequatur offenſio, & ſcandalum. Hos tamen meritò reiiciunt Sanch. *lib. 7. de matrim. diſput. 24. n. 11.* & Baſil. Poncius *lib. 6. de matrim. cap. 6. num. 10.* & alij ſubinde recentiores; nam Pontifices 8

locis

locis allatis id definiunt de omni conſuetudine, ſed in peculiaribus quibuſdam caſibus, in quibus dubitabatur de efficacia talis conſuetudinis, & an eſſet legitimè præſcripta & iuri contrario derogaret. Pontifex igitur eam conſuetudinem, de qua agebatur, idcircò approbauit, quia, quamuis fortaſſis eam ſublatam vellet, non poterat tamen ſine graui plurimorum offenſione ipſam tollere. Aliud verò eſt Pontificem ex ſcandalo, quod timetur, ſumere occaſionem probandi conſuetudinem, aliud eandem conſuetudinem, nullam habere vim, niſi eius violatio coniuncta ſit cum periculo ſcandali, vti volunt aduerſarij; quod iura allata non affirmant, & Innocentius III. vbi *cap. finali de conſuetudine* definit in vniuerſum conſuetudinem derogare iuri poſitiuo, nullam prorſus mentionem facit ſcandali, quod ex eius violatione ſequeretur. Quare dici non poteſt cauſa cur conſuetudo contra legem approbetur à Principe, aut Pontifice eſſe ſcandalum, quod ex eius interruptione timetur, cùm iura allata id non affirment, neque ex illis colligi poſſit. Cùm enim, vt iam monui, dubius eſſet valor conſuetudinis in ſingularibus illis caſibus, de quibus conſulebatur Pontifex, qui eam conſuetudinem approbat, ſi timeatur ſcandalum ex eius omiſſione, alioquin illam omninò improbaturus. Et ſanè cùm Epiſcopi, qui conſulebant Pontificem, ſatis viderent, an tale ſcandalum meritò timeretur, & conſuetudo ſaltem cum eiuſmodi ſcandalo coniuncta deroget legi ex aduerſariis, & ſeruanda ſit, fruſtrà rogabant Pontificem quid faciendum ſibi eſſet, niſi dubitaſſent de legitimo valore peculiaris illius conſuetudinis, etiam iuncto periculo ſcandali, ſi interrumperetur: & ſi illud vnum deſiderabatur ad valorem conſuetudinis, cum iſti Epiſcopi, qui meliùs hanc cauſam præſentes, quàm Pontifex, qui longiùs aberat, videre poterant, cur illum de eiuſmodi valore fatigabant, qui nihil aliud reſponſurus erat quàm quod ipſi iam probè tenerent, nimirùm expendendum eſſe periculum ſcandali, quod ex omiſſione talis conſuetudinis timeri poterat? Deindè quamuis principes maximè moueantur ad approbandas conſuetudines ſuis legibus contrarias vbi illas reſciuerunt ex futurâ offenſione ciuium, cùm tamen nos neque ſcientiam & conſenſum principis ad valorem conſuetudinis in vniuerſum, neque ſcientiam, & conſenſum Pontificis ad conſuetudinem contra leges Eccleſiaſticas, requiramus, vt dicemus ſtatim, fruſtrà omninò iſtud ſcandali periculum tanquam neceſſarium ad valorem conſuetudinis requiremus.

9 Ratio velut à priori huius aſſertionis eſt: quia vel conſuetudo, de qua diſputatur, eſt irrationalis, vel rationalis: ſi primum dicas, ſcandalum, quod ex eius violatione timetur, non niſi paſſiuum, & ex mera malitia, vel fragilitate eorum, qui ex reprobatione talis conſuetudinis offendentur; quod non ſufficit vt actus, ex quo oritur ſcandalum, omitti debeat ad illud vitandum. Neque ſi talis actus obligaret, hoc ſcandali periculum reddet eius omiſſionem debitam aut licitam. Quare ratione talis ſcandali conſuetudo non reddetur rationalis, ſed manebit ſemper irrationabilis: quamdiu autem talis eſt, non derogat legi, vt patet, ſed omninò interrumpi debet, & docendi erunt, qui ex ignorantia ſcandalum paſſuri videntur ex omiſſione conſuetudinis, eámque, vt pote irrationalem, non derexiſſe legi contrariæ, quæ hactenùs perſtat, & omninò obligat. Si verò conſuetudo rationabilis eſt, & legitimè præſcripta, iam obtinet vim legis, ſiue ex eius omiſſione ſequatur ſcandalum, ſiue non. Neque enim lex ideò tantùm obligat, quia violari nequit ſine ſcandalo, ſed quia lex eſt, & violari nequit ſine peccato.

Sexto loco requiritur vt conſuetudo ſit rationabilis: ſic enim definitur *cap. fin. de conſuetudine*, & conſentiunt omnes vtriuſque iuris DD. & interpretes, quamuis tricentur in explicanda hac conditione: alij enim alia requirunt ad conſuetudinem rationabilem, quæ latè exequuntur Suar. *lib. 7. de legib. cap. 6.* Vaſq. 1. 2. *diſp.* 177. Salas *de legibus, diſp.* 19. *ſect.* 5. & alij: agimus autem maximè de conſuetudine derogante legi, de qua etiam eſt præcipua difficultas. Cùm enim ſit contraria legi, & ab ipſa reprobetur, eo ipſo videtur irrationabilis. Omiſſis itaque iſtis tricis, in vniuerſum dico, eam conſuetudinem rationabilem eſſe, quæ ſeclusâ lege poſitiuâ, & humanâ, quam impugnat, nihil habet diſſonum honeſtati, aut legi diuinæ vel naturali, & quæ eſt de illa ipſa re, de qua priùs poterat ſanciri lex. Conſuetudo V. G. irritandi matrimonia clandeſtina, quæ ſemper viguit in Gallia, fuit rationabilis, & habuit omnem honeſtatem, quam modò habet poſt Tridentini decretum irritans eiuſmodi matrimonia. Et ſanè conſuetudo non poteſt dici irrationabilis, quia eſt contraria legi poſitiuæ, alioquin omnis conſuetudo derogans legi, eſſet perpetuò irrationabilis, quia legi contraria, cui proinde nunquam derogaret, quod tamen Pontifex *cap. finali citato* fieri poſſe, concedit: vel eſt admittenda puerilis contradictio in verbis Pontificiis; aſſereret enim aliquam conſuetudinem derogare legi poſitiuæ, & tamen id ipſum negaret: cùm enim addat ſolam conſuetudinem rationalem habere hanc vim derogatoriam, & nulla ſit rationalis, quæ diſſonat, & contraria eſt legi, vti volunt aduerſarij, ſequetur nullam conſuetudinem legi contrariam illi derogare. Neque rectè obiiciunt aduerſarij, legem iuſtam ac rationabilem eſſe, ac proindè conſuetudinem, quæ ipſi aduerſatur, irrationabilem neceſſariò eſſe: nam idem obiici poterit contra legem abrogantem priùs ſancitam: cùm enim illa prior lex fuerit rationabilis, hæc poſterior priorem abrogans, & illi contraria, irrationabilis eſſe debebit. Hæc tamen collectio inutilis eſt, & paſſim reiicitur: quia poſſunt occurrere idoneæ cauſæ, propter quas id, quod olim ſanctè inſtitutum fuerat, modò non ferueat, exigátque ratio, vt contrarium modò fiat, licèt quod tunc vſurpabatur, ex recta ratione, & prudentia, tunc obſeruaretur, vt fuſiùs tradunt politici, dum de abrogatione, & mutatione legum diſputant. 10

Fefellit aduerſarios quòd conſuetudo derogans legi, non potuit induci niſi per actus contrarios legi, ac proindè irrationabiles & peccaminoſos: inde enim colligunt, conſuetudinem per eiuſmodi actus inductam, eſſe culpabilem, & irrationabilem, quod poſtremum negamus. Vbi enim inducta eſt conſuetudo, iam habet vim legis, & prior, cui derogat, iam ſublata eſt. Vnde qui ex conſuetudine recepta agunt contra legem iam antiquatam, non amplius derogant legi, quæ nulla ampliùs exiſtit, neque peccant quamuis qui initio egerunt contra legem adhuc integram, & viuidam, peccarint: quia violarint legem adhuc vigentem, & obligantem. 11

Ad irrationabilitatem igitur conſuetudinis non eſt attendenda lex poſitiua, cui derogat, ſed vt nullam turpitudinem contra ius naturale, & diuinum contineat, ſiue ex obiecto ſuo bona & honeſta ſit, deindè peccandi occaſiones, vel licentiam non faciat, & demùm vt communiter expediens ſit reipublicæ: quæ ſunt conditiones ipſius etiam legis.

Obiiciunt aduerſarij ſolemne illud Iuriſtarum, conſuetudinem iure Canonico reprobatam, tanquam irrationa- 12

irrationabilem, non poſſe dominari aduerſùs legem, ſic gloſſæ *in cap. vlt. de conſuetudine, verſ. rationabilis. Illam* (inquit) *dico rationabilem, quam non improbant iura*, & *in cap. Ad noſtram, eodem tit. Non valet conſuetudo contra Canonicam inſtitutionem.* Quæ gloſſæ plurima iura in eandem rem allegant. Et ſanè perſpicuè loquitur Innoc. III. ſcribens Epiſcopo Pictauienſi, *citatò cap. Ad noſtram. Nos igitur attendentes quòd conſuetudo, quæ Canonicis obuiat inſtitutis, nullius debeat eſſe momenti*, & *cap. venerabilis, eodem tit.* ſcribens monaſterio Corbeienſi conſuetudinem illam meritò cenſendam eſſe corruptelam dicit, *quæ ſacris Canonibus eſt inimica*; quod idem aſſerit Bonifac. VIII. *cap. 5. de conſuetudine, in 6.*

Reſpondeo primò, *ſuperiùs* obſeruatum eſſe, conſuetudinem duobus modis poſſe eſſe contrariam iuri, & ab illo reiectam. Primo per ſimplicem reiectionem, aut prohibitionem. Secundo per damnationem tanquam alicuius abuſus, & corruptelæ. Quando priori modo duntaxat eſt iuri contraria, non propterea & eo ipſo cenſenda eſt irrationalis: ſecundo verò quando damnatur à iure tanquam corruptela irrationabilis eſt, & vt talis à iure ſupponitur, quod illam vt talem damnat. Quare mera & ſola reſiſtentia iuris non facit conſuetudinem irrationabilem; immò neque damnatio, ſed talem eſſe ſupponit, ac proindè niſi facta fuerit ea rerum mutatio, vt quæ quondam cenſebatur à iure corruptela, nunc commoda & expediens videatur reipublicæ, non poterit legi derogare, eò quòd ſit omninò irrationabilis. Quia tamen Innocentius, & Bonifac. videntur nominare corruptelam conſuetudinem, eò quòd ſit inimica Canonicis inſtitutis, non ſequitur, quod volunt aduerſarij, omnem conſuetudinem inimicam Canonicis inſtitutis, eſſe irrationabilem & corruptelam: nunquam enim vlla conſuetudo poſſet derogare iuri Canonico; quod falſum eſſe conſtabit *cap. ſeq.*

13 Reſpondeo ſecundò, conſuetudinem ita aliquando aduerſari Canonicis inſtitutis, vt magnam ſaltem indecentiam inducat, & indirectè quodammodò pugnet cum iure naturali, vel diuino, aut nonniſi cum magno incommodo reipublicæ Chriſtianæ, præſertim diſciplinæ Eccleſiaſticæ tolerari poſſit, & ideò non contraria tantùm, ſed etiam inimica Canonicis inſtitutis appellatur à Pontifice, & tunc verè irrationabilis eſt, & corruptela, ac proindè iure eam abrogant ſummi ſacrorum Antiſtites, & legem, contra quam inducta fuerat, ſeruari iubent; quod manifeſtum fiet ſingillatim expendenti textus in obiectione relatos. Nam 1. *cap. ad noſtram de conſuetudine*, agitur de conſuetudine Pictauienſis Eccleſiæ, in qua cauſæ Eccleſiaſticæ diſceptabantur coram Eccleſiaſticis, & laicis promiſcuè, & rogatis ſententiis omnium tum litteratorum, tum illitteratorum de lite pronunciabatur, atque ita ferebatur ſententia à non Iudice, & perſonæ ſacræ laicis ac ipſi plebi ſubiiciebantur, contra Canonica inſtituta, quorum violatio ea in re maximam indecentiam continebat, vt ſtatim apparet, & latè oſtendit Suar. *lib. 4. defenſion. cap. 52.* Iure igitur Innocent. talem conſuetudinem damnat, & vult Epiſcopum Pictauienſem de cauſis Eccleſiaſticis, tanquam legitimum iudicem cognoſcere, neque ad eam cognitionem vulgus laicorum aſciſcere.

14 Secundò, *cap. cùm venerabilis, eodem titulo*, cùm Abbas monaſterij Hermionenſis tranſiuiſſet ad monaſterium Corbeienſe non rogatâ Romani Pontificis veniâ, cùm tamen vtrumque illud monaſterium ſpecialiter & immediatè pertineret ad P. R. & legatis Apoſtolicis, qui tunc in Allemmania erant, conſuetudinem terræ illius allegaret Abbas, illam tanquam corruptelam damnat Innocent. *quia obuiabat Canonicis inſtitutis.* Et ſanè manifeſtam continebat ordinis Eccleſiaſtici perturbationem: ſequeretur enim ex illa Abbates poſſe ad libitum ſuis monaſteriis renuntiare, & ad alia migrare non petita facultate ab Epiſcopis, aut Pontifice, quibus immediatè ſubiiciuntur, quod prohibetur *cap. Abbas 18. quæſt. 2.* & *cap. dilectus de renuntiatione*: ex ea enim licentiâ plurima ſequerentur incommoda, & idem fortaſſis ſubrepere poſſet in Epiſcopis, qui ſimili conſuetudine mutare poſſent ſuas Sedes; quod idem damnat Innoc. *cap. quanto, de tranſlatione*; & quia id ita pugnat cum Patrum ſanctionibus, vt cum iure etiam diuino aliqua ratione diffideat. Cùm enim Pontifex Dei vice Epiſcopum cum ſua Eccleſia ſpirituali quodam matrimonio copularit, non poteſt ab homine coniugium illud ſeparari. Quæ ratio non militat quidem in Abbatibus, alia tamen incommoda ex perturbatione ordinis Eccleſiaſtici pugnant contra dictam conſuetudinem. Obſeruat autem gloſſa *in illud cap. citatum*, non conſtare an ille Abbas ab vtraque Abbatia tum Hermionenſi, tum Corbeienſi fuerit reiectus, *an propter conſuetudinem*, inquit, *toleratus.* Vnde vides etiam eiuſmodi conſuetudinis, quamuis aliqua ex parte irrationabilis foret, aliquam fuiſſe rationem habitam.

Tertiò *cap. de conſuetudine, in 6.* Pictauienſis Eccleſiæ conſuetudo, vt quis in eadem Eccleſia obtineret duos perſonatus, aut dignitates, aut perſonatum cum dignitate abſque diſpenſatione ſummi Pontificis, damnatur à Bonifac. VIII. quamuis longi temporis eſſet: quia, vt *ibid.* explicat gloſſa, irrationabilis erat & inductiua malorum; oritur enim ex cupiditate, præbet materiam vagandi, diminuit diuinum cultum, qui maior eſt quò plures in eadem Eccleſia miniſtrant. Vnde diſputant DD. vtrùm etiam ex diſpenſatione Apoſtolica id fieri poſſit, quamuis omnes conſentiant diſpenſari poſſe, vt quis in vna Eccleſia dignitatem, in altera perſonatum, aut aliam dignitatem obtineat. 15

Habemus igitur, nullam conſuetudinem ex eo ſolùm irrationabilem eſſe, quòd ſit legi, vel Canoni contraria: ſed quia aliquam turpitudinem, aut incommodum reipublicæ aliunde continet, eſtque eiuſmodi, vt neque à ſciente Principe, vel Pontifice approbari debeat. Quod confirmatur perſpicuè, ni fallor *ex cap. cùm inter, de conſuetud.* vbi Eccleſia S. Petri de curia in ciuitate Cænomanenſi obtendebat ex antiqua conſuetudine ſe non comprehendi in interdicto generali, & poſſe eodem tempore pulſare æra campana, atque officia diuina de more celebrare. Hanc conſuetudinem irritat Innoc. III. eò quòd ex illa neruus Eccleſiaſticæ diſciplinæ diſrumperetur; non dicit autem, aut irrationabilem, aut nullam fuiſſe, ſuppoñitque hactenùs validam fuiſſe; erat tamen contraria ſanctionibus Eccleſiaſticis & rigori diſciplinæ. 16

Hæc ſententia noſtra de rationabilitate conſuetudinis eſt etiam ex parte Nauarri *commentar. de ſpoliis §. 14. num. 7.* Suar. *lib. 7. de legib. cap. 6. num. 10.* Ferdinand. à Caſtropalao *tract. 3. diſp. 3. punc. 2. §. 1. num. 2.* Laiman *lib. 5. tract. 4. num. 6.* Baſil. Ponc. *lib. 6. de matrim. cap. 5. num. 2.* aliorúmque recentiorum. 17

Hinc colligunt primò, etiamſi peccent qui primi legem violant, & conſuetudinem inducunt, qui tamen inductam ſeruant, minimè peccare. Ita Ferdin. *l. c. num. 5. & 6.* Bonac. *diſp. 1. de legib. quæſt. 1. punct. vltimo §. 3. n. 46.* neque abnuunt Valent. Reginald. Leſſi 18

Leſſi. Becan. Soto, & alij à Bonacina laudati, dum fatentur non peccari ampliùs quandò ita inualuit conſuetudo, vt plerique etiam boni viri eam ſine conſcientia ſequantur: neque enim volunt hi DD. vigere adhuc legem, & nondum fuiſſe abrogatam per contrariam conſuetudinem, & tamen minimè peccari ab iis, qui eam conſuetudinem ſequuti, legem violant. Sed quia difficile eſt ſtatuere, quandónam ita ſit inducta conſuetudo, vt contraria lex non obliget ampliùs, illud certum indicium iam receptæ & inductæ conſuetudinis afferunt, cùm eam probi abſque religione animi ſeruant, neque eſſe contraria momenta quæ vrgeant.

19 Colligunt ſecundò, eos qui primi conſuetudinem contra legem induxerunt peccare, V. G. qui celebrant matrimonium cum impedimento dirimente, & peccarunt, & eorum matrimonium inualidum fuit, qui verò nouum impedimentum induxerunt, & matrimonium cum illo celebratum non diſſoluerunt tanquam nullum, peccarunt etiam, & validè contraxerunt illud matrimonium, cùm impedimentum illud reuerà nullum eſſet, & validitatem matrimonij non impediret. Vbi autem iam inducta eſt conſuetudo, neque peccant, qui cum eiuſmodi impedimento iam abrogato coniunguntur, neque inualidè contrahunt, qui cum impedimento per conſuetudinem inducto maritantur, & inualidè contrahunt, ac peccant. Ita Sanch. *lib. 7. de matrim. diſput. 4. n. 14. ſub fin.*

20 Ex quibus colligo tertiò, non exigi bonam fidem ad inducendam conſuetudinem, & multò minùs teneri poſteros inquirere, an ſui maiores iuſtam cauſam habuerint agendi contra legem, & nouam conſuetudinem illius derogatoriam inducendi, quamuis in cæteris nunquam mala fides præſcribat. Ita Sanch. Ferdinand. & alij paſſim; quia cùm primi actus, quibus ponitur conſuetudo, ſint illiciti, vtpote aduersùs legem adhuc alligantem, non potuit inchoari eiuſmodi conſuetudo niſi cum mala fide. Laiman tamen *cap. 24. cit. num. 11.* diſtinguit inter conſuetudinem, quæ inducitur ſciente, & tolerante principe, & aliam, quæ ignorante principe, & ne quidem tacitè conſentiente ſuſcipitur. Ad priorem autem conſuetudinem inchoandam ſufficere putat malam fidem: non verò ad poſteriorem, in qua neceſſe eſt reperiri aliquam probabilem ignorantiam præſcribentium, qui idcircò excuſantur à culpa transgrediendo legem, vt contingit in poſteris, quibus non liquet de mala fide maiorum: poſſunt enim exiſtimare illos iuſtâ aliquâ causâ ductos legem non obſeruaſſe. Hanc diſtinctionem probat quoque Suarez *l. 4. diſſenſion. fidei, cap. 32. num. 20.* mihi tamen non placet: quia latum diſcrimen eſt inter præſcriptionem & conſuetudinem, vti explicat Vaſq. 1. 2. *diſp. 177. num. 64. & 65.* & ex illo Baſil. Ponc. *lib. 5. de matrim. cap. 5. num. 3.* Cùm enim præſcriptio auferat ius à vero domino, & præſcribenti illud tradat ad præſcindendas lites, aliáſque graues ob cauſas, æquum omninò fuit, vt ſoli bonâ fide poſſidenti rem aliquam, tale ius & dominium concederetur. At verò, cùm conſuetudo neminem priuet ſuo iure, aut dominio, & poſſit conſuetudo interrumpi ordinariè à principe, vbi illam reſciuerit: neque enim poteſtate condendi nouam legem, aut antiquam renouandi priuatur, nihil eſt quod exigat bonam fidem in conſuetudine inducenda, ſiue ſciente, ſiue ignorante principe inducta fuerit, cùm primi actus neceſſariò fuerint contra legem & proindè illiciti; alioquin vbi conſtaret poſt diuturnam conſuetudinem inductam illam per actus illicitos ignorante principe inchoatam fuiſſe, & malâ fide præſcriptam, tenerentur poſteri abiicere illam, & peccarent eam ſeruando, quod eſſet iniicere multos laqueos animis. Neque dicas haberi tacitum principis ſcientis, & tolerantis conſenſum: quia vbi conſtaret de mala fide maiorum, inquirendum ampliùs eſſet, an Princeps ignoraret continuationem conſuetudinis, an non. Deinde plurima per patientiam tolerantur, in quibus tamen conſenſus etiam tacitus deeſt: quia ſi ad iudicium deducuntur, non debent tolerari; *cap. cùm iamdudum, de præbendis.* Quomodocunque igitur inducta fuerit rationabilis conſuetudo modo explicato, valida erit etiam contra legem antiquam, vt pote ab ipſa antiquatam.

Septimò. Vt valida & efficax ſit conſuetudo, debet eſſe legitimè præſcripta: ita enim edicitur *cap. fin. de conſuetudine*, & ab omnibus DD. vnanimi conſenſu traditur. Hoc autem eſt exceptionem, ſiue præſcriptionem ex propria eius vocis ſignificatione, acquiſitam fuiſſe iure aduersùs legem priùs poſitam & eius obligationem, quamuis, vti iam monui, multùm inter veram præſcriptionem, & conſuetudinem intersit. Nam conſuetudo confert ius legale & diſponens, ſiuè iubens, cùm legem conſtituat; præſcriptio confert tantùm ius aliquod priuatum dominij, vel vſus ſeu rei, ſeu iuriſdictionis. Deinde ad præſcriptionem ſufficit vſus priuatus, ad conſuetudinem publicus requiritur, ad præſcriptionem non eſt neceſſarius eius conſenſus, contra quem præſcribitur; ad conſuetudinem autem conſenſum aliquem principis, cuius iuri derogari videtur, plurimi requirunt. Adde bonam fidem, quæ in conſuetudine, non exigitur, vti in præſcriptione, vt modò dicebam. Vaſquez igitur non benè negat aliud inter iſta diſcrimen reperiri, quàm inter commune & priuatum, ſiue ſpeciale 1. 2. *diſp. 172. cap. 1.* & alij fruſtrà etiam ſe torquent, vt omnia, quæ conueniunt conſuetudini, præſcriptioni quoque communia faciant, aut è contrario, & ſæpiùs malè omninò ex natura præſcriptionis ad ipſam conſuetudinem argumentantur. 21

Nihil igitur aliud requirit *illo cap. fin.* Pontifex, quàm vt conſuetudo hactenùs deſcripta aliquandiu durarit, vt legitimè contra legis alicuius obſeruationem dicatur præſcripſiſſe.

Atque hæc eſt octaua conditio requiſita in conſuetudine, vt ſit diuturna. Longam appellat Alexander Imper. *l. 1. C. quæ ſit longa conſuetudo*, & *l. 2. eodem tit.* vſus longæui Conſtantin. vetus *l. Imperator. 13. §. 1. in fine D. de pollicitationibus*, antiqua, vetuſtiſſima, *l. 9. de iure fiſci, l. vlt. D. de priuilegiis Scholarium*, inueterata, *l. 32. de legib. ibid. l. 33.* diuturna. Harmenop. περὶ ἔθους παλαιᾶ, & *Ecclog. 2. cap. 1.* περὶ νόμου, καὶ μακρᾶς συνηθείας dici μακροσυνήθειαν. Denique Cicero *de Inuent. Quod ſine lege vetuſtas comprobauit.* Nullibi tamen definitur quod tempus ad hanc diuturnitatem, & longæuum vſum neceſſarium ſit: vnde mirum non eſt DD. inter ſe diſſentire, vti fusè diſputat Suar. *lib. 7. de legib. c. 3.* Laiman *lib. 4. tract. 4. cap. 24. quæſt. 2.* Ferdin. à Caſtro *tract. 3. diſput. 3. punct. 1. §. 2.* Bonac. *punct. vlt. cit. 31. in ſeptima conditione*, & alij tum veteres, tum recentiores ab illis adducti. Quidam enim volunt decennium in conſuetudine derogante legi ciuili, & 40. annos in conſuetudine contra Canonica inſtituta: alij decennium putant ſufficere ad vtramque conſuetudinem: alij volunt tempus immemoriale, alij nullum eſſe tempus determinatum, ſed prudentis arbitrio perpenſis negotij, de quo agitur, circunſtantiis, natura videlicet illius, frequentia actuum, & aliis eiuſmodi, atque in diuerſas iſtas ſententias ducuntur DD. variis iuris 22

vtriuſq.

vtriuſque textibus, quos ſibi quiſque ſuo more congerit, in quibus diuturnitas temporis pro certo annorum numero vſurpari videtur. Quare hæc opinionum varietas facit vt libentiùs adhæream iis qui nihil ex iure ſiue ciuili, ſiue Pontificio colligi certò poſſe contendunt, & totum prudentum iudicio permittunt. Ita Cuiac. *lib. 2. obſeruat. cap. 1.* & *lib. 1. variar. cap. 17. num. 8. §. quartum* Duar. *de legib. cap. 11.* Vaſq. 1. 2. *diſp. 177. cap. 5.* Val. 1. 2. *diſp. 7. q. 5. punct. 8.* Leſſi. *lib. 2. cap. 6. dub. 14.* Baſilius Ponc. *lib. 6. de matrim. cap. 5. n. 9.* Molin. *tract. 2. diſp. 77.* Salas *de legib. ſect. 4.* & alij. Qui 40. annos requirebant in conſuetudine aduersùs legem Eccleſiaſticam, ex præſcriptione dumtaxat argumentantur, quam falsò ſupponunt in eiuſmodi conſuetudine reperiri, ij nullo negotio ex dictis reiiciuntur, præterquam quod præſcriptio aliquandò 30. aliàs 40. alias 100. annos, aliàs denique tempus immemoriale exigit. Qui autem decennium in vtraque conſuetudine ſufficere exiſtimant, & tamen omninò illud requirunt, quæ eſt communior recentiorum ſententia, vt videbis apud Ferdinand. *l. c. num. 5.* quòd tempus diuturnum in iure ſit decennium, falluntur: nam exceptio temporis diuturni pro decennio, perpetua non eſt, cùm aliquando maius, aliquãdo minus ſignificet. Nam *l. cum dñi 56. D. locati conducti, diu* accipitur pro biẽnio, *l. deſertorem. de re militari. §. 2. & 3.* Emenſor dicitur, qui diu vagatus, ad caſtra regreditur; deſertor autem qui prolixum tempus vagatus reducitur; illud autem *diu quinquennium explicatur, l. milites, eodem tit. §. vlt.* vbi Seuerus & Antonin. eum, qui poſt quinquennium deſertionis ſe obtulit deportari iuſſerunt, *l. qui in prouincia §. 1. D. de ritu nuptiarum.* Temporis diuturnitas pro 40. annis vſurpatur, quod ex aliis quoque probat Cuiacius *lib. 18. obſeruat. cap. 28.* Cùm igitur poſtulent iura vt conſuetudo ſit diuturna, poſsítque eſſe & haberi eiuſmodi ſiue decennio, ſiue minori tempore decurrat, nihil certi poſſumus hoc loco definire. Exiſtimarim tamen etiamſi aliquando minus tempus decennio ſufficiat; nunquam tamen maius decennio requiri, quod fortaſſis tantum voluit communior ſententia quæ decennio contenta eſt.

23 In hoc porrò tempore debet, vti iam monui, reperiri frequentia ſimilium actuum, vt comparetur conſuetudo, quod ipſum nomen indicat. De multitudine etiam actuum eadem eſt difficultas & diſſenſio, quæ de longitudine temporis, de quibus etiam citati auctores diſputant, quos conſule.

CAPVT III.

De vi, & poteſtate conſuetudinis legitimæ.

QVÆSTIO I. *Quinam, & quot ſint effectus conſuetudinis?*

QVÆSTIO II. *Vnde vim illam obtineat conſuetudo?*

EXPLICATA naturâ conſuetudinis, & eius conditionibus, vt legitima cenſeatur, quærimus quidnam illa efficiat, & vnde totam illam ſuam vim, & auctoritatem, quam paſſim omnes, ipſáque iura agnoſcunt, hauriat, quæ diſputatio lucem afferet priori diſputationi. Sit ergo

QVÆSTIO I.

Quinam ſint legitimæ conſuetudinis effectus?

Conſuetudo inducit legem, numero 1. 2. & 3.

Abrogat legem, n. 4. 5. & 6.

Interpretatur illam, n. 7.

TRes vulgò conſuetudinis effectus numerantur, 1 quorum primus eſt nouæ legis inductio, quæ hactenùs neque ſcripta, neque tradita fuerat, quod ipſummet ius ſcriptum reſtatur, *l. de quibus. D. de legibus* & *C. quæ ſit longa conſuetudo*, atque *alibi* ſæpiùs, & *Tit. de conſuetudine*, neque vllus, opinor, diſſentit hactenùs, quamuis deindè DD. diſputent de conditionibus requiſitis, vt conſuetudo habeat eiuſmodi effectum, quod nos *proximo capite* definiuimus, éſtque ratio euidens. In communitate eiuſmodi conſuetudinem vſurpante repetitur tum poteſtas, tum voluntas inducendæ legis: de poteſtate conſtat; vel enim illa communitas eſt ſui iuris, & quæ ſibi legem imponere poteſt, vel principi ſubiecta, ac proindè quæ legem inuito aut neſciente principe ferre non poſſit, & tunc accipimus nomine communitatis, perfectam, & non acephalam communitatem. Quare cùm in vſurpatione diuturnæ illius conſuetudinis ſit aliquis principis conſenſus, ſaltem tacitus: ſe enim voluntati reliquæ communitatis accommodat, vt dicemus *quæſt. ſequenti*; atque ita in communitate reperimus poteſtatem imponendi ſibi legem. Quoad voluntatem autem illam ferendi, & ſe illa obligandi, ſupponimus, eam conſuetudinem per ſe intendi, hoc eſt actus, ex quo illa oritur, eo animo frequentiùs iteratur, vt inducatur conſuetudo, & non vt aliunde, licèt ordinario iure conſequatur, debétque etiam eſſe animus ſe obligandi, vt dixi, non tantùm ad melius eſſe, V. G. pietatis, aut deuotionis cauſa, vti ſæpiùs contingit, inquit Gloſſa *in cap. fruſtrà, diſt. 8.* actus enim agentium moralium eorum intentionem non prætergrediuntur, léxque ipſa nulla eſt, niſi feratur intentione obligandi ſubditos.

Ex quibus vides malè obiici, conſuetudinem non 2 poſſe dici legem, cùm ipſi non conueniat definitio legis, quæ eſt commune præceptum virorum prudentium conſultum, & communis reipublicæ ſponſio, cùm neque præceptum ſine verbis, neque conſultum in imperito vulgo, neque denique ſponſio nemine interrogante exiſtat. Nam & præceptum eſt quoties imperans voluntatem ſuam ſubditis declarat, ſiue rebus & factis, ſiue verbis; populus autem ſuam ſatis explicat voluntatem ipſo vſu, & facto. Neque in communitate deſunt prudentes viri, cùm Senatus & Magiſtratus eam componant, & ſua auctoritate ac rebus iudicatis ſæpiſſimè ius illud conſuetudinis comprobent, vt ait Vlpian. *l. 34. D. de legib.* vbi ait explorandum eſſe dum conſuetudo allegatur, an contradicto aliquo iudicio formata ſit. Quibus verbis non vult Vlpian. rerum iudicatarum auctoritate induci conſuetudinem; nam ea auctoritas conſuetudinem iam inductam ſupponit, ſed illam probare, cum aliundè difficilis ſit illa probatio, vt-

potè

pote quæ duci debet ex tacito conſenſu populi, & vniformi eius obſeruatione; & dum in iudicio contradicto probatur, tunc auctoritas rerum iudicatarum, inductam probat eam conſuetudinem: neque aliò recurrendum erit. Sic confeſſio depoſitarij non inducit obligationem depoſiti, probat tamen depoſitum, quod non niſi re contrahitur, *l. Publia. 16. §. vlt. D. depoſiti.* Cùm itaque magiſtratus ſuo iudicio probent conſuetudinem, illique ſint prudentes, dici nequit conſuetudinem non eſſe legem, eò quòd non ſit prudentium conſultum, cùm ipſi prudentes ſuo iudicio illam probent, & conſequenter fateantur prudenter inductam eſſe, prudentérque tanquam legem ſeruari.

3 Obiiciunt alij, vt conſuetudo legi æquiualeat: ad id enim neceſſe foret id fieri ex tacita ſaltem omnium conuentione, quia ſic illam definit *l. 25. D. de legib.* atqui nulla eiuſmodi conuentio fingi poteſt ſiue expreſſa, ſiue tacita ſine conſenſu, ex *l. 1. 2. 3. & 4. D. de pact.*

Reſpondeo, tacitam conuentionem induci, non ex eo quod omnes faciunt, ſed ex eo quod aliquibus id facientibus & obſeruantibus, quod nulla lege expreſsâ permiſſum, aut iuſſum eſt, cæteri omnes illud patiantur, nemine diſſentiente, ſicut in expreſſa lege vniuerſos obligante, neceſſe non eſt vt vniuerſi conueniant, ſufficítque comitia conſentiant, cæteraque ſolemnia fuerint adhibita. Ex his enim ſequitur in conſuetudine & iure non ſcripto, interpretando (ſi quando ambiguum ſit) idem faciendum eſſe,

4 quod in ſcripto & legibus, vt ſi quando deficiat lex, ſupplendum eſt ex eo quod in ſimilibus cauſis, & quæ maiorem habeant cum caſu propoſito affinitatem, conſtitutum & receptum inueniatur: quod enim legibus ſcriptis ineſſe credi oportet, vt ad eas quoque perſonas & ad eas res pertineant, quæ quandoque ſimiles erunt, *l. ideò 27. D. de legib.* idem de moribus & conſuetudine dici debet. Ratio eſt: quia ex eo quod populus per longum tempus in quibuſdam cauſis fecit, colligi merito poteſt quod in ſimilibus cauſis facturus fuerit, ſi caſu contigiſſet: vbi enim eadem ratio eſt, idem ius conſtitui debet, ſiue expreſsè, ſiue tacitè illud conſtituatur, *l. illud quæſitum 32. ad l. Aquil.* Ita Anton. Fab. explicat *l. de quib. 32. D. de legib.*

5 Alter effectus conſuetudinis eſt contrariæ legis abrogatio: nam cuilibet legi purè humanæ poteſt derogare contraria conſuetudo, quæ vel poſitiua eſt, ſi opponatur legi negatiuæ, & quidpiam prohibenti, vel ſi pugnet cum lege affirmanti & quidpiam iubenti, eſt priuatiua, diciturque deſuetudo: omiſſio enim actus imperati ſæpiùs, & continuò repetita, ſatis oſtendit voluntatem abiiciendi tale præceptum, cui ſi ſaltem accedat conſenſus Principis *quæſt. ſequenti* explicandus, nihil deerit huic deſuetudini, nec minus quidquam habebit, quàm conſuetudo poſitiua ad abrogandum præceptum ſibi contrarium. Quod ſi velis fieri per modum præſcriptionis, æquè per deſuetudinem præſcribitur ius contra legem affirmantẽ, atq; per conſuetudinem poſitiuã contra legẽ negantẽ. Hæ tamen omiſſiones, ex quibus generatur deſuetudo peccaminoſæ initio ſunt: ſi enim ex cauſa rationabili excuſante, & culpam omnem abſtergente fierent, non oſtenderent voluntatem contrariam legi ſeruandæ, nec contra eam quidquam efficerent, ſicut ſi ex ignorantia legis orirentur, deſinerent in merum non vſum. Debet porrò hæc conſuetudo, vel deſuetudo induci animo eximendi ſeſe à lege, vti diximus.

6 Ratio verò cur hanc abrogationem conſuetudini vel deſuetudini tribuant paſſim DD. eſt, quia cùm quælibet humana lex poſſit per aliam legem tolli, poterit per conſuetudinem, quæ lex quædam eſt, etiam tolli. Dixi verò omnem legem humanam hoc modo tolli poſſe: quia etiam ius gentium, ſi non ſit duntaxat declaratiuum iuris naturalis, ſed conſtitutiuum noui & humani iuris, abrogari poterit, ſicut & quælibet lex pœnalis, etiam irritans. Ita ſapienter Suar. *l. 7. de legib. cap. 9.* & Bonacina *diſp. cit. de legib. puncto vlt. §. 3.* Sanch. *lib. 7. de matrim. diſp. 4. num.* 14. Atque hæc derogatio vel totalis eſt, & totam legem contrariam abrogat, vel eſt tantùm partialis, & partim duntaxat detrahit, V. G. in lege mixta tollet obligationem ad culpam, & pœnam relinquet, ſiue reddet legem illam purè pœnalem; aliàs tollet pœnam, & culpam relinquet. Vide Suarez *l. c.* & Azor. 1. *part. l. 5. cap.* 17. & 18. Grauior difficultas eſt an quando lex reprobat conſuetudinem, & prohibet princeps, poſſit illi vlla contraria conſuetudine derogari, an nihilominùs ea conſuetudo legi ipſam damnanti deroget: id poſſe concedunt Suar. Vaſq. Bonacin. & alij, niſi cauſa, propter quam reprobata & damnata fuit conſuetudo, perſeueret propter intrinſecam malitiam illius actûs; tunc enim conſuetudo erit irrationabilis. Itaque Sanch. *num. 14. citato,* quoad tempus neceſſarium ad hanc abrogationem nihil aliud dicendum occurrit, quam illud ipſum quod diximus nuper ad inſtituendam legitimam conſuetudinem.

Tertius effectus inolitæ conſuetudinis eſt legis ambiguæ interpretatio ex Seueri Imperatoris reſcripto, vti affirmat Calliſtratus *l. 38. D. de legibus:* quia cùm habeat vim legis, multò magis poterit illam interpretari, & illa vniformitas in obſeruatione legis demonſtrat quo ſenſu perpetuò fuerit lex intellecta. Dicitur etiam legem retinere; id eſt confirmare, & impedire, ne abrogetur per non vſum *l. 3. C. quæ ſit longa conſuetudo* & *lib. 32. D. de legibus.* 7.

Hactenùs verò loquuti ſumus de longa & diuturna conſuetudine, quâ ratione, & æquitate nitatur; illa enim legi & Canoni præfertur, vt monuimus. Quare Baſil. *Epiſt. ad Amphilocum*, in qua agit de pœnis Canonicis, ait, conſuetudinem, quæ imminuit, & temperat pœnas Canonicas, eſſe nonnunquam præferendam ipſis Canonibus: vtrumque tamen ius eſſe diligenter attendendum, nimirùm ius ſcriptum, & conſuetudinem contrariam: ſic enim habet Baſili. *Can.* 3. ἀμφότερα τοίνυν εἰδέναι ὑμᾶς δεῖ, ϗ τὰ τῆς ἀκριβείας, ϗ τὰ τῆς συνηθείας ἕπεσθαι δὲ ἐπὶ τῶν μὴ καταδεξαμένων τὴν ἀκρότητα τῷ παραδοθέντι τύπῳ. nos vtraque ſcire oportet, & ea quæ ſunt ſummi iuris, & quæ ſunt conſuetudinis; in iis autem, quæ extrema non admittunt ſequi formam traditam. Atque ita vult Baſil. Laxar. rigorem Canonis pœnam indicentis pro variis delictis, & delinquentis circumſtantiis, atque ita refertur *Canone vlt. in Trull.* qui vult, τοὺς ἐξουσίαν λύειν, ϗ δεσμεῖν παρὰ θεοῦ λαβόντας σκοπεῖν τὴν τῆς ἁμαρτίας ποιότητα, ϗ τὴν τοῦ ἡμαρτηκότος πρὸς ἐπιστροφὴν ἑτοιμότητα ϗ οὕτω κατάλληλον τὴν θεραπείαν προσάγ[illegible] τῷ ἀρρωστήματι ἵνα μὴ τῇ ἀμετρίᾳ καθ' ἑκάτερον χρώμενος ἀποσφάλλοιτο πρὸς τὴν σωτηρίαν τοῦ κάμνοντος, oportere, eos, qui ſoluendi & ligandi poteſtatem à Deo accepere, conſiderare delicti, & delinquentis qualitatem, & promptum ad conuerſionem ſtudium, atque ita conuenientem morbo medicinam afferre, ne ſi in vtroque immoderatiùs agat ab eius, qui laborat, excidat ſalute, hoc autem munus primò incumbit iis, quibus ποιμαντικὴ ἡγεμονία, paſtoralis gubernatio, & regimen traditum eſt, cuiuſmodi 8

ſunt

ſunt Epiſcopi, cæteris enim qui eorum vices dumtaxat gerunt, non permittitur diſcedere à iure ſcripto δέον σκληρότεροι ὦσιν εἰς τὴν ὑποδοχὴν τῶν ἐπιτιμίων ἰατρευόμενοι. Vult itaque tum Baſilius, tum Synodus Trullana, nos ſcire oporrere & quæ ſtricti iuris ſunt, & quæ conſuetudinis in puniendis peccatis, ſanandíſque peccatoribus, ac ſequi ea quæ vſu & conſuetudine recepta ſunt, & ex illa molliendum eſſe iuris rigorem, quoties occurrent pœnitentes difficiliores, & duriores in recipienda, & ferenda pœnâ à Canonibus, & iure ſcripto poſitâ. Opponit verò Baſili. conſuetudinem iuri συνήθειαν & τύπον, *in Can. 3. in fine & medio*, ſicut & *in primo Canone*, τὸ τῆς προσέξεως αὐστηρὸν τῷ ἔθει. Typum vocat ius ſcriptum, qui præſcribit formam ſeruandam in pœnis. Vide Zonaram, & Balzamonem, qui Canonem hunc Trullanum ſuis ſcholiis egregiè illuſtrarunt. Ex quibus Balzamon idem in aliis quoque Canonibus ſtatutum fuiſſe ait, vt loci Epiſcopus non omnia obſeruet quæ de pœnis ſtatuta ſunt, ſed eas temperet habitâ ratione perſonarum, quibus infliguntur, vti explicat Canon Trullanus, quem etiam conſentaneum eſſe Apoſtolico alteri Canoni, quem refert, obſeruat. Prætereà vbi legitur in Trullano, quæ ſunt conſuetudinis, καὶ τὸ τῆς συνηθείας, ab aliquibus legi, τὰ τῆς συμπαθείας. Itaque ea indulgentia eſt miſericordiæ, & commiſerationis, atque moris longo tempore comprobati, & confirmati, hoc eſt ἔλεος, συγκατάβασις οἰκονομία, & συμπάθεια. Æquitas, humanitas, benignitas, & diſpenſatio, quæ ſunt cauſa huius conſuetudinis molliendi ius ſcriptum in criminibus propter varias περιστάσεις, quæ conſiderandæ ſunt, & ferè ius obtinuit vt iudex leuiorem, vel grauiorem ferat, ſecundùm varias circumſtantias communes, quas enumerat *l. 16. authen. facta, D. de pœnis.*

QVÆSTIO II.

Vnde tantam vim habeat conſuetudo?

Difficultas, n. 1.

Non requirit conſuetudo conſenſum perſonalem principis, n. 2. 3. & 4.

Nullus habetur in iure conſenſus iuridicus generalis, n. 5. 6. 7. 8. 9. 10. & 11.

Id habet conſuetudo ex iure gentium, n. 12. 13. & 14.

Obiecta, n. 15. & 16.

Valet etiam contra Canonem, n. 17.

1 PRæcipua difficultas eſt, an ad hanc conſuetudinis vim, & auctoritatem, de qua egimus *quæſt. proxima*, neceſſarius ſit Principis conſenſus: an verò ſufficiat, illam populi moribus & continuo vſu indici & probari, quod poſtremum voluerunt veteres Romani Iuriſconſulti: quod profectò mirum videri non debet. Cùm enim, vt ait Iulian. *l. de quibus. D. de legib.* lex vim habeat à populo Romano illam ferente, vel ſuo ſuffragio probante, neque multum interſit ſuffragio populus voluntatem ſuam declarèt, aut rebus ipſis & factis, iure merito frequentibus populi moribus inducta conſuetudo, legis vim obtinebit. Immò (inquit Paul. *lib. 7. ad Sabin.*) magnæ auctoritatis hoc ius habetur, quod tantum probatum eſt, vt non fuerit neceſſe ſcripto id comprehendere. Quare Iſidor. definiuit conſuetudinem ius quoddam moribus inſtitutum, quod pro lege ſuſcipitur, cùm deficit lex, vt refertur *cap. conſuetudo. diſtinct. 1.* quæ omnia fatemur vltrò vbi poteſtas condendi legem, penès populum tota fuerit, túncque valet Iuliani, & aliorum veterum Prudentium iuris reſponſio. At verò vbi ſuprema auctoritas, & legum ferendarum poteſtas vni alicui tota credita fuit, & ille quidpiam de re aliqua ſtatuit, non eſt cur contrarij vulgi mores legem nouam inducant, aut iam à ſupremo Principe latam refigant, niſi ipſe princeps velit, & patiatur, cùm populus nullam noui iuris condendi poteſtatem ſibi retineat. Si quid itaque poteſt conſuetudo, id ſolum illa poterit quæ non habet ſibi contrariam legem, aut cui id permittit ea poteſtas, cuius fuerat legem condere, & veterem antiquare. Neque aliud traditur *cap. cùm in tanto. de conſuetudine*, dum dicitur, iuri poſitiuo præiudicium afferre conſuetudinem, vbi rationabilis & legitimè præſcripta fuerit: præſcriptio enim nullam vim habet, niſi ex beneficio legis, quæ rerum præſcriptarum dominia transtulit in præſcribentem: alioquin nulla præſcriptio id poſſet ex natura ſua, vt fatentur omnes, quæ omnia multò magis valebunt in conſuetudine legibus Eccleſiaſticis contraria, cùm illarum ferendarum poteſtas non ſit penès populum, ſed penès Pontificem, aut alios Prælatos, vti *toto lib. ſuperiori proximo* diximus. Non poterunt igitur frequentes populi mores nouam legem Eccleſiaſticam inducere, & multò minùs ſibi contrariam abrogare, niſi accedat conſenſus Pontificis, aut aliorum, qui ſimiles leges, aut figerè aut refigere valent: neque licet tacitum principis, Pontificis, aut aliorum conſenſum colligere ex eò quòd non ſe opponant, nouas leges facientibus, aut antiquas contrariis moribus violantibus, aut de eiuſmodi innouatione non querantur: poſſunt enim eſſe graues cauſæ, propter quas nouos mores, atque etiam aliquando ſuis legibus contrarios patiantur quamuis inuiti. Quare ſæpiùs eiuſmodi conſuetudines corruptelas vocant, vt Innoc. III. *cap. ſuper eo, de conſanguinitate*, conſuetudinem contrahendi matrimonium intra gradus prohibitos; atque ita iubet Archiepiſcopo Roſannenſi eiuſmodi præſumptores *Eccleſiaſtica diſtrictione punire.*

2 Obſerua, duplicem eſſe hoc loco principis conſenſum, perſonalem vnum; alterum iuridicum. Perſonalis eſt expreſſus, aut tacitus: primus eſt quando ipſemet Princeps, vel expreſsè conſentit in aliquam conſuetudinem ſiue antecedenter faciendo licentiam ipſam inducendi, ſiue conſequenter illam approbando, vbi fuerit inducta, ſiue concomitanter conſentiendo, dum producitur, & eſt veluti in fieri, aut in curſu introductionis. Tacitus Principis conſenſus colligitur quando diſſimulat, & non impedit conſuetudinem, quam videt induci vel contra, vel præter leges à ſe latas, atque ita volens & ſciens patitur illam: ſic enim conſentire vel lubens, vel inuitus dicitur.

Conſenſus iuridicus Principis appellatur, quoties ipſa perſona Principis non conſentit, ſed ius ipſum, quia iam lata lex eſt, vt conſuetudo talibus affecta conditionibus valeat, & obliget inſtar nouæ cuiuſdam legis, etiam antiquarum derogatoriæ. Tunc verò conſuetudo valet ex conſenſu Principis, non quidem perſonali, quia reuera non conſenſit vnquam ipſa perſona Principis, qui fortaſſis ignorauit eiuſmodi conſuetudinem, ſed conſenſu legali, & iuridico, ſiue potiùs Princeps non conſenſit, ſed ius, quod quia conditum eſt à Principe inoleuit ipſiuſmet Principis, conſenſum, ſaltem interpretatiuè. Difficultas porrò hoc

hoc loco eſt de conſenſu perſonali Principis, non iuridico dumtaxat & legali, an ſit neceſſarius ad firmandam conſuetudinem.

3 Dico 1. conſuetudinem non indigere peculiari Principis conſenſu tacito, vel expreſſo, neque proinde eius ſcientiâ vt vim nouæ legis obtineat, & antiquæ deroget.

Ita docent Panormit. *in c. vlt. de conſ. n.* 13. vbi hanc ſententiam cõmuniorem dicit, quia alioquin rarò, vel nunquam induceretur conſuetudo, & *c.* 1. *de conſt. in* 6. dicitur quòd Papa cenſetur ignorare ſtatuta, & conſuetudines locorum, quibus proinde non poteſt neq; tacitè, neque expreſſè conſentire: valent tamen eiuſmodi ſtatuta & conſuetudines. Idem ſentiunt Ioann. Fab. *in inſtit. de iur. natur. &c. §. ex non ſcript.* Anton. 1. *par. tit.* 16. §. 2. vbi tamen aliud velle videtur in Pontifice, cuius expreſſum conſenſum requirit, eò quòd non acceperit à populo, aut Concilio poteſtatem condendi leges. Sed ea diſtinctio inter Principem & Pontificem, inutilis eſt hoc loco, vt rectè obſeruauit Vaſq. 1. 2. *diſp.* 177. *n.* 16. cùm poteſtas ſemel à populo in Principem tranſlata, reuocari nequeat. Silueſt. *verſ. conſuet. q.* 7. quãdo in conſuetudine eſt ſimul rationabilitas & præſcriptio non exigit ſcientiam Principis; excipit tamẽ Sacramenta, in quibus ad inducendam conſuetudinẽ requiri putat tacitũ conſenſum Pontificis, propter notabilem gloſſam *in cap. vir. de ſecundis nuptiis*, quæ reprobat aliquorum locorum conſuetudinem benedicendi ſecundas nuptias, niſi Papa id ſciat. Sed hanc gloſſã rejiciũt Couarr. *in* 4. *decretal.* 2. *part.* §. 10. *n.* 19. cum Rocho à Curte *de conſuet. c. final.* quamuis ſententiã illius fateatur eſſe Panormitan. Hæc tamen gloſſa vniuerſim pronuntiat *in cap. in iſtis, diſt.* 4. conſuetudinem ſine ſcientia Principis legem tollere. Nauarr. quoque hanc benedictionem ſecundarum nuptiarum licitam eſſe ex conſuetudine dicit, quam etiam in ſacramentalibus valere oſtendit idẽ Nauarr. *c.* 22. *n.* 83. Hos Canoniſtas ſequũtur recentiores Theol. Azor. *tom.* 1. *l.* 5. *c.* 18. *q.* 7. Sanch. *lib.* 7. *de matr. diſp.* 4. *n.* 11. Suar. *l.* 7. *de legib. c.* 13. *n.* 7. & *c.* 17. *n.* 14. Salas *tract. de legib. diſp.* 19. *ſect.* 4. *n.* 37. & *alibi* paſſim *tota ea diſp.* Ferdin. à Caſtro Palao *tr.* 3. *diſp.* 3. 54. *n.* 3. Laym. *l.* 1. *tr.* 4. *c.* 24. *n.* 10. Rebel. *de obligat. inſt.* 1. *par. lib.* 1. *q.* 5. *n.* 5. Bonac. & alij neque multum abeſt Reginal. *l.* 13. *n.* 247. quamuis non ſatis apertè ſuum ſenſum explicuerit. Hi omnes, aliique exiſtimãt, non exigi alium conſenſum Principis ad inducendam conſuetudinem etiam legi derogantem, quàm generalem illum, per quem conſuetudini rationabili facta eſt ea poteſtas à Gregorio IX. *c. vlt. de conſuetud.* & ab Imperatore Leone & Antonino *l. vlt. c. quæ ſit longa conſuetudo*, aliiſque Principibus.

Diſſident tamen à nobis, & aliquem conſenſum perſonalem Principis exigunt Vaſq. 1. 2. *diſp.* 117. *c.* 2. *&* 3. Baſil. Poncius *lib.* 6. *de matrim. c.* 6. *n.* 7. Hurtado Mendoſa *diſp.* 12. *de matrim. difficul.* 2. *n.* 8. qui ſequuti ſunt Fumum *verſ. conſuetudo num.* 5. & Tabienam *verſ. eodem. n.* 8.

4 Noſtra tamen & communis aſſertio probatur primò: quia cum Pontifex ignoret peculiares locorum conſuetudines, vix vnquam mores particularium Eccleſiarum vim legis obtinerent, aut derogarent generali legi, ſi ſcientia, & conſenſus ſpecialis Pontificius tacitus, aut expreſſus requireretur. 2. Quia præſcriptio non exigit ſcientiam eius, contra quem præſcribitur, ſed currit contra ignorantem, vt loquuntur Iuriſtæ: atqui conſuetudo includit præſcriptionem, vnde illam legitimè præſcriptam dicit Gregor. *c. fin. de conſuet.* non igitur exigit legislatoris, contra quem præſcribit, ſcientiam, neque, quod indè neceſſario ſequitur, huius conſenſum. Fateor quidem, diſcrimen aliquod eſſe inter præſcriptionem, & conſuetudinem, vt latè tradunt Rochus à Curte *ſect.* 5. *n.* 3. *de conſuet.* Panor. in *cap. fin. eod. tit. n.* 20. Azor. 1. *p. lib.* 5. *c.* 18. *q.* 16. Molina *lib.* 2. *de iure primog. c.* 6. *n.* 10. Suarez *l.* 7. *de legib. cap.* 1. *n.* 10. Vaſq. 1. 2. *diſp.* 177. *c.* 1. *n.* 8. Layman. *c. cit. n.* 15. Ferdin. à Caſt. *diſp.* 3. *cit. punct.* 1. *n.* 3. Baſil. *lib.* 6. *de matr. c.* 5. *n.* 8. & nos *ſuperiùs*: nam præſcriptione acquiritur ius priuato; conſuetudine autem acquiritur ius communitati; quam eſſe principalem & fundamentalem differentiam obſeruat Panormitan. cæteras dabunt laudati DD. Falsò autem Vaſq. Baſil. Ferdin. Layman, & alij quidam negant in conſuetudine quidquam præſcribi, cùm non præſcribatur aduerſus Principem, ex cuius tantùm conſenſu ſaltem iuridico vim obtinet conſuetudo. Nam cùm ille conſenſus iuridicus, & legalis habeatur *cap. fin. de conſuetud.* ſupponit in ea conſuetudine præſcriptionem, vt colligit Suar. *cap.* 14. *l.* 7. *de legib.* Deindè cùm præſcriptio non valeat niſi ex beneficio legis, nunquam diceretur præſcribi contra Principem, eo quòd non valeat præſcriptio, niſi ex eius conſenſu ſaltem iuridico. Ex quibus colligitur conſenſum legalem Principis non impedire veram præſcriptionem in conſuetudine. Non requiri autem perſonalem benè deducimus ex natura præſcriptionis, quæ ad validitatem conſuetudinis exigitur.

Dico 2. etiamſi ſufficiat generalis, & iuridicus cõſenſus Principis ad valorem conſuetudinis, nullum tamen reperiri ius, quod in vniuerſum quamcunque conſuetudinem valere iubeat. 5

Prima pars traditur à DD. quos in ſuperiori aſſertione ſequuti ſumus: & probatur, quia lex illa vniuerſalis, quæ conſuetudinem certis quibuſdam conditionibus veſtitam approbat, ſufficienter indicat animum, & conſenſum Principis in omnes, & ſingulas eas conſuetudines, quæ omnes eiuſmodi conditiones obtinebunt. Neque minùs efficax cenſeri debet voluntas Principis ſignificata per legem, quàm per præceptum, aut reſcriptum aliquod particulare, vt argumentantur, Suar. Ferdinand. & alij.

Secunda pars aſſertionis, non reperiri ſcilicet vllam legem vniuerſalem approbantem conſuetudinem ad inducendum ius nouum, & vetus antiquandum, docetur ab iis qui notitiam Principis, & perſonalem eius conſenſum requirebant & probatur ipſa inductione. Nam in iure quidem ciuili nihil habetur huiuſmodi, quæ enim afferuntur *ex D. de legibus*, agunt de conſuetudine inducta populi Romani moribus, qui cùm poſſet ſuo ſuffragio ius condere, aut abrogare, æquè id poterat lege lata & promulgata aut ipſo vſu, cùm ſuam voluntatem vtroque illo modo declararet. Sed hæc non valent in republica, quæ vnius monarchæ legibus regitur, non rogatis populi ſuffragiis: vt enim plebs non poteſt iuſtè legi reſiſtere, aut eam nõn acceptare: ita non poteſt illam ſuis moribus refigere, aut nouam inducere, niſi accedat ipſius Principis conſenſus ſaltem iuridicus, legalis & vniuerſalis, quem non bene colligunt aduerſarij ex eò quòd Romani populi mores obtinerent vim condendi iuris, vti iam oſtendi. Quod autem Iulianus *citata l. de quibus, D. de legib.* dixerit rectiſſimè receptum eſſe, vt leges non ſolum ſuffragio legiſlatoris, ſed etiam tacito conſenſu omnium per deſuetudinem abrogarentur, vbi legislatorem diſtinguit à populo, vt obſeruat Suarez *lib.* 7. *de legib. cap.* 13. *num.* 10. non rectè affertur; cùm *ibid.* dicat, *Iuliam idcirò conſuetudinem obtinere, quia cùm ipſæ leges nulla alia ex cauſa nos teneant, quàm quod iudicio populi receptæ ſint, meritò & ea quæ ſine ſcripto populus probauit, tenebunt omnes: nam quid intereſt, ſuffragio populus voluntatem ſuam declaret, aut rebus ipſis & factis?* Quibus ſubiungit verba *ſuperiùs* relata à Suare, vbi nomine legiſlatoris intelligit Iulianus ipſum populum legem expreſſè ferentem: per conſen-

ſum autem omnium, ſignificat eiuſdem populi mores, quos ſufficere ad abrogandam legem ait, etiamſi non rogentur ſuffragia, neque contraria lex promulgetur.

7 2. Affertur à Suare lex, *nam, D. de legibus* quæ dicit Imperatorem ſtatuiſſe perpetuam conſuetudinem vim legis habere.

Reſpondeo id dumtaxat conſtitutum fuiſſe vbi de ſenſu legis dubium aliquod oritur: tunc enim iure merito ad vſum & morem, tanquam ad fideliſſimum interpretem recurritur, ſic enim ibi loquitur Calliſtr. *Nam Imperator noſter Seuerus reſcripſit in ambiguitatibus, quæ ex legibus proficiſcuntur conſuetudinem, aut rerum perpetuò ſimiliter iudicatarum auctoritatem vim legis obtinere debere.* Ex quibus inferri non poteſt Imperatorem velle omnē antiquam conſuetudinem habere vim legis, ſed eo dumtaxat caſu, vbi de lege dubitatur.

Affertur lex 3. *C. quæ ſit longa conſuetudo*: Leo enim Imperator vult probatam antiquitùs conſuetudinem legem imitari, hoc eſt, illius vim obtinere. Quod etiā clariùs dicit ſub finem: verùm Gloſſa *ibi* interpretatur de conſuetudine probata à Principe. Et ſanè *eodem C. l. 2.* inquit: *Non vilem quidem eſſe auctoritatem conſuetudinis; non eam tamen, quæ momento vincat conſuetudinem aut legem.* Quæ verba plures excitarunt difficultates, quarum ſolutiones videbis apud commentatores, & Gloſſam: omnes enim ferè poſtulant aliquā notitiā conſuetudinis in Principe, neque ex hac, aut alia lege generalem conſenſum iuridicum approbantem vniuerſam conſuetudinem contra legem colligunt; ſed in certis quibuſdam caſibus, aut vbi leges municipales ſanciuntur à ciuibus: eodem enim ciuium vſu abrogātur, aut vbi iam ſæpiùs ita iudicatum fuit: eiuſmodi enim conſuetudinem inſtar legis ſeruandam eſſe reſcribit Alexander ad Apronianum, *l. præſes. C. citato.*

8 Ex iure Canonico adduci dumtaxat ſolet *cap. finale, de conſuetudine.* vbi Greg. IX. ait in vniuerſum rationabilem & legitimè præſcriptā conſuetudinē, præiudicium afferre iuri poſitiuo, non naturali, aut diuino.

Reſpondeo primò, hinc ſolùm haberi ſolam eam conſuetudinem præiudicare iuri poſitiuo, non tamen eam omnem, quæ duas illas conditiones habet id ipsū præſtare, neque id ferunt verba Pontificis, *licet* (inquit) *longæua conſuetudinis non ſit vilis auctoritas, non tamen eſt vſque eò valitura, vt vel iuri poſitiuo debeat præiudicium generare, niſi fuerit rationabilis, & legitimè præſcripta.* Vnde concludi tantùm poteſt conſuetudinem rationabilem & legitime præſcriptam præiudicare poſſe iuri poſitiuo, modò videlicet adſint aliæ conditiones, quas nō excludit Pontifex, neq; etiam neceſſarias eſſe negat.

Reſp. ſecundò cum Baſilio *loco citato*, tradi eo loco vim conſuetudinis, ſed à Principe approbatæ; alioquin ſi per hoc caput generaliter approbetur conſuetudo, inutilis erit vulgaris diſtinctio cōſuetudinis approbatæ, & permiſſæ tantùm: omnis enim erit approbata hac generali lege, vt volunt aduerſarij contra caput, *ſuper eo, de cognatione ſpirituali*, vbi Alexand. III. agit de matrimoniis inter cognatos ſpiritualiter, ſicque ſcribit Vigilienſi Epiſcopo: *Verùm ſi conſuetudine habeatur, vt talia coniugia permittantur in Eccleſia tua, diſſimulare poteris, ita quòd nec contradicere, nec tamen videaris præſtare aſſenſum: quia ſicut graue eſt antiquam conſuetudinem circumadiacentium Eccleſiarum ſuper iis contemnere; ſic quoque grauius videtur, ſi propter eam eiuſmodi coniugiis tuum indulgeas aſſenſum, cùm poſſit ſic in exemplum aſſumi.* Quibus verbis Pontifex apertè diſtinguit duplicem conſuetudinem, quarum altera, cui ab Epiſc. præſtatur aſſenſus, poteſt in exemplum trahi, id eſt vim legis obtinere; altera tantùm permittitur, quia neq; illi contradicitur ab Epiſcopo, neq; illi præſtatur aſſenſus & quæ in exemplum trahi non poteſt, neque vim legis habere. Ergo falſum eſt omnem conſuetudinem approbari per caput finale toties allatum: modò enim ſit rationabilis, id eſt, non pugnet cum naturali ac diuino iure, & ſit legitimè præſcripta, hoc eſt ſeruata per ſpatium ſufficiens ad præſcriptionem, vt ipſimet aduerſarij interpretantur, præiudicabit iuri poſitiuo, & vim nouæ legis habebit, ſiue illi præſtetur aſſenſus, ſiue non præſtetur, modò illi non contradicatur ab Epiſcopo, contra Alexandr. III. verbis recitatis. Adde *cap. conſuetudinis, diſt. 11.* deſumptum *ex l. 2. C. quæ ſit longa conſuetudo*, quod dicit non eſſe eam conſuetudinis auctoritatem, vt adeò valitura ſit ſui momento, vt rationem vincat, ac legem; quod tamen falſum eſſet. Nam ſtatim atq; præſcripta eſſet, modo non implicaret aliquid contra ius naturale, aut diuinum, legem antiquam vinceret & rationem contrariam, propter illud caput finale, & generalem approbationem conſuetudinis in illo factā, niſi legiſlator illi conſuetudini expreſsè derogaret & contradiceret, conſtaretque ciuibus de illa contradictione & reſiſtentia. Quare Gloſſa in *illud cap. cit.* ait conſuetudinem particularem, licèt bona ſit, non vincere legem, niſi habeat eas conditiones, quas eadem Gloſſa refert *in cap. fruſtrà, diſt. 8.*

9 Dico tertiò, longam conſuetudinem non obtinere vim condendi nouum ius, aut antiquum abrogandi ex ſolo conſenſu Principis. Hæc aſſertio ſingularis exiſtimabitur, neceſſariò tamen deducitur ex ſuperioribus concluſionibus. Cùm enim conſenſus Principis ſit vel iuridicus, legalis, & generalis, vt loquuntur, vel perſonalis ſiue tacitus, ſiue expreſſus, & iam oſtenderimus, nullum eſſe eiuſmodi conſenſum generalē legalem, quo approbetur in vniuerſum omnis conſuetudo, ſæpiſſimè etiam abſit conſenſus perſonalis Principis propter omnimodā ignorantiā conſuetudinis vigentis & obligantis, conſtat, aliquā conſuetudinem totam ſuā vim obtinere independenter à conſenſu Principis.

10 2. Princeps aliquando diſſentit conſuetudini, diſſenſu ſaltem iuridico & legali, & non conſentit conſenſu perſonali, propter ignorantiam, & tamen valet conſuetudo: ergo illa in eo caſu non accipit vim obligatoriam à Principis conſenſu. Quæ conſequentia manifeſtiſſima eſt: dari verò eiuſmodi conſuetudinem probatur: quia etiamſi lex dānet quamcūque contrariā conſuetudinem, poterit tamen introduci conſuetudo, quæ illi legi derogabit, & clauſula prohibitoria nouæ conſuetudinis inducendæ, illam non impediet, neque tamen erit inutilis: quia dirigitur ad magiſtratus, ne patiantur talem conſuetudinem ſenſim ſubrepere, ſed illi ſe opponant. Ita Nauarr. *in commentario de ſpoliis, §. 14. n. 8.* vbi dicit conſuetudinem, cui ius reſiſtit, non eſſe irrationabilem, niſi eam tanquā irrationabilem & corruptelam reiiciat, atque ita intelligendā eſſe ſolemnē, & receptam Gloſſam in *c. 1. de conſtit. in 6.* Sequuntur Vaſq. 1. 2. *diſp. 177. c. vlt.* Suar. *l. 7. de leg. c. 19. n. 21.* Azor. *tom. 1. l. 5. c. 17. q. 12.* Couarru. *l. 3. variar. c. 13. n. 4.* qui omnes diſtinguūt inter prohibitionē, reuocationē, & dānationem, ſiue reprobationē conſuetudinis: quando enim lex reuocauit antiquā conſuetudinem, cùm ea reuocatione non prohibeat futuram, poterit denuò induci, & legi derogare ſimilis conſuetudo, cùm neque ſit prohibita, neq; turpitudinem vllam contineat: quando verò prohibetur futura conſuetudo, ſi fuerit ſimplex tantùm prohibitio & non damnatio, poterit nihilominùs induci, quia non obſtante tali prohibitione, poterit adhuc eſſe rationabilis, & legitimè præſcripta, vt patet. Si denique damnetur à lege futura conſuetudo contraria, tanquam irrationabilis, corruptela, talis conſuetudo induci non poterit, non quia ius ei reſiſtit, ſed quia irrationabilis eſt, atque ita intelligendi ſunt Silueſt. *verſ. conſuetudo, quæſt. 6.* Antonin. 1. *par. tit. 16. §. 6.* & alij quos ſequitur Layman *lib. 1. tract. 4. cap. 24. n. 7.* dum dicunt poſſe induci con-

ſuetudi

ſuetudinem contra prohibitionem legis: exiſtimant enim eiuſmodi conſuetudinem eſſe irrationabilem, quia ius illi reſiſtit, cùm non reſiſtat niſi quia eſt irrationabilis, vt tradunt Titaquell. *in præfat. libri de retract. num.* 18. & 19. & alij laudati à Couarru. *l. cit.* cùm tamen, reuera prohiberi queat conſuetudo, etiamſi non ſit irrationabilis; neque ex ſola prohibitione talis exiſtat, quamquam vbi dubitatur de honeſtate conſuetudinis, præſumenda ſit iniqua, ſi prohibeatur à lege. Conſentiunt denique omnes, conſuetudinem etiam reprobatam, ac damnatam induci poſſe, quando ea contigit rerum mutatio, vt modò cenſeatur rationi conſentanea, quæ quondam propter diuerſum rerum ſtatum iniqua videbatur: nam alioquin ſolum tempus diuturnum non facit illam eſſe rationabilem, ſi nulla facta fuerit rerum mutatio, vt obſeruauit Abbas *in cap. vlt de præſcriptionib. num.* 15. Hinc vides dictum illud Iuriſtarum relatum à Nauar. *commentario citato*, *Decretum irritans eſt penetrabilius omni gladio ancipiti, omnia interiora & occulta afficiens, & adſtringens: nam eſt tam malignantis naturæ quod quidquid inuenit, deſtruit*, cautè intelligendum eſſe: quia ſi ſit ſimplex irritatio, tollitur contrariâ conſuetudine, vt tradunt omnes laudati DD. quibus etiam accedit Baſil. Ponc. *lib. 6. de matrim. c. 6. n. 9.* Rebell. 1. *part. de obligat. inſtit. q. 5. n. 8.* Ferdin. *tract. 3. diſp. 7 punct. 4. §. 2. n.* 10. Bonac. *diſp. 1. de leg. q. 1. punct. 20. §. 3. n. 37.* qui omnes eo tantùm caſu negãt conſuetudinem reiectã à lege valere quandò reiicitur tanquam irrationabilis, quandiu enim manebit irrationabilis, manebit quoque reiecta, & reprobata, qualis cenſetur quæ paſſim à iure reiicitur & prohibetur: quia id temporis erat incõmoda reipublicæ. Sanch. eadem habet. *l. 7. de matrim. diſp. 4. num.* 14.

11 Ex his ſic colligo. Conſuetudo prohibita à lege, poteſt nihilominus induci contra ipſam, illiq; derogare, quandiu non fuerit irrationabilis, vt tradunt cõmuni conſenſu DD. illi tamen conſuetudini Princeps, & legiſlator diſſentit ſaltem diſſenſu generali & legali per legem prohibentem talem conſuetudinem: ergo non accipit ſuam vim à Principe, eiúſq; voluntate reſiſtere.

12 Dicò 4. conſuetudinem rationabilem & antiquam vim legis obtinere ex iure gentium. Non longiùs fortaſſis abſunt ab hac ſententia, qui putant ita tranſlatam fuiſſe poteſtatem ferendi legem à populo in Principem, vt ſibi reſeruauerit facultatem inducendi conſuetudinem: quę opinio, ſi accipiatur vt verba ipſa ſonant, meritò reiicitur à Suar. *lib. 7. de legib. c. 13. n. 3.* quia inutilis omninò eſſet poteſtas legiſ-latiua cõceſſa Principibus à populo, qui poſſet contrariis moribus & factis leges omnes abrogare, & contrarias ſancire. Neque vlla prorsùs coniectura afferri poteſt, quæ oſtendat poteſtatem principum ita limitatam fuiſſe; niſi fortaſſis in quibuſdã regnis peculiaribus, in quibus non viget perfecta monarchia, ſed mixta eſt ex democratia: immò cùm Princeps, tum leges & ſtatuta municipalia ciuium, tum conſuetudines ab illis inductas irritare validè poſſit, ſignum eſt non accepiſſe circumſcriptam poteſtatem in condendis legibus, quaſi eæ valituræ tantùm ſint, ſi populus contrariis moribus non obſiſtat. Voluerunt igitur hi DD. id ipſum dumtaxat, quod nos aſſerimus, nempè iure communi omnium gentium receptum eſſe vt communes mores & diuturna conſuetudo, vbi rationabilis fuerit, vim legis obtineat, quamdiu Princeps in contrarium nihil ſtatuerit, aut illam conſuetudinem non irritarit: & præterea ceſſare legis iam poſitæ obligationem quoties diuturno & iam longo vſu confirmati populi mores ipſi contrarij vigent, neque illis obnititur Princeps ſiue eos vigere ſciat, ſiue neſciat.

13 Probatur 1. quia conſuetudo ex omnium conſenſu vim habet abrogandi, & ferendi legem: id verò non habet ex natura rei, vt patet, neque ex conſenſu Principis legali, vel perſonali, vti iam oſtendimus, neque ex auctoritate populi, illam inducentis, cùm non polleat facultate ferendi leges: ergo habebit ex iure gentium. Quæ conſequentia manifeſta fit ex ſufficienti enumeratione capitum, ex quibus ſuam vim haurire poteſt conſuetudo; eáque videtur fuiſſe mens veterum Iuriſconſultorum, vt Iuliani *l. de quibus D. de legibus*, Vlpian. *l. diuturna*, Pauli *l. imò*, *D. de legib.* cùm dicunt cuſtodiendum eſſe quod moribus receptum eſt, vbi legibus non vtimur, & tantæ auctoritatis eſſe ius illud, vt neceſſe non fuerit illud ſcripto tradere, & Modeſtini, cum ait, *Omne ius aut conſenſus fecit, aut neceſſitas conſtituit aut confirmauit conſuetudo*, vbi vox illa, *firmauit*, non eſt rigidiùs accipienda, quaſi velit conſuetudinem tantùm confirmare ius antiquum, & non inducere nouum: ſed indicat Modeſtin. totius iuris fontes, eſſe conſenſum publicæ poteſtatis neceſſitatem, quæ nulli legi ſubeſt, & conſuetudinem, quæ pro lege ſit ex communi omnium gentium ſenſu.

Secundò ſi nequidquam obſtante communi conſuetudine rationabili, atque longo iam vſu corroborata lex Principis obligaret, importuna admodum, & moraliter loquendo, intoleranda eſſet ea obligatio, quæ cogeret ad illa, quæ difficillimum & moraliter impoſſibile eſſet obſeruare, vt quis nimitùm vnus contra communem, & receptum ciuium omnium vſum viuat, & niſi id faciat, peccet. Neque dicas omnes lege obligari, & quoties eam violant, peccare: mirum enim omninò erit conſuetudinem, alioqui rationabilem, & diuturnam, non excuſare à peccato eos, qui illam ſequuntur, cùm nihil ſit vnde obligentur. Nam & nulla eſt turpitudo ex natura rei in tali conſuetudine, & viri prudentes ac probi illam ſequuntur, & eadem maximum argumentum eſt, contrariam legem deſiiſſe. Eſto peccarint qui primi eos mores induxerunt: at non peccant qui illos iam receptos ſequuntur, aut ea obligatio diſcedendi ab omnium etiam proborum conſuetudine & vſu, importuna eſt, vt dixi. Si verò conſuetudo non ſit contraria legi, indecens omninò erit, ciues omnes quidpiam obſeruare, & exiſtimare ſe ad illud lege obligari, & tamen poſſe ſingulos pro arbitrio, & impunè ab ea diſcedere. Quare obliget neceſſe eſt eiuſmodi conſuetudo.

Vnde ſequitur vlteriùs, ſi lex pergat obligare contrariâ conſuetudine vrgente, dari caſum perplexitatis: 14
quia ſi quis violet legem, peccabit, ſi illam ſeruet, & contrariam conſuetudinem violet, peccabit quoq; cùm obligetur iis omnibus, quibus alij ciues obligantur: obligantur autem ſeruare receptas conſuetudines, quæ faciunt, aut firmant ius, ex communi omnium ſenſu. Aut, ſi mauis, qui legem in eo caſu infringeret, peccaret: quia lex adhuc obligat, & tamen non peccaret: quia qui ſequitur in agendo, quod viri prudentes ac probi palàm & communiter faciunt, non peccat: hic autem conſuetudinem virorũ prudentium, & proborum, & totius cõmunitatis imitatur: ergò non peccat: ergo ſimul peccat, & non peccat, quæ eſt mera repugnantia. Iure igitur fuit perſuaſum omnibus gentibus, conſuetudinem rationabilem & diuturnam vim legis obtinere, & ſeruandam eſſe, quandiu ſuprema auctoritas non obſiſtet.

Obiicies primò, illius ſolius eſſe legem abrogare, 15
cuius eſt illam condere, & neminem alium poſſe obligare rempublicam & ſingulos ciues aut ius ferre. Ergò illius ſolius erit probare conſuetudinem, illíſque vim legis conferre, vnde DD. paſſim colligunt aliquem conſenſum principis eſſe neceſſarium.

Hoc argumentum nimium probat: quia ex eo eadem ratione colligeretur,ius gentium etiam non obligare ſine conſenſu Principis. Dico igitur aliud eſſe ferre legem aliquam, aut antiquam abrogare, atque ad eos effectus conſuetudinem inducere: aliud conſuetudinem iam inductam eos effectus ſortiri. Primum poteſt ſolus Princeps, & qui habet poteſtatem legum-latiuam. Quare qui primi conſuetudinem eo animo inducerent, peccarent, & vſurparent partes Principis, etiamſi tota Reſpub. vno conſenſu in illud conſpiraret. Quod verius multò erit, ſi ea conſuetudo inducatur ad derogandum legi. At verò inductam ſemel rationabilem conſuetudinem habere effectus legis,non pendet à Principe, niſi quatenus ille poſſet eiuſmodi conſuetudinem abrogare, & prohibere, atque contrariam ipſi legem ferre: ſed quamdiu illi non reſiſtet Princeps,legis inſtar erit ex iure gentium, quod non pendet à principe.

Obiicies ſecundò.Si conſuetudo ſemel vſu diuturno confirmata habeat vim legis ex iure gentium, non poterit à Principe impediri per legem prohibentem, & damnantem illam conſuetudinem tanquam incommodam reipublicæ, neque enim ab vna aliqua gente, aut Principe tolli poteſt quod eſt de iure omnium gentium, vndè etiam aduerſùs ius gentium nullam conſuetudinem præualere aſſerunt Azor. 1. *part. l.5. cap.17. q.46.* Salas *diſp. 19. de legib. ſect.6. num. 65.* ſecuti Panormitan. *in cap. fin. de conſuetud. num.1.* & Rochum à Curte *de conſuetud. ſect.5. n.16.* Neque vllum Principem habere poteſtatem quidpiam ſtatuendi, & ſentiendi contra ius gentium exiſtimat Bald. *tit. de natura feudi, cap. 1.* & *tit. qui feudum dare paſſum, cap. 1. §. vltim.* & Iaſon. *repetit. in l. quominus, de fluminib. num. 3.* Non poterit itaque Princeps auferre conſuetudini vim, quam obtinet ex iure gentium.

Reſpondeo primò, Principem poſſe multa ſtatuere in ſua Reſp. vbi commodum erit contra ius gentium, quod humanum dumtaxat eſt, non naturale, v.g. velle poteſt bello captos non redigi in ſeruitutem. Quare poterit etiam induci conſuetudo contra ipſummet ius gentium: quia nunquam ius gentium obligat, niſi ſubſiſtente aliqua cauſa, quæ ſi abſit, vti poteſt abeſſe, ceſſat obligare. Quare illi non propriè derogatur per legem, aut conſuetudinem rationabilem. Ita Suarez *lib. 7. de legib. cap. 4. num. 6.* & Ferdinand. *tract. 3. diſp. 3. punct. 4. §. 2. n. 13.*

Reſpondeo primò, ius gentium dare vim legis conſuetudini rationabili ſemel inductæ quandiu Princeps illi non reſiſtet, eam abrogando vel quapiam aliâ ratione. Quare Princeps irritans conſuetudinem,quæ vim legis obtinebat, non violabit ius gentium: non poterit tamen impedire, quin ea conſuetudo vim legis obtineat, quamdiu illi non reſiſtet quod ſolum eſt de iure gentium.

16 Obiicies tertiò, redire omnia argumenta quibus probamus nullam dari legem generalem approbantem conſuetudinem, & illi vim legis conferentem, neque proinde vllum eſſe conſenſum generalem, iuridicum, & legalem Principis. Vrgebamus autem maximè diſtinctionem conſuetudinis approbatæ & permiſſæ, quam tradit Alexand.III.*cap.ſuper eo,de cognatione ſpirituali*,vbi apertè oſtendit,non ſufficere permiſſionem conſuetudinis vt trahatur in exemplum. Vrgebamus quoque,inutilem eſſe illam geminæ conſuetudinis diſtinctionem, quam affert Pontifex,ſi detur generalis approbatio conſuetudinis *per cap. fin. de conſuetud.* quia omnis conſuetudo erit approbata conſenſu iuridico & legali; poteritque in exemplum trahi, quod tamen negat Alexander. Quod argumentum valet quoque ſi conſuetudo vim obtinet ex iure gentium: nam etſi permittatur tantùm à Principe, valida tamen erit,& trahi poterit in exemplum,illudque habebit ex iure gentium,neque indigebit approbatione Principis, ſed tantùm ne illi reſiſtat.

Reſpondeo primò,ſatis fuiſſe ad probandum quod nuper intendebamus, nullam afferri legem ſiue ciuilem, ſiue Canonicã, quæ conſuetudini in vniuerſum vim legis daret, ac proinde malè ab aduerſariis affirmari in omni valida conſuetudine reperiri perpetuò conſenſum Principis ſaltem legalem: ſed inde nihil efficitur contra poſtremam iſtam aſſertionẽ,vt patet.

Reſpondeo ſecundò ad caput *ſuper eo*, conſuetudinem etiam tantùm permiſſam vim legis obtinere, quod tradunt hi omnes, qui negant exigi conſenſum expreſſum Principis: illo verò capite dubium erat de conſuetudine aliqua circa matrimonium contrahendum. Si verò illi dubiæ conſuetudini Epiſcopus præbuiſſet aſſenſum,eo ipſo illam approbaſſet,confirmaſſetque,dum autem diſſimulabat,rem adhuc integram relinquebat, neque ex ea diſſimulatione & permiſſione poterat vires aliquas accipere conſuetudo, de qua dubitabatur.

Reſp. tertiò, actum ibi fuiſſe de exemplo, quod ex ea conſuetudine trahere poterant vicinæ Eccleſiæ:nam ſi in Vigilienſi Eccleſia vigebat iam ea conſuetudo, contrahendi matrimonia cum cognatione ſpirituali, nõ erat cur Alexand.moneret illius vrbis Epiſcopum, ne præſtaret aſſenſum illi matrimonio, quamuis illi non contradiceret, ne traheretur in exemplum, cùm iam vſus ille frequens eſſet,& exemplum crebrum in illa Eccleſia:ſed cauit Pontifex,ne illi mores ſerperent in vicinas Eccleſias, quod facilè fieret, ſi Epiſcopus palàm probaret illa matrimonia,maximè poſt interrogatam Sedem Apoſtolicam: tunc enim potuiſſet illa conſuetudo pro lege Eccleſiaſtica haberi, atque ita à cæteris quoque obſeruari.

Reſp. quartò, fortaſſe verius videri vicinas Eccleſias eum morem habuiſſe ita contrahendi, quem imitari vellet Vigilienſis Epiſcop. Si autem ille præbuiſſet aſſenſum iam impunè in exemplum traheretur ab illa Eccleſia; ſi verò palàm contradiceret, offenderet vicinas Eccleſias,quæ illum morem tenebant. Quare iubet Pontifex ita indulgere illud matrimonium, vt tamen illi non præſtet aſſenſum: atque ita neque offendat vicinas Eccleſias, dum earum conſuetudinem reprobat, neque nouum morem inducat in ſuam,cùm ex vno tantùm actu non poſſit generari conſuetudo, neque in exemplum trahi. Atque hæc expoſitio videtur conformior menti Pontificis, qui rationem ſui conſilij ſic reddit: *Quia ſicut graue eſt antiquam conſuetudinem circumadiacentium Eccleſiarum ſuper his contẽnere &c.* quamquam Gloſſa ibi dicat, non eſſe contemnendam vicinorum locorum conſuetudinem, ne qui eam ſeruabant,eam relinquant cum ſcandalo,dum vident ſe contemni, & ab aliis ſimiliter conſuetudinem reiici, quod non fieret ſine peccato: cum enim ea conſuetudo iuſta & honeſta obliget, non violabitur ſine peccato.

Dico quintò, conſuetudinem rationabilem præualere etiam contra legem Eccleſiaſticam. Ita omnes *in* 17
cap.fin.de conſuet. quamuis deindè diſſentiant in conditionibus eiuſmodi conſuetudinis, & aliqui ad eam requirant ſcientiam & conſenſum Principis,quem ad conſuetudinẽ contra leges ciuiles non requirunt,cùm tamen ea in re nulla ſit inter eas leges differentia.Ratio à priori: quia lex Eccleſiaſt. de qua agimus,eſt merè humana,quamquam ab auctoritate ſpirituali,& ſuperioris ordinis profecta, ac proinde ſequitur naturam cæterarum legum humanarum quæ ſola conſue-

tudine conſtituuntur aut irritantur, ex communi gentium ſenſu, & iure vti demonſtrauimus.

CAPVT IV.

Quæſtiones conſectariæ circa ſingulares quaſdam conſuetudines, an rejiciendæ, an ferendæ ſint.

Qvæstio I. *Regulæ vniuerſales circa reiiciendas, aut probandas conſuetudines.*

Qvæstio II. *De ſingularibus quibuſdam conſuetudinibus admittendis aut reiiciendis.*

Qvæstio III. *An conſuetudo valeat circa Sacramenta.*

Qvæstio IV. *An circa Sacramentalia.*

Qvæstio V. *An circa impedimenta matrimonij.*

Animvs non eſt percurrere ſingulas conſuetudines, quæ variis in locis, & Eccleſiis diuerſæ obſeruantur; & expendedere, ferendæ ne ſint, an reiiciendæ: tum quia infinitæ illæ ſunt, & de quibus vix pronuntiare licet hoc loco, niſi explicatâ earum naturâ & lege Eccleſiaſticâ, contra quam pugnant, quod fieri commodè nequit nondum tractatâ materiâ, circa quam vſurpantur, præterquam quod ordo doctrinæ poſtulat, aut in ſingulis materiis affetantur leges, quæ circa illas quidpiam præſcribunt, & vtrùm adhuc vigeant, aut per contrarias leges, vel conſuetudines illis aliqua ex parte fuerit derogatum. Pauca igitur attingam hoc loco, cæteris in propriam diſputationem commodiùs reiectis & vniuerſalia dumtaxat indicabo, ex quibus ſingularia deindè colligi poterunt, donec ſuo quæque loco fuſiùs pertractentur.

QVÆSTIO I.

Regulæ vniuerſales circa probandas & reiiciendas ſingulares conſuetudines.

De conſuetudine pugnante cum libertate Eccleſiaſtica, n. 1.
Aut cum rigore, & neruo diſciplinæ, n. 2.
Quæ non obuiant Canonibus, n. 3.
Diuerſæ in diuerſis Eccleſiis, n. 4.

1 Prima regula. Conſuetudinem contra libertatem Eccleſiaſticam & in grauamen Eccleſiæ introductā non eſſe probandam docet Magnus Greg. *lib. 5. ep. 64. ad Felicem Epiſcop. Meſſanenſem*, & refertur *cap.* 1. *de conſuetudine.* Quare ſi alioquin iuſtæ ſint eiuſmodi conſuetudines, non patitur Greg. eas etiam ex ſui conditione remittere, alioquin, ſi grauamen inducant Eccleſiæ, reiici vult, cuiuſmodi erant certa præmia & munera ad ſe miſſa ab illo Epiſcopo, quæ ita accepit Gregor. vt pro illis pretium remiſerit.

Quare addunt aliqui reprobandam eſſe conſuetudinem, quæ eſt contra ius Canonicum, & (vt loquitur Innoc. III. *cap. Ad noſtram, de conſuetud.*) *Canonicis obuiat inſtitutis, nullius debet eſſe momenti.* Rationem reddunt aliqui, quòd ius Canonicum oriatur ex poteſtate ſpirituali à Deo deriuata. Verùm nuper oſtendimus conſuetudinem rationabilem & legitimè præſcriptam omnibus legibus etiam Eccleſiaſticis præualere. Itaque illud Innocentij dictum non eſt intelligendum de qualibet conſuetudine, ſed de ea quæ cum iure diuino ſimul pugnat, & grauiter Eccleſiam grauat, & vel contra bonos mores & diſciplinam Eccleſiaſticam corrumpit, qualis eſt illa, cuius in *eo c. 3.* meminit Innoc. in Eccleſia Pictauienſi, vbi etiam in cauſis Eccleſiaſticis ſententia dicebatur, quæſito ab obuiis quibuſque ſuffragio, ſiue litterati ſiue illiterati; ſiue ſapientes ſiue inſipientes, ſiue periti legum ſiue imperiti forent. Cùm tamen ſententia à non ſuo iudice lata nullius momenti ſit, *l. 1. & 2. C. ſi à non comp. iud.* & *Canon. imprimis* 1. *q.* 1. ſuus autem Iudex dici non poterit is, quem caſus & fortuna obtulerit. Præterea ſi obuium quemque admittis iudicem, etiam in iudicio Eccleſiaſtico, locus erit laicis, contra *cap. Decernimus de iudiciis.* Imo promiſcuè litterati & illiterati, periti & imperiti admittentur, vnde ſequitur perturbatio ordinis iudiciorum. Quare ea Pictauienſis conſuetudo, vt cum Canonicis inſtitutis pugnans, & ſimul magnam diſciplinæ Eccleſiaſticæ perturbationem inferens reiicitur. Hinc eruitur

Secunda regula. Conſuetudines quæ neruum Eccleſiaſticæ diſciplinæ diſſoluunt, ferendæ non ſunt. 2
Quare Innoc. III. poſt captam à Francis & Venetis Conſtantinop. cum eò miſiſſet Lucium Cardinalem, accepiſſetque Græcos Presbyteros Sacramentum cōfirmationis conferre & alia quædam Epiſcopis reſeruata ſibi arrogare, ſolâ vſus conſuetudine, eam ſeruari omninò prohibuit Innocent. vt quod à Gregor. *lib. 3. Ep. 26.* Presbyteris Calaritanis in Sardinia ſtatuerat ſeruaretur: ſed de miniſtro Confirmationis *alibi.* Aliud exemplum retinendi rigoris diſciplinæ Eccleſiaſticæ contra deprauatam conſuetudinem ſuppeditat nobis Innoc. III. *cap. cùm inter vos 5. de conſuetud.* quod etiam refertur *c. 4. eodem tit. in 3. collectione*, vbi conſuetudinem qua vna ſe tuebantur Canonici S. Petri de Curia, ſiue potiùs de Cultura, vt habet Ordericus Vitalis *lib. 10. ad an.* 1098. & Arnulphus Lexouienſis *Ep. ad Alexandrum tertium*, ad non ſeruandum interdictum generale ab Epiſcopo, & Capitulo Cænomanenſi latum, vt eo ſpreto diuina officia pulſatis campanis & apertis ianuis celebrarēt, irritat. *Nos igitur*, inquit, *cognito, quòd ex tali conſuetudine, ſi qua foret, diſrumperetur neruus Eccleſiaſticæ diſciplinæ ipſam de conſenſu fratrum noſtrorum duximus irritandam.* Rigor verò diſciplinæ ſeruandus perpetuò eſt, neque quidquam ferendum quo relaxetur. Quare Gregor. *l. 7. Ep. 79. vigoris Eccleſiaſtici genium, vt oportet congruâ diſpenſatione ſeruetur.* Inde factum vt non obſtante quacunque exemptione vel conſuetudine, Monachi, & regulares interdictum generale ſeruare teneantur, vt colligitur ex hoc Innoc. reſcripto, *& cap. Tuarum, de priuilegiis*, & *Clem. ex frequentibus, de ſentent. excommunic.* quod etiam hodie ſeruatur, cum eo tamen temperamento, quod attulit Bonifac. VIII. *in cap. Alma mater, de ſentent. excommunicat. in 6.* vt Miſſas & diuina officia fas ſit illis celebrare eo tempore, foribus clauſis, non pulſatis campanis, ſubmiſsâ voce, excluſis interdictis, & excommunicatis. Sanè interdicta Gallia vniuerſa propter Philippi Auguſti pellicatum, & reiectam vxorem Ingreburgem, illud etiam monachi ſeruarunt, vt tradit Chronicon Altiſſiodor. ad an. 1002. *Non modò*, inquit, *in Eccleſiis, ſed & monaſteriis ceſſatum eſt à diuinis.* Ex hoc igitur rigore & neruo diſciplinæ retinendo irritauit Innocent. III. & corruptelam dixit conſuetudinem, quia licebat Abbati proprio relicto monaſterio ad aliud tranſire ſine facultate ſuperioris, cui

cui eiuſmodi monaſteria ſubiecta erant, *cap. cùm venerabilis, de conſuet.* atque ita damnat Abbatem Hermionenſem, qui relicto ſuo monaſterio, ad Romanam Eccleſiam nullo mediante pertinente, ad monaſterium Corbeienſe, quod eſt quoque Romanæ Eccleſiæ ſpeciale, *temeritate propria migrauerat & generalem terræ conſuetudinem, quam in defenſionem allegabant*, corruptelam, ſacris Canonibus inimicam mandauit deinceps non ſeruari. Porrò Corbeienſe illud monaſterium erat in Saxonia in Carbeia noua, vt Abbas Vrſpergenſis Krantzius, & alij vocant: cùm enim nequeat quiſque deponere dignitatem ſuam ſine conſenſu ſuperioris, *l. legatus D. de officio prætor.* & *cap. Admonet*, & paſſim *toto tit. de renunciat.* ſi illam contrariam conſuetudinem probaſſet Pontifex, plurima ſequeretur perturbatio diſciplinæ. Nam quiſque pro arbitrio ſuam dimitteret dignitatem, & aliam ambiret, eſſéntque perpetuæ mutationes. Eiuſmodi itaque conſuetudo qua prælatus propria voluntate dignitatem ſuam deſerit inconſulto ſuperiore, & ad aliam tranſit, non valet, propter perturbationem ordinis, & vt inimica ſacris Canonibus reprobatur.

3 Tertia regula. Conſuetudines ſiue ab Eccleſiaſticis, ſiue à laïcis inductæ fuerint, quæ non obuiant Canonibus, neque Eccleſiaſticæ libertati, non ſunt reiiciendæ, ſed, ſi ſint indifferentes, ferendæ potius ſunt. Quæ regula patet ex ſuperioribus, cum enim cauſæ, propter quas quæpiam conſuetudo reiiciatur tanquam corruptela, ſint, quòd legem ſacram vbique receptam abroget, & in re grauiſſima ſacris Canonibus obuiet, vel quòd ambitioni cum grauiſſimo Eccleſiæ damno viam muniat, vel libertatem Eccleſiaſticam plurimum minuat, & ſeruituti ſubiiciat, vbi iſtæ cauſæ deerunt quæ faciebant conſuetudinem irrationabilem, non erit quoque cauſa talem conſuetudinem reiiciendi, ac proinde ferenda omnino erit, qua de cauſa Innoc. III. *c. 2. de conſuetud.* ſumpta ex eius regiſtro *lib. 1. Ep. 418.* ſcotationem & conſuetudinem Daciæ, ſiue Daniæ ſeruari vult, & donationes Eccleſiæ factas eiuſmodi ſcotatione validas eſſe iubet. Scribit verò Archiepiſcopo & Capitulo Laudenſi, non, vt ferebat erronea editio, Archiepiſcopo Lugdunenſi, vti eruditè demonſtrat Alteſerra *in commentario, ad illam Innocentij Decretalem.* Erat verò ſcotatio facta per ceſpitem terræ, impoſitum altari, eò quòd id ſit *non tam factæ donationis quàm traditæ poſſeſſionis euidens argumentum*: cùm enim iure ciuili donatio non perficiatur nudo conſenſu, ſed ſola corporali traditione rei, *l. 1. & l. pen. C. Theod. de donation.* apud Dacos tamen, qui ius ciuile ignorabant, non modò verâ & naturali; ſed etiam ciuili, & fictitia traditione donatio facta Eccleſiis, & aliis locis acquirebatur ſolâ traditione glebæ & ceſpitis, id eſt gleba fundi delata in Eccleſiam, vel tradita in manū Antiſtitis vel poſita ſuper altare. Quare vetus verſio Gallica Decretal. quam refert Franciſcus Floreus *ad tit. 4. de conſuetud.* ſic legit: *Cil qui donne prend vn poi de terre en ſa main, ou el pant de ſon mantel, & met en la main du Prélat, ou ſus l'autel.* Quæ formula dicebatur ſcotatio, vt ait *eo cap.* Pontifex, qui ſapienter ait illam eſſe potiùs traditæ poſſeſſionis ſignum, quàm factæ donationis, atque idcircò inuiolabiliter obſeruari iubet. Eiuſmodi fictitiarum traditionum exempla in aliis quoque regionibus, in ipſáque etiam Gallia variis in locis frequentia erant, v.g. per traditionem chirothecæ. Sic Aimonius Floriacenſ. *l. 1. de miracul. S. Benedicti, c. 4. Acceptis eius fideles eiuſmodi præceptis, cum Vvantis ipſius auro ornatis, per quos donationem rerum memoratarum ſacris imponerent altaribus abſque dilatione venerandum adeunt Cœnobium.* Fiebat & per virgam & feſtucam, Ordericus Vitalis *lib. 5. anno 1606. Ipſe quoque Anſolam decimam, quam Herſendis ſoror eius in mariagio habuerat, & beatæ Mariæ ante obitum ſuum reddiderat per virgam*, quam in manu Ioannis Monachi & Presbyteri *tradiderat, conceſſit.* Fiebat per viridem ſcirpum, ſeu iuncum. Exemplum habes in donatione Guidonis Comitis Pictauienſis monaſterio Vindocinenſi facta: ita enim Ioannes Belius in eius Comitis vita ſcripſit: *Inclinauit ſe Comes, & accepit viridem ſcirpum. Nam domus recenter erat iuncata, ſicut ſolemus facere quando aliquem perſonæ potentis, vel dominium ſuſcipimus, vel amicum, tunc iunco ipſo non tam donum faciens quàm reſtaurationem dedit duobus fratribus, qui præſentes aderant.* Denique per librum miſſalem, per cultellum, gladium, galeam, cornu, cratere, ſtrigili, arcu, ſagitta, calcari, & aliis factas donationes tradit Ingulfus Abbas in Chronico Croylandienſi. Vide & Bignon. *in notis ad Marculp. formulas*, pro variis regionum moribus, in Dania autem, vt ait Innoc. fiebat ex recepta conſuetudine per terræ ceſpitem impoſitum altari, & ſic potiùs traditionem rei factæ, eiúſque poſſeſſionem teſtabantur, quam donationem, quam iam factam fuiſſe dicit Pontifex ſub teſtimonio videntium, & audientium pro ſolemni & vulgaro more, quo plurimi teſtes in donationibus adhibebantur, *l. 1. C. Theod. de donationibus*, quam deindè ſequebatur fictitia & imaginaria traditio per glebæ ceſpitem; quare validam & irreuocabilem donationem pronunciat Pontifex. Difficultas dumtaxat reſtat cur eiuſmodi donationem nominarent *ſcotationem*? Aliqui dicunt à ſcorica, quod eſt inſtrumentum ruſticum, quo terra effoditur. Alteſerra *in comment. ad illam Decretal. Innoc.* ducit à Saxonico *Scot*, quod vectigal, tributum, collationem, & ſymbolum ſignificat. Quare ab Anglicis ſcriptoribus paſſim pro tributo & vectigali vſurpari oſtendit, & denarium S. Petri vocari Romeſcot dicit: pia igitur iſta donatio, quæ veluti in tributum quoddam fiebat, ſcotatio non malè dicta fuit. Addo fictas etiam traditiones pluribus in cauſis ius ciuile admittere. Conſule Cuiacium *lib. 19. obſeruat. cap. 18.* Quare mirum non eſt, hanc donationis formulam ex conſuetudine Danica probatam fuiſſe ab Innocentio. Nam & olim vindicatio fiebat, delata in ius gleba, tanquam in toto fundo ex Aulo Gellio *lib. 20.* Similiter fit aditio hæreditatis arreptâ re aliquâ hæreditariâ *l. 1. C. Theod. de leg. hæred.* Vide de his plura apud Gloſſarium *legum veterum, verſ. veſtitura, feſtuca, fuſtes, & laiſus*, Spelmanum *in Gloſſario, verſ. feſtuca, & inueſtitura.*

Quarta regula. Vbi ſunt diuerſæ Eccleſiarum conſuetudines circa vnam eamdémque rem, v.g. dignitatem etiam intra eandem aliquando prouinciam, eligendæ ſunt rationabiles, reliquæ reiiciendæ. Qod ſi omnes ſunt rationabiles, ſua cuique ſeruanda erit, aut ad cathedralis, vel metropolitanæ Eccleſiæ conſuetudinem veluti ad normam recurrendum, ita tamen vt habita dignitate ciuitatum, locorum, Eccleſiarum etiam Romanæ, præferatur & ſollicitè eligatur, quod magis Deo placere videbitur. 4

Et quidem diuerſas eſſe diuerſarum Eccleſiarum conſuetudines, eáſque conſulendas, patet ex *cap. 6. de conſuetud.* vbi Innocentius III. permittit Londinenſi Epiſcopo creare ex ſuis redditibus Præcantores in ſua Eccleſia cum ea dignitate, quam habet in aliis Eccleſiis Anglicanis, & quam rationabilibus & adprobatis Eccleſiæ conſuetudinibus Eccleſiæ ſaluis poterit obtinere. Totam porrò noſtram hanc regulam tradere videtur Gregorius Magnus reſcribens ad Auguſtinum Anglorum Epiſcopum, & refertur *cap 10. diſt. 12.* vbi mandat Auguſt. ſeruare ea quæ ex conſuetudine

Romanæ

Romanæ Eccleſiæ & aliarum præcipuarum didicit: *Nouit fraternitas tua Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem, in qua ſe meminit enutritum, ſed mihi placet vt ſiue in Romana, ſiue in Gallicorum, ſiue in qualibet Eccleſia aliquod inueniſti, quod plus omnipotenti Deo poſſit placere, ſollicitè eligas, & in Anglorum Eccleſia, quæ adhuc noua eſt, inſtillatione præcipuâ, quæ de multis Eccleſiis poteris, infundas: non enim pro locis res: ſed pro rebus loca amanda ſunt. Ex ſingulis ergo quibuſque Eccleſiis, quæ pia, quæ religioſa, quæ recta ſunt, elige, & hæc quaſi in faſciculum collecta, apud Anglorum mentes in conſuetudinem depone.* Ex mente igitur Magni Gregorij conſuetudines diuerſarum Eccleſiarum, maximè inſignium, vt Romanæ, & Gallicanæ, ſequi & eligere licèt, vbi commodiores, & Deo gratiores videbuntur, & ille ipſe Gregor. *lib.* 1. *Epiſt.* 75. *ad Epiſcopos Numidiæ*, conſuetudinem, quæ contra fidem Catholicam nihil vſurpare dignoſcitur, immotam permanere concedit, ſiue in primatibus, ſiue in capitulis conſtituendis, exceptis Donatiſtis, quos ad primatum prouehi prohibet, & refertur *cap.* 8. *ead. diſt.* 12. Et ſanè Pius I. eandem conſuetudinem, quæ fidei Catholicæ non obeſt, iam probarat, decreto 7. vt refertur *cap. conſuetudinem, diſt.* 11. Denique quid tenendum ſit in diuerſis conſuetudinibus & moribus Eccleſiarum docet nos Auguſtin. *Epiſt.* 118. *ad Ianuar.* vbi cap. 1. *Ea quæ toto orbe obſeruantur, licèt ſcripta non ſint ab ipſis Apoſtolis vel plenariis Conciliis ſtatuta, vel commendata fuiſſe intelligi.* Deindè *cap.* 2. de iis quæ diuerſa diuerſis locis ſeruantur, ſic ait: *Alia verò, quæ per loca terrarum, regionéſque variantur, ſicuti quod alij ieiunant ſabbato; alij verò non, alij quotidie communicant corpori, & ſanguini Dominico: alij certis diebus accipiunt; alibi nullus dies intermittitur quo offeratur, alibi tantùm Sabbato & Dominico, alibi tantùm Dominico, & ſi quid aliud huiuſmodi animaduerti poteſt, totum hoc genus rerum liberas habet obſeruationes. Nec diſciplina vlla eſt in his melior graui prudentique Chriſtiano, quàm vt eo modo agat; quo agere viderit Eccleſiam ad quamcumq; fortè deuenerit: quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores iniungitur, indifferenter eſt habendum & pro eorum, inter quos viuitur, ſocietate ſeruandum eſt.* Subdit deinde domeſticum matris exemplum, & ſancti Ambroſij à ſe conſulti oraculum. *Credo te aliquando ex me audiſſe, ſed tamen etiam nunc commemoro. Mater mea Mediolanum me conſequuta, inuenit Eccleſiam ſabbato non ieiunantem: cœperat perturbari, & fluctuare quid ageret, cum talia non curabam, ſed propter ipſam conſului de hac re beatiſſimæ memoriæ virum Ambroſium. Reſpondit ſe nihil docere me poſſe niſi quod ipſe faceret, quia ſi melius noſſet, id potiùs obſeruaret, cúmque ego putaſſem nullâ redditâ ratione, auctoritate ſola nos voluiſſe admonere, ne ſabbato ieiunaremus*, ſubſequutus eſt, & ait: *Cùm Romam venio ieiuno ſabbato, cùm hic ſum, non ieiuno: ſic etiam tu ad quam fortè Eccleſiam veneris, eius morem ſerua, ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo, nec quemquam tibi. Hoc cùm matri renuntiaſſem, libenter amplexa eſt. Ego vero de hac ſententia etiam atque etiam cogitans ita ſemper habui tanquam eam cœleſti oraculo ſuſceperim: ſenſi enim ſæpè dolens, & gemens multas infirmorum perturbationes fieri, per quorundam fratrum contentioſam obſtinationem, & ſuperſtitioſam timiditatem, qui in rebus huiuſmodi quæ neque ſcripturæ ſanctæ auctoritate, neque vniuerſalis Eccleſiæ traditione, neque vitæ corrigendæ vtilitate ad certum poſſunt terminum peruenire, tantum quia ſubeſt qualiſcumque ratiocinatio cogitantis, aut quia in ſua patria, ſic ipſe conſueuit, aut quia ibi vidit vbi peregrinationem ſuam, quo remotiorem ab iis, eo doctiorem factum putat, tam litigioſas excitant quæſtiones, vt niſi quod ipſi faciunt, nihil rectum exiſtiment.* Quòd pluribus adſtruit Auguſtin. ſicut & *Ep.* 119. *ad eundem Ianuar.* Itaque ex eius mente, vbi conſuetudines particulares pugnant cum fide aut bonos mores reiiciendæ ſunt, aliàs probandæ & tenendæ ſunt: quæ verò ab vniuerſali Eccleſia toto orbe ſeruantur, ab Apoſtolis, aut plenariis conciliis tradita exiſtimantur, omnino debent obſeruari.

QVÆSTIO II.

De ſingularibus quibuſdam conſuetudinibus.

Conſuetudo eligendi Abbatem ex ſuo gremio, num. 1.
Habendi duas præpoſituras in eadem Eccleſia, num. 2.
Aliæ quædam, n. 3. vſque ad n. 6.
Conſuetudo priuandi omni hæreditate liberos, num. 7.
Inſtituendi ſpurios cum aliis, n. 6.
Lex irritans extingui poteſt conſuetudine, n. 8. & 9.
Non ſoluendi decimas, n. 10.

PAucas quaſdam conſuetudines enumero, in quibus apparent aliqui næui, reliquæ omnes in ſingulis materiis, circa quas vſurpantur, multò commodius examinabuntur.

Imprimis igitur conſuetudo eligendi Prælatum à 1 gremio alterius Eccleſiæ in gratiam patronorum, & matricis Eccleſiæ, quamvis iuri communi de ipſa Eccleſia ſumi debeat, valet, vt conſtat ex Innoc. III. *Epiſt.* 18. *&* 19. *lib.* 4. *regiſtri eius, & cap.* 8. *de conſuetud.* vbi etiam Pontifex ait iure communi electionem Abbatis pertinere ad Monachos cuiuſque monaſterij, non modo ſecundum regulam S. Benedicti, ſed etiam *Can. vlt.* 16. *q.* 7. *Can. Abbatem, Canon. quàm ſit neceſſarium* 18. *q.* 3. cui iuri quia multi plura obiiciebant, pleraque monaſteria vt ſe immunes ſeruarent, priuilegium tum à Sede Apoſtolica, tum ab ipſis principibus obtinuerunt, eligendi ſibi Abbatis. Sic Nicola. I. Monaſterio Corbeienſi, in pago Ambianenſi, poteſtatem fecit eligendi Abbatem de ſe ipſis, *Epiſt.* 24. Idem conceſſum inſignioribus monaſteriis in Gallia, Lerinenſi, Aganenſi, Luxonienſi, & aliis quibuſdam ex Malculph. *li.* 1. *for. formula* 1. Clotharius idem ius conceſſit B. Mauro & Monachis Cœnobij Glannofolij, vt habetur in vita S. Mauri apud Surium 14. *Ianuar.* qui etiam 9. *Febr.* in vita S. Anſberti Rothomagenſis Epiſcopi narrat in Synodo Rothomagenſi, eodem Antiſtite habita, factum priuilegium Fontanellenſi monaſterio, vt in perpetuum eligerent ſibi è ſuo ſinu ſecundùm regulam S. Benedicti, atque iuxta conceſſionem ſibi iam olim à regibus Clodouæo, Clothario, Childerico, & Theodorico, & aliis factam, quod idem quoque ſeruari à Caſſinenſibus voluit Carolus Magnus ſecundùm S. Benedicti regulam, vt narrat Leo Hoſtienſ. *in Chronico Caſſinenſi, lib.* 1. *cap.* 14. Stradenſi quoque monaſterio eandem poteſtatem fecit Carolus Caluus, quod aſſerit auctor vitæ S. Genulfi *l.* 2. *cap.* 12. Ex his omnibus orta lis eſt inter Andrenſe monaſterium in Morinenſi ſeu Taruannenſi diœceſi, & monaſterium Carrofenſe in agro Pictauienſi: nam Andrenſes ſibi è ſuo gremio Abbatem elegerant illámque electionem legitimè factam tuebantur, tum iure communi, tum ſpeciali priuilegio ab Alexandro Papâ conceſſo, & ab

 ipſo

ipſo Innocentio confirmato. Carroſenſes eam electionem irritam contendebant, vtpotè contra legem fundationis Andrenſis monaſterij, & continuam conſuetudinem: nam Epiſcopus Morinenſis, in cuius diœceſi eſt monaſterium Andrenſe, legem dixerat, ad petitionem patronorum, vt Abbatis Andrenſis electio eſſet quidem penes Andrenſes Monachos, & Capitulum Carroſenſe: quare perpetuò Andrenſes monachi in Capitulo Carroſenſi, de gremio Carroſenſis monaſterij ſibi Abbatem eligebant. Itaque Innocentius interpellatus, hanc fundationis legem rogante patrono latam & conſuetudinem eiuſmodi electionis probat, ita vt vel petente patrono vel conſuetudine effici, vt Abbas eligatur de alieno monaſterio, vel ius eligendi communicetur alterius monaſterij monachis: & quod dicitur de hac conſuetudine, illa etiam ſæpius alibi obſeruata eſt. Nam Abbas S. Syluani Alciatenſis apud Heſdinum in Arteſia oppidum, eligebatur ex monaſterio S. Bertini *cap. Abbat. de verb. ſignif.* Abbas etiam S. Leufredi de Cruce eligebatur ex monaſterio S. Audieni Rothomagenſis; quod habet ipſe Innoc. III. *lib. 2. Ep.* 78. Quod verò attinet ad litem Andrenſis monaſterij, & Carroſenſis, Innoc. electionem illam irritam pronuntiauit, non propter rationem allatam à Carroſenſibus, ſed quia illi aliundè conſtitit eam à ſuſpenſis & de ſuſpenſo factam, ac proindè nullam. Quod verò ad legem illam fundationis, & conſuetudinem electionis vſurpatam hactenùs, ita rem compoſuit; vt quia lex illa fundationis duobus modis explicari poterat, primò vt electio Andrenſis Abbatis pertineret ad Andrenſes Monachos; confirmatio verò ad Capitulum Carroſenſe, atque ita nec iure communi, neque priuilegio Pontificis Andrenſibus facto derogaret lex fundationis: potuerat enim Epiſcopus Morinenſis petente patrono concedere ius iſtud confirmandi Carroſenſi monaſterio; quod ius ad ipſum Epiſcopum omninò pertinebat, vt patet *ex cap. Paſtoralis, de donat.* Secundò poterat explicari conſuetudo iſta, ita vt iuri communi & priuilegio derogaret, vti contendebant Carroſenſes. Mandat itaque Innoc. iudicibus à ſe commiſſis; vt ſi Carroſenſes ſuam illam conſuetudinem probarent, ſecundùm illam electionem fieri decernerent; quod ſi non probarent, concederent Andrenſibus Monachis ius eligendi ſuum Abbatē, juxta ius commune. Quare vides eiuſmodi conſuetudinem, licèt iuri communi contrariam, non reiici ab Innocent. Sed tandem tota controuerſia per tranſactionem ſopita eſt, quam ipſemet Pontifex confirmauit, vt leges apud ipſummet Innoc. *l.* 14. *Epiſt.* 19. ex qua etiam diſces emendandamdam eſſe vulgarem inſcriptionem *capitis* 8. *de conſuetudine*, quod verſamus hoc loco, & legendum: Dilectis filiis Decano Satisberienſi, & Archidiacono, & Magiſtro P. Paluerer Canonico Pariſienſi. quibus huius cauſæ cognitionem mandauerat Pontifex de Andrenſis monaſterij fundatione, & à monachis Carroſenſibus eo deductis à Balduino Gluſnatium Comite, & ab Ingelramo Lilarienſi domino à peregrinatione ſancti Iacobi per Pictauiam redeuntibus, & hoſpitantibus in monaſterio Carroſenſi deductis, ex quibus Balduinus Andrenſe, Ingelranus Hamenſe monaſteria fundarunt, vide Hiperium *in Chronico Bertiniano*, Meyerum *in annalibus Belgicis ad an.* 1079. & Miræum *lib. 1. diplomat. Belgic. cap.* 23.

2 Secundò, *cap. 1. de conſuetudine, in 4.* damnatur conſuetudo vetus, & etiam iuramento confirmata, qua Canonici duas præpoſituras, duas dignitates aut perſonatus, aut adminiſtrationes, aut duo officia perpetua, aut ſimul præbendam in eadem Eccleſia ſine diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ obtinerent, eámque conſuetudinem corruptelam vocat Bonifac. VIII. redditque rationem: quia & ſacris eſt inimica Canonibus, & de ambitionis radice procedit, & cum vnum officium vix dignè valeat aliquis adimplere, quomodo tam multa ſimul præſtabit? Neque iuramentum, aut longum tempus fuit: nam iuramentum vinculum iniquitatis non exiſtit, & longum tempus non emendat iniuſtitiam, quæ in eiuſmodi conſuetudine reperitur, vt vides, & Bonifacius demonſtrat. Sed de hac controuerſia *alibi* agitanda, vide Trident. *ſeſſ. 7. de reformat. cap. 2. & 4. & ſeſſ. 24. de reformat. cap.* 17.

Pari ratione veterem conſuetudinem appellandi ab Officiali ad Epiſcopum irritat idem Bonifac. *cap. 2.* 3
tit. eod. cùm ſit idem vtriuſque auditorium.

Conſuetudo legitimè præſcripta, vt Epiſcopus in 4
puniendis & corrigendis ſubditorum exceſſibus conſilium Capituli minimè requirat, valet eodem Bonifacio probante.

Conſuetudo optandi præbendas ab antiquioribus 5
Canonicis gradatim, valet etiam contra mandatum Apoſtolicum de conferenda præbenda vacante: intelligendum enim eſt de præbenda non optata. Expectatis tamen viginti diebus, ſi præbenda non optetur, illam conferre poterit executor mandati Apoſtolici. Ita Bonifac. *cap. 4. tit. eodem.*

Conſuetudo, vt pater nullam hæreditatis partem 6
liberis relinquat, niſi grauiſſimis de cauſis etiam à iudice probatis, ferenda non eſt: quia irrationabilis ferè ſemper eſt, & bono publico inimica, atque multorum ſcelerum cauſa, & vix afferri poſſunt cauſæ, quæ eiuſmodi conſuetudinem honeſtant, niſi & liberi aliqui ditiores iam ſint, aut ſi in quibuſdam regionibus fit, nobiliorum familiarum primogeniti ad ſeruandum familiæ ſplendorem, omnia obtineant, qui deindè fratribus & ſororibus prouidere teneantur, ne egeant: illáque conſuetudo probanda omninò eſt, de qua vide Couarruuiam *in Epitome 4. Decretal. 2. par. cap. 8. §. 5. n. 1.* & Gaill. *lib. 2. obſeruation. obſeruat.* 122. *n.* 12.

Conſuetudo verò, vt liberi ſpurii vnà cum legiti- 7
mis, hæredes inſtituantur parentum, vt homicidia pœnâ duntaxat pecuniariâ puniantur, & aliæ eiuſmodi, quæ ad peccandum incitamenta eſſe poſſunt, non valent: quia ſunt irrationabiles, vt vides, & contra bonos mores; quamvis enim aliquando tolerare principes variis de cauſis poſſint ſcelera, & crimina non punire, non poſſunt tamen ad eiuſmodi non punitionem, & tolerantiam lege latâ obligari: eſſet enim iniuſta illa lex: igitur neque conſuetudine, quæ vti hactenùs eiicimus, vim legis obtinet, induci.

Conſuetudo contra leges Eccleſiaſticas, pœnas 8
& cenſuras etiam latæ ſententiæ infligentes abrogat, ſi rationabilis & legitimè præſcripta ſit, abrogare eas poteſt, vel ſimpliciter, vel ſecundùm quid, & quoad pœnam, ſiue quatenùs pœnalis eſt, ita vt remaneat obligatio ſeruandi legem, alioquin peccent. Ita Abbas *in cap. 1. de treuga & pace.* Gloſſa *in cap. denique, diſt.* 4. Nauarr. *comment. 3. de regularib. n.* 52. Suar. *l. 7. de legib. c. 19. n. 1.* qui ſapienter notat, poſſe aliquando contrarium contingere vt extinguatur ob culpam, fiátque lex omninò, & purè pœnalis, atque ita contingere exiſtimat in pluribus legibus ciuilibus, quæ licèt initio fuerint directiuæ & mixtæ, ipſo deindè vſu factæ ſunt merè pœnales, & naturam mutarunt, quia non aliter ſunt obſeruatæ. Excipit tamen Layman *l. 1. tract. 4. cap. 24. n.* 12. quando ſunt eiuſmodi pœnæ, quæ ex naturâ ſuâ ſupponunt culpam, ſine quâ iniuſtè & inutiliter infliguntur, cuiuſmodi ſunt cenſuræ Eccleſiaſticæ, quas etiam citra culpam ſæpè ſeruare tenemur in foro externo, aut etiam condonata culpa

per

per contritionem, aut etiam confeſſionem, ſi cenſura neque culpa non erat reſeruata.

9 Lex quæ formam certam aut ſolemnitatem quibuſdam actibus præſcribit, aut perſonas ad quidpiam faciendum incapaces reddit, conſuetudine abrogari poteſt. Ita Gloſſa *in c. fruſtra, diſt. 8. verſ. conſuetudinem,* Suar. *lib. 1. de legib. cap. 19. n. 14* Salas *de legibus, diſp. 19. ſect. 10.* Sanch. *lib. 7. de matrim. diſp. 4. quæſt. 2.* Konink. *tom. 2. de Sacramentis, diſp. 30. dub. 1. concl. 6.*

10 Inueterata conſuetudo poteſt tum communitatem aliquam, tum ſingulares perſonas à debito ſoluendi decimas eximere, modò aliundè miniſtris Eccleſiæ ſufficiens ſit ſuſtentatio. Quia licèt iure diuino debeatur miniſtris Eccleſiaſticis congrua & ſufficiens ſuſtentatio; decimarum tamen ſolutio eſt ſolùm ex iure Eccleſiaſtico, quod eam ſuſtentationem in decimarum ſolutione conſtituit, quam in aliis rebus conſtituere poterat, vti contingit in Eccleſia Græca, & nos *tom. 4. operis* dicemus. Aduerſùs ergo hoc ius, quod merè poſitiuum eſt, poterit præualere conſuetudo, ſicut & in aliis Ita cenſet Couarr. *lib. 1. var. c. 17. n. 8.* Leſſi. *lib. 2. cap. 39. dub. 5. n. 29.* Gutierr. *l. 2. qq. Canonic. cap. 20. n. 64.* Suar. *lib. de decim. c. 12. n. 7.* Fagund. *de quinto Eccleſ. præcepto, lib. 3. cap. 1.* Ferdinand. à Caſtro *2. part. diſp. vnic. de decim.* fuſiſſimè; quod loco citato pluribus confirmabimus.

QVÆSTIO III.

De conſuetudine circa Sacramenta.

1 Difficultas oritur ex communiſſima, eáque veriſſima ſententia, Eccleſiam nihil ſtatuere poſſe circa eſſentiam & ſubſtantiam Sacramentorum, quæ à Chriſto inſtituta ſunt per poteſtatem excellentiæ. Itaque Eccleſia nihil omninò poteſt circa materiam & formam Sacramentorum, neque illas conſtituere, neque mutare. Indè verò neceſſariò ſequitur conſuetudinem nihil circa eadem Sacramenta, & ipſorum eſſentias virium obtinere, cùm illa non poſſit præiudicare iuri diuino, ſed humano dumtaxat, ſiue politico, ſiue Canonico & Eccleſiaſtico; quare neque poſſe dari diuerſarum Eccleſiarum conſuetudines hac in re, quæ legitimæ ſint & rationabiles ſiue legitimè præſcriptæ; immò neque vllâ ratione ferri poſſunt: & permittendæ tales conſuetudines, ſed omninò impediendæ, & abrogandæ ſunt. Nihilominùs videtur Eccleſia ſibi quamplurima circa eiuſmodi materias aut formas tribuere, cùm eas vſurpet quas conſtat à Chriſto non fuiſſe inſtitutas: nam Apoſtoli baptizarunt in nomine Chriſti, non explicatis in formâ trium perſonarum nominibus, vti Chriſtus eas explicauit in forma baptiſmi. Græci quoque aliam à Latinis formam baptiſmi vſurpant, deindè circa ablutionem, quæ eſſentialis eſt Baptiſmo, variatum fuit: nam tum per aſperſionem, tum per immerſionem ſiue vnam, ſiue trinam confertur. Sacramentum Confirmationis per ſolam impoſitionem manuum conferebatur ab Apoſtolis, abſque vlla vnctione. Euchariſtiam conſecrant Græci in fermentato, etiam in Eccleſia Latina, & Ordinem factum per ſolam χειροτονίαν, abſque vnctione, & tamen à Latinis tanquam verè & ritè ordinati cenſentur. Matrimonij conſenſus liber fuerat hactenùs idonea materia matrimonij: poſt Tridentinum verò conſenſus clandeſtinus quamvis liber non eſt ampliùs materia, & matrimonium ex illo contractum nullum eſt, plurimáque alia percurrenti apparebit, mutationem aliquam in materia & forma Sacramentorum factam eſſe ab Eccleſiâ. Quod ſi demus, dicendum quoque erit conſuetudinem idem poſſe: nam de eo omni poterit eſſe rationabilis; & legitimè præſcripta conſuetudo, de quo potuit ferri lex merè poſitiua. Quidquid igitur potuerit conſtituere Eccleſia lege merè poſitiua, & non diuina, circa Sacramenta poterit etiam conſuetudine conſtitui; vt conſtat ex hactenus *q. 1. & 2. hoc cap.* aſſertis.

2 Dicendum nihilominùs eſt cum communiſſima ſententia, Eccleſiam nihil circa Sacramentorum eſſentiam conſtituere & præſcribere poſſe, ſola ſua auctoritate, & quod indè neceſſariò conſequitur, nihil etiam conſuetudine, quamvis inueteratâ circa eadem Sacramanta induci: quia rationabilis non eſſet; præiudicaret enim iuri diuino, & non humano dumtaxat. Quæ verò in ratione dubitandi afferuntur, non probant quod contendunt aduerſarij, ſed implicant plurimas difficultates, quarum ſolutio pendet ex iis, quæ fusè à nobis aliàs *3. p. S. Thom.* explicata ſunt, & iterùm *alio tractat. huius operis* diſcutientur in ſingulis Sacramentis, conſtabitque Eccleſiam nullum ſibi ius ſumere in Sacramentorum eſſentias, ſed in alia quædam illis extrinſeca, & quæ ad eorum ornatum vel decentem adminiſtrationem ſpectant, vndè circa eiuſmodi reperiuntur aliquando diuerſarum Eccleſiarum conſuetudines, quæ vbi non improbantur ab Eccleſia vniuerſali, aut cum ea non pugnant, ſeruandæ ſunt. An verò quis in aliena Eccleſia ſeruare poſſit conſuetudinem ſuæ, contrariam illi, in qua tunc verſatur, iam diximus ex Auguſtino & Ambroſ. vbi enim illa non obſeruatio conſuetudinum Eccleſiæ, in qua quis eſt, ſcandali, & offenſionis occaſionem non dabit, non illa Eccleſiæ conſuetudo omninò tenenda erit: ſecluſo verò ſcandalo, liberum erit quem voluerit morem ſequi.

QVÆSTIO IV.

Quid poſſit conſuetudo circa Sacramentalia.

Quid ſit Sacramentale, n. 1.

An in Sacramentalibus valeat conſuetudo, n. 2. 3. 4. & 5.

1 Sacramentale latiùs alij, quidam preſſiùs vſurpant, in qua diſputatione noſtrum non eſt hoc loco immorari *tom. ſequenti operis*, vbi de Sacramentis fuſiſſimè diſputabimus, vocis huius ſignificationem accuratiùs excutiemus; adi interim Thomam Vvaldenſem *tom. 3.* Suar. *tom. 3. in 3. part. diſp. 15.* quæ tota eſt de Sacramentalibus, & alios, quorum aliqui exiſtimant eſſe quaſcumque obſeruationes additas Sacramentorum & ſacrificij ſubſtantiæ: alij preſſiùs cerimonias ab Eccleſia inſtitutas vt Sacramenta, & ſacrificium decenter, & religiosè miniſtrentur: alij volunt eiuſmodi cerimonias etiam ad aliquod bonum ſpirituale hominis inſtitutas eſſe, non quòd conferant gratiam ſanctificantem; ſic enim Sacramenta eſſent, ſed alium quempiam ſpiritualem effectum, ab vſurpantis ſanctitate: ſic aqua luſtralis, & ſignum crucis etiam in iniuſtis & aliquando in infidelibus operantur. Quærimus itaque an conſuetudo in eiuſmodi Sacramentalibus quidpiam poſſit?

2 Et quidem ſi agamus de Sacramentalibus in hac poſtrema ſignificatio[ne], cùm ſolus Chriſtus, vel Eccleſia poſſit dare virtutem illam moralem intrinſecam operandi

operandi ad bonum hominis, vt videmus in aqua benedicta, non magis illa inſtituere poterit conſuetudo, quam ipſamet Sacramenta, niſi Eccleſia conſuetudinem illam ita probet, vt velit eam vſurpari tanquam Sacramentale efficax ad eiuſmodi effectum, cùm tota illa virtus in re Sacramentali ſupponat poteſtatem deriuatam à Chriſto in Eccleſiam, & Eccleſia eam neque contulerit, neque vnquam agnouerit in populi moribus. Vndè etiam fit, vt circa Sacramentalia non ſit vlla diuerſitas, neque diuerſæ diuerſarum Eccleſiarum conſuetudines, ſed vbique ſint eadem Sacramentalia, v.g. aqua luſtralis, & benedicta in tota Eccleſia vſurpatur, habetque vbique eiuſmodi effectus, quamvis non negarim diuerſos ritus & cerimonias circa eiuſmodi Sacramentalia reperiri poſſe in diuerſis Eccleſiis, ſicut etiam reperiuntur circa ipſa Sacramenta.

3 Si igitur vſurpemus ſacramentalia pro ritibus, & cerimoniis, quæ in Sacramentorum & ſacrificij adminiſtratione obſeruantur, dicendum eſt, conſuetudinem circa talia Sacramentalia valere, & contra ius commune introduci poſſe, modò tanquam iniqua & irrationabilia non reiiciantur à lege Eccleſiaſtica. Ita Nauarr. *in Enchi. cap. 22. n.* 83. Couarruuias *in 4. Decretal. part. 2. cap* 6. §. 10. *n.* 18. Suar. *lib. 7. de legib. c.* 19. *n.* 26. Sanchez *lib. 7. de matrim. diſp.* 82. *n.* 20. Layman. *cap. nuper citato n.* 12. Salas *diſp.* 19. *de legib. ſect.* 5. *n.* 58. Ferdin. à Caſtro *punct.* 4. *ſuprà cit.* §. 2. *n.* 11. & probatur irrefragabiliter, inquit Nauarr. *ex cap. de trina merſione, de conſecratione, diſtinc.* 4. ibi enim Gregorius ſcribens Leandro Hiſpaniarum Epiſcopo *lib. 1. regiſt. Epiſt.* 41. ait ſeruandam eſſe trinam aut vnam tantùm merſionem in Baptiſmo pro variis locorum conſuetudinibus; deindè variam eſſe ordinandi rationem apud Græcos, & Latinos, non niſi tamen accidentaliter diuerſam, & vtramque tamen pro ritu diuerſæ gentis licitè vſurpari latè diſputat Ioann. Delugo *diſp.* 12. *de Sacram. n.* 85. *& ſequentibus.* Præterea antiqua conſuetudo ordinandi extra quatuor tempora, in dedicationibus altarium & Eccleſiarum, quæ in quibuſdam Scotiæ & Vvalliæ partibus, vigebat, ita reiicitur *cap. 2. de temporib. ordinand.* Ab Alexandro III. tanquam inimica legi Eccleſiaſticæ, vt tamen addat hanc exceptionem, *niſi multitudo, & antiqua conſuetudo terræ eſſet, taliter ordinati non deberent permitti in ſuſceptis ordinibus miniſtrare.* vbi etiam Gloſſa notat antiquam conſuetudinem excuſare ab iis, quæ fiunt contra ius poſitiuum. Quare ex hoc loco malè omninò deduxit Hoſtienſ. non valere conſuetudines circa Sacramentalia, niſi confirmentur à Pontifice, cùm omninò contrarium ex verbis Alexandri Pontificis eruatur. Quis neſcit, ritum Orientalium conſecrandi in fermentato licitum eſſe, quamvis ſolâ conſuetudine inductum? Morem præterea benedicendi ſecundas nuptias legitimum eſſe, & alicubi vigere probat Nauarr. *loco citat.* ſimilia plura dabit Layman adductus.

4 Ratio manifeſtiſſima eſt: cùm enim Eccleſia ſacramentalia iſta & mutare, & inſtituere poſſit pro diuerſitate temporum, vt in matrimonio, Euchariſtiâ, Ordine factum eſſe videmus, quidni idem facere poſſit antiqua & rationabilis conſuetudo, & cur Eccleſia quod ſua lege inſtituere potuerat, factis ipſis non conſtituet?

5 Hanc verò conſuetudinem indigere ſpeciali approbatione, & confirmatione Pontificis non benè docent aduerſarij ex Clemente V. qui *in Clementina vltima de ætate, & qualit. ordinandor.* confirmat conſuetudinem de ætate ordinandorum, quæ contra antiqua iura & Canones fuerat introducta. Nam indè non ſequitur, eam conſuetudinem fuiſſe priùs nullam ante eam confirmationem: Clemens enim eam ratam & firmam eſſe voluit, quia generalis iam erat, & vt omnis dubij occaſio tolleretur. Et cùm in re adeò graui deceret Eccleſiam vniformem eſſe, maluit ſua conſtitutione iam inueteratam conſuetudinem retineri, quàm antiqua iura & Canones illi conſuetudini contrarios ſequi, & in vſum denuò reuocare, damnatâ inductâ conſuetudine. Vndè etiam colliges, antiquam conſuetudinem vſu & moribus receptam, potiùs vſurpandam & retinendam eſſe, quàm antiquos Canones, etiam à Conciliis ſancitos, & aliquandiu obſeruatos, reuocandos eſſe, iudice Pontifice Clemente, quem male ſibi fauere exiſtimabant aduerſarij.

QVÆSTIO V.

Quid poſſit conſuetudo circa Matrimonij impedimenta.

Conſuetudo poteſt tollere vetera impedimenta, n. 1.
Ratio, n. 2. & 3.
Obiecta diluuntur, n. 4. & 5.
Poteſt inducere noua, n. 6.
Ita factum oſtenditur, n. 7.
Obiecta diluta, n. 8. 9. & 10.
Poteſt ſtatuere nouos ritus, & ſolemnitates, n. 11.

CVm conſtet ex proximè diſputatis, conſuetudinem efficacem eſſe circa ſacramentalia, quod ampliùs explicabitur cùm agetur de ſingulis, viſum tamen eſt non differre vlteriùs quotidianam quæſtionem de eiuſdem conſuetudinis circa impedimenta matrimonij conſtituenda aut tollenda efficacitate, & diſſidia DD. hac in parte diligentiùs attendere.

Aio igitur imprimis, conſuetudinem rationabilem & legitimè præſcriptam (de ea enim dumtaxat agimus) poſſe tollere antiqua impedimenta matrimonij dirimentia, atque ita poſſe reddere habiles contrahendo matrimonio, quos ius Canonicum, & leges Eccleſiaſticæ quondam inhabiles eſſe voluerunt. Ita Sanch. *lib. 7. de matrim. diſp. 4. n.* 14. Suar. *lib. 7. de legib. cap.* 19. *n.* 14. Ferdinand. à Caſtropalao *tract. 3. diſp. 3. punct.* 4. §. 2. *n.* 5. Salas *diſp.* 19. *de legib. num.* 78. Baſil. Ponc. *lib. 6. de matrim. cap. 4. n.* 6. Bonac. *diſp. 1. de legib. q. 1. punc. vlt.* §. 3. *n.* 5. Henriques *l. 12. cap. 1. num. 5. littera A.* qui tamen diſplicet in eo quòd videatur exiſtimare, id quidem potuiſſe quondam conſuetudinem, ſed modò non poſſe: quamquam enim id ſufficeret ad oſtendendam vim conſuetudinis hac in parte, debebat tamen aliquid afferri propter quod id modò non poſſit conſuetudo, quod olim poterat. Nam licèt aliqua conſuetudo, quæ aliàs probata fuerat & viguerat, fuerit fortaſſis deinceps irritata, aut prohibita, indè tamen non efficitur conſuetudinem non poſſe hodie abrogare legem ſtatuentem impedimenta iſta irritantia matrimonium, ſi olim id potuit. Hanc noſtram etiam ſententiam ſequuntur paſſim recentiores, & fauet Gloſſa *in cap. fruſtrà, diſtinct. 8. verſ. conſuetudinem.* dum ait, conſuetudinem præiudicare iuri poſitiuo, & perſonam, quæ aliàs erat ineligibilis, fieri conſuetudine eligibilem. 1

Ratio concluſionis aperta eſt: nam primò cùm lex 2

lex irritans hoc matrimonium potuerit per aliam legem contrariam abrogari, & conſuetudo rationabilis & legitimè præſcripta vim legis obtineat, poterit quoque & ipſa id operari, quod operaretur lex, ſi lata fuiſſet. Nihil porrò eſt quod conſuetudinem pugnantem contra legem irritantem, reddat irrationabilem: nam cùm variis de cauſis poſſit imperari contrarium eius quod ſtatuit lex irritans, ſi conſuetudo inducatur de eodem, de quo poterat eſſe lex, erit profectò rationabilis, vt dixi *cap. 2. q. 2.* quidni enim poſſit ceſſare ratio, vel cauſa, propter quam indicens cenſebatur matrimonium contractum cum tali conditione, & impedimento nullum, v. g. in 5. aut 6. gradu conſanguinitatis? ac proindè illi gradus ſtatuebantur impedimenta dirimentia matrimonium, quæ deindè ſublata ſunt per contrariam legem, & poterant æquè rationabiliter per conſuetudinem abrogari.

3 Secundò parentum & eorum, qui ſuper fœminam dominationem habebant, conſenſum fuiſſe quondam eſſentialiter requiſitum ex Euariſti decreto conſtat. Illud tamen impedimentum ſolâ deindè conſuetudine, & nulla Pontificiâ lege ſublatum fuiſſe quondam cum Eſpeucæo docuimus in noſtra conſultatione de regia poteſtate in matrimonij contractum *cap. 5. in reſponſione ad tertiam obiectionem.*

4 Nihil afferunt aduerſarij, quos benè multos enumerat Sanch. *l. c.* quod nobis difficultatem facere poſſit.

Obiiciunt itaque primò vulgare Iuriſtarum axioma, conſuetudine non tolli incapacitatem perſonæ, fieri autem incapacem perſonam ad contrahendum matrimonium per impedimentum dirimens; nemo vnus negat: ergo tale impedimentum conſuetudine tolli non poterit, ſicut neque perſonæ incapacitas.

Reſpondeo, illud axioma intelligendum eſſe de conſuetudine particulari & priuata per modum præſcriptionis, per quam ſingularis aliqua & priuata perſona præſcribit ſibi habilitatem, & capacitatem contra legem vniuerſalem, quæ cæteros adhuc obligare pergit, aduersùs quam ſingularis ille qui excipit ſuam præſcriptionem & conſuetudinem contrariam, atque ita non tollitur excommunicatio ſine abſolutione per ſolum aliquem vſum contrarium, aut conſuetudinem, neque illegitimus poteſt præſcribere capacitatem ad Ordines manente Eccleſiaſtica lege contraria; poſſet tamen ea lex vel refigi contraria lege, vel generali conſuetudine antiquari.

5 Obiiciunt 2. cap. *quod ſuper his, de conſanguinitat.* vbi Innocent. III. conſuetudinem contrahendi matrimonium intra gradus prohibitos nominat corruptelam. Ergò illa non potuit abrogare legem Eccleſiaſticam irritantem matrimonia contracta in illis gradibus. Vnde Gloſſa *ibidem* ait conſuetudinem quamlibet longam non poſſe perſonas illegitimas ad contrahendum, reddere legitimas.

Reſpondeo, conſuetudinem, de qua loquitur eo loco Pontifex, nondum fuiſſe legitimè præſcriptam, atque ita nominatam eſſe corruptelam: verùm vbi ea præſcripta fuiſſet, eáque facta foret rerum mutatio, vt rationabilis cenſeretur, non eſſet ampliùs corruptela dicenda. Iam enim *ſuperiùs* oſtendi, poſſe induci conſuetudinem contra legem reprobantem, imò & damnantem illam tanquam irrationabilem, vbi ceſſabit eſſe ea irrationabilitas, vti reuera contingere poteſt propter varias rerum, & circumſtantiarum mutationes: hæc verò conſuetudo quam damnat Innocent. reuera erat corruptela. Cùm enim ipſe in Concilio Lateran. conſtitutionem Alexandri III. *cap. ad ſedem 35. q. 5.* & Iulij *cap. nullam 35. q. 3.* aliorúmque veterum Pontificum prohibentium & irritantium matrimonium intra ſeptimum gradum conſanguinitatis reuocaſſet, & ad quartum gradum incluſiuè reſtrinxiſſet, *cap. non debet, de conſanguinitate,* non poterat conſuetudo contrahendi coniugia intra quartum gradum eſſe adhuc legitimè præſcripta, habebátque ſibi contrariam legem adhuc in viridi obſeruantiâ, ac proindè erat vera corruptela. Quod autem dixit Innocent. *illo cap. non debet: Si quis contra prohibitionem eiuſmodi præſumpſerit copulari, nullâ longinquitate defendatur annorum, cùm diuturnitas temporum non minuat peccatum, ſed augeat, tantóque ſunt grauiora crimina, quantò diutiùs infelicem animam detinent alligatam.* Hæc (inquam) Pontificis verba non fauent aduerſariis; neque oſtendunt, conſuetudinem non poſſe derogare legi ſtatuenti impedimenta matrimonij: quia non loquitur Innoc. de conſuetudine, ſed de facto & crimine alicuius ſingularis perſonæ, quæ legem Eccleſiaſticam nullâ conſuetudine contrariâ abolitam, violat. Ille enim peccat, neque ſuo crimini poteſt obtendere longinquitatem annorum, quaſi matrimonium cum impedimento irritanti contractum, ac proindè nullum, poſſit fieri validum lapſu temporis, & impedimentum irritans tolli ſola diuturnitate annorum, nullâ aliâ factâ rerum mutatione: nam etiamſi noua lege tolleretur antiquum impedimentum; matrimonium tamen ante eam legem contractum cum tali impedimento, non validaretur, vt docet *ibid.* Gloſſa *in cap. non debet, citatum. verſ. de cætero,* eſſétque denuò contrahendum. Sed de ea difficultate, *alibi.*

Aio ſecundò, conſuetudinem poſſe inducere noua 6
impedimenta irritantia matrimonium, atque facere, inhabiles ad illud contrahendum, quos ius habiles faciebat, aut ſupponebat.

Conſentiunt in hanc aſſertionem etiam plerique ex illis, qui priori repugnabant: quoniam (inquiunt) conſuetudo dum perſonas habiles ad matrimonium reddit inhabiles, non aduerſatur bonis moribus, aut rationi: dum verò inhabiles reddit habiles, irrationabilis eſt, quia improbatur à iure, quod vltimum falſum eſſe, iam oſtendimus. Quod ad priorem igitur caſum & conſuetudinem inhabilitandi ad matrimonium, quos ius habiles exiſtimabat, vix vllus diſſentit, quamvis in aſſignanda conſuetudine ſint longa diſſidia, vti videbis apud Sanch. *diſp. 4. citata, num. 8. & ſequentibus.*

Probatur primò quia *cap. ſuper eo, de cognatione ſpirituali* Alexand. III. iubet vt ſi conſuetudo Eccleſiæ Vigilienſis ferat, vt matrimonia inter cognatos ſpiritualiter contrahantur, diſſimulet ille Epiſcopus, ne damnare videatur conſuetudinem antiquam Eccleſiarum circumadiacentium: atqui ſi conſuetudo non faciebat illa matrimonia licita & legitima, non debuit diſſimulare ille Epiſcopus, ſed illa tanquam illicita damnare, neque Pontifex, à quo petebatur an ea matrimonia vera eſſent, & permittenda, rectè reſpondiſſet diſſimulandum eſſe propter antiquam conſuetudinem, cùm ea diſſimulatio in re tanti momenti, & circa validitatem Sacramenti perniciosa ſit, & dum quæritur à Sede Apoſtolica, an validum ſit aliquod Sacramentum, alia omninò reſponſio expectetur quàm eſſe diſſimulandum: hoc enim non eſt doctrinaliter reſpondere.

Secundò. Conſuetudo poteſt inducere nouas leges Eccleſiaſticas, etiam in Sacramentalibus, vt *q. ſuperiori* demonſtrauimus, cur igitur idem non poterit circa matrimonium, cùm nullum prorsùs diſcrimen afferri poſſit?

Tertiò, Conſtat noua quædam matrimonij impedi- 7
menta ſolâ conſuetudine inducta fuiſſe. Ita enim de impedimento diſparis cultus docet Bellarm. *leg. de*

matrim.

matrim. cap. 23. propoſit. 3. Rebell. 2. part. de obligation. iuſtit. l. 3. q. 9. Valent. tom. 4. diſp. 10. q. 3. punct. 3. Bonac. de matrim. quæſt. 3. punct. 7. n. 2. Sanch. l. 7. de matrim. diſp. 71. n. 8. vbi apertè fatetur, nullum reperiri textum quo irritatio matrimonij fidelis cum infideli conſtituatur, atque adeò eam non haberi ex lege aliquâ Eccleſiaſtica ſcripta, ſed ex receptiſſima Eccleſiæ conſuetudine, vim legis obtinente. Petrus Soto *lect. 9. de matrim.* ait Patrum auctoritatem, & conſenſum Eccleſiæ pro lege eſſe hac in parte: oſtendit autem quænam fuerit Auguſtini mens, quem Magiſter *in 4. diſt. 39.* allegarat, vt probaret iure diuino irritum eſſe tale matrimonium fidelis cum infideli. Henriq. *l. 12. c. 13. n. 3. litter. G.* dicit prohibitionem factam in Nicæno, & aliis Conciliis ita iam explicari à recepta conſuetudine, vt habeat vim decreti irritantis: Veracruz *1. part. ſpeciali coniugalis, art. 32. dubitat. 1. concluſ. 7.* idcirco dixit inter Indos noui orbis valere ex probabili ſententia martimonium fidelis cum infideli; quia inibi nondum eſt recepta contraria conſuetudo, & eius cauſa, nempè metus peruerſionis ceſſat. Rectiùs tamen deindè, vt obſeruauit quoque Sanch. docuit idem Auctor, etiam in Indiis vigere hanc legem Eccleſiaſticam, quam in toto noſtro orbe conſuetudo firmauit, & quam vnà cùm aliis legibus promulgari in orbe nouo oportuit. Konink. *diſp. 31. de matrim. dub. 3.* ſola conſuetudine non vllo expreſſo iure inductum hoc impedimentum docet, ſicut & Hurtad. *diſp. 24. de matrim. difficul. 2.* Reginald. *lib. 31. n. 167.* Filliuc. *tract. 10. part. 2. n. 226.* quorum omnium hæc ratio eſt: quia quidquid in iure reperitur circa hæc matrimonia, continet ſolam prohibitionem, præterquàm quod pleraque deſumpta ſunt aut ex Patrum variis dictis, aut ex Conciliis Prouincialibus, quæ non faciunt legem Eccleſiaſticam vniuerſalem, aut ſolum loquuntur de coniugiis cum Iudæis & non cum aliis infidelibus aut æquè agunt de coniugiis cum hæreticis, quæ tamen conſtat eſſe valida, quamuis illicita.

8 Obiicit Baſilius Ponc. qui *lib. 7. de matrim. cap. 47. n. 5.* eſt in contraria, Nicænam Synodum irritare hæc coniugia. Nam *can. 67.* iubetur mulier fidelis, quæ infideli nupſerit, illum dimittere, & pœnam impoſitam Apoſtatæ ad fidem reuertenti ſubire: & *can. 68.* pater, qui fidelem filiam infideli viro collocarat, iubetur tale coniugium dirimere. Quibus locis non agunt PP. de ſola ſeparatione thori, ſed de diſſolutione vinculi coniugalis: nunquam enim decreta, quæ agunt de ſeparatione viri & vxoris explicanda ſunt de ſola ſeparatione thori, niſi vbi aliundè conſtabit de valore matrimonij: quod non contingit hoc loco.

Deindè cùm Theodoſius, & Arcadius matrimonium Iudæi cum Chriſtiana tanquam adulterium puniri iubeant, *l. 5. Cod. Theod. ad legem Iuliam, de adulteriis,* tale matrimonium omninò inualidum habebant ex veteri profectò inſtituto, & Synodo Nicæna. Canon etiam 72. Synodi Trullanæ coniugium cum hæreticis nullum eſſe euidenter aſſerit, neque ibi ius nouum condit. Quod ſi illius ſæculi mores habebant ex veteribus Synodis irritas nuptias orthodoxi cum hæretica, multò potiori iure connubium fidelis cum infideli nullum eſſe exiſtimarunt. Deindè Toletanum IV. *cap. 63.* iubet Epiſcopis vt ſeparent coniugia Iudæorum cum Chriſtianis, niſi ipſi Iudæi Chriſtiani fiant, eſtque eadem ratio Iudæorum, & cæterorum infidelium. Neque obiici poteſt Monicam Auguſtini matrem infideli nupſiſſe. Reſpondet enim Baſil. Ponc. Canones iſtos nòdum id temporis innotuiſſe Africanis, vt conſtat ex Concilio Carthaginenſi, cui interfuit Auguſtinus: poſtulant enim PP. à Bonifacio Pontifice Romano ſinceros Canones Nicænos, cùm ſolùm haberent vnum & viginti. Idem dicendum erit Baſilio de Clotildis, & Clodouæi celeberrimis nuptiis, aliiſque ſimilibus, quas poſterioribus ſæculis inter fideles, & infideles coaluiſſe proditum eſt.

Reſpondeo. Si concedamus Baſilio id omne quod vrget in obiectione, indè colligi validum argumentum ad confirmandam priorem noſtram aſſertionem, nimirùm antiqua impedimenta matrimonij conſuetudine contraria tolli poſſe; quandoquidem impedimentum diſparis cultûs, quod magna Synodus Nicæna ſtatuerat, & cuius tanta omnibus retrò ſæculis fuit auctoritas, conſuetudo particularis Eccleſiæ ſuſtulerat, vt conſtat ex vſu Africanæ Eccleſiæ: in ea enim contrahebantur validè eiuſmodi coniugia fidelium cum infidelibus, vt de Monica dicebamus, & ipſe Auguſtin. *leg. de fide, & operibus, capite decimonono*, ait ea nequidem inter peccata numerari, 9

quæ tamen numerauerat Cyprian. inter ea quibus puniendis ſæuiſſima in Eccleſiam perſecutio excitata fuerat. Quoniam, inquit Cyprian. *lib. de lapſis*, cùm deploranda & arguenda multa commemoraret, quibus meritò dicit indignationem Dei fuiſſe commotam, vt intolerabili perſecutione Eccleſiam ſuam fineret flagellari. 10

Hæc ibi omninò non nominat, cùm etiam illud non taceat & ad eoſdem malos mores pertinere confirmet, iungere cum infidelibus vincula matrimonij, nihil aliud eſſe aſſerens, *quàm proſtituere gentibus mëbra Chriſti, quæ noſtris temporibus iam non putantur eſſe peccata: quoniam reuera in nouo Teſtamento nihil indè præceptum eſt; & ideò aut licere creditum eſt, aut velut dubium relictum.* Et ne dicas in Africana Eccleſia propter ignorantiam Nicænorum Canonum viguiſſe hanc morem eiſdem Nicænis Canonibus contrarium, ac proindè non fuiſſe illis Canonibus derogatum, qui nunquam innotuerunt. Nam præterquàm quod indè non malè colligitur, quàm dubia ſit fides illorum Canonum, qui tam nobili Eccleſiæ numquam innotuerint, quis dicat tempore Cypriani & proximè conſequenti ætate, matrimonia damnata in Africa, poſterioribus deindè ſæculis, tanquam licita recepta fuiſſe, teſte Auguſtino, niſi ſimul fateatur conſuetudinem probare poſſe, quæ anteà damnabantur? Deindè non modò in Africa, ſed & in Oriente, & Occidente vſurpabantur hæc matrimonia. Neque dices has Prouincias latuiſſe Canones Nicænos, ſed potiùs contrario vſu ex hominum memoriâ penitùs eraſos fuiſſe. Audi enim Hieronym. *l. 1. contra Iouinian.* expoſtulantem, quod paſſim Chriſtianæ mulieres nuberent infidelibus, & licèt eas nuptias multis damnet tanquam prohibitas à Paulo, non tamen eas irritas eſſe dixit, ſicut neque ipſe Paulus ex communi Theologorum & interpretum omnium ſenſu. Non adducit Hieronymus Nicænam legem, vti omninò feciſſet, ſi aliqua extaret eiuſmodi, quæ ipſum latere non poterat, niſi & totum Orientem lateret, aut ſi contrario vſu iam abolita non fuiſſet. *Vis apertiùs,* inquit, *diſcere quòd Chriſtianæ omninò non liceat Ethnico nubere, audi eundem Apoſtolum: Mulier, (inquit) alligata eſt legi quanto tempore vir eius viuit. Quod ſi dormierit vir eius, liberata eſt; cui vult nubat tantùm in Domino, id eſt Chriſtiano.* Quam expoſitionem certè non admittit Auguſtinus, quandò loco *ſuperiùs* citato dicit, nihil de his coniugiis in nouo Teſtamento præceptum fuiſſe; quod ſaltem de præcepto irritante exponendum eſt. Præterea cùm Ambroſius *Epiſt. 70. & lib. de Abrâham. cap. 9.* aliique eiuſdem, & poſterioris æui ſcriptores hæc coniugia fidelium cum infidelibus pluribus inſectentur, nunquam Nicænæ Synodi auctoritate,

ritate, quæ grauiſſima tamen erat, vſi ſunt: quod apertè oſtendit, illam legem Eccleſiaſticam vel nunquam extitiſſe, vel conſuetudine contrariâ antiquatam fuiſſe, cùm neque in Oriente, neque in Occidente ad damnanda hæc coniugia ab eruditiſſimis ſanctiſſimiſque Patribus, & in Eccleſiaſticâ diſciplinâ verſatiſſimis afferatur, qui etiam æquè damnant connubia cum hæreticis, vt vides in Ambroſ. *lib. 1. de Abrah. cap. 9.* ex quo Gratian. deſumpſit *cap. Caue* 28. *q. 1.* ſed non ſatis fideliter, vti obſeruauit Couarruuias *in 4. Decretal. 2. par. cap. 6. §. 11. n. 1.* Conſtat tamen coniugia cum hæreticis non eſſe irrita, licèt damnata & prohibita fuerint. Ex quibus omnibus tandem efficitur quod initio contendebamus, nempè ſi Canon Nicænus ſtatuerit diſparitatem cultûs pro impedimento dirimente, illud deindè ipſo vſu & moribus contrariis ſublatum fuiſſe.

10 Reſpondeo ſecundò, haberi quidem inter Canones Nicænos ſuperiori ſæculo ex Arabico idiomate in Latinum verſos eum, quem allegat Poncius; ſed quidquid cenſeas de fide illorum, de qua diſputat Franciſc. Turrian. *præfat. in ipſos*, & quæ ex tot ſæculorum altiſſimo ſilentio dubia admodum redditur, dici tamen non poteſt hoc impedimentum irritans, de quo agimus, inductum fuiſſe in Eccleſiam per Nicænam Synodum: cùm enim hi Canones ita in Arabia latuerint, vt illos Eccleſia Romana penitùs ignoraret, non irritauit has nuptias vi Canonis Nicæni ſibi incogniti, & cùm coniugia iſta plurimæ Eccleſiæ, teſtibus Auguſtino, & Hieronymo, tanquam valida reciperent, quamvis grauiſſimis pœnis ea mulctarent, vbi poſteriori deinde ætate inualidata ſunt, id neque ex Canone Nicæno, qui latebat, neque ex vlla Eccleſiaſtica lege, cùm nulla afferatur, factum eſt: reſtat igitur vt ſola conſuetudine eiuſmodi impedimentum vim obtinuerit. Neque contrarium euincunt pœnæ, quæ legibus Cæſareis his coniugiis impoſitæ ſunt, vel Trullana decreta, quæ dubiæ fidei ſunt, & æquè de hæreticis, atque de infidelibus agunt, vel denique Toletanæ ſanctiones, quæ de Iudæis per Hiſpanias diſſeminatis loquuntur. Atque ita probata manet noſtra aſſertio.

11 Dico tertiò conſuetudine induci poſſe ritum aliquem & ſolemnitates, ſiue accidentales contractui matrimonij, quæ ſine peccato violari nequeant, ſiue eſſentiales, & quarum defectu contractus matrimonialis nullus omninò & irritus ſit.

Hæc aſſertio ſequitur ex ſuperioribus; ſi enim ea vis eſt conſuetudinis, vt noua impedimenta matrimonium irritantia ſtatuat, poterit æquè præſcribere ſolemnitatem, cuius defectu contractus iſte irritus ſit, cùm ea poteſtas ſit legum irritantium, & conſuetudo irritans aliquem actum imitetur naturam legis irritantis: atque ita docet Couarruuias *in 4. Decretal. 2. par. cap. 6. §. 10. n. 18.* alios allegans.

CAPVT V.

De obligatione conſuetudinis.

QVÆSTIO I. *An & quando conſuetudo obliget?*

QVÆSTIO II. *Quóſnam obliget conſuetudo?*

QVÆSTIO III. *De inductione, abrogatione, & probatione conſuetudinis.*

LOQVIMVR dumtaxat, vt vides, de conſuetudine legitima, quæ & rationabilis & legitime præſcripta eſt; non verò de ea, quam ipſa iura corruptelam dicunt: eam enim ſequendam non eſſe, ſed omninò damnandam & abiiciendam ſtatim apparet. De aliis verò iuſtis conſuetudinibus & legitimis ſuperſunt aliquæ difficultates circa earum obſeruationem.

QVÆSTIO I.

An, & quomodo obliget conſuetudo?

Obligat, n. 1.

Quando, & quomodo, n. 2.

1 HVius quæſtionis ſolutio manifeſta manet ex hactenus diſputatis: cùm enim conſtet, veram conſuetudinem ius aliquod eſſe atque inſtar legis ſe habere; immò legem conſtituere, & veterem atque iam conſtitutam aliquando non modò interpretari, ſed etiam quandoque abrogare, & antiquare, dubium eſſe nequit, quin eodem modo obliget, quo lex obligaret, ſi de eadem re lata eſſet; quod ex omnium prudentium conſenſu eſſe certum manet, cùm perpetuo duplex ius agnoſcant, vnum legibus, alterum moribus conſtitutum, quod ſcriptum, & non ſcriptum dixit Paul. *lib. 5. ſent. tit. 4.* Ita legibus vetitum eſt ne tutor pupillam vxorem ducat: moribus ne quis ſororem adoptiuam *l. 55. D. de verb. obligat.* lege permiſſum proconſuli dare iudicem, more præfecto vrbi: lege prohibetur dari iudex qui Senatu motus eſt: moribus fœminæ & ſerui. *l. 12. D. de iudic.* moribus, non legibus inductum eſſe dicitur, ne libertinus matrem, aut ſororem libertinam vxorem ducat. *leg. 8. de ritu nuptiar.* munus eſt quod obitur neceſſariò, vel lege, vel more, *l. 2.14. D. de verb. ſignific.* legibus & moribus conſtare dicitur poſtliminium, *l. 39. D. de captiu. & poſtlimin.* Item exiſtimationis illæſæ ſtatus, *l. pen. D. extraord. cognit.* moribus inductum dicitur ius patriæ poteſtatis *leg. 8. D. de iis qui ſunt ſui, vel alieni:* illud tamen legibus regiis & XII. tabul. conſtat fuiſſe comprehenſum. Moribus quoque inducta ſubſtitutio Pupillaris, *l. 2. D. de vulg.* idem dicitur de interdictione bonorum facta prodigis, *leg. 9. D. de curat. fur.* quæ omnia & pleraque alia adducit Franciſc. Hotman. *in libro primo epitom. iuris, tit. 3.* Cùm igitur conſuetudo ſiue vniuerſalis ſit, & omnium gentium, ſiue ciuilis, id eſt populi alicuius, aut ciuitatis dumtaxat, vt Romanæ, Athenienſis, aliarúmque ius quoddam inducat; & ius atque ipſi correſpondens obligatio correlatiua ſint, iuri conſuetudinario correſpondeat oportet aliqua obligatio, quâ teneamur ius moribus poſitum æque ſeruare, atque ſi lege conſtitutum ſit.

2 Vnde ſequitur explicatio conſequentis difficultatis de modo huius obligationis, qualis nimirùm & quanta illa ſit: eſt enim talis obligatio quale eſt ius ab illa conſuetudine inductum, ſicut obligatio ſeruandæ legis, talis eſt, qualis & ipſa lex & ius ab illo conſtitutum, de qua diximus *lib. 4.* aliquando enim lex eſt dumtaxat merè pœnalis, & ad ſolam pœnam obligat, aliàs ad culpam ſiue ſolam, ſiue etiam ad pœnam adiectam obſtringit, quam legem appellant moralem, & directiuam. Deindè aliquando ad grauem, aliàs ad leuem culpam obligat pro capacitate materiæ imperatæ aut prohibitæ, & pro voluntate imperantis legiſla-

matrim. cap. 23. *propoſit.* 3. Rebell. 2. *part. de obligation. inſtit. l.* 3. *q.* 9. Valent. *tom.* 4. *diſp.* 10. *q.* 3. *punct.* 3. Bonac. *de matrim. quæſt.* 3. *punct.* 7. *n.* 2. Sanch. *l.* 7. *de matrim. diſp.* 71. *n.* 8. vbi apertè fatetur, nullum reperiri textum quo irritatio matrimonij fidelis cum infideli conſtituatur, atque adeò eam non haberi ex lege aliquâ Eccleſiaſticâ ſcripta, ſed ex receptiſſima Eccleſiæ conſuetudine, vim legis obtinente. Petrus Soto *lect.* 9. *de matrim.* ait Patrum auctoritatem, & conſenſum Eccleſiæ pro lege eſſe hac in parte: oſtendit autem quænam fuerit Auguſtini mens, quem Magiſter *in* 4. *diſt* 39. allegarat, vt probaret iure diuino irritum eſſe tale matrimonium fidelis cum infideli, Henriq. *l.* 12. *c.* 13. *n.* 3. *litter. G.* dicit prohibitionem factam in Nicæno, & aliis Conciliis ita iam explicari à recepta conſuetudine, vt habeat vim decreti irritantis: Veracruz 1. *part. ſpeciali coniugalis, art.* 32. *dubitat.* 1. *concluſ.* 7. idcirco dixit inter Indos noui orbis valere ex probabili ſententia matrimonium fidelis cum infideli; quia inibi nondum eſt recepta contraria conſuetudo, & eius cauſa, nempè metus peruerſionis ceſſat. Rectiùs tamen deindè, vt obſeruauit quoque Sanch. docuit idem Auctor, etiam in Indiis vigere hanc legem Eccleſiaſticam, quam in toto noſtro orbe conſuetudo firmauit, & quam vnà cùm aliis legibus promulgari in orbe nouo oportuit. Konink. *diſp.* 31. *de matrim. dub.* 3. ſola conſuetudine non vllo expreſſo iure inductum hoc impedimentum docet, ſicut & Hurtad. *diſp.* 24. *de matrim. difficul.* 2. Reginald. *lib.* 31. *n.* 167. Filliuc. *tract.* 10. *part.* 2. *n.* 226. quorum omnium hæc ratio eſt: quia quidquid in iure reperitur circa hæc matrimonia, continet ſolam prohibitionem, præterquàm quod pleræque deſumpta ſunt aut ex Patrum variis dictis, aut ex Conciliis Prouincialibus, quæ non faciunt legem Eccleſiaſticam vniuerſalem, aut ſolum loquuntur de coniugiis cum Iudæis & non cum aliis infidelibus aut æquè agunt de coniugiis cum hæreticis, quæ tamen conſtat eſſe valida, quamuis illicita.

8 Obiicit Baſilius Ponc. qui *lib.* 7. *de matrim. cap.* 47. *n.* 5. eſt in contraria, Nicænam Synodum irritare hæc coniugia. Nam. *can.* 67. iubetur mulier fidelis, quæ infideli nupſerit, illum dimittere, & pœnam impoſitam Apoſtatæ ad fidem reuertenti ſubire: & *can.* 68. pater, qui fidelem filiam infideli viro collocarat, iubetur tale coniugium dirimere. Quibus locis non agunt PP. de ſola ſeparatione thori, ſed de diſſolutione vinculi coniugalis: nunquam enim decreta, quæ agunt de ſeparatione viri & vxoris explicanda ſunt de ſola ſeparatione thori, niſi vbi aliundè conſtabit de valore matrimonij: quod non contingit hoc loco.

Deindè cùm Theodoſius, & Arcadius matrimonium Iudæi cum Chriſtiana tanquam adulterium puniri iubeant, *l.* 5. *Cod. Theod. ad legem Iuliam, de adulteriis*, tale matrimonium omninò inualidum habebant ex veteri profectò inſtituto, & Synodo Nicæna. Canon etiam 72. Synodi Trullanæ coniugium cum hæreticis nullum eſſe euidenter aſſerit, neque ibi ius nouum condit. Quod ſi illius ſæculi mores habebant ex veteribus Synodis irritas nuptias orthodoxi cum hæretica, multò potiori iure connubium fidelis cum infideli nullum eſſe exiſtimarunt. Deindè Toletanum IV. *cap.* 63. iubet Epiſcopis vt ſeparent coniugia Iudæorum cum Chriſtianis, niſi ipſi Iudæi Chriſtiani fiant, éſtque eadem ratio Iudæorum, & cæterorum infidelium. Neque obiici poteſt Monicam Auguſtini matrem infideli nupſiſſe. Reſpondet enim Baſil. Ponc. Canones iſtos nôdum id temporis innotuiſſe Africanis, vt conſtat ex Concilio Carthaginenſi, cui interfuit Auguſtinus: poſtulant enim PP. à Bonifacio Pontifice Romano ſinceros Canones Nicænos, cùm ſolùm haberent vnum & viginti. Idem dicendum et Baſilio de Clotildis, & Clodouæi celeberrimis nuptiis aliiſque ſimilibus, quas poſterioribus ſæculis inter fideles, & infideles coaluiſſe proditum eſt.

Reſpondeo. Si concedamus Baſilio id omne quod vrget in obiectione, indè colligi validum argumentum ad confirmandam priorem noſtram aſſertionem, nimirùm antiqua impedimenta matrimonij conſuetudine contraria tolli poſſe; quandoquidem impedimentum diſparis cultûs, quod magna Synodus Nicæna ſtatuerat, & cuius tanta omnibus retrò ſæculis fuit auctoritas, conſuetudo particularis Eccleſiæ ſuſtulerat, vt conſtat ex vſu Africanæ Eccleſiæ: in ea enim contrahebantur validè eiuſmodi coniugia fidelium cum infidelibus, vt de Monica dicebamus, & ipſe Auguſtin. *leg. de fide, & operibus, capite decimonono*, ait ea nequidem inter peccata numerari, quæ tamen numerauerat Cyprian. inter ea quibus puniendis ſæuiſſima in Eccleſiam perſecutio excitata fuerat. Quoniam, inquit Cyprian. *lib. de lapſis*, cùm deploranda & arguenda multa commemoraret, quibus meritò dicit indignationem Dei fuiſſe commotam, vt intolerabili perſecutione Eccleſiam ſuam fineret flagellari.

Hæc ibi omninò non nominat, cùm etiam illud non taceat & ad eoſdem malos mores pertinere confirmet, iungere cum infidelibus vincula matrimonij, nihil aliud eſſe aſſerens, *quàm proſtituere gentibus mēbra Chriſti, quæ noſtris temporibus iam non putantur eſſe peccata: quoniam reuera in nouo Teſtamento nihil indè præceptum eſt; & ideò aut licere creditum eſt, aut velut dubium relictum.* Et ne dicas in Africana Eccleſia propter ignorantiam Nicænorum Canonum viguiſſe hunc morem eiſdem Nicænis Canonibus contrarium, ac proindè non fuiſſe illis Canonibus derogatum, qui nunquam innotuerunt. Nam præterquàm quod indè non malè colligitur, quàm dubia ſit fides illorum Canonum, qui tam nobili Eccleſiæ numquam innotuerint; quis dicat tempore Cypriani & proximè conſequenti ætate, matrimonia damnata in Africa, poſterioribus deindè ſæculis, tanquam licita recepta fuiſſe, teſte Auguſtino, niſi ſimul fateatur conſuetudinem probare poſſe, quæ anteà damnabantur? Deindè non modò in Africa, ſed & in Oriente, & Occidente vſurpabantur hæc matrimonia. Neque dices has Prouincias latuiſſe Canones Nicænos, ſed potiùs contrario vſu ex hominum memoriâ penitùs eraſos fuiſſe. Audi enim Hieronym. *l.* 1. *contra Iouinian.* expoſtulantem, quod paſſim Chriſtianæ mulieres nuberent infidelibus, & licèt eas nuptias multis damnet tanquam prohibitas à Paulo, non tamen eas irritas eſſe dixit, ſicut neque ipſe Paulus ex communi Theologorum & interpretum omnium ſenſu. Non adducit Hieronymus Nicænam legem, vti omninò feciſſet, ſi aliqua extaret eiuſmodi, quæ ipſum latere non poterat, niſi & totum Orientem lateret, aut ſi contrario vſu iam abolita non fuiſſet. *Vis apertiùs*, inquit, *diſcere quòd Chriſtianæ omninò non liceat Ethnico nubere, audi eundem Apoſtolum: Mulier, (inquit) alligata eſt legi quanto tempore vir eius viuit. Quod ſi dormierit vir eius, liberata eſt; cui vult nubat tantùm in Domino, id eſt Chriſtiano.* Quam expoſitionem certè non admittit Auguſtinus, quandò loco *ſuperiùs* citato dicit, nihil de his coniugiis in nouo Teſtamento præceptum fuiſſe; quod ſaltem de præcepto irritante exponendum eſt. Prætereà cum Ambroſius *Epiſt.* 70. *& lib. de Abraham. cap.* 9. aliique eiuſdem, & poſterioris æui ſcriptores hæc coniugia fidelium cum infidelibus pluribus inſectentur, nunquam Nicænæ Synodi auctoritate,

ſitate,

ritate, quæ grauiſſima tamen erat, vſi ſunt: quod apertè oſtendit, illam legem Eccleſiaſticam vel nunquam extitiſſe, vel conſuetudine contrariâ antiquatam fuiſſe; cùm neque in Oriente, neque in Occidente ad damnanda hæc coniugia ab eruditiſſimis ſanctiſſimiſque Patribus, & in Eccleſiaſticâ diſciplinâ verſatiſſimis afferatur, qui etiam æquè damnant connubia cum hæreticis, vt vides in Ambroſ. *lib. 1. de Abrah. cap. 9.* ex quo Gratian. deſumpſit *cap. Caue 28. q. 1.* ſed non ſatis fideliter, vti obſeruauit Couarruuias *in 4. Decretal. 2. par. cap. 6. §. 11. n. 1.* Conſtat tamen coniugia cum hæreticis non eſſe irrita, licèt damnata & prohibita fuerint. Ex quibus omnibus tandem efficitur quod initio contendebamus, nempè ſi Canon Nicænus ſtatuerit diſparitatem cultûs pro impedimento dirimente, illud deindè ipſo vſu & moribus contrariis ſublatum fuiſſe.

10 Reſpondeo ſecundò, haberi quidem inter Canones Nicænos ſuperiori ſæculo ex Arabico idiomate in Latinum verſos eum, quem allegat Poncius; ſed quidquid cenſeas de fide illorum, de qua diſputat Franciſc. Turrian. *præfat. in ipſos*, & quæ ex tot ſæculorum altiſſimo ſilentio dubia admodum redditur, dici tamen non poteſt hoc impedimentum irritans, de quo agimus, inductum fuiſſe in Eccleſiam per Nicænam Synodum: cùm enim hi Canones ita in Arabia latuerint, vt illos Eccleſia Romana penitùs ignoraret, non irritauit has nuptias vi Canonis Nicæni ſibi incogniti, & cùm coniugia iſta plurimæ Eccleſiæ, teſtibus Auguſtino, & Hieronymo, tanquam valida reciperent, quamvis grauiſſimis pœnis ea mulctarent, vbi poſteriori deinde ætate inualidata ſunt, id neque ex Canone Nicæno, qui latebat, neque ex vlla Eccleſiaſtica lege, cùm nulla afferatur, factum eſt: reſtat igitur vt ſola conſuetudine eiuſmodi impedimentum vim obtinuerit. Neque contrarium euincunt pœnæ, quæ legibus Cæſareis his coniugiis impoſitæ ſunt, vel Toletana decreta, quæ dubiæ fidei ſunt, & æquè de hæreticis, atque de infidelibus agunt, vel denique Toletanæ ſanctiones, quæ de Iudæis per Hiſpanias diſſeminatis loquuntur. Atque ita probata manet noſtra aſſertio.

11 Dico tertiò conſuetudine induci poſſe ritum aliquem & ſolemnitates, ſiue accidentales contractui matrimonij, quæ ſine peccato violari nequeant, ſiue eſſentiales, & quarum defectu contractus matrimonialis nullus omninò & irritus ſit.

Hæc aſſertio ſequitur ex ſuperioribus: ſi enim ea vis eſt conſuetudinis, vt noua impedimenta matrimonium irritantia ſtatuat, poterit æquè præſcribere ſolemnitatem, cuius defectu contractus iſte irritus ſit, cùm ea poteſtas ſit legum irritantium, & conſuetudo irritans aliquem actum imitetur naturam legis irritantis: atque ita docet Couarruuias *in 4. Decretal. 2. par. cap. 6. §. 10. n. 18.* alios allegans.

CAPVT V.

De obligatione conſuetudinis.

Qvæstio I. *An & quando conſuetudo obliget?*

Qvæstio II. *Quóſnam obliget conſuetudo?*

Qvæstio III. *De inductione, abrogatione, & probatione conſuetudinis.*

Loqvimvr dumtaxat, vt vides, de conſuetudine legitima, quæ & rationabilis & legitime præſcripta eſt; non verò de ea, quam ipſa iura corruptelam dicunt: eam enim ſequendam non eſſe, ſed omninò damnandam & abiiciendam ſtatim apparet. De aliis verò iuſtis conſuetudinibus & legitimis ſuperſunt aliquæ difficultates circa earum obſeruationem.

Qvæstio I.

An, & quomodo obliget conſuetudo?

Obligat, n. 1.
Quando, & quomodo, n. 2.

Hvius quæſtionis ſolutio manifeſta manet ex hactenùs diſputatis: cùm enim conſtet, veram conſuetudinem ius aliquod eſſe atque inſtar legis ſe habere; immò legem conſtituere, & veterem atque iam conſtitutam aliquando non modò interpretari, ſed etiam quandoque abrogare, & antiquare, dubium eſſe nequit, quin eodem modo obliget, quo lex obligaret, ſi de eadem re lata eſſet; quod ex omnium prudentium conſenſu eſſe certum manet, cùm perpetuo duplex ius agnoſcant, vnum legibus, alterum moribus conſtitutum, quod ſcriptum, & non ſcriptum dixit Paul. *lib. 5. ſent. tit. 4.* Ita legibus vetitum eſt ne tutor pupillam vxorem ducat: moribus ne quis ſororem adoptiuam *l. 55. D. de verb. obligat.* lege permiſſum proconſuli dare iudicem, more præfecto vrbi: lege prohibetur dari iudex qui Senatu motus eſt: moribus fœminæ & ſerui, *l. 12. D. de iudic.* moribus, non legibus inductum eſſe dicitur, ne libertinus matrem, aut ſororem libertinam vxorem ducat. *leg. 8. de ritu nuptiar.* munus eſt quod obitur neceſſariò, vel lege, vel more, *l. 214. D. de verb. ſignific.* legibus & moribus conſtare dicitur poſtliminium, *l. 39. D. de captiu. & poſtlimin.* Item exiſtimationis illæſæ ſtatus, *l. pen. D. extraord. cognit.* moribus inductum dicitur ius patriæ poteſtatis *leg. 8. D. de iis qui ſunt ſui, vel alieni:* illud tamen legibus regiis & XII. tabul. conſtat fuiſſe comprehenſum. Moribus quoque inducta ſubſtitutio Pupillaris, *l. 2. D. de vulg.* idem dicitur de interdictione bonorum facta prodigis, *leg. 9. D. de curat. fur.* quæ omnia & pleraque alia adducit Franciſc. Hotman. *in libro primo epitom. iuris, tit. 3.* Cùm igitur conſuetudo ſiue vniuerſalis ſit, & omnium gentium, ſiue ciuilis, id eſt populi alicuius, aut ciuitatis dumtaxat, vt Romanæ, Athenienſis, aliarúmque ius quoddam inducat; & ius atque ipſi correſpondens obligatio correlatiua ſint, iuri conſuetudinario correſpondeat oportet aliqua obligatio, quâ teneamur ius moribus poſitum æque ſeruare, atque ſi lege conſtitutum ſit. 1

Vnde ſequitur explicatio conſequentis difficultatis de modo huius obligationis, qualis nimirùm & quanta illa ſit: eſt enim talis obligatio quale eſt ius ab illa conſuetudine inductum, ſicut obligatio ſeruandæ legis, talis eſt, qualis & ipſa lex & ius ab illo conſtitutum, de qua diximus *lib. 4.* aliquando enim lex eſt dumtaxat merè pœnalis, & ad ſolam pœnam obligat, aliàs ad culpam ſiue ſolam, ſiue etiam ad pœnam adiectam obſtringit, quam legem appellant moralem, & directiuam. Deindè aliquando ad grauem, aliàs ad leuem culpam obligat pro capacitate materiæ imperatæ aut prohibitæ, & pro voluntate imperantis legiſlatoris, 2

toris, vti diximus eo loco. In conſuetudine tamen non videtur grauitas obligationis ſumenda niſi ex capacitate, aut grauitate materiæ, & non ex voluntate conſuetudinem inducentis, aut ferentis, cùm eam voluntatem populi moribus ſuis vtentis, vix aliundè coniicere poſſimus, quàm ex conſuetudinis commodis, quæ in rempublicam, aut ſingulas eius perſonas ex eius obſeruatione prouenium, & incommodis, quæ eius violatio allatura eſt, ex pœnis quoque infligi ſolitis ob eius violationem.

3 Hæc quoque obligatio duplex, cogitari poteſt pro duplici iure, quod ea inducit. Vnum eſt veluti imperatiuum, cui correſpondet obligatio faciendi quod fert conſuetudo, quæ maximè conſideratur in materia iuſtitiæ, quæ violata conſuetudine læditur, nempè ius alteri quæſitum, v.g. conſuetudinis: quia v.g. quis validè contrahit cum alio ex conſuetudine talem contractum probante: qui enim eiuſmodi contractui ſtare nolit, & conſuetudini, illud violat, reuera committit iniuſtitiam, ſicut ſi ius lege partum & quæſitum violaret, cùm vtrumque ius æquè validum ſit.

Alterum ius, quod parit conſuetudo, appello permiſſiuum, quia nempè permittit aliquid facere, quod aliunde vel lege merè poſitiua prohibitum eſt, vel non facilè etiam prudentibus probaretur, propter vſum alibi contrarium, cùm varij ſint gentium mores. Hæc obligatio, niſi ius alterius in eius violatione lædatur, relinquit libertatem eam ſeruandi, vel non ſeruandi, cùm permittat dumtaxat ex illa agere, ſi libeat; non imperet verò, ſed veluti in arbitrio relinquat: in eo autem eſt obligatio, quod non liceat neque damnare, neque reiicere, quod ex eiuſmodi conſuetudine geſtum eſt: iure enim geſtum eſt & validè. Denique omnia quæ de obligatione legis humanæ diximus *lib.* 4. de obligatione conſuetudinis dicenda ſunt, cùm & ipſa quædam lex ſit aliquando ita efficax, vt rationem quoque vincat, ac legem, vti monuimus.

QVÆSTIO II.

Quóſnam obliget conſuetudo?

An obliget Principem, n. 1.
Notata, n. 3.
Tenetur Princeps quoad vim directiuam, n. 4. 5. & 6.

1 HVc pertinent omnia quæ fuſiùs diſputauimus de obligatione legis *lib.* 4. *extremo*, ex allatâ ſæpiùs ratione, quòd conſuetudo vim legis obtineat, quamdiúque viget, ſeruanda quoque ſit, maximè cùm nuper demonſtrauerimus, non eſſe neceſſariam ſcientiam, vel approbationem Principis ad efficacitatem conſuetudinis, atque ea in parte conſuetudo differat à lege, quæ non niſi volente & imperante legiſlatore obligat.

2 Inde verò grauis difficultas oritur: cùm enim plerique ad conſuetudinem legitimam & obligantem requirant ſcientiam & tolerantiam principis, præſertim in ſtatu monarchico; & liberum ſit Principi tolerare conſuetudinem, aut eam abiicere, aut in certis caſibus eandem admittere, & non in aliis, liberum quoque illi erit conſuetudinem ſeruare, aut non ſeruare: atque ita, neque eius violatione peccabit, neque cuiquam faciet iniuriam. Quare iure quæritur, an obligetur conſuetudine, quod ipſum de obligatione legis, an ea teneretur ſupremus princeps, qui poteſt leges figere & refigere, diſputabamus *lib. citato*, atque ex *ibidem* dictis videtur tota quæſtio non difficulter explicari

Aduertendum porrò eſt non quæri hoc loco, an Princeps poſſit conſuetudinem abrogare, aut in illa diſpenſare, ſicut & legem reſcindere, vel ab eius obſeruatione quempiam eximere: nam abiecta per ſupremam auctoritatem conſuetudine, & refixâ lege, certum eſt neque principem, neque quempiam alium iis obſtringi. Agitur itaque de obligatione vigentis conſuetudinis, & legis, & quæritur, an vigentem conſuetudinem & legem teneatur Princeps obſeruare, & an quemlibet & ſeipſum poſſit pro arbitrio ab eius obſeruatione eximere, & qualibet ex cauſa: ſic enim nunquam conſuetudinem moribus adhuc receptam, & legem obſeruare tenebitur, dum enim illas pro libito violabit, dicet ſe ſecum diſpenſare, vti poteſt cum aliis idem omninò præſtare, atque vno verbo ſe non teneri eiuſmodi vinculis, niſi quatenùs & quantum illis ligari voluerit, cum illa nemo poſſit ſupremo principi iniicere. 3

Dicendum eſt igitur teneri principem æquè probatas hactenùs conſuetudines, quamdiù reiectæ & abrogatæ non ſunt ſiue contrariâ conſuetudine, ſiue lege, ſeruare, atque leges ipſas quoad vim directiuam, non coactiuam, illiſque obligari, quod ex hactenùs dictis certum manet, cùm conſuetudo ius quoddam & lex ſit, non lata quidem à principe legiſlatore, ſed moribus & factis inducta, & rationes omnes quæ ſuadent principem legibus obligari quoad vim directiuam, id etiam ſuadeant de obſeruatione conſuetudinis, vti expendenti conſtabit. 4

Confirmatur: nam ipſimet Imperatores id ſe pati velle profitentur, ideò priuata ſua facta & bona ad leges municipales, atque ita ad ipſas conſuetudines, eáſque varias diuerſis in locis ſuæ ditionis referunt. Quare quæ imperfecto teſtamento principi ſunt legata, vel fideicommiſſa, Imperatorem vindicare inuerecundum eſt, & exceptione inofficioſi teſtamenti etiam aduerſus Imperatorem vti licet, ſicut aduerſùs priuatos, *l. Papinianus.* §. *Imperator. D. de inofficio. teſtam.* neque idem agere poteſt in hæreditatem ſibi ſolâ pollicitatione delatam, *l. vlt. D. qui teſtament. facere poſſ.* certúmque eſt Falcidiam, Trebellianam, & Voconiam, æquè ad Imperatores, atque ad priuatos pertinere, *l.* 4. *C. ad l. Falcidiam.* Denique conſtans eſt Doctorum aſſertio, principum & priuatorum bona iure municipali & patriis legibus contineri, quorum aliqui addunt in conſtituendo iure regni aut principatus potiorem eſſe rationem conſuetudinis, quàm Romani, vel communis iuris. Ita Guillelmus Monteferratenſis, *tract. de ſucceſſionib. n.* 44. 45. 46. Ioannes de Terra Rubea *ſimili tract. art.* 1. *q.* 4. alios dabit auctor de iuribus Reginæ Chriſtianiſſimæ in Ducatum brabantiæ, & alios 2. *p. n.* 16. *pag.* 162. *& ſeq.* qui & doctorum Hiſpanorum ipſiſſima verba refert à quibus recenſendis ſuperſedeo lubens, cùm eiuſmodi iura Marte non Doctorum ſententiis modò diſceptentur. Sanè ſolemne fuit Imperatoribus ſuos procuratores monere, vt ita ſua bona curarent ne auctoritate Imperatoria ad iniuriam abutantur, ne quid contra municipalia iura moliantur, aut maiorum inſtituta conuellant, volúntque ita quidem principi omnia licere dum patriæ leges ſeruentur incolumes, nec à municipali iure diſcedatur, *l.* 3. §. *planè D. quod vi, aut clam. Hoc ita verum eſt, ſi non lex municipalis curatori Republica amplius concedat.* Ita vt neque in ſuum fundum aquam contra veterem obſeruationem & cum aliorum iniuriâ deriuari voluerunt: *Si manifeſtè doceri poſſit ius aquæ ex veteri more atque obſeruâ*

obſeruatione per cætera loca profluentis vtilitatem certis fundis irrigandi cauſâ exhibere, procurator noſter ne quid contra veterem formam atque ſolemnem morem innouetur, prouidebit, C. de aqua ductu.

5 Atque vt de conſuetudine legitima Eccleſiaſtica, de qua modo diſputamus, quidpiam magis accommodatum afferamus. Ipſi Romani Pontifices conſuetudines priuatarum Eccleſiarum ſeruandas eſſe profitentur, & ab Epiſcopis, qui ipſos ea in re conſuluerunt, ſeruandas eſſe edixerunt, vt pluribus *ſuperiùs* attulimus. Sic Innoc. III. *cap. Ex litteris. de conſuetud.* donationes factas Eccleſiis & piis locis ſub ſcotatione, & aliis formis inſolitis in Dacia, tamen ex quibuſdam aliis locis conſuetis fixas & irreuocabiles eſſe mandat, non niſi quia donationes illas regionis conſuetudo firmabat, licet ius commune aliud ferat, & nolit ſine apprehenſione reali transferri poſſeſſiones rei abſentis. Quare Panormitan. caſum illum & reſponſum ſingulare eſſe dixit. Idem Innoc. *cap. Cùm olim 6. de conſuetudine* conceſſit Epiſcopo Londinenſi ius conſtituendi Præcentorem, ſine cuiuſquam præiudicio, vt locum ac dignitatem haberet, quam cæteri Præcentores in aliis Anglicanis Eccleſiis de conſuetudine obtinerent, *cap. cùm dilectus* 8. Idem Innoc. controuerſiam de electione Abbatis Andrenſis monaſterij inter idem monaſterium & Karofenſe ſecundum conſuetudinem probatam Karofenſis Cœnobij diiudicari mandat. Honor. III. *cap. cùm conſuetudinis, 9. de conſuetud.* ait conſuetudinis, vſúſque longæui non eſſe leuem auctoritatem. Itaque inhibet Capitulo Pariſienſi, ſiue Papienſi, ne abſque Epiſcopi conſenſu immutet Eccleſiæ ſuæ conſtitutiones approbatas, & nouas inducat, & ſi ſimile quid fecerit, irritum fore decernit. Obſeruat vero Cironius *in notis ad eam Decretalem*, quæ primo loco refertur *titulo de conſuetud. in quinta compilatione eiuſd. Honorij*, quam nuper edidit eruditus Cironius, in compilatione Raimondi *eodem tit. & cap.* omiſiſſe illud *abſque Epiſcopi conſilio & conſenſu*; quia cùm res æquè Epiſcopum & Capitulum tangit, & Epiſcopi, & Capituli conſenſus deſideratur, ne videlicet vna pars in alterius præiudicium quidpiam ſuſcipiat. Et ſanè Canonici & Epiſcopus corpus Eccleſiæ componunt; quare dicuntur προεδρεῦται, Epiſcopi, ab exedris Eccleſiarum, in quibus quondam conuentus & Synodi habebantur: Canonici verò συγκαθέδροι & σύμφωνοι aſſidentes, & conſiliarij. Quare quoties Pōtifices conſuetudines improbant, id faciunt, quia vel diuino & naturali iuri repugnant, vel ad peccandum inducunt, vel ſcandalo & offenſioni exiſtunt, vel alieno iuri iam acquiſito præiudicant, aliiſque ſimilibus de cauſis, propter quas corruptelæ ſunt potiùs dicendæ, quàm conſuetudines & legitimi vſus, vti videbis in Bonifacij VIII. conſtitutionibus *tit. de conſuetud. in 6.*

6 Similia habet Honorius III. *in quinta compilatione*, quam, vt iam monui, edidit Cironius *titul. de conſuetud. vt cap. 1. iam allato. & cap. 2. ad audientiam.* abrogat enim conſuetudinem Eccleſiæ Laudunenſis qua à ſingulis qui canonicabantur, exigebant, immò & extorquebant ſcyphum argenteum, retento præbendarum eius fructu, niſi prauam illam conſuetudinem impleſſent; quam conſuetudinem ait Honor. continere *turpitudinem manifeſtam*. Similem morem de exhibendo prandio damnat Gregor. IX. *cap. Iacobus. 44. de ſimonia.* In generali Capitulo ſancti Petri Vienenſis ſtatutum legitur, vt qui ad habitum monaſticum ſuſcipitur ſcyphum vnum, & vnum cochlear argenti boni, & puri, & ponderis vnius marki & vlnas 12. mapparum ſolueret. Cæterùm quidquid pro in Eccleſiam immiſſione, & in ſedem & ſtallum petitur, damnatur ab Alexand. III. in Concil. Lateran. *cap. 7. & 8.* & refertur *cap. cùm in Eccleſia 9. de ſimonia*, & veterem conſuetudinem hac in parte eò magis reiiciendam dicit: *quia tantò grauiora ſunt crimina, quantò diutiùs infelicem animam tenuerunt alligatam.* Rationem verò abiiciendæ huius conſuetudinis reddit Alexand. quia *ſic in quibuſdam Eccleſiis locum venalitas perhibebatur habere.* Quare Innoc. III. *cap. 42. de ſimonia damnat tantùm prauas exactiones, & pias conſuetudines præcipit obſeruari*, & ibidem vocat laudabilem conſuetudinem erga ſanctam Eccleſiam pia deuotione fidelium introductam, quam quidam ex fermento hæreticæ prauitatis, prætextu Canonicæ poteſtatis violabant. Non igitur damnantur conſuetudines eiuſmodi piarum oblationum, citra venalitatem, de quibus non modo Balſam. *ad Can. 5. 7. Synodi.* & Iuſtinian. *nouella 123. cap. 3.* Vide & Concilia Tarraconenſia ann. 1331. 1369. 1391. 1543. & alios. Non abrogant igitur Pontifices Eccleſiarum priuatarum conſuetudinem, niſi propter manifeſtum eius vitium, vt in caſu illo venalitatis ſacrotum faciebat Honorius & in *ſeq. cap. 3. eod. titulo, de conſuetudine*, deteſtandam, vt vocat, conſuetudinem in prouincia Caſſellenſi Anglorum inſolentiâ inductam, qua Hibernus furti accuſatus ab Anglo iurante, adhibitis ſex aliis Anglis ſimiliter iurantibus; admittebatur, ita vt Hibernus, neque per 30. teſtes, neque etiam per plures ſuam innocentiam purgare poſſet: ſi verò Hibernus Anglum furti accuſaret, etiam iuratus ab Anglis non reciperetur, quæ erat manifeſta prauitas, cùm omnium cauſas æqua lance iudicari oporteat, & paria delicta mutua compenſatione & pari iure tolli debeant. Ex his omnibus aliiſque damnationis conſuetudinum quarundam Eccleſiaſticarum, manifeſtò conſtat, non niſi prauas fuiſſe damnatas à Pontifice, cæteras omnes & ſeruatas & ſeruari iuſſas, atque adeò obligaſſe omnes, ipſóſque etiam Epiſcopos.

QVÆSTIO III.

De inductione, mutatione, atque abrogatione legitimæ conſuetudinis, déque eius probatione.

De inductione conſuetudinis, n. 1. & 2.
De eius abrogatione, n. 3.
Probatio qualis, n. 4.

HÆc tria quæſita facilè ex hactenùs diſputatis ſolui poſſunt, & quidem quod attinet ad inductionem conſuetudinis, illa debet fieri, vti diximus, frequentibus & publicis actibus ciuitatis, aut multitudinis. Quare non niſi ſenſim & lapſu temporis induci valet, quæ ſi pugnet cum lege vigente, & obligante, peccatur pro ratione obligationis, quam contraria lex, quæ per illam violatur, impobanebat, eáque culpa committitur à ſingulis legem violantibus, non à multitudine: nam vbi iam inducta fuit conſuetudo, iam non peccatur. Qui verò primus induxit, & ſuo exemplo atque auctoritate alios impulit, grauiùs ſine dubio cæteris peccauit. 1

Quod ſi conſuetudo non pugnet cum lege, & aliunde bona eſt, nemo illam inducendo aut ſeruando peccauit, etiamſi deinde vbi legitimè præſcripta eſt ad ſui obſeruationem obliget. Et licèt quis eiuſmodi actus exerceat, & alios ad ſimiles excitet, etiam animo vt tandem in mores publicos inducatur, & 2

vim legis obtineat, non peccat, cùm neque eiuſmodi actus in ſe mali ſint, neque lege prohibiti, immò & boni: & poſſit quis optare vt à cæteris exerceantur, cùm exiſtimet illos eſſe reipublicæ commodos, poſſitque etiam eniti, vt de illis ferntur lex, neque in illis omnibus apparet vlla culpa priuati illius, qui ita ſe gerit, cùm neque in rempublicam, neque in cæteros ciues peccet.

3 De abrogatione & mutatione conſuetudinis certum primò eſt, eam poſſe per contrariam conſuetudinem, aut potiùs deſuetudinem tum mutari ex parte, tum totam abrogari, cùm eædem omninò cauſæ quæ illam inducere poſſunt, eandem caſſare & irritare poſſint, eadémque ſit vis deſuetudinis, quæ conſuetudinis, vti aliàs monuimus.

Secundò quod attinet ad veram & propriam mutationem, vel abrogationem contraria lege, & ſtatuto irritante, vel id ſit conſentiente Republica & principe, vel ſola multitudine, vel vtriſque ſtatuentibus & edicentibus, vel altero duntaxat: primùm fieri nequit maximè in monarchiâ, in qua totum ius edicendi, & leges ferendi, abrogandique, eſt penes vnum principem, ſiue à Republica, ſiue aliundè in eum ſuprema poteſtas deriuata fuerit: neque enim tunc eo inuito & repugnante poterit reſpublica aut leges nouas ferre, aut veteres refigere, aut nouas conſuetudines inducere, & antiquas abrogare nouis legibus, vt conſtat. Quod ſi reſpublica vnà cum principe conueniant in ſolitis conſuetudinibus mutandis, nouiſque inducendis bonis & probis, atque reipublicæ percommodis, nemo dubitare poteſt, huiuſmodi mutationem, abrogationémve legitimam eſſe & obligare. Quare tota dubitatio eſt, an ſolus Princeps poſſit ſua, qua pollet auctoritate, mutare, antiquaréque receptas, & iam olim probatas vſúque continuo confirmatas conſuetudines: quandoquidem id ipſum circa leges antiquas facere poteſt, & irritas contrariis legibus præſtare. Qua in controuerſia diſtinguendum mihi videtur: nam circa recèns exortas conſuetudines, quæq; non niſi ipſo conſcio, immò & conſentiẽte induci potuerũt, id facilè conceſſerim, cùm eæ ſint veluti quædã nouæ leges, quarum condendarum tota poteſtas maximè in Monarchia, penes ipſum principem eſt, vel eæ conſuetudines jamdiu ante eius imperium ipſo vſu & moribus inductæ ſunt, eæque diuerſa iura pridem acquiſita, & veluti præſcripta continent, & exiſtimarim eas non poſſe à principe etiam ſupremo, inuitis & contradicentibus ſubditis mutari, & abrogari, non modò ne rerum omnium perturbatio, & totius ſtatûs ac politiæ mutatio & deſtructio quædam ſequatur, ſed etiam ne fiat grauis iniuria iis, qui iam diuturnum ius, ex illa conſuetudine legitima, & diu confirmata acquiſierant. Quòd ſi eiuſmodi cõſuetudines vnà cum ipſo imperio & politia natæ ſint, & adoleuerint, ſintque veluti eius fundamenta, reuera non ampliùs pendent ab arbitrio Principis, qui eas ſeruare tenetur. Sic neque Galliæ Monarcha, neque Poloniæ Rex, aliique principes poſſunt iura ſuccedendi in regnum perpetuò ſeruatum ſeruare, ita vt Rex Galliæ velit Regnum deferri electione, & Polonus hæreditate, aut Gallus fœminas in regni ſucceſſionem admittat, excluſis maſculis, neque Hiſpanus ſolos maſculos, excluſis fœminis, regni hæredes admittere, inductâ Gallorum lege ſalicâ: quod idem verum eſt in particularibus ditionibus & feudis, ac maioratibus, aliiſque ſimilibus, quæ ſuas ſuccedendi leges municipales & proprias perpetuóque ſeruatas conſuetudines habent; quod pluribus adſtruit auctor nuper de iuribus Reginæ Chriſtianiſſimæ in Ducatum Brabantiæ, quem conſuluiſſe non pœnitebit. Quorum omnium ratio à priori, eáque validiſſima eſt: quia ſtatuta & patrij mores vim habent contractûs, iiſque princeps iuxtà & ſubditi tenentur, vt ait Albertus Brunus, Aſtenſis *tractat. de reſcriptis. tit. An deroget per reſcriptum, &c. art. 14. n. 2.* & Ioann. Faber *ad § ex non ſcripto, de iure nat. Gent. & ciuil.* vbi ait: *Si principi cadat hereditas, conſuetudo ligat principem.* Cæteros benè multos dabit citatus iurium Reginæ eruditus Aſſertor. Neque ſanè dubitari poteſt, cùm contrahentes æquo & pari iure teneantur, neque liceat principi, quantumvis ſupremo, violare contractum, quem iniit, ſoláque iuſtitia (vt probi quique Principes agnouere) ipſos obliget, atque ipſa fides obſtringat. Debebit igitur Princeps in eiuſmodi antiquis & veluti fundamentalibus ditionum ſuarum conſuetudinibus abrogandis habere earumdem ditionum conſenſum, non illum vi extorquere, aut ne quidem rogatum expectare; alioquin violat iuſtitiam.

Quod attinet ad modum probandi exiſtentiam 4
eiuſmodi conſuetudinum illas alleganti incumbit eas probare: quàm verò difficilis ſit ea probatio & quomodo facienda docebit Maſcard. *de probationibus, à concluſ. 423. ad 441.* fuſiſſimè. Tota iſta res pertinet ad forum externum; quare aliò properantibus non licet in ea diutiùs immorari.

LIBER SEPTIMVS
DE OBLIGATIONE IVRIS Canonici.

TRIA potiſſimùm exequar hoc loco, primum quanta & qualis ſit obligatio iuris Canonici: ſecundum quænam ad obligationem Canonis requirantur: tertium quidnam ab ea obligatione poſſit immunem reddere; quorum aliqua ex ſuperioribus duobus libris perſtringi breuiter poſſunt.

CAPVT PRIMVM.

Quanta, & qualis ſit obligatio Iuris Canonici.

QVÆSTIO I. *An ius Canonicum obliget conſcientiam?*

QVÆSTIO II. *An omnes & vbique obliget?*

QVÆSTIO III. *An in ſumma difficultate & in vita quoque periculo obliget?*

CAPVT hoc præmitti omninò debet futuræ diſputationi de obligatione iuris Canonici & Eccleſiaſtici: fruſtrà enim controuerſias de illa Doctores excitant, niſi ſupponant aliquam obligationem ex eo iure & legibus Eccleſiaſticis contrahi, cùm primarius legis omnis effectus, & veluti formalis ſit obligatio, quæ maior, vel minor eſſe poteſt, & in conſcientia, vel in foro tantùm externo, ad culpam vel ad pœnam dumtaxat, vel ad vtramque ſimul. Deindè eiuſmodi obligatio, vel perpetua eſt, vel pro aliquo certo tempore, vel omnes obſtringit, vel aliquos tantùm, & vbique, vel in deſignatis quibuſdam locis; & denique quocumque caſu, & in ſummâ etiam difficultate ac vitæ diſcrimine vrgente, vel vbi facile & commodum ſubditis erit. Quæ omnia circa legis obligationem in vniuerſum definienda ſunt, antequam ad ſingulares iuris Canonici, quod tractamus, controuerſias progrediamur. Verùm occupauimus pridem iſtum laborem *lib. 4. ſuperiori, cap. 7. q. 6. tota*, vbi fusè has omnes quæſtiones, quas in iſtius capitis indice propoſuimus, dilucidè per plures §§. pertractauimus, oſtendimúſque, omnem legem humanam, & maximè Eccleſiaſticam obligare etiam conſcientiam §. 1. 2. 3. & 4. & nonnunquam ſub culpâ mortali, cuius obligationis indicia & regulas dedimus §. 5. immò & aliquando vrgente graui vitæ diſcrimine perſeuerare eiuſmodi obligationem §. 6. Deindè an vbique, & quo loco obliget, definiuimus §. 7. Denique quiſnam, & an ipſe ſupremus princeps legibus teneatur §. 8. quæſiuimus. Itaque vides omnia quæ *hoc priori capite* præmittenda fuiſſent, ordine doctrinæ, quem ſequimur, fuiſſe iam explicata, neque in iis denuò retractandis immorandum videtur, aut quidpiam *ibidem* explicatis adiiciendum: quare ad alia feſtinandum eſt.

CAPVT II.

Quid neceſſarium ſit vt Canones, & leges Eccleſiaſticæ obligent?

QVÆSTIO I. *An Canones debeant promulgari extra Romam?*

QVÆSTIO II. *An Eccleſiæ, & populi conſenſus atque acceptatio requirantur, vt Canones obligent?*

TRIA paſſim & vulgò requiri dicuntur vt non modò leges politiceæ, ſed etiam Eccleſiaſticæ fideles obſtringant, earum videlicet promulgatio, populi acceptatio, earúmque vſus, &, vt loquuntur, viridis obſeruantia, de quibus ſingulis pauca de more perſtringemus.

QVÆSTIO I.

An legum Eccleſiaſticarum, & Canonum promulgatio ad earum obligationem neceſſaria ſit, & quomodo?

Quid ſit promulgatio, n. 1.
Sit ſolemnis oportet, n. 2.
Quo loco fieri debeat, n. 3. 4. & 5.
An facta Romæ ſufficiat, n. 6. 7. 8. 9. 10. 11. & 13.
Exempla Pontificum, n. 12. 14. 15. & 16.
Obiecta diluuntur n. 17. & 18.
Quandònam lex incipiat obligare, n. 19. & 20.

Poſt quod tempus obliget, n.20.21. & 22.
Obiecta, n.23. & ſeq.

1 NOmine promulgationis non intelligo quamlibet publicationem, per quam legis notitia poſſit acquiri: certum enim eſt, ignorantem legem eâ non obſtringi; ſed intelligo promulgationem ſolemnem, quæ, vt ait Vaſq. 1.2. *diſp.* 155. *cap.* 2. oſtendat principem vt principem loqui, & imperare, ſiue publica auctoritate, quâ pollet, & cui omnes ſubditi pariter obedire tenentur. Quare ſi cui innoteſceret lex nondum eâ ſolemnitate promulgata, nondum ea teneretur: ideo Vaſq. *ibid.* promulgationem ad legis eſſentiam pertinere dicit. Eſt ſiquidem lex imperium per ſe aptum vt ad operandum obliget, cuiuſmodi non eſt ſuperioris imperium mente retentum, neque etiam quacunque ratione explicatum, ſed propoſitum ea ſolemnitate, & modo, quo ſufficienter omnes intelligant eſſe præceptum principis. Alij dicunt pertinere dumtaxat ad complementum & integritatem legis: alij ad conditionem tantùm ſine qua non, quæ leuis eſt controuerſia, quod malim affirmare cum Peſantio *diſp.* 5. *de legib.* & Suar. *lib.* 1. *cap.* 11. nam ita loquitur ſanctus Thomas. Suar. tamen *lib.* 3. *de legibus cap.* 15. *&* 20. vocanit formam externam: interna ſiquidem eſt voluntas, & intentio legiſlatoris, quam etiam aliqui dicunt animam legis: quamvis enim verba externa proferantur, aliaque omnia ad legem conſtituendam neceſſaria fiant; ſi deſit tamen principis voluntas, nulla lex erit, vt patet. Eſt enim quid commune omni actui morali, vt pendeat ab intentione & voluntate operantis, à qua ſola habet vt ſit humanus, & moralis, quod vides in voto, promiſſione, contractu, aliiſque eiuſmodi, quæ in ſuo eſſe intrinſeco cõſtituuntur ab intentione voutentis, promittentis, & contrahentis. Sic in legiſlatore debet eſſe voluntas obligandi non tantùm in vniuerſum, ſed etiam particularis ad hunc, aut alium actum, hoc, aut illo modo faciendum. Nam quamvis prior illa vniuerſalis, & communis voluntas obligandi conſtituat legem veluti genericam; poſterior autem conſtituit ſingulas leges in ratione ſpecifica: & quamvis hæc principis voluntas videatur potiùs eſſe cauſa effectiua, quàm formalis legis, in re tamen morali hæ duæ rationes in idem cadere poſſunt, ſecundùm diuerſos reſpectus, vt patet in actu interiore, & exteriore qui vnum actum humanum & moralem componunt, eiuſque aggregati & veluti compoſiti actus internus eſt veluti forma, & tamen eſt etiam cauſa effectiua externi, quem imperat; quod ipſum in lege contingere, nihil prohibet: lex ſiquidem eſt actus imperij, interiùs tamen, qui nondùm obligat, niſi in actu primo, & veluti radicaliter, cui accedat ſenſibilis aliqua publicatio & promulgatio, oportet ad integritatem & complementum legis humanæ, vt totum ſuum primarium, & adæquatum effectum, qui eſt obligatio, ſortiatur, quæ publicatio non dicitur eſſentia, aut forma legis niſi externa, aut potiùs complementum, vel conditio ſine qua non. Quod verò vulgò dicitur, rationém eſſe animam legis, intelligendum eſt de lege obiectiua: nam materia, quæ lege præcipitur, debet eſſe honeſta & iuſta, &, quod indè neceſſariò ſequitur, rationabilis, quæ denominatio, aut proprietas in ipſam quoque formalem legem deriuatur. Dicitur ſiquidem rationabilis: quia circa rationalia verſatur; quare ratio melius, aptiúſque diceretur menſura extrinſeca vel obiectiua, quæ tum monet, tum regulat legiſlatorem, docẽdo quænam materia ſit imperanda communitati, quomodò, qua via & quænam aliæ circumſtantiæ in ea ferenda ſeruandæ ſint, atque in his non poſtrema debet eſſe promulgatio, vt lata lex obſtringat ſubditos.

Ea porrò promulgatio ſolemnis eſſe debet, vt initio 2
monui, quæ nimirùm oſtendit ſubditis præceptum, quod promulgatur, eſſe verè principis, ad quod non aliud exigitur ex natura rei, quàm publicatio, quæ ex prudentum arbitrio, & moraliter loquendo ſufficit ad indicẽdam ſupremi principis voluntatem, nihilque intereſt, an eiuſmodi publicatio verbo vel ſcripto fiat, ſiue pronuntietur ab ipſo principe, ſiue ab inferiori magiſtratu, ſiue præconis voce, ſiue affixa proſtet in tabulis & axonibus, vt olim apud Græcos publicè legenda, ſiue quo alio modo ita publicetur, vt omnibus conſtare poſſit, eam eſſe principis iuſſum, & imperium. Pendet ſiquidem ea publica intimatio tum ex principis voluntate, tum ex variis gentium moribus, certam ea in parte formulam præſcribere, quæ tunc omninò erit neceſſaria, &, quæ ſi omittatur, lex non obligabit, niſi vel princeps, vel conſuetudo ei formulæ derogarit, aliámve induxerit, quæ tunc quoque ſeruanda erit.

Circa tamen eiuſmodi promulgationem quæcum- 3
que tandem ſolemnitas illius præſcripta fuerit, quæritur primò, quo loco fieri debeat ad legis obligationem inducendam?

Et quidem certum omninò eſt, legem ex natura rei ſpectatam, non requirere certum locum, in quo promulgetur, ſed eſſe penes arbitrium principis, in quo voluerit illam promulgari, modò eiuſmodi promulgatio ad ſubditos peruenire poſſit, ita vt non ignorent legem eſſe latam à principe, ſiue illam eſſe imperium principis vt principis, vti monebamus initio, cum in eo promulgationis ſiue ſolemnitatem ſiue eſſentiam legis conſtitueremus, quamdiu enim ſubditus ignorabit inculpabiliter, ſiue, vt loquuntur, iuſta ignorantia, eſſe legem, & imperium principis, non peccabit eam non ſeruando, ſiue infringendo illam; quod omnes æquè fatentur, cùm ignorantia inuincibilis, ſiue probabilis excuſet à peccato, vt fuſiùs docebimus *lib.* 8. & manifeſtè traditur ab Innocent. IV. *cap.* 1. *de conceſſ. præb. in* 6. *Lex ſeu conſtitutio, & mandatum nullos adſtringunt, niſi poſtquam ad notitiam peruenerit eorumdem, aut niſi poſt tempus, infra quod ignorare minimè debuiſſent.* Diſtinguendum verò eſt cum Layman *l.* 1. *tract.* 4. *cap.* 2. *n.* 1. inter vim obligatiuam legis, & ipſammet obligationem actualem: nam lex ex ſeſe vim habet obligandi in actu primo; non tamen reipſa obligat, & in actu ſecundo ante ſolemnem publicationem, & promulgationem, propter ignorantiam inuincibilem ſubditi, qui non tenetur credere etiam dicenti publicatam fuiſſe legem, aut latam, niſi doceatur fuiſſe ſolemniter promulgatam, & vt principis imperium, quo ſuam legem ſeruari mandat.

Deindè fieri debet ea ſiue publicatio, ſiue promul- 4
gatio, quæ ad notitiam communitatis ſufficiat, ad illámque perueniat: quia lex non fertur vni alicui, ſed toti communitati, & eſt regula operationum totius etiam communitatis, & non priuati dumtaxat alicuius. Quare ſapienter Imperatores Valentinian. & Martianus reſcribunt *l.* 9. *C. de legib. Leges ſacratiſſimæ, quæ conſtringunt hominum vitas intelligi ab omnibus debent, vt vniuerſi præſcripto earum manifeſtius cognito, vel inhibita declinent, vel permiſſa ſectentur.* Quæ verba habentur in *præfatione nouell. Martiani, de matrimonio Senatorum*, extátque integrâ in *libro nouellarum Martiani, tit.* 4. *& in Breuiario Alarici.* Eadem habet Iuſtinian. *nouella* 66. *cap.* 1. §. 1. *&* 3. poſt paulò adducenda: quibus locis æquam, vt vides, rationem reddunt Imperatores, nempè ignorantiam ſubditorum, qui non

poſſunt

poſſunt iuſſa exequi, quæ ignorant inculpatè. Quare de legibus etiam Pontificiis Gratian. *in cap.* 3. *diſt.* 4. dixit, leges inſtitui cùm promulgantur, firmari autem dum moribus recipiuntur; ideò Suar. *lib.* 3. *de legib. cap.* 16. *num.* 2. Salas *diſp.* 2. *ſect.* 1. *num.* 6. *de legib.* Bonac. *diſp.* 1. *q.* 1. *punct.* 4. *n.* 10. Ferdinand. à Caſtro *tract.* 3. *diſp.* 1. *punct.* 10. *num.* 1. ſentiunt legem ſolemniter conſtitutam, ſiue in conſiſtorio Pontificis, ſiue in congregatione Concilij, ſi ea ſolemnitas non ſufficiat, vt in notitiam communitatis deuenire poſſit, nullo modo cenſeri legem conſtitutam, ſeu non habere vim obligandi reſpectu illorum, ad quorum notitiam non peruenit, quia nondùm eſt regula communis operandi. Neque benè obiicitur *cap.* 1. *de poſtulat. prælat.* vbi Innocent III. reiiciens excuſationem Epiſcopi Altiſſiodorenſis, ignorantis interdictum à Cardinali Sedis Apoſtolicæ legato promulgatum, ait: *Cùm conſtitutio ſolemniter editur, aut publicè promulgatur, non eſſe neceſſarium, ipſius notitiam ſingulorum auribus, per ſpeciale mandatum, vel litteras inculcare*: malè (inquam) hoc Innocentij reſponſum obiicitur, quaſi publica promulgatio ſi ſolemniter edatur, vti ſenſit Panorm. *in illud cap.* & Reginald. *lib.* 13.... 155. nam reſpondet Nauarr. *c.* 23. *num.* 40. Salas, & Bonac. locis allatis, in Innocentij verbis particulam, *aut*, non eſſe diſiunctiuam, ſed coniunctiuam. Hoc ſenſu lex obligat, ſi ſolemniter edatur, & publicè promulgetur, ita vt ex mente Suaris adducti, publica promulgatio, & ſolemnis editio idem omnino ſint, ſed ſolemnis editio reſpiciat legislatorem, ſolemnis promulgatio ſubditos. Verùm aperta mens eſt Pontificis, qui excuſationem Epiſcopi quòd interdictum ignoraſſet, quia non fuerat illi intimatum per legatum, vel executores Pontificios, ex eo ſapienter reiicit, quòd eiuſmodi interdictum ſolemniter à legato promulgatum fuiſſet per Galliam, & paſſim ferè obſeruari cœperat, & receptum fuerat in Eccleſia Metropolitana: nec neceſſe erat ſingulis intimari quod ritè & ſolemniter promulgatum fuiſſet. Quod vnum probant aduerſarij, & nos vltrò concedimus: quia id ferè impoſſibile foret, & quod communitati ſolemniter promulgatum eſt, facilè in ſingulorum notitiam deuenire poteſt, & lex fertur communitati, ſingulis autem quatenùs vnam communitatem conflant. Ita Molin. *tract.* 5. *diſp.* 70. *num.* 2.

5 Vt verò certi aliquid habeamus, ſolent Principes deſignare locum aliquem, in quo ſolemnis promulgatio legis fiat, ita vt ſi extra illum publicetur, non obliget ſubditos, etiamſi legem latam eſſe ſciant. Et in legibus quidem Imperaroriis, vt nihil de Græcorum Romanorúmque moribus antiquis hac in re dicamus, voluit Iuſtinian. *Nouella* 66. eam fieri in qualibet Prouinciæ Metropoli, donec in commune manifeſtæ fierent καταφανεῖς ἐν κοινῷ, & elapſi duo menſes à die inſinuationis. Conſtitutio igitur & lex primùm à principe ad Præfectos prætorio dirigebatur, qui eam edictis publicè propoſitis in ciuitate, in qua ſedes Prætoriana erat, notam omnibus reddebant, & deindè eandem ad prouinciarum præſides mittebant, qui legem illam in ciuitate metropolitana, & cæteris, einſdem Prouincię publicari curabant. Nomine porrò ciuitatum intelliguntur eæ ſolæ, quæ in laterculo Imperij deſcriptæ, eo nomine & dignitate donabantur, quæ ferè omnes imperantibus Chriſtianis Principibus auctæ ſunt Epiſcopatibus, atque hac ratione legum eodem modo promulgatarum notitia facilè ad omnes perueniebat. Simile quidem obſeruatum in Gallia tum ſub Romanis, tum vbi à Francis occupata fuit, propriis moribus, & non Romano iure, niſi ad arbitrium principum regeretur, & etiam vbi Romani ius aliquod adhuc retinebant: nam in tribunali prætorij Galliarum debebat promulgari; vnde Sidonius *l.* 8. *Ep.* 6. *de præſcriptione tricennali*, de quâ clariſſimus orator Nicetius in tribunali prætorio audiente ipſo Sidonio tunc iuueni perorauit, ſic ait: *Per ipſum ferè tẽpus vt, decemuiraliter loquar, lex de præſcriptione tricẽnij fuerat proquiritata*, ideſt promulgata, voce tunc vſitata. Nam Mamertus Claudian. Sidonio opuſculum illud, ſine auctore proditum, & vſquequaque proquiritatum, *cuius peremptoriis abolita rubricis lis omnis in ſextum tracta quinquennium terminabatur. Hanc intra Gallias ante neſcitam, primus, quem loquimur, orator indidit proſecutionibus, edidit tribunalibus, prodidit partibus, addidit titulis, frequente conuentu; raro ſedente, paucis ſententiis, multis laudibus.* Vides ſolemnem legem de XXX. annorum præſcriptione omnibus cauſis opponenda, quæ eſt Nouel. Valentiniani, in qua ait ſibi præiuiſſe legem patris ſui Theodoſij, quem Cuiacius *lib.* 18. *obſeruat. cap.* 26. interpretatur Theodoſium Seniorem: Sirmondus verò *in notis ad Sidonium nouell.* eſſe Iuniorem, etſi iamdiu Conſtantinopoli, Victore conſule, ſancitam neſcitam adhuc fuiſſe in Gallia, nec proindè obſeruatam vſque ad Aſterium Coſſ. quo anno à Nicetio in tribunali prætorio Galliarum, proquiritata eſt ab oratore Nicetio, vti deſcribit *Epiſt. cit.* Sidonius. Fluxerant autem XXV. anni ab eius Conſtantinopoli ſanctione & promulgatione, & tunc Romani Galliis adhuc imperitabant.

Vbi verò Gallias occuparunt Franci, etſi ſenſim à iure & moribus Romanis diſceſſerint, vti oſtendemus *alibi*, hunc tamen ſolemnem morem conſtanter retinuerunt, vt omnes leges & conſtitutiones vniuerſales ad Epiſcopos, & iudices, ſiue, vt vocabant, Comites, deſtinarent, vt illorum miniſterio per vnamquamque ciuitatem, ac pagum illi contributum, innoteſcerent. Neque contenti erant, eas vel in regia ciuitate aut Curia, vel etiam in Conuentibus Synodalibus publicatas fuiſſe: nam & Guntrannus Rex anno 585. poſt Synodum II. Matiſcòne celebratam, ad ſingulos Epiſcopos decretis ſuâ operâ inſtitutis in Synodo ſcripſit, vt illa ſeruari curarent: quam præceptionem (ſic enim inſcribitur) refert Sirmondus *tom.* 1. *Concilior. Gallic.* idémque mos in ſecunda Regum noſtrorum propagine retentus eſt. Nam edicta regia, vt teſtatur Adelardus, apud Hincmar. *Epiſt.* 3. *cap.* 16. præbebantur Epiſcopis, & Comitibus, vt in ſuis diœceſibus & Comitatibus ſingulis recitari illa curarent. Audi enim Ludouicum Pium *l.* 2. *Capitul. cap.* 24. *Volumus etiam, vt capitula, quæ nunc, & alio tempore conſultu fidelium noſtrorum à nobis conſtituta ſunt, à Cancellario noſtro Archiepiſcopi & Comites eorum, de propriis ciuitatibus, modò aut per ſe aut per ſuos miſſos accipiant, & vnuſquiſque per ſuam diœceſim Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus & aliis fidelibus noſtris ea tranſcribi faciant, & in ſuis Comitatibus coram omnibus relegant, vt cunctis noſtra ordinatio, & voluntas nota fieri poſſit. Cancellarius tamen noſter nomina Epiſcoporum & Comitum, qui ea accipere curauerint, notet, & ea ad noſtram notitiam perferat, vt nullus hoc prætermittere præſumat.* Denique mutata Magiſtratuum & Reipublicæ forma, illud tamen conſtanter obſeruatum eſt, vt principum noſtrorum conſtitutiones ad Curiam Parlamenti publicandæ mittantur, & ab illâ agentibus Aduocato, & Procuratore regiis, legantur, atque in tabulas redigantur, à quibus deindè deſtinentur ad inferiorum Curiarum Aduocatos quoque, & Procuratores regios, à quibus in ſuis illis inferioribus tribunalibus publicari ſeruarique ſatagant. Cùm

verò hodiè plures regiones Romano Imperio non ampliùs ſubſint, & plurimi tum Principes, tum reſpublicæ ſui iuris exiſtant, ſéque ſummo & optimo iure regant, & nôn teneantur ſeruare modum in ſolemni ſuarum legum promulgatione præſcriptum *in nouella 66. laudata*: vniuerſi tamen hanc promulgationem fieri volunt, non in ſola totius Principatus, aut vniuerſæ ditionis Metropoli, ſed in ſingulis ſuis Curiis, niſi ita anguſta ſit ditio, vt quod in primaria vrbe fuerit publicatum, vix à cæteris ciuitatibus illíſque adiunctis pagis ignorari poſſit, neque in hac legum principalium ſolemni promulgatione ferè diſſi leut.

6 Grauior difficultas eſt circa conſtitutiones, & leges Pontificias, ſiue Eccleſiaſticas vniuerſales: plerique enim illuſtres Theologi & Canonici iuris interpretes exiſtimant ad earum obligationem vniuerſis imponendam ſufficere ſi vel in Pontificis Conſiſtorio, vel alibi Romæ publicentur, ſiue præconis voce, ſiue ſcripto in quibuſdam vrbis locis affixæ proſtent, volúntque eodem temporis momento, vrbem vniuerſam obligare. Ita Ioannes Monachus, Franciſ. Henricus, Siluester, & alij, quos affert, & ſequitur Azor. 1. *part. lib.* 5. *cap.* 3. *quæſt.* 3. & Suarez *lib.* 4. *de legib. cap.* 15. Vaſq. 1. 2. *diſp.* 156. *cap.* 2. Salas *de legib. diſp.* 12. *num.* 2. Valentia 1. 2. *diſp.* 7. *quæſt.* 5. *punc.* 5. Bonac. *diſp.* 1. *de legib. q.* 1. *punct.* 4. *num.* 16. Ferdinand. à Caſtropalao *tract.* 3. *diſp.* 1. *punct.* 12 *n.* 2. Layman *tract.* 4. *cap.* 2. *num.* 4. & alij qui plures allegant & probant primò, quia ex natura rei ſufficit quæcunque ſolennis publicatio, vbicunque fiat, éſtque penes arbitrium legiſlatoris, & Principis ſtatuere locum, in quo ſuam legem promulgari velit, ſicut & modum eiuſmodi promulgationis. Et Iuſtinianus quidem ſapienter omninò voluit in quacumque cuiuſcunque Prouinciæ Metropoli promulgari, & ſolùm poſt duos menſes ab eiuſmodi publicatione obligare. At verò neque Pontifex, neque Eccleſia legibus Imperatoriis & laïcis tenetur, neque quidquam eiuſmodi ſtatuit. Secundò lites ex omnibus orbis Chriſtiani Prouinciis continuo vſu ad Sedem Apoſtolicam delatæ Romæ æſtimantur certè non niſi ſecundùm leges Romæ publicatas, quod iniquum omninò foret, ſi eiuſmodi leges Romæ ſolùm publicatæ cæteras Prouincias non æquè obligarent. Tertiò vidèmus plurimas bullas Romæ ſolùm publicatas, reliquum orbem obligare, quamuis in ſingulis Epiſcopatibus non publicentur, vt bulla Cœnæ, quæ Romæ quotannis publicatur. Quartò, quia ipſi Pontifices volunt aliquando in ſingulis diœceſibus publicari, vt conſtat de decreto Concilij Tridentini de matrimonio clandeſtino, aliàs deſignant certum tempus, quo incipient obligari, quâ ratione Pius IV. declarauit Concilij decreta non obligare niſi poſt tres menſes à publicatione Romana. Quintò, quia alioquin neque ſextus Decretalium, neque Clementinæ, neque Extrauagantes obligarent: quia non ſunt in ſingulis Prouinciis publicatæ; quod verius etiam eſt in regulis Cancellariæ, ſecundùm quas tamen Romæ in cauſis vniuerſi orbis iudicatur. Denique nunquam Eccleſia ſtatuit, vt eiuſmodi promulgatio fieret in ſingulis Metropolibus.

7 Contraria ſententia negat ſufficere promulgationem in curia Pontificis, & Romæ factam, ad omnes fideles obligandos, eáque eſt etiam grauiorum & plurimorum auctorum, Dominici Soto *lib.* 1. *de iuſtit. quæſt.* 1. *art.* 4. Ludouic. Molinæ *tract.* 2. *de iuſtit. diſp.* 395. Becan. *tract.* 3. *cap.* 6. *quæſt.* 6. Caietani. 1. 2. *quæſt.* 90. Nicol. Serarij *diſp. de legib. à num.* 56. *ad* 62. accedant & Canoniſtæ, Nauarr. *in Enchirid. cap.* 23. *num.* 44. & licet *conſilio* 1. *de conſt. quæſt.* 4. contrarium affirmet, ex vltimo tamen eius opere mens illius petenda eſt. Et ſanè *in* 1. *iſto conſilio* plurima habet in vtramque partem, tandémque concludit ex conſuetudine, & ſtylo Curiæ veram eſſe opinionem, quæ ſolam Romæ publicationem requirit; contrariam verò iuri eſſe conformiorem, atque illa communi diſtinctione conciliat ambas ſententias, & diſſidentes auctores. Nos igitur iſtam vti iuri & rationi conformiorem & ex ipſius Nauarri mente probabiliorem multò ducimus, quam & praxi veteris Eccleſiæ maximè conſentaneam eſſe facile oſtendemus cum Petro de Marca *lib.* 2. *de concordia, cap.* 15. non fuit enim contenta vetus Eccleſia leges ſuas, & Canones in Conciliis œcumenicis ſanciri, & promulgari, neque Pontifices in ſuo Conſiſtorio publicari, niſi ad ſingulas Prouincias, & Archiepiſcopos, atque aliquando Epiſcopos mitterentur, qui ea decreta fidelibus publicarent, ne ignorantes obligare dicerentur. Concilium Arelatenſe I. ex omnibus Occidentis Prouinciis agente Magno Conſtantino & Siluestro primo ſummo Pontifice coactum in cauſa Donatiſtarum, poſt cauſam diiudicatam, & damnatos Donatiſtas, XXII. Canones condidit, quos ad Siluestrum Epiſtola Synodali miſit, in qua illum primò *cum merita reuerentia ſalutant PP.* Deindè ſe Donatiſtas damnaſſe monent, doléntque non interfuiſſe Siluestrum, qui cum illis pariter iudicaſſet, *ſed* (inquiunt) *quoniam recedere à partibus illis minimè potuiſti, in quibus & Apoſtoli quotidiè ſedent, & cruor ipſorum ſine intermiſſione gloriam Dei teſtatur.* Addunt ſe præter hanc cauſam, alia quædam decreuiſſe, quæ indicarunt obſeruanda ad communem quietem: *Non tamen hæc ſola nobis viſa ſunt tractanda, frater chariſſime, ad quæ fueramus inuitati, ſed & conſulentes nobiſmetipſis conſuluimus, & quam diuerſæ ſunt Prouinciæ, ex quibus aduenimus, ita & varia contingunt, quæ nos cenſemus obſeruare debere.* Denique addunt PP. ſe ad Pontificem ſua decreta mittere, vt ab illo, qui maiores diœceſes tenet, omnibus inſinuentur: *Placuit ergo præſente Spiritu ſancto, & Angelis eius & his, qui ſingulos quos monebat iudicare, proferemus de quiete præſente, placuit à te qui maiores diœceſes tenes per te potiſſima omnibus inſinuari.* Non ſufficit his Patribus ſuos Canones in ſua Synodo ferè vniuerſali, & ex variis Prouinciis congregata, conditos, in ea promulgari, ſed omnibus inſinuari curant per Siluestrum ſummum Pontificem, ad quem illos mittunt, non modò confirmandos; ſed vt per illum omnibus inſinuentur: quia ille maiores diœceſes tenet quibus facile fuerit illos inſinuare: quod non eſt illos ſolum Romæ in publico Conſiſtorio publicare: fruſtrà enim dicerent, illum maiores diœceſes, tenere, ſi omnes toto orbe fideles illis Romæ tantùm publicatis tenerentur. Deindè in proœmio dicunt PP. ipſum Silueſtrum alloquentes: *Quæ decreuimus*, inquiunt, *communi conſilio Charitati tuæ, vel conſuetudine ſignificamus, vt omnes ſciant quid in futurum obſeruare debeant.* Pontificis enim Romani, etiam vt Patriarchæ, erat, diœceſes maiores, & ipſarum Archiepiſcopos monere de Canonibus ſancitis.

Sed illuſtrius multò teſtimonium habemus ex magna Nicæna Synodo: teſtatur enim Gelaſius Cizicenus *lib.* 3. illam per Epiſcopos, qui interfuerant, miſiſſe omnibus terrarum Eccleſiis, quæ per Spiritum ſanctum conſtituta fuerant, quorum Epiſcoporum Gelaſius indicem edidit, in iiſque numerat Oſium, & Vincentium ac Bitonem Romanos Presbyteros, & Pontificios legatos, qui ea decreta in Occidente Romæ, Italiæ, Hiſpaniæ, & Galliæ Eccleſiis 8

ad Oceanum vſque publicarunt; ſed habemus ipſam etiam Synodalem ipſius Concilij Epiſtolam ad Ægyptios, Lybiæ & Pentapolis, & cæteros Epiſcopos qui Synodo non interfuerant: illis enim ſcribit, quæ diſceptata & ſancita fuiſſent, idque neceſſarium ita iudicauit Synodus, vt ea nimirùm fideles ſuos docerent ἀναγκαῖον ἐφάνη ϗ πρὸς ὑμᾶς ἀποστεῖλαι γράμματα ἵν' εἰδῆτε τίνα μὲν ἐκινήθη ϗ ἐξητάσθη τίνα δὲ ἔδοξε ϗ ἐκρατύνθη. Neceſſarium videtur, vt ad vos à ſacro Concilio mittantur litteræ, ex quibus poſſitis intelligere quæ in controuerſiam adducta, & exquiſitè diſceptata ſunt, & quæ decreta, & conſtabilita ſunt. Deinde fuſiùs narrant damnationem Arij & impiorum eius dogmatum: tùm de Thiona Marmaricæ, & ſecundæ Ptolemaidis Epiſcopis & Meletio quoque damnatis agunt, quamquam cum Meletio humaniùs actum fuerit, quàm commeruiſſet, & de Presbyteris ab eo initiatis & aliis inferioris ordinis in Ægypto quid ſtatutum fuerit, quæ ſeparatim ad ſanctiſſimam Eccleſiam Alexandrinam referri dicunt. Quod ſi quid aliud ſancitum fuerit à præſente Alexandro Patriarcha Alexandrino renuntiandum ipſis eſſet, monent: deindè de obſeruatione feſti Paſchatis ex antiqua ipſorum conſuetudine, decreta ſunt. Itaque non ſatis fuit, ea omnia ſolemniter in Concilio conſtituta eſſe, præſente & conſentiente ipſorum Patriarcha Alexandro, ſed voluit prætereà Synodus ſuis litteris ea omnia Epiſcopis per Ægyptum, Lybiam, & Pentapolim, Epiſtola Synodali inſinuare, quamuis à ſuis Collegis, ipſoque Patriarcha, qui Synodo interfuerant, accipere potuiſſent. Synodus Sardicenſis Epiſtola Synodica ad Iulium R. P. vbi quæ fuerant in Concilio agitata præſcripſit, hæc addit: *Tua autem excellens prudentia diſponere debet, vt per tua ſcripta, qui in Sicilia, qui in Sardinia, & in Italia ſunt fratres noſtri quæ acta ſunt, & quæ definita cognoſcant, & ne ignorantes eorum accipiant litteras, communicatorias, quas extra Epiſcopatum iuſta ſententia declarauit*, vt quid verò Synodus Iulium rogat, vt ſuis litteris Sardos, Siculos & Italos Epiſcopos moneat de iudcio & ſententia Synodi, ſi ſatis erat ea decreta Romæ publicari? cur addunt ſub finem Epiſtolæ: *Omnes fratres & Coëpiſcopos noſtros litteris tuis admonere digneris, ne Epiſtolas, id eſt, litteras communicatorias eorum accipiant*, cum etiam relatione Archidami, Philoxeni, & Leonis legatorum Apoſtolicorum, qui præſentes adfuerant, tum ipſe Iulius, tum reliqui Epiſcopi Occidentis reſcire iudicium Synodi potuiſſent, illóque ligari ex aduerſariis, iis tamen ſingulis à Iulio Pontifice intimari vult Synodus. *Cæterùm*, inquit, *ſicuti ſuperius commemorauimus relatio fratrum, quos ſincera Charitas tua miſit, vnanimitatem tuam perdocebit. Subiicit eorum nomina, qui pro facinoribus ſuis deiecti ſunt. Subiicere curauimus, vt ſciret eximia grauitas tua, qui eſſent communione priuati*. Scribit quoque Synodus ad Eccleſiam Alexandrinam, & fusè quid in ea de Athanaſij innocentia geſtum ſit, & demùm ad vniuerſam Eccleſiam, & rogat vniuerſos Epiſcopos, vt ſuis præſcriptionibus acta Synodi probent. *Quin & vos quoque ſtudete*, fratres, & comminiſtri noſtri in ſactis obeundis vt ſpiritu præſentes in noſtra Synodo idem ſuffragium conferatis per veſtras ſubſcriptiones, δι' ὑπογραφῆς ἡμετέρας. Cur in conquirendis ſubſcriptionibus ſe fatigat Synodus, cùm iudicio illi ſtare tenerentur, quod ſolemniter in ipſa Synodo fuerat promulgatum? Addit Concilium ad calcem Epiſtolæ, *Hæc ita ſcriptis mandata ſacrum Sardicenſe Concilium ad eos, qui intereſſe non poterant, miſit, qui ipſi quoque ſuis ſuffragiis decreta Synodi approbarunt; eorum autem qui in Synodo ſubſcripſerunt, cæterorumque aliorum iſta ſunt nomina*; quæ *ibidem* recenſentur.

Duobus ferè annis poſt Synodum Sardicenſem 9
Photinus Sirmij Illyrici Orientalis Epiſcopus, propter renouatam Pauli Samoſateni hæreſim à Synodo Mediolanenſi damnatus, & deindè in Romana abdicatus Epiſcopatu fuit. Qua de re ſic habet Hilarius in fragmentis: *Decretum ab Occidentalibus, ſicut mos poſcebat, ad Orientales mittitur, non iniuria extorquendi, vt nunc agitur ad ſenſum, ſed inſtruenda vniuerſorum conſcientia conſuetudine*. Quod verò opus ea inſtructione ſit, promulgata Romæ damnatione, omnes ſatis inſtruebantur.

Epheſina vniuerſalis Synodus poſt damnatum Ne- 10
ſtorium, & Cæleſtium, cæteros omnes Prouinciarum Epiſcopos monet *Can. I.* & certiores facit de tota re. *Quoniam autem*, inquit, *oportebat & abſentes à Synodo morantéſque in vrbibus, & prouinciis, ob aliquod impedimentum ſiue Eccleſiaſticum, ſiue corporeum, non ignorare, quæ de ipſis ſunt conſtituta, ſignificamus ſanctitati veſtræ, vt ſi quiſpiam Metropolita Prouinciæ, vbi adhærentes Cæleſtio, motos Epiſcopatu declarat.*

Neque alius fuit veterum Pontificum Romano- 11
rum mos, dum quid ſtatuerent quod totam Eccleſiam attingeret, illud ſingulis Epiſcopis ſignificari curabant. Sic Siricius, cùm ab Himerio Tarraconenſi, qui Damaſum R. P. variis de cauſis conſulebat, litteras accepiſſet & eas in conuentu fratrum ſollicitiùs legiſſet, conſultationi Himerij reſpondit pro officio, *Portamus*, inquit, *onera omnium qui grauantur; quin immo hæc portat in nobis B. Apoſtolus Petrus, qui nos in omnibus, vt confidimus, adminiſtrationis ſuæ protegit & tuetur hæredes.* Deindè ſuam reſponſionem ſic concludit: *Explicuimus, vt arbitror, frater chariſſime, vniuerſa quæ digeſta ſunt in querelam; & ad ſingulas cauſas, de quibus per filium noſtrum Baſſiranum Presbyterum ad Romanam Eccleſiam, vtpote ad caput tui corporis, retuliſti, ſufficientia, quantum opinor, reſponſa dedimus: nunc fraternitatis tuæ animum ad ſeruandos Canones, & tenenda decretalia conſtituta, magis ac magis incitamus, vt hæc quæ ad tua conſulta reſcripſimus, in omnium Coëpiſcoporum noſtrorum perferri facias notionem, & non ſolùm eorum, qui in tua ſunt diœceſi conſtituti, ſed etiam ad vniuerſos Carthaginenſes, ac Bœticos, Luſitanos, atque Gallicos, vel eos qui vicinis tibi collimitant hinc inde Prouinciis, hæc quæ à nobis ſalubri ordinatione diſpoſita, ſub litterarum tuarum proſequutione mittantur, quamquam ſtatuta ſedis Apoſtolicæ vel Canonum venerabilia definita, nulli Sacerdotum Domini ignorare ſit liberum, vtilius tamen, atque pro antiquitate Sacerdotij tui, dilectioni tuæ eſſe admodum poterit glorioſum, ſi ea quæ ad te ſpeciali nomine generaliter ſcripta ſunt, per vnanimitatis tuæ ſollicitudinem in vniuerſorum fratrum noſtrorum notitiam perferantur, quatenùs, & quæ à nobis non inconſultò ſed proindè ſub nimia cautela & deliberatione ſunt ſalubriter conſtituta, intemerata permaneant, & omnibus in poſterum excuſationibus, qui iam nulli apud nos patere poterit, aditus obſtruatur.* Hæc autem promulgatio decretorum Siricij adeò neceſſaria fuit, ne vlli excuſationi propter ignorantiam pateret aditus.

Vt eius ſucceſſor Innocent. I. *Epiſt. ad Exuperium* 12
Toloſanum, qui illum conſuluerat de abdicatione Sacerdotum qui ab vxoribus non abſtinebant, quam Siricius fieri ſeuerè iuſſerat, in citata *Epiſt. ad Himerium decreto VII.* diſtinxerit inter eos, qui decretum Siricij ſciuerunt & illud ignorarunt: *Propoſuiſti* (inquit Innoc. cap. 1.) *quid de his obſeruari debeat, quos in Diaconij miniſterio, aut in officio Presbyterij ſolitos incontinentes eſſe, aut fuiſſe generati filij prodiderunt, de his & diuinarum legum manifeſta diſciplina, & beata*

recorda

recordationis viri Siricij Epiſcopi monita euidentia commearunt omni Eccleſiaſtico honore priuarentur, nec admittere ad miniſterium, quod ſola continentia oportet impleri. Deindè adiicit: *Si ad aliquos forma illa Eccleſiaſtica diſciplina, quæ ab Epiſcopo Siricio ad Prouincias commearit, non probabitur perueniſſe, his ignorationis venia remittitur, ita vt de cæterò penitùs incipiant abſtinere, & ita gradus, in quibus inuenti fuerint, ſic retemeret, vt eis non liceat ad potiora conſcendere, quibus in beneficio eſſe debet, quod hunc ipſum locum, quem retinent, non amittunt. Si qui autem ſciſſe formam viuendi à Siricio miſſam detegentur, neque ſtatim cupiditates libidinis abieciſſe, illi ſunt modis omnibus ſubmouendi: quia poſt admonitionem cognitam, præponendã arbitrati ſunt voluptatẽ.* Vult igitur Innocent. legem Siricij ad ſingulas Prouincias perueniſſe, non tantùm fuiſſe Romæ publicatam, vt eius violatores pœnâ impoſitâ ab eodem Pontifice plectantur. Hunc ipſum morem tenuit idem Innoc. *Ep. ad Alexand. Antiochen.* nam vbi certa quædam conſtituit, concludit his verbis: *Grauitas itaque tua hac ad notitiam Coepiſcoporum vel per Synodum, ſi poteſt, vel per harum recitationem faciet peruenire, vt ea quæ ipſe iam ſeriò percunctatus es, & nos tam elimatè reſpondimus, communi omnium conſenſu, ſtudióque ſeruentur.*

13 Zozimus, qui Innocentio ſuffectus anno Chriſti 417. Auguſti 19. Honorij, & Theodoſij 13. cum Patroclo Arelatenſium Epiſcopo indulſiſſet, vt nullus ex Galliis ſub quolibet Eccleſiaſtico gradu Romam veniie diſponeret, niſi acceptis Metropolitani Arelatenſis formulis, addit: *Quam auctoritatem vbique nos miſiſſe manifeſtum eſt, vt cunctis regionibus innoteſcat id quod ſtatuimus, omnimodis eſſe ſeruandum. Si quis autem hæc ſalubriter conſtituta temerare tentauerit ſponte ſua, ſe à noſtra nouerit communione diſcretum.* Non ſatis igitur Zozimo fuit ſe eiuſmodi priuilegium Arelatenſis Romæ more ſolito conceſſiſſe, niſi eam conceſſionem & auctoritatem, hoc eſt illius authenticum teſtimonium vbique ſignificaret.

14 Leo Magnus *Epiſt. 79. ad Nicetam Aquileienſem*, vbi illi reſpondit de iis, quæ ab illo poſtularat vt auctoritatem ſedis Apoſtolicæ acciperet, quæ magnam difficultatem diiudicationis videbantur afferre, ſic claudit ſuum reſcriptum: *Hanc autem Epiſtolam noſtram, quam ad conſultationem tua fraternitatis emiſimus, ad omnes fratres & comprouinciales tuos Epiſcopos facias peruenire, vt in omnium obſeruantiâ, dicta proſit auctoritas.* Neque dicas, hanc fuiſſe veluti priuatam Epiſtolam, quam Leo comprouincialibus Nicetæ Epiſcopis communicari iure voluerit: fuere enim de rebus grauiſſimis decreta & quæſtiones, quas Leo ſummâ auctoritate definierat, & quas totius Eccleſiæ ſcire interetat, de coniugio ſcilicet vxorum, quæ captiuis maritis, quos nunquam ſeruitute liberandos crediderant, nupſerant: de captiuis qui cibos immolatitios comederent: de iis qui vel errore baptiſmum iterarant, vel de his, qui ab hæreticis fuerant rebaptizati, quarum omnium quæſtionum definitio ad vniuerſam Eccleſiam pertinebat, & quibus omnibus Leo non tantùm vt doctor quidam ſatisfacit, ſed eas cum auctoritate, vt iam monui, definit: vnde ait: *Vt in omnium obſeruantiâ, dicta proſit auctoritas*; quibus verbis ſignificat, velle vt ex ſua auctoritate omnes ſe in earum obſeruantia tueantur: atque ad hoc iubet ſuam reſponſionem, & decreta omnibus Epiſcopis comprouincialibus communicentur, ita vt non modò Romæ publicari velit, ſed nequidem tantùm in Prouinciæ Aquileienſis Metropoli, quod ad ſummum exigi poſſe videbatur; ſed & in ſingulis Epiſcopatibus Nicetæ Aquileienſis Metropolitæ. Adde, eundem non exiſtimaſſe ſufficere Dioſcori, & Eutychetis damnationem in œcumenico Concilio Chalcedonenſi factam, & promulgatam fuiſſe, ſed ipſemet eam Gallis Epiſcopis, qui vix quod in generali Concilio ſolemniter actum fuerat, ignorare poterant, voluit ſignificare ſuis litteris, *Epiſt. 94. Nam, fratres mei, qui vice mea Orientali Synodo præſederunt, quæ vota retulere, ſignifico, confirmata Catholica fide & glorificata Apoſtolica prædicationis triumpho.* Idem *Epiſt. 91.* conſultus à Theodoro Foroiulienſi Epiſcopo, dandáne eſſet pœnitentia & communio extremo morbo laborantibus, arguit illum imprimis quòd id à ſuo Metropolitano non quæſiſſet, & deinde vnà cum illo ad omnium Domini Sacerdotem recurriſſet, vt ordo Eccleſiaſticus ſeruaretur, *Sollicitudinis quidem tua is ordo eſſe debuerat, vt cum Metropolitano tuo primitus, quod quærendum videbatur eſſe, conferres: ac ſi id quod ignorabat dilectio tua, etiam & ipſe neſciret, inſtrui vos pariter poſceretis: quia in cauſis quæ ad generalem obſeruantiam pertinent, omnium Domini Sacerdotem nihil ſine Primatibus oportet inquiri*, Deinde quæſtioni propoſitæ reſpondet, demùm ſubiicit: *Hac autem, quæ ad interrogationem dilectionis tuæ ideò reſpondi, ne aliquid contrarium ſub ignorantia excuſatione gereretur, in Metropolitani tui notitiam facies peruenire, vt ſi qui fortè ſunt fratrum, qui de his antea putauerunt ambigendum, per ipſum de omnibus, quæ ad te ſcripta ſunt, inſtruantur.* Vides, Leonem non mittere ad ea quæ Romæ publicata ſunt, ſed Metropolitanum interrogandum velle; deindè ſua reſponſa communicari Metropolitano, vt ab illo cæteri, qui de quæſtione propoſita Pontifici ambigunt, inſtruantur.

Hinc factum, vt Concilia Prouincialia decreta P. 15 Romanorum publicarent, & ſuis etiam Canonibus insererent, vt factum à Patribus Agathenſibus. Nam Siricij, & Innoc. I. circa abſtinentiam Sacerdotum à propriis vxoribus conſtituta publicârunt, *Canone ſuo 9.* & ipſis Pontificum illorum verbis illa retulerunt, & in Concilio Africano ſub Bonifacio, & Cœleſtino *cap. 61.* recitatæ ſunt litteræ Papæ Innocentij, *Vt Epiſcopi ad transmarina facile pergere non debeant, quod ipſorum Epiſcoporum ſententiis confirmatur.* Quid opus hac inutili recitatione, & Epiſcoporum Africanorum conſenſu & confirmatione, cùm iam hæc Innoc. decreta Romæ iamdiù publicata fuiſſent, & omnes vbique Epiſcopos ex aduerſariis obligarent, refert etiam Ferrandus Diaconus, *in Breuiario Canon. cap. 6.* Concilium Zellenſe iuſſiſſe ne vnus Epiſcopus Epiſcopum ordinaret, exceptâ Eccleſiâ Romanâ ex Epiſtola Siricij Papæ. Addit *cit. 130.* idem Concilium prohibuiſſe, ne viduæ maritus admitteretur ad Clerum, ex Epiſtola quoque Siricij Pontificis; quæ Epiſtolæ ſine dubio illis Patribus parùm adeò notæ erant, vt opus fuerit Concilij Patribus eas adducere: quin etiam non modò illa decreta R. Pontificum referebant, ſed illa etiam aliquando ex Eccleſiæ, & ſuæ Prouinciæ commodo temperabant, vt vides in illo Siricij & Innocentij I. decreto quod, ita vſum vxorum Diaconis & Presbyteris interdixit, vt violatores etiam contumaces abſtineret à communione, quam tamen illis conceſſit Synodus I. Turon. an. 641. ſpe ad altiores gradus aſcendendi ſolùm ipſis adempta, *Can. 2. Sufficiat his tantùm à communione non efficiantur alieni.* Deindè tamẽ Synodus Agathenſis anno 586. integra illa Pontificia decreta recepit, & hanc etiam communionem eiuſmodi incontinentibus, vti retulimus, ademit.

Vides igitur, antiquum Eccleſiæ morem, quem 16 Concilia generalia, ipſique Romani Pontifices in promulgandis ſuis Canonibus & decretis tenuerunt, vt leges

leges eiuſmodi deinceps ſeruandas non Romæ ſolùm, ſed in ſingulis diœceſibus & ſaltem Archiepiſcopatibus publicari curarent, ne quis earum ignorantiam poſſet meritò obtendere. Quare ipſum Concilium Lateranenſe ſub Innoc. III. *cap.* 22. & refertur *cap. cùm infirmitas. de pœnitent. & remiſſion.* diſtrictè præcepetit Medicis corporum, *vt cùm ad infirmos vocati fuerint, eos inducant vt medicos aduocent animarum, vt poſtquam infirmo fuerit de ſpirituali ſalute prouiſum, ad corporalis medicinæ remedium ſalubrius procedatur.* Hoc verò ſuum decretum vult Concilium per prælatos locorum publicari, neque ante eiuſmodi Medicos decreti violatores ſubiici pœnæ impoſitæ, quæ eſt prohibitio ab ingreſſu Eccleſiæ, & Concil. Tridentinum irritans clandeſtina matrimonia, noluit vim vllam dare ſuo decreto, niſi trigeſimo die poſt eius publicationem in ſingulis parœciis factam. Quare inuiliter omninò nobis obiiciunt aduerſarij vſum hodiernum, quem & nos negamus, & veteribus moribus diſſonum aſſerimus, & nulla lege Eccleſiaſticâ ſancitum, & rationi quoque parùm conſentaneum, cùm facile ſit, reliquum ferè orbem, quod Romæ dumtaxat publicatum fuerit, aut in tabulis ad valuas alicuius Eccleſiæ præſcriptum, ignorare, *quam enim ioculare* (inquit Nicola. Serrar. *diſp. de legib.*) *quæ lex Romæ ſit, eandem eodem temporis momento in Gallia, Hiſpania, India extremiſque Chriſtianorum gentium partibus fixam & promulgatam cenſeri.* Neque video quódnam ſit inter leges Pontificias, & laïcas hac in parte diſcrimen, cùm vtræque inculpatè ignorantes ligare nequeant, & cur lex Principis in totius regni & Principatus Metropoli publicata æquè ad cæteras Prouincias peruenire non poſſit, atque lex Pontificia Romæ affixa, vel publicata in reliquum orbem dimanare? An vocalior erit præco Pontificius Imperatorio, neque fama legis editæ ſufficiat ad obligationem inducendam, ſed neceſſaria ſit ſolemnis publicatio, vti diximus, quæ fiat publicâ auctoritate, ita vt conſtet ſubditis, Principem ſiue laïcum, ſiue Eccleſiaſticum iubere, vt Principem, ex ſua illa auctoritate, quâ illum pollere conſtat. Neque bene obiiciunt, Eccleſiam non teneri ſeruare legem Cæſaream, quæ iubet, legem publicari in qualibet Metropoli; id enim vltrò fatemur, neque dicimus, legem Pontificiam publicandam eſſe & Romæ, & alibi, vt ſeruetur lex Cæſarea: ſed ex natura rei debere publicari iis in locis, in quibus ab omnibus ſubditis cognoſci & ſciri poſſit, quod quia vix obtineri poterit, ſi vel Romæ, vel in ſola regia Metropoli fiat, extra illas publicari omninò neceſſe eſt. Adde ex communi DD. conſenſu, leges etiam principum, vbi vel non ſunt legibus Eccleſiaſticis contrariæ, vel ab iis abrogatæ, ſeruandas eſſe ab Eccleſia: atqui illa nunquam ſanxit leges Eccleſiaſticas Romæ ſolùm publicandas eſſe, immò contrarium variis occaſionibus edixit, & ſuas leges in ſingulis Prouinciis ferri voluit, qua de cauſa ipſi etiam Principes, vbi aliqua inſeruerunt ſuis edictis, quæ Eccleſias quodammodò attingerent, illa ad Patriarchas, vt in ſuarum Sedium ſubiectis Eccleſiis publicarent, miſerunt. Quare Iuſtinian. *Nouella VI.* in qua de Clericorum & Epiſcoporum ordinationibus quamplurima conſtituit, ſuam conſtitutionem ſic claudit: *οἱ μὲν ἁγιώτατοι πατριάρχαι διοικήσεως ἑκάστης ταῦτα προθήκωσιν ἐν ταῖς ὑφ' ἑαυτοῖς ἁγιωτάταις ἐκκλησίαις, δῆλα δὲ ποιήσωσι τοῖς θεοφιλεστάτοις μητροπολίταις τὰ παρ' ἡμῶν διατεταγμένα· οἱ δὲ αὖθις, καὶ αὐτοὶ προθήκωσί τε αὐτὰ τὴν τῆς μητροπόλεως ἁγιωτάτην ἐκκλησίαν, τοῖς τε ὑφ' ἑαυτοὺς ἐπισκόποις φανερὰ ταῦτα καταθήκωσιν, ἐκείνων δὲ ἕκαστος ἐν τῇ οἰκείᾳ ἐκκλησίᾳ ταῦτα προθέτω*, concludit denique *ὥστε μηδένα τῶν τῆς ὑμετέρας πολιτείας, ἀγνοεῖν τὰ παρ' ἡμῶν εἰς τιμήν τε, καὶ αὔξησιν τοῦ μεγάλου θεοῦ, καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ χριστοῦ διατετυπωμένα. Sanctiſſimi Patriarchæ vniuſcuiuſque diœceſis hæc proponant Eccleſiis ſub ſe conſtitutis & manifeſta faciant Deo amabilibus Metropolitis, quæ à nobis conſtituta ſunt. Illi quoque rursùs etiam proponant ea in Metropolitanâ ſanctiſſima Eccleſia, & conſtitutis ſub ſe Epiſcopis manifeſta faciant: illorum verò ſinguli in propria Eccleſia hæc proponant, vt nullus noſtræ reipublicæ ignoret, quæ à nobis ad honorem, & augmentum magni Dei & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti diſpoſita ſunt.* Quorum omnium ratio alia reddi non poteſt, quàm quòd leges non poſſint ignaros obſtringere, ac proindè eâ ratione promulgari debeant, vt nulla ignorantiæ excuſatio obiici queat, quod æquè conuenit legi Pontificiæ atque Imperatoriæ. Quare legiſlatores ſolliciti eſſe debent vt omnis eiuſmodi ignorantiæ prætextus præſcindatur, quod ſapienter oſtendit ſanctus Thom. 1. 2. *quæſt.* 90. *art.* 4. legem nempè ferri aliis per modum regulæ & menſuræ, quæ his regulantur & menſurantur applicari debet: igitur lex applicanda eſt hominibus, qui per eam regulantur, quod non fit niſi in notitiam eorum deducatur, quod ſolâ promulgatione fit. Quare ex illa ſuam omnem vim obligandi obtinet: ideoque appoſitè addit commentator Caietan. *Si nona Romæ promulgatur lex, & nec Curia ipſa procurat, vt promulgatio ad Eccleſias Cathedrales deueniat, nec prælati, qui ibi ſunt, inſinuant ſuis Eccleſiis, accuſari nec apud Deum, nec apud homines ignorantia poſſunt neſcientes neſcìri.* Quæ Caietani verba Layman, Azor, & alij aduerſarij ſic interpretantur, vt velint dumtaxat ignorantes inculpabiliter legem nouam, non obligari ad eius obſeruationem, quod de ignorantia inculpabili nullus negat. Verùm perſpicaciores fuerunt in Caietani mente perſcrutanda Medi. *in illum art.* 4. S. Thom. & Nauarr. *conſil.* 1. *de conſtitut. q.* 1. *num.* 18. illum velle legum eiuſmodi Romæ, & in Curia publicatarum notitiam debere vel ab ipſa Romana Curia, vel ab ipſo Romano Pontifice, vel à prælatis, qui Romæ publicationi, & promulgationi interfuerunt, Cathedralibus Eccleſiis inſinuari, alioquin abſentes neſcios, nec apud Deum, neque apud homines violatæ legis reos fieri, hoc eſt laborare ignorantia inuincibili, quæ illis neque apud Deum, neque apud homines infractæ legis accuſet; Vbi igitur Romæ promulgata lex eſt, tenentur Pontifices, vel Curia illam, ſiue eius notitiam ad Cathedrales Eccleſias mittere, alioquin neſcij non poſſunt infractæ legis argui. Ex Caietano ergo non ſufficit promulgatio Romæ facta ad obligationem legis inducendam abſentibus, & neſciis, ideoque vel docendi ſunt abſentes per nouam promulgationem, ſiue à ſuis prælatis, qui Romanæ promulgationi interfuerunt, ſiue à Romana Curia, ſiue à Romano Pontifice procuretur, alioquin queri non poſſunt de ſua lege violata, cùm inuincibilis ignorantia violatores illius excuſet ab omni culpa.

Quod extremo loco obiiciebatur, fore vt neque 17
bulla Cœnæ, neque decretales, maximè ſextus decretalium, neque Clementinæ, neque Extrauagantes, neque regulæ Cancellariæ, quæ extra Romam publicatæ non ſunt, obligarent, non vrget: quia fatemur neque Bullam Cœnæ, neque Cancellariæ regulas omnes vbique obligare. Et quæſtio grauis eſt an editio decreti, Decretalium, & aliarum eiuſmodi ordinationum auctoritate Pontificis facta habeat vim obligandi, & ſit vice cuiuſdam ſolemnis promulgationis; quam grauem controuerſiam definiemus *alibi.*

Reſtat definiendum tempus, quo leges Eccleſiaſti- 18
cæ incipiant obligare, an ſtatim à promulgatione ſolemni

ſolemni in loco, in quo fieri debet: an aliquo alio tempore, & quomodo illud definiendum ſit.

19 Dico verò, legem ſtatim à publicatione incipere obligare, ſucceſſiuè tamen, hoc eſt, non omnes eodem momento obligare, ſed prout lex diuulgatur, & innoteſcit in ſingulis Prouinciis, ita vt prudentis arbitrio ſufficiat tempus promulgationis ad obligandam totam aliquam communitatem vel territorium. Ita Vaſq. 1. 2. *diſp.* 15. *quæſt.* 6. *cap.* 3. Suar. *lib.* 3. *de legib. cap.* 17. & alij paſſim: quia non eſt cur ex natura rei, quam modò ſolam attendimus, certo aliquo tempore ſuſpendatur obligatio. Non poteſt tamen ſimul in eodem territorio omnes obligare, cùm ad omnes eius partes non niſi ſucceſſiuè diuulgari queat: quamuis autem dicatur lex, ex nunc obligare, id moraliter intelligendum eſt, vt in eo loco, in quo promulgatur, reipſa tunc obliget, in aliis autem nonniſi ſucceſſiuè. Quod etiam vulgò dicitur, omnes ſimul obligari poſt promulgationem, plerique tamen qui adhuc inuincibiliter ignorant, excuſantur à tranſgreſſione per ignorantiam inuincibilem, illa tamen teneri dicuntur, quomodo loquuntur Soto *l.* 5. *de iuſt. quæſt.* 1. *art.* 4. Sanch. *lib.* 1. *in decalog. cap.* 12. *num.* 1. *&* *lib.* 9. *de matrim. diſp.* 32. *num.* 2. *&* 3. quia etſi ignorantes poſt ſufficientem promulgationem, qua poſita lex obligat in eo territorio ſcientes excuſentur à culpa, ſubiacent tamen aliis effectibus legis: ſed hæc lis eſt de nomine. Vaſq. *l. c. num.* 20. ait excuſari ab obligatione quoad culpam: & ſolui à lege, & obligatione idem omninò eſſe. Ratione autem Sanchis tantùm oſtenditur diſcrimen inter quaſdam leges, nimirùm irritantes & prohibentes; quod etiam aduertunt Iuriſtæ. Nam lex irritans obligat etiam ignorantes: contractus ſiquidem vel actus factus poſt primam eius promulgationem ſufficientem, nullus & inualidus eſt. Sed eiuſmodi lex non attendit præcisè & per ſe obligationem ad culpam in tranſgredientibus, ſed ſolum actûs nullitatem, quam vbi deinde cognoſcunt, tenentur in conſcientia eo actu non vti, aut quæ per illum actum acquiſiuerunt, non retinere. Lex verò prohibens aut imperans ligat ſubditum, vt non poſſit ſine culpa facere, aut omittere talem actum, & quandiu ignorat inuincibiliter neque peccat neque obligatur. Quare Suar. ait *lib.* 3. *de legib. cap.* 18. *num.* 11. obligare quidem tunc legem in actu primo, nondum tamen in actu ſecundo.

20 Quæres vlteriùs, quódnam tempus ſufficiat à ſolemni publicatione, vt in totum aliquod territorium eius notitia diffundatur moraliter, etſi caſu aliquo, aut per incuriam ſubditorum, ad ſingulorum, aut etiam maioris partis notitiam non peruenerit. Exiſtimarim ego id totum prudentium arbitrio variis circumſtantiis expenſis relinquendum eſſe. Sanch. tamen ait *lib.* 9. *de matrim. diſp.* 32. *num.* 4. poſt duos menſes à publicatione præſumi in foro externo notitiam legis. Quare tùnc prætexenti ignorantiam incumbit illam probare; probat autem iuramento. Suar. monet *lib.* 3. *de legib. cap.* 17. *num.* 14. ſi quis Dæmonis aut Angeli ope noſſet in India legem Romæ latam ante tempus ſufficiens moraliter ad eius diuulgationem in eadem India expectandum eſſe, & illum non obligandum eſſe ante illud tempus: quia reſpectu eius non eſt reuera ſufficienter lex ibi promulgata, & notitia per angelum facta non eſt humana: ſecùs verò ſi ea indicatio, licèt extraordinaria, modò fiat poſt tempus ſufficiens ad habendam legis notitiam humano & morali modo.

21 Iure Cæſareo leges Imperatoriæ non obligant niſi poſt duos menſes à promulgatione in vnaquaque Prouincia, vt paſſim omnes colligunt ex authentica *Vt nouæ conſtitutiones*: quamuis enim lex illa de ſolis legibus teſtamentorum agat; communis tamen DD. ſenſus ad reliquas omnes extendit apud Suar. *lib.* 3. *de legib. cap.* 18. Quare ſi quis ante illud tempus bimeſtre, notitiam legis editæ habuerit, ea tamen non tenetur, quia toto illo tempore ſuſpenditur legis obligatio, quæ nondum ſufficienter ſancita cenſetur.

Leges aliorum principum, qui Imperio non ſubduntur, ſtatim à promulgatione in loco ſolito, & modo debito facta incipiunt obligare, niſi legiſlator certum tempus deſignet, aut aliud loci conſuetudo, quæ ſemper attendenda eſt, ferat. Aliud dicendum de Principibus Cæſari feudatariis, qui non poſſunt iuri communi Cæſareo derogare, niſi ad id ſpecialem habeant facultatem. Quare ipſorum leges nonniſi poſt bimeſtre à publicatione incipient obligare. 22

Leges Pontificiæ non requirunt tempus bimeſtre apud Suarez *lib.* 4. *de legib. cap.* 15. *num.* 11. *&* 15. Vaſq. 1. 2. *diſp.* 156. *cap.* 3. & Salam *diſp.* 12. *de legib. num.* 19. Azor. 1. *p. lib.* 5. *cap.* 3. *quæſt.* 3. contraria tamen ſententia communiſſima, vt ait Becan. 1. 2. *cap.* 6. *tract.* 3. *quæſt.* 7. &, vt mihi videtur, vera, cùm nullum hac in parte diſcrimen inter leges Pontificias & laïcas appareat, vt docuimus, quod etiam confirmatur: quia licet in foro externo intra bimeſtre ignorantiam cauſare, vti fuſiùs oſtendit Sanch. *lib.* 9. *de matrim. diſp.* 32. *num.* 4. quæ excuſatio prorsùs inutilis & reiicienda foret, ſi conſtaret, legem Pontificiam & Eccleſiaſticam ſtatim à promulgatione, & eodem momento obligare, neque bimeſtre aut alius temporis lapſus expectandus eſſet. 23

Dices iure communi excommunicatos in vna Prouincia & diœceſi, in cæteris quoque Prouinciis vitandos eſſe, quamuis ſententia aduersùs illos in vna tantùm Prouincia lata & pronuntiata fuerit: non eſt igitur neceſſarium, vt ſententia, aut lex obliget, vt in ſingulis Prouinciis publicetur, quod maximè verum erit vbi Romæ in totius orbis Chriſtiani Metropoli fuerit publicata: quis enim ignorare poterit quod Roma probauerit? 24

Reſpondeo igitur, ſolemnem eſſe veteris Eccleſiæ morem, vt vbi Epiſcopus aliquis quempiam ſacris interdixiſſet, vicinos alióſque Epiſcopos moneret. Nam Concilium I. Arauc. Leone I. Pontifice *Can. II.* prohibet Epiſcopo communicare cum illo, qui ab alio Epiſcopo fuerit excommunicatus: ſupponit enim priùs de excommunicatione inflicta monitum fuiſſe Turonenſe II. Ioanne III. Pontifice, Chariberti Regis anno Chriſti 570. *cap.* 8. Epiſcopum, qui ab alio Epiſcopo excommunicatum, & de eius excommunicatione monitum communicauerit, iubet vſque ad proximam Synodum excommunicatum haberi. Immò & magna Nicæna Synodus idem ſanxit *Can.* 5. ad Alexandri Patriarchæ preces, contra Euſebium Nicomedienſem, qui regiæ vrbis Epiſcopus, Conſtantini conſanguinitate potens Arium ab Epiſcopo damnatum & excommunicatum ſuſceperat. Similem Canonem Apoſtolicum affert idem Alexander, ſcribens ad Alexandrum Conſtantinopolitanum apud Theodoret. *lib.* 1. *cap.* 4. Quæ eadem ſtatuta ſanxerunt alia paſſim Concilia, vt Cæſaraugustanum Pontifice Damaſo I. anno 381. Arelatenſe II. ſub Siricio an. 389. *Can.* 8. Concil. Pariſienſe III. ſub Ioanne III. an. 559. *Can.* 7. Lugdun. I. Ioann. III. P. R. an. 579. *Can.* 4. Altiſſiodorenſ. Gregorio I. R. P. anno 570. *Can.* 39. Concilium quoddam Germanicum ſub Honorio III. anno 1225. *Can.* 8. *ſi Epiſcopus aliquem excommunicauerit, denuntiet vicinis Epiſcopis per ſuas patentes litteras, & tunc ſine difficultate aliqua virorum Epiſcopi,* excommu

excommunicatũ faciant publicè denuntiari, *& in diœceſibus ſuis arctiùs euitari &c.* Conc. Salzburgenſe ſub Gregor. X. an. 1274 *ſententias excommunicationis ſuſpendimus aut interdicti quas vnus ex nobis iuſtè protulerit, cæteri per ciuitates ſuas publicabunt.* Plura eiuſmodi decreta comperies. Quare Iuo Carnotenſ. *Ep. 76.* rogans Daimabertum Senonenſem Archiepiſc. vt Adeliciam Puteacenſem dominam, & Hugonem filium eius propter tyrannidem in Carnotenſem Eccleſiam, auctoritate Apoſtolica excommunicatos ipſe quoque excommunicet; ſic enim inquit: *Antiquitùs eſt inſtitutum, & nuper in Aruernenſi Concilio omnium Epiſcoporum, qui aderant, conſenſu confirmatum, vt ab vno Epiſcopo quemlibet pro iniuriis Eccleſiaſticis excommunicatum vicini quoque Epiſcopi excommunicent.* Canon quidem ille non repetitur inter Canones à Baronio vulgatos: ſed credendum non eſt Iuonem, qui Concilio aderat, fuiſſe mentitum in hoc Canone referendo, ſed illum cum pleriſque aliis nobis periiſſe.

Reſpondeo, ex his nihil aduersùs noſtram ſententiam haberi: non negamus enim legem promulgatam, etiam & in praxim deductam à pleriſque alicuius prouinciæ incolis, debere à cæteris obſeruari, quòd iam in illa prouincia ſufficienter cenſeatur promulgata, quod idem de excommunicatione, & interdicto Innoc. III. affirmat *c. 1. de poſtulatione prælatorum.* Cùm igitur communis pluribuſque Conciliis ſancita ſit lex, vt ab vno Epiſcopo excommunicatus à cæteris non recipiatur, aut reconcilietur; immò & excommunicetur ab altero, & in mores communes ſit etiam inducta, non eget alia promulgatione: conſtare tantùm debet Epiſcopis, talem fuiſſe excommunicatum, & ne vano & incerto tantum rumore vicini Epiſcopi id reſciant, ſapientiſſimè voluerunt Concilia, Epiſcopum excommunicantem monere per litteras, ſiue quo alio modo vicinos Epiſcopos de excommunicatione à ſe lata, ne per errorem cum illo excommunicato reconcilientur, aut illum ſuſcipiant. Quod fruſtrà facerent, cùm enim excommunicatio ſuum iam habuerit effectum, & talis ſit iam ab Eccleſiâ factus extorris, indiget venia & abſolutione, vt cum Eccleſia reconcilietur; quam abſolutionem ſiue reconciliationem illi impertiri nequit alienus Epiſcopus, cuius iuriſdictioni nullo modo ſubeſt, & qui ſicut illum ligare nequit, ita neque abſoluere.

24 Addo ad extremum quæ diximus hactenùs de promulgatione Canonum & legum Eccleſiaſticarum, valere etiam in quibuſcumque Bullis Pontificiis, decretis, regulis Cancellariæ, definitionibus Cardinalium, ſancti Officij, aliiſque etiam præſente Pontifice factis, quæ, vt obligent, debent eodem modo, & loco promulgari: alioquin etſi vim habeant ex ſe obligandi in actu primo, nondum tamen obligant in actu ſecundo.

QVÆSTIO I.

An Eccleſia, & fidelium conſenſus, ſiue acceptatio requiratur ad Canonis & legis Eccleſiaſticæ obligationem inducendam?

Hæc acceptatio non eſt neceſſaria, n. 1. & 2.
Oſtenditur in politicis, n. 2.
Et in Pontificiis, n. 3.
Eſt tamen locus ſupplicationi, & interceſſioni, n. 4. 5. & 10.
Obiectio, n. 6.
Diuiſio ſupremæ poteſtatis ex Ariſtotele, n. 7.
Alia obiecta, n. 8.
Conciliantur ſententiæ, n. 9.

Dicendum eſt ad inducendam legis ſiue politicæ, ſiue Eccleſiaſticæ obligationem non eſſe expectandum conſenſum, & acceptationem, vel approbationem populi, & Eccleſiæ, ſed illam vbi ſolemniter, modo nuper explicato, promulgata eſt obligare. Ita Suar. *lib. 4. de legib. cap. 16. & lib. 2. c. 19.* Vaſq. 1. 2. *diſp. 156. cap. 5.* Sal. *diſp. 13. de legib. ſect. 1. & 5.* Bonac. *diſp. 1. de pract. c. 1. punct. 4. n. 27.* Alphonſ. à Caſtro *de lege pœnali lib. 1. c. 1.* Ioann. Medina *Cod. de reſtitut. q. 36. ad quintam.* Baſil. Poncius *relect. 1. propoſ. 2.* Peſant. *tract. de legib. diſp. 4. conc. 1.* Turrecrem. *c. erit. diſt. 4.* & paſſim Hiſpani Iuriſc. à Baſilio relati, aliique. 1

Neque difficultas eſt ſi obſerues, hanc acceptationem duplicem eſſe, vnam quodammodò actualem, quæ eſt ipſamet obſeruantia legis: eam enim ſeruando eo ipſo acceptatur: Altera eſt approbatio legis tanquã iuſtæ quæ ad obligationem aut ipſam obſeruationem ſubditos excitat. Ea verò approbatio iterum duplex eſt; prima eſt iudicium quoddam de legis æquitate, & eius vtilitate, quia non modo iuſta in ſe, ſed populo commoda, atque vtilis iudicatur. Altera eſt conſenſus voluntatis, quæ legiſlatori edicenti acquieſcit, & obligationi, quam videt ſibi per illam legem imponi, ſeſe ſubiicit. Neutra autem ex eiuſmodi approbationibus neceſſaria eſt, neque vlla alia fingi poteſt: nam acceptatio actualis, quæ eſt ipſamet obſeruantia, legem iam latam & obligationem ſupponit: deindè non valeret lex niſi vbi foret eius obſeruantia, quæ eſt effectus ipſius obligationis: ideo enim obſeruatur, quia obligat; non obligat verò quia obſeruatur, alioquin ipſe vſus & obſeruantia eſſet lex obligans, acceptatio verò inducens ad obligationem, quam acceptationem formalem liceret appellare, deberet eſſe aliquid præuium ad illam, ac proindè eſſet eius cauſa, & ad legis conſtitutionem pertineret, illiúſque effectus eſſet obligatio, aut ſaltem foret conditio ſine qua non; quare legiſlator nihil edicere poſſet, niſi poſita eiuſmodi conditione, & illius poteſtati populi iure reſiſterent, reiectis & non approbatis edictis. Deindè vel approbatio illa iudicialis iudicando de legis ferendæ vtilitate & æquitate vel conſus voluntatis ſubdentis ſe legi latæ eſſet prior ſanctione legis & ad eam neceſſaria, vel poſterior. Si primum, iſti approbantes legem ferrent, vti olim in Romana Republica ferebantur à Senatu, & populo, & non à principe. Si verò vtraque illa approbatio ſit poſterior lege lata obligatiua, illa non indigebit, quia, vti iam monui, poteſt eiuſmodi approbatio eſſe cauſa legis & obligationis; nam non poteſt conſtituere legem ſe priorem, & quam iam conſtitutam ſupponit; ergo & obligationem, cùm lex ſit eſſentialiter obligatiua, & obligatio ſit formalis eius effectus, aut primarius effectiuus, qui non poteſt pendere ab iis, quæ legem iam conſtitutam conſequuntur. Nêque dicas, approbationem iſtam eſſe dumtaxat conditionem ſine qua non, & ſine ipſa legem quidem ferri poſſe, & eſſe obligatiuam, non poſſe tamen reipſa, & actu obligare, niſi poſita eiuſmodi conditione, ſicut ignis eſt quidem ex ſeſe combuſtiuus; nequit tamen actu comburere, niſi applicetur ſubiecto combuſtibili. Itaque propinquitas & combuſtibilitas ſubiecti ſunt conditiones, ſine quibus ignis non comburet; non faciunt tamen illum combuſtiuum. Quidni igitur approbatio ſubditorum erit conditio ſine qua lex lata non obligabit actu ſubditos, quamvis non faciat legem illam obligatiuam, 2

neque illam eſſentialiter conſtituat? Atque vt aliquid magis conſentaneum aſſeramus: ſcientia & cognitio legis latæ à principe vt principe neceſſaria eſt, vt lex ſubditos obliget; nam inculpabiliter eam latam eſſe ignorantes, non poſſunt eâ ligari, ea tamen ſcientia & cognitio neque legem eſſentialiter conſtituunt, neque faciunt eam eſſe obligatiuam: eadem ratione ſubditorum approbatio & conſenſus requiretur, vt lex actu obliget ſubditos; non tamen illam conſtituet, aut obligatiuam eſſe faciet. Verùm hæc approbatio & conſenſus ſubditi, non erit duntaxat conditio obligationis legis iam latæ, ſed ad eius quoq; conſtitutionem, & illius vim obligatiuam pertinebit, ſi lex non poſſit obligare ſubditum ad eius approbationem; alioquin inutilis omninò & ridicula erit illa lex, eiúſque vix obligatiua eſſentialis, ſi nunquam poſſit obligare niſi volentes, & ſponte conſentientes, neque obligabitur ſubditus, niſi ſuâ ipſius volũtate, quâ ſe ſponte ſubiicit imperanti, qui eum iuſtè aut ad exequendum, aut ad approbandum opus iniunctum cogere nequit. Quod ſi lex cogere poteſt ad exequutionem iniuncti operis, poterit quoque ad eius approbationem cogere: quare rectè dicunt aliqui obligationem, quam affert lex cadere non in ipſam tantùm exequutionem operis imperati, ſed ad illius quoque liberam volitionẽ & approbationem, ideoque illam non poſſe eſſe conditionem ſine qua non legis, cùm effectus non ſit conditio ſine qua non cauſæ agentis. Deniq; poſſent ſubditi pro ſuo arbitrio obligari, aut non obligari lege, quia non obligantur niſi legi conſentiant, illámque approbent; qui conſenſus & approbatio ab illorum libero arbitrio, & voluntate dependet, neque deerunt illis cauſæ conſentiendi & diſſentiendi approbandi, vel reprobandi legem latam. Quid verò ſi princeps vrgeat, velítque ſubditos etiam inuitos & reprobantes obſequi, pergántque ſubditi reprobare legem & iuſſis reſiſtere? quanta inde rerum omnium perturbatio & confuſio orietur.

2 Secundò oſtendo hanc noſtram aſſertionem in lege politica, contra Nauarr. *c.23.n.41.& conſil.1.de conſtit. q.5.& 6.* Couarr. *lib.1. variar.c.16.n.5.* Azor. *1.p.l.5. c.4.q.1.& 6.* alióſque, qui nihil afferre poſſunt vnde colligant, requiri hanc populi acceptationem ſiue approbationem, non quod principis poteſtas ita limitata & conditionata ſit: quia non intendit alio modo populum niſi volentem & conſentientem obligare; atqui vtrumque falſum eſt: ſupremam enim in principe poteſtatẽ ſupponimus, quam etſi fortaſſis vel ipſe, vel eius prędeceſſores à populo immediatè acceperint, ea tamen ſpoliari non poteſt. vti diximus aliàs cum Suar. & aliis, quibus adde Ferdin. à Caſtro *tract.3. diſp. 1.punct.21.n.3.* Cùm enim tranſlatum eſt ſemel dominiũ, nõ licet illud amplius repetere, quod fuſiùs explicat Adamus Gontzen *lib.1.politic.c.24.§.3.* quæ deinde *ſeqq.§6.* adiicit mihi non probat, neq; poteſt etiam in ampliſſima, quam accepit poteſtate, reſtringi in eius exercitio, neque eo pacto & onere accepit ſuam illam poteſtatem: id enim oſtendendũ foret, & pactum aſſignandum cum populo. Quod ſi bello iuſto ſibi comparauit principatum, tota res multò clarior erit: tunc enim à victis nulla adiici potuit limitatio. Deinde inanis eſſet tota illa ſupremi principis auctoritas, ſi à nutu & arbitrio plebis in edendis ſanctionibus penderet, & ſi ſubditos ad ſeruandam legem & illam accipiendam cogere nequiret. Velle autem principem acceptari ſuam legem, ſatis conſtat ex ſolemni illius promulgatione, niſi ipſe aliud quidpiam ſignificet, & facultatem ſubditis faciat intercedendi, aut ſi quæ in ea videantur duriora, deprecandi.

Adde cottidianum vſum & praxim: nam principes ſtatim non expectato, aut rogato populi conſenſu legis à ſe ſufficienter promulgatæ violatores pœnis cogunt ad obſeruandam legem, adeóque ad illam acceptatio neceſſaria non eſt, alioquin non acceptantes cõpelli ad eius obſeruationem non poſſent, quod nullus affirmet.

Quod verò pertinet ad leges Pontificias, minor eſt dubitandi difficultas, vti fatentur etiam qui hanc acceptationem populi requirunt ad leges politicas. Cùm enim Pontifex ſuam poteſtatem habeat immediatè à Chriſto, & non ab Eccleſia, poſſitque ſoluere, ac ligare, atque paſcere independenter ab ouibus, & non expectato ipſarum conſenſu, non poterit in ſua poteſtate conſtringi; ideo enim aſſerunt aliqui principum poteſtatem à populo reſtringi poſſe, quia ſuam omnem poteſtatem accipiunt ſaltem radicaliter à populo, qui non videtur ſe illâ abdicaſſe, & in alterum tranſtuliſſe, niſi vt ea in ſui commodum vteretur. At verò Pontifex ne quidem remotè & radicaliter ſumit poteſtatẽ ab Eccleſia, ſed immediatè ab ipſo Chriſto, qui licet illam non dederit niſi in commodum, & ædificationem ipſius Eccleſiæ, non in deſtructionem: non habet tamen Eccleſia auctoritatem pro libito coërcendi aut limitandi poteſtatem Pontificiam, neque penes eam eſt arbitrium de legis æquitate aut commoditate iudicare, ſed ipſiuſmet principis qui eam ſancit. Denique via ſeditionibus aperiretur ſi ex plebis iudicio & conſenſu, regum ſcita & Pontificum ac Conciliorum Canones ex Eccleſiæ acceptatione penderent: ſæpiſſimè enim quæ æquiſſima exiſtunt, exiſtimarent iniqua, eóque prætextu iniqui grauaminis rebellarent, aut ſchiſma conflarent. 3

Non tamen negamus quin interpoſita publicatione in legibus etiam Pontificiis, liceat ex rationabili & vrgenti cauſa obligationem ſuſpendere, cùm id iuri ipſi & conſuetudini conſentaneum: lis verò eſt de vocibus inter Vaſq. & Suar. an approbatio, vel ſupplicatio, vel, vt alij loquuntur, reclamatio contra legem, aut potiùs contra ſententiam ex legis præſcripto latam fieri dicatur. Moneo tamen quandiu principi ſupplicatur, nefas eſſe legem violare, ſiue contra legem agere, itáque ſe gerere, atque ſi lex poſita non fuiſſet, vti malè ſentiunt Bonac. *punct.4. citato, n.41.* Caſtro *lib.4.de lege pœnali, cap.1.* Salas *diſp.18. de legib. ſect.4. n.21.* Nam toto eo tempore lex obligat, neque adhuc reuocata eſt, neque præſumendum eſt, legiſlatorẽ nolle obligare quando eſt iuſta cauſa intercedendi, & ſupplicandi, vel deprecandi: quia licèt videatur æqua cauſa petendæ reuocationis, alia fortaſſis vel æquior, vel vrgentior ſoli principi occurret, propter quam legem ſuam fixam & ratam eſſe velit. Quare exiſtimo cum Suar. *lib.4.de legib.c.16. n.8.* & Ferdin. à Caſtropalao *tract.3.diſp.1.punct.13.n.14.* ſeruandã eſſe interrà legẽ, niſi ſingularis aliquis caſus contingat, in quo ex quadam epicichia ceſſare eius obligationẽ interpretentur. 4

Moneo præterea quæ dixi de non requiſito populi conſenſu in ferenda lege, intelligenda eſſe de principe, qui ſummam & non imminutam, atque à populo dependentem habeat auctoritatem, qualem habere regem Aragonum, qui ſine publicis regni comitiis legẽ condere nequit, referunt Suar. *lib.3. de legib. c.19.* & Ferdin. à Caſtro *diſp.1.cit.punct.22.§.2.n.2.* Mariana *l.1.de princ.c.8.* vbi ait medium creari magiſtratum (qui vulgò Aragoniæ Iuſtitia dicitur) Tribunitiæ poteſtatis ad inſtar, qui legibus auctoritate, & populi ſtudiis ornatus regiam poteſtatem certis adhuc finibus incluſam tenuit, ac proceribus præſertim erat datum, vt fraudi non eſſet ſi quando conſilio inter ſe communicato, cauſa tuendarum legum, defendendæ libertatis inſcio rege conuentus haberent. Eadem cum Suare habet & Vaſq. 1. 2. *diſp.156.cap.8.num.36.* 5

qui

qui tamen *num.* 32. malè allegat Rebuf. quaſi dixerit in *procemio Gallicar. conſtitut. tom.* 1. in Gallia non ferri leges ſine conſenſu populi : id enim non habet Rebuff. ſed ſolum conſilium ſapientum in condendis legibus exquirendum monet. Neque ſanè vir in iure Gallico verſatiſſimus id dicere potuit, cùm noſtri reges, etſi in ſuis edictis & conſtitutionibus dicant ſe ita ſtatuere ex conſilio Principum & procerum, non dicant tamen ex eorum conſenſu, & auctoritate edicere, ſed potiùs contrarium ſignificent, cùm addunt ſe ex plena & regali poteſtate ita iubere, quia ita volunt : *Car tel eſt noſtre bon plaiſir*, ſolemni vbique formula, & licet edicta in Parlamentis, & ſupremis ordinibus debeant verificari, &, vt loquuntur, *homologari*, non propterea expectatur, aut rogatur populi conſenſus, vt olim Romæ. Neque hi Procerum ordines ſunt inſtar tribunorum plebis, qui rogationi legum intercedant, cùm & ipſi Senatores ab ipſomet Principe, & non à plebe creentur, & ab eodem Principe ſint amouibiles, & omnes alij Magiſtratus regni, in quorum diplomatibus, cùm inſtituuntur, apponitur ſolemnis clauſula, *Pour en jouyr tant qu'il nous plaira*, & ſæpè Curia inuita & reluctans iubetur ſtatuta verificare, homologare, & probare. Id igitur requiritur dūtaxat, vt ſolemnior ſit edicti promulgatio, quare & in Parlamento quandoque Rex ipſe aſſidet : deinde ſi quid regno commodum, & æquum videatur, regem moneant, qui ſi ita libuerit legem ſuam iis monitis attemperabit, ſin minùs propter grauiſſimas alias cauſas ſecùs iudicarit, probanda nihilominùs erit ad eos miſſa conſtitutio & lex. Denique id totum manifeſtum fit ex ipſis vniuerſis Comitiis regni, quæ non modò indicuntur à Rege dum libuerit, ſine eius conſenſu ac mandato cogi non poſſunt, niſi violata Maieſtate, deindè vbi legitimè coacta ſunt nihil planè ſua auctoritate decernunt, ſed vbi poſt ſeriam & multam conſultationem aliqua vident ad regni commodum conferre, codicillis oblatis cum ſupplici demiſſione Regi exponunt, qui illis denuò expenſis, ſtatuit, quæ æquiora & commodiora iudicarit, atque, ſi libeat, ſancita lege firmabit. Vides itaque limitatam eſſe Aragonum regiam poteſtatē, non Principum noſtrorum, atque adeo in Gallia quod Principi placuerit vim legis habere, vti dicebant Vlpian. *l.* 1. *D. de conſt. princ.* addit rationem Vlpian. *vt pote cum lege regia, quæ de imperio eius lata eſt, populus ei & in eum omne ſuum imperium & poteſtatem conferat.* De hac lege regia vide Corraſ. *lib. 6. miſcellan. cap.* 8. Duaren. *lib.* 2. *diſput. cap.* 19. Charond. *lib.* 1. *veriſimil. cap.* 2. dicebatur lex regia quod per eam ius regnandi daretur alicui. Romulus enim lege lata conceſſerat populo ius creandi regis, quare & Principem creabat, & certis conditionibus, quam libuiſſet, poteſtatem tribuebat, ideoque illa lex regia diuerſa erat pro diuerſis Principibus, quæ tamen lex deſiit, cùm Principibus ſuam omnem poteſtatem contulit, in quibus non poſtrema eſt poteſtas legum-latiua. Itaque Iuſtinian. ait ſoli Imperatori licere leges condere, & interpretari, *l. vlt.* §. 1. *C. de legib.* Si enim in præſenti leges condere ſoli Imperatori conceſſum eſt, & leges interpretari ſolo dignum Imperio eſſe oportet, cùm igitur lege regia Gallica totum ius regnandi ſine vlla limitatione in Principem traſlatum ſit, atque vnà cum illo poteſtas legum-latiua, iuris eiuſmodi præcipua pars, non debemus illius vſum dependentem facere à conſenſu & acceptatione populi : hoc enim eſt facere populum ipſum legiſlatorem, qui ſcita legum refigere poſſet, aut impedire, & eius ſanctioni intercedere. Voluerunt quidem noſtri Principes ſua edicta à ſenatoribus probari, vt monui, vt ſi quid minùs vtile viderent, ad illum referrent, parati talem publicare legem exhibitam eo modo, quo placet Principi, vel integram, vel emendatam à principe.

Atque ea in parte retinuerunt aliquid Romani moris : nam vigente Republica leges à Senatu expendebantur, licèt deindè non niſi rogato populo ex eius ſuffragio ſancirentur. Alexander Seuerus nullam legem tulit ſine viginti iuris peritis, & ſapientiſſimis, diſertiſſimiſq; quinquaginta viris priùs cōſultis : Theodoſius & Valentin. voluerunt ſuas leges primùm examinari in Senatu, deindè ſcribi, & denique recitari, & publicari, & demùm confirmari in ſacro Principis conſiſtorio : quod ipſum æmulatus videtur Iuſtinianus, qui legem illam Theodoſinam ſuo Codici inſeruit, *l. Humanum* 8. *C. de legibus. Humanum eſſe probamus ſi quid de cætero in publica priuatáve cauſa emerſerit neceſſarium, quod formam generalem & antiquis legibus nō inſertam expoſcat, id ab omnibus antea tam proceribus noſtri palatij, quam glorioſiſſimo cœtu veſtro, Patres conſcripti, tractari, etſi vniuerſis tam iudicibus, quàm vobis placuerit tunc legata dictari, & ſic ea denuò collectis omnibus recenſeri : & cùm omnes recenſuerint, tunc demùm in ſacro numinis noſtri conſiſtorio recitari, vt vniuerſorum conſenſus noſtræ ſerenitatis auctoritate firmetur.* In quo proceſſu vides rogari quidem iudicium prudentium, & procerum, ipſiuſque Senatus, & auditis ipſorum ſententiis, ſola principis auctoritate legem ſanciri & confirmari, neque propterea dicebantur Imperatores pendere à populi conſenſu, aut Senatus iudicio in ferendis legibus, quamuis earum æquitatem à prudentibus & Senatu expendi vellent, quod potiori iure dicendum eſt de noſtris Chriſtianiſſimis Regibus, qui liberam, & abſolutam ac ſupremam poteſtatem habent nullis aliis circumſcriptam limitibus quàm ipſiuſmet æquitatis, quamuis velint ſæpiùs, maximè vbi vniuerſum regnum obligatura eſt, eam à grauiſſimis viris, ipſóque Senatu examinari, non vt ab ipſorum iudicio & auctoritate vim aliquam accipiat, ſed vt omnes intelligant, ſe nihil temerè ſuſcipere : nam ipſi ſoli deindè iuſtam & æquam legem ferunt & cōfirmant, non Senatores aut Curiæ, ſed eam iuſſu Regis publicant, &, vt loquimur, *homologant*; quam vocem non benè mihi videntur reddere, qui Latinitatem elegantiorem ſectantes, dicunt Senatum fieri auctorem legis, & edicti. Neque enim alio modo fiunt auctores, quàm quia illud ad ſe miſſum à rege, ſolemniter promulgāt, & publicant. Deindè ad ſingulas ſubiectas & inferiores Curias tranſmittunt, vt ipſæ quoque in ſuis ditionibus publicent, ne quis ignorantiæ prætextus poſſit obrepere. Quod ſi Curia legem publicare recuſet, vel ſumma auctoritate ad eiuſmodi publicationem cogitur, vel ea publicatio fit in regio conſiſtorio, & inde ad inferiora tribunalia, & ad alios proceres, quibus incumbit legum obſeruationem vrgere, mittitur executioni mandanda.

Obiicies, poteſtatem regiam quondam à populo in 6
principem tranſlatam fuiſſe, eâ conditione, vt ferret quidem leges, ſed reipublicæ commodas; & vtiles; alioquin ſe ad obſequendum, & ſeruandas leges minimè teneri, ideoque Iulianus Iuriſconſultus *l. de quibus* 32. §. 1. *D. de legibus* dixit, leges nulla alia ex cauſa nos tenere, *quàm quod iudicio populi receptæ ſunt*, conſentitque Papinianus, dum, vt aliàs retuli, legem vocauit ex Demoſthene τῆς πόλεως κοινὴν συνθήκην, communem reipublicæ ſponſionem, quaſi ciues collatis inter ſe ſuffragiis ad eius præſcriptum vitam ſpondeant. Quæ Iuliani, & Papiniani dicta, nequaquam paſſus eſſet in corpus Digeſtorum, quod confici curauit, referri Iuſtin. ſi eiuſmodi populi iudicio, & tacito conſenſu exiſtimaſſet, ſuam auctoritatem infringi.

Reſpondeo, tacitam illam conditionem poteſtati legum-latiuæ, vt commodas & vtiles ciuibus leges duntaxat ferat, non à populo poſitam, ſed ex ſuâ naturâ ineſſe, cùm Princeps teneatur omninò ſubditorum commodis prouidere, itáque ferat ipſa æquitas; ſapienter enim Ammian. *lib.* 19. *Finis iuſti imperij, vt ſapientes docent, vtilitas obedientium æſtimatur, & ſalus*, quod hauſit ex Platone *lib.* 5. *politicor.* & ab Ariſtotele *lib.* 8. *ethicor. ad Nicomach.* qui ait id ſpectare ad Principes, quod communiter conducit Reipublicæ, *τοῦτο γὰρ καὶ οἱ νομοθέται στοχάζονται, καὶ δίκαιον εἶναί φασιν τὸ κοινῇ συμφέρον.* Quare Iuſtinianus reſcribens ad Senatum Conſtantinopolit. *l. vnica* §. 14. *C. de caducis tollendis*, ait: *Quod communiter prodeſt, hoc priuatæ noſtræ vtilitati præferendum eſſe cenſemus, noſtrum eſſe proprium ſubiectorum commodum imperialiter exiſtimantes.* Et ne plura congeram, audi Ciceron. *lib.* 1. *officior. Omninò qui reipublicæ præfuturi ſunt, duo Platonis præcepta teneant, vt quidquid agunt ad eam referant, obliti commodorum ſuorum: alterum vt totum corpus reipublicæ curent, ne dum aliquam partem tuentur, reliquam deſerant.* Deniquè ſolemnis fuit illa formula apud Briſſon. *lib.* 2. *Vt ſi quid ius non eſſet rogari, rogatum ne eſſet*, hoc eſt, ne ſi quid vtilitati publicæ officeret, illud pro conſtituto haberetur. Ex quibus aliíſque ſimilibus id tantùm habetur, Principi vnam Reipublicæ curam omnibus aliis præhabendam, ipſiúſque, non priuatis commodis, maximè ſtudendum eſſe: prudentiâ ſummâ & æquitate in ferendis legibus vtendum eſſe: &, ſi neceſſitas grauiores aliquando ſanctiones exigat, illas tamen, quantùm fieri poterit, humanitate temperandas eſſe. Inde tamen non ſequitur, illum à conſenſu, approbatione, & acceptatione populi in ſuis edictis pendere, aut inuitis non poſſe leges ſtatuere, quamuis nihil iniuſtum valeat ſtatuere, alioquin populi eſſet de ſtatutorum æquitate, & vtilitate iudicare, & illa vel accipere, vel abiicere; quod abſurdiſſimum foret, cùm & ſæpiſſimè plebs ineptiſſimè iudicet, & æquum arbitretur quod iniquiſſimum eſt. Deindè vel illud iudicium eſſet penes plebem vniuerſam, vel penes ſingulos ciues; poſtremum iſtud dici nequit: quis enim & quando ſingulorum ſuffragia colligeret? Vniuerſa quoque Reſp. ſuffragari nequit in comitiis generalibus, in quibus Romanæ & cæteræ Reſpublicæ, quid factiones, ambitio, & priuata commoda poſſint ſæpiùs docuerunt, & quam omnia perturbatè gerantur. Quòd ſi neque plebs vniuerſa, neque ſinguli ciues rogentur; ſed totius conſenſus approbatio, & acceptatio legis referatur in quoſdam optimates, vt in ariſtocratia, redibit eadem difficultas, quæ de Principe. Nam iſti optimates non debebunt conſentire, neque acceptare legem, niſi Reipublicæ commodam: ſi verò illam plebs reiiciat, quia ſibi grauem exiſtimat, & non neceſſariam, quid fiet cùm Princeps, optimates, & vniuerſa plebs inter ſe diſſentient in ferenda lege?

7 Vt verò lucem aliquam afferamus noſtræ aſſertioni partiri placet poteſtatem cum Ariſtotele, & quod inde conſequitur leges ab ea latas, quas à conſenſu populi minimè pendere ſtatim conſtabit. Primam facit *ἀρχιτεκτονικήν*, cuius eſt leges omnibus communes figere, & refigere. Secundam *πολιτικήν*, ſiue *βουλευτικήν*, quæ vel publicas actiones reſpicit, v. g. pacis, fœderum, & belli, vel res ipſas, vt tributa, & vectigalia, dominium in ciues, & ciuium bona ad publicum vſum. Tertiam denique *δικαστικήν*, quæ ſingulorum ciuium controuerſias dirimendas attendit, & ea de re quidpiam ſtatuit, atque, vt ab hac poſtrema poteſtate ordiamur, illa quidpiam certum ſtatuere debet; alioquin nulla erit certa eiuſmodi controuerſiarum definitio, à qua prouocari non poſſit, & lites atque contentiones nunquam finientur. Regula verò certa & immobilis, ad quam exigi debeant controuerſiarum eiuſmodi definitiones, ſiue iudicium, penes plebem eſſe non debet, neque eius acceptatio, quæ probari non poterit ſingulis contendentibus, cùm nullus ſit qui ſe iure experiri non dicat, & ſi causâ cadat, iniuriam ſe pati non affirmet. Vnde tot circa eiuſmodi contentiones exiſtunt controuerſiæ; quare certum aliquod ad Reipublicæ ipſius pacem à ſuprema poteſtate, non rogatis aut expectatis ſingulorum, aut etiam plebis vniuerſæ ſuffragiis, vel conſenſu, ſtatui omninò neceſſe eſt: vix enim in vnum conuenire poſſent, cùm ſint alij & alij mores, & ſingulorum cura diuerſa, quæ aliquid æquitatis præ ſe ferant. Quod attinet ad *πολιτικήν*, ſiue *βουλευτικήν*, quæ vel publicas actiones, vel bona reſpicit, quis eam à populi conſenſu & acceptatione in ſuis circa ea legibus pendere velit? Cùm enim aut propulſandus eſt hoſtis, aut ſocij iuuandi, aut quid ſimile agendum vrget, vel in eam rem pecuniæ colligendæ, aut vectigalia noua exigenda, quis dicat, principem ſua in eam rem conſilia cum plebe, aut etiam cum pluribus ex ea communicare debere, & explicare, expectaréque plebis conſenſum ad aliquid definiendum, ſtatuendúmque, atque ita exponere ſe graui periculo, ne ſua conſilia pateant hoſtibus, aut ne grauium rerum occaſiones prӕterlabantur? Quare æquiſſimè omninò factum videmus, vt Principes ſupremi pacis ac belli, fœderum, & tributorum rationem definiendam ſibi ſolis ſumant, neque aliter ſumma ſtare poſſit auctoritas, aut ſalua Reſpublica; cùm ea tamen, quam initio poſuimus, conditione, vt liceat plebi, ſi ſe plus æquo ſentiat onerari, deprecari, vt ſuis incommodis, quantum æquitas & humanitas patietur, prouideat, quod Princeps optimus abſque dubio audiet. Vltima & ſuprema poteſtas, quam Ariſtoteles *ἀρχιτεκτονικήν* nominat, & quæ in ferendis legibus communibus maximè occupatur, imminuta admodùm erit, ſi à plebis conſenſu pendeat, ſicut ſi architectus ab operis in deſignando ædificio regatur, neque niſi quod ipſis probabitur, definire aut imperare poſſit. Quàm enim ſæpè in definiendis menſuris & toto opere deſcribendo, atque ædificio errabit, ſi à rudium operarum iudicio ſuum conſilium probari velit. Neque ſapiens quiſquam dixerit, architectum teneri ædificium ad operarum ineptas regulas aptare, ſed potiùs operas ad architecti regulas operari, ſiue opus ſuum exigere.

Atque ex his eodem modo ſoluitur, quod obiiciunt aduerſarij in poteſtatem Eccleſiaſticam legum-latiuam, vt non niſi commodas & vtiles leges Eccleſiæ præſcribat, atque adeò ab eius conſenſu coarctari volunt. Quare ſi legem minùs commodam, aut grauem ſcribat, pro non ſcripta habenda erit. Sapienter Chryſoſtom. *homilia* 25. *in primam ad Cor. τοῦτο κανὼν χριστιανισμοῦ τοῦτο ὅρος ἠκριβωμένος αὕτη ἡ κορυφὴ ἡ ἀνωτάτω τὸ τὰ τῷ κοινῷ συμφέροντα ζητεῖν. Hæc eſt Chriſtianiſſimi regula, hæc illius exacta definitio, hic eſt vertex ſupra omnia eminens, publicæ vtilitati conſulere.* Quod confirmatur ex eo quòd poteſtas Eccleſiaſtica deſpotica non ſit: qua de re plurima Bern. *libro* 2. *conſiderat. capite* 6. & Nazianzen. *in Apol.* ait Chriſtum ſanxiſſe vt grex non coactus ſed ſponte ac libenti animo paſcatur, & Theodoretus *in præfat. ad Sanagog. Canonum* diſcrimen illud inter leges regias & Canones conſtituit, quòd illæ ſeueras pœnas exigant à reis: hi verò commoda ægrotantibus adhibeant remedia, & errantes in viam reducant, quod ſanè non fit commodius & ſuauiùs, quàm quia nihil imperatur

quod

quod communi conſenſu non probetur, & æquum exiſtimetur, atque confirmetur. Quare Innoc. I. *Epiſt. ad Alexand. Antioch.* vbi eius conſultationi reſpondet, ait: *Vt quæ ipſe tam neceſſariò percunctatus es, & nos elimatè reſpondimus, communi omnium conſenſu ſtudióque ſeruentur.* Gelaſius ait, Sedem Apoſtolicam non exequi niſi quod vniuerſalis Eccleſiæ probauit aſſenſus. Hæc & plura alia, quæ hoc loco poſſent afferri, non aliud oſtendunt quam moderatam & ſuauem perpetuò fuiſſe Eccleſiam in ferendis legibus, & puniendis earum violatoribus, non tamen habere limitatam dumtaxat & imminutam poteſtatem, & ferre non poſſe legem niſi ex populi conſenſu, quem etiam inuitum vrgere poterit ad obſeruationem, vbi id æquum fuerit.

9 Verùm, ad conciliandas diuerſas hac in parte ſententias, obſeruandum eſt, aliud omninò eſſe legem legitimã non obligare niſi ex conſenſu & acceptatione populi; aliud verò legem non acceptatam; neque executioni mandatam, ſed vſu ipſo reiectam & improbatam, non obligare ad ſui executionem. Nam priùs illud falſum eſt, vti hactenùs oſtendimus, & iure Principes cogunt inflictis pœnis, aliáve ratione inuitam Rempublicam edicta ſua, alioquin iuſta, obſeruare, idque in omni politia ſiue ſacra, ſiue profana verum eſt, vti videmus in omnibus legibus pœnalibus, ab vtraque politia latis. At verò legem ipſo vſu reiectam & improbatam ſiue volente, & ſciente Principe, ſiue eo inuito, neque obſeruationem vrgente & diſſimulante, non obligare æquè certum eſſe fatemur, & conſtat *ex libro ſuperiori*, dum vim conſuetudinis explicaremus: illam enim figere & refigere legem oſtendimus. Quare ſi frequens eſt illa violatio legis, & non receptio, deſinit obligare lex. ex tacitã quadam Principis reuocatione, aut ex diuturna & legitimè præſcripta conſuetudine, vt dicebamus eo loco. Idcircò qui eam deinde legem non ſeruant, non peccant, licèt à principe nondum ſit reuocata: nam non videtur Princeps, qui toti communitati illam poſuit, ſi maior pars eam non ſeruant, vnum dumtaxat, aut alterum ad eam obligare, inde enim diſſidium & ſeditio timeretur in Republica: quo ſolo caſu hanc non obſeruationem permittit ſingulis Suarez *lib. 3. de legib. cap. 19. n. 13.* quando maiori parte communitatis non ſeruante timeretur diſſidium cum aliis eam ſeruantibus, maximè ſi paucos illos Princeps ad eiuſmodi obſeruationem pœnis cogeret, qui potiùs tunc deberet ſuam legem reuocare, aut temperare ad grauia mala vitanda. Atque ita interpretor Azor. Becan. & alios, qui ad vim legis, acceptationem plebis exigebant: ſi enim per non vſum & contrarium vſum deſierit, iam non obligat, vndecunque ille non vſus, vel vſus contrarius, & quocunque motiuo profluxerint, quamuis primi, qui non acceptarunt, & non obſeruarunt, peccauerint, vti monuimus *cap. ſuperiori.*

10. Licebit præterea legis ſanctioni apud ipſummet Principem & legiſlatorem intercedere, atque etiam deprecari, ſi quid iubeatur, quod minùs commodum Eccleſiæ aut Reipublicæ videatur, ſiue quia contrariis moribus, quos durum erit violare, quidpiam aliud receptum eſt, ſiue quia antiquis priuilegiis longo vſu receptis & confirmatis derogatur, ſiue quia res ipſa imperata grauior duriórque videtur, ſiue quam aliam ob cauſam, quæ vel legiſlatorem latuit, vel ab ipſo ſatis expenſa non fuit. Hæc verò interceſſio non ex contumacia à tota plebe ſeditiosè, ſed ab iis qui eius ſub Principe commodis inuigilant Magiſtratibus ſiue à populo, ſiue à Principe creati ſint, fieri ita debet, vt ex ea Principis Maieſtas nullâ ratione videatur imminui; quod à variis Prouinciis Eccleſiaſticis circa noua decreta factum aliquando legimus. Vndè euenit, vt ea non ſtatim admiſſa fuerint, & non niſi aut explicata, aut mollita & temperata: quod etiam *initio huius quæſtionis* monuimus. In Gallia verò non modò Eccleſia tardiùs aliquot etiam Synodos recepit, & donec de mente illarum conſtaret, ipſi etiam Principes, vt Gallicanæ Eccleſiæ commodis, & tranquillitati conſulerent, ſine turbis tamen, aut aduersùs Concilia œcumenica, & Pontificem contumacia, vti fuſiùs oſtendit Marca *libro ſecundo de concord. capite decimoſeptimo*, & ne temerariò videantur eiuſmodi interceſſiones ſuſcipi, iubent eiuſmodi noua decreta Eccleſiaſtica à ſapientibus, ipſóque Senatu examinari, vtrùm aliquid contra regiam auctoritatem, & regni antiqua priuilegia, etiam Pontificia contineant: vt Princeps videat an intercedendum circa illa ſit, an ſi, vti iacent, ſuſcipienda. De ſimili Hiſpanorum more fuſiùs agit Salgado *in opere de regia protectione*: ſed ab his omnibus inuidioſis controuerſiis libens abſtineo: ſufficit enim meo inſtituto neque ex non obſeruatione, & actuali, vt dicam, non acceptatione legis, neque ex interceſſione aduersùs illam reſtringi, aut arctari poteſtatem ſupremi legiſlatoris, & ſubiici ſubditis, quibus legem dicit, neque plebis conſenſum & approbationem eſſe ita ad eius valorem neceſſariam, vt ſit conditio ſine qua non, & ad legis validitatem, ſiue vim obligatiuam requiſitã, eáque non adhibitã, legem nullam eſſe, & non obligare, ſed integram omninò perſtare.

CAPVT III.

De diſpenſationibus.

QVÆSTIO I. *Quid ſit diſpenſatio.*
QVÆSTIO II. *Quotuplex ſit diſpenſatio.*

VIDIMVS hactenùs quænam neceſſaria ſint ad legis obligationem: inquirendum modò eſt quídnam ab eiuſmodi obligatione nos liberet, & quomodo: illa verò ſunt diſpenſatio, exemptio, ſiue immunitas à lege, interpretatio, & epieichia, priuilegium, ceſſatio legis, ſiue per mutationem, ſiue per abrogationem, ſiue quo alio modo, de quibus ſingulis agendum modò eſt. Ordior à diſpenſatione, quia & frequentior eſt, & in ea plurima peccari ſolent tum à diſpenſante, tum ab iis qui ſe diſpenſari poſtulant, quibus omnibus naturam, & definitionem præmitti poſtulat ſcientifica methodus.

QVÆSTIO I.

Quid ſit diſpenſatio.

Nomen, & definitio, n. 1.
Non eſt interpretatio legis, n. 2.
Superior poteſt ſecum diſpenſare, numero 3. & 4.
Quia id non repugnat iuri naturali, numero 5.
Neque poſitiuo, n. 6.
Non eſt licentia, n. 7.
Nec abſolutio, n. 8.
Nec permiſſio, n. 9.
Eius effectus, n. 10.
Strictè, & interpretandi, n. 11. & 12.

1 DIſpenſatio, ſi primæuam vocis ſignificationem attendas, eſt diſtributio prudens & commoda à voce *diſpenſo*, quod eſt οἰκονομῶ, quod de adminiſtrante & diſtribuente res domeſticas, maximè pecunias vſurpatur; eo quod pecuniæ & nummi olim non numerarentur, ſed penderentur. Hinc diſpenſatores dicti ex Feſto ab ære impendendo, & qui æs penſantes expendebant, non numerabant: vnde deducitur *expenſa*, ſiue *diſpenſata*, vel *compenſata*. Diſpenſator idem qui actor ſeruus, qui domini rationes adminiſtrat, pecuniamque diſpenſat. Sic apud Ciceron. *ad Atticum lib.* 15. *Eros Catonis diſpenſator*, & Theophil. *in inſtitut.* diſpenſator eſt ſeruus qui pecuniam domini fœnori date conſueuit. Hinc etiam frequens apud Iuriſconſultos quæſtio, an qui ſoluit diſpenſatori, rectè ſoluerit. Paul. *l.* 51. *D. de ſolution.* diſpenſatori, qui ignorante debitore remotus eſt ab actu, rectè ſoluitur. Iulian. *l.* 12. *D. de inſtitutoria*, & ideò vtilis inſtitutoria aduerſus me tibi competit: mihi verò aduerſùs te, vt de peculio diſpenſatoris ſi ex conducto agere velim. Caius *l. vltim.* §. 3. *D. de verbor. obligat.* Poteſt contingere vt tam ſtipulator quàm promiſſor ante aliquod tempus ſuo quiſque diſpenſatori notum fecerit in eam diem futuram ſtipulationem, ac demandaſſe, promiſſor quidem ſuo diſpenſatori vt daret, ſtipulator autem ſuo vt acciperet certum. Qui principio pecunias curabant & theſaurorũ adminiſtrationem gerebant, diſpenſatores vocantur in conſtitutionibus *l.* 1. *Cod. ſi aduerſ. fiſc. l.* 4. *C. de fide inſtrum. & in C. Theodoſ. Cod. de iis qui cum diſpenſa. &c.* Hi verò Imperatorum & Principũ diſpenſatores ſerui primùm. Sueton. *in Auguſt. cap.* 66. Diomedem diſpenſatorem ſeruum Auguſti memorat. Plinius *lib.* 83. *cap.* 11. refert Claudij ſeruum diſpenſatorem quingenariam lancem habuiſſe. Hinc etiam dicitur diſpenſatio, qua voce vtitur Tull. *lib.* 15. *ad Attic. Profectionem meam, vt video, Erotis diſpenſatio impedit.* Eadem quoque ſignificatione vſurpant Græci: vetus enim Gloſſ. *de diſpenſator.* διοικητὴς οἰκονόμος, quem etiam appellant, τὸν ἐπὶ τοῦ οἴκου, vel, ἐπὶ τῆς οἰκίας. Geneſ. *cap.* 43. & 44. & denique οἰκονόμον *lib.* 5. *Reg. cap.* 18. *Luca* 12. *verſ.* 42. *diſpenſator fidelis, & prudens*, ὁ πιστὸς οἰκονόμος, καὶ φρόνιμος, *qui dat familiæ tritici menſuram ſuo tempore* ἐν καιρῷ τὸ σιτομέτριον. Illa igitur fidelitas & prudentia diſpenſatoris conſiſtit in illa diſtributione rerum domeſticarum vt ſumma æquitate tum onera tum commoda familiæ diſtribuat & diſpenſet. Quia verò Apoſtoli conſtituti ſunt à Chriſto familiæ ſuæ miniſtri, & diſpenſatores myſteriorum Dei, vt inquit Paul. 1. *ad Corin. cap.* 4. *verſ.* 1, ὡς ὑπηρέτας, καὶ οἰκονόμους μυστηρίων θεοῦ. Quia vero œconomus qui curam domus habet in ea cuncta regit, diſtribuit, ordinat, imò & aliqua debita donat & relaxat, onera tribuit, atque ab illis quoſdam eximit & ſoluit, aliis illa imponit, prout domino ſuo gratum ac placitum eſſe, ad eiuſque commodum & honorem conducere exiſtimat. Hinc factum eſt vt diſpenſatio ſignificet quandam communem menſurationem ad ſingula: quod obſeruauit Ioannes Andreas *in Cod. Quint. de iureiur.* Æquitas vero menſurationis poſtulat vt diuerſa ſint onera, neque omnes eodem modo premant, & pro diuerſa ratione & variis circunſtantiis aliquando & quibuſdam relaxentur. Hinc factum eſt vt diſpenſatio ſumatur pro prudente, & prouida quadam iuris & onerum relaxatione, maximè apud DD. iuris, præcipue Canoniſtas. Quare illam definit Speculator *tit. de diſpenſat.* iuris prouidam relaxationem neceſſitate penſata, ſiue, vt alij dicunt, relaxatio iuris rigoris per eum, ad quem ſpectat, Canonicè facta. Atque ita paſſim hodie vſurpatur pro iuris & legis relaxatione, quæ ſi ex iuſta cauſa ſubſit, valida & licita eſt: ſin minùs erit ſaltem illicita. Eodem ſenſu Græci vſurpant οἰκονομίαν: ſic enim Cyrill. Alexandrin. appellat eam adminiſtrationem & viuendi modum qui non ſummo iure ſed æquitate ducitur: in qua etiam ſignificatione Gelaſius voce diſpenſationis vtitur. Græci Theologi ſignificant occultam & arcanam viuendi rationem, qua modis & rationibus nobis incognitis Deus omnia ad finem ſuum præſtituto tempore perducit. Paulus ad Epheſ. I. *verſ.* 10. dicit εἰς οἰκονομίαν τοῦ πληρώματος τῶν καιρῶν, in diſpenſatione plenitudinis temporum: qua voce οἰκονομίας, & diſpenſationis ſignificat Paulus Chriſtum non fuiſſe in mora, ſed Dei prouidentiam ſingula momenta temporum ita gubernaſſe & diſpenſaſſe vt in plenitudine temporum aduentaret & tunc inſtauraret in Chriſto quæ in terris & quæ in cœlo ſunt in ipſo, ἀνακεφαλαιώσασθαι quod verbum ſignificat partes diuulſas, & diſiectas in vnum corpus coniungere. Angelos enim & homines quemadmodum inter ſe diſiuncti eſſent, vnire & ad vnum caput Chriſtum reuocare voluit Deus vt interpretatur Aug. *cap.* 62. *Enchiridij.* Hinc Incarnationis myſterium paſſim vocant Patres οἰκονομίαν. Chryſoſt. etiam *Homilia* 49. *in Gen.* indicat quibus Deus permittit aliquid à regula rationis humanę deſciſcere, vt illis in fidelium ſalutem vtatur, œconomiam vocat, πολλοὶ τοῦ θεοῦ τῆς οἰκονομίας οἱ λόγοι, καὶ ἡμῖν ἀπόρρητοι. Sapienter igitur rationem illam quæ permittit aliquantum à rigore Canonum diſcedere pro bono aliquo, & quapiam alia graui de cauſa vocarunt DD. Theologi & Canoniſtæ οἰκονομίαν, & diſpenſationem, ſicut & veniam, indulgentiam, condeſcenſionem, miſerationem, humanitatem συγγνώμην, συγκατάβασιν, συμπάθειαν, & φιλανθρωπίαν, Latini dixere veniam, remiſſionem, clementiam, lenitatem, manſuetudinem, & miſerationem. Vt verò vocibus ſuperſedeamus. Diſpenſatio eſt actus iuriſdictionis, quo vinculum legis humanæ tacitè vel expreſsè, purè, vel per commutationem relaxatur ab habente poteſtatem ordinariam, vel extraordinariam & delegatam ex iuſta & rationabili cauſa. Hac vel definitione, vel deſcriptione paulò longiori, non modò naturam diſpenſationis, ſed & eius cauſam aſſigno. Verùm ſingulæ eius partes tum hoc, tum conſequentibus capitulis ſingillatim explicandæ ſunt.

Dico

2 Dico igitur diſpenſationem eſſe actum iuriſdictionis, vt illam ab interpretatione legis diſtinguam: eſt enim interpretatio, vti dicam *inferius*, legem in tali euentu particulari non obligare, quod prudentum & Doctorum eſt: non autem eſt ſuperioris iuriſdictionem habentis. Diſpenſare autem eſt aliquem à lege eximere in caſu, quo alioquin tenebatur: quare opus eſt iuriſdictione, vt legis obligatió poteſtatiuè & auctoritatiuè, vt ita dicam, tollatur, & non ſolùm quia in particulari quodam euentu ob mutationem materiæ, & circumſtantiarum ipſa lex deſinit obligare. Quod tamen dignoſcere prudentis & docti eſt. Neque dicas, in dubio de tali euentu eſſe ſolius ſuperioris legem interpretari, cámque interpretationem tunc appellari diſpenſationem, quæ videtur fuiſſe mens S. Thomæ *1.2.q.97.art.4.* Reſpondeo enim ne quidem in dubio opus eſſe ad ſuperiorem recurrere, vt legem ipſe interpretetur, niſi quia ille tunc diſpenſando tollit obligationem legis, ſi fortaſſis in eo caſu, de quo dubitatur, obligaret: alioquin etiam in dubio vir doctus & prudens melius aptiúſque legem interpretabitur, quàm ſuperior non ita peritus & prudens. Mens autem S. Doctoris alia fuit omninò, vti ex variis eius locis oſtendit Suar. *lib. 6. de voto, cap. 9. & lib. 6. de legib. c. 10. n. 3.*

3 Ex hac particula colligunt aliqui, non poſſe principem ſecum in lege diſpenſare, cùm nullus habeat iuriſdictionem in ſeipſum, quod apertè dicitur *cap. cùm inferior. de maioritate & obedientia*, & nemo niſi ſuperior poſſit ſoluere, aut ligare, vt dicitur *cap. Cum inferior 16. de maioritate & obedientia*: communiſſima tamen ſententia eſt, quam pluribus tradit Sanch. *lib. 8. de matrim. diſp. 3. tot.* Suar. *lib. 6. de legib. cap. 12. num. 8.* Granad. *1.2. contron. 1. tractatu 3. diſp. 17. ſect. 2. n. 12.* vbi & alios allegat, qui omnes affirmant, Pontificem & principem, omnéſque prælatos ſeu ſæculares, ſeu Eccleſiaſticos, v.g. Epiſcopos & Religionum ſuperiores, non modò impropriè & indirectè, ſed etiam immediatè & directè ſecum poſſe diſpenſare, & quando lex prohibet ne quid fiat ſine licentia ſuperioris, ipſi ſibi eandem licentiam impertiri & aſſumere valent, & denique tollere à ſe obligationem legis in aliquo euentu in quo obligarentur non modò mediatè, vt dixi, committendo ſuo confeſſario facultatem ſecum diſpenſandi, ſed etiam immediatè, non tantùm quia cum tota communitate, cuius ipſi partes ſunt, aliquando diſpenſant, ſed quia cum ſeipſis in particulari, in omnibus denique caſibus, in quibus cum ſubditis diſpenſare poſſunt, ita vt poteſtas, quam habent in ſubditos, ſit menſura illius quam habent erga

4 ſe ipſos. Itaque ſi Epiſcopus in iure communi, aut in legibus Pontificiis, quoties diſpenſatio non reſeruatur Pontifici, poſſit diſpenſare cum ſuis diœceſanis, ſecum quoque poterit, vnde etiam fit, vt qui habet facultatem generalem diſpenſandi cum aliqua communitate, cuius ipſe eſt pars, poſſit per facultatem illam, quamvis delegatam, & non ordinariam in omnibus illis eâ diſpenſatione, ſi libuerit, vti: ſecùs verò ſi eius poteſtas ad certas quaſdam perſonas limitetur, aut ad determinatum numerum, quamvis eæ non exprimantur: quia nihil poteſt extra limites conceſſæ facultatis, neque videtur mens concedentis delegatum in illa comprehendere.

5 Hæc porrò vniuerſalis aſſertio probatur: quia neque iuri naturali, neque humano & poſitiuo repugnat; quod enim dici ſolet, iuriſdictionem omnem exigere diſtinctionem perſonarum, falſum eſt, ex ipſis etiam aduerſariis, qui dicunt principem ſuis legibus teneri, & quod inde conſequitur, ſeipſum ſua lege ligare: cur igitur ſe ipſe ſoluere non poterit? Deindè cùm principis ſit onera toti communitati diſtribuere, poterit quemlibet eximere, vbi ſuppetet iuſta cauſa eximendi, quidni igitur & ſeipſum? Cur vnus ille peioris fuerit conditionis, cur Epiſcopus cogetur ad eiuſmodi exemptionem perpetuò Pontificem adire, ipſéque Pontifex, niſi totam legem tollat, aut illi ex parte deroget, perpetuò ligatus manebit, cùm nullum ſuperiorem habeat, à quo ſolui poſſit? & cùm ſuo Confeſſario dare queat hanc facultatem, & totam etiam communitatem, cuius ipſe quoque pars eſt, ſoluere poſſit, vt omnes fateantur, neceſſe eſt, quidni poterit id ipſum erga ſe præſtare, & extra communitatem, vbi id conſentaneum iudicabitur, ſe ſe ſoluere? in vtroque enim illo caſu idem erga ſe ipſum exercet iuriſdictionem. Neque dicas ſolutâ communitate manere quoque ſolutum Principem illo ipſo iure, quo vnà cùm communitate ligabatur, non vi ſuæ legis, ex eiúſque natura: ſed quia id poſtulat naturalis decentia & honeſtas, nempè caput eſſe conforme membris, & turpe eſſe imponere aliis onera, quorum te immunem præſtes: nam tunc non erit propria & directa diſpenſatio. Deindè vbi ratio dictabit priuilegio vtendum eſſe principi in quibuſdam caſibus, tunc nulla erit indecentia, caput diſſidere à reliquis membris, vti reuera diſſidet in omnibus legibus pœnalibus, quibus nullus dicet ſubiacere principem, non tantùm quia cogi nequit à ſuperiore, ſed etiam quia non obligatur in conſcientia ſubire pœnam, quam tamen iure naturali ſubire deberet ad ſeruandam eam conformitatem, atque ita mulctam pecuniariam lege impoſitam ſoluere teneretur. Deindè non poſſet nequidem facultatem concedere alteri, vt ab illo diſpenſaretur, v.g. ſuo Confeſſario, quod tamen vltrò concedunt aduerſarij fieri poſſe: quia in iure naturali, quo ligaretur ipſe Princeps, cum aliis quoque diſpenſare nequit, vti dicemus *inferiùs*; ſed ſolum mutando materiam illam iuri naturali, aut diuino ſubtrahere; vndè etiam non placet quod Suar. *lib. 6. de legib. cap. 19. n. 17.* diſpenſationem, qua ſine cauſa ſecum diſpenſat princeps, inualidam eſſe dicit, etiamſi eadem ſubditis conceſſa, valida ſit, ſed illicita, eò quòd obligatio principis ſit à iure naturali, in quo ſine cauſa diſpenſatio nulla eſt: obligatio verò ſubditi præcisè ſit à lege humana, quæ etiam ſine cauſa, quamvis imprudenter, & iniuſtè data, tolli poteſt. Excipit tamen leges irritantes, quia eæ pœnales, aut quaſi pœnales ſunt & inferunt aliquam coactionē voluntatis, quatenùs eius conſenſus irritus fit, quod ſuperioris cuiuſdam voluntatis efficaciam exigit, neque ab eodem in ſe ipſum proficiſci poteſt. Itaque in ea lege irritante & perſonam inhabilitante poterit ſecum diſpenſare princeps, cùm à nullo ſuperiore cogi poſſit, & pœnam pati, ſiue cùm nullius ſuperioris voluntatem, à qua eius conſenſus, & actus ad efficaciam pendeat, habeat. Verùm, vti iam dixi, eadem in his omnibus videtur ratio: nam ſicut poſitâ lege præcipiente, aut prohibente, naſcitur in principe, non ex ipſa quidem humana lege, ſed ex iure naturali, & diuino obligatio in conſcientia circa eiuſmodi actus faciendos, aut non faciendos: ita poſitâ lege irritante, & inhabilitante naſcetur quoque obligatio in eodem principe, non à lege humana ſua, vel ab alio lata, ſed à iure naturali. Quare quamvis includatur in lege irritante aliqua coactio, per quam conſenſus, & conatus voluntatis irritus fit, ea erit non à legiſlatore & principe in ſeipſum, ſed à diuina voluntate, & à lege æterna, quæ eſt, vt aliàs diximus, ipſum ius naturale, aut ab ipſa natura, quæ quodammodò ſuperior eſt: quare aut ſecum diſpenſare nequit Princeps, aut etiam validè diſpenſabit etiam ſine cauſa, ſi tunc validè diſpenſet cum ſubditis. Secum autem diſpenſare poteſt, quia,

vt dixi, id non repugnat iuri naturali; obligatur enim tantùm indirectè ex morali quadam decentiâ ſe honeſtè conformandi cum ſuis ſubditis, quæ vbi neceſſaria non eſt, non tenebitur etiam indirectè ſuis legibus, atque ita ea diſpenſatio propria non eſt. Quod totum vltrò concedo, & ex dictis manifeſtè ſequitur, & concedit Salas *diſp.29. de legib.ſect.12.* aut ſi dicas teneri principem ſuis legibus quoad vim directiuam, vt volunt aduerſarij, poterit etiam ſecum diſpenſare indirectè, quatenùs diſpenſat cum tota communitate, cuius ipſe pars eſt, & cur cùm directè diſpenſet cum ſingulis, qui ſunt in ea communitate, non poterit eodem modo ſecum diſpenſare, cùm eiuſdem communitatis & ipſe nobilior, maximè quia licet tunc exerceatur actus iuriſdictionis; ea tamen non eſt contentioſa, aut per modum ſententiæ in foro etiam externo, idcóque poteſt ab eodem exerceri in ſeipſum, vt pluribus docet Sanch. *lib.8. de matrim. diſp.3.num.6.* Vnde apparet cur neque ipſe Pontifex ſe ipſum abſoluere valeat, licèt multos alios actus iuriſdictionis in ſeipſum poſſit exercere: quia nimirum datur abſolutio per modum ſententiæ iudicij, quod neceſſariò exigit ius ſtatui inter partes, quas proinde neceſſariò diſtinctas eſſe oportet.

6 Habes igitur, hanc diſpenſationem quâ vnus vtitur in ſeipſum non repugnare iuri naturali, quod oſtendendum ſuſceperamus: ſed neque repugnat iuri poſitiuo, diuino, aut humano, cùm nullus locus, in quo id prohibeatur, aſſignari potuerit hactenùs: quæ enim afferuntur continent peculiares & ſingulares quoſdam caſus, in quibus ob fraudes vitandas, ita cautum fuit, aut negant iuriſdictionem contentioſam poſſe in ſeipſum exerceri, ſiue per modum ſententiæ. Quod autem vulgò dicitur, eiuſdem eſſe ſoluere, cuius eſt ligare, falſum eſt, ſi in vniuerſum loquamur: quia Epiſcopi poſſunt ordinariâ poteſtate in quibuſdam legibus pontificiis diſpenſare cum ſubditis, & tamen nequeunt illos ligare iiſdem legibus, v. g. in lege generali ieiunij quadrageſimali non ligat Epiſcopus, in caſu tamen ſpeciali cum aliquo diſpenſat, licèt nequeat in vniuerſum ab illa lege diſpenſare, ſiue in illa omnes diſpenſare, & tollere legem. Vide plura apud Dianam *part.8 tract.3. reſolut.16.*

7 Dixi ſecundò diſpenſationem eſſe relaxationem vinculi: quibus verbis illam diſtinxi primò à licentiâ, abſolutione, & permiſſione: licentia enim non fit contra ius, ſed ſecundùm ius, nam per eam non auffertur obligatio legis, ſed fit operatio ſecundùm modum ab ea præſcriptum; iubet enim lex ne quid fiat, aut omittatur ſine licentia, vnde qui poteſt dare licentiam nequit propterea in lege diſpenſare, v.g. Epiſcopus poteſt ex iuſta cauſa dare facultatem ingrediendi monaſterium monialium, non tamen diſpenſare à clauſura, ſed ſolum facere iuxta tenorem legis, quæ ad eiuſmodi ſimilem ingreſſum licentiam requirit. Prælatus regularis dat licentiam Religioſo aliquid accipiendi, aut donandi, non idcircò tamen in voto paupertatis, diſpenſat, neque diſpenſare poteſt, vt patet.

8 Abſolutio quoque non eſt relaxatio vinculi humani, ſed alterius propter ius humanum violatum inducti, neque eſt relaxatio iuris, quod maximè ſeruatur in tollendo eo vinculo. Cùm enim in pœnitente ſupponat debitâ diſpoſitionem, & in abſoluente poteſtatem, nullum ius in ea abſolutionis minuitur, ſed ea tota conformis eſt iuri dictanti, vt poſita diſpoſitione à iure requiſita in pœnitente abſoluatur, ſiue vinculo culpæ, ſiue cenſuræ fuerit innodatus.

9 Permiſſio quoque non eſt diſpenſatio: nam permittere eſt voluntariè actum aliquem non impedire, quem impedire poſſes, quod non eſt diſpenſare; alioquin Deus dum peccata permittit, diſpenſare diceretur: aut lex quæ aliquod crimen non punit, in eo diſpenſaret. Nihilominùs tamen quia per diſpenſationem tollitur neceſſitas aliquid faciendi, aut omittendi per legem inducta, dici poteſt eſſe permiſſio quædam, quia etiam non obligat facere actum nobis aliàs prohibitum, & ab eius prohibitione diſpenſat & eximit, cenſeri, & æſtimari poteſt quædam diſpenſatio.

10 Secundò eadem particula, *relaxatio vinculi*, denotat effectum proximum diſpenſationis, nempè tollere obligationem, per legem inductam tùm culpæ incurrendæ, tum pœnæ ſubeundæ, quæ nonniſi propter culpam infligitur, quamvis hæ obligationes ſeorſim & non ſimul tolli poſſint, vt ſi cui antecedenter concedatur, vt non incurrat pœnam à lege, quam violat, latam, vti abrogari poteſt lex quoad vim coactiuam, manente vi directiuâ; ſicut enim datur lex purè pœnalis, vt diximus *lib.4.* quidni & poterit dari merè directiua? Poterit igitur dari diſpenſatio quæ ſolam obligationem conſcientiæ tollat, quod tamen vix eſt in vſu. Aliquando etiam poſt contractam culpam pœna per legem debita relaxatur, quandò videlicet nondùm incurſa eſt, v.g. cenſura nondum eſt inflicta: ea enim tunc tolleretur, vt dixi, per abſolutionem, & non per diſpenſationem, ſed quando cenſura ferenda erat, tunc enim condonatur, &, vt aiunt, ius vulneratur, & lex minuitur. Hos effectus proximos alij conſequuntur, qui remoti dici poſſunt, v.g. valida beneficij aut Ordinum ſuſceptio; contractus matrimonij, petitio debiti, & cæteri quidam.

11 Tertiò ex eo quòd diſpenſatio ſit laxatio vinculi & iuris communis, ſeu legis vulneratio, aut imminutio, ſequitur eſſe ſtrictè interpretandum: eſt enim odioſa. Suar. *lib.6. de legib. cap.2.n.10.* Sanch. *lib.8. de matrim. diſp.1.n.3.* nam quæ à iure communi exorbitant nequaquam ad conſequentiam trahenda ſunt, *de regul. iur. in 6.* idémque apertè tradit. Boniſac. VIII. *cap. 1.§. ille verò de filiis presbyterorum, in 6.* Neque obſtat quod *cap. Olim. de verborum ſignificat. & l. Beneficium. D. de conſtitution. principum*, dicitur beneficium principis largiſſimè interpretandum eſſe: id enim intelligendum eſt, quoties gratia communis non eſt contraria iuri communi, ſed ſolùm præter illud, & tunc illa ampliatio beneficij in ſolius principis præiudicium, & non alterius cuiuſpiam tertij extenditur. Dicunt autem DD. diſpenſationem eſſe verè proprium beneficium, quando proprio motu principis, vt vocant, conceſſa eſt, quod non impedit, quominùs fuerit ab obtinente petita. Quare ſi Pontifex dicat ſe proprio motu conceſſiſſe, ſignificat tantum, ſe nullam habuiſſe rationem cauſæ allatæ ab imperante, vti oſtendit fusè Suar. *lib.7. de legibus, cap.12.n.5.* & nos *inferius.*

12 Ampliari tamen poſſe diſpenſationem in quibuſdam caſibus docet Sanch. *diſp. cit. à n.5.* Primò quando ea eſt inſerta corpori iuris: tunc enim cenſetur lex quædam, & legis ampliationem recipit. Secundò quando verſatur circa iuris communis materiam, illi conſentaneè intelligenda eſt, atque cùm illa reſtringenda vel amplianda: atque ita licentia teſtandi Epiſcopo validat prius teſtamentum. Tertiò quoties aliundè conſtat de intentione concedentis. Quartò quandò per diſpenſationem fit reductio ad ius commune, quod fauorabile eſt, ac proindè diſpenſatio ad illud reducens, & priuatum emendans. Quintò quoties non fit vni alicui priuatæ perſonæ, ſed toti communitati, v. g. Ordini religioſo. Sextò ſi diſpenſatio data ſit propter cauſam ad illam ſuperiorem prudenter obligantem. Septimò quando alioquin illuſoria & fruſtratoria redderetur, v.g. ſi diſpenſatio teſtandi facta Epiſcopo ad primum teſtamentum reſtringeretur, ita vt eo

reuocato,

reuocato, aliud condere nequeat: quia natura teſtamenti fert, vt ſit vſque ad mortem reuocabile, quare facultas teſtandi nequit extingui condito primo teſtamento. Octauò extendi debet ad ea omnia quæ cum materia, in qua diſpenſatur, ſunt inſeparabiliter connexa. Ita qui licentiam habet poſſidendi plura beneficia, habet quoque non reſidendi ſimul in vtroque: quando verò aliqua ſunt tantùm ſeparabiliter connexa, & ſat intelligitur diſpenſatio habere ſuum effectum in principali, ad acceſſoria extendi nequit, ſi ea quoque indigebant diſpenſatione. Quare diſpenſatio ad non reſidendum non extenditur ad perceptionem fructuum, quibus priuantur abſentes, cùm hæc ſint ſeparabilia, & alia ſit opus diſpenſatione, ne defectu reſidentiæ quis priuetur beneficio, alia verò vt abſens fructus percipiat.

23 Dixi tertiò in definitione diſpenſationis, illam eſſe relaxationem vinculi legis humanæ, vt indicarem materiam, in quam cadit: ſed de ea longior nobis erit diſputatio *inferiùs cap. 5.* modò nobis ſatis ſit eiuſmodi materiam, vel ſolam, vel præcipuam eſſe obligationem ex humana lege contractam, ſi loquamur de propria & vera diſpenſatione, vti monuimus *lib. ſuperiori*, de immutabilitate iuris naturalis diſputantes.

QVÆSTIO II.

Quotuplex ſit diſpenſatio.

Diuiſio in tacitam, & expreſſam, n. 1.
Quid tacita, n. 2. 3. & 4.
Secunda diuiſio in puram, & commutatiuam, n. 4.
An commutatiua poſſit fieri ab Epiſcopo, n. 5. 6. 7. 8. & 9.

1 DVplicem diuiſionem diſpenſationis aſſignaui in ſecunda parte eius definitionis, quæ paulò fuſiùs explicanda nobis eſt. Prima igitur diuiſio diſpenſationis eſt in expreſſam & tacitam. Expreſſa eſt quæ propriis & apertis verbis conceditur, nulla tamen certa & concepta verba ad ſui validitatem exigit, ſiue ex natura rei, ſiue ex iure humano: ſatis fuerit, ſi ea vſurpentur, quibus tum mens diſpenſantis, tum obligatio, quam relaxat, intelligatur, & declaretur, ad quod tamen non exigitur ſemper, vt materia, in quam cadit ſpecificè exprimatur. Si cui enim Pontifex diceret, *In quacunque irregularitate, ſi quam in tali negotio contracturus es, diſpenſo tecum & in quocunq; impedimẽto matrimonij*, cenſeretur in ſingulis irregularitatibus in eiuſmodi negotiis contrahendis & in ſingulis impedimentis matrimonij diſpenſaſſe; quia quidquid in generali verborum ſignificatione comprehenditur, cenſetur expreſſum, licèt non ſpecificè ponatur. Non requiritur etiam conſignari litteris niſi vt in foro externo fidem faciat. Neque denique neceſſe eſt ab eo peti, cui conceditur, aut ſaltem ex eius mandato, ſed ab alio, v.g. eius amico, impetrato, aut proprio motu concedentis, nulla ſupplicatione aut precibus pulſati conceſſa, valida erit, ex Suar. *lib. 6. de legib. cap. 13. à n. 5. ad* 11. & Sanch. *lib. 8. de matrim. diſp. 26. n. 4.* quia id neque ex ſua natura malum eſt, neque vllo iure prohibitum: quod enim nullus pro alio agere poſſit ſine eius mandato, *D. & C. de procuratoribus*, id de iuſtitiæ non gratiæ reſcriptis intelligendum eſt. Immò *l. 6. C. de precibus Imperatori offerendis*, definitur valere beneficium à principe impetratum, à quocunque preces oblatæ ſint. Non prodeſt tamen diſpenſatio ignoranti conceſſa, donec ab eo acceptetur, aut ab alio ſpeciale mandatum habente, quod fusè docet Sanch. *lib. 3. de matrim. diſp. 36. n. 2.* idque vnum fortaſſe voluerunt, qui dixerunt, diſpenſationem ſine mandato eius, cui obtinetur, impetratam, nullam eſſe; quandò verò motu proprio conceditur, id verbis exprimi deberi, alioquin de ea conſtare nequit: ſecùs verò contingit, quando petitur, quocunque enim ſigno prodat ſuperior ſe annuere petitioni diſpenſationem, eam expreſſam concedit.

Tacita diſpenſatio eſt quæ ex aliquo facto ſuperioris præſumitur, quam tum in ſupremo principe, tum in prælatis inferioribus, in iis, in quibus diſpenſare poſſunt, etiam in lege ſuperioris admittendam eſſe docet Suar. *lib. 6. de legib. cap. 13. n. 12. & tom. 5. in 3. part. diſp. 41. ſect. 3. ſub fin.* & Sanch. *lib. 8. de matr. diſp. 4. num. 17.* quia tantùm valet voluntas tacita, quantùm expreſſa in iis quæ certam formam aut verba non requirunt. Vnde *l. de quibus D. de legatis*, dicitur: *Quid intereſt ſuffragio populus voluntatem ſuam declaret, an rebus ipſis & factis?* Et ſanè videtur in vtroque, tum ſupremo, tum inferiori prælato par ratio, cùm in vtroque caſu ſit voluntas diſpenſandi, & ſigno ſufficienti præſumpta vnà cum ſufficienti quoque poteſtate, vti ſupponimus. Quod autem aliqui in inferiori prælato requirunt cauſæ cognitionem, &c. vndénam id colligunt? vel enim id ex natura rei ad validitatem diſpenſationis requiritur, quod falſum eſt, cùm id ipſimet negent in ſupremo principe; vel id exigunt in inferiori prælato, ex aliquo peculiari iure, ſed illud aſſignandum foret, quod non faciunt, neque facere poſſunt. 2

Huius verò diſpenſationis modus duplex aſſignari ſolet. Primus quando prælatus imperat, aut concedit ſubdito aliquem actum, quem ſcit non poſſe ab eo legitimè exerceri ſine diſpenſatione, ſiue dum illum ad ſimilem actum inuitet, ſiue illum quacunque ratione factum admittat, quod paſſim fatentur omnes apud DD. citatos: quia princeps ſecum pugnantia non præcipit, vti tunc faceret, neque etiam iniqua iubet. Quare donec aliud euidenter conſtet, præſumenda erit facta diſpenſatio, & ſcientia prælati, qua nouit impedimentum, propter quod ſubditus non poteſt talem actum ſine diſpenſatione facere, neque ea ſcientia, aut diſpenſatio tacita debet eſſe publica, vel de ea ſcripto, quo prælatus dicat ſe ex certa ſcientiâ diſpenſare, conſtare: ſed ſufficit ad conſcientiæ forum, vt habeatur, certum fuiſſe prælatum de eiuſmodi impedimento actus, quem imperat: in foro tamen externo probandum erit ſiue ſcripto eius, ſiue viâ iuridica: neque enim aliqua certa eius probationis ratio determinata eſt. Si verò princeps ignoret hoc impedimentum, aut per priorem aliquam diſpenſationem ſublatum fuiſſe exiſtimet, tunc imperando talem actum non diſpenſat etiam tacitè, in illo impedimento, quamuis veriſimile ſit eum cognito impedimento, aut eius duratione, fuiſſe ſimilem actum ſubdito iuſſurum. Ita Sanch. *diſp. 4. cit. n. 9. & 10.* ignorantia enim tollit conſenſum, à quo totam ſuam vim accipit diſpenſatio; in præſenti autem nullus eſt conſenſus, ſed tantùm futurus eſt. Ergo neque eſt diſpenſatio, ſed ſolùm futura eſt ſublata illa ignorantia, neque adhuc conceſſum eſt quod erat princeps conceſſurus, poſitâ aliquâ conditione, quæ nondum poſita eſt, verbi gratiâ ſcientia, niſi ex verbis eam eſſe mentem principis conſtet, ita vt ea voluntas ſit tantùm conditionata ratione obiecti, non ratione ſubiecti, cùm ſit verè præſens & in principe, qui vult eximere à lege, ſi talis conditio ponatur. Quare optimè 3

aduer

aduertit Suar. *cap.illo* 13. *cit.n.* 20. multùm intereſſe inter ſimplicem facultatem, quam nuper appellabamus licentiam in tali caſu; quare non peccat Religioſus donans aliquid ex licentia præſumpta & tacita, quando expreſſam non poteſt tunc obtinere: quia ea donatio non eſt ſimpliciter prohibita, ſed tantùm, vt ne fiat ſine licentia, quæ ex communi vſu & prudentium iudicio ad voluntatem præſumptam extenditur. At verò quia actio,in qua diſpenſatur,eſt ſimpliciter, & conſequenter mala, neceſſaria eſt præſens aliqua voluntas,& non tantùm futura vt ea malitiam & prohibitionem actionis tollat de præſenti, vt licitè fiat.

4 Alter modus tacitæ diſpenſationis eſt ſcientia, & patientia rationabilis prælati,qui ſcilicet videt, ſubditum facere quidpiam quod non poteſt ſine peccato facere,propter impedimentum,quo ſcit illum eſſe obſtrictum,& in quo ipſe diſpenſare poteſt, & ita illum operari patitur; cùm tamen facilè poſſit inhibere ſubditum, nullo ſcandali metu; tunc enim iure plurimi præſumunt prælatum cum eo diſpenſare. Ita Sanch. *lib.8.de matrim.diſp.4.n.*26. Suar.*lib.6.de legib.cap.*13. *cit. n.* 22. Quoad conſcientiæ forum: quia ea ratihabitio eſt de præſenti,eáque neceſſariam ad tribuendam iuriſdictionem, v. g. audiendi confeſſiones, & vt alienus Parochus interſit matrimonio, latè probat idem Sanch. *lib. 3. de matrim. diſp.* 35. Addidi verò quando ſine ſcandalo, aut alterius grauioris incommodi metu ſuperior inhibere poteſt actum, quem videt exerceri à ſubdito: alioquin tunc non diſpenſat, ſed inuitus id fieri patitur.Si etiam conſtaret prælatum illud ex mera negligentia,ſupinitate,& oſcitantia permittere, præſumi non debet diſpenſare: quare docet Sanch. *lib.2.diſp.*38. *n.*12. diſſimulationem,quâ patitur princeps coniuges in irrito matrimonio perſeuerare, non eſſe diſpenſationem, cùm id cauſa vitandi ſcandali patiatur: idcircò Suar.ait contrariam ſententiam, quæ eſt grauium doctorum, valere omninò in foro externo, in quo vix vnquam probare licebit conceſſam licentiam ex illa prælati taciturnitate,cuius plurimæ cauſæ eſſe poſſunt diuerſæ à voluntate diſpenſandi cum ſubdito, quem operi prohibito iam accinctum videt.

Diuiditur ſecundò diſpenſatio ſolemni diuiſione in puram & commutatiuam. Pura eſt ea qua purè & ſimpliciter ſoluitur vinculum legis, nullo alio opere veluti in compenſationem,& commutationem impoſito,quod tamen fit in commutatiua,in qua vinculum vnum in aliud commodius,ſiue minus,ſiue æque graue commutatur. Atque hanc diſpenſationem commutatiuam eſſe in vſu conſtat ex frequentibus & vulgatis votorum diſpenſationibus, & in matrimonij impedimentis illud irritantibus,& demùm ex *cap.licet.De feriis.* vbi Alexander III. permittit Tiburienſi Epiſcopo, in omnibus Dominicis, & feſtis non ſolemnioribus halecum piſcationem, *ita quòd poſt factam capturam Eccleſiis circumpoſitis, & Chriſti pauperibus congruam faciant portionem.*

5 Grauis tamē eſt difficultas an Epiſcopi diſpenſantes in legibus Pontificiis poſſint earum vice alia onera, maximè pecuniaria imponere, atque ita in legibus ſuperioris diſpenſare,per aliquam commutationem. Negat enim id poſſe Sanch.*lib.8.de matrim.diſp.* 2.*n.*14.& *diſp.*14.*n.*2. & *lib.*3. *diſp.*10.*n.*8. quia plus eſt legem commutare, quàm in ea diſpenſare: quare qui habet facultatem ad vnum, non habet facultatem ad aliud, quod maius eſt: quæ conſequentia manifeſta videtur. Antecedens verò oſtenditur: quia per diſpenſationē tollitur quidem totum vinculum legis, & obligatio, per commutationem autem tollitur quidem illud totum vinculum, & præterea nouum aliud inijcitur, ad quod nouâ poteſtate opus eſt. Atque hinc Sanch reddit diſcrimen inter voti & legis diſpenſationem; nam in voto plus eſt diſpenſare, quàm commutare, cùm contrarium contingat in lege,in qua commutare plus eſt quàm diſpenſare.Nam in voto,per diſpenſationem tollitur omninò vinculum voti,quod non fit in commutatione illius; nam manet idem votum circa materiam commutatam: quare violatur votum, ſi non impleatur in materia commutata, & tamen non violatur lex, ſi non ſeruetur id in quod inferior illam commutauit, quia ille nouam legem edere nequit. Et ſanè vouens poteſt ipſemet votum in aliquid melius commutare; quod nemo de lege dixerit.

Quæ omnia confirmantur ex eo quòd ille,cui aufertur poteſtas commutandi non ideo priuatur poteſtate diſpenſandi, & tamen ſi in facultate diſpenſandi contineretur facultas commutandi tanquam aliquid maius,id dicendum eſſet: quia argumentum à minori ad maius vbique valet; qui enim nequit minus, non poteſt etiam maius, vnde multò magis ſequitur argumentum contrarium affirmatiuè non valere in hoc caſu: ſi poteſt diſpenſare,ergo & commutare;& rectè negari conſequentiam. Suam tamen ſententiam ita limitat Sanch. *lib.*3.*cit.diſp.n.*10. quando materia, & cauſa diſpenſandi fuit delictum aliquod: tunc enim apponi poteſt diſpenſationi ab Epiſcopo mulcta pecuniaria, non per modum commutationis, ſed in pœnam delicti commiſſi.

Contrariam ſententiam tanquam probabiliorem 6
conſtanter docet Suar.*tract.*2.*de religione,lib.*2.*cap.*33. *n.*10.& *tract.*3.*lib.*4.*cap.*20.*n.*15.& *lib.*6.*de legib.c.*16. *n.*4. cùm videamus frequentem eſſe illum vſum in ieiuniis, feriis, & aliis eiuſmodi, in quibus ſolent Epiſcopi per aliquam alterius rei,vel operis commutationem diſpenſare. Et probatur: quia commutatio neque ex ſua natura mala eſt,neque facultatem Epiſcopi excedit: licita igitur eſt,cùm ex nullo alio capite prohiberi poſſit. Non eſſe verò ex natura ſua malam talem commutationem inde patet; quia alioquin nunquam licita fieri poſſet, neque vlla iniuria fiet petenti diſpenſationem: quamvis enim iuſtè,& ex cauſa iuſta petat, poteſt tamen eſſe cauſa iuſta ad concedendam tantùm oneroſam vel mixtam, & ad diſpenſationem commutatiuam,& non ſufficere ad puram omninò & ſimplicem diſpenſationem; immò quamvis ad eam ſufficeret, non impediret tamen eam veluti commixtionem gratiæ, & aliùs cuſdam oneris. Nam cùm ſuperior poſita etiam illa cauſa iuſta poſſit negare diſpenſationem: quandoquidem iuſta cauſa non obligat ſuperiorem ad concedendam diſpenſationem, ſed facit tantùm vt ſi concedatur, iuſtè & validè concedatur,poterit illam vel negare,vel non niſi limitatam,& imminutam concedere. Nulla quoque fingi poteſt in hoc caſu ſimoniæ vmbra, quod concedit ipſe Sanch. in votorum commutatione. Itaque ex nullo capite dici poteſt naturâ ſuâ eſſe mala eiuſmodi commutatio.

Non etiam vllo iure prohibetur: quod enim Tri- 7
dent.*ſeſſ.*25.*cap.*18. gratis fieri iubet diſpenſationem, nihil prorſus vrget, nam cùm in vniuerſum de omni diſpenſatione loquatur, prohiberet etiam à Pontifice fieri eam commutationem; quod tamen Sanch.& alij ipſi concedunt. Deindè non aliud intendit ſuo decreto Tridentinum quàm ne in concedendis iſtis diſpenſationibus committatur ſimonia, ſed gratis dentur, quod etiam fit in diſpenſatione commutatiua, in qua vnum onus non imponitur loco alterius propter ipſam diſpenſationem, ſed propter diuinum cultum, cui fauetur,quoties vnum opus pium in voti diſpenſatione non tollitur omninò: ſed eius vice aliud ſubſtituitur:

ſtituitur: in aliis verò diſpenſationibus variis ex cauſis & titulis, non in compenſationem & pretium diſpenſationis, quæ eſt actus iuriſdictionis ſpiritualis, quidpiam imponi poſſe latè docuimus *q. 18. de ſimonia conſectar.* 11.

8 Poteſtatem huius commutatiuæ diſpenſationis eſſe in inferioribus prælatis negabat Sanch. ſed omninò malè; cùm enim ea poteſtas ſit in ſuperiori, in ordine ad proprias leges, poſſitque illam committere inferiori, quoties illi ſimpliciter & abſolutè facultatem facit diſpenſandi, eam nos imminuere non debemus & limitatam dicere, ac interpretari; quia, vt ſtatim dicemus, poteſtas diſpenſandi ordinaria, immò & delegata, amplianda eſt, & non ſtrictè interpretanda, cùm ſit beneficium principis, in cuius ſolius præiudicium cadit, vt apparet in voto, quod commutari poſſe ab eo, qui illud per puram diſpenſationem tollere poteſt, concedit Sanch. neque differentia *ſuperius* allata ſatisfacit: quia etiam in voto per commutationem tollitur obligatio, & in alia materia ponitur, neque circa vtramque materiam eſt vna numero materia, ſed diuerſa, quamvis eiuſdem ſpeciei. In mutatione autem legis mutatur quoque ſpecificè obligatio: quia in aliam virtutis materiam cadit: ſed hoc nihil facit ad hunc caſum. Cùm autem poteſtas commutandi, aut diſpenſandi dicitur maior aut minor, vel conſideratur in ordine ad diuerſos effectus, vel ad eundem: priori modo eſt maior tantùm extenſiuè commutatio, eo quòd habeat plures effectus: nam tollit vnum vinculum, & aliud ponit: diſpenſatio tamen maior eſt intenſiuè, & in ordine ad vnum eundémque effectum, relaxationem videlicet vinculi, quod totum tollit; compenſatio autem nonniſi diminutè, & cum ſimili onere commutat. Qui igitur committit facultatem purè & abſolute relaxandi vinculum, dat etiam ex parte facultatem ſoluendi illud per commutationem: Quare valet etiam hoc loco argumentum à maiori ad minus, quia hoc minus continetur in maiori, tanquam pars in toto, atque ſicut in voti commutatione, pars, quæ relinquitur, oritur ex voluntate vouentis; quod diſcrimen vrgebat Sanch. *diſp. 10. cit. lib. 3.* negans id in lege fieri; idem tamen ibi contingit, nam noua obligatio ex commutatione legis orta ſupponit conſenſum eius, cum quo diſpenſatur, acceptantis vnam obligationem loco alterius, ac proinde in neutro caſu excedet hæc commutatio poteſtatem ita diſpenſantis.

9 Limitat tamen Suar. ſuam hanc ſententiam, vt ea commutatio iuſtè fiat, quoties ſubditi eximuntur à lege, quæ onus aliquod imponebat: non verò quoties diſpenſatio cadit in alia quædam, quæ tantùm ſeruando ordini, bonóque communi vitandíſque periculis, & quibuſdam reipublicæ incommodis ſeruiebant. Atque ita quoties diſpenſatur in denuntiationibus præuiis matrimonij, negat imponendam eſſe mulctam pecuniariam: quia ea lex tendit tantùm ad vitanda pericula, quæ in matrimonio occurrere poſſent, quibus mulcta non medetur, atque adeò impertinens eſt ea commutatio, immo & iniuſta: ſecùs ſi imponeretur abſtinentia à copula, donec diligentia aliqua denuntiationibus æquiualens, etiam cum aliquibus expenſis fieret, quod ipſum ait in interſtitiis ad ordines diſpenſandis, aut dandis litteris dimiſſoriis ſeruari poſſe.

His duabus ſolemnioribus diuiſionibus aliæ poſſent addi, in debitam & gratuitam, plenam, ſemiplenam & pleniſſimam, validam & inualidam, iuſtam & iniuſtam, quæ faciles ſunt, de quibus vide Sal. *diſp. 10. de legib. ſect. 2.* in quibus immorandum non videtur.

CAPVT IV.

De poteſtate diſpenſandi.

QVÆSTIO I. *De ordinaria poteſtate diſpenſandi.*
QVÆSTIO II. *De poteſtate delegata diſpenſandi.*
QVÆSTIO III. *Conſectaria.*

EXPLICATA natura & definitione diſpenſationis, venio ad eius cauſas, quarum prima inter externas eſt effectiua, ſic appellamus poteſtatem à qua prodire debet, & effici diſpenſatio. Hæc porrò poteſtas duplex tantùm eſſe poteſt, nimirùm ordinaria, & delegata, de qua vtraque paucis hoc loco nobis agendum, ſuppoſitis iis quæ de poteſtate iuriſdictionis, qualis eſt poteſtas diſpenſandi, dicemus fuſiùs *tom. 3. operis,* vbi de vtraque Hierarchia diſputabimus.

QVÆSTIO I.

De poteſtate ordinaria diſpenſandi.

Quid ſit ea poteſtas, n. 1.
An Epiſcopus ratione ſui officij poſſit diſpenſare, n. 2. & 3.
Quando id poſſit, n. 4. & 5.
Quid de Archiepiſcopo in legibus Synodi prouincialis, n. 6.

POteſtas diſpenſandi ordinaria eſt tum in ſupremo principe, quo nomine intelligo quẽlibet ſuperiorẽ ſtatum legum, tum in æquali, cuiuſmodi ſunt omnes ſucceſſores, qui pari poteſtate cum iis, à quibus leges emanarunt, exiſtunt, tum in inferiori circa leges latas à ſuperiori, & ſi earum diſpenſationem ſibi non reſeruarit, niſi in caſibus, in quibus ſpecialiter id concedit, quæ mirè grauis eſt difficultas. 1

Nam poſſe Epiſcopum ratione officij & ex ordinaria poteſtate in legibus pontificiis è iure communi in omnibus caſibus non reſeruatis ſpecialiter Pontifici diſpenſare grauiſſimi putant DD. quia quod poteſt Pontifex in toto orbe, id poteſt Epiſcopus in ſua diœceſi, niſi pertineant ad vniuerſalem Eccleſiam, cuiuſmodi ſunt articuli fidei. Quod axioma innumeri tenent apud Sanch. *lib. 1. de matr. diſp. 61. n. 3.* ipſéque ſequitur demùm *cap. quia, de ſentent. excommunicationis.* Pontifex ait, Epiſcopum poſſe abſoluere excommunicatum ob communicationem cum excommunicato, etſi ea excommunicatio ſit à iure, *quia cum* (inquit) *conditor canonis eius abſolutionem ſibi ſpecialiter non retinuit, eo ipſo conceſſiſſe videtur facultatem aliis relaxandi:* & denique in feſtis, ieiuniis & aliis eiuſmodi, quæ pertinent ad leges Pontificias, vulgò diſpenſant Epiſcopi ſine vlla peculiari commiſſione. 2

Contrariam ſententiam docet Suar. *lib. 6. de legib. c. 14. n. 4.* Sal. *d. 20. n. 20.* Sanch. *lib. 2. de matr. d. 40. n. 1.* Val. *d. 7. q. 9. punct. 9.* Azor. *tom. 1. lib. 5. cap. 15. q. 7.* Rebuff. *in praxi. 1. par. tit. de tranſlatione monacho. n. 9.* & alij. Quia non poteſt inferior legem ſuperioris eo inuito 3

uito, aut non conſentiente tollere, cùm & ratio phyſica & moralis, ac bonæ gubernationis ordo id poſtulet, neque officium, cùm inferius ſit à ſuperiori, hanc vim dare poteſt inferiori, qui ratione ſui officij ſemper manet inferior. Quare qui cauſam huius poteſtatis ab officio petunt, petunt principium, nam quæritur, an officium inferius det hanc facultatem in legibus ſuperioris diſpenſandi; axioma autem illud vulgare quod Epiſcopalem dignitatem ratione diœceſis particularis æquiparat pontificiæ, ſanè intelligendum eſt, cùm in multis peccet, neque vnquam Epiſcopi in matrimonio rato diſpensârunt, aut miniſterium Confirmationis Ordinúmque minorum ſimplici ſacerdoti commiſère, vel indulgentias plenarias conceſſère, aut Religiones approbare poſſunt in ſuis Epiſcopatibus, quæ tamen omnia poteſt in orbe Pontifex. Verùm Epiſcoporum, vbi aliquæ leges à ſuperiori conditæ ſunt, poteſtas reſtricta eſt ex ipſa rei natura. Caput autem illud nuper quod afferebatur, loquitur tantùm de abſolutione à cenſuris, quæ, vt alias dixi, non eſt contra ius, ſed ſecundùm ius, & cùm ad bonum vſum Sacramentorum pertineat, non ſolùm Epiſcopo, ſed etiam Parocho permittitur eo capite à Pontifice, vbi non eſt ſpecialiter reſeruata, quis autem dicat Parochum in omni lege diſpenſare poſſe, vbi non eſt ea diſpenſatio reſeruata ſuperiori.

4 Caſus autem, in quibus tacita vel expreſſa commiſſione poſſunt in legibus Pontificiis diſpenſare Epiſcopi, hi numerantur. Primò quoties ius eam facultatem concedit, vel ſpecialiter, vel per clauſulam generalem, vt dum prohibet aliquid fieri niſi diſpenſetur, neque addit à quo ſit diſpenſandum, vt latè habet Sanch. *d.* 5. *num.* 1. *lib.* 8. *de matrim.* inutilis enim eſſet ea clauſula, niſi de diſpenſatione ab Epiſcopo intelligeretur; quare ſatis eos conſtat Pontifices diſpenſare poſſe, quod tamen ita temperat Sanch. vt ea lex ſit lata ſubditis, non Epiſcopo: nam tunc in proprio facto diſpenſaret, ſed ſi poteſt ſecum diſpenſare in omnibus in quibus poteſt cum aliis, quidni hoc loco? Secundò, quando canon eſt Concilij generalis, & non ſolius Pontificis: (tunc autem Concilij eſt, quando conſtitutio originem trahit à Concilio, etſi illi Pontifex interfuerit, ſecùs quando originem trahit à Pontifice, etſi ipſe dicat ſe ita iubere ſacro approbante Concilio,) & quando in decreto dicitur ſumptum ex aliquo Concilio, aut alia ratione, illud Pontifex tribuit Concilio, vt cùm ait ſe definiiſſe ex conſenſu Concilij: ſecùs quando ait ex conſilio Concilij. Ratio autem, propter quam eiuſmodi conſtitutiones nequeant ab Epiſcopis relaxari per diſpenſationem, etſi clauſula illa generalis, de qua ſupra, ſit, eſt: quia decreta Concilij egent expreſſâ derogatione, quam conceſſam eſſe Epiſcopo per ea verba generalia non eſt præſumendum.

5 Secundò, quando res eſt leuis momenti moleſtum eſſet in his minutiis ſupremum Principem adire. Tertiò, in iis quæ frequentiſſimè occurrunt; quia in his facilè præſumitur Principem nolle obligare ad frequentem recurſum ad eum. Quartò, quando magna ingruit neceſſitas, neque poteſt adiri Pontifex in quibuſdam matrimonij caſibus. Ita Sanch. *lib.* 2. *de matrim. d.* 40. Vaſq. *d.* 178. *c.* 2. Azor. *tom.* 1. *lib.* 5. *c.* 15. Suar. *lib.* 6. *de legibus cap.* 14. Salas *d.* 20. *n.* 25. qui plures alios referunt. Quintò, conſuetudo hanc iuriſdictionem dedit, vt in feriis, & ieiuniis vulgò diſpenſatur ab Epiſcopis.

6 Altera difficultas eſt, an hæc poteſtas ſit in Archiepiſcopo reſpectu legum à Prouinciali Synodo latarum: videtur enim illius caput, cùm præſideat ſicuti Pontifex Concilio œcumenico. Nihilominùs dicendum eſt, id non poſſe cum Suar. *lib.* 6. *cap.* 15. *n.* 5. Sanch. *lib.* 8. *d.* 17. *n.* 15. quia Archiepiſcopus inferior eſt Synodô Prouinciali, cum ab eo ad Synodum liceat appellare, eius quidem eſt cogere Synodum, eámque dirigere, & cùm ipſe non poſſit ſuffraganeos Epiſcopos punire, aut eorum diœceſibus leges imponere, quod tamen poteſt etiam Synodus quia ampliorem iuriſdictionem habet.

Secùs tamen dicendum eſt de Epiſcopo reſpectu Synodi diœceſanæ, quia ea non habet iuriſdictionem diſtinctam à iuriſdictione ſui Epiſcopi, cùm omnes in eam conuenientes careant iuriſdictione externi fori præter vnum Epiſcopum, ea tamen ad legum-lationem neceſſaria eſt: quare ſi quæ ſtatuta in ea fiant, vim ſuam obtinent ab Epiſcopo, qui tamen ſuos Parochos coëgit, vt res maiori prudentia, & ſuauitate ſtatuerentur. Quare Bellarm. *lib. de Conc. c.* 4. negat propriè eas Synodos dici Concilia: limitat tamen Sanch. *diſp. illa* 17. *num.* 29. niſi Epiſcopus ſuam legem curarit à Pontifice confirmari, aut ipſe iuramento non ſtabilierit, cùm nequeat ſecum aut in iuramento, aut in legibus pontificiis, inter quas cenſentur ſtatuta Synodi à Pontifice confirmata, diſpenſare non poterit in hoc caſu, vt apparet, neque autem ſi ſtatutum tranſierit in contractum in alterius commodum, quamvis ex graui aliqua poſſit reſcindi ille contractus.

QVÆSTIO II.

De poteſtate diſpenſandi delegata.

Quid ſit, & quotuplex, n. 1.
An ſit ſtricti iuris, & odioſa n. 2.

Altera poteſtas eſt delegata, eáque duplex: nam vel perſonæ petenti diſpenſationem conceditur, vt eligat perſonam à qua diſpenſetur, vt ſit in iis, quæ viæ Pœnitentiariæ obtinentur, vel datur facultas immediatè ipſi delegato; quod iterum duplici ratione ſit. Nam vel datur limitata quædam facultas, vt cum certa perſona in certa lege, aut determinata materia diſpenſet, vel ampla & abſoluta facultas in lege aliqua aut pluribus diſpenſandi, quando ſit conceſſio, aut limitata aut petenti immediatè diſpenſationem, totus fauor eſt ratione hominis diſpenſandi, cùm ad eius preces ordinariè fiat: quandò verò ampla eſt ea facultas & generalis, conceditur in fauorem delegati ſeu diſpenſatoris. 1

Dixi autem facultatem diſpenſandi limitatam, ſiue immediatè donetur delegato, ſiue perſonæ diſpenſandæ, eſſe ſtricti iuris & odioſam, ac proindè reſtringendam; generalem verò eſſe fauorabilem & ampliandam. 2

Prima pars eſt Sanch. *lib.* 3. *d.* 2. *n.* 6. Suar. *lib.* 6. *c.* 17. quia tunc non eſt tam diſpenſandi facultas, quàm ipſa diſpenſatio iam inchoata, & quodammodo executionem expectans; diſpenſatio autem ſtricti iuris eſt odioſa, vti dictum fuit.

Altera pars communiſſima eſt, vt apud Sanch. & Suar. *ll. cc.* videbis, quia eſt fauor principis, & non eſt ipſa diſpenſatio, eſtque ſecundùm ius, quia eſt neceſſaria ad ſuaue, & commune regimen, atque ex regula generali ſuperiùs eſt indicata beneficium principis, maximè quando in fauorem communitatis vergit, latè eſt interpretandum, niſi conſuetudine inducta ceſſet quædam aut interpretatio, aut reſtrictio illius facultatis, circa certam materiam. Quare in dubio an

poteſtas

poteſtas diſpenſandi ad aliquam materiam extendatur, interpretanda eſt extendi ſecùs quàm ſe habeat diſpenſatio.

QVÆSTIO III.

Conſectaria.

EX his quæ de vtraque iſta poteſtate diſpenſandi tum ordinaria, tum delegata diximus hactenùs, plurima in praxim deduci poſſunt, atque imprimis.

CONSECTARIVM I.

1 An inferiores prælati poſſint diſpēſare in legibus ſuperioris non reſeruatis, quandò ille ſibi vel expreſsè, vel tacitè eam diſpenſationem non reſeruat, v. g. Epiſcopus in legibus Pontificis; id enim poſſe affirmant quando ſpecialiter id illis non prohibetur, Baſil. Poncius *q.* 4. *parte de Sacram. Confirmation. cap.* 3. *numero quinto,* Valerus *in differentiis vtriuſque fori, verſ. diſpenſatio, different.* 8. Vega *de indiciis* & alij adducti à Diana *part.*8. *tractat.*3. *reſolut.* 11. in quibus eſt Bannius *tom.*3. *Theol. moral. lib.*2. *tract.*9. *q.*12. *aſſert.*3. quia ea facultas maximè in rebus leuioribus moraliter neceſſaria eſt ad bonam populi gubernationem. Contrarium docet S. Thom. 1. 2. *art.*4. *ad* 3. vbi diſertè ait in lege humana publica nullum poſſe diſpenſare, præter illum, à quo lex habuerit auctoritatem, aut eum cui commiſerit. Sequuntur ſanctum D. paſſim recentiores, Suar. *lib.*3. *c.*14. *n.* 14. Sanch. *lib.*8. *de matrim. diſp* 5. *numero* 9. Guttierrez. *lib.* 1. *Canon. qq. cap.*5. *num.* 10. Valentia *tom.*2. *diſp.*7. *quæſt.*5. *punct. vltimo.* Granad. 2. *part. controu.*7. *tractat.*3 *part.*2. *ſect.*1. *num.*55. Gordon. *lib.*3. *ſum. q.*13. *cap.*3. Amicus *tom.* 6. *ſect.*4. *num.* 55. Azor. 1. *part. inſtit. lib.*5. *cap.*15. *quæſt.*7. alijque & nos *ſuperiùs q.* 1. vbi id ex iure ipſo oſtendimus, eſtque euidens ratio: quia inferior nequit voluntatem ſuperioris reuocare; quandiu autem illa non reuocatur vbi ſemel fuit lege explicata, ſemper manet, atque adeò obligat: neque enim inferior reuocare poteſt ſuperioris voluntatem, quæ ab illo nulla ratione pendet. Ad id igitur opus eſt poteſtate ſaltem implicitè ſibi à ſuperiore conceſſa, quod non facit via ordinaria illi ad gubernationem ſubditorum poteſtate facta, ad quam neceſſaria non eſt poteſtas diſpenſandi in omni lege & voluntate ſuperioris. Inde enim potiùs oriretur rectæ gubernationis perturbatio, & nulla ferè eſſet ſubordinatio prælati inferioris ad ſuperiorem; quæcumque enim ſtatueret, ſuperior niſi illa ſibi expreſsè reſeruaſſet, poſſent ab inferiore diſpenſari, & ab illorum obſeruatione paſſim ſubditi ſolui. Quamvis enim lege latâ id fieri non poſſet, peculiari tamen cum ſingulis diſpenſatione id facere liceret cum inſigni ſine dubio totius diſciplinæ iactura. His accedit & altera ratio: quia lex ſuperioris, vt ſuperioris eſt, hoc eſt, quando talis eſt, vt ab inferiori ferri non poſſit, ſiue ratione grauitatis materiæ, ſiue ratione vniuerſalitatis, ſiue alia quacunque de cauſa, continet implicitam & virtualem prohibitionem, ne quis inferior audeat illam mutare, minuere, aut in ea diſpenſare, neque requiritur expreſſa alia, & magis explicita de ea re prohibitio; alioquin inutilis ferè eſſet illa lex ſuperioris prælati, & totus eius vigor, ſaltem in caſibus ſingularibus, penderet ab arbitrio inferioris prælati, vt vides.

2 Vnde videas male Valerum in *differentiis vtriuſque fori verſ. diſpenſatio. difficult.* 9. *num.*4. dixiſſe Parochos poſſe circa proprias oues omnia quæ Epiſcopus poteſt, niſi ſint ſpecialiter reſeruata: quam æqualitatem poteſtatis Parochorum cum Epiſcopali, hac in parte ſapienter reiicit Granad. 2. *part. controu.*7. *tract.*3. *parte* 2. *diſp.*17. *ſect.*1. *n.*9. cùm nullum in iure fundamentum habeat, & perpetuò duæ illæ poteſtates inæquales habitæ fuerint, quamvis conſuetudo circa diſpenſationem in ieiuniis, & feſtorum obſeruatione, vbi neceſſitas vrget, neque poteſt adiri Epiſcopus, quidpiam conceſſerit Parochis; quod etiam notat Sanch. *lib.*3. *de matrim. diſp.* 9. *n.*27. ſed illud ad cætera non eſt ampliandum, cùm non in iure, vt dixi, ſed in conſuetudine fundetur, quæ vbique eadem non eſt, ſed plurimùm diuerſa, & variis ex cauſis inducta, quæ in omni loco non valent.

Dices, Epiſcopos diſpenſare in cenſuris Pontificiis, ſine à Pontifice latis, quando non reſeruantur ab ipſo Pontifice eas infligente, vt dicitur, cap. *Nuper de ſententia excommunicat.* vt in votis, quod item verum eſt in ieiuniis, & feſtis, quæ tamen ſunt leges Pontificiæ; & in aliis legibus Pontificiis poterunt æquè diſpenſare, quoties id illis non fuerit ſpecialiter prohibitum. 3

Reſpondeo, eam vniuerſalem conſequentiam non rectè deduci ex caſibus particularibus, maximè cùm in illis caſibus eſt ſingularis aliqua ratio, & non vniuerſalis, quæ cæteris quoque factis, licet ſingularibus conueniat, certúmque eſt argumentum à ſimilitudine rationis non valere in iure, ſed ſolū ab identitate vti *lib.*9. dicemus *inferiùs.* Et quidem *in cap. Nuper.* Innocent. III. cuius eſt hoc caput ſcribentis ad Vratiſſenſem Epiſcopum, non agit niſi de cenſuris, non verò in vniuerſum de legibus & Canonibus Eccleſiaſticis. Quare ex abſolutione à cenſuris non reſeruatis minimè licet arguere ad diſpenſationem à Canonibus, quorum obligatio non poteſt ex natura rei ſolui, niſi à ſuperiore, vel æquali poteſtate illi, qui tulit, vt iterùm *inferius* dicemus. Deindè cùm Innocentius permittit Epiſcopo cenſuras aliquas etiam latas à Canone Eccleſiaſtico ſolui, iam ille Epiſcopus non diſpenſat in lege communi, & Eccleſiaſtica excommunicante communicantem in quibuſdam cum excommunicato, ſed agit ſecundùm legem Eccleſiaſticam, prout illam Pontifex æqualis poteſtatis cum illo, qui eam tulit, interpretatur: atque adeò Epiſcopus in illo caſu agit ex facultate ſibi facta excommunicationem, de qua ibi agitur, ſoluendi. Atque hæc facultas, quam facit Innocent. Epiſcopo abſoluendi à certa cenſura non reſeruata, non eſt vniuerſalis, alioquin poſſet Epiſcopus à quacunque cenſura non reſeruata, ſaltem in eadem ſpecie excommunicationis abſoluere, quod tamen negat idem Innocentius, aut ſaltem non concedit: quæſierat enim ab Innoc. idem Epiſcopus, an qui ſcienter communicant cum nominatim excommunicatis, poſſint à ſimplici ſacerdote, Epiſcopo, vel Archiepiſcopo abſolui. Reſpondet Pontifex, duplicem eſſe communicationem, vnam in crimine criminoſo, quæ eſt quædam participatio illius criminis; alteram in conſuetudine, ſalutatione, & aliis; & vtramque communicationem damnari, indigeréque abſolutione: priorem tamen ab eo, qui damnauit, vel eius ſuperiore requirendam eſſe: ſecundam ab Epiſcopo, vel proprio Sacerdote abſolui poſſe, *Quia conditor Canonis, qui eius abſolutionem ſibi ſpecialiter non reſeruauit, eo ipſo conceſſiſſe videtur facultatem aliis relaxandi.* Quæ ratio, vti apparet ex toto contextu, reſtringi debet ad illam excommunicationem ortam ex communicatione in oſculo, oratione comeſſatione, & aliis ſimilibus; quia ſi vniuerſaliter ad omnem excommunicationem ex qualibet communicatione extendatur, valebit etiam in abſolutione excommunicationis, 4

propter communicationem, etiam in crimine criminoſo; quod tamen diſertè negat: eam enim petendam ait ex merito delicti ab eo qui excommunicationem inflixit, vel eius ſuperiore. Quod tamen verum non erit, *ſi conditor Canonis qui eius abſolutionem ſibi ſpecialiter non reſeruauit*, eo ipſo conceſſiſſe videtur facultatem aliis relaxandi. Atque ita hic excommunicatus ab Epiſcopo, vel ab alio, vel ab illo proprium abſolutionis beneficium obtinere poterit, quod menti Pontificis contrarium omninò eſt. Et ſanè dum Concilium Tridentinum facit poteſtatem Epiſcopis in criminibus occultis, & dum non eſt facilis recurſus ad Pontificem diſpenſandi, eo ipſo ſignificat in aliis criminibus, quæ occulta non ſunt, aut quando facilè eſt ad Pontificem recurrere, illos diſpenſare non poſſe, etiamſi reſeruata non ſint. Denique cùm abſolutio diuerſæ rationis exiſtat à diſpenſatione, qui poteſt abſoluere à cenſura, non ſtatim poteſt à lege diſpenſare. Cæteræ diſpenſationes allatæ de votis non reſeruatis, ieiuniis, feſtis & aliis quæ permittuntur Epiſcopis, aut quandoque Parochis, conſuetudine quadam & longo vſu permiſſæ ſunt, ob frequentem ſæpiùs neceſſitatem, vt in ieiuniis, & feſtis, &c. Quare nihil in aliis caſibus concludi validè poterit.

5 Quod idem concedimus in rebus leuioris momenti, & quæ non obligant ſub mortali, vt ait Soto, in quibus moleſtum eſſet tam frequenter, vti contingunt, ad ſupremum legiſlatorem recurrere: eáque in his diſpenſandi facultas videtur neceſſaria ad ſuauem, & prouidam gubernationem, atque adeò illis à legiſlatore conceſſa, quod exiſtimarem ſi res grauior eſſet, & inſolens rariſſiméque contingens, vt ſi peteret diſpenſationem nunquam in tota vita ieiunandi, aut, ſi Sacerdos exiſtat, nunquam recitandi officium.

Quando etiam materia legis ſingularis eſt, & alicuius Epiſcopi ſubditis omninò propria, volunt aliqui Epiſcopum poſſe cum illis diſpenſare: quod tamen negat Suar. cùm contrariam praxim videamus; ſed Valent. 1.2. *diſp.* 7. *q.* 5. *punct.* 9. Azor. *tom.* 1. *lib.* 5. *q.* 7. *cap.* 15. contrarium volunt.

CONSECTARIVM II.

An Archiepiſcopi poſſint diſpenſare cum Epiſcopis ſuæ prouinciæ.

1 Archiepiſcopi non poſſunt diſpenſare cum Epiſcopis ſuæ prouinciæ & ſuis ſuffraganeis. Ita Ferdinand. à Caſtropalao *tract.* 3. *diſp.* 6. *punct.* 8. §. 3. Baſil. Poncius *lib.* 8. *cap.* 5. *n.* 10. Suar. *lib.* 6. *de voto, cap.* 21. *n.* 3. Fagundez *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 41. *num.* 14. contra plures citatos à Merolla *diſp.* 4. *num.* 140. eò quòd Archiepiſcopus habeat iuriſdictionem ordinariam in ſuffraganeos. Verùm neque de hac iuriſdictione conſtat, neque illa neceſſaria eſt: nam vel illæ leges ſunt ipſiuſmet Archiepiſcopi, vel Pontificis & Concilij generalis: prioribus neque Epiſcopi neque eorum ſubditi ligantur, ideoque nullâ indigent diſpenſatione: at verò legum à Pontifice, aut generali Concilio latarum, æquè Archiepiſcopis, atque Epiſcopis ſuffraganeis, qui omnes illis ligantur, prohibita eſt diſpenſatio, vel ſi aliquo caſu conceſſa eſt, æquè etiam Epiſcopi cum ſibi ſubditis atque Archiepiſcopus poterunt diſpenſare, vti auctores relati, optimè docent. Hinc ſequitur.

2 Tertiò Archiepiſcopum non poſſe cum ſubditis ſuorum ſuffraganeorum diſpenſare, cum in ſuam dumtaxat diœceſim iuriſdictionem ordinariam habeat, non verò in diœceſes ſuorum ſuffraganeorum, niſi in quibuſdam cauſis ad ipſum per appellationem delatis, vti traditur *cap.* 1. *de officio legati, cap. Duo. de officio Ordinarij, & cap. Paſtoralis. eodem tit.* ſic enim habet Alexander. III. *primo illo capite: Sanè licèt idem Archiepiſcopus metropolitico iure audire non debeat cauſas de Epiſcopatibus veſtris, niſi per appellationem deferantur ad eum.* Et Innocent. III. reſcribit Tirenſi Archiepiſcopo, vt habetur apud ipſum Innoc. *lib.* 1. *Ep.* 54. non Turonenſi, vt in vulgatis. *cap. Duo. de officio Ordinarij*: neque Archiepiſcopum, neque Patriarcham Epiſcoporum, & Clericorum ſuorum ſuffraganeorum cauſas niſi per appellationem poſſe cognoſcere dicit. Eadem ſignificat *cap. Paſtoralis, eodem titulo.* idem dicitur *Can. Conqueſtus.* 9. *q.* 3. rationem reddit Innoc. *in cap. Duo,* quia primates vel Patriarchæ nihil iuris habent præ cæteris niſi quantùm ſacri Canones, vel priſca conſuetudo, quæ tribuit iuriſdictionem, illis permittit, ita vt ſecundùm Nicænos Canones ſua priuilegia ſeruentur Eccleſiis. Non poterit igitur cum iſtis, in quos nullam habet iuriſdictionem, diſpenſare, quare ita docent paſſim omnes, quorum aliquos refert Diana *par.* 8. *tract.* 3. *reſolut.* 14. quòd ſi Epiſcopus diſpenſationem deneget, poterit Archiepiſcopus per appellationem pulſatus, illam concedere, cum in eiuſmodi cauſa ſit iudex ordinarius. Poſſunt verò ſubditi ab Epiſcopo diſpenſationem denegante ad Archiepiſcopum recurrere vel per appellationem, ſi iniuſtè negarit Epiſcopus, cùm concedere teneretur, vel implorando Archiepiſcopi auxilium, vt ex miſericordia ſecum diſpenſet negante Epiſcopo gratiam, quam concedere poterat, licèt ad eam minimè teneretur. Ita Sanch. *lib.* 4. *in decalog. cap.* 38. *n.* 12. *& cap.* 47. *n.* 10. *& lib.* 3. *de matrim. diſp.* 20. *n.* 21. *& ſeq.* Henriq. *lib.* 14. *de irregul. c.* 18. *n.* 3. Auila *de cenſur.* 7. *part. diſp.* 20. *dub.* 6. *notabili* 2. *circa primam concluſ.* contra Ferdinand. à Caſtropalao *tract.* 3. *diſp.* 6. *punct.* 7. §. 3. *n.* 2.

Quartò Archiepiſcopus, dum prouinciam ſuam viſitat, nequit cum ſubditis Epiſcoporum ſibi ſuffra- 3 ganeorum diſpenſare. Ita Ferdin. *loco ſtatim citato*, allegans Sanch. Suar. & Poncium, quibus addas Sayrum *in Claui lib.* 6. *cap.* 11. *n.* 8. & Fagundez. *lib.* 2. *in Decalog. cap.* 41. *n.* 13. contra Auilam. 2. *parte de cenſur. cap.* 7. *diſp.* 1. *dub.* 10. Henriq. *lib.* 14. *cap.* 18. *n.* 3. Gomeſ. *in Bullam Cruciatæ, clauſula* 10. *n.* 58. Barboſ. *de poteſtate Epiſc.* 2. *p. allegat.* 39. *n.* 19. Ratio noſtra eſt: quia Archiepiſcopus etiam dum actu viſitat non habet niſi ea priuilegia, quæ ipſi vel à iure, vel à conſuetudine conceſſa ſunt: etenim non eſt ita ſuperior ſimpliciter, vt poſſit omnia in tota prouincia quæ velit pro arbitrio, ſed eius potentia, etiam tunc limitata eſt: neque enim dimiſſorias ad ordines concedere, neque in denuntiationibus matrimonij diſpenſare; poteſt tamen ſuffraganeos, & eorum ſubditos in pœnitentiæ foro abſoluere, quia id illi conceditur *cap. fin. de cenſib. in* 6. Verùm iam initio docuimus, abſolutionem, & diſpenſationem plurimùm differre, neque qui poteſt abſoluere, poterit etiam diſpenſare, vt vides in Parochis.

Quoties in Canone, ſiue in lege dicitur, *niſi in ea diſpenſetur*, neque ſignificatur à quo facienda ſit diſpenſatio, eo ipſo conceditur inferiori ſuperioris facultas in ea diſpenſandi. Ita fusè Amicus *tom.* 5. *diſp.* 6. *ſect.* 5. *n.* 63. quia alioquin inutilis & ſuperflua foret ea clauſula, nullum ſiquidem haberet effectum: quia aliunde certum eſt ſuperiorem in tali lege, & Canone diſpenſare poſſe, qui vel illam tulit, vel æqualis, aut maioris poteſtatis eſt, niſi forte ſolum prælatum Canon ille obligaret, quia non videtur fuiſſe mens

mens legiſlatoris, vt ipſe prælatus, qui eâ lege teneatur, ſecum ipſe diſpenſet. Erit igitur inutilis ea, vt dixi, clauſula, quia tunc non obligaret prælatum, qui legem illam, vt liberet, violaret: agendo enim contra illam eo ipſo ſecum diſpenſaret. Si verò & ipſum prælatum & totam ſimul communitatem obſtringeret, in illa diſpenſaret prælatus ipſe inferior, directè quidem cum communitate, & indirectè cum ſeipſo. Vide Sanch. *lib.* 3. *de matrim. diſp.*26.*n.*7.

7 Dicenti, ſe habere facultatem diſpenſandi, credi poteſt in foro conſcientiæ, quia eâ ratione & mediante Confeſſario ſolet paſſim à pœnitentibus peti, & obtineri diſpenſatio: in foro verò externo credi non debet, niſi exhibito delegatæ illius facultatis inſtrumento *ex cap. cùm in iure, de officio delegati*, vbi gloſſa & paſſim omnes: quia cùm ſit res facti, ea non præſumitur niſi probetur, niſi tamen ille delegatus ſit perſona excelſæ dignitatis, vt Legatus Cardinalis, ſaltem quando non agitur de graui præiudicio tertij; tunc enim etiam non exhibitis ſuæ delegationis litteris ipſi fides habetur. Atque ita compono Canoniſtarum diſſidia. Vide Sanch. *lib.*8. *de matrim. diſp.*17. *numero decimoſeptimo*, atque ita credi poteſt aſſerenti ſe habere facultatem diſpenſandi, abſoluendi, concedendi indulgentias: quia in his omnibus vel nullum, vel leue eſt præiudicium alterius. Idem dicunt de Epiſcopo, qui aſſerit ſe ex licentia proprij Epiſcopi, aliquem ad ordines promouiſſe, & ſummo Pœnitentiario, qui affirmant ſibi viuæ vocis oraculo conceſſum eſſe in caſu aliquo Pontifici reſeruato diſpenſet.

Damnatum ab aliquo inferiore ſuperiorem ad pœnam aliquam, non poſſe ab illa diſpenſari à ſuperiore illo inuito, qui damnauit, exiſtimat Ferdinand. à Caſtro *tract.*3. *diſp.*5. *punct.* 6. *numero decimotertio*, ſi ſuperior Conuentus pœnâ mulctauit quempiam, non poterit Prouincialis, vel etiam Generalis illum eâ pœnâ exoluere, inuito & reluctante ſuperiore inferiore qui damnauit, ne condemnantis auctoritas condemnetur. Qua de cauſa Trident. *ſeſſ.*14. *capite primo, de reformat.* vetat ſuſpenſum ab ordinario, à Metropolitano, aut alio quopiam promouere contra ſuſpendentis voluntatem. Idem docet Rodrig. *tom.* 1. *qq. regular. queſt.* 22. *art.*8. niſi ſuperior ille qui damnauit iam ſuo magiſtratu exierit, vti contingit in regularibus; nam Prouincialis liberabit à pœna eum, qui à Priore, vel Guardiano iam abdicato damnatus fuerat. Mihi tota iſta controuerſia pendere videtur ex diuerſis, & propriis regularum conſtitutionibus, atque ex modo agendi apud illos ſeruato, & auctoritate, qua vi proprij inſtituti pollent diuerſi iſti ſuperiores; ſæpè enim illa limitata eſt, alioquin ex natura rei maior ſuperior poteſt laxare quæ inferior ſtruxit.

Consectarium. III.

An Epiſcopus poſſit diſpenſare cum exemptis qui ſe ſponte illi ſubijciunt?

8 Cùm plurimi ſint exempti à ſuperiorum ordinariorum poteſtate, & Pontifici immediatè ſubiecti, iure dubitari poteſt, an à ſuo ſuperiori, vel alio quàm Pontifice diſpenſari poſſint, quando ſaltem materia in qua diſpenſandum eſt, non eſt alioquin illi ſuperiori reſeruata, v.g. monaſterium aliquod, aut etiam priuatus Religioſus renunciat priuilegio exemptionis, & ſubiicit ſe Epiſcopo, vt ab illo obtineat diſpenſationem, quam dare poſſet aliis ſubditis ſuis, & non exemptis, poteritne illam validè, aut etiam tacitè obtinere? Ita enim cenſet Auila 2. *p. de cenſu*; *cap.*7. *diſp.*1. *dubio* 6. *concl.*2. & alij quidam: plures verò negant. Diſtinctione vtendum eſſe mihi videtur, eáque ratione conciliandæ diuerſæ ſententiæ.

Atque imprimis nequit Epiſcopus religioſos à ſua iuriſdictione exemptos, & in quibuſdam ab illa ſubtractos ſine prælati regularis conſenſu diſpenſare, aut etiam abſoluere, quod paſſim omnes docent. Cùm enim exemptio non fuerit conceſſa niſi in fauorem religionis, vt eius bono regimini, & quieti conſuleretur, non poteſt quilibet religioſus renuente, aut inuito, vel inſcio ſuo prælato, priuilegio illi renunciare, & alterius iuriſdictioni ſe ſubiicere, inde enim magna confuſio, & perturbatio religioſæ quietis orietur. Limitant tamen Molina *tract.*3. *de inſtit. diſp.*61. *numero* 5. Sanch. *lib.*4. *in Decalog. cap.*39. *numero* 36. & Baſil. Ponc. *lib.*8. *de matrim. cap.*5. *num.*14. ſi prælatus religioſus non habeat facultatem diſpenſandi & abſoluendi, & abſque rationabili cauſa neget illi facultatem petendi diſpenſationem ab Epiſcopo: ſecùs verò ſi cauſa rationabilis ſit negandi hunc recurſum ad Epiſcopum: in dubio verò præſumendum ſemper eſt pro æquitate cauſæ, quæ mouet hunc prælatum ad talem negationem. Poterit itaque in dicto caſu exemptus petere diſpenſationem & abſolutionem ab Epiſcopo: cenſetur enim per quandam epiicheiam habere facultatem adeundi Epiſcopum. Neque enim vult Pontifex exemptionem à ſe conceſſam in fauorem & bonum religionis, atque religioſorum, verti in graue diſpendium animarum religioſorum & in incommodum graue, atque occaſionem vagandi extra monaſterium, adeundo Sedem Apoſtolicam; quod idem circa Moniales exemptas vrgere ait Poncius. Mihi ſanè hæc vniuerſalis doctrina durior videtur, & Religioſam diſciplinam plurimùm laxare facilè ſibi perſuadebit Religioſus irrationabiliter ſibi negari facultatem à ſuo prælato adeundi Epiſcopum, vt ab eo abſoluatur, atque ita eo inſcio ſecum diſpenſari curabit ab Epiſcopo. Quod ſi exiſtimet exemptus iuſtis de cauſis, ſe nec poſſe; neque etiam teneri ſuo prælato declarare ſe indigere diſpenſatione, tunc facile ſibi perſuadebit fas eſſe Epiſcopum adire qui præſumptam licentiam habeat à Pontifice eo caſu diſpenſandi cum illo, aut ipſum abſoluendi. Exiſtimarim igitur hunc Religioſum exemptum debere petere diſpenſationem aut abſolutionem ab eo, qui intra ordinem habet facultatem illam præſtandi, quod fieri ſecretò poterit, ſiue per ſe, ſiue per Confeſſarium, ſiue per alium, ſiue prodito, ſiue tacito ſuo nomine, ſiue per litteras, ſiue qua alia ratione. Quod ſi nullus intra ordinem habeat eiuſmodi facultatem vel propriam, vel delegatam, ſitque neceſſariò adeundus Pontifex, tenebitur ab illo petere litteras pœnitentiariæ, aut alio modo; ſi autem non niſi ad Pontificis pedes accedendo quidquam obtineri poſſit, tunc poſſet præſumere Epiſcopum habere facultatem diſpenſandi & abſoluendi ex facultate generali, quam facit Tridentinum Epiſcopis in caſibus occultis, & cùm non eſt poſſibilis, aut non niſi admodum difficilis recurſus ad Pontificem, vti contingit in hoc caſu. Atque ita ſeruatur integra Religionis exemptio, prouidetur Religioſi calamitati, non proditur reus, non fit iniuria prælato, aliáve incommoda vitantur. Quæ omnia ſunt de mente Sanchis, & Poncij, qui volunt recurrendum eſſe ad ſuperiorem mediatum, quando poteſt quod nequit immediatus.

Quod etiam verum erit,ſi prælatus regularis, qui poteſtatem habet diſpenſandi, ſit excommunicatus,vel ſuſpenſus,& non poſſit vti ſuâ iuriſdictione,& & ad alium ſuperiorem regularem recurrere, nequeat: quia vel ipſe non habet ſuperiorem, vt Generalis,vel grauiſſimæ cauſæ eiuſmodi recurſum impediunt; tunc enim licebit ad Epiſcopum accedere, ex illa generali facultate Epiſcopis à Tridentino facta.

2 Exiſtimarim, Epiſcopum poſſe indirectè diſpenſare cum Religioſis exemptis,quandò v.g.totam diœceſim,aut ciuitatem aliquam eximit à ieiuniis, cibis, aut feſtis: tunc enim quia religioſi faciunt huius diœceſis & ciuitatis,in qua habitant,partem cum illis indirectè diſpenſatur. Cùm enim exemptio ſit in fauorem conceſſa, & non in odium & onus, ſi conceſſione toti diœceſi facta non poſſent vti omnes, illa foret exemptis oneroſa; quare indirectè cum eiuſmodi religioſis diſpenſatur, eo modo,quo Epiſcopus cum ſeipſo diſpenſat,quando diſpenſat cum diœceſi, & ſibi indulgentiam concedit, cùm concedit diœceſanis,& tamen ſeipſum directè ſoluere & abſoluere nequit.

3 Præterea quoties prælatus religioſus non habet poteſtatem diſpenſandi cum ſuo ſubdito, poterit Epiſcopus cum illo diſpenſare in caſibus & legibus non reſeruatis Pontifici,de licentia illius prælati, qui permittit ſuum religioſum adire Epiſcopum ad eam diſpenſationem obtinendam, ſicut diſpenſaret cum aliis non exemptis, & ſibi ſubditis: nam Gregorius *lib.4. Epiſt.41.* & refertur *cap. Luminoſo 18. q. 2.* negat Epiſcopum poſſe Cathedram in monaſterio collocare,hoc eſt,iuriſdictionem exercere,niſi ab Abbate loci fuerit rogatus; ergo illo rogante id poterit, vt ſapienter colligit Ferdinand. *tract.3. diſp.6. punct. 1. n.4.*& Sanch.*lib.4.in Decalog cap.39.n.32.* quibus adhæſit Baſil.Poncius *lib.8. de matrim.cap.5.n.16.* quoties prælatus ad ſpirituale regimen & bonum religionis expedire iudicabit renuntiare priuilegio exemptionis id poſſe. Quare exiſtimarim multò magis id illi fas eſſe in caſu aliquo particulari,& id permittere religioſo in aliquo ſingulari caſu ad bonum & ſalutem ipſius,propter varias circumſtantias,quæ occurrere poſſunt ex vniuerſali illa ratione,quod priuilegium exemptionis conceſſum ſit, vt monachi meliùs & quietiùs Deo famulentur,&,vt Gregor.libat *Epiſt.41. Quatenus monachi ſemper maneant in Abbatum ſuorum poteſtate, vt remotis vexationibus ac cunctis grauaminibus diuinum opus cum ſumma deuotione animi perficiant.* Quæ omnia ſeruantur in hoc peculiari caſu, in quo non renuntiatur à monaſterio priuilegio exemptionis, ſed permittitur ſingulari alicui monacho ſe ſubjicere in aliquo peculiari caſu Epiſcopo, cui non tenebatur ſe ſubiicere propter priuilegium exemptionis, quo gaudebat. Exiſtimarem quidem non poſſe Abbatem renuntiare omninò exemptioni ſui monaſterij, & illud velle omnino & ſemper ſubiectum eſſe Epiſcopo; grauis enim illi fieret iniuria à ſuo Abbate, & ipſimet Pontifici,qui indulſit exemptionem,per illam enim ſibi eos immediatè ſubiecit, eiúſque intereſt hanc immediatam ſubiectionem ſibi conſeruare, illáque priuari non debet ab Abbate, cui hac iure religioſi conſentire non debent. At verò ſuperiores poſſe conſentire priuatis,qui ad abſolutionem & diſpenſationem ſubiiciunt ſe Epiſcopo particulari, quod permittunt ipſamet plurium regularum priuilegia, vt recitat Corduba *in additionib. ad compend. priuileg. mendicant.verſ.abſolutio.* Supponimus verò, eam diſpenſationem non eſſe Pontifici Romano in aliquo caſu reſeruatam; tunc enim, vt patet, Epiſcopi non poterunt etiam de conſenſu prælati Regularis religioſum diſpenſare, vt vides, quia prælatus nequit facultatem, quam ſibi reſeruat Pontifex,alteri facere; quæ omnia tradunt Molin.*tract.3.diſp 61.n.4.*Sanch.*lib.4. in Decalog.cap.39.n.32.* Suar. *tom.4.in 3. par. diſp.30.ſect.2. num. 3.* vbi etiam talem eſſe praxim tradit; Henriq. *lib.14.de irregul.cap.20.litt.O.*Silu.*verſ.abſolutio 9 n.2. & 3.* Auila *2. part. de cenſur.cap.7. diſp.1.dub.6.* Baſil. Ponc.*lib.8.de matrim. cap.5.n. 16.* & plures Iuriſconſulti laudati à Sanch. *numero 32.cit.* Quod porrò diximus, prælatum regularem poſſe permittere ſuo ſubdito exempto,vt ad diſpenſationem ſe ſubdat Epiſcopo, id ipſe etiam in ſimili caſu facere poterit: quam enim aliis facultatem tribuit, poteſt ſibi facere, & qui cum aliis diſpenſat, poteſt etiam ſecum ipſe diſpenſare, vti diximus. Hæc porrò omnia intelligenda ſunt de Epiſcopo loci, in quo eſt monaſterium, & habitat ſaltem in tranſitu ille Religioſus, cui ſuperior facit facultatem adeundi Epiſcopum ad obtinendam illam abſolutionem,vel diſpenſationem, non reſpectu alicuius alterius Epiſcopi, quia, vt ait Sanch.*n.39.*illa conceſſio facta à ſuperiore tollit dumtaxat impedimentum exemptionis,quo remoto eandem poteſtatem habet in illum Epiſcopus, quam haberet in alios: atqui non haberet niſi in ſuos ſubditos ſiue ratione loci, & habitationis.

Dices, ius euidenter pugnare cum hac noſtra ſententia: nullo enim caſu poteſt prælatus regularis neque reſpectu ſui religioſi cedere priuilegio exemptionis, & permittere vt aliquis Religioſus exemptus ſe ſubiiciat Epiſcopo ſiue in foro conſcientiæ, ſiue in foro contentioſo. Nam in Clement.*Cum ex eo. De ſententia excommunicat.* Pontifex concedens Epiſcopo facultatem abſoluendi fratres Minores ab excommunicatione contracta per violationem cuiuſdam præcepti Pontificij ibi recenſiti ait, *Auctoritate Apoſtolica fungi volumus hac in parte.* Vnde colligit Gloſſa *ibid.* abſque ea licentia Pontificia Epiſcopum id non potuiſſe, nimirùm,vt alij DD. *ibid.* notant, propter fratrum illorum exemptionem, cui ſine dubio illi non poterant cedere,& ſe Epiſcopo ſubjicere: tunc enim non indiguiſſet ille Epiſcopus auctoritate Apoſtolica. Ipſáque ratio fauet: cùm enim non poſſit niſi in ſubditos ſuos ſuam iuriſdictionem exercere, qualis non eſt religioſus exemptus, licentia prælati religioſi non facit illum ſubditum, cùm nequeat tollere priuilegium, quod non eſt perſonale, ſed totius Religionis. Qua de cauſa Clericus non poteſt conſentire in iudicem laïcum, vt habetur *cap. Si diligenti. de foro competenti*, vti Innocent. III. Piſano Archiep. ſcribit. *Quia non eſt beneficium perſonale, cui renuntiari valeat, ſed toti collegio Eccleſiaſtico ſit publicè indultum, cui priuatorum pacto derogari non poteſt*: additque nequidem iuramento poſſe renunciationem eiuſmodi firmari: *Nec* (inquit) *iuramentum licitè ſeruari potuit quod contra Canonica ſtatuta illicitis pactionibus informatur.* Idémque Innoc.*cap.Cum tempore.de Arbitris*, agens de compromiſſo inter quemdam Abbatem, & alios in arbitrium Archiepiſcopi Magdeburgenſis, illud quidem probat ſe in iis tantùm quæ contra illius Eccleſiæ exemptæ libertatem eo compromiſſo non continentur. Rationem huius exceptionis reddit Pontifex, *Cùm etſi ſponte volueris, de iure tamen nequieris ſine licentia Romani Pontificis renuntiare priuilegiis libertatis, quæ monaſterium illud indicant ad ius, & proprietatem Romanæ Eccleſiæ pertinere.* Quare Innoc. idem *cap. Cùm veniſſem. de arbitris*, ius *exemptionis, ius noſtrum, hoc eſt Sedis Apoſtolicæ* vocat: ſicut 4

ſicut & *cap. Cùm olim. 2. ius noſtrum & Eccleſiæ Romanæ iuſtitiam* dixit. Nequit ergo religioſus etiam de licentia ſuperioris, aut Abbatis renunciare priuilegio exemptionis ſui monaſterij & ſubiicere aliquem Epiſcopo ad petendam diſpenſationem aut abſolutionem.

Reſpondeo, ex veteri iure Clericum cum licentia ſui Epiſcopi poſſe ad iudicem laïcum pertrahi, vti ex multis locis, alio loco *tom.3.* vbi de iudiciis Canonicis agemus, adducendis conſtat, adi interea Alteſerram in Innocentij Decretales, *cap. 5. Diligenti de foro competenti*, nouo tamen Innocentij iure non poſſe Epiſcopum illam licentiam Clerico facere, vti ex locis allatis probabat obiectio. Verùm Innocentius agit de foro contentioſo iudicis laici, quod Clericus in cauſa Eccleſiaſtica adire nequit, etiam ex ſui Epiſcopi licentia, & conſenſu: illa enim iudicia peregrina dicuntur, *Can. Peregrina. Can. Leges, Can. non liceat. 3. quaſt. 6.* & *cap. Significaſti, de foro competenti*, itáque loquitur & Goffrid. Vindocin. *lib. 2. Ep. 24.* quia nempè peregrinum eſt hoc forum, & iudicium alienum Clerico: ſic enim appellat Iuo Carnotenſis *Epiſt. 85.* iudicium alieni Epiſcopi. Verùm nos *hac quaſtione* agimus de foro & iudicio non contentioſo & conſcientiæ, cùm dicimus ad petendam abſolutionem & diſpenſationem poſſe exemptum ſubiicere ſe ſuo Epiſcopo ex licentia ſui ſuperioris, qui nequit, neque abſolutionem, neque diſpenſationem illi impertiri, ſi nullus alius ſit intra ordinem ſuperior, qui id poſſit, & ſine graui difficultate adiri valeat, vti explicuimus.

Conſectarium IV.

An Epiſcopus poſsit diſpenſare cum forenſibus & peregrinis.

1 Tota huius controuerſiæ difficultas eſt in ſubiectione neceſſaria iuriſdictioni, & poteſtati ſpirituali diſpenſantis, quam debet habere diſpenſandus. quam cùm omnes fideles habeant reſpectu ſummi Pontificis, qui habet iuriſdictionem in omnibus fidelibus, ideoque poteſt cum omnibus illis diſpenſare, cùm alij omnes prælati habeant iuriſdictionem certis regionibus & perſonis circumſcriptam: ideoque nequeunt cum aliis diſpenſare, niſi cum ſuis ſubditis, quales non videntur eſſe peregrini & forenſes, ſiue adeuntes & tranſeuntes, qui illo tranſitu & breuiori mora non videntur acquirere ſubiectionem illam neceſſariam, ſicut neque domicilium, vt poſſint dici illius loci, & illius prælati ſubditi, ac proindè ab ipſo diſpenſabiles, ſicut cæteri illius ſubditi. Quare ad hanc controuerſiam definiendam ſtatuendum priùs eſſet, quomodò illa ſubiectio ad nouum Epiſcopum acquiratur, quod quia exponendum eſt *alibi* commodiùs, id modò ex communiori ſententia ſupponemus.

Et primò quidem fatentur omnes cum Suar. *tract. de voto, lib.6. cap.11.n.10.* non acquiri ſubiectionem, de qua diſputamus, ſolo tranſitu, aut breui morâ in alienâ diœceſi. Quare vt illius non poterit acquiri diſpenſatio, licèt poſſit acquiri abſolutio ob neceſſitatem Sacramenti pœnitentiæ, & communionis, ex communi ſententia & praxi, quæ non extenditur ad alia Sacramenta non neceſſaria, vt ad ordines ſuſcipiendos, quos nequit Epiſcopus conferre aduenis & & tranſeuntibus ſine Epiſcopi eorum ordinarij dimiſſoriis. Quæ eadem ratio videtur eſſe de diſpenſatione, ad quam non ſufficit breuis illa mora, ſiue tranſitus, cùm ex illa non fiat quis ſubditus Epiſcopi loci, in quo tunc eſt, itáque videtur ſentire Suar. *lib.6. de voto, c. 11. n. 10.* qui tamen ſecum non ſatis videtur conſentire, cùm *lib.2. de feſtis, cap.14.n.6.* probat Nauarri opinionem dicentis, incolas haberi habitantes alicubi vel ad incertum aliquod longius tempus, vel certum, ſed adeò magnum, vt prudentis arbitrio iure pro eius loci habitantibus haberi poſſint. Tempus porrò incertum dici vult Suar. quando eſt ad aliquod negotium, quod poteſt quidem breuiùs, aut tardiùs expediri; vulgò tamen & moraliter poſtulat diuturniorem aliquam moram. Quia tamen verius eſt acquiri domicilium quando quis permanet maiori anni parte alicubi ſiue ad expedienda ſua negotia, ſiue quâpiam alia ex cauſâ, licet non habeat animum ibi perpetuò permanendi, vti fuſiùs oſtendit Sanch. *lib.3. de matrim. diſp.23.n.12. & 13.* & quos ibi allegat, & deinceps *lib.4. in Decalog. cap.37.n.7.* Leſſius *lib.2.c.40. n.103.* Baſil. Ponc *lib.8. de matrim. c.4.n.7.* poterit cum eiuſmodi extraneis & aduenis illius diœceſis Epiſcopus diſpenſare, quia illi habent ſufficientem ſubiectionem. Probat Baſil. quia ille tenetur tunc illius oppidi legibus, vti probauit *lib.5. cap.7.n.4.* ergo & diſpenſari poterit, cùm non ſit alius à quo id poſſit. Quæ ratio nihil probat; alioquin poſſet ille diſpenſari ſtatim atque in locum illum deuenerit, quia tunc legibus illius loci tenebitur, neque alius tunc occurrit à quo valeat diſpenſari; quod vſu receptum non eſt, & Epiſcopus cum eiuſmodi tranſeuntibus non diſpenſat.

Reſpondet Baſil. id non oriri ex defectu poteſtatis, ſed ex aliis cauſis, quas meliùs Epiſcopus ordinarius agnoſcet, quàm alienus: vnde infert ſubiectionem in ordine ad diſpenſationem non eſſe regulandam per parochiæ adquiſitionem, ſed per ſubiectionem quam etiam ſine adquiſitione parochiæ poteſt habere ex diuturna & longiori aliqua mora. Neque miramur quandam declarationem Cardinalium *in ſeſſ. 24. Trident. cap.6* relatam à Farinacio, Epiſcopum poſſe quidem abſoluere alienum diœceſanum in ſua diœceſi commorantem, ſed non poſſe cum illo diſpenſare, id enim intelligendum eſt niſi cauſa neceſſaria vrgeat.

De vagis alia protsùs ratio eſt: quia cùm nullibi domicilium habeant, & ſortiantur diœceſim, in qua reperiuntur, quod oſtendit Sanch. *lib.3. de matrim. diſp. 25.n.5.* ab illius Epiſcopo poterunt diſpenſari.

Poterit quoque Epiſcopus diſpenſare cum ſubditis ſiue ipſe, ſiue illi extra diœceſim exiſtant, vti probat Suar. *lib.6. de voto, cap.11. n.10.* & Sanch. *lib.3. de matrim. diſp.19.n.8.* quia illa iuriſdictio non eſt contentioſa, ſed voluntaria, quæ vbique poteſt exerceri. Neque certo alligatur loco, poteritque ſubditus, cum quo extra diœceſim diſpenſatum eſt, vbicumque ſuâ illâ vti diſpenſatione. 2

Conſectarium. V.

An Epiſcopi poſsint diſpenſare cum Cathecumenis, in eorum v. g. votis?

Dubitat Henriq. *lib.7. de Indulgent. cap. 2. num.8.* quia in fauorabilibus pertinent ad Eccleſiæ iuriſdictionem eo modo, quo nouitij religionum cenſentur ſubiici Religionis prælatis, à quibus & in ſuis votis poſſunt diſpenſari. Deindè plures exiſtimant indulgentias etiam Cathecumenis prodeſſe, cùm tamen ſupponant ſubiectionem ſpirituali poteſtati illas concedenti: ita tamen affirmant probabiliter Nauarr. *de Indulgentiis §. in Leuitico, notabili 30.n.13. notab.31.* 1

n.47. & notab.32.n.9. Henriq. *lib.7. cap.18. num.3.* & non improbat Suar. *tom.4. in 3. par. diſp.35. ſect.4. n.8.* Verius tamen exiſtimarim cum Sanch. *lib.4. in Decaleg. c.31. n.37.* non poſſe diſpenſari cum Cathecumenis in ipſorum votis à prælatis, & Epiſcopis propter rationem allatam, quòd eorum poteſtati & iuriſdictioni ſpirituali non ſubiiciantur; quod manifeſtum videtur, cùm nondum ſint intra Eccleſiam, neque eius membra, ac proinde de illis nihil cognoſcat Eccleſia, vt diximus *lib.2.* vbi oſtendimus, illos non eſſe in Eccleſia; quæ tamen illis pro ſua charitate fauet quantum poteſt. Deindè cum diſpenſatio, vti definiuimus, licèt non ſit propriè dicta abſolutio, magnam tamen habeat cum illa affinitatem, aut etiam eam quodammodò includat, quia abſoluit à legis, aut voti v.g. obligatione, non poterit conuenire illi, qui nullam habet in perſonam, cum qua diſpenſat, ſpiritualem iuriſdictionem. Quod dicitur de Indulgentiis, quæ conferri poſſunt Cathecumenis, æquè falſum eſſe videtur: & tandem Suar. & Henriq. fatentur, ſi concedantur per modum abſolutionis, propter defectum iuriſdictionis Eccleſiæ in ipſos non prodeſſe, ſed ſolùm per modum ſuffragij; quod nemo negarit, eò quòd nihil videatur obſtare quominùs Eccleſiæ fidelibus ſuffragetur, etſi nondum ſibi per baptiſmum vnitis, ſicut poteſt ſi velit ſuffragari etiam membris per excommunicationem abſciſſis, licet nondùm illos publicè ſuo corpori denuò inſeruerit, & coaptarit. poterit quidem Cathecumenus votum ſuum in melius commutare, etiam ſine prælati ſpiritualis auctoritate, quæ, ſi huic commutationi accedat, prudentior & melior erit, ſed in his omnibus nullus eſt actus iuriſdictionis ſpiritualis in Cathecumenos. Quod obiicitur de nouitiis, nihil facit hoc loco, & ſpecialem continet difficultatem *alibi* agitandam.

CAPVT V.

De cauſa finali, & motiua diſpenſationis.

QVÆSTIO I. *Quaenam cauſa neceſſaria ſit ad diſpenſationem?*

QVÆSTIO II. *An ceſſante cauſa ceſſet diſpenſatio?*

QVÆSTIO III. *Quaenam & qualis ſit diſpenſatio ſubreptitia?*

EGIMVS hactenus de cauſa efficiente diſpenſationis, venio nunc ad alteram cauſam eius externam, nimirùm finalem: cùm enim omne agens agat propter finem id, maximè verum eſt in agentibus moralibus, quæ impelluntur à fine, ad quem aſſequendum agunt. Itaque in diſpenſante requirimus tum poteſtatem ſiue ordinariam ſiue delegatam, tum finem à quo moueatur, & impellatur ad diſpenſandum. De ea itaque cauſa finali diſputamus hoc loco.

QVÆSTIO I.

Cauſa neceſſaria ad diſpenſandum.

Quaenam ſit ea cauſa? n. 1.

Sine ea peccat diſpenſans, n. 2.

An petens ſine cauſa diſpenſari, peccet? n. 3. 4. & 5.

Quaenam ſit cauſa iuſta, n. 6.

Corollaria, n. 7. 8. & 9.

Qui ita diſpenſat in ſuis legibus, validè diſpenſat, n. 10.

Quid poßit ſuperior in legibus inferioris, numero 11.

DIco primò diſpenſationem ſine cauſa, illegitimè à principe ſupremo concedi, eúmque tunc peccare in diſpenſando. Ita Vaſq. 1. 2. *d.* 178. *a.* 2. Suar. *lib.* 6. *c.* 18. Sanch. *lib.* 8. 18. *n.* 3. Sal. *diſp.* 20. *n.* 2. & alij innumeri, quia & imprudens eſt ea diſpenſatio & exceptio à communi lege, & parùm bono communi conſentanea, eiúſque officio, cuius eſt inter ſubditos onera prudenter diſpenſare. Quare, inquit S. Thom. 1. 2. *q.* 97. *A.* 5. neque erit fidelis, neque prudens diſpenſator. Quod autem dicitur ſola Principis voluntate conſtitui legem, ac proindè eâ vel totam tolli poſſe, vel imminui, oſtendit tantùm quid abſolute fieri poſſit; non autem quid prudenter, & licitè: & quamvis ſine vlla culpa abroget totam legem, nullâ aliâ cauſâ quàm ſuâ voluntate motus; non tamen ad libitum ſine cauſa diſpenſare poteſt: quia vti ſemel poſita eſt lex cùm iuſta ſit, & ad bonum communitatis, imprudenter & temerè pars excipitur ne toti congruat. 1

Secundò Sanch. *l. c. n* 9. ait peccare principem ita iniuſtè diſpenſantem contra iuſtitiam, ac proindè mortaliter ex ſuo genere, quia ex officio atque iuſtitiâ legali tenetur nihil agere contra bonum commune, atque ex iuſtitiâ diſtributiuâ æqualiter onera impertiri. Probarim tamen quod ait Sanch. *diſp. cit. n.* 7. peccaturum tantùm venialiter ſecluſo ſcandalo, & graui alterius onere: his enim ceſſantibus non peccat contra iuſtitiam legalem, cùm ex ea exemptione non violetur bonum commune, neque contra iuſtitiam diſtributiuam quid agatur, cùm vnius exceptione alius non magis grauetur, & onus, ad quod in conſcientia tenetur, ſubeat, neque de ea exemptione queri iure poteſt, cùm neque Princeps illum eximere teneatur, neque onus indebitum, aut grauius idcircò illi imponat. Peccabit igitur ſolùm contra indecentiam quandam naturalem, quæ exigit vt dum iuſta cauſa non occurrit, omnes æquè legi ſubiaceant, atque ita Reip. harmonia & concentus faciliùs conſeruetur. Vnde infero contra eundem Suar. *n.* 11. vix peccare principem, quando ſecum diſpenſat: cùm enim ea diſpenſatio impropria ſit, vt dixi, nam tenebatur tantùm indirectè & ex naturali quadam decentia ſuis legibus. Quare vbi libuerit ſe omninò eximere, leuiter admodùm peccabit, ſecluſo, vt dixi, ſcandalo, & damno communitatis, quod inde emergere metus erit. 2

Tertiò, petens diſpenſationem, ſciens nullam cauſam iuſtam eſſe illius concedendæ peccat: quia inducit principem ad peccatum eíque ad peccatum cooperatur. Quare eodem, quo ille peccato peccat, graui, aut veniali: ſi tamen ſubditus bona fide procedat, 3

non

non peccabit, & Princeps ſi nullitatem cauſæ allatæ videat concedátque nihilominus, peccabit: è contrario verò, ſi ſubditus decipiat principem, peccabit, non Princeps ex bona fide concedendo.

4 Quartò, ſubditus oblatam vel motu proprio, vel ab amico ſine ſuo mandato impetratam acceptans non peccat contra Sanch. *diſp. cit. num.* 8. eſt tamen bona & valida diſpenſatio; quia tunc nihil confert ad conceſſionem diſpenſationis, in qua conceſſione totum peccatum eſt, non cooperatur principi & ſolùm permittit, aut patitur, eam diſpenſationem habere ſuum effectum, in quo effectu malitia non eſt, ſed in ipſa diſpenſatione actiua, quæ non haberet ſuum quidem effectum, ſi non acceptaretur à ſubdito, ſed ea acceptatio eſt tantùm conditio: non verò concauſa.

5 Hinc ſequitur quintò, ſubditum licitè vti ea diſpenſatione. Ita Suar. *cap.* 19. *num.* 14. Sal. *d.* 20. *n.* 60. qui alios refert contra Sanch. *diſp.* 18. *cit. num.* 11. qui præter peccatum commiſſum in acceptatione talis diſpenſationis, aliud admittit in vſu ipſius, ex eo quòd tenetur pars ſe conformare toti, vbi iuſta cauſa diſſimilitudinis deeſt. Probatur tamen noſtrum corollarium: quia cùm ſubditus ſit verè exemptus à lege, ac proinde diſpar in obligatione, non tenetur in eadem lege conformari reliquæ communitati, non cooperatur etiam peccato diſpenſantis, vti oſtendi: vtitur enim iure ſibi verè & validè conceſſo, neque tenetur illi renunciare, eſto teneatur Princeps reuocare gratiam conceſſam, vti poteſt; alioqui perſeuerat in ſuo peccato.

6 Dico ſecundò, cauſam iuſtam diſpenſandi, non eſſe eam tantùm quæ per ſe ſufficiens eſt, vt excuſet ab obligatione: tunc enim nullâ opus eſt diſpenſatione; imò neque interpretatione, ſi de ea neceſſitate & cauſâ ex natura ſua excuſante certò conſtet: ſi autem dubium ſit, recurrendum erit ad ſuperiorem, vt legem potiùs interpretetur, quàm vt diſpenſet.

Secundò, non eſt neceſſaria cauſa tam grauis, vt ſuperiorem obliget ad concedendam diſpenſationem; dari autem eiuſmodi aliquam cauſam, & proinde eſſe quandam diſpenſationem, quam debitam appellant, oſtendit Sanch. *lib.* 3. *de matrim. d.* 10. *num.* 3. Primò quando ita iubet ius. Secundò, quando bonum commune id poſtulat, & metus ſcandali grauis. Tertiò, quando ſpeciali mandato id committitur, vt in litteris pœnitentiæ. Quartò, quando graue periculum ſpirituale ſubditi atque alterius damnum iure timetur, v. g. deflorauit quis virginem, timetur ne voluntatem quâ promiſit illam ducere, mutet: in quibus & ſimilibus caſibus apparet non poſſe negari petitam diſpenſationem, aut etiam ſi non petatur, modo cauſam certò ſciat ſuperior, teneri motu proprio illam impertiri: donec tamen conceſſa ſit, vigebit legis obligatio ac proinde falluntur qui dicunt, cauſam iuſtam per ſe liberare à legis obligatione. Exigitur itaque tertiò cauſa ſufficiens, hoc eſt, quæ licèt non cogat prælatum ad eximendum à lege, ſit tamen eiuſmodi, vt prudenter facturus ſit ſuperior, ſi hoc loco, & caſu ſubditum quempiam aut proprio motu eximat, aut eximi flagitantis precibus annuat abſque temeritatis nota, & iuſta reliquorum offenſa. Quænam verò ſit eiuſmodi cauſa, in vniuerſum definiri nequit, ſed in ſingulis caſibus prudentum arbitrium conſulendum eſt.

7 Dico tertiò, cauſa iniuſta non inualidat neceſſariò diſpentionẽ: quia plura illicitè fiunt, quæ tamen facta tenent, quæritur vtrum diſpenſatio ſine cauſa conceſſa, quam iniuſtam illicitámque eſſe diximus, ſit etiam inualida: cui quæſito diſtinctione reſpondeo, & dico primò diſpenſationem ſine cauſa conceſſam ab inferiori in legibus ſuperioris, in quibus alioqui diſpenſare poteſt, irritam & inualidam eſſe. Ita communiter omnes cum Sanch. *lib.* 8. *de matrim. d.* 17. *num.* 3. quia cùm inferior non ſit dominus voluntatis ſuperioris, non poteſt eam irritare ſine eius conſenſu, quem iure præſumitur non dare, quando cauſa aut nulla eſt, aut iniuſta, niſi tamen prudenter & bona fide iuſtam cauſam eſſe exiſtimet: neque opus eſt vlla cauſæ cognitione iuridica, vt valeat in foro conſcientiæ, modo ipſi de cauſa aliunde conſtet ſiue ex notorietate facti, ſiue qualibet aliâ viâ. Itaque donec ea diſpenſatio reuocetur, quamvis nullum examen præiuerit, cùm tamen demùm appareat cauſa, valida eſt, licèt fortè interfuerit conceſſa diſpenſatio, eò quòd periculo ſe commiſerit prælatus, non examinando cauſam; valet tamen, cùm nullo iure annulletur.

Hinc ſequitur, diſpenſationem in iure naturali aut 8
diuino, vt votis ac iuramentis ſine cauſa vlla, aut illegitima prorſus, etiam à Pontifice conceſſam inualidam eſſe: quia tunc in lege ſuperioris diſpenſat Pontifex, & limites ſuæ poteſtatis excedit.

Secundò, ſuperiori dicenti ſe ex iuſta cauſa diſpenſare, etiam in dubio tutò creditur in conſcientiæ foro, in foro autem externo, quando motu proprio & non ad preces alicuius conceditur à ſupremo Principe, præſumitur valida diſpenſatio, & de iure, contra quam non admittitur probatio. Quando verò data eſt ad inſtantiam alterius, quia videtur quodammodo extorta, aut quando in iure diuino, aut naturali fit, non præſumitur cauſa, niſi probetur: quando etiam prælatus inferior in lege ſuperioris, nullo præuio cauſæ examine diſpenſat, nulla præſumitur cauſa.

Tertiò, viro cuicumque timorato & graui dicenti, 9
ſe habere poteſtatem delegatam diſpenſandi, aut ex ea ſibi amiſſa diſpenſaſſe, ſine alia probatione creditur tutò in foro conſcientiæ; in foro autem externo alleganti ſe habere poteſtatem, incumbit probare exhibito ſuæ legationis inſtrumento, ſi tunc non agatur de præiudicio tertij; & legatus ſit in excelſa aliqua dignitate conſtitutus, ipſi creditur, non oſtenſis etiam litteris ſuæ commiſſionis, atque ita Epiſcopo dicenti ſe promouiſſe Clericum alienæ diœceſis ex licentia ſui Epiſcopi, fides habetur, vt & litteris ſummi Pœnitentiarij, quoties in illis aſſerit ſe ex viuæ vocis oraculo, in aliquo ſingulari caſu Pontifici reſeruato diſpenſare.

Dico quartò, ſupremum Principem, imò & quem- 10
libet alium in legibus propriis diſpenſantem, abſque cauſa valida diſpenſare. Qua de re dubitauit Vaſquez 1. 2. *diſt.* 178. & alij omninò negârunt; affirmamus tamen cum Sanch. *lib.* 8. *de matrim. d.* 17. *cit. n.* 24. & 26. Suar. *lib.* 6. *de legib. c.* 19. *num.* 6. Salas *d.* 20. *n.* 37. Azor. *lib.* 3. *c.* 15. *n.* 3. & aliis communiter: quia cùm tota legis obligatio pendeat à voluntate legiſlatoris, ſi ille eam velit in aliquo caſu deſinere, reuerà deſinit, neque amplius ea tenentur ſubditi, vnde non orietur in eo caſu obligatio. Imprudenter quidem fecerit Princeps, fueritque parùm fidelis diſpenſator, cùm tamen de ſuo proprio iure, & non alieno diſpoſuerit, & propria voluntate; reuerà factum tenet, ſicut qui ſua bona, quorum plenum habet dominium prodigit, & effusâ liberalitate imprudenter donat, peccat, valet tamen ea donatio: quia rerum datarum dominus eſt, & voluntariè ſuum dominium in alium tranſtulit, qui illud conſequenter acquiſiuit.

Confirmatur: quia ſi dum legem tulit Princeps excepiſſet ab ea vnum aliquem, aut plures, valida fuiſſet tum lex, tum ea exceptio, quamvis imprudens & vitioſa, ſi ex ſolo inordinato affectu, & acceptione

perſonæ, nullo alio titulo à communitate reliqua exemiſſet, quia ab eius voluntate pendebat legem ferre, & cui libebat eam imponere, quidni igitur exceptio poſt legem facta, valida quoque erit? nam quod poſita lege omnes debeant æquales eſſe, vbi nulla ſubeſt ratio aliquem excipiendi, valebat quoque in prima illa conditione legis, per quam ſine vlla iuſta cauſa inducebatur æquè inæqualitas in reip. membris, atque modò. Denique nullum apparere ius irritans hanc diſpenſationem, quia vt ſimili caſu nuper argumentabamur, ſi illud jus ſit humanum, de eo quæretur, an ſine cauſa diſpenſari poſſit, non eſt autem aut diuinum, aut naturale, cùm vſus iuriſdictionis ex natura rei pendeat à libertate illam habentis. & quando aliquis à lege eximitur, Princeps non vult vti erga illum iuriſdictione, quam habet ad eum obligandum. Vnde autem conſtat non poſſe vti ſua iuriſdictione validè, niſi ea tota, & ſecundùm ſuam omnem amplitudinem vtatur. cùm ſit dominus ſuæ voluntatis, à qua omnis iuriſdictionis efficacia pendet, vt dixi? Quod autem ius naturale dictet ſeruandam eſſe proportionem inter Reipub. partes, ſit vt peccetur eam diſpenſationem concedendo, non autem vt ea nulla ſit.

Addidi tamen, quoties ea diſpenſatio graue nocumentum tertio importat, & ius ipſi acquiſitum violat, nullam eſſe, ita tamen vt ſi illud nocumentum inferatur immediatè per actionem Principis diſpenſantis, teneatur quidem Princeps illud damnum tertij reſarcire, valida tamen eſt ſubditi, cui conceſſa eſt, ea diſpenſatio, eáque vti licitè poteſt qui reuerà non peccat contra legem, cùm ampliùs eâ non obligetur, v. g. eximit aliquem à tributo Princeps, eandem tamen ſummam exigit à reliquis, quos notabiliter grauat, cùm nulla ſit cauſa, qua alios eximat, alios autem ita grauet; tunc damnum illud ex iuſtitia commutatiua tenetur reparare Princeps: ſubditus tamen ea immunitate licitè gaudet. Dixi autem ſine cauſa; nam aut conſuetudo, qua perſona quædam ab his oneribus eximitur, aut merita in remp. aut eiuſmodi aliæ rationes honeſtæ ſæpiſſimè in his exemptionibus intercedũt; aliàs irrogatur alteri damnum per diſpenſationem non immediatè ab ipſo Principe, ſed ab ſubdito, cuius actione conſequente diſpenſationem ſine vlla cauſa conceſſam, alienum ius ſeu diuinum, ſeu humanum violatur: tunc ea diſpenſatione vti nequit ſubditus licitè, ac proindè nulla eſt, quia non poteſt licitè, neque per diſpenſationem Principis alteri iniuriam irrogare, & actum iniuſtitiæ admittit, vt patet, v. g. ſi rem ſupra rigoroſum & ſummum pretium vendat propter exemptionem quam habet vt ſolus v. g. vendat eius generis merces, peccat. Atque ita vides quod ſit robur communis argumenti, non eſſe tutum ſubditum in conſcientia vtentem diſpenſatione iniuſta, & ex iniuſtitia, quæ tunc committitur, colligẽdam eſſe nullitatem diſpenſationis: nam verum eſt quando iniuſtitia committitur à ſubdito ratione diſpenſationis, non autem ab ipſo principe. Quod dixi de valore iniuſtæ diſpenſationis reſpectu ſubditi, idem dico reſpectu ipſiuſmet Principis ſecum diſpenſantis: id enim poſſe ſuprà diximus, ſi ſuis teneatur legibus.

11 Dico quintò, ſuperiorem poſſe diſpenſare validè ſine cauſa iuſta in legibus inferioris, qui ipſi tanquam cauſæ vniuerſaliori in ratione gubernationis, & regiminis ſubditur: quia poſſet immediatum regimen talis ſubditi, quocum diſpenſat, ſibi reſeruare, atque à iuriſdictione inferioris illum eximere; ergo & illum ſoluere ab obligatione indulta per inferiorem, non mutando voluntatem eius, ſed tollendo eius effectum per iuriſdictionem ſuperioris. Ita Pontifex in legibus Epiſcoporum, Prouincialis Religioſus in ſtatutis inferiorum ſuperiorum diſpenſare poteſt: quando verò inferior prælatus ſubditur tantùm ſuperiori remotè in cauſa appellationis & ſupplicationis, diſpenſatio ſine cauſa, nulla eſt, quia tunc non eſt licitus recurſus ad ſuperiorem: itaque inualidè diſpenſat Archiepiſcopus, quoties ſine cauſa diſpenſat in Epiſcopis ſuffraganeis.

QVÆSTIO II.

An ceſſet diſpenſatio per renunciationem?

Notationes. n. 1.
Poteſt renunciare, n. 2.
Quænam ſit implicita renunciatio, n. 4.

OBſeruandum eſt diſpenſationem, vbi iam executioni mandata eſt, & ſuum effectum non modò proximum, qui eſt relaxatio ad obligationem legis, ſed & remotum & vltimum, qui eſt actus, propter quem faciendum data eſt ea vinculi relaxatio, adepta eſt, non poſſe ampliùs annullari vllo modo ex iis, quibus communiter indulta priuilegia, & quædam aliæ facultates ceſſare ſolent, ſeu reuocatione concedentis, ſeu morte eius, ſeu quâ alia ratione, aliquid, v. g. diſpenſatio ad contrahendum matrimonium in gradu conſanguinitatis eo contracto ampliùs reuocari nequit vt patet: id tamen intelligendum eſt, quando diſpenſatio non habet in ſua executione tractum quendam & velut ſucceſſum, ſiue plures effectus, quorum aliqui ſunt executioni mandati, & non alij: nam reſpectu eorum fortaſſis poterit reuocari, addit Sanch. *lib. 3. de matr. d.* 30. *n.* 10. id etiam verum eſſe, quando effectus etſi reipſa diuiſibilis, tamen commodè nequit diuidi, vt ſi quis diſpenſatus ad ordines, iam accepit Subdiaconatum: quia graue eſſet incommodum in eo ſtatu permanere, etſi cauſa diſpenſandi ceſſet, valet tamen diſpenſatio. 1

Dico primò igitur poſſe quem renuntiare gratiæ & diſpenſationi ſibi conceſſæ, non tantùm quoad vſum eius, quod fit per ſolum non vſum, ſed etiam ipſi facultati vtendi diſpenſatione ſibi conceſſa. Ita omnes; fit autem hæc renuntiatio poſterior, de qua ſola poteſt eſſe difficultas, tum tacitè, tum expreſsè: ad expreſſum requiruntur verba, quibus ea renuntiatio fiat nota diſpenſanti, ab eóque acceptetur, quod neceſſarium eſſe in omni renuntiatione ad valorem eius docet Sanch. *lib. 8. de matr. d.* 32. *n.* 2. alioqui quandiu ſuperior non acceptauerit, ac proindè in eadem voluntate non obligandi ſeu eximendi ſubditum permanere præſumetur, poterit etiam is, qui diſpenſationi renuntiauerat, illa iterum vti; quia cùm tota vis diſpenſationis pendeat à voluntate concedentis, & ab acceptatione diſpenſandi, quamdiu manet voluntas eadem concedentis, diſpenſandus eam iterùm acceptare poterit etſi priùs illi renuntiaſſet, ſicut dum alter coniugum conſenſit fictè, alter verè, ſatis eſt vt matrimonium conualeſcat, eum, qui fictè conſenſerat, nunc verè conſentire, altero in ſuo priori conſenſu permanente. Excipit tamen Sanch. *n.* 3. diſpenſationem voti & iuramenti, cui ſi ſemel etiam ſolo interno actu quis renuntiauit, omninò & funditùs eam irritauit, & priori voto tenetur, quia cùm vinculum voti & iuramenti poſſit quilibet ſibi primò imponere, poterit etiam ſine alterius voluntate & acceptatione eodem ſe iterùm vinculo obſtringere, quod facit reſiliendo 2

à

à priori diſpenſatione; idem enim eſt ac ſi diceret, volo redire ad priorem obligationem voti, quod per diſpenſationem extinctum erat; quia autem vinculum legis imponitur aliena voluntate, & eadem ſoluitur, quandiù non acceptauit ſuperior diſpenſationis renuntiationem, non impoſuit ſolutum vinculum, vult enim illo ſolui ſubditum: ergo non vult ligari: ergo non ligatur reipſa. Si tamen diſpenſatio nondum eſſet actu applicata, ſed tantùm data facultas Commiſſario diſpenſandi, poterit etiam in voto is, quocum nondum eſt diſpenſatum, quia renuntiarat, ſi ſuperior non acceptauit eam renunciationem, reſilire à ſua renuntiatione: nam ea facultas conceſſa Confeſſario, aut alij cuipiam non pendet à ſola voluntate diſpenſandi; quare ea ſola non extinguitur, niſi interueniat voluntas concedentis, quod fieret per acceptationem renuntiationis. Hinc vides enim cui votum commutatum eſt, poſſe quidem ad prius votum redire, non tamen deinde iterum à voto in commutationem, niſi prout quilibet poteſt votum à ſe emiſſum in quid melius commutare.

3 Superior autem qui renuntiationem acceptare debet, ſit is ipſe qui gratiam conceſſerat oportet, non autem is cui erat mandata Prouincia diſpenſandi; quia valor gratiæ pendet ab eo qui eam conceſſit, ac proindè quandiù in eadem voluntate perſtiterit, poterit ea vti is, cui conceſſa eſt, & ſicut qui confert beneficium ex priuilegio, eius tamen renuntiationem acceptare non poteſt: ita neque Confeſſarius, cui ex priuilegio data eſt facultas diſpenſandi, hoc eſt exequendi quod in litteris Pontificiis continetur; non autem acceptandi renuntiationem. Quæcunque igitur fuerit renuntiatio ſiue expreſſa, ſiue tacita, niſi in ea acceptatio ſuperioris interueniat, manet adhuc integra poteſtas diſpenſato ea vtendi: vnde quando obtenta eſt facultas contrahendi matrimonium in gradu prohibito, poterit alter per matrimonium cum alio quopiam diſpenſationi renuntiare: diſſolutis tamen morte coniugis prioribus illis nuptiis, poſſunt tamen vi prioris diſpenſationis contrahere, quia cùm ſemel ablatum fuerit impedimentum, non eſt vnde reniuiſcat, quod etiam dicendum eſt, licèt non fuerit applicata diſpenſatio: manet enim ſemper facultas penes Confeſſarium, aut alium commiſſarium cum his conſanguineis diſpenſandi,

4 Implicita, ſeu tacita renuntiatio fit per aliquod factum, ex quo voluntas renunciandi præſumi poteſt. Patet autem ex dictis, ſolum non vſum non eſſe ſufficiens ſignum aliquem renuntiare poteſtati vtendi ſuâ diſpenſatione: aſſignant itaque DD. paſſim petitionem ſecundæ diſpenſationis; eo enim ipſo præſumitur renuntiari primæ. Verùm niſi ſecunda fuerit repugnans primæ, non eſt cur illi per alterius petitionem renuntietur: nam id fit tantùm vt habeatur altera, vel certior, vel commodior, neque primæ niſi ſub ea conditione renuntiatur. Alij aſſignant factum aliquod incompoſſibile factum cum vſu diſpenſationis obtentæ: verùm id non arguit renuntiari ipſi facultati vtendi diſpenſatione; quia vbi illud quod incompoſſibile eſt cum vſu diſpenſationis ſublatum fuerit, licebit vti ea diſpenſatione, vti oſtendi in matrimonio inito cum alio quàm cum eo, pro quo obtenta fuerat diſpenſatio conſanguinitatis, non priori matrimonio diſſoluto, poſſunt vti ſua diſpenſatione: aliud indicium produnt cancellatione litterarum diſpenſationis, quod fortè valebit in foro externo. Difficile itaque fuerit certum ſignum afferre: quodcunque tamen illud ſit niſi acceptetur à principe renuntiatio, nihil fit, vt oſtendi.

QVÆSTIO III.

An ceſſante cauſa finali ceſſet diſpenſatio.

ALter modus quo deſinere poteſt diſpenſatio eſt ceſſatio cauſæ, quam aliqui iuſtificantem, alij finalem appellant; cùm enim eâ cauſâ motus ſit Princeps, neque niſi ipſe propter eam diſpenſatit, vbi ea cauſa deſinit, non videtur durare diſpenſatio: quia non fuit niſi conditionata quodammodò voluntas Principis à lege ſubditum eximentis, propter eam tantùm cauſam, quæ modò ceſſauit prorsùs, vti ſupponimus. 1

Quando cauſa eſt tantùm impulſiua, & non finalis, etſi tota ceſſet non annullatur diſpenſatio. Eſt autem cauſa impulſiua quæ mouet Principem ad faciliùs concedendam gratiam quam erat quidem conceſſurus, ſed difficilius. Finalis eſt ſine qua non concederet omninò: in dubio autem præſumitur cauſa tantùm impulſiua, vt latè Sanch. *d.* 21. *num.* 20. *lib.* 8. *de matrim.* quia iura fauent valori actus, qui idcircò in dubio validus præſumitur: non deſinere autem diſpenſationem vnà cum cauſa impulſiua notum eſt: quia illa eſt extrinſeca omninò, & ab ea non eſt motus ſimpliciter diſpenſans.

Quando autem cauſa finalis deſinit, vel tota deſinit vel ſecundùm aliquam ſui partem dumtaxat: ſi hoc poſterius contingat, valet adhuc diſpenſatio, vt ait Sanch. *d.* 20 *lib.* 8. *de matrim. num.* 8. quia in moralibus aliæ cauſæ exiguntur, vt primò fiat aliquod opus, quàm vt factum permaneat, & aliud exigitur, vt obtineatur facultas, aliud vt eâ vtamur, beneficiúmque Principis permanere debet, quantum fieri poteſt ex *Regul. iur. in* 6. Denique quia ipſamet lex non ceſſat quandiu eius aliqua cauſa finalis manet, vt latè habet Tiraq. *tractat. ceſſante cauſâ, ceſſat effectus, limit.* 17. *n.* 1. & 103. atque ita commode frequentioribus ſcrupulis occurritur. 2

Quando autem ceſſat penitus cauſa finalis diſpenſationis grauis eſt difficultas, in qua placet diſtinctio. Vel enim diſpenſatio eſt iam actu applicata petenti, aut immediatè à principe, aut ex eius mandato, aut facultate à commiſſario, puta Confeſſario, aut alio quolibet, aut certè nondum eſt actu poſita diſpenſatio, ſed tantum obtentum eſt reſcriptum & facultas vt fiat, v.g. obtentæ ſunt litteræ, quibus mandatur Confeſſario, aut Epiſcopo facultas diſpenſandi in voto caſtitatis, aut religionis, impedimento conſanguinitatis, irregularitatis ad ordines, nondùm tamen reuerà commiſſarius ille diſpenſauit. Quandiu igitur eſt veluti ſuſpenſa diſpenſatio, & nondum actu conceſſa, ſeu eſt in actu tantùm primo, ſi cauſa finalis ceſſet, ceſſat quoque ea diſpenſatio, hoc eſt, vera facultas diſpenſandi deſinit in commiſſario, neque ſuum effectum habere poteſt: quia ea diſpenſatio iniuſta omninò eſſet: atqui præſumendum non eſt Principem dediſſe facultatem commiſſario dandi diſpenſationem iniuſtam, quam neque ipſe concedere vellet: faciet igitur Commiſſarius præter conceſſam facultatem, ſi diſpenſet, ac proindè inualidè diſpenſabit. Adde in litteris eiuſmodi indultorum imperari præuium examen, vt nimirùm diſpenſet Commiſſarius, ſi preces veritate nitantur, ſi tamen impedimentum huius facultatis exercendæ temporarium tantum eſſet, & cauſa finalis, quæ ceſſarat, iterum rediret, poſſet Commiſſarius tunc diſpenſare; quia ceſſante causâ fuit tantùm ligata facultas Commiſſarij, & 3

non

non penitùs extructa, niſi medio illo tempore fuerit reuocata vt nuper quoque dicebamus de eo qui per factum incompoſſibile cum vſu diſpenſationis, videtur renuntiaſſe facultati illa vtendi, ſublato enim eo impedimento, licitè ea vtetur. Hæc autem ceſſatio cauſæ debet eſſe contraria, & non negatiua, ita vt nimirùm iam fiat illicita diſpenſatio, eiúſque vſus. Suarez *lib.*8.*c.* 30.*num.*12.

4 Quando verò diſpenſatio non eſt ampliùs in fieri, ſed in eſſe conſummato, quia numirùm conceſſa eſt actu ipſo, & ſubditus reuerà diſpenſatus, non ceſſat etiam ceſſante cauſa finali, v. g. diſpenſatum reipſa eſt cum fœmina, vt nuberet conſanguineo defectu dotis qua poſſit honeſtè extraneo ſuæ nobilitati conformiter collocari, intereà dum parantur inter hos conſanguineos nuptiæ obuenit pinguis hæreditas huic fœminæ, ante matrimonium initum poteſt diſpenſationis nomine dotis inſufficientis conceſſæ nubere ſuo illi conſanguineo. Idem dico de diſpenſato in irregularitate ad ordines ſuſcipiendos, ſi antequam eos ſuſcipiat obtentâ iam diſpenſatione, cauſa conceſſæ diſpenſationis deſinat. Ita Suar. *lib.6. de legib. d.*20. *n.* 15. Sala. *d.* 20. *n.* 67. Emman. Sà *verſ. Gratia, n.* 6. & 10. Rebuff. *tract. in reg. conſtit. tom.*2. *præfat. n.*56. Maſcard. *de probat. concl.* 178. Tiraquell. *ceſſante cauſa, ceſſat effectus, limit.* 22. *n.* 92. & 94. contra Sanch. *lib.* 3 *de matr. d.* 30. *n.* 14. plures alios allegantem. Probatur, quia diſpenſatio iam habuit ſuum effectum, nempe ablationem vinculi, qui proinde non pendet à cauſa illa, à qua fuit productus, alioquin idem de effectu remoto diceretur. Nam qui ſuſcepiſſet ordines reipſa ex diſpenſatione, ceſſante cauſa eius, abſtinere deberet à miniſtratione, nam vſus ordinum etſi remotior ſit effectus diſpenſationis quàm ipſa ſuſceptio, æquè támen pendebit à cauſa diſpenſationis, atque ipſa ſuſceptio quæ non eſt effectus proximus, ſed ipſa relaxatio vinculi, quæ vbi ſemel appoſita eſt, & ablata obligatio legis, non eſt cur redeat, etſi cauſa, per quam ſublata fuit, ceſſet: videmus enim etiam in naturalibus pleroſque effectus non conſeruari à ſuis cauſis producentibus, quod frequentius eſſe in moralibus concedebat nuper ipſe Sanch.

Limitanda tum eſt hæc aſſertio; vt valeat tantum, quandò obligatio erat indiuiſibilis, ac provt per relaxationem tota ſimul tollitur niſi diuiſibilis ſit, & ſucceſſiuè tollenda, vbi cauſa ceſſabit, manebit obligatio quæ nondum per diſpenſationem laxata eſt, eo quod ſucceſſiuè ſolui debeat, v. g. qui ratione infirmitatis diſpenſatus eſt ad comedendas carnes, & non ieiunandum in quadrageſima, vbi optimè conualuit, ceſſatque infirmitas, quæ fuerat tota cauſa diſpenſandi, redit obligatio diebus conſequentibus quadrageſimæ abſtinendi à carnibus, aut ieiunandi, quia obligatio quadrageſimalis aut ieiunij, licèt per modum vnius concipiatur, reipſa tamen multiplex eſt, ſingulis diebus non noua, aut repetita ponitur obligatio ieiunandi & abſtinendi; non fuit itaque tota ſimul ſublata per diſpenſationem, quare mirum non eſt in aliquo ſui præcepto ceſſante cauſa finali ſeu iuſtificante permanere,

QVÆSTIO IV.

Quænam, & qualis ſit diſpenſatio ſubreptitia.

Notationes, n. 1.
Quandónam tacendo fiat ſubreptio, n. 2. 3. 4. 5. & 6.
Corollaria, *n.* 7. & 8.
Quænam falſitas faciat ſubreptionem, n. 10. 11. & ſeq.

Communis modus annullandi diſpenſationem eſt ſubreptio, vti DD. omnes & iura concedunt, ita tamen vt litteræ atque reſcripta gratiæ ſint ipſo iure nulla & irrita per ſubreptionem: reſcripta vero iuſtitiæ quæ ad lites forenſes impetrantur, annullanda tamen, & irritanda ſunt manentque valida, donec aduerſarius, contra quem impetrantur, excipiat, eáque alleget, eſſe ſubreptitia. Ita communiter omnes apud Sanch. *lib.*8. *de matr. d.*21.*n.*3.*ad* 8. ſubreptio autem duobus modis continget, tacendo verum & exprimendo falſum in petitione diſpenſationis aut alterius gratiæ. Cùm enim eiuſmodi taciturnitate veri neceſſarij, aut falſi expoſitione mutetur cognitio cauſæ ob quam dandam putat diſpenſationem & gratiam concedens, mutatur quoque eius intentio & voluntas circa eiuſmodi conceſſionem: videndum igitur eſt an qualibet expreſſione falſi, aut veri neceſſarij ſilentio, diſpenſatio ſubreptitia reddatur. 1

Dicendumque primò, tacere conditionem aut qualitatem aliquam aut conditionem quam iura aut ſtylus curiæ Romanæ ſpecialiter & neceſſariò exprimi iubent, etſi ea cognitâ circumſtantiâ princeps fuiſſet æquè facilè gratiam aut diſpenſationem conceſſurus, reddit tamen eam ſubreptitiam; quia cum iura, quibus in reſcriptis ſtylus curiæ æquiualet, qui & ius facit, vt pluribus oſtendit Maſcard *lib. de probat. Concl.* 1317. *n.* 51. eam qualitatis expreſſionem pro forma requirant, ſublata forma aut non poſita, totus actus irritus aut inualidus eſt, etſi per ignorantiam non ponatur ea forma neceſſaria: ea enim ignorantia excuſabit quidem à culpa, ſed non validabit actum vti in multis aliis ſæpè contingit, quænam autem qualitas exprimenda ſit in eiuſmodi petitionibus non reperitur ſpecialiter expreſſum, ſed ſolùm in vniuerſum quando dicitur ne delictum aliquod remittatur, aut ne in aliquo caſu diſpenſetur, tunc enim mens iuris eſt denegandi diſpenſationem niſi in aliquo ſpeciali caſu, ea qualitate principi expreſſa velit in eo diſpenſare. 2

Secundò, quoties tacetur aliquid quo cognito Princeps nihilominus diſpenſaturus erat, quamvis difficilius, & neque iura neque curiæ ſtylus illud exprimi ſpecialiter volunt, non eſt ſubreptitia diſpenſatio, aut quælibet alia gratia eo modo obtenta. Ita Sanch. *d.* 21. *n.*17. *lib.* 8. *de matr.* Emman. Sà *verſ. Gratia. n.*10. quia cùm cauſa tacita eſſet tantùm impulſiua, eius ignorantia non potuit reddere conceſſionem ſimpliciter inuoluntariam, ac proindè neque irritam, & *cap. dudum, de præb. n.* 6. Pontifex non obſtare veri taciturnitatem, quo cognito nihilominus litteras gratioſas erat conceſſurus ad canonicatum Lexonienſem, de quo ibi agitur, apertè deſignat: ſecus verò dicendum eſt, ſi cauſa quæ tacetur non tantùm impulſiua ſed finalis ſit, qua cognita omninò non erat princeps diſpenſaturus, tunc non tota diſpen- 3

ſatio

ſatio fit inuoluntaria ratione ignorantiæ, ac proinde irrita: quando verò cauſa quæpiam tacita, ſit tantum impulſiua, & non finalis; prudentum arbitrio relinquendum eſt, quando neque ex iure, neque ex ſtylo Curiæ, aut Principis conſuetudine, aut affectu colligi poteſt: in dubio autem præſumenda eſt, vt ſuperiùs dixi, impulſiua tantum & diſpenſatio valida non ſubreptitia; id autem intelligendum eſt de cauſa quæ in præſenti remoueat Principem à gratiæ conceſſione, non quæ in futurum remouere poſſet ob circumſtantias, quæ futuræ præuidentur; ſi etiam notoria ſit ea cauſa non debet neceſſariò exprimi: cum enim aliunde facilè cognoſci queat, non cenſetur eâ tacitâ in fraudem induci Princeps.

4 Tertiò, non debet neceſſariò exprimi aliàs petitam, aut etiam obtentam fuiſſe diſpenſationem ſuper eadem re, niſi in caſibus à iure expreſſis, aut quando vel ad totum vinculum, cuius relaxatio quæritur explicandum, vel ad cognoſcendam gratiæ quæ conceditur, quantitatem id neceſſarium eſt. Ita Suar. *lib. 6. de leg. c. 21. n. 22.* neque ita limitata concluſio nullum habere poteſt aduerſarium; nam ex natura rei non poteſt exigi mentio prioris diſpenſationis, niſi quia ea cognita Princeps non diſpenſaret ſecundò, id autem non fiet niſi quia vel ſic maior erit gratia, quàm ſi tantùm ſemel fuiſſet conceſſa, vel quia maius eſt vinculum, quod duplici diſpenſatione indigeat, & cùm poſt priorem iterum idem impedimentum incurrerit, diſpenſandus minùs eſt dignus gratia, aut quia in alterius præiudicium noua hæc diſpenſatio cedit, quo caſu iura exigunt exprimi priorem diſpenſationem. Ita *cap. veniens, de præſcription.* dicitur priuilegio à Clemente Veſprinienſi Epiſcopo conceſſo non fuiſſe derogatum priuilegiis prædeceſſorum, cùm de iis non fecerit mentionem: vnde colligunt priuilegium amplioris exceptionis obtentum ſine mentione prioris priuilegij exceptionis minùs reſtrictæ, nullum eſſe: quia nempè, vt dixi, id cadit in tertij præiudicium, ac proindè ea gratia odioſa eſt, quæ nunquam valida cenſetur niſi ex ſufficienti notitia Principis: ita qui habet diſpenſationem non ſoluendi decimas ex vinea, ſi petat etiam ne ex area ſoluat, prioris diſpenſationis meminiſſe debet, quia ea eſt in tertij damnum.

5 Secundò, quando alioqui totum impedimentum, aut quod poterat obſtare tollendum non ſatis exprimitur, ideò *cap. 20. de filiis presbyter. in 6.* declaratur ſubreptitia diſpenſatio ad plura beneficia obtinenda facta ei, cum quo ex defectu natalium iam fuerat diſpenſatum ad ordines & beneficium curatum, quia veriſimile non fuit, diſpenſaturam Sedem Apoſtolicam, ſi prior illa diſpenſatio fuiſſet expreſſa. Ratio igitur nullitatis huius diſpenſationis eſt, quia totum impedimentum quod obſtare poterat, imò & obſtiturum erat, vt dixi, in textu ſecundæ diſpenſationis non fuit expreſſum; non poteſt autem voluntas diſpenſantis, ad id quod ipſum latebat, ferri.

6 Tertia limitatio fuit quando neceſſaria eſt mentio prioris gratiæ, quia alioqui non concipitur qualitas gratiæ conferendæ, v. g. obtinuit beneficiarius facultatem non reſidendi per quinquennium, quo expreſſo ſtatim ſimilem facultatem poſtulat: hæc poſterior ſubreptitia eſt, niſi prioris meminerit, quia Pontifex nunquam voluit diſpenſare per decennium, quod tamen ex ea continuatione diſpenſationum facit, ſicut qui minima furatur vbi ad notabilem ſummam peruenit, ſi aduertat totam eam ſummam ſe retinere grauius peccar, quàm ſi voluntas retinendi, in minima illa furta ſeorſim caderet: ita qui diſpenſatus voto caſtitatis matrimonium contraxit, mortuâque vxore iterum diſpenſari petit ad ſecundas nuptias priorem diſpenſationem exprimere debet: qui diſpenſatus eſt ob vxoricidium ad matrimonium, & in ſimile crimen incurrit, ſi petit denuò diſpenſari, priorem exprimere debet: quia in his omnibus difficilior redditur ex natura rei diſpenſatio ſecunda, imò meritò præſumitur non concedendam eſſe niſi Pontifex ſe verè intellexiſſe fateatur: in reliquis omnibus ſimilibus vera eſt aſſertio poſita.

Hinc ſequitur primò, eum qui ad tollendum dubium petit eandem omninò diſpenſationem ſed certiorem tantùm, quoad circunſtantias, non neceſſario cogi ad priorem exprimendam; non apparet enim vnde hæc taciturnitas reddat inualidam poſteriorem gratiam. Secundò qui in irregularitate diſpenſatus eſt ad minores ordines, deindè eadem expoſita irregularitate petit diſpenſari ad maiores, aut vbi eam obtinuit, ab interſtitiis eximi vult, etſi non meminerit prioris, valida eſt ſecunda, quia totum in ea vinculum ſoluendum nulloque effectu deſiderato exprimitur, & non cadit in præiudicium tertij. 7

Tertiò quando poſt obtentam voti commutationem petitur pura diſpenſatio, non exprimendo priorem commutationem valida eſt aliquando. Primò ſi prima commutatio non abſtulit ſimpliciter votum, ſed tantum circa quendam effectum, vt debiti petitionem. Secundò ſi non fuit acceptata prima diſpenſatio, neque proinde habuit effectum, tunc enim cum maneat totum votum, in his caſibus vera eſt petitio. Aliàs verò cùm votum ablatum fuerit, eiuſque loco ſucceſſerit obligatio ad pia quædam opera, debet ea commutatio exprimi: quia alioqui falſum narratur, & non proponitur autem vinculum tollendum, quod non eſt ampliùs. 8

Quartò. Quoties plures diſpenſationes verſantur circa diuerſas partes eiuſdem legis, neque alio modo vniuntur aut in tertij damnum vergunt, poſterior diſpenſatio valida eſt, etſi prior non exprimatur. Ita qui in quadrageſima petit licentiam veſcendi carnibus, non debet meminiſſe alias obtentæ diſpenſationis ad eundem effectum: qui licentiam non reſidendi ſecundò petit niſi illud tempus ſit commune alteri quo non reſidere ei conceſſum fuit, non debet prioris gratiæ meminiſſe. Si quis cum cognata diſpenſatus contraxit, eâque mortuâ cum alia cognata item contrahere placeat, valida erit poſterior diſpenſatio, non narratâ priore, quia nullam habent connexionem, cum ſint inter diuerſas perſonas: idque verum eſſe putat Sanch. *d. 22. n. 13.* etſi priori nunquam vſus fuerit. Suar. tamen *l. c. cap. 25. n. 21.* poſteriorem tunc inualidam putat, quia alioqui vtraque valida eſſet, eſſetque ipſi liberum vti qua vellet: nam prior non ceſſat per formalem veluti repugnantiam cum ſecunda, vt apparet, neque per renuntiationem tacitam ex petitione ſecundæ, quia, vt ſuprà dictum eſt, renuntiatio non inualidat gratiam niſi à concedente acceptata fuerit, acceptari autem non potuit ab ignorante. Non poteſt autem vtraque eſſe valida ſine licentia Pontificis, cùm ſit gratia quædam extraordinaria, quam veriſimillimum eſt, non conceſſurum Pontificem, ſi reſciuiſſet. Cùm igitur prima gratia iungatur ſecundæ in hoc caſu ad vnam extraordinariam conflandam, quæ à non ſciente manare nequit, erit prima exprimenda, alioqui ſubreptitia cenſetur prima, quod non contigit, quando prima iam extincta fuit per eius vſum; tunc enim non coniungitur ſecundæ modo explicato. 9

Quartò Dixi non eſſe neceſſariò vtrumque vinculum exprimendum, quando vnius tantùm relaxatio petitur, niſi in caſibus quibuſdam particularibus, in quibus vnum vinculum per connexionem quam habet 10

habet cùm alio difficiliùs remittitur in ordine ad aliquem effectum. Ita Suar. *c.24.* neque Sanch. *d.23.* propriè repugnat; loquitur enim de impedimentis matrimonii, in quibus ipſe Suarez concedit probabilius videri omnia vincula eſſe exprimenda, quia ex natura rei difficiliùs diſpenſatur cum eo qui voto caſtitatis obligatus vult conſanguineam ducere, quam cum eo qui vno tum ex ipſis impedimentis ligatus eſt, ſi tamen petat tantum prius ſolui voto caſtitatis, etſi non exprimat conſanguinitatem valebit diſpenſatio ex ipſomet Sanch. *n. 4.* quia diſpenſatio illa ordinatur tantum ad matrimonium non ad hoc cum conſanguinea. Vnde Suar. ait valere eam diſpenſationem etiamſi habeat tunc animum ducendi conſanguineam, cuius deinde diſpenſationem aliàs petiturus eſt, & ſi prima diſpenſatio habuit cauſam ſufficientem independentem à matrimonio cōſanguineæ non oportebit in ſecunda deinde diſpenſatione neceſſariò meminiſſe primæ. Ita qui vonit caſtitatem & religionem, poterit diſpenſari in voto religionis, etſi alterius non meminerit: quia etſi illud ſciretur, faciliùs diſpenſaretur in religione, cuius aliqua videlicet participatio maneret in perpetua caſtitate, ſi tamen diſpenſatio religionis in ordine ad matrimonium peteretur, vtrumque votum exprimendum eſſet, ſi autem voto caſtitatis petat ſe ſolui, debet meminiſſe voti religionis, cuius reus eſt, quia alioqui prior diſpenſatio ſuperflua eſſet, neque eam ſine alia eſſet Pontifex conceſſurus. In cenſuris autem & irregularitatibus, vti ſunt omninò diſparatæ, ſeorſim diſpenſari poſſunt, quamvis ea cognitio difficiliorem reddat diſpenſationem non tamen ſubreptitiam: ſeruanda igitur eſt tradita regula.

11 Quintò diſpenſatio ſubreptitia redditur ex expreſſione falſi, quando circa cauſam finalem verſatur, deneganda quippe erat gratia, eo falſo non expreſſo, aut non abſolutè fuiſſet conceſſa, ſed cum quadam reſtrictione: quando autem plures cauſæ narrantur, ſufficit finalem eſſe veram, dum autem vna narratur tantùm, eaque falſa eſt, totum reſcriptum nullum eſt.

12 Sextò, quando litteræ dantur motu proprio, eamque continent clauſulam, validæ ſunt, non obſtante ſubreptione veritatis tacitæ, ſecùs ſi eſſet ſubreptio falſitatis narratæ. Suar. *lib.8.c.12.n.11.* & ſeq. de falſitate id concedit, non autem de taciturnitate veritatem enim ſi gratia detur ad preces petētis, et ſi ſimul ſit motus proprius, facere gratiam ſubreptitiam ait. Rationē diſcriminis dat Sanch. *diſp. 20. n. 52.* quia quando tacetur veritas, non conſtat an benè, an malè informatus Pontifex gratiam conceſſerit, ac proinde an ſit contra concedentis voluntatem. Vnde ſi veritas tacita, ſit aliqua qualitas intrinſecæ perſonæ, eamque ad gratiam inhabilitans, cuiuſmodi eſt irregularitas ad beneficium, aut intrinſeca beneficio conferendo, quia ex ea reticentia præſumitur gratia illa eſſe contra mentem concedentis, nulla eſt.

13 Septimò, quando falſi expreſſio, aut veri taciturnitas contingit circa ſolam cauſam impulſiuam, licèt dolo contingat, in neutro foro inualidat diſpenſationem: ſi autem contingat circa cauſam finalem, diſtinguendum eſt, ſi enim eſt cauſa totius gratiæ, tota vitiatur, ſiue dolo malo, ſiue ex ignorantia fiat: ſi ſolius partis ab alia diſparatæ cauſa ſit, illa ſola pars, in qua eſt ſupreptio etſi doloſa, vitiabitur. Si autem partes habeant aliquam connexionem, ſeparabiles tamen ſunt quoad valorem: ſi ignoranter & non per fraudem aut malitiam ſubreptio commiſſa ſit, valebit in vtroque foro reſcriptum quoad ſolam partem in qua non fuit ſubreptio. Si verò per fraudem & malitiam, ea quoque pars vitiabitur in qua non fuit ſubreptio, non tamen ipſo iure, & in foro conſcientiæ, ante iudicis ſententiam, ſed poſt illam. Hanc regulam tradit Sanch. *d. 21. extrema n. 29. lib. 3. de matrimonio.*

CAPVT VI.

De materia diſpenſationis.

QVÆSTIO I. *In quam materiam cadere poßit diſpenſatio.*

QVÆSTIO II. *An diſpenſari poſsit in iure canonico.*

Vsissima eſt hæc diſputatio, ſed quæ ſigillatim explicari nequit hoc loco, cùm plures materias, de quibus controuerti poteſt, prius exponere neceſſe ſit, antequam de illis definiri valeat quæſtio propoſita, & vtrum, & à quo in illis diſpenſari poſſit, quare in præſentiarum de materia diſpenſationum in vniuerſum agam dumtaxat, de ſingulis autem materiis ſuis locis ex principiis hoc loco poſitis, particulares controuerſias dirimemus provt ſe dabit occaſio, cùm vix aliter inſtitui poſſit iſta diſputatio.

QVÆSTIO I.

In quam materiam cadere poſſit diſpenſatio?

Status quæſtionis, n. 1.
Ius naturale, n. 2.
Ius diuinum, poſitiuum, an ſint diſpenſabilia, n. 3.

Hæc quæſtio vniuerſalior eſt quàm vt præciſè & abſolutè poſſit definiri: cùm enim certum eſſe debeat neminem poſſe diſpenſare in lege ſuperioris, niſi per poteſtatem ab illo aliquo caſu ſibi communicatam, quærendum perpetuo erit, quoties diſpenſans inferior eſt legem ferente, & ius conſtituente, an & quomodo poteſtatem ſibi communicatam habeat circa legem & ius à ſuperiore conſtitutum, quod vix in vniuerſum definiri poteſt, ſed in ſingulis quærendum erit. Tota tamen difficultas ad tria præcipua capita reuocari poteſt. Primum eſt an in iure naturali poſſit diſpenſari, & à quo; quandoquidem ius naturale à natura ipſa rationali præſcriptum eſt, & omnis poteſtas eiuſmodi iure inferior omninò eſt. Similis difficultas eſt circa ius diuinum poſitiuum, cuius Deus legiſlator eſt, & ſuperior omni alia poteſtate. Tertiò idem quæri poteſt de iure poſitiuo Canonico & Eccleſiaſtico, quod à tota Eccleſia vniuerſali, vel etiam particulari poſitum eſt ab aliqua auctoritate particulari, quæ ſine dubio inferior eſt, reſcindi, aut etiam laxari non poſſe ſtatim apparet. 1

Verùm prior illa difficultas circa diſpenſabilitatem iuris naturalis iamdiu explicata eſt *lib. 5. cap. 3. q. 3.* in qua fuſiùs egimus de immutabilitate iuris naturalis per plura conſectaria de quibuſdam caſibus, in quibus videbatur contingere nonnunquam iſta mutatio, & laxatio, vel diſpenſatio, vt in votis, iuramento, polygamia, matrimonio, & aliis eiuſmodi; de 2

de quibus diſputauimus, ita vt nihil adiiciendum teſtet, quod ad hanc diſpenſationem in vniuerſum: nam caſus patticulares ex dictis facilè explicari poterunt, & ex aliis ibidem explicatis; ſi verò noui occurrant, tunc ex propria ipſorum natura non operosè diſſoluentur.

3 Secunda difficultas quæ pertinet ad ius diuinum poſitiuum explicata etiam à nobis eſt, tum eodem *lib.* 3. *cap.* 3. *quæſt.* 3. *nam* §. 8. diximus an decalogi præcepta, quæ partim iuris naturalis, partim diuini poſitiui ſunt, diſpenſari poſſint, tum in vniuerſum, tum in ſingulari de præcepto de colendo Deo §. 9. de diſſolutione matrimonij contra Chriſti præcepta conſect. 8. *de polygamia. conſect.* 9. quia verò iſta & ſimilia ita pertinent ad ius diuinum poſitiuum vt vel ſupponant, vel inuoluant ius naturale, priùs ideò de iuris diuini merè poſitiui mutabilitate, & diſpenſabilitate fuſiùs diximus ſuperiori *lib.* 4. *cap.* 4. *quæſt.* 7. vbi de lege Moſaïca: de mutabilitate verò, & diſpenſabilitate legis Euangelicæ *eod. lib. cap.* 5. *quæſt.* 1. *à num.* 5. & hanc quæſtionem remiſimus in hunc locum, & in explicationem illarum materiarum, quæ pertinent ad ius Euangelicum, qualis eſt inſtitutio Sacramentorum, & alia eiuſmodi quæ ita pertinent ad ius diuinum, vt plura circa illa pendeant ex iure Eccleſiaſtico, ad quod tandem tota materia diſpenſationis reducitur: quare de illa nobis in vniuerſum diſputandum eſt.

QVÆSTIO III.

An, & quomodo diſpenſari poſſit in iure Canonico, & Eccleſiaſtico.

Notationes, n. 1. & 2.
Pontifices vindices Canonum, n. 3.
Et decretorum Pontificiorum, n. 4.
Et conſuetudinum, n. 5.
Laxata pœna propter violatos Canones, n. 6. & 7.
Diſpenſatio Canonum in anteceſſum, n. 8.

1 IVs Canonicum vel commune eſt obligans totam Eccleſiam, vel ſingulare quibuſdam Eccleſiis, Diœceſibus, Prouinciis, Epiſcopatibus, Capitulis & particulare vel à Concilio generali, vel à Conciliis Diœceſanis, Prouincialibus, aliiſque non œcumenicis impoſitum, vel à Pontifice, Patriarcha, Epiſcopis, & aliis, qui poteſtatem legiſlatiuam habent, de quibus *lib.* 5. diſſerüimus latum, vel moribus, & conſuetudine ſiue vniuerſali toti Eccleſiæ, vel ſingulari inductum eſt.

2 Deindè obſeruandum diligenter eſt, diſpenſationem, ſiue relaxationem iuris Canonici, duobus modis fieri poſſe. Primò quidem vt fiat venia & facultas infringendi Canonis, à cuius videlicet obſeruatione quis ſoluitur: ita vt quamvis vinculum iuris perſiſtat, ratione tamen alicuius, vel perſonæ vel communitatis laxetur, ſiue illam non conſtringat, ac proindè ius illud & Canonem non ſeruando, ſiue infringendo non peccet, & pœna violatoribus inflictas non incurrat. Secundo modo diſpenſatur dum laxatur, minuitur, aut omninò dimittitur pœna debita violati Canonis, ita vt & culpa commiſſa condonetur, & pœna propter eiuſmodi culpam incurſa, venia quadam illi reo per συνθείαν & φιλανθρωπίαν remittatur, de vtroque illo diſpenſationis modo poteſt excitari quæſtio; quæ vt ſigillatim explicetur

Aio imprimis Romanos Pontifices Canonum antiquorum, imò & veterum conſuetudinum, atque etiam decretorum, quæ à ſuis prædeceſſoribus ſancita fuiſſent, ſeueriſſimos vindices ſeſe præſtitiſſe, ita vt aliquandò plura paterentur incommoda ne Canonibus aperta vis inferretur, vnde Innocent. *Epiſt. ad Clerum Conſtantinop.* vti refertur apud Sozo. *lib.* 8. *cap.* 16. *longè præſtiterit vel ea condemnare, fratres chariſſimi, quæ rectè facta ſunt, quam ea robur vllum ſortiri, quæ aduerſus Canones geſta ſunt.* Volebat igitur Innocent. omnia etiam bona, & ſancta reſcindi, ſi aduersùs Canones geſta forent. 3

Concilium Taurinatenſe cum controuerſiam primatus inter Arelatenſem, & Viennenſem Epiſcopos ita definiuit *Can.* 2. vt qui ex illis probaret ſuam Ciuitatem eſſe Metropolim in laterculo imperij, is totius Prouinciæ primatum in rebus quoque Eccleſiaſticis obtineret, & ordinationum iura, vti Canones definiebant. Interim verò vicinas, quiſque Ciuitates intra Prouinciam vindicaret, arguit temeritatis hoc iudicium Synodi, & reſcindit Zozimus Epiſtola ad Epiſcopos Prouinciæ Viennenſis & Narbonenſis ſecundæ, quod conceſſam pridem à Sede Apoſtolica Eccleſiæ Arelatenſis poteſtatem euerteret, additque hæc verba, quæ etiam referuntur ab Iuone 4. *part. cap.* 226. Hincmaro, & Gratia. 25. *quæſt.* 1. *C. Contra ſtatuta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec huius quidem ſedis poteſt auctoritas apud vos cùm inconvulſis radicibus viuit antiquitas, cui ſtatuta Patrum ſanxere reuerentiam*, & quamvis ea Zozimi Epiſtola modo non reperiatur; eam tamen, & verba ex illa recitant laudati DD. imò ipſe Iuo non modo loco citato eius meminit, ſed etiam *Epiſt.* 60. *ad Hugonem Archiepiſcopum Lugdunenſ. & Legatum Apoſtolicum*, iſta eadem refert ex Epiſtola Zozimi ad Narbonenſes: an verò fuerit fortaſſis illa quam ſe ad Galliam & Hiſpaniam ſcripſiſſe ait ipſemet Zozimus *Epiſtola prima ad Heſychium*, vel an fuerit Epiſt. eiuſdem Zozimi 6. *ad Aurelianum* & alios Epiſcopos Africanos, in qua ait, *Cùm aduersùs Patrum ſtatuta venitur, non tantùm illorum prudentiæ, atque ſententiæ, qui in æuum victura ſanxerunt; ſed ipſi quodammodo fidei. & catholicæ diſciplinæ irrogatur iniuria. Quid enim tam ſanctum & venerabile eſt, quam penitùs non exorbitare ab itinere maiorum, quorum Canonica inſtituta velut quædam fundamenta ſunt ferendis fidei iacta ponderibus.* Non potuit grauioribus verbis Pontifex commendare veterum Canonum, & ſtatutorum obſeruantiam quam vt diceret eorum euerſione fidei Chriſtianæ & diſciplinæ catholicæ fundamenta ſimul concuti ſimilis eſt conſequentium Pontificum ſenſus. Bonifac. *Epiſt.* 3. *ad Hilarium Narbonenſ.* contra Proclum Arelatenſem, qui Eccleſiæ Lutabenſi ordinarat Epiſcopum, prætermiſſo Metropolitano, ſcribit ſe id ferre non poſſe, reddit rationem: *Quod nequaquam* (inquit) *poſſumus ferre patienter, quia conuenit nos paternarum ſanctionum eſſe diligentes cuſtodes.* Affert deindè conſtitutionem Nicænam quæ vult per vnamquamque Prouinciam ius Metropolitanos ſingulos habere debere; nec cuiquam duas poſſe eſſe ſubiectas per plura ſimilia refert Iuo. *Epiſt.* 60. ex magno Gregorio *Epiſt. ad Mauritium* pro cauſa Theodori. *Graue nimis eſt contra veterem vſum Sacerdotes ſibi quidquam arripere, &c. Omnia quæ vſus antiquitatis ſtatuit intemerata ſeruentur.* Et *lib.* 1. *epiſt.* 15. *ad Epiſ-*

copos Numidiæ conſuetudinem quæ contra fidem nihil vſurpare dignoſcitur intemeratam permanere concedimus, ſiue de primatibus conſtituendis, ſiue de cæteris capitulis. Nicolaus I. *Epiſt.* 70. *Hincmaro Remenſi: Ridiculum eſt & ſatis abominabile dedecus, vt traditiones quas antiquitùs à patribus ſuſcepimus infringi patiamur.* Gelaſius *ad Epiſcopos Dardaniæ* aduerſus eos qui Eccleſiarum iura turbabant, & auidâ præſumptione pervadebant: *Non reſpicientes quoniam æterno iudici rationem tam de Catholicæ ſinceritatis iniuria, quàm de traditionum præiudiciis paternarum, non ſine perpetua damnationis interitu ſunt reddituri, ſi in hac obſtinatione permanſerint*, adducit eadem *Epiſtola* 60. Iuo librum Pontificum, qui dicitur diurnus, in qua profeſſio Romani Pontificis, ſic continetur: *Nihil de traditione Patrum quam à probatiſſimis prædeceſſoribus meis traditam, & ſeruatam reperi diminuere, vel mutare, aut aliquam nouitatem admittere, ſed feruenter, vt eorum diſcipulus, & ſequipeda totis mentis meæ conatibus, quæ tradita canonicè comperio obſeruare, ac venerari profiteor.* Huius Pontificia profeſſione meminit quoque Baron. ann. 869. Leo IV. iudici Sardiniæ: *Nec mos, nec noniter introducta conſuetudo noſtræ Eccleſiæ, noſtris prædeceſſoribus fuit contra Canonum ſtatuta noua, vel inuſitata præſumere.* Acres verò fuere maximè Pontifices in tuendis Canonibus Nicænis, quos integros ſeruari perpetuò voluerunt. Multus eſt in illis tuendis Leo magnus, in Epiſtolis ad Marcianum Auguſtum, Pulcheriam, & Anatolium, contra Canon 28. Concilij Chalcedonenſis, qui primas Epiſcopo Conſtantinopolitano contra Alexandrini, & Antiocheni Patriarcharum iura detulerat: quamvis enim Synodus Chalcedonenſis ſuum decretum per Epiſtolam Synodicam confirmari enixiſſimè poſtulaſſet, idque gratum Imperatori, Senatui, & toti vrbi Conſtantinopolitanæ futurum diceret, nihil obtinere potuit, reſpondítque Leo Epiſt. ad Anatolium, qui conſenſum Synodi frequentis allegabat: *Tanquam refutari nequeat, quod illicitè voluerit multitudo, & illa Nicænorum Canonum per ſanctum verè Spiritum ordinata conditio, in aliqua vnquam ſit parte ſolubilis. Nulla ſibimet de multiplicatione Congregationis Synodalia Concilia blandiantur, neque trecentis illis decem, & octo, quantumlibet copioſior numerus Sacerdotum comparare ſe audeat, vel præferre cum tanto diuinitus priuilegio Nicæna Synodus ſit conſecrata, vt ſiue per pauciores, ſiue per plures Eccleſiaſtica iudicia celebrentur, omni penitùs authoritate ſit vacuum quidquid fuerit ab illorum conſtitutione diuerſum.* & Epiſtol. ad Marcian. *Non dedignetur nimirum Anatolius Regiam Ciuitatem, quam Apoſtolicam non poteſt facere ſedem; nec vllo ſperet modo quod per aliorum offenſiones poſſit augere priuilegia, cùm Eccleſiarum ſanctorum Patrum Canonibus inſtituta, & venerabilis Nicænæ Synodi fixa decretis, nullâ poſſint improbitate conuelli, nullâ nouitate mutari. In quo opere, auxiliante Chriſto, fideliter exequendo, neceſſe eſt me perſeuerantem exhibere famulatum; quoniam mihi diſpenſatio credita eſt, & ad meum tendit reatum, ſi paternarum regulæ ſanctionum me, quod abſit, conniuente violentur, & maior ſit apud me vnius fratris voluntas, quam vniuerſæ domus Domini communis vtilitas.* Denique Epiſt. ad Synodum Chalcedonenſem, non alia de cauſa Canonem Chalcedonenſem irritare ſe dicit, quàm quia Nicænis regulis contrarius eſt. *De cuſtodiendis quoque*, inquit, *ſanctorum Patrum ſtatutis quæ in Synodo Nicæna in inuiolabilibus ſunt fixa, obſeruantiam veſtræ ſanctitatis admoneo, vt iura Eccleſiarum, ſicut ab illis trecentis & octo Patribus diuinitùs inſpiratis, ſunt ordinata permaneant. Nihil alienum improbus ambitus concupiſcat, nec per alterius imminutionem, ſuum aliquis quærat augmentum: quantumlibet enim extortis aſſentationibus ſeſe inſtruat vanitatis elatio, & appetitus ſuos Conciliorum æſtimet nomine roborandos, infirmum, atque irritum erit, quidquid à prædictorum Patrum Canonibus diſcrepârit. Quorum regulis quàm reuerenter Apoſtolica Sedes vtatur, ſcriptorum meorum, quibus Conſtantinopolitani Antiſtitis conatus repuli, poterit Sanctitas veſtra lectione cognoſcere, & me auxiliante Domino noſtro, & catholicæ fidei, & paternarum traditionum eſſe cuſtodem.* Et ad Pulcheriam: *Conſenſiones verò Epiſcoporum ſanctorum Canonum Nicæam conditorum regulis repugnantes, vnitate vobiſcum veſtræ fidei pietate in irritum mittimus, & per auctoritatem B. Petri Apoſtoli generali prorsùs definitione caſſamus, in omnibus Eccleſiaſticis his legibus obſequentes, quas ad pacificationem omnium Sacerdotum per* 318. *Antiſtites Spiritus ſanctus inſtituit. Ita vt ſi plures aliud quàm illi ſtatuere decreuerint, in nulla reuerentia ſit habendum quidquid fuerit à prædictorum conſtitutione diuerſum.* Ex quibus aliiſve vides Romanos etiam Pontifices, decreta Synodorum œcumenicarum, quæ iam confirmata, & approbata erant magno ſtudio tuitos eſſe, & in illis ægrè omninò diſpenſaſſe, ita vt ſibi nefas eſſe ducerent pati illa quolibet prætextu violari.

Quare ſi quid ab illis per obreptionem fuerit obtentum contra Canones, & antiqua Eccleſiarum priuilegia, nullum eſſe declarent: quare cùm Ingenuus Alpum Maritimarum Metropolita quereretur apud Hilarium P. R. de impetrato ab Auxanio Epiſcopo reſcripto; quo ſuæ Prouinciæ ius minui videbatur, Hilar. *Epiſt.* 4. cauſæ cognitionem Epiſcopis Gallicanis delegauit his verbis: *Ita veſtræ charitatis cognitionem adnexa querimoniæ delegamus, vt nihil aduerſus venerandos Canones, nihil contra ſanctæ memoriæ deceſſoris mei iudicium valeat quidquid obreptum nobis eſſe conſtiterit. Nolumus namque Eccleſiarum priuilegia, quæ ſemper ſunt ſeruanda, confundi: quia per hoc non minùs in ſanctarum traditionum delinquitur ſanctiones, quàm in iniuriam ipſius Domini proſilitur.* Et in Concilio Romano idem Hilarius an. 467. *Nulli fas ſit ſine ſui ſtatus periculo, vel diuinas conſtitutiones, vel Apoſtolicæ Sedis decreta temerare; quia nos, qui potiſſimi Sacerdotis adminiſtramus officia, talium tranſgreſſionum culpa reſpiciet, ſi in cauſis Dei deſides fuerimus inuenti: quia meminimus qualiter comminetur Dominus negligentiæ Sacerdotum; ſi quidem reatu maiore delinquit, qui potiori honore fruitur; & grauiora facit vitia peccatorum, ſublimitas dignitatum.* Itaque fatentur Romani Pontifices ſe reos eſſe violatarum regularum paternarum, ſi vel eiuſmodi violationes permittant, vel illis annuant. Audi Gelaſium *Epiſt. ad Epiſcopos Lucaniæ, cap.* 11. *Cùm nobis contra ſalutarium reuerentiam regularum cupiamus tenere nihil licere, & cum Sedes Apoſtolica ſuperior his omnibus fauente Domino, quæ paternis ſunt Canonibus præfixa, pio deuotóque ſtudeat tenere propoſito, ſatis indignum eſt quemquam vel Pontificum, vel Ordinum ſubſequentium hanc obſeruantiam refutare, quam B. Petri ſedem, & ſequi videat, & docere, ſatiſque conueniens ſit vt totum corpus Eccleſiæ in hac ſibimet obſeruatione concordet, quam illic vigere conſpiciat, vbi Dominus totius Eccleſiæ poſuit principatum.* Hanc verò curam obſeruantiæ Canonum primæ Sedi præcipuè incumbere aſſerit idem Gelaſius *ad Epiſcopos Dardaniæ: Confidimus quod nullus iam veraciter Chriſtianus ignoret vniuſcuiuſque Synodi conſtitutum, quod vniuerſalis Eccleſiæ probat aſſenſus, nullam magis exequi ſedem præ cæteris oportere quàm primam, quæ vnamquamque* 3

Synodum

Synodum, & ſua auctoritate confirmat, & continuata moderatione cuſtodit: quæ ratio optima eſt: peccaret enim contra ſeipſam prima Sedes, quæ à ſe confirmata, & probata ſine cauſa laxaret.

4 Neque Synodorum dumtaxat decreta, ſed ſuorum deceſſorum quoque ſtatuta ſeuerè ſeruarunt, eorumque fuere vindices. Simmach. ſcribens ad Æterium Arelatenſem anno 500. *Dum ad Trinitatis inſtar cui eſt vna atque indiuiſa poteſtas vnum ſit per diuerſos antiſtites Sacerdotium, quomodo priorum ſtatuta à ſequentibus conuenit violari. Huc accedit, quod ſi hæc euenerat ſententiarum varietas, ad ipſam ſacroſanctam credimus religionem pertinere, cuius omnis poteſtas infringitur, niſi vniuerſa, quæ à Domini Sacerdotibus ſemel ſtatuuntur perpetua ſint; quod aliàs contingere poterit, ſi ſucceſſor Deceſſoris actibus non tribuerit firmitatem, & roborando quæ geſta ſunt, faciat rata quæ geſſerit. Quanta enim Vicariis B. Petri iudicabitur reuerentia, ſi quæ in in Sacerdotio præcipiant, eiſdem tranſeuntibus diſſoluantur.* Gregor. *lib. 5. ep. 12.* & refertur *25. q. 1. c. Iuſtitiæ, ac rationis ordo ſuadet, vt qui ſua à ſucceſſoribus deſiderant mandata ſeruari, deceſſoris ſui proculdubio voluntatem, & ſtatuta cuſtodiant.* Et *Epiſt. ad Natalem Salonitanum lib. 2. ep. 37. Quæ dicitis noſtris temporibus debere ſeruari, quæ à meis prædeceſſoribus tradita atque cuſtodita ſunt, abſit hoc à me vt ſtatuta maiorum conſacerdotibus meis in qualibet Eccleſia infringam: quia mihi iniuriam facio, ſi fratrum iura perturbo.* Leonis IV. verba refert Gratian. *25. q. 1. cap. ideo permittente Domino Paſtores hominum ſumus effecti, vt quod Patres noſtri, ſiue in ſanctis Canonibus, ſiue in mundanis affixere legibus, excedere minimè debeamus: contra eorum quippe ſaluberrima agimus, ſi quod diuino ipſi ſtatuerunt conſulto intactum non conſeruamus.* Quæ eadem adducit quoque Iuo *4. par. cap. 186.* atque hæc ſufficiant vt oſtendatur, quàm exquiſiti ſummi Pontifices fuerint in tuendis ſacris Conciliorum Canonibus, & deceſſorum ſuorum conſtitutionibus, & quàm difficilè adduci potuerint, vt illa vel relaxarent, vel reſcinderent, aut etiam innouarent.

5 Qua eadem prorsùs ratione ſe geſſerunt aduersùs antiquas priuatarum Eccleſiarum conſuetudines, quas inuiolatas eſſe voluerunt, quaſque ipſa etiam Concilia in iudicandis controuerſiis conſuluerunt. Quare cùm Anaſtaſius Nicænus Epiſcopus contenderet Eccleſiam Baſilinopoleos ſibi eſſe ſubiectam, iudices cognitores in Concilio Chalcedonenſi *Actione 13.* petierunt ab ipſo vt probaret, vel ſecundùm Canones, vel ex aliqua conſuetudine κατὰ τοὺς κανόνας ἢ ἐκ συνηθείας τινός. Ratio perſpicua eſt: cùm enim antiqua conſuetudo lex quædam ſit, & eodem modo obliget, vti libro proximè ſuperiori demonſtrauimus, & vbi nihil ſcriptura definit, mos populi & inſtituta maiorum pro lege tenenda ſint, vt ait Auguſtinus *Epiſtol. ad Caſulanum*; alioquin ſi de his diſputare valuerimus, & ex aliorum conſuetudine alios improbare, orietur *interminata luctatio*, vti ait idem Auguſtin. eiuſdem profectò erit antiquas conſuetudines tueri, & ſeruare, cuius eſt leges ipſas obſeruare, & neque has, neque illas laxare, aut abrogare debebit: quare Fauſtinus Romanæ Eccleſiæ legatus in Concilio Africano ſic præfatur: *Quia & aliqua ordine & Canone tenentur, aliqua conſuetudine firmata ſunt,* & Photius *in Nomocanone, tit. 1. cap. 3.* ait perindè ſeruari conſuetudinem, ac legem, ſiue ius non ſcriptum, atque ſcriptum περὶ τοῦ φυλάττεσθαι τὸ ἄγραφον ἐκκλησιαστικὸν ἔθος ὡς νόμον. Ipſumque Nicænum *cap. 6.* edixit antiquos mores τὰ ἀρχαῖα ἔθη, vim ſuam obtinere, quod etiam Epheſina Synodus *cap. 7.* definit, dum vult omnibus prouinciis ſua iura intemerata ſeruari: quare ea Romani Pontifices, modo nihil fidei contrarium contineant, aut admodum inſolens, confirmarunt, & obſeruati voluerunt. Gregor. *lib. 2. epiſt. 75.* petitioni à Numidia factæ Pelagio deceſſori ſuo reſpondens, & *lib. 2. Epiſt. 39. ad Dominicum Epiſcopum Carthaginenſem*, eam regulam conſequitur, & Theophilactus Bulgariæ Archiepiſcopus rogatus, an liberum ipſis eſſet ſequi communionẽ Eccleſiæ Occidentalis propter diuerſitatem rituum, reſpondet *epiſt. ad Nicolaum Diaconum & Caſtonſium. Non omnis conſuetudo ad diſſociandos Eccleſias valet, ſed quæ dogmatis differentiam inducit.* Ita refert Demetrius Chomathenus *lib. 5. Iuris Græco-Romani.* Vide & Leonem IX. *Epiſt. ad Michaëlem Epiſcopum Conſtantinopolitanum, & Leonem Accidanum,* quod idem prius ſcripſerat Fulbertus Carnotenſis, *epiſt. 2. ad Finardum*, his verbis: *Nec tamen nos offendit obſeruantiæ diuerſitas, vbi fidei non ſcinditur vnitas; porrò in multis Græca ab Hiſpania, ab illis Romana, & Gallica diſcrepat Eccleſia, ſed neque in hoc ſcandaliſamur, ſi audimus diuerſam obſeruationem, ſed non diuerſam fidem ſemper in Eccleſiis extitiſſe, ſtat enim Regina Eccleſia à dextris Regis ſui in veſtitu deaurato, circumdata varietate:* quare ſapienter dixit Socrates *lib. 5. cap. 22.* Græco: καὶ γὰρ οἱ τῆς αὐτῆς πίστεως διαφώνοι περὶ τὰ ἔθη πρὸς ἑαυτούς, qui in eadem fide conſentiunt, iidem inter ſe ceremoniis & ritibus diſcrepant: quare iure merito ipſi Pontifices eas conſuetudines quæ nihil fidei officerent, inuiolatas eſſe voluerunt. Quod apertè Gregorius *in epiſtola ad Auguſtinum*, quem in Angliam deſtinabat, teſtatur, cum ipſi facultatem facit quod in Romana, ſiue Gallicana, ſiue qualibet alia Eccleſia, placeret eligendi, & Alexander III. *in Concilio Lateran. cap. 2.* in appendice de frigidis probat Gallicanam conſuetudinem diſſoluendi matrimonij propter maleficia, licèt Romanæ Eccleſiæ contrariam. Ex hac porrò legum Eccleſiaſticarum, Canonum, & probatarum conſuetudinum obſeruantia, pax & tranquillitas Eccleſiæ coaleſcit: quare mirum videri non debet, ſi in iis retinendis vindices ſeſe exhibuerunt ſummi Pontifices: quare Leo I. *Epiſt. ad Maximum Antiochenum: Vniuerſa pacis tranquillitas non aliter poterit cuſtodiri, niſi ſua Canonibus reuerentia intemerata ſeruetur*; & Symmach. ad Epiſcopos Galliæ ſcribens: *Sedis Apoſtolicæ inſtituta prædicanda ſollicitant: vt de concordia vniuerſalis Eccleſiæ, quæ toto orbe diffuſa eſt, peruigili cura tractemus, quæ tunc præcipuè adoleſcit, ſi ea quæ à patribus ſtatuta ſunt, ætas ſubſequens reuerenter obſeruet.* Eaque de cauſa Honorius III. prohibet capitulo Pariſienſi, vel Papienſi, ne Eccleſiæ ſuæ conſtitutiones, vel conſuetudines approbatas immutent, aut nouas inducant: quia plerumque diſcordiam pariunt nouitates, *cap. cum conſuetudin. de conſuetudine*, & Cœleſt. III. de impedimento cognationis diſputans, ait: *In hac parte conſultius duximus multitudini, & obſeruatæ conſuetudini deferendum, quam aliud in defenſionem, & ſcandalum populi ſtatuendum, quadam adhibita nouitate.*

Quæ omnia retuliſſe voluimus vt conſtaret, quàm difficiles ſe exhibuerint Pontifices in laxando iure Eccleſiaſtico ſiue ſcripto, ſiue non ſcripto, & motibus dumtaxat ac conſuetudine inducto, ne quis exiſtimet ſibi eiuſmodi veniam faciendi contra eiuſmodi debere concedi, dum illam petit: quia tamen ius illud poſitum eſt, & ex ſua natura mutabile, ea quandoque rationum & temporum momenta occurrunt, quæ quidpiam mutari aut laxari poſtulant: fit 6

verò hæc remiſſio , vel venia infracti iam Canonis, vel infringendi , & velut in anteceſſum vtrumque aliquando præſtitum eſſe, non fuerit operoſum oſtendere.

6 Obſerua enim ex Iuone Carnotenſi *in prologo ſui decreti* , præceptiones & prohibitiones, quæ Canonibus continentur, alias eſſe mobiles , aliàs immobiles. Iſtæ ſunt quas lex æterna ſanxit : quæ obſeruatæ ſalutem conferunt : non obſeruatæ eandem auferunt , priores verò quas lex æterna non ſanxit, ſed poſteriorum diligentia ratione vtilitatis inuenit: non ad ſalutem principaliter obtinendam, ſed ad eam tutius muniendam , harum omnium præceptionum , & prohibitionum exempla ſubiicit. Iuo, addit deinde: *In his igitur in quibus obſeruatis ſalus acquiritur , vel in quibus neglectis mors indubitata conſequitur , nulla eſt admittenda diſpenſatio , ſed ita ſunt omnia mandata , vel interdicta ſeruanda , ſicut ſunt æterna lege ſancita. In his verò quæ propter rigorem diſciplinæ , vel muniendam ſalutem, ſuperiorum ſanxit diligentia ; ſi honeſta vel vtilis ſequatur compenſatio, poteſt præcedere ex authoritate præſidentiam diligenter deliberata diſpenſatio. Igitur non modo ex quadam venia laxatur rigor violati Canonis* , nimirùm remiſſa vel imminuta pœna , quæ propter culpam commiſſam in violatione Canonis ſubeunda erat , ſed etiam poteſt præcedere eam violationem Canonis diſpenſatio , vt ait Iuo,& fieri venia in anteceſſum infringendi Canonis. Vtriuſque huiuſmodi diſpenſationis exempla plurima ſuggerit Iuo , & paſſim occurrunt. Notandum imprimis eſt illud Auguſtini *ad Bonifac. ep.* 50. & refertur ex parte *cap. vt conſtitueretur* , *diſt.* 50. reddit rationem Auguſtinus propter quam Donatiſtæ ad Eccleſiam redeuntes permitterentur Clerici, imò, & Epiſcopi permanere , peractâ pœnitentia : cùm ex antiquo ritu eiuſmodi pœnitentes, neque Clericatum accipere , neque in eo permanere permitterentur : obiiciebant ergo Donatiſtæ *: Si ergo oportet vt nos extra Eccleſiam , & aduerſus Eccleſiam fuiſſe pœniteat, quomodo poſt iſtam pœnitentiam apud vos Clerici , vel etiam Epiſcopi permanemus?* Reſpondet Auguſtinus: *Hoc non fieret, quoniam reuerà , quòd fatendum eſt, fieri non deberet , niſi pacis ipſius compenſatione ſanarentur , ſed ſibi hoc dicant , & multò maximè humiliter doleant , qui in tanta morte præciſionis iacent , in iſto quodam vulnere matris catholicæ reuiuiſcant : cùm enim præciſus ramus inſeritur , fit aliud vulnus in arbore , quo poſſit recipi , vt viuat , qui ſine vita radicis peribit , ſed cum receptus recipienti coaluerit , & vigor conſequeter , & fructus : ſi autem non coaluerit , ille quidem areſcit , ſed vita arboris permanebit : eſt enim & tale inſerendi genus vt nullo præciſo ramo qui intus eſt , ille qui foris eſt, inſeratur , non tamen nullo , ſed vel leuiſſimo arboris vulnere. Ita ergo & iſti cum ad radicem Catholicam veniunt , nec eis quamuis poſt erroris ſui pœnitentiam honor Clericatus, aut Epiſcopatus aufertur , fit quidem aliquid tanquam in cortice arboris matris , contra integritatem ſeueritatis : verumtamen quia neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat ad Dei miſericordiam precibus fuſis coaleſcet , interciſorum pace membrorum charitas cooperiet multitudinem peccatorum. Vt enim conſtitueretur in Eccleſia ne quiſquam poſt alicuius criminis pœnitentiam , Clericatum accipiat , vel ad Clericatum redeat, vel in Clericatu maneat , non deſperatione indulgentiæ,ſed rigore factum eſt diſciplinæ. Alioquin contra claues datas Eccleſiæ diſputabitur , de quibus dictum eſt : Quæ ſolueritis in terra , ſoluta erunt in cælo , ſed ne forſitan etiam de cæteris criminibus ſpe honoris Eccleſiaſtici animus intumeſcens ſuperbè ageret pœnitentiam , ſeueriſſime placuit vt poſt actam de crimine damnabili pœnitentiam , nemo ſit clericus , vt deſperatione temporalis altitudinis medicina maior , & verior eſſe humilitatis*, &c. *Sed non ideo ſuperuacua putanda eſt poſteriorum diligentia , qui vbi ſaluti nihil detrahebatur , humilitati aliquid addiderunt , quo ſalus tutiùs muniretur. Experti credo aliquorum fictas pœnitentias , per affectatas honorum potentias : cogunt enim multas inuenire medicinas , multorum experimenta morborum ; verùm in huiuſmodi cauſis , vbi per graues diſſenſionum ſciſſuras , non eius aut illius hominis eſt periculum, ſed populorum ſtrages iacent , detrahendum eſt aliquid ſeueritati , vt maioribus malis ſanandis charitas ſincera ſubueniat, &c.* Vide reliqua in eandem ſententiam , eodem loco ; plura alia ex eodem Auguſtin. refert Iuo , maximè ex *lib.* 2. *&* 3. *contra Epiſtolam Parmeniani* , vbi de ſeueritate , & charitate adhibenda diſputat : ſufficiat Leo *Epiſt.* 52. *ad Ruſticum Narbon. initio : Quia ſicut quædam ſunt quæ nullâ poſſunt ratione conuelli , ita multa ſunt , quæ aut pro conſideratione ætatum , aut pro neceſſitate rerum oporteat temperari , illa ſemper conditione ſeruatâ , vt in his quæ vel dubia fuerint , vel obſcura , id nouerimus ſequendum , nec præceptis Euangelicis , nec decretis ſanctorum Patrum inueniatur aduerſum.* Vide & Innocentij I. *Epiſt.* 22. *ad Epiſcopos Macedoniæ* , vbi de variis Romanæ , & aliarum Eccleſiarum ritibus & iure in recipiendis in Clerum hæreticis , & ordinandis , aliáque adiicit ex ipſis etiam Patribus & Pontificibus Iuo *in eo prologo* , quem videas , méque illo exſcribendi labore leues. Conſtat enim ex iis aliíſque paſſim tum laïcis , tum Clericis pœnas , quæ à Canonibus violatis imponebantur indultas fuiſſe miſeratione quadam , & pacis intuitu , quam οἰκονομίαν vocabant. Sic intelligo titulum quem ſuo tractatui Eulogius Alexandrinus appoſuit , *Eulogij Alexandrini aduersùs Nouatum & de œconomia ſeu diſpenſatione libri quinque.* Innocent. I. *in decret. capite vigeſimoſecundo* , vocat miſericordiam inclinationem. *Obſeruatio prior durior , poſterior interueniente miſericordia inclinatior eſt : nam conſuetudo prior tenuit vt concederetur eis pœnitentia, ſed communio negaretur : pace autem Eccleſiæ reddita tribuitur cum pœnitentia extrema communio , ne Nouatiani hæretici negantis veniam , aſperitatem , & duritiam Eccleſia imitari videretur.* Nicæna Synodus *Can.* 12. permittit Epiſcopo in aliquot pœnitentiæ gradibus diſpenſare , & aliquid humaniùs cogitare φιλανθρωπότερόν τι περὶ αὐτῶν βουλεύσασθαι , quod idem dixit Ancyrana Synodus *Can.* 5. explicatis pœnitentiæ gradibus, poteſtatem facit Epiſcopis inſpecto conuerſationis modo, vel humaniùs cum illis agere , vel tempus illud producere , examinatâ pœnitentis vitâ τοὺς δὲ ἐπισκόπους ἐξουσίαν ἔχειν τὸν τρόπον τῆς ἐπιστροφῆς δοκιμάσαντας φιλανθρωπεύεσθαι ἢ πλείονα προστιθέναι χρόνον πρὸ πάντων δὲ καὶ ὁ προάγων βίος, καὶ ὁ μετὰ ταῦτα ἐξεταζέσθω, καὶ οὕτως ἡ φιλανθρωπία ἐπιμετρείσθω. Itaque proſtant paſſim exempla imminutæ , vel etiam omninò remiſſæ pœnæ , propter violatos Canones indictæ concordiæ,& pacis maximè causâ , & propter periculum ſchiſmatis, vti leges apud Innoc. I. *Epiſt. ad Epiſcopos Synodi Toletanæ cap.* 2. *&* 4. anno 406.

Maior fuit difficultas in venia & diſpenſatione , vt 7
aliqui loquũtur in anteceſſũ. vt fieret venia frangendi Canonem aliquem, vt laïcus v.g. nondum Clericus, aut bigamus ordinaretur : ſapienter enim Cœleſtin. apud Gratian. *cap. Nulli. diſt.* 38. & ſumitur ex *eius decretis cap.* 20. *Quæ enim à nobis res dignè ſeruabitur , ſi*

decretalium

decretalium norma conſtitutorum pro aliquorum libitu, licentia populis permiſſa, frangatur: & illa indulgentia, atque laxatio pœnæ reis pœnitentibus facta, non niſi ad vnitatis, & pacis compenſationem quandam fiebat. Quare cùm cautum eſſet ne hæretici pœnitentes locum, & ſtatum ſuum in Eccleſia retinerent, Concilium Carthaginenſe vt id Donatiſtis indulgeretur, Sedem Apoſtolicam, aliosque Epiſcopos monuit id ob ſummam vtilitatem & Eccleſiæ pacem concedendum videri: *Placuit vt litteræ mittantur ad fratres, & Coepiſcopos noſtros, & maximè ad Sedem Apoſtolicam, in qua præſidet memoratus venerabilis frater & collega noſter Anaſtaſius, nouerit habere Africam magnam neceſſitatem, propter Eccleſiæ pacem, & vtilitatem, vt & ipſi Donatiſtæ quicumque clerici correcto conſilio ad Catholicam vnitatem tranſire voluerint, in ſuis honoribus ſuſcipiantur.* Atque huius diſpenſationis & compenſationis publicæ vtilitatis & pacis causâ plura exempla refert Iuo *in Prologo*, quæ accuratiùs expendit, & explicat Marca *lib. 3. de concord. cap. 12. à n. 8.* vbi etiam quærit, an eiuſmodi œconomia aliquando in cauſis fidei adhiberi queat ex Nazianzeno, & verba aliqua diſſimulanda ſint, in his enim modò non hæreo. Moneo dumtaxat opportunè, vt opinor, ex Symmacho *Ep. ad Auitum Viennenſem*, quam refert dominus Lucas Dapcherius *tom. 5. Spicilegij. Quod fit præter regulam, modò ſit ex iuſta cauſa, non infringit regulam, quam ſola pertinacia, & antiquitatis contemptus lædit. Nam quamvis à Patribus ſtatuta diligenti obſeruatione, & obſeruanti diligentiâ ſint cuſtodienda; nihilominus propter aliquod bonum de rigore legis aliquid relaxatur, quod & ipſa lex cauiſſet, ſi præuidiſſet, & ſæpè crudele eſſet inſiſtere legi, cùm obſeruantia eius eſſe præiudicabilis videtur Eccleſiæ.* Innocentius verò II. *Epiſtola ad Hugonem Rothomagenſem*, quam habet idem Dapcherius *tom. 4. Spicilegij*, cùm ille inuito Henrico II. Angliæ Rege, & Duce Mortmanniæ fidei & obedientiæ profeſſionem ab Abbatibus Mortmanniæ exigeret, contra veterem quidem illius Prouinciæ conſuetudinem, conſentaneè tamen Canonibus antiquioribus, qui Abbates ſub poteſtate Epiſcopi collocant, quos hac in parte innouarat Concilium Remenſe, paulò antè celebratum, ſic tamen ſcribit illi Archiepiſcopo Innocent. *Quod profectò quamvis iuſtum fuerit, & à nobis in Concilio Remenſi mandatum pro eius charitate rigore iuſtitiæ aliquando condeſcendere debemus, & pro tempore ipſius, nempè regis, voluntati aſſenſum præbere.* Simile quid habet Hildebertus Cœnomanenſis *Ep.* ab eodem ibid. relata: *Multa ex loco ex tempore: multa ex perſonis differentia ſunt. Rector Eccleſiæ nunquam aut diſſimulabit, aut faciet quæ accuſat, cùm viderit malum ſchiſmatis imminere, Canonum ſcita mutabit. Debet ceſſare cenſura, cùm diſſoluitur vnitas, charitas læditur, pax vacillat.*

8 Anatolius ordinatus Conſtantinopolitanus Epiſcopus in Epheſina Synodo, quæ dicta eſt latrocinium, ac proinde à Leone reiectus, deinde tamen rogante Marciano Principe ab Eodem ſuſceptus eſt, ſicut & Maximus Antiochenus, qui in locum Dominij à Dioſcoro damnati ſuffectus erat ab Anatolio & ordinatus perperàm fuerat: indulſit tamen Leo, vt ipſe ait: *Neque*, inquit, *æſtimes ſibi licuiſſe quod Antiochenæ Eccleſiæ ſine vllo exemplo contra ſtatuta Canonum Epiſcopum ordinare præſumpſit, quod nos amore reparandæ fidei, & pacis ſtudio retractare ceſſauimus.*

Plurima alia adducit Iuo *in prologo*, & Marca *lib. 3. cap. 14. & ſeq.* quem conſule: videbis enim ſæpiùs in iure Canonico diſpenſatum fuiſſe.

CAPVT VII.

De priuilegiis.

QVÆSTIO I. *Summaria doctrina de priuilegiis.*

QVÆSTIO II. *Definitio priuilegij.*

QVÆSTIO III. *De poteſtate concedendi priuilegium.*

QVÆSTIO IV. *Ad quas perſonas extenditur, ſiue quomodo ſit interpretandum priuilegium.*

QVÆSTIO V. *De vſu priuilegij.*

QVÆSTIO VI. *Diuiſio priuilegij.*

QVÆSTIO VII. *De variis priuilegiorum clauſulis.*

QVÆSTIO VIII. *Variæ priuilegiorum formulæ.*

QVÆSTIO IX. *Notitia priuilegij.*

QVÆSTIO X. *Quando deſinat priuilegium.*

PRIVILEGIVM eſt conceſſio ſtabilis & permanens alicuius ſpecialis licentiæ circa ius commune, ratione rei, vel perſonæ ab eo ſolo, qui legem, aut ius commune condere poteſt facta ſubdito, aut alia ratione inferiori, vel conſuetudine parta; quando autem non derogat iuri communi, aut priuato alterius ſed eſt purus fauor & beneficium, amplè interpretanda eſt. Eâ vti poteſt priuilegiatus extra territorium concedentis circa actus aut tantùm indifferentes, aut ſolo iure communi prohibitos, non autem ſpeciali iure alieni territorij, in quo tunc verſatur, vetitos. 1

QVÆSTIO I.

Summaria doctrina de priuilegiis.

FOrmula huius conceſſionis ordinariè ſcripta eſt, nec ſemper eadem, ſed diuerſa: aliquando enim datur abſolutè, aliquando reſpectiuè ad inſtar alterius priuilegij, cum quo ferè coincidit illud quod per communicationem confertur, aliàs conditionatum eſt, quod non valet niſi impletâ conditione. Aliquando primò conceditur, aliquando confirmatur, aut innouatur. Penſandæ autem ſunt ſingulæ reſcripti formulæ, maximè tres. Prima quæ dicitur ex *motu proprio*: ſecunda quæ *ex certa ſcientia, & plenitudine poteſtatis*, quæ in confirmatione poſitâ confert nouum valorem, & vim habet nouæ conceſſionis, niſi per addita reſtringatur, ſupplet defectus in prioribus conceſſionibus commiſſos non tamen ſubreptionem. Tertia clauſula eſt derogatiua, quæ dicitur *non obſtantibus*: non enim derogatur iuri communi niſi in litteris exprimatur, aut aliàs inutile fiat totum priuilegium, quâ etiam inutilitate poſitâ ſi eius, cui nocet fortificatum eſt clauſula derogatoria, illius certa mentio facienda eſt. 1

Nullum effectum regulariter habet in priuilegiato ante aliquam eius notitiã, aut acceptationem, in aliis autẽ nunquã ſine ſufficienti notitia, quæ tamẽ non debet eſſe promulgatio, niſi quãdo per legẽ communem 2

ſertur: cauſam iuſtam requirit vt licitè, non autem vt validè concedatur. Rigoroſum etiam iuri communi derogans, & habens tractum ſucceſſiuum ceſſat ceſſante cauſâ totali finali eius, ſecùs quando vel gratuitum eſt, etſi rigoroſum ſit.

3 Non expirat morte concedentis re integrâ, hoc eſt ſi nullus adhuc fuerit eius vſus, niſi addat concedens, *vſque ad beneplacitum meum*, aut alio modo limitet.

4 Renunciatio priuilegiati & reuocatio concedentis priuilegium etiam illud annullant. Ad renunciationem expreſſam requiritur formalis voluntas abdicandi ſe poteſtate vtendi priuilegio, quæ exteriùs prodatur, & à concedente aliqualiter acceptetur. Tacita reuocatio dicitur fieri per non-vſum, vel vſum contrarium, & abuſum. Non-vſus tollit ſola priuilegia affirmatiua, & aliis oneroſa per modum præſcriptionis potiùs quàm renunciationis; quod etiam conuenit contrario vſui circa negatiua, quare niſi priuilegium conſiſtat in actu indiuiſibili, neceſſarij, ſunt plures actus contrarij, vt præſcriptio per totum tempus neceſſarium continuetur, & non interrumpatur: abvſus fit per exceſſum dumtaxat, & aliquando totum priuilegium tollit aliàs ex parte, aliàs ſimpliciter, aliàs ſecundùm quid. Reuocatio cadit in ſola priuilegia conceſſa ſubdito, modò oneroſa non ſint luctatiua & per modum contractus aut dominium alicuius rei, ſi gratuito non conferant; ſed tantùm facultatem aliquid agendi, aut non agendi tribuant, ſufficitque clauſula generalis reuocatoria, niſi in iure contineantur, aut habeant ratione contractus: debet autem innoteſcere reuocatio priuilegiato, vt ſortiatur effectum.

Hæc aſſertio, quâ totam doctrinam de priuilegiis complector, tres partes præcipuas habet. Prima eius naturam, definitionem, & diuiſionem exponit. Secunda continet ea, quæ pertinent ad eius valorem qui præcipuè ex variis formulis concedendi eſt inueſtigandus. Tertia, quandiu duret, & quomodo deſinat explicat.

QVÆSTIO II.

Definitio priuilegij exponitur.

Quid ſit priuilegium, n. 1.
An ſit lex, n. 2.
An obliget priuilegiatum, n. 3.
Cur dicatur conceſſio, n. 4.
Cur dicatur ſtabilis, n. 5.
Cur circa ius commune, n. 6.
Materia priuilegij, n. 7.

1 QVod attinet ad primam partem, definiui priuilegium conceſſionem quandam ſpecialem circa ius commune, vbi nomine conceſſionis loco generis potiùs vſus ſum, quàm nomine legis priuatæ, quod tamen frequentiùs vſurpatur; quia licèt quatenùs quandam perpetuitatem habet, & non ſolùm eum cui conceditur reſpicit, ſed alios etiam obligat, vt ſeruent ius ſuum priuilegiato, aut eo vti eum patiantur, alioquin tota ea conceſſio inutilis, & inefficax eſſet, lex dicatur, id tamen non contingit in omni priuilegio, nam ſæpè eſt licentia & facultas agendi, aut omittendi aliquid, quod nefas erat ſine vlla tertij interuentione, v. g. priuilegium abſoluendi à caſibus reſeruatis, diſpenſandi in aliquo impedimento occulto matrimonij aut voto, ſuſcipiendi ordines ſacros, non recitandi officium, non ieiunandi: ſi quis tamen propter frequentem eam obligationem, quæ in communitate aliqua naſcitur, vt ea omnia ferant vſum priuilegij conceſſi alteri legem priuatam appellandum eſſe contendat, non contendam pertinaciùs.

Aduerto dumtaxat hanc obligationem cadere etiam in æquè priuilegiatum, quando æquiparatio eſt tantù 2
in ſimilitudine & paritate, non autem in oppoſitione mutua, & reſpectiua, in ordine ad vſum eiuſdem priuilegij, v.g. ſi quis habeat facultatem & gratiam exigendi decimas, & alter non ſoluendi: in priori enim caſu poteſt priuilegiatus gaudere, & vti ſuo priuilegio contra ſimiliter priuilegiatum, non in poſteriori, v.g. duo nobiles propter æs alienum non poſſunt incarcerari, vnus qui eſt in alterius ære, ab eo incarcerari non poterit. Duo habeant priuilegium non ſoluendi decimas, & vnus eorum ius etiam exigendi, alter vtetur ſuo priuilegio contra eum; nam non tenebitur ſoluere, neque ille etiã exigere. Duo Clerici gaudent eodem priuilegio, & vnus obligatur quia hæc ſimilitudo priuilegiorum eſt per accidens ad vſum priuilegiorum vt ſimilitudo potentiæ viſiuæ, & æqualitas ad videndum non obſtant quominùs ſe mutuò videant qui ſimili potentia ſunt prædìti. Neque pugnant hæc priuilegia, vt apparet: quia in his vnum vſum alterius non impedit. Ita Roderic. *tom. 1. q. 4. Regul. q. 9.* & 12. & Suar. *lib. 8. de legib. cap. 23.* qui addit *n. 4.* id etiam valere in priuilegiis conceſſis ad inſtar, aut per communicationem, ita vt qui communicat tantum priuilegium alteri primo datum, poſſit contra eum vti, quia cum in eo inter priuilegia ſit ſolùm æqualitas, quam libero vſui non officere diximus, nihil eſt vnde propterea impediatur: antiquitas enim non eximit priorem priuilegiatum, ne alteri priuilegium illi communicatum ſeruare teneatur. In poſteriori autem caſu de oppoſitione reſpectiua inter priuilegia vnus priuilegiatus non obligatur alteri ſeruare ſuum priuilegium, neque ab eo ad id cogi poteſt, v. g. qui ex priuilegio non tenetur ſoluere decimas, cogi non poteſt ab eo, qui decimas exigit, quia hæc priuilegia in ſuis obiectis implicant contradictionem: quare vnum alterum deſtruit, aut ei derogat, atque ita tunc obſeruandum eſt an ex priuilegiis ita inuicem oppoſitis vnum alteri, ob quandam maiorem efficacitatem, ita deroget, vt ab eo viliſſimum non lædatur, v. g. ſi vnum ſit generale & alterum ſpeciale, hoc eſt priori præualet, ſi vtrumque generale ſit, neque illam clauſulam derogatoriam contineant, videndum an pari poteſtate procedant, an eadem antiquitate, eademque veritate conſtent. Vulgare itaque axioma priuilegiatum non gaudere priuilegio contra pariter priuilegiatum, verum eſt quando vnum priuilegium alteri derogat.

Præter hanc obligationem, quæ cadit in alios à 3
priuilegiato, alia etiam eſt quæ ipſum priuilegiatum ſuo priuilegio vti aliquando cogit, quoties v. g. illi renunciare nequit: ſi enim occurrat occaſio, in qua aut vtendum priuilegio ſit, aut illi cedendum, tenetur eo vti, alioqui peccabit, quia renuntiat iuri quod ſeruare tenetur. Demùm quando actus fit licitus per priuilegium, cùm antea non eſſet, poterit ratione alterius legis ad eum actum iam licitum obligari, ac proinde ſuo vti priuilegio, v. g. tempore interdicti qui poteſt ex priuilegio audire ſacrum, tenetur ad id die feſto. Qui voto caſtitatis obligatus debitum coniugi petenti licitè reddit, ſi coniux petens adulteretur, non poteſt tamen alteri licitè non reddere ex priuilegio ſuæ innocentiæ, ſed etiam tenebitur non reddere, quia poſito illo priuilegio & innocentiæ fauore, fit licita voti obſeruatio, ac proinde iam votum obligat, vt tradit Sanch. *d. 9. numero* 14. & 15.

lib. 9.

lib. 9. de matr. extra hos caſus non obligatur priuilegiatus vti ſuo priuilegio, quod alioqui non eſſet fauor, ſed onus, ſi cogeret inuitum priuilegiatum: liberum enim eſt vnicuique iuri ſuo renuntiare, vt dicitur *c. ſi de terra, de priuilegiis, & priuilegiatis.* Cùm itaque priuilegium ipſum priuilegiatum immediatè & primò reſpiciat & reſpectu eius nullam, formaliter loquendo, obligationem inducat: nam in caſibus allatis obligatio oritur aliunde quàm à priuilegio formaliter ſumpto, & vt proprium eſt, v.g. quia priuilegium illud eſt primò communitatis, cui proinde ſinguli renuntiare non poſſunt, & eo vti coguntur propter bonum communitatis, & ex lege quadam tacita vel expreſſa ipſius communitatis ſingula membra obligantis, & in poſteriori caſu obligatio naſcitur ex lege naturali aut diuina, vel Eccleſiaſtica, quæ actum iam factum aliunde licitum vi ſequentis priuilegij imperat. Non placuit igitur vti nomine legis in definitione ſed potius conceſſionis.

4 Qua voce intelligo fauorem aliquem: ſi enim onus alicui imponeretur, conceſſio non diceretur, neque etiam priuilegium: ſed aut pœna, aut tributum, aut odium. Hoc tamen ita intelligendum eſt, vt priuilegium ſit ſemper fauor & beneficium illius, cui conceditur; lex autem aliquando alteri officiat: vnum eſt odioſum, aut rigoroſum appellatur, vt diſtinguatur ab eo, quod ita eſt fauor priuilegiati, vt tamen nulli alteri noceat, dicitúrque purus fauor. Ita priuilegia ad lites dicuntur odioſa, quia fauor conceſſus actori premit reum, aut minuit iudicis poteſtatem.

5 Appellaui hanc conceſſionem ſtabilem, & permanentem, vt priuilegium à diſpenſatione diſtinguerem, quæ, vt ait Suar. *lib. 8. de legib. c. 2. n.* 10. non conſtituit ius permanens, & ſe habet ad priuilegium, vti præceptum temporale ad legem, vt in exemptis apparet, diſpenſatus v.g. in irregularitate ſuſcepit ordines, & plura alia eiuſmodi licitè operatur, quæ ſtante eo defectu non poterat, ſed non propterea agit ex iure quodam priuato per priuilegium parto, ſed ex iure communi, cui per diſpenſationem & ablationem defectus, aut impedimenti Canonici reſtitutus eſt, ſicut nemo diceret abſolutum à cenſura, agere deindè ex priuilegio ea, quæ priùs cenſurâ innodatus licitè non poterat.

6 Altera particula definitionis eſt, circa ius commune, vſus autem ſum particulâ, *circa*, vt omnia priuilegia comprehenderem: nam quædam ſunt contra ius commune, quia illi derogant, v.g. exemptiones Capitulorum ab Epiſcopo: alia ſunt vltra & præter ius commune, multæ v. g. gratiæ Pontificum ordinibus religioſis impertitæ, in quibus nihil planè iuri communi contrarium continetur. Alia verò neque etiam præter ius communes ſunt, cùm nihil videatur ſpeciale ea in parte concedere Pontifex, ſed ſunt peculiares quædam iuris communis declarationes, quibus ea, quæ iam iure cõmuni erant licita, nouâ ratione cõceduntur, & tamen ea vulgò priuilegia cenſentur, vt obſeruat Eman. Roderic. *tom. 1. qq. regular. q. 7. art. 1.* quia, vt ait Suar. *lib. 8. de legib. c. 1. n. 7. & c. 22. n. 3.* quæ addunt maiorem certitudinem iuris, continent peculiarem admonitionem principis, vt in tali cauſa, aut in fauore talis perſonæ ius commune omninò ſeruetur, atque ita maiori auctoritate proceditur, neque tunc ab inferioribus prælatis prohiberi poteſt, reſtituitur v.g. perſona ad ius commune, cui fuerat fortaſſis aliàs interdictum, additur quoque pœna aliqua violationi illius iuris communis, quod totum cedit in fauorem illius cuius causâ ſtatuitur pœna. Denique quamvis non conferatur ius, & poteſtas ad aliquid agendum, omittendum, aut recipiendum, quod per ius commune non licebat, datum tamen idem ius nouo titulo aliquam moralem vtilitatem ſecum adducente, vt iam docui: quando verò priuilegium ſit tantùm declaratio & nouum ius non concedat, penſandum eſt ex materia, & verbis priuilegij: ſi enim tunc concedat illud ipſum quod clarè iam continebatur iure communi, aut ſi ſaltem tunc ipſa verba tum priuilegij, tum iuris idem videantur ferre, ex probabiliſſima opinione, neque ſint quæ potiùs faueant priuilegio, nouus titulus ſolũ confertur, qui ſi inutilis videatur imputare ſibi debet qui petiit: ſi autem verba priuilegij propriè accepta poſſint continere nouum ius, ita ſunt exponenda: quando verò eadem verba non poſſunt conferre nouum ius, ſeu contra, ſeu præter commune, niſi afferant aliquid contra ipſummet ius commune, & poſſunt tamen habere effectum alium, videlicet ſecundum modum dando nouum titulum, non violando ius commune, verius eſt non dare nouum ius: quia priuilegium non derogat iuri communi ſine ſpeciali clauſula derogatoria, niſi fortè materia & verba reſcripti vrgeant mentem principis fuiſſe omninò nouum ius, etiam derogando communi, concedere, quod non ſatis ex inutilitate, alioqui ſecutura fauoris conceſſi colligitur, quia cùm hæc priuilegia non dentur vulgò niſi ad preces petentis, ille ſibi imputare debet, cui non fit iniuria, quando illud ipſum, quod petiit, conceditur.

7 Hæc eadem particula, *ius commune*, aſſignat materiam priuilegij, quæ eſt circa ius humanum; diuinum enim & naturale, ſicut diſpenſationis incapax eſt, ita & priuilegij, quo quis ab eiuſmodi iure eximatur, & quamvis *cap. Duæ ſunt leges* 19. *q.* 2. dicatur lex priuata (quo nomine ſignificant Auctores priuilegiũ) quæ inſtinctu ſancti Spiritus in corde deſcribitur, ea tamen non euehit hominem ad aliquid iure communi diuino ſublimius; neque ab eius obſeruatione, aut violatione eximit, cùm nihil contra præceptum ipſum imperet, aut ſi id etiam aliquando contingat, vt in Samſone, quem diuino inſtinctu ſibi mortem conſciuiſſe, dum ſimul Philiſthæorum proceres obruit, omnes exiſtimant, id non fit per modum priuilegij, & iuris cuiuſdam permanentis, ſed ad vnum dumtaxat & alterum actum, & diligenti examine indiget. Ius itaque humanum eſt materia remota priuilegij concedentis fauorem aliquem, qui vel primò & immediatè reſpiciat bonum alicuius communitatis, vt quando communitati confertur, v.g. Religioni, aut priuatæ tantùm perſonæ: debet autem hic fauor eſſe aliquomodo ſpecialis ius aliquod continens ad agendum, vel non agendum, recipiendum, aut non recipiendum; alioqui omnis fauor, v.g. omnis liberalis donatio eſſet priuilegium. Ratio eſt: quia priuilegium dicit permanentem, & ſtabilem facultatem, ſeu conceſſionem. Alij autem fauores in ſolo facto conſiſtunt, quod eiuſmodi ius, vt vides, non tribuit. Debet denique in eo fauore exiſtere iuſtitia, & honeſtas, tum vt à priuilegiato honeſtè, & licitè vſurpari poſſit, & lex grauamen aliis, quorum iuri derogat, aliquando inferat; illud tamen adeò moderatum ſit, vt rationabiliter ad illud ſuſtinendum obligari alij poſſint.

QVÆSTIO III.

De poteſtate concedendi priuilegium.

Quis poteſt, n. 1.
Quis ſit capax priuilegij, n. 2.
An princeps ſibi concedat, n. 3.
An conſuetudo illud pariat, n. 4.

1 EX quibus ſequitur primò quod addidi, cum ſolùm, qui ius commune condere poteſt, poſſe quoque priuilegium concedere: quia eius eſt tantùm eximere à lege, cuius eſt eam ſtatuere. Neque dicas quemlibet poſſe alteri in propriis bonis conferre priuilegium honoris, aut rei alterius prærogatiuam, v.g. ciuitas aliquem ciuium eximere à tributis, aut aliis oneribus, etſi neque tributa imponere, neque legem ferre valeat. Nam reſpondeo in his caſibus transferri tantum dominium, aut vſum propriæ rei; non autem ius aliquod, quo obligentur alij ad illud ſeruandum, vti priuilegium, quod idcircò poteſtatem iuriſdictionis exigit in concedente: hæc autem allata exempla vel ſunt meræ donationes, vel priuilegia tantum conuentionalia per modum pacti, aut contractus inita, atque hinc facile fuerit videre quinam principes tum Eccleſiaſtici, tum laïci priuilegia concedere, & circa quas leges aut iura poſſint.

2 Sequitur ſecundò ſolum ſubditum aut aliquomodò inferiorem eſſe capacem priuilegij, quia videlicet alioqui obligandus erat lege aut iure communi, à quo per hunc fauorem eximitur, obligatio enim & exemptio ab illa dicit aut ſubiectionem, aut inferioritatem in eo, qui & obligatur, & eximitur ab alio. Quia tamen aliqua priuilegia, vti *ſuprà* notatum eſt, non derogant iuri, fit vt etiam non ſubditis aliquando concedantur, vt ſi Rex Hiſpanis regnum adeuntibus fauorem aliquem & ius, concedat, aut Imperator in ſuis terris Pontifici, & ſanè cum priuilegium neque ad pœnam, neque ad culpam obliget, non requirit vim directiuam aut coactiuam, ac proindè neque vllam iuriſdictionem propriam, quæ his duobus actibus continetur in concedente: ſemper tamen aliquomodò eſt inferior, cui fit ille fauor, nam & Pontifex in terris Imperatoris, aut Regis quoad poteſtatem temporalem inferior eſt, & Hiſpanus ſubditur Gallo dum per Galliam tranſit. Quare neque princeps alteri æquali ſine vlla ratione, aut conſideratione dependentiæ dare poteſt ius ſpeciale per modum legis priuatæ. Suar. *c.9. lib.8. de legib.*

3 Sequitur tertiò principem ſupremum propriè ſibi ipſi non concedere priuilegium: etſi enim aliqua ſibi ſpecialia iura aſſumat, & domni ſuæ v.g. concedat, ſibi quædam reſeruet, v.g. Pontifex collationem alicuius ſpecialis beneficij: quia tunc propriè non dat ſibi nouum ius, neque ſe eximit à lege, cùm eâ non teneatur niſi naturali quadam decentiâ, & honeſtate, redit dumtaxat ad ſuum antiquum aut plenum ius, quod à ſe abalienarat, aut ſuo iure vtitur.

4 Sequitur quartò conſuetudine quoque comparari ius priuilegij; quia conſuetudo & legem abrogat, & legi derogat: vnde communiter Iuriſtæ, conſuetudinem priuilegio æquiparari dicunt; quia videlicet licet per conſuetudinem aliquando, quod liceret per priuilegium expreſsè à ſuperiore conceſſum. Ita Suar. *lib.8. de legib. cap. 7. à num.* 4. quare einſmodi priuilegium verum & non fictum eſt, ſicut lex inducta conſuetudine, vera & non ficta, aut ſolum præſumpta eſt, atque obligat in conſcientia. An verò conſuetudo hunc fauorem conferat, cùm ex tacita quadam principis voluntate præſumitur, dicetur *alibi*, an autem ſit potentior ſcripto priuilegio in ordine ad omnes effectus diſputat Suar. *c.7. cit. num.* 11. res non magni momenti videtur. Extenſiuè priuilegium potentius eſt, ſiue in ordine ad plures effectus; in ordine autem ad eoſdem, ſeu intenſiuè, conſuetudinem efficaciorem eſſe vult, quia difficilius tollitur quàm priuilegium. Hinc autem eliciendum eſt in fauorabilibus quæ ad augendum, aut conſeruandum priuilegium pertinent, conſuetudinem dantem priuilegium nomine etiam clauſula generali priuilegij comprehendi, cum fauores ampliandi, & verum priuilegium ſit lex non ſcriptum. In odioſis autem cuiuſmodi eſt reuocatio, priuilegij, non videtur comprehendi conſuetudo clauſula generali, niſi exprimatur, quare non tollitur vnà cum priuilegio, & ſanè Canones vtrumque diſtinctè ponunt, quando vtrumque reuocandum eſt.

QVÆSTIO IV.

Interpretatio priuilegij.

Regula vniuerſalis, n. 1.
Caſus ſingulares, n. 2.

SEquitur quintò, quomodo ſit interpretandum priuilegium quoties aut iuri communi derogat, 1
aut alteri onerosum eſt, & quia eius iuri acquiſito pariter derogat, inter odia numeratur. Quare reſtringendum eſt quantum verborum proprietas patitur: quando verò eſt tantùm vltra ius commune, & purus fauor & beneficium ampliandum eſt. Quæ regula communem doctrinam continet, eſtque apertiſſima ex iis, quæ de diſpenſatione dicta ſunt: hæc tamen ſunt ſingillatim obſeruanda.

Primò per reſtrictionem priuilegium inutile reddendum non eſt, ſecundò non eſt facienda reſtrictio 2
intra aut præter proprietatem verborum, niſi aliqua ratio iuſtitiæ cogat, aut ita omninò de voluntate concedentis præſumendum ſit, quia voluntas principis, vti iniuſta non eſt, plenè implenda eſt, & non per violentiam imminuenda. Si autem iniuſtitia & iniquitas admittenda ſit in vſu priuilegij, ſi intelligatur vt verba ſonant, & non limitetur, tunc certè limitandum eſt, quia nequit princeps aliquid iniquum iubere: ſecus verò ſi iniuſtitia eſſet tantum in ipſa conceſſione, non in vſu; peccaret enim tunc princeps, non ſubditus, vtendo ſuo priuilegio; quare ex hoc ſolùm capite non eſſet facienda reſtrictio. Quia tamen non præſumitur princeps aliquid iniuſtum & inhoneſtum operari, præſumitur etiam ita ſuum fauorem non intellexiſſe; quare defectu voluntatis concedentis erit locus reſtrictioni. Verùm ſi fauor non reſtrictus deroget iuri priuato alterius, quod princeps ſine iniuſtitia tollere nequit, reſtringendus eſt: quia præſumitur Princeps illud tertij ius ignorare, aut ſub ea conditione concedere, niſi alteri præiudicet, & voluiſſe obligare ad reparandum damnum alterius vt ex iuſtitia teneretur, niſi illud apertè exprimat.

Tertiò priuilegium nunquam ad alias perſonas aut 3
actus præter comprehenſos in ipſo propter ſolam paritatem rationis extendendum eſt. Patet ex iis, quæ dicentur paulò poſt de legis interpretatione.

Quartò amplitudo priuilegij verborum ſignifica- 4
tionem

tionem phyſicam & ciuilem excedere non debet, niſi vehemens vrgeat ratio,vti de lege dicemus , maximè autem quando iuri communi derogatur,id verum eſt, quanquam aliquando fauor pietatis id faciat v. g. priuilegia Religioſorum , quamvis aliquando iuri communi derogent, in fauorem tamen Religionis amplianda ſunt, quod etiam contingit,quando ea priuilegia ſunt valdè commoda totius Reipublicæ bono, quia hæc priuilegia ſunt partim odioſa, partim fauorabilia ; quare in effectu odij , aut fauoris illud vincet , quod ſecundum rectam rationem præpondere cenſebitur.

5 Quintò quandò priuilegium conceditur ex motu proprio,etſi iuri communi deroget,cenſetur ſimpliciter fauor ; quare ampliatur,& in dubio potius extenditur , quàm reſtringatur; quia illud cenſetur principis purum beneficium , atque ex certa ſcientia collatum; quare ex vulgari axiomate beneficia principis ſunt amplianda.

6 Sextò quandò fauor eſt , extendi poteſt ad omnes perſonas , non tantùm quæ ex vi vocis , actionis , & materia, ex peculiari iuris diſpoſitione comprehenduntur : ſed etiam ad eas quæ habent aliquam connexionem cum perſona expreſſa : quæ connexio debet eſſe in ordine ad effectum priuilegij. Itaque viri nomine,niſi nomen maſculi, aut aliud æquiualens, vt filius adhibeatur , comprehendentur etiam fœminæ : quando tamen nomen filij ſimpliciter ponitur , quia commune eſt filiabus,eas quoque comprehendit.

Septimò non extenditur ad perſonas correlatiuas, propter connexionem quam habent inter ſe ; quando vni conceditur propter rationem in illo ſolùm exiſtentem ; quia tunc tale priuilegium eſt perſonale , relatio autem aut connexio non facit identitatem perſonæ , ac proindè neque conſtituit alterum correlatum eiuſdem fauoris , & gratiæ ſubiectum , niſi aliqua iuris diſpoſitio aliter ſtatuat.Hinc fit vt vxor non participet priuilegiis mariti præciſè : quia vxor eſt,ſed quia ita in pluribus caſibus conuenit , v. g. quando vxor datur marito ob nobilitatem ſuam , cum enim eandem nobilitatem participet vxor , idem quoque priuilegium in ea fundatum participabit vxor : quare vxor clerici gaudentis priuilegio fori, & Canonis, ſeu ſit tantum in minoribus conſtitutus , ſeu de conſenſu vxoris ad maiores,ea relicta tranſierit,eodem priuilegio non gaudebit : quia ille fauor datur tantum ratione ordinis , cuius vxor omninò incapax eſt. Ita Sanch *lib.7. de mat d.47.n.3* & Suar. *lib.8. c.12. n.3.* ſi immunitas bonorum marito concedatur , & ratione matrimonij bona vxoris fiant communia,& indiuiſa, tunc vxor eodem gaudebit priuilegio ; ſin minùs non gaudebit,niſi ratio,in qua fundatur ille fauor, ſit vtrique communis,v.g. nobilitas. Hinc fit vt priuilegium patris,ſi pontifex ſit, non tranſeat ad filios, niſi id exprimatur,aut alio iure determinetur,quando datur autem patri & filiis etiam viuente patre , eo gaudent , quando eiuſdem fauoris plures perſonæ ſunt capaces: cur enim ad obitum vſque patris differemus effectum priuilegij.Si tamen à pluribus ſimul obtineri nequeat, ſed ſolum diuiſum , quia nempè alicui dignitati alligatum eſt,tunc non fruuntur filij niſi mortuo parente ,neque omnes ſimul ſed prout in dignitata paterna, quæ fuit priuilegij fundamentum,ſuccedunt. Nepotes nomine filiorum non intelliguntur in priuilegiis perſonalibus, niſi alium comprehendant, vt ſi dentur poſteritati.

Octauò denique extendendum eſt ad perſonas , ſine quibus eſſet inutile , aut quæ ex morali quadam decentia requiruntur , v. g. qui poteſt tempore interdicti Miſſam celebrare , non tenetur miniſtrum , qui ſibi fauore donatus ſit quærere, ſed obuium quemque quærere , cui conceſſa eſt, facultas recitandi Matutinum, leuandæ ſeueritatis causâ ſtatim poſt meridiem poteſt etiam ſibi ſocium aſſumere : ita enim reſponſum fuiſſe refert Suar. *c.12.n.7.* ab Apoſtolico Nuntio,quia modus ille recitandi eſt conformior ritui Eccleſiaſtico , atque ad hunc dandum fuiſſe priuilegium rectè præſumitur. Denique *cap. licet. de priuil. in 6.* ait priuilegium audiendi, aut celebrandi miſſam tempore interdicti extendi ad eius familiares , excipit tamen familiares Conuentûs,aut collegij,niſi fuerint & ipſi priuilegiati.

QVÆSTIO V.

Vſus priuilegij.

1 EX eo quòd materia priuilegij ſit ius commune , ſequitur vti poſſe priuilegiatum ſuo priuilegio deroganti iuri communi,aut aliquid vltra ipſum concedenti , & in territorio non ſubdito concedenti atque in eo actum iure communi prohibitum exercere, v.g. comedere carnes, non ieiunare,eligere Confeſſarium,diſpenſare à voto, abſoluere, & maritus diſpenſatus à ſuo Epiſcopo ad petendum debitum vbique illud petet , quia iam ſemel ſolutus vinculo iuris communis, non eſt cur denuò ligetur,id tamen intelligendum eſt quando priuilegium illud perſonale eſt, ex ſpeciali eius cauſa conceſſum : nam ſi ſit generale alicuius territorij , v. g. comedere lacticinia in quadrageſima, non poterunt incolæ illius in alieno Epiſcopatu,vbi ius commune ſeruatur,ſuo vti fauore,quia non eſt ratio extendendi priuilegium, quod locale eſt & non incedit cum perſona. Poteſt etiam Prælatus quilibet in ſua diœceſi vetare ne quis aduenæ eiuſmodi diſpenſationibus ſine ſua licentia vtatur, quandò id neceſſarium erit ad continendos bonos mores ſui populi,& tunc priuilegiatus tenebitur eum adire prælatum , qui etiam tenebitur eius licentiam acceptare, niſi iniuſta cauſa præſumat in ea contigiſſe aut ſubreptionem, aut mutationem : quandò verò actus prohibitus erat peculiari iure in duobus,v.g. territoriis,etſi ſit diſpenſatus à ſuo Principe,non poterit in alio territorio, vbi eadem viget prohibitio, illum exercere : quia cùm teneatur legibus alieni territorij , quamdiù in eo eſt,non potuit illis derogari,ab eo qui nihil iuris in id territorium habet. Hinc infert Suar. *cap.16. n. 8.* Inquiſitorem Caſtellæ non dare priuilegium legendi libros in Luſitania ſpecialiter prohibitos,idemque aſſerit de actibus qui abſolutè prohibiti ſunt, vt tamen licitè fiant,indigent licentia principis,v.g. Clericus non poteſt in alieno Epiſcopatu miniſtrare ſacramenta aut ſacrum facere ſine licentia , etſi licentiam habeat in tota ſui Epiſcopi diœceſi ea præſtandi, religioſus qui in ſuo monaſterio nullâ petitâ facultate exire domo poteſt , monaſterio hoſpes in alieno id non poteſt.

2 Septimò denique quia ius commune , circa quod tanquam materiam verſatur priuilegium. obligat tum in foro conſcientiæ , tum in foro fori, (vt vocant) ſeu externo:vnde fit,vt priuilegium aliquando illi iuri deroget in vno foro, & non in alio, ita tamen vt priuilegium pro foro interno ſeu conſcientiæ excludat quidem forum externum , pro quo non valet per ſe : quia ad illud non conceditur ; priuilegium autem pro foro externo , valeat etiam in foro conſcientiæ ; per ſe,non per accidens poteſt non valere , quia aut ſubreptitiè obtentum fuit , aut aliquâ aliâ ratione

cognitâ

cognitâ priuilegiato nullum eſt, ac proindè eo vti validè nequit priuilegiatus, quia tamen ea nullitas iuridicè probari nequit, in externo valebit: quando autem abſolutè, & ſine limitatione priuilegium conceditur, valet pro vtroque foro, forum autem pœnitentiæ, & conſcientiæ idem forum non ſunt, vt obſeruat Suar. *lib*. 8. *c*. 6. *n*. 15. quia ſunt plures effectus conſcientiæ, qui non exigunt forum ſacramentale pœnitentiæ, vt indulgentiæ lucratio, diſpenſatio ab irregularitate: forum pœnitentiæ continet omne iudicium quod habet quidem effectum ſuum in foro conſcientiæ, ſed exercetur in forma aliqua pœnitentiæ apud Deum, ſiue in ſacramento, ſiue extra, ita excommunicatio abſoluitur extra ſacramentum ſolemniter; ea tamen abſolutio pertinet ad forum pœnitentiale, in quo abſoluitur ſemper à pœna legibus Canonicis impoſita, non tamen à culpa, ſæpè apud Deum, niſi priùs in ſacramento dimiſſa fuerit, quod non potuit fieri ſine licentia. Hinc fit vt quando priuilegium limitatur ad forum conſcientiæ, non ſit reſtringendum ad forum pœnitentiale, niſi ſubiecta materia, aut aliæ circunſtantiæ id exigant: demum forum conſcientiæ non ſupponit per ſe culpam; nam multa conceduntur ad bonum aliquod, non ad malum, aut defectum tollendum; forum autem pœnitentiæ ſemper ordinatur ad vinculum, aut malum aliquod apud Deum tollendum. Secundò vbi datur in foro pœnitentiæ priuilegium, non eſt etiam neceſſariò reſtringendum ad forum ſacramentale, cùm extra illud ſit aliquod forum pœnitentiale, id autem colligendum eſt ex qualitate vinculi, quod tollendum eſt; ſi enim eſt vinculum culpæ, & abſolutio ſacramentalis neceſſaria fuerit per ſe, de foro ſacramentali exponendum eſt, non verò ſi ſit tantum vinculum pœnæ, vt cenſuræ; etſi addatur imponendam eſſe ſalutarem pœnitentiam, & abſolutio committatur ſacerdoti, & Confeſſario; iſta enim tantum indicant conditionem & munus perſonæ quæ ad id delegatur, non autem iubent vt actu exerceat confeſſionis ſacramentum. Itaque quandò Leo X. concedit Minoribus qui audiunt confeſſiones, vt abſoluere poſſint in foro conſcientiæ, ſine forma ſolemni à cenſuris, eo vti poſſunt fauore extra ſacramentum. Ita Suar. *c*. 6. *cit*. *n*. 16. contrarium tamen exiſtimat Eman. Roderic. *tom*. 1. *qq Reg*. *q*. 61. *art*. 10. vbi illud Leonis priuilegium refert.

QVÆSTIO VI.

Diuiſio priuilegij.

1 ITa explicata definitio priuilegij eius naturam & cauſam continet, effectiuam nimirum, quæ eſt poteſtas legiſlatiua concedentis, materialem quæ eſt tum ſubditus, & aliquomodò inferior, tum ius commune, circa quod verſatur: formalis autem eſt ipſamet conceſſio, ſiue priuilegium & voluntas concedentis, vti olim de lege dicebamus; forma enim externa poſteà conſiderabitur; finalis autem eſt tum bonum commune Reip. tum priuatum priuilegiati. Sequitur itaque diuiſio, quæ multiplex eſt: præcipuam tamen & reliquarum omnium radicem attigi in ipſa definitione, cùm dixi, priuilegium eſſe conceſſionem ſpecialem ratione rei vel perſonæ: hinc enim ſumitur diuiſio priuilegij celeberrima in reale, & perſonale. Reale eſt quod rei alicui, muneri, aut dignitati conceditur, ſeu gratia alicuius à perſona, cui conceditur, aliquomodò diſtincti, vnde fit vt perſona non ſit immediatum ſubditum eius, ſed illa res eſt, aut conditio, propter cuius gratiã datur ipſi perſonæ, quare ſequitur illius rei naturam & cum ea viget, atque extinguitur. Perſonale eſt, quod immediatè ipſi perſonæ inhæret, & non propter aliquid aliud ab ipſa diſtinctum confertur: quare cum ipſa perſona extinguitur. Priuilegium autem reale eſt, primò quoties datur perſonæ tantùm fictæ, vt ciuitati, Religioni, quia eſt perpetuum. Secundò quando datur certo generi perſonarum, vt maritis, vxoribus, Clericis, quia etſi tunc ſingulis perſonis veris, & indiuiduis concedatur, illis tamen non datur niſi ratione alicuius conditionis ipſis inhærentis. Tertiò quando verba concedentis diriguntur tantum ad rem, & non ad perſonam, v. g. concedo vineæ tuæ immunitatem ſoluendi decimas, reale eſt. Concedo tibi immunitatem à decimis ex vinea, perſonale: niſi tamen per verba aliud indicetur, vt ſi addat *tibi, & hæredibus tuis*, vel, *perpetuã immunitatẽ*; aut *perpetuò*. Hæc enim indicant conditionẽ præcipuam priuilegij realis, videlicet perpetuitatem. Attendenda etiam eſt materia, quæ, ſi incapax eſt perpetuitatis, indicabit eſſe priuilegium perſonale; licet aliud verba ſonare videantur: quando verò dubium eſt an priuilegium reale ſit, an perſonale, neque penſatis omnibus circumſtantiis quæ ex verbis, materia, intentione concedentis peti ſolent, in alterutram partem vergit animus; ſi eiuſmodi priuilegium ſit purus fauor, & beneficium, reale præſumendum eſt; ſi autem ſit odioſum, & iuri communi, aut tertij alicuius deroget, perſonale dicendum; quod patet ex iis, quæ de interpretatione diximus *ſuperiùs*.

Secundò diuiditur in gratuitum, quod nullâ habitâ ratione præuiorum meritorum datur, & remuneratorium præcedentium meritorum: vtrumque indifferens eſt, vt ſit perſonale, aut reale, ac proinde perpetuum, & quidem de gratuito omnes conſentiunt: at plurimi negant de remuneratorio, quod ſolum perſonale eſſe contendunt; eo quod *l*. 1. *ff*. *de conſtitut. princip*. leges perſonales definiantur eæ quæ perſonas non egrediuntur, & in iis numerantur, quæ princeps alicui ob merita indulſit. Et ſanè cùm merita non pertineant ad aliam perſonam, ſuúmque totum fundamentum priuilegij conceſſi in alio non reperietur, perſonale erit; ſequor tamen Suar. *lib*. 8. *de legib*. *c*. 4. *n*. 8. quia licet merita ſint motiuum dandi priuilegij, non ſunt tamen immediatum eius ſubiectum, vt ab iis in conſeruari pendeat, docetque experientia ipſimet rei vt loco certo paſſim concedi priuilegia, propter merita perſonæ alicuius ſingularis, & filiis atque hæredibus intuitu ſuorum progenitorum Quod autem vulgò dicitur, *quod ad exemplum non trahitur*, *perſonam non egreditur*, ſignificat legem priuatam non eſſe normam, ſeu menſuram operationum communitatis, ſed illius tantùm, cui conceſſa eſt, quam aliis non licet imitari. Priuilegium autem etiam reale non trahitur ad exemplum; quia licèt à patre ad filios, aut hæredes tranſeat, non tranſit per conſequentiam & exemplum, ſed per formalitatem: quia non egreditur perſonam, cui facta eſt conceſſio: conceſſum enim primò fuit hæredibus & poſteritati, quod etiam dices quando vnà cum re, cui alligatum eſt priuilegium tranſit ad nouos dominos: non enim egreditur primam conceſſionem quæ facta eſt rei eiúſque dominis: applicandæ igitur ſunt communes regulæ, vt videatur vtrùm priuilegium ſit perpetuum, & reale, an perſonale, tantum. Ait tamen Suar. *c*. 4. *n*. 8. quoties in dubio priuilegium non cadit in commodum perſonæ, cuius merita remunerantur, ſed rei, non debet ob ſolam eius excellentiam meritorum, ſi aliud non cogat, cenſeri reale, quia ex eo non magis augetur præmium meritorum, niſi priuilegiatus petiiſſet hunc fauorem dignitati aut loco fieri.

Tertiò

3 Tertiò datur aliquando priuilegium conuentionale, quod eſt per modum pacti, quo cenſeatur quaſi emi priuilegium. Hoc volunt aliqui eſſe reale: quia cùm fiat per modum contractus,& in eo fundetur, eſt tranſmiſſibile ad hæredes. Suar. tamen *c.* 4. *n.* 11. ait eſſe indifferens, quia bona perſonalia poſſunt etiam ad tempus certum, aut ad vitam tantùm concedi cum aliquo onere, & pacto, vt docet experientia. Quare eiuſmodi priuilegia conuentionalia non eo ipſo tranſeunt ad hæredes, niſi aliunde conſtet eſſe realia, quod enim vulgò dicitur, contractus ad hæredes tranſite, ſignificat tantùm aptitudinem, vt ita tranſeant. Cæterùm inii poſſent contractus ad vitam tantùm contrahentium.

4 Quartò diuiditur in temporale & perpetuum: illud eſt quod perſonæ, aut alteri rei temporariæ immediatè vt ſubiecto inhæret, aut per conceſſionem limitatur: perpetuum verò, quod eſt reale,vt dixi,niſi aliunde limitetur. Hinc fit vt quandiu res aut locus, cui immunitas, aut alius fauor conceſſus eſt, durat, durétque quoque ille fauor. Secundò vt eo loco deſtructo mandato ſuperioris ſine ſpe refectionis, pereat priuilegiũ,quia tunc res omninò perit,Tertiò, loco aut re quapiam pereunte,aut ab hoſtibus deſtructa cum ſpe reædificationis, aut voluntate, priuilegia ipſi ſolo veluti affixa, vt immunitas à decimis,& alia eiuſmodi manent, quia locus non eſt ſimpliciter dirutus; priuilegia autem quæ conueniebant, quatenùs erat ibi templum, aut quid aliud, & vel in eo ſolùm exerceri poterant,vel etiam extra illum locum,priora illa priuilegia toto eo tempore ſuſpenduntur, alia verò manent, illiſque gaudent perſonæ illius loci; quod etiam contingit, quando alibi ædificatur eadem Eccleſia, cum ea transferuntur eius priuilegia.

QVÆSTIO VII.

Variæ formulæ priuilegiorum.

Nulla determinatio neceſſaria eſt, n. 1.
Variæ formulæ ad inſtar, n.3. 4. & 5.
Per communicationem, n. 6.
Conditionatum, n. 7.
Per modum confirmationis. n. 8.

VEnio ad alteram aſſertionis partem quæ continet varias priuilegiorum formulas, quæ omninò conſiderandæ ſunt ad dignoſcendum priuilegij valorem,aut nullitatem.

Dixi autem primò eam formulam non eſſe neceſſariò ſcriptam, eò quòd nullum ius ſcripturam hac in parte requirat. Et ſane ſi ea in ipſa lege neceſſaria non eſt, cur potiùs fuerit in exemptione à lege? hinc plurima quæ conceduntur viuæ vocis oraculo, vim tamen habent in conſcientia & in foro quoque externo, ſi probari poſſent per idoneos teſtes, ſed quia vix id fieri commodè poteſt, ordinariè mandantur ſcriptis, tum vt ſic maiorem auctoritatem habeant, tum vt in iudiciis vſui eſſe poſſint, tum vt iis, quorum intereſt ea ſeruare, & quorum fortè iuri derogaretur, innoteſcere poſſint. Male verò aliqui priuilegium à reſcripto diſtingunt, quòd hoc neceſſariò ſcripturam exigat, vt fert ipſum nomen,non verò illud: nam etiam reſponſa principum, quæ continentur in reſcriptis, dari poſſent voce tenus. Differentia igitur eſt,quia reſcriptum eſt aliquid generalius, continet enim ea quæ pertinent ad iuſtitiam, vt lites, ius dicendum inter partes,iuris expoſitionem,&c. & quæ ad gratiam faciunt; quod vltimum ſolum habetur in priuilegio.

Attuli ſecundò varias formulas priuilegiorum,quarum aliquæ diligentiùs conſiderandæ ſunt. Prima eſt, qua datur abſolutè fauor, nullo habito reſpectu ad alium ſimilem.

Secunda eſt, qua datur reſpectiuè priuilegium ad ſimilitudinem & imitationem alterius, & dicitur *ad inſtar*; quibus vocibus non ſignificatur ſimilitudinarium dumtaxat, & fictum priuilegium & quod ius dumtaxat fictum conferat: eſt enim verum priuilegium, quod ad perfectam quandam alterius imitationem confertur,verúmque ius quod ipſius exemptoris loco habet, quamquam quia aliquando in exemplari, ad cuius inſtar aliud datur, eſt naturalis aliqua conditio, aut proprietas, vel ex origine, vel ex antiquo & ordinario iure, quæ non eſt in exempto, niſi ex priuilegio, tunc priuilegium ad inſtar dicitur conſtituere aliquid in priuilegiato fictione iuris ad inſtar ſui exemptoris, quomodo priuilegium legitimationis dicitur ad inſtar legitimorum: non facit autem legitimum priuilegiatum niſi fictione iuris.Atque ita intelligendus eſt Pius V. in Bulla,*dum indefeſſa*,qua concedit priuilegia Ordinum Mendicantium Societati IESV,*non ſolum ad illorum inſtar,ſed fermè pariter, & æquè principaliter*: quia cùm iam declaraſſet Societatem eſſe mendicantem, ne quis exiſtimaret illam tantùm hoc habere ex fictione iuris, & priuilegio, atq; idcircò concedi illi mendicantiũ priuilegia, ſolum ad ſimilitudinem & inſtar veterum mendicantium Religionum, expreſſit ſe ea priuilegia iuri conformiter & æquè principaliter & abſque vlla differentia concedere. Loquimur autem de priuilegio *ad inſtar* in ordine ad ius, quod confert, quod verum & non tantùm ſimilitudinarium eſſe dicimus, illiſque verbis nihil aliud præter perfectam & adæquatam imitationem indicari.

5 Hinc fit primò vt aucto exemplari, non augeatur priuilegium *ad inſtar*, quia fuit conceſſum ad inſtar alterius priuilegij, tunc exiſtentis, non autem futuri: neque enim imitatio eſt rei nondum exiſtentis,ſed extituræ,niſi exprimatur ita concedi *ad inſtar*,vt ſemper & vbique inter eiuſmodi priuilegiatos futura ſit in priuilegiis ſimilitudo & æqualitas.

Secundò aucto exemplato ſeu priuilegio *ad inſtar*, non augetur priuilegium exemplare, quia ſunt ſimpliciter diuerſa, & ſola ſimilitudo rationis ad extendenda priuilegia non valet, vti diximus. Quare licet exemplatum ad futura quædam extendatur, non tamen exemplar.

Tertiò deſtructo, reuocato, aut quomodolibet amiſſo exemplari, non perit aut reuocatur exemplatum,ſeu *ad inſtar*: quia diuerſa ſunt, neque exemplatum pendet in conſeruari ab exemplari, neque etiam confirmato exemplari confirmatur *ad inſtar*, aut per communicationem, niſi communicatio ſit de priuilegiis conceſſis aut concedendis. Fusè Suar. *lib.* 8. *de legib.c.*19.*à n.*8.

4 Quartò ſi nullum ſit priuilegium, *ad cuius inſtar* aliud fuit conceſſum, ſi exemplatum ſit tantùm expreſſum generale,nullum eſt, quia habetur tunc conceſſio dumtaxat generalis, quæ ad nulla particularia determinari debet, ac proindè ad actiones morales & humanas inutilis eſt. Si autem in illa conceſſione exprimantur ſingillatim fauores & gratiæ, quæ conferuntur, ſicut aliàs conceſſa ſunt aliis, & *ad inſtar* earum, valebit quod ad ea quæ exprimuntur; quia particula *ſicut*, vel *ad inſtar*, non conditionalis, ſed exemplifica

exemplificatiua, & demonſtratiua eſt. Cùm itaque voluntas concedentis abſoluta ſit, & non conditionata, ac proinde non pendeat ab exemplari, & aliunde ſit determinata conceſſio, non eſt vt annulletur priuilegium illud, etſi exemplar quod ad maiorem dumtaxat exemplificationem, aut ne noua videatur conceſſio, non reperiatur.

5 Quintò quæritur, an cùm dicitur dari munus aliquod *ad inſtar*, vel *ſicut prædeceſſor habuit*, an eâ conceſſione transferantur omnia iura extraordinaria, quæ circa illud munus habuit prædeceſſor ille? Reſpond. Suar. *c.* 15. *n.* 11. ſi ea verba ſolent in omni conceſſione ſimilis muneris perpetuò addi, iura extraordinaria non cenſentur conferri cum munere: ſi verò de nouo & præter ordinem addatur in noua principis conceſſione ea formula, præſumendum eſt hoc priuilegio omnia iura prædeceſſoris donari, maximè quandò non præiudicant tertio: tunc enim erit fauor Principis ampliandus; alioqui ea verba, *ad inſtar*, aut, *ſicut prædeceſſor tuus*, ſuperflua eſſent, nullúmque ſortirentur effectum. In petitione Cathedræ in Vniuerſitate Conimbricenſi ſimile quid accidit.

6 Tertia formula affinis ſecundæ eſt priuilegij conceſſi per communicationem: nam quando tantum communicatur alicui per connexionem quam habet cum eo, cui primò conceſſum eſt, à quo deindè in ipſum quaſi effunditur, velut in aliquid acceſſorium, non eſt priuilegium *ad inſtar*, neque ibi ſunt duo priuilegia, in quibus comparari poſſint quoad ſimilitudinem aut æqualitatem, aliáque eiuſmodi, ſed vnicum tantùm numero: quare ſi primus, cui primariò facta eſt conceſſio, eam amittat, conſequentem quoque eandem amittet is, in quem ratione connexionis fuerat deriuatum, neque vti etiam poteſt priuilegio contra eum, ratione cuius illud participat. Atque ita famuli Religionum non poſſunt vti fauoribus qui ipſis propter connexionem, quam habent cum Religione contra eandem Religionem: priuilegia conceſſa Religioſis non ſunt per communicationem hoc modo, ſed per directam conceſſionem: quia licèt motiuum conceſſionis fuerit bonum Religionis totius, ſubiectum tamen immediatum priuilegij ſunt ſinguli Religioſi. Vnde hoc priuilegium neque eſt *ad inſtar*, neque per communicationem, neque per dependentiam niſi impropriam, qua partes à toto pendere dicuntur. Quando autem priuilegium iam vni primò conceſſum alteri tanquam proprium, & veluti ſi ipſi primò fuiſſet collatum, communicatur, eſt propriè *ad inſtar*: quare vtrique communes ſunt proprietates morales & effectus.

An verò vnà cum priuilegio communicetur eius quoque reſtrictio, diſtinguunt Suar. *c.* 17. nam reſtrictio qua conſulitur iuri alterius, cui alioqui damnum inferretur, communicatur: reſtrictio verò quæ fit intuitu regularis obſeruantiæ, & non per modum diſpenſationis circa rigorem regulæ, aut inſtituti, quod nunquam fit niſi exprimatur, quia Pontificis animus non eſt relaxare Religionem, ea (inquam) reſtrictio communicatur, niſi fortè omninò propria ſit alicui religioni ratione proprij inſtituti. Tertiò quando apponitur reſtrictio ſpectans ad res, aut locum Religionis, ſimilis aliis quoque Religionibus conceditur, v. g. quod liceret Dominicanis in feſtis ſanctorum ſui Ordinis non ſeruare interdictum locale & Ordinibus ea priuilegia participantibus, conceditur quoque idem in feſtis ſanctorum Ordinis. Quartò quādo apponitur clauſula prohibens communicari priuilegia quædam illis, qui alia per communicationem participant, vt habetur in bulla Gregor. XIV. in fauorem Societatis IESV ea non communicatur per generalem clauſulam, quia ſub generali clauſula non venit quod Princeps non eſſet in ſpecie veriſimiliter conceſſurus.

Quarta formula eſt priuilegij conditionalis; conditio autem vel habet ſub aliis verbis veluti formam vtendi priuilegio, tunc non valet niſi poſitâ conditione: vel eſt tantùm aliquid concomitans fructum ex vſu priuilegij perceptum, aut per modum ſolemnitatis accidentalis additur, licèt peccari poſſit in ea omittenda, ac iuſtè quis ob id ipſo priuilegio priuari, non tamen annullat vſum priuilegij, aut eius effectum. Videndum autem an poſtuletur ante effectum priuilegij, an non; nam primum indicat opus illud requiſitum, aut conditionem pertinere ad ſubſtantiam priuilegij ipſius, ita vt ſit tantùm conditionata voluntas concedentis, ac proindè niſi per poſitionem conditionis tranſeat in abſolutam, nihil fieri: vnde quando datur facultas diſpenſandi cum conſilio viri docti, petitio conſilij, quæ ex natura ſua antecedit actum, pertinet ad ſubſtantiam formæ, non tamen obligatur ille petitum conſilium ſequi, quia ea verba id non ſonant, niſi dicatur id faciendum ſecundùm, aut iuxta conſilium, quia tunc petendum erit & ſequendum conſilium, aut ſi dicitur de conſenſu alterius. Quando etiam conditio pertinet ad formam ſubſtantialem priuilegij, eâ ceſſante ceſſat quoque priuilegium, quod erat conditionatum: eius enim duratio, duratione conditionis definiebatur. Ita Suar. *cap.* 29. *n.* 5. niſi conditio impoſita fuiſſet ad productionem tantùm priuilegij, & non ad conſeruationem, v. g. eximitur Monaſterium à ſoluendis decimis, ſi Epiſcopus conſenſerit, vbi ille ſemel conſenſit, ſi deinde conſenſum retractet, non amittitur priuilegium per priorem conſenſum acquiſitum: ſecùs ſi conditio ferret, *quandiu Epiſcopus conſenſerit.* Hinc fit vt Religioſus mutatâ profeſſione priuilegia prioris religionis amittat, & nouitius nouæ religionis eſſe deſinat oportet. 7

Quinta formula eſt per modum confirmationis, aut innouationis: quid verò hæ addant primæ conceſſioni conſtabit ſtatim ex his quæ dicentur circa clauſulam, *ex certa ſcientia*. 8

QVÆSTIO VIII.

Variæ priuilegiorum formulæ.

CLAVSVLA,

Ex motu proprio.

De clauſula *ex motu proprio*, n. 1. & 2.
Clauſula *ex certa ſcientia*, n. 3. & 4. 1
De clauſula derogatoria, n. 5.

Monui in omnibus iſtis formulis penſandas eſſe maximè tres clauſulas, quarum prima dicitur *ex motu proprio*: ea enim oſtendit preces, aut inſtantiam petentis, vel nullam fuiſſe, vel non fuiſſe cauſam adæquatam conceſſionis, ſed ſolam principis liberalitatem. Quando autem ea clauſula non adhibebetur, conceſſum eſt priuilegium ad inſtantiam petentis: non poteſt enim conſtare principem ex ſola liberalitate, & non alterius precibus pulſatum conceſſiſſe: plures autem habet effectus hæc clauſula ſiuè priuilegium eâ munitum, de quibus Rebuff. *in Concord. tit. forma mandato. v. motu proprio*, hi ſunt præcipui.

Primò,

Primò ampliat beneficium, quantum verborum proprietas patitur: quia indicat eſſe purum beneficium: quod enim ad inſtantiā petentis datur eſt minùs voluntarium, & quodammodò coactum. Secundò, nunquam contra eum, cui conceditur, retorquetur, vt contingit in priuilegio ad inſtantiam conceſſo: tunc enim petens cenſetur ſibi illud ius ſtatuiſſe, quare in illum meritò retorquetur, non tamen ſi ipſe cui conceditur non petierit, neque ad id mandatum aut commiſſionem dederit. Tertiò tollit omnem ſubreptionem, quod intelligendum eſt iuxta ea, quæ dicta ſunt nuper. Quando igitur nulla fuit præuia petitio, ac proindè veritas tacetur, aut falſitas narratur à petente, neque princeps proinde ab eo circumuenitur, in ipſa tantùm narratione principis poteſt vel taceri veritas, vel exprimi falſum; ſi primum contingat, quia ſupponitur princeps informatus ſufficienter, etſi id non exprimat (neque enim tenetur eo ipſo quod dicat ſe motu proprio concedere) valebit gratia conceſſa; ſi autem in reſcripto falſa cauſa exprimatur, quia tunc propter ignorantiam, quam fuiſſe conſtat in principe, & ſine qua non habuiſſet voluntatem concedendi hanc gratiam, præſumitur intentionem concedentis aliam fuiſſe. Quare non valet gratia, etiam ex motu proprio conceſſa: quando autem præceſſit aliqua petitio, etſi ea non fuerit cauſa adæquata petitionis; quia tamen fuit informationis loco principi, ſi allata eſt falſitas, ſine qua non fuiſſet motus princeps ad largiendam gratiam, ſubreptio eſt, quæ etiam non tollitur per hanc clauſulam: quia aliunde conſtat ignorantiam principis reddere totum priuilegium inuoluntarium; ſi autem tacetur veritas valet nihilominùs gratia, quia non eſt vnde præſumamus hunc fauorem inuoluntarium eſſe, ſi tamen ita minuatur veritas, vt ex ea imminutione, ſeu veri reticentia, conſtet induci animum Principis ad largiendum, quod aliàs noluiſſet, poterit eſſe nulla gratia, non propter ſubreptionem, ſed propter defectum conſenſus, qui tunc præſumitur etiam appoſita clauſulâ, *motu proprio*.

Clausula,

Ex certa ſcientia.

3 Hæc clauſula quando apponitur confirmationi ſeu innouationi priuilegij, habet vim nouæ conceſſionis, & dat nouum robur ac valorem, quia ſemper habet vim validandi actum priùs nullum: Princeps enim verè vult confirmare actum priorem ſecundùm totam eius capacitatem. Si igitur nouit fuiſſe nullum, & nihilominùs vult eum confirmare, vult profectò nullitatem eius ſua noua conceſſione tollere. Scire autem principem nullitatem actus docet hæc particula, *ex certa ſcientia*. Vndè etiam fit vt confirmatio aut innouatio (hæc enim æquiparantur hoc loco) fauoris ita facta, fit noua quædam conceſſio: validare enim actum prius nullum, eſt eum denuò conferre. Ad hoc autem exigitur primò vt fauor inualidus, per ſolam voluntatem principis confirmari & validari poſſit; ſi enim ab alterius conſenſu pendeat, quamvis confirmetur ex certa ſcientia, non validatur, cùm eò ſe non extendat principis confirmantis poteſtas. Quare Pontifex nequit ſolus facere matrimonium nullum, ratum, aut profeſſionem validam: ſed ſolùm tollere impedimentum vt deindè validè ratificetur matrimonium aut profeſſio.

Secundò nihil debet addi quod huius clauſulæ effectum impediat atque renunciationi obſtet: quia aliquandò confirmantur priuilegia *prout ſunt in vſu, dummodò Tridentino Concilio non ſint contraria*, quod intelligendum de priuilegiis ab ipſomet Concilio reuocatis per clauſulam, *non obſtantibus*.

Tertiò priuilegium quod initio fuit ſubreptitium aut nullâ aliâ ratione, non conceditur de nouo per confirmationem ex certa ſcientia, ſed tantùm quod aliqua ex cauſa inualidum euaſerat, de quo prior aſſertio eſt intelligenda: quia priuilegium ſemper nullum nunquam fuit reuera conceſſum; atqui in ſola verè conceſſa cadit confirmatio. Debet igitur ea ſubreptio, aut falſitas, aut nullitas exprimi, atque ea non obſtante confirmari. 4

Quartò priuilegium ab homine reuocatum, ſi confirmetur, *ex certa ſcientia*, & *plenitudine poteſtatis*, tunc quia ſupplentur omnes defectus, renouatur: ſi autem ea particula colligenda ſit ex narratis tantùm: quia ius illud priuatum præſumitur ignorare princeps, & verba non ſunt extendenda vltra proprietatem, niſi particula *non obſtantibus*, aut alia ſimilis, qua omnes defectus, ac proinde ipſius reuocationes denotentur, non cenſetur princeps *ex certa ſcientia* confirmare ac proinde non reualidat tale priuilegium.

Quintò quando priuilegium à iure communi reuocatum eſt, quia illud ius non ignorat Princeps *ſi ex certa ſcientia confirmet*, illud planè reſtituit, niſi à Concilio generali fuiſſet reuocatum, illius enim facienda eſſet mentio, quia priuilegium à Concilio generali non reuocatur, niſi expreſſâ eius mentio fiat: additur tamen aliquando, *dummodò Concilio Tridentino non ſint contraria*: quia etſi ea clauſula intelligatur ex generalibus regulis: volunt tamen iura firmitatem decretorum Tridentinorum non relinqui ſub generalibus formulis, quæ infinitis expoſitionibus obnoxiæ ſunt.

Sextò ſupplet defectus commiſſos in obtentione priuilegij clauſula hæc, *ex certa ſcientia*, non tamen ſubreptionis, vt patet ex dictis: adduntur tamen ſæpiùs hæc verba, *ſupplentes omnes iuris & facti defectus*, & tunc, vt vides, omnes præſcinduntur, & maiorem affectum concedentis denotant, ea tamen verba non ſupplent etiam dolum aut ſubſtantialem ſubreptionem, actum inualidantem, niſi ſpecialis fiat mentio.

Hinc vides quantum differat confirmatio *ex certa ſcientia*, ab ea tantùm quæ fit *in forma communi*, vt loquuntur: in qua videlicet priuilegia priora generatim tantum & confusè iterùm confirmantur, & innouantur: ea enim non eſt noua conceſſio, neque nouum valorem, aut robur confert, quia confirmare non eſt de nouo facere, ſed roborare factum, neque alium eſſe principis animum eo loco colligitur. Addit tamen nouum robur auctoritatis intra eoſdem tamen effectus, & certiorem voluntatem concedentis prodit, & prætereà ſi à ſuperiore fuerit confirmatum, non poterit ab inferiori, qui illud conceſſit, reuocari ex communi ſententia.

Clausula derogatoria,

Seu, *Non obſtantibus.*

De hac clauſula vide Barboſam *ad l. 4. c. de preſcript. 30. vel 49. ann. n. 101.* vbi *n. 104.* ait derogare ſufficienter clauſulam generalem, vbi lex, in qua eſt, procedit ex motu proprio principis; ſi ſit autem data ad inſtantiam partis, non ſufficit illa clauſula ad validitatem conceſſionis contra legem habentem quoque clauſulam derogatoriam. 6

Hæc clauſula maximè neceſſaria eſt ad priuilegij valorem, vt ea quæ obeſſe poterant tollantur: ea verò ſunt

ſunt aliena iura, vel priuata,alia v. g. priuilegia ; vel ius ipſum commune.

6 Iuri communi non derogatur per clauſulam generalem,niſi ſpeciatim exprimatur. Ita communiter omnes, quod tamen limitaui, niſi alioqui fiat inutile totum priuilegium, cùm præſumatur princeps non ignorare ius commune, ſi dedit priuilegium, quod ſine aliqua iuris communis derogatione nullum erit, illi voluit ſine dubio derogari illo ſuo beneficio, ſi tamen illud commune ius habeat additam clauſulam priuilegia reuocantem, aut illis derogantem ; eius clauſulæ mentio ſaltem generalis fieri debet, alioquin non erit derogatio iuris communis, & ſi reddatur inutile prorsùs totum priuilegium ; quia clauſula illa derogatoria addita iuri aliquem effectum habere debet, & ſaltem ne tam facile iuri per eam fortificato derogetur, atque illi,quod ea non munitur, præſumitúrque Princeps per importunitatem & inaduertentiam conceſſiſſe, vt iuri alterius derogaretur per clauſulam generalem, *non obſtante*, aliàs præſumitur princeps ignorare illud tertio acquiſitum ius, ac proindè ei obeſſe nolle, niſi aliquomodò id exprimat, aut materia ſit eiuſmodi,vt neceſſariò,&, vt ita dicam,intrinſecè illam alieni iuris imminutionem inuehat:tunc enim eam non ignorare potuit concedens priuilegium.De priuilegio iuri communi inſerto, idem quod de ipſo iure communi cenſendum eſt : illud enim non magis ignorare poteſt princeps,quàm ipſum commune ius,quo continetur.

QVÆSTIO IX.

Notitia priuilegij neceſſaria.

1 AD effectum priuilegij non modò eius valor, quem ex formula qua conceditur maximè auguramur, ſed etiam quædam aliæ conditiones exiguntur, quæ aut in ipſo reſcripto continentur, aut ex natura materiæ,in qua datur, aut perſonæ,cui conceditur nonnunquam progerminant,& ſæpè variæ ſunt: vna omni priuilegio generalis eſt,videlicet notitia priuilegij ; effectus autem priuilegij vniuerſim duplex diſtingui poteſt, primum habet in ipſo priuilegiato, qui iterum duplex eſt : nam in altero priuilegiatus eſt tantum ſubiectum effectus, quem in illo operatur priuilegium reddendo ipſum habilem ad aliquam actionem, ad quam anteà non erat, ſiue conferendo nouam poteſtatem,ſiue tollendo vinculum aliquod & impedimentum. Alter prodit ab ipſomet priuilegiato vi priuilegij, v. g. ſuſceptio ordinum ſacrorum anteà illicita, diſpenſatio in caſibus reſeruatis, & recuſatio ſolutionis decimarum. Hic effectus priuilegij verſatur circa perſonas à priuilegiato diſtinctas, quæ ius priuilegiati ſeruare, aut non impedire tenentur, & ratione quarum priuilegium vim quandam legis habere nuper dicebamus.

2 Dico itaque priuilegium quod aliquod ius & poteſtatem confert, non habere effectum in priuilegiato ante aliquam eius acceptationem per ſe,aut per alium, neque vti eo poſſe priuilegiatū ante notitiam : ſi enim vtatur ex opinione probabili, iam conceſſi eò quòd putet ſuum procuratorem illud iam obtinuiſſe, non rectè facit, & aliquam notitiam ſupponit. Ratio eſt, quia licèt de potentia abſoluta poſſit fortaſſis ſupremus princeps ita concedere priuilegium, quod putat Suar. *c.25.n.11.* id tamen regulariter non facit,neque eius animus ille eſt.

Secundò quoad priuilegium tollens vinculum,quod habet in priuilegiato ſuum etiam proximum effectum,ſi onus tantum temporale obligatur, nec in priuilegiario, nec in iudice, nec in tertio damnum poſſo notitia requiritur, vt reuera dicatur exemptus, & vt quis ſua exemptione vtatur, notitiam eius habere debet, ſed vtetur a tempore quo fuit conceſſum, v. g. ex tunc non ſoluet,aut exiget decimas.Quandò autē tollitur vinculum in conſcientia, notitiā in priuilegiato, & propriam ad vſum exigit, niſi princeps habeat animum diſpenſandi,etiam in ea notitia, verbi gratiā qui contrahit matrimonium antequam ſciat certò fuiſſe conceſſam diſpenſationem, non procedit tutā conſcientia.Ita Vaſq. *t.2. d.156.n.30.& 31.*

Tertiò quando priuilegium per modum legis fertur,vt alios obliget,promulgari debet,ſi autem ita non offeratur,obligat alios ad ius priuilegiato ſeruandum ſtatim atque ſufficienter innoteſcit,vt ex ſtylo ordinario conſtat : neque enim priuilegia Religionum atque alia eiuſmodi promulgari ſolent ſolemniter etiam Romæ, ſed iis, ad quos pertinent,intimantur, atque ita etiam aliquando diuulgantur.

QVÆSTIO X.

Quando deſinat priuilegium ?

Duplex deſitio priuilegij, n. 1.
Deſitione finis quomodo deſinat, n.2.
Quid cùm cauſa motiua deſinit, n.3. & 4.
Quid de priuilegio, quod habet tractum ? n. 4. & 5.

TErtia pars aſſertionis continet priuilegij deſitionem,quæ duobus modis contingere poteſt. Primò quodammodò ab intrinſeco, per deſitionem cauſarum conſeruantium, finalis nempè & effectiuæ, à quibus in ſuo eſſe pendere videtur.Quare earum ſubtracto veluti influxu ſine vlla alia actione,deſinat neceſſe eſt. Secundò per actionē extrinſecè corrumpentem, quæ eſſe poteſt tantùm vel priuilegiatus per renuntiationem, vel ſuperior per reuocationem. 1

Quod attinet ad deſitionem ex ceſſatione cauſæ finalis & non impulſoriæ tantùm ſuppono imprimis ad conceſſionem priuilegij exigi cauſam honeſtam,vt honeſta fiat ea conceſſio,non tamen vt valida,niſi fiat aliqua iniqua derogatio iuri alterius, aut actus ita fiat inhoneſtus,vt à priuilegiato ſine iniuſtitia,aut turpitudine exerceri nequeat : ſi enim eſt tantùm iniuſtitia, aut turpitudo in actu,quo fit conceſſio à principe,non in eius deindè vſu peccat princeps,ſi tamen valet eius fauor, vti aliàs de diſpenſatione dictum eſt. Deinde ea tota falſitas cauſæ non debet eſſe à proponente, quia tunc,vti dictum eſt,erit ſubreptio,ac fauor nullus,cùm princeps non præſumatur voluntariè concedere propter ignorantiam qua circumueniri ſe paſſus eſt. Circa deſitionem autem cauſæ hæc ſtatim in aſſertione. 2

Primò priuilegium gratuitum, quod eſt purus fauor,& nulli alteri derogat,non ceſſat deſinente cauſâ, quæ mouit adæquatè principem ad eius conceſſionem ; quia non pendet ab ea cauſa in confirmari : ſemel enim conceſſum beneficium principis manet, etſi ratio, quæ ad primò conferendum impulit, non maneat, prior enim voluntas fuit abſoluta, & non conditionata, neque proindè à futuro euentu, aut motiui mutatione,aut permanentia pendens. 3

Secundò priuilegiū quod vnico actu conſummatur, etſi rigoroſum ſit, iuri communi, vel priuato alterius 4

derogans

derogans, non perit deſinente cauſâ; quia iam priuilegium tranſiit, ac proindè irreuocabile eſt, ſicut & actus præteritus, v.g. legitimatus eſt aliquis, aut habilis redditus ad aliquem actum, actione principis priuilegiantis: iam verò habilis redditus eſt, neque eſt cur ſuam habilitatem amittat, ceſſante motiuo, quod impulit principem ad ipſum ex priuilegio habilitandum. Quod intelligo etſi nondum actum, ad quem habilitatus eſt, exercuerit, nam in ea executione eſt tantùm vſus priuilegij, non ipſum priuilegium, quod iam ſuum proximum actum habuit, vt aliàs dixi de diſpenſatione, quam imitatur hoc priuilegium, atque id à fortiori valet in priuilegio, quo confertur poteſtas ad vnicum tantum actum: nam eo actu poſito iam conſummatum eſt totum priuilegium & præteriit, neque proindè ampliùs reuocabile eſt, ac proinde multò minùs pendet à permanentia ſui motiui.

5 Tertiò vt priuilegium, quod habet tractum quendã ſucceſſiuum, deſinat in ordine ad futuros actus, cauſa eius debet è contrario & non tantùm negatiuè deſinere, neque ad aliquod tempus, ſed in perpetuum: poſitâ autem ceſſatione contraria & perpetua cauſæ ceſſat. Vtraque pars huius concluſionis perſpicua eſt ex notitia terminorum: cauſam enim ceſſare contrariè, eſt vſum priuilegij fieri ob mutationem materiæ & circunſtantiarum illicitum. Ceſſare è contrario eſt cauſam, quæ principem inducit non amplius ſubſiſtere, quamvis nihilominùs priuilegij vſus nullam iniuſtitiam, aut turpitudinem contineat: tunc autem dico non deſinere priuilegium, v. g. domus religioſa ratione paupertatis à ſoluendis decimis libera per ſpecialem conceſſionem, etiam vbi abundat opibus, retinet duo beneficia quæ ſimul poſſidere licebat, ob inſufficientiam vnius eorum ad ſuſtentandum, & etiamſi alterius prouentus creſcant, retineri tamen poſſunt vi prioris conceſſionis: quia in his & ſimilibus ex ceſſatione cauſæ non eſt factum iniquum priuilegium. Non eſt igitur vnde dicamus ceſſaſſe: quia non fuit datum conditionatè, vt duraret quandiu ea cauſa duraret, ſed ſimpliciter ex tali cauſa, cui alligatum deinde non eſt in ſuo conſeruari, aut ex natura rei, aut ex voluntate concedentis, quam conſtat potiùs fuiſſe abſolutam, neque ex vlla iuris diſpoſitione: qua ratione *alibi* dixi legem non deſinere ex ceſſatione negatiua cauſæ eius in particulari. Et ſanè quis dicat fœminam, quæ in voto caſtitatis diſpenſata eſt propter incontinentiæ periculum, tanquam vnicam & adæquatam cauſam etiam indulto expreſſam, vbi contracto matrimonio, ceſſatione ſola debiti ceſſat totum illud periculum, teneri non petere, quod tamen dicendum eſſet? nam vt ſe habet totum ad totum, ita pars ad partem. Si igitur cauſâ totius ceſſante ceſſat totum, ceſſabit etiam pars illius cauſâ deſinente. Deinde ſi fuerit illa fœmina abſolutè diſpenſata ad nubendum ſine vlla limitatione, poterit prioribus nuptiis diſſolutis iterum nubere, alioquin nihil ampliùs daret diſpenſatio abſoluta voti caſtitatis ad nubendum, quàm diſpenſatio ad nubendum ſemel, & tamen viduari poteſt ea ætate, aut in eo ſtatu, in quo propter varias circumſtantias nullum ſit ampliùs periculum incontinentiæ, quod fuerat vnica cauſa huius diſpenſationis. Quod ſi id valeat in diſpenſatione, multò magis in priuilegio: & ſicut qui debitori remiſit debitum ob paupertatem, vbi ille in pinguiorem fortunam rediit, ſuum debitũ repetere nequit: ita vbi princeps debitum, & obligationẽ remiſit, eam deinde non contrahit iterum ſubditus, niſi per nouam legem & reuocationem priuilegij renouetur, quod tamen facere nequit creditor debitori. Ratio à priori eſt: quia conſeruatio priuilegij eſt tantum permanentia iuris per illud acquiſiti, non autem aliqua actio concedentis, quæ per mutationem cauſæ facta ſit illicita, ſicut fuiſſet prima ipſa conceſſio, ſi nullam habuiſſet cauſam: hæc enim conſeruatio veluti poſitiua & influxus concedentis & conſeruantis fictitius eſt. Neque dicas datam eſſe primam conceſſionem cum illa conditione virtuali, vt ſolùm duret durante cauſâ, quia ſeclusâ eâ conditione fuiſſet illicita prima conceſſio: id enim falſum eſt, quia ſicut multa illicitè fiunt, quæ tamen licitè conſeruantur in eſſe: ita etiam multa aliquando licitè conſeruantur, quæ tunc licitè primò fieri non poſſent: atque ita priuilegium quod modò licitè durat, non licitè eo ipſo tempore quo durat primò concederetur, decet enim principis beneficium eſſe manſurum, & cauſa præterita ſufficere potuit ad dandum priuilegium perpetuum.

6 Quando autem ceſſatio cauſæ contraria eſt, cùm fiat iniquus vſus priuilegij, clarum eſt perire & ſi ad tempus tantùm ceſſet, ſuſpendi: quia vſus eius non eſt perpetuò prauus, & iniquus. Ceſſatio tamen cauſæ etiam negatiuæ tunc poterit eſſe ſufficiens occaſio principi priuilegium reuocandi; nos autem loquimur de ceſſatione ex natura rei, & quæ ipſo facto ſine vlla alia principis declaratione contingat.

Priuilegium non extinguitur cum concedente illud.

7 Alter modus quo veluti intrinſecè deſinere poſſe priuilegium videtur, eſt deſitio cauſæ conſeruantis quacum pariter extinguatur. Hæc tamen dependentia effectiua ad ſui eſſe conſeruationem nulla eſt, quare

Communis doctrina eſt, gratiam & priuilegium ſemel obtentum & comparatum non extingui morte concedentis *cap. Si ſuper gratia, de officio delegati, in 6.* ſicut ipſa gratia, licèt nòndum ſit in eius executione proceſſum, morte concedentis illam, non perimitur, & idem habetur *cap. Si cui nulla, de præben. in 6.* qui textus æquè probant de priuilegio etiam rigoroſo, ſeu odioſo, eo quòd alterius iuri, aut ſaltem communi deroget: nam etiam hæc priuilegia ſunt fauores eius, cui conceduntur, vt videtur, & eò ampliores quò ratione illorum videtur priuilegiatus toti communitati, aut aliis quibuſdam præponi. Decet autem, vt loquuntur iura, gratiam omnem eſſe manſuram, quia eſt liberalis quædam donatio, quàm conſtat non extingui cum donante. Et ſanè priuilegium non ſoluendi aut exigendi decimas, eligendi Confeſſarium, aut audiendi confeſſiones, licèt hoc poſterius deroget iuri communi, & auctoritati ordinariori, non expirant morte dantis eas facultates, quod de caſu poſteriori oſtendunt Suar. *tom. 4. in 3. p. d. 26. ſ. 3.* & Sanch. *lib. 8. de matr. d. 28. n. 72. & 75.*

8 Addidi non perire priuilegium cum concedente etiam re integra, hoc eſt licet illius vſus nullus adhuc fuerit, ipſum tamen priuilegium iam eſt obtentum, v. g. qui habet facultatem audiendi confeſſiones, diſpenſandi à caſibus reſeruatis, & aliis eiuſmodi, in quibus non datur iuriſdictio fori contentioſi, aut non continentur reſcripta iuſtitiæ: in his enim non requiritur vt res ſit integra, ad valorem reſcripti mortuo concedente. Ratio eſt: quia ad valorem donationis liberalis, neceſſarium non eſt, vt donatarius incipiat vti re donata ad perfectam eius traditionem: gratia autem, de qua ſola modò loquimur, eſt donatio ac proindè perfecta ante vſum rei donatæ.

Quare dum ſuppono rem eſſe integram, non intelligo gratiam ipſam eſſe integram, vt fiat aut non fiat, ſed factam eſſe omninò oportet, quamvis quoad

vſum integra omninò manſerit hactenùs; ſi autem ſit tantùm facienda, expirat morte concedentis. Sic Sanch. definit *lib.* 8. *de matr. diſp.*28. *num.* 48. gratiam factam, quæ perfectè conceditur ei in cuius gratiam datur, atque independenter ab eo cui facienda committitur, facienda autem quando non conceditur abſolutè ei, in cuius fauorem datur, ſed ab alio concedenda committitur: id tamen Suar. *c.*31.*n.*18.*lib.*8. *de legib.* ita exponit, vt quando gratia fit directè delegato in fauorem tertij, cum quo diſpenſatutus eſt v.g. vel eius cuius accipiet confeſſionem, illa ſit tantantùm gratia facienda, quia ratione pœnitentis, ſeu tertij diſpenſandi, aut abſoluendi nulla adhuc facta eſt gratia, ſed tantùm creata cauſa, per quam fiat; quare donec ita delegatus aliquid operetur in tertio illo, nihil factum eſt adhuc, quod permanere poſſit poſt mortē concedentis, neque tertius ille aliquod ius acquiſiuit, vt circa ipſum ea gratia exerceatur; ſed tantùm permiſſionem, vt aliàs circa eum operari poſſit. Reſpectu autem delegati, cui eſt ea conceſſa poteſtas, & in quo moraliter eſt, non eſt gratia, cùm non ſit in fauorem eius, ſed tantùm mandatū, quod morte mandantis ceſſat. Sanch. verò *n.*87. ait quoties præcipitur in litteris commiſſario, vt cum tertio diſpenſet, tunc gratiam eſſe iam factam ipſi diſpenſandi immediatè, quamvis independenter ab alio, quia non eſt voluntarius executor, ſed neceſſarius, habétque ius acquiſitum in eum commiſſarium ad applicandam diſpenſationem diſpenſandus. Quare ea gratia non expirat morte concedentis; eiuſmodi autem ſunt omnes vulgò commiſſiones diſpenſandi in impedimentis matrimonii, & aliis eius generis, quæ cōmittuntur Confeſſariis ad petitionem certæ perſonæ. Quando litteræ dant facultatem aliquam aut licentiam ſubdito, licet vſus eius pendeat ab alio, vt eligendi Confeſſarium, ſuſcipiendi ordines ab alieno Epiſcopo, gratia iam eſt facta ipſi ſubdito: quare licèt concedens moriatur re integra ante vſum eius gratiæ, non extinguitur: quia in hoc caſu gratia conceſſa, non eſt ſolus effectus futurus.

9 Hinc ſoluitur vulgaris quæſtio an priuilegium alicui in proprium fauorem conceſſum, an in fauorem tertij extinguatur cum concedente. Deinde diſtinguendum videtur quando fit in fauorem communitatis aut priuatæ tantùm perſonæ. Nam quando fit in fauorem eius cui conceditur, eſt iam gratia facta ac conceſſa; permanet igitur etiam quando eſt facta in fauorem tertij, qui eſt aliqua communitas, quia ea gratia cenſetur facta ei cui ea poteſtas conceſſa eſt, & permanet, vt facultas diſpenſandi à reſeruatis omnes ſe adeuntes, etſi ea reſpiciat commodum, & fauorem pœnitentium: quando verò eſt facta in fauorem certæ perſonæ, quia illi gratia fit, & nondum eſt facta re integra, ſed facienda, non permanet, niſi conſtet in caſu à Sanch. expreſſo, & à Suar. directè & primariò collatam gratiam illi tertio, etſi dependenter ab alio, ita vt habeat iam ius & non ſolam permiſſionem, vt, cui eſt commiſſa facultas agendi, in ipſo operetur.

10 Dixi in aſſertione huic perpetuitati gratiæ obeſſe hanc clauſulam, *vſque ad beneplacitum meum*, de qua Suar. *lib.*8. *c.*32. & Sanch. *lib.*8.*d.*28.*n.*49. & Molin. *diſp.*298.*n.*10.*tract.*2. *de iuſtitia*, quia voluntas perſonæ cum ea perit; cum igitur terminus priuilegij ſit voluntas concedentis, quæ eius morte finitur, finitur vnà quoque priuilegium, idem dicendum erit de particulis huic æquiualentibus.

11 Limitant alij ſecundò doctrinam ſuperiorem ad expeditionem litterarum ante mortem concedentis: nam ſi tunc fuit authenticum, & bullatum ſcriptum, nullum eſt, ne quidem ſit neceſſaria ſcriptura ad primam conceſſionem, niſi vt iuridicè poſſit probari cur fuerit ad conſeruationem aliud requiſitum. Ita Suar. *c.*31.*lib.*8.*n.*20.& Sanch.*d.*29.*lib.*8.*de matr.*

Alij denique requirunt acceptationem ante obitum concedentis; alioqui eſt tantùm gratia in fieri & nondùm facta, verum hinc habetur tantùm manere priuilegium in eo ſtatu, quo erat viuente concedente, vt poſſit à priuilegiato acceptari, aut reiici. Sanch.*d.* 28. *n.*69.& Suar.*lib.*8.*c.*31.*n.*21.

Ceſſatio priuilegiati per renuntiationem priuilegiati.

Hic eſt tertius modus priuilegij deſitionis: quandò enim priuilegium eſt permanens, habétque tractum ſucceſſiuū, poteſt illi in ordine ad futuras actiones renuntiari ab eo omni, qui eſt immediatum, & adæquatum eius ſubiectum, quod addo, quia ſi ſit tantùm partiale ſubiectum, cuiuſmodi ſunt ſinguli comparati cum priuilegiis toti communitati collatis, illis non poſſunt renuntiare, quia tunc alterius iuri præiudicarent & ea renuntiatio non pendet adæquate à voluntate vnius ſingularis, qui aliquando vti tenetur ipſomet priuilegio. Dixi etiam in ordine ad futuros actus eſſe tantum renuntiabile illud, quod habet tractum ſucceſſiuum: nam ſi vnico actu fuerit conſummatū, neque maneat per modū potentiæ, renuntiari nequit, quia eiuſmodi priuilegia ſunt ſolùm quædam vinculorum ablationes, quibus ſe iterum vincire non poteſt illis abſolutus, per ſolam renuntiationem, v.g. diſpenſatus ab irregularitate ad ſuſcipiendos ordines, aut à voto ad contrahendum matrimonium, poteſt quidem non ſuſcipere ordines, aut non cōtrahere nuptias, non poteſt tamen per ſolam renuntiationem ſe iterum illigare irregularitate aut voto, niſi ſimile emittat. Renuntiare autem priuilegio eſt priuare ſe poteſtate licitè quidpiam faciendi, aut omittendi, ita vt non tantùm non vtatur aliquis ſuo priuilegio, ſed ne quidem illo licitè vti poſſit deinceps; quæ duo diuerſiſſima ſunt & non-vſus priuilegij voluntarius frequens eſt; plurimi enim qui poſſent licitè non ieiunare, ieiunant tamen. Ratio eſt: quia vſus priuilegij liberrimus eſt, & vix vnquam obligat priuilegiatum niſi quatenùs alterius iuri præiudicat non vtendo, aut opus licitum redditum per priuilegium imperatur alio præcepto, vt auditio Sacri die feſto durante interdicto, ab eo cui tunc licet Sacris intereſſe; in quibus caſibus obligatio vtendi priuilegio, non oritur præcisè ex vi & natura priuilegij. Loquimur verò de vera renunciatione priuilegij, hoc eſt poteſtatis illo vtendi quæ ſit expreſſa vel tacita, ſed aliunde. 12

Expreſſa renuntiatio continet voluntatem formalē licet non neceſſariò ſpecificam abdicandi à ſe totum ius priuilegij exterius aliquo modo proditam, & à concedente acceptatam, aut ab alio tertio iuxta naturā priuilegij cui renuntiatur acceptari debet illa voluntas formalis: quia ab ea totam vim habet renuntiatio, debet etiam eſſe de abdicando iure priuilegij, nam ſi de non-vſu duntaxat proponendo, ſcilicet ſe nunquā vſurum priuilegio, poterit mutari voluntas, & vſus priuilegij erit licitus: non eſt tamen neceſſaria ſpecifica, quia non confunditur cum formali, quo nomine intelligo expreſſam voluntatem, quæ poteſt eſſe etiam generica, quæ eſt ipſum genus & ſpecies in eo confusè contentas formaliter & expreſsè vult, licet cognitio proponens obiectum diſtincta non ſit, ſed confuſa, ratione rei repræſentatæ; ſed tunc erunt ſeruandæ vulgares iuris regulæ, videlicet ſub generali conceſſione non veniunt, quæ in ſpecie non eſſet quis 13

concessu

conceſſurus. Clauſula generalis comprehendit ſpecies quantum poteſt ſaluâ ratione iuris & recti ſermonis.

Debet ea renunciatio prodi exteriùs, & acceptari à tertio cuius intereſt, quia ſola interior voluntas nullam inducit obligationem, cui per mutationem voluntatis & propoſiti non poſſit deinde renuntiari, niſi fiat per modum promiſſionis quæ ſi alteri quàm Deo fiat, debet illi innoteſcere, & ab illo acceptari, alioqui poterit mutari voluntas etiã ſuper eo iure quo ſe ſpoliarat, atque iterùm illud ſibi aſſumere. Quamuis igitur velit quis abdicare à ſe ius abſoluendi à reſeruatis, aut vtendi exemptione à ſuperiore data, quandiu tamen ea volitio non acceptatur, poterit mutare propoſitum, & licèt velit non vti poſſe iure, quod in alium ſuo priuilegio acquiſiuit, niſi illa promiſſione acceptata ab alio ipſi ſuum ius reſtituat, licebit mutare ſententiam, ſicut in omnibus aliis propoſitis. Patet in beneficio, quo nullus ſe abdicare poteſt ſua voluntate, niſi in manibus Epiſcopi, aut Pontificis dimiſſionem acceptantis poſuerit. Acceptatio autem à ſuperiore fit vel conſequenter ad renuntiationem, vel antecedenter quando datur eâ conditione priuilegium, ſi acceptauerit, vel ex aliqua alia iuris diſpoſitione.

14 Tacita renuntiatio debet fieri primò per non-vſum qui valet in ſolis priuilegiis affirmatiuis, in negatiuis nonnunquam vti licet, ac proinde non-vſus eſt vſus eorum. Non-vſus autem iſte voluntarius eſſe debet priuatiuus, non negatiuus: cùm enim præcepta affirmatiua, ſicut & priuilegia non obligent ſemper, & pro ſemper, poteſt non vti priuilegio, quando nulla occaſio & neceſſitas eſt eo vtendi, & tunc eſt non-vſus negatiuus, ex quo præſumi animus renuntiantis non poteſt, cùm vſui tunc non ſit aut locus, aut tempus. Quando verò neceſſitas vtẽdi priuilegio ingruit, & tamen aliquis ſciens ac volens eo non vtitur, tunc eſt non-vſus priuatiuus, qui ſignum aliquod eſſe poteſt voluntatis priuilegio renuntiantis, per iſtum autem non-vſum priuatiuum priuilegia aliis oneroſa amitti poſſunt per modum præſcriptionis: quia videlicet alij ius præſcribunt contra priuilegiatum, hæc enim priuilegia redundant in quandam aliorum ſeruitutem & obligationẽ. Quare iura quæ diſponunt de amiſſione ſeruitutum per non-vſum, locum habent in ſimilibus priuilegiis. Vnde etiam fit vt non-vſus certi alicuius temporis requiratur, quod nempè neceſſarium eſt ad præſcribendum contra alium: interuenit etiam ſæpiſſimè actio aliqua præſcribentis contra non vtentem priuilegio, v. g. ſi fiat electio ſine priuilegiato ad eligendum.

15 Priuilegia quæ ſunt puri fauores non amittuntur per non-vſum, neque per modum præſcriptionis, vt patet, neque per modum tacitæ renuntiationis, cùm non-vſus non ſit ſignum ſufficiens voluntatis renuntiantis iuri vtendi priuilegio, ſed tantùm ipſius vſus, quæ renuntiatio impropria eſt, & inſufficiens ad deperditionem priuilegij, ſed ex aliqua iuris diſpoſitione eiuſmodi, non vſum, tacitam renuntiationem interpretantis, vnde quando omnia iura tum communia, tum priuata de eo non-vſu in aliquo priuilegio ſilent, nullum tempus, etſi longiſſimum, ſufficit vt ſolo non-vſu pereat priuilegium. Vbi autem iura diſponunt, tunc eo tempore exacto perit priuilegium: quia fuit conceſſum cum ea conditione vel à concedente, vel ab ipſo iure expreſſa. Quare ea amiſſio non fit propriè per tacitam renuntiationem, ſed defectu conditionis impletæ, quam conceſſio priuilegij connotabat. Hinc vides priuilegia quæ ab aliis præſcribuntur propter non-vſum ipſorum amitti non tantùm in foro externo, ſed etiam in conſcientia, etiam ſine vlla fori contentioſi declaratione, quando ſufficienter priuilegiato conſtat de legitima alterius præſcriptione ex communi doctrina de præſcriptione. Quare dum impeditur præſcriptio, durat priuilegium non obſtante quocumque non-vſu etiam longiſſimo. Priuilegia quæ non amittuntur præſcriptione, non pereunt in conſcientia, immò neque in foro externo per vllum non-vſum etiam longiſſimi temporis, quia tunc neque eſt præſcriptio, neque tacita renuntiatio, neque eſt vnde tempus certum definiatur. Quando autem ex peculiari iuris diſpoſitione amittuntur per decennij non-vſum, incertum putat Suar. *lib. 8. c. 34. n. 29.* an amittantur in conſcientia.

Contrarius vſus valet in priuilegiis negatiuis, cùm includat actum poſitiuum, qui ſoli omiſſioni contrarius eſſe poteſt, debétque eſſe formaliter exemptioni priuilegij contrarius, ſolutus v.g. à ieiunio, ſi diebus non præceptis ieiunet, non facit actum ſuæ exemptioni contrarium, quia ea exemptio non cadebat in illos dies, debet etiam ille actus oſtendere agentem ſe ſubdere obligationi, quam auferebat priuilegium; quare ſi quis in quadrageſima ieiunet, tantùm ex deuotione, non facit aliquid contra ſuum priuilegium. Denique fieri debet à perſona, quæ poſſit renuntiare priuilegio, quia nempè eſt immediatum & adæquatum eius ſubiectum; alioqui cum nequidem expreſsè renuntiando poſſit deſtruere priuilegium, multò minùs id poterit per ſolam tacitam renuntiationem, quæ in contrario vſu eſſe cenſetur; de hoc autem actu contrario eodem ferè modo erit ſentiendum: nam

Primò per vſum contrarium renuntiatur priuilegio 16
ſecundùm quid, hoc eſt, ſecundùm fructum priuilegij quoad præſentem actum, v. g. qui ſoluit decimas, eas repetere nequit, quamuis gaudeat priuilegio non ſoluendi, atque ita eſt intelligenda communis ſententia Iuriſtarum de amiſſione priuilegij per actum contrariũ.

Secundò priuilegium non amittitur adæquatè ſecundùm ius, & poteſtatem, quam confert ad actus futuros per modum renuntiationis tacitæ, quia contrauueniendo priuilegio, illi non renuntiatur niſi in eo, in quo contrauenitur.

Tertiò per contrarium vſum amittitur priuilegium adæquatè, per modum præſcriptionis: ſi enim id poteſt fieri per ſolum non-vſum, multò magis per vſum cõtrarium. Hinc fit, vt non amittatur vnico actu contrario, quando non conſiſtit in indiuiſibili, aut non conſummatur vnico actu, ſed neceſſarij ſunt plures, vt præſcriptio per totum tempus requiſitum ex iure, ſiue ſit decennium ſiue aliud longius, continuetur, & non interrumpatur. Quare ſi quis poſt contrarium actum aliquid faciat, quo eum videatur retractare, interrumpetur præſcriptio, & per illum non amittetur. Sequitur etiam non amitti priuilegia, quæ ſunt puri fauores per ſolum vſum contrarium, etiam longiſſimi temporis, niſi id ſignificetur in iure aliquo, & ita circa tale priuilegium diſponatur, quia in priuilegiis non valet præſcriptio. Sequitur tertiò proteſtationem, quæ fit aliquando à priuilegiario, valere ne hinc incipiat tempus præſcriptionis, aut etiam ne noceat quoad præſentem actum, & ne ex eo colligatur renuntiatio partialis, poſſitque quis dicere v.g. ſe coactum ſoluere decimas, eas repetere, & non tantùm ne cogatur in poſterum ſoluere & pro tẽpore ſequenti ſuo priuilegio cadat. Sequitur deniq; amitti in foro tum interno, tum externo priuilegiũ præſcriptione cõparata per contrariũ vſum, non à iure, præſcriptione per tacitam renuntiationem, quæ ſi à iure contineatur, incertum eſſe diximus an in conſcientia ante iudicis ſententiam obliget.

Abuſus priuilegij duplex eſt: primus formalis 17
per exceſſum, quo quis vtitur priuilegio amplius quàm

ipſum ferat. Secundus eſt occaſionalis, quòd priuilegium ſit occaſio peccandi, dum exemptus v.g. à iuriſdictione Epiſcopali, inde ſibi ſumit occaſionem inſurgendi in Epiſcopum, aut dum quis frui priuilegij ſuis actibus repugnat, vt exemptus à reſidentia, vt litteris vacet, nugis tempus impendit. Abuſus tollit priuilegium aliquando totaliter, ſecundùm ipſum ius, ac facultatem: aliquandò ſecundùm quid quoad actum, qui tunc ex priuilegio exercetur, *diſtinct.* 74. *cap. vbi. priuilegium meretur amittere qui permiſsâ abutitur poteſtate*, quod repetitur *cap. priuilegium* 11. *q.* 3. & *alibi* ſæpius; nec amitti autem totum ſemper priuilegium patet; quia cum hæc amiſſio ſit quædam pœna, quilibet abuſus non ſemper æquali dignus eſt pœnâ; & experientia docet priuari quoſdam ad tempus facultatibus aliàs conceſſis ad definitum aliquod tempus, aut in ordine ad quoſdam tantùm actus ſeu effectus.

Amittitur itaque priuilegium per abuſum duobus modis, primò ex natura rei in ordine ad actum illum quem ſupra vires eius, aut contra formam in eo præſcriptam priuilegiatus exercet, qui abuſus potiùs facit inualidum actum defectu poteſtatis, & priuilegij, quàm tollendo priuilegium, aut quia tollitur fundamentum priuilegij, v. g. ſi quis non reſideat prætextu ſtudiorum, & tamen non ſtudeat, non facit fructus ſuos, quia officium quo defungi debebat reſidendo commutatum erat in ſtudium: ſed hæc deſitio priuilegij impropria eſt.

Secundò ex iuris diſpoſitione, & tunc opus eſt ſententiâ ſaltem dictatoriâ, neque ipſo facto amittitur priuilegium, licèt iuſtè deindè tollatur, & aliud eſt facto ipſo abiicere priuilegium, aliud amittere: prius enim pœnitentiæ eſt, & ſine poſteriori eſſe poteſt.

Reuocatio priuilegij.

1 Fit à concedente aut qui ipſi in dignitate ſucceſſit, aut etiam inferiori, quoties in lege ſuperioris poteſt diſpenſare, aut priuilegium concedere, ita vt in his omnibus ſit ſeruanda proportio. Poteſt quoque à ſuperiori in his quæ ab inferiori conceduntur, quando inferior pendet in ſua iuriſdictione, immediatè à ſuperiore, vti aliàs de condendis legibus dicebamus. Sic igitur ſtatues: non poteſt reuocari priuilegium factum non ſubdito & ab illo acceptatum, quia nemo poteſt non ſubditum priuare ſuo iure; acquiſiuit autem ius aliquod ratione priuilegij, quod tranſiit etiam in contractum, & eo per reuocationem priuari nequit ab eo cuius iuriſdictioni non ſubiacet. Si tamen illud priuilegium contineret quandam alienationem bonorum aut iurium Coronæ, vel Sedis, vel in graue damnum illius vergat, aut ex natura ſua, aut ex inſigni mutatione rerum facta, tunc reuocabile eſt à ſucceſſore, quia non eſt perpetuum, neque fuit abſolutè conceſſum, ſed cum virtuali conditione, ſi ſucceſſor non reuocarit, aut conſenſerit: quia ea conditio ſequitur eiuſmodi bonorum aut iurium naturam. Neque tenetur Princeps contractibus in grauem Coronæ iniuriam à prædeceſſoribus initis, qui ad ita dilapidanda bona regni & iura Coronæ facultate carebant: tunc enim hæc reuocatio priuilegij impropria erit, ſed potius declaratio, primam priuilegij conceſſionem non fuiſſe extenſam ad eum euentum.

2 Secundò priuilegia conceſſa ſubdito, onероſa, lucratiua, & per modum contractus etiam à principe reuocari nequeunt, quia nequit ſubditum priuare ad libitum iure ſuo, aut ſuis bonis, debétque ex naturali iuſtitia ſeruare pacta atque contractus, etiam cum ſubditis initos. Si tamen vrgeret aliqua neceſſitas publica ea priuilegia reſcindendi, id poſſet, ſicut etiam ſuis bonis ſpoliare, quæ erit potiùs declaratio iuridica extenſionis aut reſtrictionis priuilegij, quàm vera reuocatio: tenebitur etiam Princeps aliquo modo ſubditi damnum per compenſationem reſarcire. Ad hoc reducitur priuilegium remuneratorium, quia videtur dari per modum contractus, maximè ſi remuneratio fiat ex iuſtitia, & non ex ſola gratitudine, modò illa remuneratio non ſit exceſſiua. Priuilegium quoque conceſſum cum onere alicuius obligationis, aut conditionis in futurum, impletâ eâ conditione eſt irreuocabile.

Tertiò priuilegium gratis conceſſum, vt dominium alicuius rei in priuilegiatum transferens, eſt irreuocabile, cùm princeps nequeat ad libitum dominia rei, aut iura ſubditorum ſibi ſumere, aut donationem à ſe factam & acceptatam reſcindere; ſi tamen iuſta cauſa publica id exigat, non tenebitur princeps damnum ſubditi compenſare, vt diximus, teneri in reuocatione priuilegij oneroſi, aut ex iuſtitia conceſſi; quia cùm hæc donatio liberalis fuerit, non debet ea ita nocere principi, qui eam non niſi cum ea conditione dedit. 3

Priuilegium gratuitum quo conceditur tantùm facultas aliquid agendi, aut omittendi præter, aut contra commune ius, ad libitum reuocabile eſt, quia non tranſit hoc priuilegium in ſubditi dominium, ſempérque pendet à voluntate principis, qui cùm nouam legem ponere poſſit, tunc nouam obligationem imponit, & exemptionem à lege tollit. Hinc fit vt diſpenſationem in voto nequeat reuocare Pontifex: quia voti vinculum ponere nequit; diſpenſationem autem in matrimonio ante illud contractum reuocabit validè, quia poteſt eas perſonas inhabiles ad contrahendum reddere. Quamvis igitur poſſit peccare, ſi iuſta cauſa deſit, in reuocandis eiuſmodi priuilegiis, valida tamen erit reuocatio.

Quintò reuocatio fit vel per clauſulam ſpecialem, vel per generalem tantùm, videlicet *non obſtantibus quibuſcumque priuilegiis*: quæ clauſula ſufficit, niſi in tribus caſibus. Primò quando priuilegia reuocanda, ſunt inſerta iuri communi: eius enim tunc naturam ſequuntur, & ipſis per generales tantùm clauſulas non derogatur, ſicut neque ipſi iuri communi. Secundò ea quæ ita conceduntur, vt reuocari nequeant, niſi ipſorum de verbo ad verbum fiat mentio, vt enim clauſula generalis ipſis deroget debet eſſe reſpectiua, *non obſtante tali clauſula, aut priuilegio quacunque verborum forma conceſſo*. Tertiò quæ per modum contractus conceduntur: debet enim addi clauſula, *etiamſi per modum contractûs fuerit conceſſa*. 4

Sextò tacita quædam reuocatio eſt quoties Princeps facit aliquem actum, qui non poteſt ſubſiſtere, niſi alicui priuilegio, vel adæquatè, vel inadæquatè deroget, ita tamen vt ſciat priuilegium faciátque actum illi repugnantem, volens non obſtante eiuſmodi priuilegio. Cùm enim ſint tunc in Principe duæ voluntates ſeſe deſtruentes, & contradictoriæ; poſterior priorem excludet, ac proinde eius effectum tollet. In his porrò. 5

Septimò, hæ regulæ ſeruandæ traduntur à Suar. *c.* 39. Prima. Per legem vniuerſalem non derogatur etiam tacitè priuilegio non contento in iure, niſi eius fiat mentio, aut ponatur clauſula generalis derogatoria priuilegiorum: quia princeps non præſumitur ſcire ius priuatum, ac proinde neque illi velle derogare. Secunda. Per particulare reſcriptum Principis non derogatur tacitè priuilegio niſi clauſula derogatoria ponatur propter eandem rationem. Tertia. Per ſententiam reprobatur priuilegium, hoc eſt, oſtenditur eius 6

nullitas,

nullitas,non autem reuocatur. Quarta. Prius priuilegium non tollitur per ſubſequens, per tacitam reuocationem,quia poſterius non præualet contra primum niſi eius mentionem faciat (præſumitur enim Princeps ignoraſſe primum) diminuitur tamen interdum ex parte quandò non eſt ſpeciale & præcedens generale : Princeps enim per fauorem generalem non cenſetur ſibi facultatem adimere concedendi particularem illa generali, *non obſtante*.

Octauò. Notitia reuocationis haberi debet à priuilegiato,vt reuocatio ſortiatur effectum, de qua notitia philoſophandum eſt vt de notitia ipſius priuilegij , aut legis pro ratione, qua fit reuocatio : poteſt enim fieri aliquando per modum legis vniuerſalis omnia vel plura priuilegia reuocantis.

CAPVT VIII.

Modi quibus ceſſat obligatio legis humanæ.

TRes vulgò numerantur , interpretatio, ceſſatio, & abrogatio, de quibus ſingillatim pauca quædam. Sit igitur aſſertio :

Interpretatio aliquando legem ad caſus verbis non comprehenſos extendit , aliquandò reſtringit , aliàs ab eius obligatione excuſat , eam emendando per æquitatem ſeu epiichiam. In omnibus autem mentem legiſlatoris aſſequi conatur : ceſſat quoque lex ceſſante eius causâ finali contrariâ, vel etiam aliquandò negatiuè , & denique per abrogationem.

QVÆSTIO I.

De interpretatione Canonis.

AGo imprimis de interpretatione, quæ eſt declaratio quædam ſenſus legitimi legis, quæ vel auctoritatiuè fit ab ipſomet principe,eáq; vicem legis atque obligationē habet,vel doctrinaliter à viris prudentibus & peritis,de quo ſolùm agimus modò, illique tres præcipuè effectus aſſignamus. Primus eſt extendere legem, quod fieri poteſt tripliciter. Primò vt extendatur ad omnia quæ ſignificatione verborum tum vſitata & veluti naturali , quam videlicet habent ex prima hominum impoſitione , tum ciuili, hoc eſt quam apud iura ſortiuntur ante forum , comprehenduntur. Secundò ampliando legem ad caſum aliquem,qui non contineatur in propria verborum legis ſignificatione naturali,& ciuili,vndè fiat vt impropriè ſumantur. Tertiò reſpiciendo potiùs rationem , quæ eſt anima legis , quàm verba , & eam ad ſimiles caſus propter paritatem rationis , aut identitatem extendendo.

Quoad primum extenſionis modum , quotieſcunque lex per ſe odioſa non eſt , extendenda eſt ad omnia quæ ferre poteſt naturalis verborum proprietas,ac ſignificatio, v. g. ſi agatur de filiis,filiæ quoque comprehendendæ ſunt ; quia cùm homines vulgò verba propriè vſurpent , id maximè in legibus fieri debet, quare ab illa ſignificatione extrahi non debent , niſi aliqua ratio iniuſtitiæ vel abſurditatis,quæ alioqui ex ſignificatione ſequeretur, ad id cogat ; neque propter eandē cauſam debent in ſuam ſignificationē coarctari.

Secundò , quando verò lex eſt , non tantùm non odioſa , ſed etiam fauorabilis, extendi debet ad omnem proprietatem verborum tum naturalem , tum iuridicam & ciuilem , nunquam tamen ad impropriam ſignificationem , niſi grauis vrgeat ratio : quia nempè alioqui inutilis tota lex redderetur: melius enim ſit tunc ea interpretatione leges valere , quàm omninò perire, quod contingent, ſi aut iniuſta , aut impoſſibilis, aut inutilis redderetur. Extenſio autem illa ad ſignificationem ciuilem ſuadetur facilè , quia lex omnis ſua habet ſibi accommodata verba , quibus vti ſolet. Neque cogendus eſt legiſlator , vt ſemper verbis in naturali acceptione vtatur , & quoties agit de filio adoptiuo v. g. ſemper addat adoptiuum , & nunquam communi voce filij , qua in naturali & vulgari vſu , filij naturales primò indicantur , vtatur. Quare, cùm lex in fauorem filiorum loquitur , adoptiui ſolent comprehendi ; & ſeruus factus ingenuus , nomine enim ingenui intelligitur legitimatus , nomine legitimi , quia videlicet hi omnes participant diſpoſitiones in gratiam ingenuorum & legitimorum à iure factas : vnde lex loquens propriis verbis de caſu vero extenditur etiam ad fictum , vt in exemplis allatis conſtat.

Tertiò, non licèt extendere legem ad caſum non comprehenſum verbis eius ſecundùm propriam , naturalem,aut ciuilem ſignificationē cōſideratis propter ſolam rationis ſimilitudinem , & paritatem. Ita omnes qui negant interpretationem purè extenſiuam eſſe licitam ob ſolam rationis paritatem. Vocant autem purè extenſiuam interpretationem , per quam extenditur lex ad caſum non comprehenſum ſub mente Legiſlatoris : ſi enim fuerit aliquomodò comprehenſus , quamvis non ſatis ex ipſis verbis appareat , vocant extenſionem comprehenſiuam , eámque licitam eſſe , vt pluribus exponit Tiraquell. *l. ſi vnquam. verbo, libertatis , num.* 45. vnde ſic argumentatur Suar. *lib. 6. de legib. cap. 3. num.* 10. Extenſio quæ fit tantùm per ſimilitudinem rationis, purè extenſiua eſt, ergo non eſt licita. Conſequentia conceditur paſſim: & ſanè cùm mens ſeu voluntas legiſlatoris ſit ratio formalis & conſtitutiua legis , quidquid ea voluntate non clauditur , non clauditur etiam lege , ac proindè in eius obligationem cadit. Antecedens eſt etiam manifeſtum ; quia ſola ſimilitudo rationis non oſtendit aliquid comprehendi voluntate legiſlatoris : quia potuit ille circa vnum aliquid ordinare, & non circa aliud pro arbitrio , imò aliqua ratio poteſt occurrere, propter quam velit vnum fieri princeps, & non aliud ſimile , etſi appareat ſimilis ratio aliud præcipiendi ; quia ratio ſola non conſtituit ius aut legem , niſi accedat legiſlatoris voluntas: alioqui non poſſet, etiamſi vellet, impedire legiſlator ne lex extenderetur ſecundùm totam amplitudinem rationis , hoc eſt , ad ea omnia,in quibus ſimilis ratio reperietur : quia ſimilem rationem in quibuſdam inueniri,eſt quid illis intrinſecum , & à legiſlatore independens ; hoc tamen nullus dixerit , cùm totam ſuam efficacitatem obligandi lex ſumat à voluntate ferentis illam : atqui non conſtat in hoc caſu de legiſlatoris mente , cùm ea nullâ ratione verbis ſignificetur , & quamvis non dicat ſe velle eum caſum , ad quem fit extenſio , non dicit etiam ſe velle illum. Ad obligationem autem inducendā opus eſt poſitiuâ voluntate,& non tantùm negatiuâ , vt ita dicam , ſeu opus, principem ſtatuere non autem contrarium non ſtatuere. Neque (quod vnum objici poſſet) ratio ſimilitudinis ſufficiens eſt ſignum voluntatis ſuperioris , cùm iam dixerim poſſe principem pro arbitrio circa vnam materiam, & non circa aliam illi ſimile quidpiam ſtatuere , vt taxare

pretium panis & non vini, imponere tributum pro aliquo genere mercium, & non pro alio, etſi æquè vtiles aut extraneæ, aut expertitæ ſint. Atque hæc ratio procedit circa omnes lege odioſas & fauorabiles, correctorias & non correctorias quoad vim decretiuā & obligationē in conſcientia, ſeu vim præceptiuā, aut prohibitiuam. Circa leges autem pœnales non provt aliquid prohibent, aut iubent, de quo modò diximus, ſed provt imponunt pœnam, communiſſima eſt aſſertio, apud Sanch. *lib.* 10. *de matr. d.* 3. *num.* 3. vbi identitatem rationis vſurpat pro pœna. Et ratio aperta videtur; pendet enim ex voluntate principis, vt huic crimini hanc pœnam imponat, & non aliam, licèt enim proportionatam infligere debeat, nulla tamen in indiuiduo determinata eſt ex natura rei; imò poteſt nullam imponere; ſed permittere imponendam iudici. Vnde igitur conſtat ſimilia delicta ſimili pœnā lege puniri, cùm tamen lege ipſa non exprimatur? & quis dicat incendiarium incurrere cenſuram quam iura infligunt percutienti Clericum, quia incendiarij crimen grauius eſt ea percuſſione non incurrere illam? Quis adulterum velit plectēdum pœnā, quam lex furto impoſuit? Vt pœna igitur quam lex ſtatuit incurratur, debet committi idem ſpecificum delictum, & eodem etiam modo conſummari, quo exprimitur in lege; alioqui ſimilitudo delicti, aut paritas nihil facit, vt ex doctrina receptiſſima in materia de cenſuris conſtat.

3 Hæc tamen rationis paritas vtilis eſt in foro externo, vt in ſimili caſu iudicetur: quia eſt regula quædam, quam prudenter ſequitur iudex, atque hoc ſenſu loquuntur Iuriſtæ, dùm lege tacente volunt procedatur à ſimilibus ad ſimilia, & caſum ſimilem expreſſo non cenſeri omiſſum, cùm in vtroque ratio militet. Et ſanè prudentiæ conſentaneum eſt veſtigia ſapientum in ſimili cauſā ſectari. Demùm quia fortaſſe ad iudiciū ferendum conſentaneè legi diſponenti in ſimili caſu obligantur iudices, non præcisè vi legis id in ſimili caſu ordinantis, ſed vel ex ipſa conſuetudine, vel ex aliis legibus ita iubentibus: nam *l. non poſſunt ff. de legibus. Non poſſunt omnes articuli ſigillatim, aut legibus, aut Senatuſconſultis comprehendi, ſed cum in aliqua cauſa ſententia eorum manifeſta eſt, is qui iuriſdictioni præeſt ad ſimilia procedere, atque ita ius dicere debet:* quia nempè hæc ſimilitudo eſt iuris præſumptio, contra quam non admittitur directa probatio: nos verò loquimur de foro interno & obligatione in conſcientia ex vi directiua legis quidpiam prohibentis, aut præcipientis, negamúſque oriri ex extenſione, quæ fiat ad caſum non comprehenſum lege, propter ſolam rationis ſimilitudinem.

4 Quartò, poteſt in omni lege fieri extenſio ad caſum verbis non comprehenſum propter identitatem rationis adæquatæ. Ita Suar. *cap.* 3. *lib.* 6. *de legib. n.* 16. & communiter vtriuſque iuris DD. quia hæc extenſio coincidit cum ea, quam vocant comprehenſiuam, ac proindè fit tantùm ad caſus mente legiſlatoris comprehenſos, quamvis verbis non expreſſos. Cùm enim ratio ea adæquata dicatur, quæ ſola mouit principem ad condendam legem, éſtque finis vnicus integrè intentus per legem, omnes caſus, in quibus reperietur, habebunt totum finem legis, & rationem motiuam, ac proindè ea continebuntur, aut ſi excipiantur, iniuſtè excipientur. Repugnabit enim prudentiæ & iuſtitiæ ordinare in quibuſdam caſibus, ita diſponere ob quandam rationem, & non in aliis eandem omninò rationem participantibus, cùm ſint neceſſariò inter ſe connexi. Vnde ſi caſus aliquā ratione contineantur in lege, vel in propria & latiori ſignificatione verborum, vel in impropria, quæ tunc ad vitandum incommodum aliquod vſurpanda ſit, vel quibuſdam aliis circumſtantiis, ex quibus de mente legiſlatoris circa eos caſus colligatur, alioquin ea fuiſſet iniuſta, & imprudens.

Dixi autem hanc regulam in omni lege valere, vt comprehendam etiam pœnalem, quod tradit etiam Sanch. *lib.* 3. *de matrim. d.* 41. *num.* 4. & ratio *ſuperius* allata hanc quoque partem manifeſtè probat: quia niſi ratio adæquata omnes caſus, in quibus reperitur, comprehendat, vel non implebitur integrè tota ratio legis, vel erit iniuſta & irrationalis. Quod autem vulgò dicitur, pœnas & odia reſtringenda eſſe, intelligenda ſunt de extenſione voluntaria, & non neceſſaria ad æquitatem, & rectitudinem legis, cuiuſmodi eſt ea, de qua modò agimus: ſed quoties non poteſt ſeruari legis iuſtitia, quæ ſuam habet latitudinem, & non conſiſtit in indiuiſibili, ſemper benignè interpretanda eſt pœnalis lex, ſeu, ſi mauis, dic extenſionem comprehenſiuam, eſſe potius adæquatam interpretationem, ac declarationem quàm extenſionem: quia omnes iſti caſus vnum obiectum velut adæquatum conſtituunt, propter connexionem inter ſe, vel quia correlatiua ſunt, vt maritus & vxor, pater & filius, vel in eodem principio radicantur, vel vnum in alio tanquam pars in toto, imperfectum in perfecto, minus in maiori, aut ſecundùm communem ſenſum continetur. Atque hæc extenſio, tum ad actiones primariò, & propriè, tum ad perſonas quæ obligantur, tum ad loca & tempora ſuo modo & proportione fieri debet.

Secundus effectus interpretationis eſt reſtrictio legis, de qua eædem, quæ de extenſione ſeruandæ ſunt regulæ. Nunquam enim fieri debet intra & contra propriam verborum naturalem ſignificationem, niſi ad vitandam aliquam abſurditatem; quæ alioqui eſſet in lege, aut quia ratio legis non eſt adæquata verbis legis, ſi ſecundùm totam ſuam amplitudinem intelligantur, aut denique propter ſubiectam materiam, quæ vel ex natura ſua, vel ex iuris alterius diſpoſitione, vel ob adiunctas circunſtantias ſtrictiori modo ſumenda eſt, quàm videantur ferre verba legis, quamquam hic modus legem reſtringendi non videatur diſtinguendus à primo, in quo, ne lex fiat aut iniuſta, aut inutilis, aut acerbior & durior, aut illuſoria, reſtringitur. Hæc enim omnia incommoda naſcuntur, vel ex natura ſubiectæ materiæ, vel ex circunſtantiis, vel ex alio iure. Tota porrò aſſertio manifeſta eſt ex ſuperioribus. 5

Tertius effectus interpretationis, eſt emendatio legis per æquitatem, & epiichiam. Eſt autem epiichia apud Ariſt. *l.* 5. *ethic. cap.* 10. aliàs 14. & S. Thom. 1. 2. *quæſt.* 6. *art.* 6. *&* 22. *q.* 120. tota virtus iuſtitiæ ſubiecta quæ actuum humanorū regula exiſtens communem prouehit vtilitatem, atque iuſtitiæ æquabilitatem tuetur, ſupplendo nempè ex recta ratione quod in verbis legis deeſt. Quia enim lex vniuerſale quiddam continet, & ob rerum mutationem in quibuſdam aliquando deficit, dicitur emendari per æquitatem, quam ideò iuſto legitimo præfert Ariſtoteles, vnde aliqui vocem Græcam deducunt ab ἐπὶ, quæ præpoſitio in compoſitione vim augendi habet, & εἰκὸς quod ſignificat par & decens; eſt enim ſummi iuris moderatio. Sed de ſignificatione huius vocis vide Vaſqu. 1. 2. *d.* 176. *c.* 1. Illius naturam perſpicuè tradidit *l. cit.* Ariſtoteles *equum & bonum iuſtum quidem non à lege, ſed emendatio legitimi iuſti. Cauſa autem eſt, quia lex quidem omnis vniuerſalis eſt, fieri autem non poteſt vt de quibuſdam vniuerſaliter rectè dicatur. In quibus igitur vniuerſaliter quidem dicere neceſſe eſt: fieri autem non poteſt vt rectè dicatur in iis lex id accipi, quod* 6

fit

ſit plerumque non ignorans peccatum, & eſt nihilominus recta: peccatum enim non eſt in lege, nec in legiſlatore, ſed in ipſa rei natura: continuatio namque rerum earum quæ ſub actionem cadunt, talis materia eſt. Cùm igitur lex quidem vniuerſaliter loquitur, in his autem præter vniuerſale quippiam accidit, tum rectè ſeſe habet, vt ea parte qua legiſlator omiſit, atque peccauit abſolutè locutus, emendetur defectus, quod & ipſe legiſlator, ſi adeſſet hoc modo dixiſſet, & ſi ſciuiſſet, iubentem legem tuliſſet. Hinc colligit æquum præſtabilius eſſe aliquo iuſto, non tamen ſimpliciter iuſto, ſed eo quod poteſt præteteà, quod ſimpliciter dictum eſt, atque æquitatem eſſe emendationem legis, ea parte qua deficit ob vniuerſale, & quia non omnia ſunt in lege, cùm de quibuſdam impoſſibile ſit ponere legem, vnde opus eſt æquitate, & prudentia: indefinitæ enim rei indefinita regula eſt: ſicut & ad ædificationem lesbiæ plombea norma: ad lapidis enim figurã mutatur, & non manet etiam decretum cum ad res ſimili modo accommodatur. Ex quibus colliges primo cauſam huius virtutis non eſſe miniſtiriam legis, aut principis, ſed materiæ mutabilitatem, ac defectibilitatem naturalem. Secundò amplitudinem eius: continet enim omnem legem humanam, quatenùs purè humana eſt, ſi enim ſit declaratiua tantùm iuris naturalis, non magis eſt emendabilis quàm ipſa lex naturalis, quæ & immutabilis & indefectibilis eſt, vtí diximus olim, ac proindè omnis emendationis incapax. Tertiò, dignitatem æquitatis, quæ ipſo iuſto legitimo nobilior dicitur ab Ariſtotele: quia & bonum publicum reſpicit, dum legem emendat, & maiori bono, quod legis obſeruationi repugnabat, ſtudet, & malum quod imminebat impedit. Ob altiorem denique finem & conſiderationem quam fuerit legi præfixus, operatur, aut potiùs ipſa meliúſque ſatisfacit menti legiſlatoris, quam iuſtitia legalis: ita appello iuſtitiam quæ ſolis verbis legis ſatisfacit. Quartò, quibus actibus conſtet æquitas: ſupponit enim primò actum prudentiæ iudicantis hic, & nunc æquum eſſe propter altiorem finem, non eſſe ſeruandam legem, v. g. arma non eſſe reddenda domino furioſo, muros conſcendendos vt propulſetur hoſtis ſubitus, contra legem eam conſcenſionem abſolutè prohibentem, dicitúrque hic actus gnomon, ſicut ille quo legis verba ſeruanda eſſe iudicatur, dicitur ſyneſis. Hic actus in principe pertinet ad politicam prudentiam; in ſubdito ad communem: alterius actus eſt voluntas parentis illi iudicio, & facientis contra verba legis ex affectu honeſto, vnde fit vt quia ex varia honeſtate contra legem operari poteſt in eo caſu, non ſit vna peculiaris quædam virtus, ſed ad varias pertineat: ſingulæ enim ex affectu propriæ honeſtatis poſſunt inclinare ad faciendum contra verba legis, præſuppoſito illo actu prudentiæ ſeu gnomes, qua iudicatur lex prout ſcripta iacet, & intellecta offenſiua, ac emendatione egens in caſu particulari. Ita Leſſi. *lib.* 2. *cap.* 47. *dub.* 9. Et ſanè, qui contra legem muros tranſcendit hoſte imminente, id facit ex pietate patriæ: qui depoſitum non reddit domino furioſo affectu iuſtitiæ & charitatis, qui Sacrum die feſto non audit, vt ægroto miniſtret, atque ita de aliis. Quintò nihilominùs ad iuſtitiam ab Ariſtotele refertur, quia, vt ait Suar. *lib.* 6. *de legib. cap.* 6. *num.* 6. princeps ita ſuam legem emendare ſolet, aut ex affectu iuſtitiæ legalis, quæ ad bonum commune ordinatur, aut ex iuſtitia commutatiua, ne nimis grauet ſubditum in tali caſu, contra æquitatem illi debitam: ſubditus autem quia per iuſtitiam ſatisfacit verbis & menti legiſlatoris, cùm id maximè per hanc æquitatem ſeu epiichiam rectè ad iuſtitiam reuocetur. Addit tamen Leſſius *num.* 68. æquitatem poſſe conſtitui vnam virtutem, quæ reſpiciat tacitam mentem legiſlatoris, quæ fert vt in quibuſdam euentis fiat contra verba legis, propter altiorem quendam finem: atque hic finis per ſe honeſtus eſt, vt patet, & ad aliquam virtutem poterit pertinere. Itáque ſumpſiſſe dicit S. Thom. 2. 2. *q. cit.* & Ariſtotelem quamquam ſæpiſſimè à verbis legis recedamus, potiùs ne aliam virtutem offendamus, quàm vt tacitæ menti principis pareamus, quámque eam eſſe mentem eius in eo caſu, ne verbis ſcriptæ legis inhæreamus, iudicemus neceſſe ſit.

7. Reſtat autem inquirere, quando ceſſare debeat ratio legis ſcriptæ, vt contra eam operemur per epiichiam: dicendúmque eſt, non ſolùm negatiuè, ſed etiam contrariè deſinere debere, alioqui non erit malum ſeruare legem, quando ad eius obſeruationem obſtringi poſſumus, vt tunc reuerà obſtringimur, vnde enim conſtat non obſtringi? poſſunt enim eſſe vniuerſaliores quidam fines, propter quos licitè, etiam iuſtè velit princeps ſuam legem ſeruari, etiam eo caſu, in quo finis per eam legem proximè intentus, non vrget: quandoquidem nihil in contrarium impellit. Et ſanè Ariſtoteles ait eſſe emendationem legis propter ſuam vniuerſalitatem in caſu peculiari peccantis, & deficientis: quod peccatum aliud non eſt, quàm quod eam ſeruando aliquid iniquum admittitur, aut ipſamet lex, etſi iuſtum alioqui præcipiat: quia tamen cum nimio grauamine & incommodo, periculo videlicet vitæ, impoſſibilis redditur, ac proinde nulla, vt ex *ſuprà* dictis intelligitur. Eo igitur duplici emendanda eſt, ex ipſamet iuſtitia, quæ legem tulerat, & conſentaneè ad mentem Principis, qui ita præceptutus erat: quæ omnia ſupponunt, vt vides, deſitionem aliquam finis, aut rationis legis per contrarietatem, & non per ſimplicem negationem, alioqui vbi ceſſabit finis proximus legis alicuius, Eccleſiæ v. g. ieiunij, licebit contra eam operari, quod eſſet viam aperire violandis paſſim legibus, maximè ciuilibus: non eſt tamen opus vt in eo caſu ſeruare legem, ſit contra bonum commune, ſed ſufficit vt ſit contra notabile bonum illius perſonæ particularis, vt ſi ei grauiſſimum aliquod incommodum afferat. Ita lex ieiunij ægrotum non obligat; quia præſumitur mens Eccleſiæ ieiunia indicentis. Quia tamen damnum ciuium redundat in damnum ciuitatis, ſemper bonum commune virtualiter ſaltem & remotè in eiuſmodi æquitate intendi dicitur.

QVÆSTIO II.

De ceſſatione legis ceſſante cauſa.

An ceſſante fine interno, n. 1.
An fine indifferente, n. 3.

OBligationem legis vnà cum ipſa lege ceſſare ambigi non poteſt, ceſſare autem legem ceſſante finali cauſa eius, omnes æquè conſentiunt: ſed quæritur an negatiuè tantùm, an etiam contrariè ceſſare debeat?

1. Dicendum eſt cum Suar. *lib.* 6. *de legib. cap.* 9. legem quæ habet pro materia actum aliquem honeſtum naturâ ſuâ, quem conſtituit in aliqua materia virtutis, ceſſante vniuerſaliter fine adæquato extrinſeco legiſlatoris, vtpotè qui ab illo tantùm intentus eſt, & quo remoto non tuliſſet legem, non propterea ceſſat ipſo facto ratio & obligatio legis: quia ceſſante omni

eo

eo fine, qui tantùm extrinſecus eſt, manet adhuc materia legis, actus videlicet honeſtus, qui obligare poteſt, etſi fuerit imperatus, propter aliquem alium finem, ad quem conducebat, cùm tamen vtrumque voluerit ſuâ lege Princeps & honeſtum quem præcipit ſimul, finis ad quem eo actu collimabat aſſecutionem, etſi finis ille ſit obtentus, aut ratio eius quærendi modò ceſſet, non ſatis eſt vt ad actum honeſtum, quem præcipiebat lex, non teneamur, niſi ſuam mentem hac in parte princeps manifeſtet, v. g. ieiunium indictum fuerit ad carnis macerationem, fingatúrque aliqua communitas per aliquot tempus, quo erat indictum eo non indigere, obligabit tamen ieiunij lex. Taxetur tritici pretium ob certum aliquod incommodum, quod licèt deinde prorſùs ceſſet, quia tamen illa taxa eſt iuſtitiæ medium, ſeruanda eſt lex donec reuocetur. Ratio eſt, quia in his omnibus non ceſſat totus finis legis, ſed ſolùm extrinſecus, ſi autem totus ceſſaret vniuerſaliter, & non pro aliquo particulari, tota lex deſinet ipſo facto. Verùm tunc ea ceſſatio non eſſet tantùm negatiua, ſed etiam contraria: quia finis intrinſecus actûs honeſti eſt honeſtas quæ ab eo actu tolli nequit in indiuiduo, niſi per formam oppoſitam, v. g. tributum impoſitum ad certum opus, eo opere perfecto, & fine acquiſito ceſſat lex; quia id tributum incipit eſſe iniuſtum, niſi alteri operi deſtinetur, & tunc non perſeuerat vetus lex, ſed noua conditur. Ita correctionis fraternæ præceptum vbi ſpes emendationis, quæ finis eius eſt, ceſſat, non deſinit tamen ſe ſola, cùm ſit lex affirmatiua, quæ non obligat pro ſemper, arctatur ad certum tempus, quo ea intenta emendatio ſperatur. Limitat hanc aſſertionem Suar. ad legem: nam aliquando præceptum particulare ſuperioris, etiam de re intrinſecè honeſta ceſſat ſolo fine extrinſeco ceſſante, quia poteſt ille eſſe totus finis adæquatus & præcepti & præcipientis.

2 Quando lex habet pro materia actum aliquem indifferentem propter finem extrinſecum, tunc eo fine vniuerſaliter ceſſante deſinit ipſa quoque lex ipſo facto. Verum hæc ceſſatio non eſt tantùm negatiua, ſed tranſit in contrariam, quia actus indifferens perfectus totam ſuam honeſtatem ſumit à fine extrinſeco, ad quem deſtinatur, & ab honeſtate eiuſmodi habet vim obligandi: ipſe tamen actus indifferens ſecundùm ſe non conſtituitur medium virtutis ſimpliciter per talem legem, ſed quatenùs veſtitur honeſtate, quæ à fine extrinſeco in ipſum refunditur. Quare finis extrinſecus eſt adæquatus legi, cum materia illius per ſe & propter ſe non ſit capax præcepti, ſed tantùm ratione vtentis & ordinis ad finem externum, ad quem dirigitur: ſecùs contingit in materia naturâ ſuâ honeſta, aut quæ per ſe conſtituitur medium virtutis alicuius à lege: quia tunc cùm ea materia ſit capax præcepti per ſe, & propter ſe, & non tantùm propter ordinem quem dicit ad aliud, ad quod refertur, finis externus non eſt finis adæquatus legis vt vides. Cùm igitur in his legibus actus indifferentes præcipientibus, aut prohibentibus, adæquatus finis ſit externus, eo vniuerſaliter ceſſante ſolam legem deſinere neceſſe eſt. Quia verò per eam finis externi deperditionem materia legis fit incapax & inhabilis vt præcipiatur per ſe aut propter ſe, ideò hæc ceſſatio eſt quodammodò contraria, & non tantùm negatiua: quare ſi ea ceſſatio euidens ſit & publica non erit opus vllâ principis reuocatione ad tollendam legis obligationem, quæ ex natura ſua in eo caſu deſinit.

QVÆSTIO III.

De abrogatione legis.

Quid ad illam requiratur, n. 1.
A quo fieri queat, n. 2.
Quomodo fiat. n. 3.

HOc etiam modo legem deſinere poſſe ambigit 1
nemo, cùm enim materia legum humanarum mutabilis ſit, facilè poteſt contingere, vt princeps prudenter indicet legem aliquam, etſi iuſtam, nec inutilem; quia tamen minùs vtilis ipſo vſu probata eſt, minuſque fuit intentioni conueniens, & difficilior, aut aliqua alia de cauſa abrogandam eſſe, duo itaque exiguntur. Primum vt per mutationem quæ in materia legis contigit non fuerit reddita iniuſta, aut impoſſibilis, aut prorſùs inutilis; tunc enim deſineret, neque opus eſſet abrogatione: ea enim tollitur lex quæ verè obligabat. Secundò, exigitur iuſta cauſa, neque enim conſulitur Reipublicæ frequenti legum mutatione, qua de re diſputat in vtramque partem Ariſtot. *lib.* 2. *polit. c.* 8. eſtque damnanda ea inconſtantia & leuitas in principe, hincque fit vt facilius reliquæ leges violentur, vbi tamen deeſſet hæc cauſa iuſtitiæ, valeret tamen abrogatio. Cùm enim legis obligatio pendeat ex ſola principis voluntate, nam etſi materia ſit honeſta, & mala ex natura ſua, poteſt tamen non prohiberi, aut imperari lege humanâ. Eadem quoque obligatio tolli poterit ſimili voluntate principis, ex quibus vides diſcrimen inter abrogationem, & impoſitionem; hæc enim fit ſolâ voluntate Principis volentis non ampliùs ſuâ lege obligare ad certam materiam, modo eadem materia ſub alterius legis naturalis iure non ſit, aut in diuinam obligationem non cadat. Impoſitio autem legis ita fit ſolâ principis voluntate, vt tamen ſupponat materiam præcepti, aut prohibitionis capacem; ſi enim materiam inhoneſtam præcipiat, aut honeſtam prohibeat, nulla eſt lex, quia voluntas quidem ſola principis inducit humanam obligationem, ſed non facit materiam obligationis capacem.

Superior poteſt tum ſuam, tum inferioris legem 2
abrogare, non autem inferior ſuperioris, etiam in eo loco in quo inferior ipſe præeſt non ſupremâ authoritate: neque enim inferior dominus eſt voluntatis ſuperioris, vt eam irritare poſſit ſine eius conſenſu: quare leges municipales non poſſunt eſſe contrariæ legibus totius regni, niſi ex priuato principis beneficio.

Imò quando ſtatuta inferioris ita confirmata ſunt à ſuperiore vt ab eo totam ſuam vim acceperint, quam confirmationem aliqui vocant eſſentialem, quia dat eſſe legi veluti forma quædam: quia videlicet inferiores non habent facultatem ferendi talem legem, niſi acceſſerit ſuperioris auctoritas. Vnde vides eam totam eſſe iubentis poteſtatem, & authoritatem; quare etiam dicitur authoritatiua confirmatio, tunc inquam eam inferior abrogare nequit, quia eo modo ſe habent hæ leges, atque ſi immediatè ab ipſo ſuperiore emanaſſent. Quando verò confirmantur ſtatuta inferioris habentis alioqui ſufficientem ad ea condenda authoritatem, id fit vt nobilitatem quandam, & robur etiam maius accedente ſupremi Principis iudicio, & placito ſortiantur; quæ confirmatio tantùm accidentalis dicitur, tunc poteſt inferior ea abrogare

gare, quia ſunt eius tantùm authoritate condita.

3 Abrogatio fit primò aliquando purè reuocando eam, aliàs per aliam legem ipſi oppoſitam. Secundò, abrogatiò regulariter reſtringenda eſt, quia eſt odioſa, per eam enim ius quodammodo corrigitur, & emendatur, quare vitanda eſt contrarietas legum, & conciliandæ ſunt quantùm fieri poteſt. Denique quando abrogantur leges cum aliqua obligatione contraria opus eſt promulgatione. Cùm enim inducitur noua obligatio, noua quoque lex conditur, quando autem purè reuocatur non exigitur ex natura rei promulgatio, ſed ſufficit ſignum aliquod externum quo conſtet de voluntate Principis priorem legem annullantis: quando prima lex eſt ſpecialis, & poſterior ipſi contraria eſt generalis, non dicitur priorem abrogare, ſed ſolùm arctanda eſt, & limitanda iuxta priorem, quæ potius aliqua ex parte poſteriori derogat.

CAPVT IX.

De exemptionibus & libertatibus.

QVÆSTIO I. *Quid & quotuplex ſit exemptio.*

QVÆSTIO II *De cauſis & æquitate exemptionum.*

QVÆSTIO III. *Regulæ vniuerſales de priuilegiis & exemptionibus.*

SVBIVNGO diſputationi de priuilegiis & ceſſatione legis iſtam de exemptionibus, cùm plurima habeant affinia, & nomine priuilegiorum nonnunquam appellentur; abſtinebo tamen à pluribus quæſtionibus quæ & inuidioſæ ſunt, & ex dictis de priuilegiis facilè definiri poſſunt. Plurima quoque continent iudicialia, quæ forum externum ſpectant, & ad iudices ordinarios pertinent. Nos vniuerſalia dumtaxat hoc loco proſequimur, particulares quæſtiones, ſi quæ in decurſu explicandæ ſint, pertractabuntur ſuis locis.

QVÆSTIO I.

Quid & quotuplex ſit exemptio.

Nomen, n. 1. & 2.
Definitio, n. 3.
Diuiſio, n. 4. 5. 6. & 7.

1 EXemptio, quam libertatem, immunitatem, ſiue emunitatem & priuilegium aliquando nominant, eſt ſolutio à lege, aut munere legitimè conceſſa, per quam quis ſiue à legis, ſiue à muneris, & officij obligatione ſoluitur, & eximitur, ideoque liber eſt ſiue à lege, ſiue à munere ſibi vel aliis impoſito, quod ipſum nomen exemptionis ſignificat: idcirco eximere variè accipitur in iure, auferre, excipere, eripere. Nam eximere eſt excipere, cum aliquo tamen diſcrimine dicitur: nam eximendi verbum generale eſt, ait Pomponius; eripere enim, eſt de manibus auferre per raptum, eximere autem, quoquomodò auferre, vt putà ſi quis non requirit quē, ſed moram fecerit, quominùs in ius veniret, vt actionis dies exiret, vel tempore amitteretur, videbitur exemiſſe, quamvis corpus non exemerit, ſed etſi eo loco retinuerit, non abduxit, his verbis tenetur, quia dolum committit, ait enim Prætor in ſuo edicto quod commentatur Paulus: *Nemo dolo malo faciat quo magis eximeretur: nam poteſt ſine dolo malo aliud fieri, veluti cum iuſta cauſa eſt exemptionis.* Eximere igitur eſt quoquomodò auferre à lege, aut iudicio, liberaréque ab eo cui obnoxius erat. Ita eximi de reis dicitur cuius nomen, cùm ipſe inter reos relatus eſſet, deletum eſt, *l. ſi interueniente. D. ad S C. Turpillian.* vbi Vlpian. abolitione interueniente ſcribit aliquem eximi de reis, & Macer. de *l. 11. D. de accuſat. Is qui de reis exemptus eſt alium deferre non prohibetur.* Simili phraſi vtitur Cicero Verrina 4. *Quo tempore omnis mea illa feſtinatio fuit cum periculo capitis ob eam cauſam, ne tamen ex reis eximeret.* Et alibi Verrina 6. *Condemnare Diodorum non audet abſentem, de reis eximit.* Denique dicimus eximere carcere, compedibus, neruo, vinculo, eximere caput de ciuitate per aquæ, & ignis interdictionem *l. 2. D. de public. iud.* Eximere de peculio, de corporibus hæreditariis, eximere ornamenta, vniones *l. 6. D. auro argento legat.* Exemptiles lapides *l. 25. §. Margarita. D. eod.* eximere obligationibus, *l. 8. c. ad S C. Velleian.* ita & eximere lege, & obligatione legis.

Nominatur ſecundò libertas à ſeruitute, nimirùm & lege: eſt enim libertas, vti definit Tullius *in Paradoxis*, poteſtas viuendi vt velis, nullis videlicet alienis legibus impeditus: quare Iuriſconſultus Florentinus *l. 4. D. de ſtatu homin.* dixit eſſe naturalem facultatem eius quod cuique facere libet, niſi quod vi, aut iure prohibetur. Hinc apud Perſium *Satyra 5.* 2

Vindicta poſtquam meus à Prætore receſſit,
Cur mihi non liceat, iuſſit quodcumque voluntas,
Excepto ſi quid Maſuri rubrica notauit.

Iam in libertatem aſſertus à prætore virgæ ictu, per quam ſibi vindicabatur, & ſuus fiebat, quam idcircò virgam vindictam vocabant, ait ſibi licere quódcunque libuiſſet, niſi lege prohiberetur & rubrica Maſuri Sabini Iuriſconſulti, qui legem prohibentem minio, ſiue rubrica ſcripſiſſet. Vide Turneb. *lib. 4. c. 5.* Libertas igitur eſt exolutio ab impedimentis, quibus quidpiam non licebat, & cum quis fuit ſui iuris & non alieni, opponitur, vt vides, ſubiectioni & ſeruituti, per quam quis eſt ſub alterius dominio, & iure, quare pro varia ſubiectione, & ſeruitute, cui opponitur, varia quoque & diuerſa libertas eſt, quod non modò de perſonis, ſed & de omnibus aliis rebus, quibus onus aliquod, aut quædam ſeruitus imponi ſolet, vſurpatur in iure: quare dicitur liberum caput, liberum corpus, liber populus qui nullius alterius populi poteſtati ſubiectus: libera ciuitas, quæ legibus ſuis vtitur. Sic Plin. *Epiſt. 39. lib. 10. Amiſenorum ciuitas libera, & fœderata beneficio indulgentiæ tua legibus ſuis vtitur.* Liber fundus qui nemini ſeruit, liberæ ædes, liberum prædium quod nulli obligatum eſt: liber commoratus, vbi velis commorandi arbitrium: libera negotiorum adminiſtratio, alienatio, cuſtodia: libera legatio non adſtricta, ſuæ ſpontis, ſui, non alieni arbitrij, rei ſuæ, non publicæ causâ, atque adeò ſine mandatis ſuſcepta, non publici commodi, ſed ſui causâ. Quare Vlpian. *l. 14. D. de leg.* negat eum qui libera legatione abeſt videri abeſſe reipublicæ causâ; nam aliquando Senatores, qui hæreditatum, & ſyngrapharum perſequendi cauſa in Prouincias excurrebant, eiuſmodi legationem liberam ſibi decerni curabant, vt ſub muneris publici quod eis titulo tenus iniungebatur, ſua negotia ſaluâ dignitate conficerent: huiuſmodi legationis meminit Tullius *lib. 3. de legib. & orat. pro Flacco.* Erant & legatio-

nes

nes votiuæ, quæ voti ſoluendi cauſâ ſuſcipiebantur, quod ſignificat idem Tull. *lib.* 15. *ad Atticum*, & qui vrbe excedere ad aliquod tempus volebant, vt profectioni honeſtus aliquis color quæreretur, liberam quoque legationem poſtulabant; quod monet Brutus apud Tull. *lib.* 11. *Epiſtol. familiar. Epiſt.* 1. Denique nudum eiuſmodi legatorum nomen ſine re, quo honorati viri, ne in tranſitu, aut in prouinciis morantes vileſcerent, ornabantur, eas tamen legationes ne plus iuſto Senatores abeſſent, certo tempore definiebantur ex lege Iulia. Ex quibus omnibus, aliíſque quamplurimis apud Briſſonium, conſtat libertatem opponi cuilibet ſeruituti vel obligationi ac proinde liberare idem eſſe quod eximere quapiam obligatione lege, aut iure, quo quis obſtringebatur, v. g. liberare debitores ſolutione, vel alio modo, liberare locationis actione colonum, conditione, tutela, liberare pagum hypotheca, &c. In hoc verò negotio liberatio, libertas à Canone eſt ſolutio à lege obligante. Itaque libertas Eccleſiaſtica, ſiue Eccleſia facta à Chriſto libera, ſignificat non modò liberationem à peccato, eiúſque ſeruitute, & à legis Moſaïcæ onere, de qua Paul. *ad Galat.* 4. *Non ſumus ancillæ filij, ſed liberæ:* explicat enim eam libertatem ſub typo Saræ, & Agar, ac ipſorum liberorum: ſed denotat etiam facultatem viuendi legibus ſuis, vt loquitur Felix III. ſcribens *Ep.* 1. *ad Zenonem*: queſtus enim de legatis ſuis Conſtantinopolim miſſis & fœdè violatis, & hortatus ne in Petri Alexandrini, & Acacij Conſtantinopolitani propter hæreſin Eutychianam damnationi conſentiat, ait: *Puto quòd vobis ſine vlla dubitatione ſit vtile, ſi Eccleſiam Catholicam veſtri tempore principatûs ſinatis vti legibus ſuis, nec libertati eius quemquam permittatis obſiſtere.* Et *infrà: Certum eſt enim hoc rebus veſtris eſſe ſalutare, vt cùm de cauſis Dei agitur, iuxta ipſius conſtitutum, regiam voluntatem Sacerdotibus Chriſti ſtudeatis ſubdere, non præferre, & ſacroſancta per eorum præſules diſcere potius, quàm docere: Eccleſiæ formam, ſequi non huic humanitus ſequenda iura præfigere, neque eius ſanctionibus velle dominari cui voluit Dominus clementiam tuam piæ deuotionis colla ſubmittere, ne dum menſura cœleſtis diſpoſitionis exceditur, eatur in contumeliam diſponentis.* Hanc Epiſtolam edidit Iacobus Sirmondus *in append. ad Cod. Theodoſ.* quibus his verbis præluſerat Felix: *Puto autem quòd Pietas tua, quæ etiã ſuis mauult vinci legibus quàm reniti, cœleſtibus debeat parere decretis, atque ita humanarum ſibi rerum faſtigium nouerit eſſe commiſſum, vt tamen ea quæ diuina ſunt, per diſpenſatores diuinitùs attributos percipienda non ambigat.* In hoc itaque Felix Pontifex conſtituit Eccleſiæ libertatem, vt ſinatur ſuis propriis legibus vti in cauſis Dei; aliam verò Euſebius & Optatus in eo hanc libertatem eſſe voluerunt, vt ad Synodos conuenire poſſent Epiſcopi, & immunitatibus ſibi ab Imperatoribus frui liceret. Plurimam enim à muneribus publicis immunitatem fuiſſe conceſſam & indultam nemo negat, vnde & priuilegia, & libertates nominata ſunt vt conſtat. Itaque priuilegia illa, & immunitates Clericis indultas libertates dixerunt, ſicut ea quæ Monaſteriis & Monachis conceſſa ſunt. Non diſputo verò ſigillatim, quibus in rebus & immunitatibus eam libertatem poſteri conſtituerint, mihi modò ſufficit dicere, eam libertatem & priuilegia, atque immunitatem ſiue agamus de Eccleſia in vniuerſum, ſiue de Clericis & Monachis ſingularibus, aut in vniuerſum de collegiis, aut Capitulis Clericorum, & Monachorum monaſteriis & cœtibus, eſſe exemptiones quaſdam à legibus, & Canonibus, quibus cæteri, & vniuerſa Eccleſia paſſim tenetur & obligatur, à quibus iſti tum Clerici, tum Monachi ſoluuntur & eximuntur, atque de his exemptionibus in hac ſignificatione agimus hoc loco, ſiue immunitates, ſiue priuilegia, ſiue quo alio nomine vocare placeat. Eò enim tendunt vt quoſdam legibus communibus liberos & immunes faciant, quia leges illæ feruntur ab ordinariis ſuperioribus & Epiſcopis, ſiue in Conciliis communi conſenſu, ſiue in ſuis Eccleſiis, Parochiis, Diœceſibus, & Epiſcopatibus, vti diximus *lib.* 5. quæ leges, quæ communes ſunt, totam Parochiam Diœceſim, Epiſcopatum, illiúſque Eccleſias, ac perſonas obligant. Qui autem illâ obligatione ſoluuntur, iure dicuntur eximi, & eiuſmodi indulgentiæ, priuilegia, immunitates, atque exemptiones nominantur.

Exemptio itaque, de qua diſputamus hoc loco, 4
definitur à Doctoribus, liberatio à iuriſdictione & legibus ordinarij ſuperioris: ſiue, ſolutio à legibus, præceptis & iuriſdictione ſuperioris ordinarij: quæ deſcriptio paulò fuſior eſt, ſed perſpicua. Dixi primò liberationem vel ſolutionem, quæ vox loco generis ponitur, & comprehendit omnes eiuſmodi liberationes, ſiue ſolutionis ſpecies quæ variis modis fiunt ſiue per præſcriptionem, ſiue per priuilegium, ſiue per exemptionem in ipſa lege, ſiue per diuturnam, & inueteratam conſuetudinem, ſiue quo alio modo. Comprehendo etiam varias eiuſmodi exemptiones & liberationes ſiue à iure communi, ſiue à particulari, ſiue à Diœceſano, ſiue à præcepto, quod lex quædam particularis eſt. Dixi *ab ordinario*, eiuſmodi non eſt ſolus Epiſcopus, ſed quilibet alius ſuperior, qui iuriſdictionem ordinariam, ſiue Canone, ſiue præſcriptione, ſiue conſuetudine, ſiue priuilegio habet & vel legem ferre, vel præcipere quidpiam poteſt. Quare dixi in vniuerſum *ſolutionem à lege*, ſiue directiua, ſiue pœnali: ab iis enim omnibus dari poterit exemptio, & liberatio, quæ proindè diuerſa eſt pro legum, à quibus liberat, diuerſitate. Quare reliquæ omnes definitiones quæ à Doctoribus afferuntur in hanc noſtram incidunt. Vide Fumum & Armillam *verſ. Exemptio.*

Diuiditur exemptio in realem & perſonalem: pri- 5
ma illa afficit locum, aut rem quampiam, & ratione illius competit perſonis; quare non porrigitur extra loca illa, in quibus res commiſſa, vel actus & contractus celebratus eſt, vt *cap. Cùm capella, de priuilegiis* apertè definiuit Innoc. III. & *cap. volentes, eodem, in* 6. Innocentius IV. exemptio perſonalis ipſi perſonæ non ratione alicuius alterius rei annexæ conceditur, & illam vbique afficit, & comitatur, oſſibus eius, vt loquuntur, hæret, ſiue, ſequitur perſonam in ſolidum. Dicitur priuilegium indiuiduum: quia diuidi nequit, vt pro parte valeat, & ex parte nutet aut conuellatur, exemplo ſententiæ vnum idémque caput continentis. In dubio verò præſumi debet realis exemptio, quia ſtricti iuris eſt, ideoque reſtringenda, & ad litteram intelligenda, ſiue quoad corticem litteræ, & proprietatem verborum, quibus exprimitur, quia ſic propiùs abeſt à iure communi & minimè præiudicat ordinariæ poteſtati: quod dicendum exiſtimo, quamvis plena & ampla concedatur exemptio, niſi expreſſiùs deroget conſtitutioni Innocentij IV. *in cap. Volentes, de priuilegiis in* 6. quod iudicandum eſt inſpecta natura priuilegij, cuius tenor exactiſſimè ſpectandus & ſequendus eſt, *cap. Porrò. cap. Recepimus. cap. Cùm plantare de priuilegiis,* in quæ loca gloſſa conſulenda eſt, niſi alia mens eximentis appareat; illa enim attendenda eſt, quamvis verba impropria nda forent, *l. ſcire oportet. §. ſufficit. D. de excuſat. tutor.* Vnde natæ plurimæ difficultates, v. g. vtrum exemptio Clerici, ne iudicari poſſit

ab

ab Ordinario, realis ſit, aut perſonalis & ſi exemptio contineat nomen prælati, non dignitatem, vel è contrario dignitatem non nomen deſignet.

4 Diuiditur ſecundò exemptio in generalem & ſpecialem: illa conceditur vel perſonis, vel locis, pluribus locis, aut ratione plurium rerum, vel datur in vniuerſum, & multa priuilegia ſimul continet: ſpecialis vni perſonæ, vel loco, vel ratione vnius rei datur, aut vnum tantùm caput continet, quæ vtraque exemptio denuò ſubdiuiditur in realem, & perſonalem. Realis generalis non extenditur, vti iam monui, extra locum, aut rem, cui adhæret, & non perimitur, niſi peremptâ re, niſi reuocetur, vel tota, vel quoad eius partem aliquam: perſonalis ſpecialis alicui, vel aliquibus perſonis nominatim conceditur: extra eiuſmodi perſonam non egreditur, niſi ſolius dignitatis prætextu conceſſa ſit: tunc enim tranſit ad ſucceſſorem in ea dignitate, alioquin moritur cum ea perſona, neque tranſit ad ſucceſſorem, niſi id ſpecialiter exprimatur.

5 Tertiò aliud eſt priuilegium communiter perſonale, aliud communiter corporale tantùm, aliud ſingulariter, & communiter corporale: prius illud eſt quod paſſim, & communiter certis quibuſdam perſonis, atque certis ex cauſis, in quibuſdam etiam rerum momentis, & negotiorum articulis indulgetur, licèt propriis nominibus non expreſſis, vt in Senatuſconſulto Velleiano, & Macedoniano. Communiter corporale, quod competit quidem collegio, vel Vniuerſitati, non autem ſingulis in particulari, qui ſunt Vniuerſitatis vel collegij, atque hoc priuilegium perit cum ipſo collegio, & deſtructa Vniuerſitate. Singulariter autem, & communiter corporale priuilegium, ita alicui corpori, collegio, & Vniuerſitati indulgetur, vt quilibet ſingularis de illo corpore poſſit illo vti, vt vides *in cap. Contigit. de ſentent. excommunic. & cap. Si diligenti, de foro competenti.* quo poſtremo loco Innocent. III. prohibet Clerico alium Clericum etiam volentem trahere ad iudicem laïcum, quare priuilegium fori non tantùm corpori Clericorum, ſed etiam ſingulis Clericis proprium eſt: in priori verò loco idem Innocent. III. prohibet Clericum, qui quempiam offenderit, ſupponere ſe in ſatisfactionem iniuriæ pluribus percuſſionibus, & ita percutientem excommunicat, quia licèt illa manus iniectio non ſit volenti, eſt tamen iniurioſa, & Canon tam in fauorem Clerici ordinati, quàm in fauorem ordinis, ob quem fuerit promulgatus, ac proinde eſſe hoc priuilegium ſimul & commune, & perſonale.

6 Diuiduntur quartò exemptiones in perpetuas, & temporales, limitatas & illimitatas ſiue indeterminatas, quæ ſemper, & vbique locum habent. Aliæ verò limitantur ex variis circunſtantiis, v. gr. perſonæ, ex cauſa, loco, re, & tempore: in puras & abſolutas, in arbitrarias & non arbitrarias, ſic voco illas, quibus renuntiare licet, vel non licèt, v. gr. non licèt cuilibet Clerico renuntiare priuilegio, quod ordini clericali conceſſum eſt, & in eius fauorem ſeſe pro libito abdicare; illius enim iuris ipſemet non eſt dominus.

QVÆSTIO III.

De cauſis, & æquitate exemptionis.

EXplicatis cauſis exemptionum, facilè fuerit arbitrari an ea ſint æquæ, an iniquæ; ſi enim praua ſit cauſa finalis, ſiue finis, propter quem conceditur, vel rei, circa quam, aut in qua quis eximitur; vel qui eximit, vltra ſuam poteſtatem agat, aut iniquo modo ſe gerat, aut alienum ius violet, vt vni alicui faueat, iniqua profectò erit eiuſmodi exemptio, ratione alicuius cauſæ, aut circunſtantiæ maleficæ interuenientis. Percurrendæ ſunt igitur omnes & ſingulæ illius cauſæ, vt videamus an ex aliqua illarum malitiam deſumat. Cauſa igitur effectiua, eſt Superior, qui legem ferre, & ad illam obligare poteſt, atque etiam ab eius obligatione, quem libuerit ex iuſta cauſa eximere. Vt enim pro arbitrio legem ferre, aut non ferre, aut latam refigere poteſt: ita poteſt ad illam totam communitatem adſtringere, aut aliquem ab illa liberare ex cauſa tamen iuſta, & modò non faciat aliis iniuriam, & ne eiuſmodi fauor vnius noceat toti reipublicæ, aut iuri quæſito alterius, quæſito, inquam, non quærendo: nam non ſemper quis impeditur per iniuriam à iure aliquo quærendo, vt patet. Superior igitur, qui poteſt in aliqua lege diſpenſare cum aliquo, poterit & reſpectu illius eiuſmodi obligationem elidere; quod perſpicuum eſt in legibus politicis, quarum violationem permittit aliquando Princeps, non niſi per diſpenſationem, aut exemptionem. Neque vlla afferri & cogitari ratio valet, propter quam idem non poſſit ſuperior Eccleſiaſticus, qui ſupremam habet legiſlatiuam poteſtatem in legibus merè Eccleſiaſticis, quæ neque obligant ex iure diuino, vel naturali neque ad vitandam perturbationem diſciplinæ Eccleſiaſticæ neceſſariæ ſunt, neque perpetuò ita exiſtimatæ & magno conſenſu perpetuo ſancitæ, atque indictæ ſunt, & nunquam laxatæ ſiue communi querela, quarúmque violatio continuo damnata, & punita eſt. Qui igitur Canonem & legem ferre, atque abrogare poteſt, poterit etiam quempiam ab eius obſeruatione, atque obligatione vnum aliquem, vel plures, atque adeò totam vnam communitatem eximere, quam & poterat ſuâ lege non comprehendere, ſi agamus dumtaxat de poteſtate, & iuriſdictione, & niſi quidpiam aliud obſtet & eiuſmodi exemptionem turpem, ac malam reddat. 1

Quare exemptiones quæ indulgebantur olim monaſteriis, concedebantur quondam ab Epiſcopis, quorum iuriſdictioni ex iure communi ſuberant, *Can. IV. Chalcedon. Can. 27. & 38. Synod. Agath. & Can. 19. Concilij Aurelian. an. 511. & in Ilerdenſi Synodo* in Hiſpania & alibi, annuentibus tamen aliis Epiſcopis eam in rem coactis, & rogatis, ita vt eſſet veluti Synodalis conceſſio, & indulgentia, quam etiam Reges ſuis edictis confirmabant: eâ ratione Laudericus Pariſienſis Epiſcopus de Coepiſcoporum conſenſu immunitatem monaſterio S. Dionyſij, petente Clodouæo conceſſit an. 659. quam deinde immunitatem Stephanus II. Pont. Roman. extendit ad omnia monaſteria quæ Abbates S. Dionyſij in Gallia obtinerent. Hæc diplomata leges apud Marculphum, & apud Sirmond. *tom. 1. Concil. Gallican.* Accedebat verò confirmatio, regia 2 … 3

vt aduerſùs futuros Epiſcopos caueretur huic exemptioni, & Monaſteriorum tranquillitati, & quia in eiuſmodi immunitatibus plurima capita continebantur, in quibus multùm de ſuis iuribus Rex remittebat, quare ſolemne erat id temporis immunitatem, & regium ſimul diploma obtinere. Quapropter priuilegium Ormiacenſi monaſterio ab Epiſcopis conceſſum regio decreto confirmatum fuiſſe tradit Hincmarus, teſte Flodoardo *lib. 3. hiſtoria Rhemenſ. cap. 27.* Synodus apud Saponarias ann. 859. *cap.* 11. humi proſtrata ante Carolum Regem & Rodulphum Bituricenſem Archiepiſcopum obſecrauit, vt priuilegium monaſterij ſancti Benedicti, quod annuente præfato rege firmauerat, quódque idem Rodulphus ſubſcripſerat, qui præfatum Abbatem irregulariter tenebat, ratum, & inconvulſum ſeruare ſtuderent. Anno 866. Synodus Sueſſonica quæ refertur *tom. 3. Concil. Gall.* narrat Bernard. Monaſterij Solemniacenſis Abbatem, cum Nortmannis agrum Lemouicum deuaſtantibus, pleraque domus ſuæ inſtrumenta incendio amiſiſſet, Regum clementiam & Synodalem adiiſſe pietatem, *pro priuilegijs ipſi monaſterio impetrandis, quibus ſub tuitione regia, atque Apoſtolica & Synodali defenſione perpetuo muniretur*, & infrà: *Cuius pijs petitionibus ſimul cum regia ſublimi clementia annuentes hoc præſens priuilegium adiectâ regia præſidentia auctoritate decreuimus roborandum.* Carolus Caluus cum Magni Loci Monaſterium in Aruernica diœceſi conceſſiſſet Epiſcopo Aruernenſi, inſpectis immunitatis à ſe, & parente Ludouico factæ inſtrumentis, eidem Epiſcopo monaſterium ademit.

4 His immunitatibus acceſſit ſummi Pontificis auctoritas. Gregorius quidem Magnus *lib. 2. Ep.* 10. 11. *&* 12. tribus monaſteriis Auguſtodunenſibus priuilegia indulſit, & primò Xenodochio à Brunechilde conſtructo, vt illis omnia oblata bona immunia illibata & intemerata ſeruarentur. Secundò vt quamvis illorum Abbates non eximeret prorsùs à lege diœceſana, & iuriſdictione Epiſcopi: ita tamen vt in criminali cauſa non poſſet Epiſcopus niſi adhibitis ſex aliis Epiſcopis aduerſus Abbates illorum pronuntiare. Ea tamen omnia indulget Greg. petente Brunechilde Regina & Theodorico, qui ea monaſteria fundarant. Indulget prætereà ne Epiſcopus Monachum inde tollere, aut ad ordinem promouere ſine conſenſu Abbatis valeat: eadem indulget Monaſterio ſanctæ Mariæ ibidem ab eadem quoque regina conſtructo, ſicut & Monaſterio ſancti Martini. Vides itaque hanc immunitatem illis monaſteriis à Gregorio conceſſam non fuiſſe omnimodam & abſolutam, ſed imminutam: priuilegium verò quod ab eodem Magno Gregorio indultum circumfertur Monaſterio S. Medardi Sueſſionenſi, fictitium exiſtimauit Marca *lib. 3. de Conc. c. 6. n.* 4. habemus tamen tum vetera, tum recentiora exempla eiuſmodi exemptionum conceſſarum etiam à Romano Pontifice ex regia poſtulatione: quamvis non diffiteamur eas exemptiones frequentiùs hiſce poſterioribus ſæculis à ſolo Pontifice, conniuentibus, aut etiam poſtulantibus regibus, & principibus fuiſſe indultas, non rogatis, immò etiam aliquando inuitis Epiſcopis, propter cauſas *inferiùs* afferendas. Nunc oſtendo duntaxat antiquitatem harum exemptionum. Monaſteria S. Theodori Sciciotæ, vti refertur in eius actis à Cyrico Patriarcha Conſtantinopolitano, Mauricio Imperatore annuente exempta ſunt à iuriſdictione omnium aliorum Epiſcoporum & Metropolitanorum: cur verò nó poterit Romanus Pontifex, quod Conſtantinopolitanus ſibi fas eſſe duxit? Epiphanius *ep. ad Ioannem Hieroſolym.* quæ eſt *inter Hieronyminas* 60. Ioanni querenti de ordinato ab Epiphanio, Diacono, in monaſterio ſui territorij, ſine eiuſdem Ioannis aſſenſu, reſpondet nullam ipſi factam iniuriam, cum ea ordinatio facta fuiſſet in monaſterio fratrum, qui Ioannis prouinciæ nihil deberent, itáque concludit: *Hæc ita acta ſunt, vt loquutus ſum, in charitate Chriſti, quam te erga paruitatem noſtram habere credebam, quamquam in monaſterio ordinauerim, non in parochia, quæ tibi ſubiecta ſit.* Diſtinguit igitur Epiphanius monaſterium à Parochia, quod hæc ſubiiceretur Epiſcopo, non illud, ac proinde liceret ipſi in eo Pontificalia exercere ſine iniuria proprij Epiſcopi, & non in alia eſt S. Fulgentius, cùm, vt refertur *c. 29. vitæ eius*, ad maiorem quietem habitare vellet in Monaſterio, id ſibi ex iure ordinario, & poteſtate minimè deberi ſciebat, ne videlicet eius ſucceſſores ius aliquod in eiuſmodi monaſterium ſuo exemplo ſibi prætenderent. Gregorius Magnus an. 601. vti refert Baronius *eodem anno* celebrata Romæ Synodo XX. Epiſcoporum decretum ſiue, vti appellabant, conſtitutum edidit, vt Monachorum quieti & indemnitati conſuleret ne ab Epiſcopis vllas in poſterum moleſtias paterentur, ſiue in bonis, ſiue in Abbatum electionibus, aut Monachorum inuitis Abbatibus ordinationibus, voluitque Monachos ſolis ſuis Abbatibus ſubiacere, excluſa in ipſos Epiſcoporum poteſtate. Idem Monaſterio Claſſenſi BB. Ioannis & Stephani, aduerſùs Epiſcopum Rauennatem, vt inferendæ inquietudinis occaſio deinceps præſcindatur, variis modis ab Epiſcopi iuriſdictione ſubducit, eáque ſigillatim enumerat *lib. 7. Ep.* 18. illuſtre eſt quod Ioanni Schillitano Epiſcopo ſcribit *eodem lib. 7. Ep.* 33. *Graue nimis*, inquit, *& contra ſacerdotale conſtat eſſe propoſitum, velle cuiuſquam Monaſterij priuilegia olim indulta confundere, & ad irritum quæ ſunt pro quiete diſpoſita, niti deducere.* Et mox: *Quia eidem Monaſterio quædam contra ea quæ à prædeceſſoribus noſtris permiſſa, ac conſuetudine longa ſeruata ſunt, feſtinetis ſuperinducere, & antiquam ordinationem quadam præiudicij nouitate turbare: proindè his veſtram fraternitatem hortamur affatibus, vt ſi ita eſt, ab eius moleſtiâ ſe ſine aliqua excuſatione contineat, & quæ ei ſunt diutiùs cuſtodita nullius occaſione tentet vſurpatione conuellere, ſed cuncta illibatè, & ſine aliqua ſtudeat refragatione ſeruare, & plus ſibi in eodem monaſterio, quàm prædeceſſoribus ſuis licuit, nouerit non licere.* Vides itaque hanc exemptionem non fuiſſe à Gregorio excogitatam: ſed iam olim à ſuis prædeceſſoribus conceſſam, & longo vſu ſeruatam. Non eximit tamen Gregorius hos monachos ab omni prorsùs iuriſdictione Epiſcopali: vult enim ab Epiſcopo peccantes *diſtrictâ, ac regulari emendatione corrigi*, non ait pro culpæ grauitate, aut pro arbitrio emendari, *ſed regulari emendatione diſtrictè corrigi*, ita vt ſecundùm legem vel regulam monachalem emendandi ſint ab Epiſcopo, & non alia ad libitum emendatione: quod obſeruandum mihi videtur. Honorius I. qui ſedit an. 626. Bobienſe Monaſterium ſimili exemptione ornauit, vti habét acta S. Bertulphi Abbatis 19. Aug. Adeodatus rogatus ab Ægyrico Abbate S. Martini Turonenſis, illi immunitatē à iuriſdictione conceſſit inſpecto priuilegio quod illi Crotberus Epiſcopus, aliis Gallicanis Epiſcopis ſubſcribentibus, conceſſerat; præfatus non eſſe morem & traditionē Eccleſiæ Romanæ à regimine Epiſcopalis prouidériæ religioſa loca ſecernere; quibus verbis non negat eā eſſe poteſtatē Romanæ ſedi, ſed id paſſim non ſolere indulgeri: alioquin ſecum ipſe pugnaret, voluitq; Romanæ

Sedis

ſedis beneficia ſine cuiuſquã offenſione debere concedi. Concilium Anglicanum relatum à Beda *lib.4. Hiſtor.cap.5.* Monaſteriorum exemptiones ab Epiſcopis firmauit. Sanctus Godefridus Epiſcopus Ambian. egit contra ſancti Vdalrici Monachos, qui ſe ab eius iuriſdictione immunes Apoſtolico diplomate tuebantur, & diploma *illud* falſum & ſuppoſitum eſſe oſtendit, neque eiuſmodi immunitatem ſe inuito non potuiſſe à Pontifice concedi diſputauit Remis in frequenti Synodo, indéque ad Paſchalem II. Romam ſe contulit, ab eóque honorificè habitus eſt, & quæ petiit obtinuit, nimirùm eiuſmodi diplomatis ſuppoſititij reſciſſionem. Vides itaque in totá hac cauſa Godefridum non contendiſſe eiuſmodi immunitatem minimè potuiſſe à Pontifice ſe inuito concedi.

5 Immò ita perſuaſum erat Monachorum, & Canonicorum regularium exemptionem à iuriſdictione Epiſcopali validam, & licitã eſſe, vt ipſi ſæculares & coniugati in eiuſmodi ſocietates adoptari cuperent, vt eadem exemptione fruerentur, & ab Epiſcoporum cenſura ſeſe tuerentur: audi quid de Gaufredo Duce Normãniæ, & Turonẽſi Comite narrat Io. Monachus maioris Monaſterij *lib.1. eius hiſt.* cùm enim Turonẽſis Archiepiſcopus minaretur Gaufredo Comiti cenſuram illéque eam rideret, repoſuit Archiepiſcopus, *Meam ſententiam non timetis, illatas iniurias augetis inſolentia, & in noſtro contemptu diuinam majeſtatem offenditis, nunquid noſter parochianus non eſtis? Nunquid animæ veſtræ curam, vt paſtor veſter habere non debeo? Ad hæc Comes ſubridens: Bone paſtor* (ait) *praeſto quibus debes, & de illis habeto curam qui tibi commiſſi ſunt. Canonicis porrò beati Martini, & Monachis majoris Monaſterij nunquid dominaris? Ego autem & Canonicus S. Martini & Monachus majoris monaſterij. Ergo refrena, morâ cohibe poteſtatem; & quàm mihi ſententiam minabaris, ſuper eos exerce.* Addit Ioann. in ſua hiſtoria: *Sic vir ſapiens iniuſtam euaſit Pontificis ſententiam, & quanti haberet Eccleſiarum priuilegia comprobauit.* Ex quibus aliiſque manifeſtè conſtat, vſum exemptionum, de quibus agimus, antiquum, & frequentem fuiſſe, &c.

6 Indulgebantur illæ ab Epiſcopis pluribus ſimul conuenientibus, & ſubſcribentibus, quas deindè præcepto, vt loquebantur, regio confirmabant, atque ſæpiùs Romani Pontificis diplomate. Denique vbi fuère frequentiora monaſteria, & crebriores querelæ aduersùs Epiſcoporum grauamina ipſi ſoli Pontifices eas exemptiones conceſſere, vſi ſuâ ſummâ auctoritate, grauiſſimas ob cauſas, de quibus ſtatim.

Neque eam Pontifici poteſtatem negarunt etiam illi, qui eiuſmodi exemptiones improbare viſi ſunt, eſtque ratio manifeſta: cum enim Pontifex Romanus, vti tradit Nicol. I. *epiſt.42.* curam gerat totius gregis Chriſti, & ſolicitudinem habeat omnium ouium, eius omninò muneris eſt illarum curam vel per ſe ipſum gerere, vel vni aut alterius paſtori, vti magis expedire videbitur, ſubiicere, *totius Eccleſiæ* (vt inquit Nicola.) *ſolicitudinem gerimus & omnium vtique, qui Eccleſiam faciunt, curâ conſtringimur atque omnium quorum nos maxima cura ſpectat, noſtrum debent promereri iudicium, ſicut Innocentius ad Alexandrum Antiochenum teſtatur, non ſcilicet ſolùm Metropolitanorum, ſed & omnium omninò Sacerdotum, quinimò vniuerſorum, qui ſe de quibus principaliter Petro commendatis eſſe non neſciunt, id eſt non ſolum cunctorum, qui de eorum numero ſunt, de quibus Dominus principi Apoſtolorum dixit: Tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos, ſed etiam qui de his piſcibus ſunt, qui intra rete, quod ab ipſo ad littus trahi ſpecialiter iuſſum eſſe recognoſcitur.* Cur igitur vniuerſalis hic Paſtor non poterit oues aliquas ab vnius particularis Paſtoris cura ſubducere, & eximere, atque alteri, qui earum curam ſingularem gerat, ſubiicere, vti argumentabamur? Quare ſapienter omninò Gualterus Epiſcopus in Synodo Pictauienſi ann. 1284. diſſerebat: ſi Epiſcopus poteſt aliquem eximere à iuriſdictione ſui parochialis, & dare illi facultatem, vt confiteatur, v.gr. alteri peculiari Sacerdoti, etiam inuito Parocho, cur id non poterit Romanus & Vniuerſalis Paſtor, & aliquem eximere ab Epiſcopi immediati ſubiectione, atque iuriſdictione? cùm id ipſum Patriarchis tribuerit antiquitas, vt dicebamus à Cyriaco Conſtantinopolitano indultum monaſteriis S. Theodori Sciciotæ, & ab ipſis aliquando Epiſcopis factitatum legimus, vt à Lauderico Pariſienſi, Monachis Sandionyſianis, apud Marculphum, apud quem eiuſmodi exemptionum formulas comperies, ita vt de poteſtate Pontificia hac in parte dubitare non liceat, quàm & continua praxis, & ipſa ratio ac muneris Pontificij dignitas, & maieſtas confirmant, quamuis ad tuendam eiuſmodi Pontificiam prærogatiuam monaſteriis conceſſam, voluerint illi regiam confirmationem, ſiue præceptionem accedere, vt habet Pipinus *Epiſt. 151. ad Bonifacium* qui Monaſterium Fuldenſe in loco ſibi à Carolomanno conceſſo conſtruxerat, petierat à Pipinio in ſuis priuilegiis defendi: *vt ſicut* inquit *ex auctoritate beati Petri principis Apoſtolorum, pro quo legatione fungeris, ſublimatum eſſe conſtat; ita etiam noſtræ auctoritatis noſtro præcepto roboretur: placuit nobis tuæ petitioni aſſenſum præbere, & hanc noſtræ præceptionis ſeriem, ob honorem Dei & venerationem conſcribi iuſſimus, per quam priuilegium Sedis Apoſtolicæ à beato Zacharia tibi conceſſu Epiſcoporum, cunctorúmque fidelium noſtrorum per omnia roboramus, præcipientes vt nullus ſacerdos in regno noſtro in præfato Monaſterio iuriſdictionem aliquam ſibi vindicet præter Apoſtolicam ſedem, &c.* Nicolaus primus rogatum ſe ait à Carolo rege, vt libertatem Monaſterio in pago Romano ab Epiſcopis & regibus Francorum conceſſam, ſuâ firmaret auctoritate, & futuris manſuram temporibus roboraret. Non licet igitur de Pontificia auctoritate circa eiuſmodi exemptiones dubitare.

Cauſæ verò, propter quas illæ conceſſæ ſunt, variæ fuère, illæque, vt videtur, æquiſſimæ: præcipua 7
verò fuit, moleſtiæ, & vexationes, quibus Epiſcopi Monaſteria premebant; quod teſtatur Gregor. VII. ſcribens *ad Combertum Taurinenſem Epiſcopum*, qui Monachos ſancti Michaëlis vexabat *Epiſtol. 39. lib. 2.* & Iuo *Epiſt. 108. ad Paſchalem P. R.* pro Monachis monaſterij maioris Turonenſis, quod grauia permulta patiebatur ab Archiepiſcopo, de quo plura queritur, additque non aliundè illius in Monachos exarſiſſe maleuolentiam, *niſi quòd intercedente Sedis Apoſtolicæ decreto, non poteſt Turonenſis Archiepiſcopus in maiori Monaſterio publicas Miſſas celebrare, erga Monachos imperiosè agere, bona Monaſterij, prout libuerit vſurpare.* Addit ipſum eo anno in Synodo renouaſſe Iuliani decretum, *Nequis ſæculo renuntiaturus, Parochianorum ſuorum maius ingrederetur monaſterium.* Hic Archiepiſcopus Turonenſis Rodulphus fuit, vti obſeruat Iuretus ad eam Iuonis Epiſtolam, cuius vexationes fuſius enumerat, & quid in illis actum

fuerit recenſet ex illius temporis authoribus. Hic Rodulphus priùs ab Amato Burdegalenſi Legato Pontificio excommunicatus eſt, de inde in Concilio Briuatenſi, cui præerat Hugo Lugdunenſis Primas Galliarum, Vicarius Apoſtolicus, aſſiſtentibus Auxienſi & Narbonenſi Archiepiſcopis, ventilata cauſa Turonenſium Monachorum damnatus eſt, tum in Auguſtodunenſi, præſente etiam Cænomanenſi, iterùm damnatus eſt, ac in colloquio Dolenſi iiſdem Hugone & Amato Sedis Apoſtolicæ legatis præſidentibus cauſa iterum Monachorum ventilata, & ſæpius deinde damnatus Rodulphus eſt. Neque tamen ſibi ab infeſtandis Monachis abſtinuit, habuítque cognominem Rodulphum Aurelianenſem, qui eius hæſit veſtigiis, donec in Concilio Claromontenſi ab Vrbano P. R. finis huic controuerſiæ fuit impoſitus, & eodem Rodulpho præſente libertas omni modo huic monaſterio indulta. Idem Iuo *ep.* 193. arguit Gaufridum Bellouacenſem Epiſcopum, quod priuilegia Monachorum ſancti Quintini violaret, & varia exactione premeret, & recenſet priuilegia, & immunitates, quas Guido Bellouacenſis Epiſcopus illi Eccleſiæ dederat, aitque, hæc omnia *per regiam manum, deinde per comprouincialium Epiſcoporum conuenientiam, demùm per auctoritatem Apoſtolicam dedit.* Queritur etiam *ep.* 151. quod idem Gaufridus Odonem quendam peſſimæ notæ virum eidem Monaſterio præfecerit in Abbatem. S. Anſelmus immunitatem pro Beccenſibus Monachis poſtulans ab Vrbano II. *Non enim*, inquit, *ignotum eſſe puto veſtræ excellentiæ, quia plures Epiſcopi non tam gaudent monaſteria paterna pietate nutrire, & Epiſcopali cura erudire, quàm auſtera quadam dominatione, & propria voluntate grauare.* Lanfrancus & monaſterij Beccenſ. & ipſe Abbas, & Cantuarienſis idem Archiepiſcopus, quibus in muneribus Anſelmo ſucceſſit, queritur *epiſt.* 29. Robertum Ciſtrenſem Epiſcopum dilapidaſſe bona Cœnobij Conuentricenſis in Diœceſi Ciſtrenſi, à Comite Leofrico, & eius vxore Godiua conſtructi tanta auri & argenti copia, vt auguſti viderentur parietes Eccleſiæ theſaurorum receptaculis, & miraculo eſſent, vti habet Malsberienſis *l.* 4. *de Pontif.* ita verò omnia corraſit Robertus hic vt ex vna trabe quingentas marcas argenti, quæ ſcrinia ſuſtentabant, abſtulerit. Petrus Bleſæus *ep.* 68. *Scimus equidem ob quietem monaſteriorum, & Epiſcoporum tyrannidem, eas exemptiones plerumque Romani Pontifices indulſerunt.* Conc. Toletan. IV. *cap.* 51. ait, relatum ſibi eſſe Monachos ſeruili operi mancipatos eſſe Epiſcopali imperio, iura monaſteriorum contra Canonum inſtituta illicita præſumptione vſurpata. Concilium Herudfordenſe præſide Theodoro Cantuarienſi apud Bedam *lib.* 5. *hiſtor. c.* 5. iubet vt *quæque monaſteria Deo conſecrata nulli Epiſcoporum liceat ea in aliquo inquietare, Monachos, nec quidquam de eorum rebus violenter abſtrahere*, & Conc. Herdenſe Ioanne Pontifice anno Chriſti 524. *Ea quæ in iure monaſterij de facultatibus offeruntur in nulla Diœceſana lege ab Epiſcopis contingantur.* Vide & querelas Petri Cluniacenſis *lib.* 2. *ep.* 31. ad Arauſicenſem Epiſcopum quem hortatur vt priùs gladium ſuum exerat in laïcorum crimina, quam in leuia Monachorum peccata: non defuturas mactandas mucroni eius victimas. Hæc igitur Epiſcoporum in Monachos ſæuitia, & impotens dominatus, æquiſſima viſa ſunt Romano Pontifici cauſa, illis eorum crudeli, vti loquuntur, imperio ſubducendi. Denique Gregor. VII. *ep.* 69. ad Comberrium Taurinenſem Epiſcopum: *An ignoras quod ſancti Patres plerumque, & religioſa monaſteria de ſubiectione Epiſcoporum & Epiſcopatus de Parochia metropolitanæ ſedis, propter infeſtationem præſidentium diuiſerunt, & perpetua libertate donantes Apoſtolicæ Sedi velut principalia capiti ſuo membra adhærere ſanxerunt*, & quia ille S. Michaëlis Monachos vexabat, addit: *Numquid-ne exiſtimas Epiſcopos hanc in paſtorali regimine poteſtatem atque licentiam ſuſcepiſſe, vt monaſteria quæ in ſuis parochiis conſiſtunt, quantum velint opprimant, & ſtudium religionis, ſuæ prælationis occaſione, hac & illa potenter exigendo, & poteſtatem ſuam exercendo communiant?* Addit deindè quod modò referebamus, & concludit: *Percurre ſanctorum Patrum priuilegia, & inuenies ipſis etiam Archiepiſcopis officium niſi fortè ab Abbate vocatis in pleriſque Cœnobiis facere prohibitum eſſe, ne fortè domeſtica quies tumultuoſa ſæcularium perſonarum frequentia & conuerſatione turbaretur. Hoc itaque ne & nos illorum auctoritate & exemplo de præfato ſancti Michaëlis monaſterio facere cogamur, néve tu, dum immoderata quæris, ea quæ ex æquo tibi attinere videbantur, iuſtè amittas, Apoſtolicâ te auctoritate monemus.*

8 Altera cauſa fuit, Fundatorum, qui ex ſuis bonis monaſteria extruxerunt dotarúntque, voluntas, qui vt Monachorum quieti & indemnitati conſulerent, & variis incommodis ac moleſtiis, quibus fatigari poterant, occurrerent voluerunt ea ſanctæ Apoſtolicæ Sedi immediatè ſubiici, itáque in tabulis fundationis cauerunt. Eiuſmodi fundationum obuia ſunt exempla, quæ recenſere hoc loco nihil attinet: vnum illuſtre dabo dumtaxat.

9 VVillielmus Sancius Vaſconiæ Comes, anno 981. ſancti Seueri monaſterium in pago Adurenſi, Auſcitaniæ prouinciæ in Nouempopulania erexit, & fundauit, illudque ab omnibus tributis & fiſci iuribus, atque etiam ab omni Epiſcoporum adminiſtratione & iuriſdictione liberum eſſe, & Eccleſiæ Romanæ ſoli ſubditum eſſe voluit. Sic enim habet cartha fundationis, quam edidit Marca *lib.* 3. *hiſtor. Bearnic. cap.* 8. *Nec in præfato loco quiſquam Epiſcopus cathedram audeat collocare, vel quamlibet licentiam habeat imperandi, nec aliquam ordinationem, quamvis leuiſſimam, faciendi, niſi cum permiſſu Abbatis ipſi ſacro loco præſidentis: ſed ſint omnibus modis liberi, & abſque vlla calumnia & inquietudine ſecuri.* Hæc verò omnia confirmauit Epiſcopus Auſcenſis, Burdegalenſis, Agemienſis, Vaſconienſis, Vaſatenſis, Bigorrenſis, & Lactoranenſis, atque auctoritate Sedis Apoſtolicæ confirmata ſunt. Gofridus Comes Andegauorum, Monaſterium Vindocinenſe à ſe fundatum auctoritate domini ſui Regis Francorum Henrici, Theodorici etiam Caruſtenſis Epiſcopi conſilio, beato principi Apoſtolorum Petro obtulit in allodium & patrimonium. Ita refert Sirmondus *in notis in epiſt.* 2. *lib.* 1. *Goffridi Vindocin.* Similia quædam habet Iuo *Epiſt.* 193. de monaſterio ſancti Quintini Bellouacenſis, & eius priuilegiis agens, ea Apoſtolica manus roborauit, regia quoque maieſtas ſanctione pragmaticâ firmauit.

10 Tertia cauſa fuit, quòd religioſi ſuas habeant leges, quibus regantur, ſeueriores multò & rigidiores illis, quibus vulgus Chriſtianorum obſtringitur, quibus tamen non ſoluuntur ipſi monachi, ſed aliis additis multò rigidioribus, communes omnibus Chriſtianis, multò perfectius obſeruant, ſuóſque habent & prælatos & miniſtros qui ipſis inuigilent, vt in regulari diſciplina, quæ multò caſtigatior communi vitâ, eos contineant. Vt quid igitur nouo onere

onere à prælatis Eccleſiæ grauentur?non ſine aliqua vti queruntur ſæuitie. Qua ratione vtitur Alexander II. aduersùs Geruaſium Remenſem, qui priuilegia Monaſterio Corbeienſi indulta moleſtè ferebat, & tanquam diſciplinæ Eccleſiaſticæ, & Canonibus improuidè conceſſa ferebat. Ait verò Alexander, *Alias eſſe leges Eccleſiarum quæ ſunt generales, & eas quæ ſpecialiter in priuilegiis quibuſdam prærogantur Eccleſiis ad immunitatem ne quorumlibet importunitate patiantur inquietudines.*

11 Quarta cauſa exemptionum eſt fauor Sedis Apoſtolicæ,cuius multùm intereſt habere plures ſibi immediatè ſubiectos, qui & illam tueantur, & ferant vbique poteſtatis ipſius notas, ac priuilegia, vti habet Rebuff. *reſponſo* 141. quod & docet experientia, cùm illi maximè pro ſuprema poteſtate pontificia aduersùs eius impugnatores dimicent: quare Nicolaus I *Ep.* 32. *ad Epiſcopos* in Syluanectenſi Synodo nominat eiuſmodi priuilegia Sedis Apoſtolicæ tegumina totius Eccleſiæ Catholicæ, & munimina contra omnes impetus prauitatum, cùm cuilibet idem euenire poſſit, quod Bethold. de quo ibi agebat Nicolaus.

12 Ex quibus omnibus conſtat aduersùs omnes qui has exemptiones & libertates impetunt maximè Guillelmum Durandum *tractat. de modo Concilij generalis celebrandi. Rubric. de exemptionibus*, imprimis eas eſſe validas, cùm ab Epiſcopis, legibus & ſummis Pontificibus, ac proinde à competenti, & legitimâ poteſtate concedantur. Quid verò in his protectio & præceptio regia, vt loquebatur, conferat & vtrùm ad temporalia dumtaxat pertineat, alius erit diſputandi locus *tom. 3. vbi de regularium adminiſtratione, & gubernatione* diſputabitur. Adi interim notas eruditas Baluſij ad Epiſtolas Lupi Seruati Ferrarienſis Abbatis, maximè in Epiſtola 12. vbi *in apppendice* refert varias præceptiones in gratiam variorum Monaſteriorum ex quarum lectione facilè diſces quid ſibi tribuerent in Monaſteria principes: ab ea nunc abſtinemus controuerſia. Cùm enim his omnibus accederet tum Epiſcoporum, tum Romani Pontificis confirmatio, dubitari nequit illas à legitima poteſtate profectas fuiſſe, ac proindè validas fuiſſe. Æquitatem verò ipſarum probat æquitas multiplicis cauſæ finalis, propter quam ſapientiſſimè, & æquiſſimè indulta ſunt eiuſmodi priuilegia.

13 Dices ex illis imminui plurimùm authoritatem Epiſcopalem, confundi ordinem Eccleſiaſticæ diſciplinæ, diuelli membra à capite, foueri diſſenſiones, ac ſuperbiam, & ambitionem Monachorum, qui ſibi indebita vſurpant, & denique religioſæ paupertati vulnus inferre dum Monachi eiuſmodi exemptiones magnis muneribus, & prodigâ liberalitate, ſuam libertatem procurant, aut potiùs emunt, quæ & alia querimoniæ ſunt veterum, ſapientiſſimorúmque ſcriptorum eius ætatis, qua tales exemptiones frequentiores eſſe cœperunt. Bernard. *de conſiderat. c. 4. Mouemur, loquor, & querimoniam Eccleſiarum, truncari ſe clamitant, ac demembrari. vel nulla, vel pauca ſunt quæ plagam iſtam aut non doleant, aut non timeant. Quæris quam? ſubtrahuntur Abbates Epiſcopis, Epiſcopi Archiepiſcopis, Archiepiſcopi Patriarchis, ſiue Primatibus*, &c. *Sic factitando probatis vos habere plenitudinem poteſtatis, ſed iuſtitia fortè non: ita facitis hoc quia poteſtis, ſed vtrùm & debeatis, quæſtio eſt.* Et mox: *Nolo autem prætendas mihi fructum emancipationis ipſius: nullus eſt enim, niſi quod Epiſcopi inſolentiores Monachi diſſolutiores fiunt, quid quod & pauperiores. Inſpice diligentiùs talium vbique libertorum & facultates, & vitas, ſi non pudenda admodum & tenuitas in his, & in illis ſancta ſæcularitas inuenitur.* Pergit deindè geminam hanc noxiæ libertatis, vt loquitur, ſobolem fuſiùs explicare. Conſule eundem Bernard. *Ep.* 42. *ad Henricum Senonenſ. Archiep.* & *Ep.* 179. & 180. Eadem queruntur Petrus Bleſæus *Ep.* 68. & 90. Iuo Carnotenſ. ſæpius, & maximè *Ep.* 65. & 195. Vide & Guillel. Durand. *opuſc. citato.* Ægidium Rom. *ſimili opere contra Religioſorum exemptiones.* Aluar. Pelagium *lib.* 2. *de planctu Eccl. art.* 14. *litt...* vnum affero Ioan. Sariſberienſ. *lib.* 3. *policrat. c.* 18. 19. & 21. *Qui regi velint*, inquit, *perpauci ſunt, cum quiſque vt emancipetur à iugo rectoris proprij, totis viribus quærat priuilegia. Siquidem Apoſtolico, aut regio præcepto plurimi tuti ſunt, ne iudicibus ſuis obtemperent, ne iuſtitiam faciant, ne legi Dei ſubiecti ſint. Non reprehendo clementiam Apoſtolicæ Sedis, ſed hanc indulgentiam eius Eccleſiæ Dei non arbitror expedire. Nihil tale in illa glorioſa familia Chriſti legimus, licèt & in illis contentio facta ſit, quis eorum videretur eſſe maior. Nullam emancipationem huiuſmodi ab Apoſtolis factam meminimus, licèt Paulum & Barnabam audierimus ab inuicem diſceſſiſſe. Nullam in illa ſuperna ciuitate, quæ ſurſum eſt mater noſtra, contradictionis materiam credimus: ſed nec ſic eſſe debere niſi vrgentiſſima ratio flagitet. De his enim, vt pace multitudinis, & eorum qui illius fouent iniquitatem loquor. Dicam quod ſentio, ne quid ſubtraham veritati, aut probabilitati. Dico ergo quod indubitanter credo, quod ſi qui efferente ſuperbia eiuſmodi emancipationes quærunt, à ceruice ſua iugum Chriſti & patris eius, ſi fieri poſſet, excuterent. Plus dico: imò & quantùm eſt in ipſis excutiant, & diuinæ ordinationi fallaciter contradicant.* Hæc & alia plura plurimi contra iſtas libertates exaggerant, & quotidiè occinunt, maximè hinc euerti totam Eccleſiaſticam hierarchiam, cuius acerrimos defenſores ſe exhibent, ideoque explodendas emancipationes iſtas ab Eccleſia contendunt.

Reſpondeo non diffiteri nos illis libertatibus, 14 quamvis quandoque æquiſſimis, nonnullos perperàm abuti, ſicut & plures Epiſcopos ſua dignitate impotenter quoque abuti queruntur allati DD. ipſique adeò ſummi Pontifices, qui idcircò eorum dominationi ſubtrahere ſe Monachos dicunt ne ab illis ſeruorum inſtar opprimantur. Itaque ſi aduerſarij damnant faſtum & ſuperbiam Monachorum qui iugum excutere conantur, damnent, & dominatum Epiſcoporum qui iugum Monachis non ferendum imponunt, & quod leuari poſtulant ab illo qui id poteſt, & vtriſque æquitatem & iuſtitiam impertiri debet.

Reſpondeo ſecundò, nullum Doctorem ex iis, quos 15 afferunt aduerſarij, negare in ſummo Pontifice, & Eccleſiarum præſulibus poteſtatem huius indulgentiæ, ſed hoc vnum contendere, eas emancipationes neque vtiles, neque commodas eſſe Eccleſiæ propter incommoda quæ ex illarum abuſu conſequuntur, vti ipſorum verba expendenti perſpicuum fiet. Quare de illorum validitate dubitare non licet, ſed ſolùm de æquitate & vtilitate.

Reſpondeo tertiò, omnia, ex quorum abuſu ſequuntur incommoda reiicienda non eſſe, alioquin quamplurima ſapientiſſimè ſanctiſſiméque inſtituta reiicienda eſſent magna rerum omnium perturbatione, & vt aiebat Lycurgus extirpandas eſſe vites, quia ex ipſarum vino plures inebriantur, & nefanda committunt, ſed abuſus illi tollendi & puniendi ſunt, & cùm abuti omnes poſſunt, & plerique velint ex inſtitutis contradictoriè oppoſitis, vtrumque

contradictorium tollendum, & mutandum foret; quod videtur impoſſibile. Deinde abuſus procedit ex hominum peruerſitate, non ex inſtitutione rei: præterea iſti omnes abuſus qui obiiciuntur ab aduerſariis, vel ordinarij, & ſoliti ſunt, qui à vulgari prudentia præuideri potuerint, vel inſperati & inſoliti, qui humanam & ordinariam ſagacitatem fugerint. Si hoc ſecundum dicas, non eſt arguenda inſtitutio eorum, ex quibus contra humanam prudentiam, & ſagacitatem ſequuntur, cùm vix vitari potuerint, & ex inſolitis non detur certa, & conſtans regula. Si verò primum affirmes, cùm illi prudentiam eorum, qui rem ex qua ex mera hominum peruerſitate, ſequitur abuſus, non effugerint, & nihilominus qui rem illam cum ea abuſuum præuiſione inſtituerint, eam nihilominùs inſtituerunt, manifeſtum indicium eſt, vel eos abuſus non eſſe tanti faciendos, vt propter ipſorum periculum alter res inſtituenda foret, vel inſipienter omninò & ex præfracta repugnandi libidine eiuſmodi inſtitutioni à parùm prudentibus contradici. Atque, ne extra materiam, quam tractamus digrediamur, ſi emancipationes conceſſæ monachis & regularibus ab Epiſcoporum, in quorum Parochia degunt, iuriſdictione incommodæ ſunt Eccleſiæ propter regularium faſtum, & ſuperbiam, liberiorem diſciplinam, & perturbationem hierarchiæ Eccleſiaſticæ, ea omnia incommoda, & abuſus ex clementia Romanæ Sedis, & indulgentia, vt loquebatur Ioannes Sarisberienſis, cùm ordinaria ſint, præuideri facilè potuerunt ab Epiſcopis, qui ſynodaliter conceſſerunt ſimilia priuilegia; Pontificibus ſummis, qui vel primi indulſerunt, vel confirmarunt; Regibus, qui ea vel poſtulârunt; vel ſua auctoritate & præceptis tuiti ſunt; ſupremis curiis, quæ ſuis ſuffragiis eiuſmodi emancipationes & probarunt, & iudiciis confirmarunt. Peccarunt igitur illi omnes, & inſipienter egerunt, ex recentiorum iſtorum ſententia; nam abuſus in Eccleſiam ex quibus pudenda adeò incommoda, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ perturbationes ſequutura certò præuidebant, permiſerunt, eorúmque omnium malorum rei profectò ſunt; quod, opinior, non facilè admittent aduerſarij: & cùm iidem æquè certò præuiderent ex monachorum inquietudine, ac grauiſſimis moleſtiis, Epiſcoporum faſtu, & impotentia non minora præſagirent incommoda, atque regularis diſciplinæ perturbationem, monaſteriorum dilapidationem, aliáque omnia, quæ à Doctoribus, & Patribus allatis recenſentur incommoda. Quidnam ſapienter pro ſuo munere & officio ſtatuere debebant? An Monachos in iis calamitatibus, quas ipſimet referunt, & vexationibus importuniſſimis deſerere magno religionis diſpendio, & fundatorum, qui ex ſuis bonis monaſteria in Dei cultum conſtruxerunt iniuria ac dolore? An aliqua ex parte Epiſcoporum, dominationem leuiter caſtigare, & intra certos limites definire? quandoquidem per eiuſmodoi, vt vocant, emancipationes non eſt eiuſmodi Epiſcoporum iuriſdictio in Monachos penitùs ſublata, cùm plurima reſtent, in quibus regulares ſubiiciuntur Epiſcopis, ſicut & omnes alij exempti, cuiuſmodi ſunt Capitula & Collegia, de quibus agemus 3. *tomo* vbi de iuriſdictione Eccleſiaſtica: intereà vide Koxier. *tractatu peculiari* ea de re, & alios.

16 Quia verò maximè ſolent aduerſarij perturbationem totius hierarchiæ Eccleſiaſticæ vrgere, quod regulares qui ex primario iure ſubiiciebantur omnimodæ Epiſcoporum iuriſdictioni, ab illa priuilegiis quibuſdam ſubtrahuntur.

Reſpondeo quartò ad vulgarem illam obiectionem, non magis Pontificem, quem ſummum Eccleſiæ moderatorem, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ Principem eſſe, probatum ſupponimus, ex *lib.* 5. facere iniuriam Epiſcopis & præſulibus, ordinariis quidem, ſed inferioribus tamen, cùm illorum iudiciis vnum, vel alterum, vel etiam totam aliquam communitatem ſubducit, quam Regem & ſupremum Principem qui iudicibus ordinariis, & natiuis, vt loquitur, ſubditum aliquem, aut plures illorum iudiciis eximit, atque eius cauſas ad alios iudices cognoſcendas delegat, aut præcipuas aliquas ſuæ cognitioni reſeruat. An verò ſupremæ Curiæ iniuriam ſibi fieri à principe dicent, cum quempiam ſuæ iuriſdictioni ſubducit? Solitæ denique ſunt exemptiones à communi foro, principis indulgentia illuſtribus perſonis, aut dignitatibus conceſſæ, quas & plures ambiunt & conceſſis vtuntur, ſine tribunalium à quibus ſubtrahuntur querelis. Addo R. Pontificem poſſe nouos Epiſcopatus, Archiepiſcopatus, & Primatus conſtituere, aut vnum in plures partiri, aut plures in vnum conflare, quod Annales Eccleſiaſtic. loquuntur, & nos *libro quinto*, vbi de Pontifice, oſtendimus, & nemo catholicus negabit, opinor. Atqui nouæ iſtæ diuiſiones & inſtitutiones ne fingi quidem poſſunt ſine cuiuſpiam alicuius diſpendio, cùm vel Diœceſis, ſiue Parochia eiuſmodi diuiſione ſubtrahatur vni, cui tota ſuberat, aut in nouis Archiepiſcopatibus & Primatibus ſubiiciantur alicui cui priùs non ſuberant. Cur igitur non poterit vnam aliquam communitatem vni Epiſcopo ſubiicere intra eandem diœceſim? Quid verò aliud, amabo, fit in regularium emancipationibus? cur potiùs de illis conqueruntur Epiſcopi, quam de aliis exemptionibus, verbi gratia Capitulorum & Collegiorum Eccleſiaſticorum? Cur potiùs in illis violari hierarchiam Eccleſiaſticam, quàm in aliis omnibus queruntur?

His omnibus addo eiuſmodi libertates omnibus 17
ſæculis viris ſapientibus probatas fuiſſe, maximè in Gallia, in qua ex Patrum memoria à Regibus ipſis ſacris diplomatis, & regiis præceptis ſunt confirmatæ, vt pridem docuimus. Ipſi Chriſtianiſſimi Reges non eas modo probarunt, & tuiti ſunt: ſed ipſas etiam indulgeri tum à Pontificibus, tum ab Epiſcopis enixè flagitârunt, ipſi quoque ſponte ſua, aut aliorum precibus & conceſſerunt, & à comprouincialibus probari ac ſubſcribi voluerunt, vti referebamus, conſtátque ex Marculph. formulis, & veteribus monaſteriorum archiuiis ac chartis. Denique eas ipſæ ſupremæ regni Curiæ non modò probarunt, ſed ſecundùm illas etiam iudicarunt, & cauſas definierunt. Plurima eiuſmodi Senatuſconſulta refert Chopinus, nam *lib.* 1. *de ſacra politia. tit.* 5. *num.* 8. adducit exemptionem conceſſam Eccleſiæ, & Capitulo Cœnomanico petente Rege Carolo V I. additque: *Pontificiam hanc Capituli immunitatem excepit vindicaria Curiæ ſententia pro Cœnomano Templo maioris Collegij aduerſus Epiſcopum, Calend. Decemb.* anno ſalutis 1383. Adiicit & ſimiles exemptionis codicillos, datos Pariſienſi Eccleſiæ ab eodem Clemente, & ne quis tanquam ab adulterino Pontifice datos reiiciat, ſubdit Alexandri III. cum Lutetiæ moraretur, diploma, 12. Kal. Maij, Indict. 13. ano. 1165. Pontificat. an. 6. quo Epiſcopalis fori, Imperiique vacationem indulget; quod diploma ſe præ manibus habere affir-

mat

mat *lib. 2. eiuſdem ſacræ polit. tit.* 2. ſimilium immunitatum datarum à variis Pontificibus Ciſtercienſibus, Præmonſtratenſibus, Cluniacenſibúſque, aliiſque ſuggerit. Eodem quoque *libro, tit.* 8. *à numero tertio*, habet quanta cura Senatus ſuis decretis Dominicanorum priuilegia demonſtrat. Idem habet de priuilegiis Carmelitarum *numero quarto*, vide & alia circa varia priuilegia aduersùs Curiones *numero octauo*, Conſule eundem *libro ſecundo de dominio Gallico*, *titulo* 8. vbi de exemptis à iuriſdictione procerum per reges indulta, ex qua ad exemptiones à iuriſdictione Epiſcopali conceſſas, non ineptè, vti iam monuimus, argumentamur. Atque, vt demùm tractationem iſtam concludamus, & aduerſariorum queritantium os oppeſſulemus, lege Pettum Cluniacenſem *libro primo, Epiſtola* 28. quam hîc exſcribere, cùm liber vulgaris ſit, piget, ne lectoris abutamur otio. Quia verò fatebamur nuper proteruorum quorundam abuſu ex his liberratibus plurima incommoda & ſcandala interdum orta fuiſſe, prouiſum huic malo fuit à Concilio Lateranenſi, Viennenſi & nouiſſimè Tridentino, & pluribus ſummis Pontificibus, qui & exemptiones pro rerum & temporum ratione diuerſimodè temperarunt, & Epiſcopis omnem oocaſionem inquietandi & vexandi Religioſos ſuſtulerunt. Noſtrum verò non eſt, neque priuati doctoris ſingulorum priuilegiorum vſum legitimum, & praxim explicare. Sciunt Regulares ſua priuilegia, & Epiſcopi ſuam poteſtatem, quòd & quantum eiuſmodi priuilegiis, dum allegantur, & exhibentur, deferre debeant: quare ſatis nobis fuerit tradere quaſdam vniuerſales regulas circa priuilegiorum vſum, & praxim.

QVÆSTIO IV.

Regulæ vniuerſales de priuilegiis, & exemptionibus.

1 PRima regula eſt, quam tradit Goffridus Vindocinenſis *opuſculo ad Calixtum Papam*, in quo agit de libertatibus, & de contentionibus inter Regem & Romanum Pontificem, vbi tandem ait: *Habeat Eccleſia ſuam libertatem: hoc ſummopere caueat ne dum nimis emunxerit, eliciat ſanguinem, & dum rubiginem de vaſe conatur eradere, vas ipſum frangatur.* Quod monitum tum Epiſcopis ſuam auctoritatem, tum Regularibus ſuam libertatem tuentibus maximè neceſſarium arbitror.

2 Secunda regula. Priuilegium meretur amittere qui permiſſâ ſibi abutitur poteſtate. Innocen. III. *libro primo, Epiſt.* 446. & refert *cap. Tuarum* 10. *& cap. Petiſtis* 20. *de priuileg. & cap. vt priuilegia* 24. *Tit. eodem, ex eodem Innoc. III. Conc. Lateran. cap.* 57. *& cap. priuilegium* 2. *queſt.* 3. vbi citatur ex Gregorij regeſto à Gratiano, vbi tamen non inuenitur, ſed apud Simplicium *Epiſt.* 2. habétque etiam Auguſtin. *ſerm.* 247. *Iudicio* (inquit) *legum iure obtentâ dignitate deijcitur qui priuilegio ſibi conceſſo abutitur.* Denique Triphonius I. C. non eſſe excuſationem & auxilium ei à lege qui leges inuocat, dum aduersùs eas committit, *l. auxilium. D. de minoribus*: qua de cauſa Innoc. III. *Epiſt. citata ad Epiſcopum Lugdunenſem*, damnat Hoſpitalarios S. Ioannis Hieroſolymitani, quòd vnus ex illis cùm Eccleſiam quandam baptiſmalem illis ab Archiepiſcopo Lugdunenſi conceſſam, eius Vicario percuſſo, ipſam ſanguine polluiſſet, quam Lugdunenſis Archiepiſcopus ſacris interdixiſſet, donec reconciliaretur, ipſi deindè in illa ſacra celebrare non deſiiſſent, & quoſdam Clericos ab officio ſuſpenſos reſtituere non dubitaſſent, & denique quoſdam laïcos in propriis ædibus verſantes, eo quod eis cenſum annuum præſtarent, emancipare niterentur, id eſt exemptionis ſuæ beneficium illis præſtarent, vt per eiuſmodi emancipationes exempti liberarentur ab ordinariis, ſicut filij per emancipationes à poteſtate patris, ac proindè non ſortirentur forum delicti ſecundùm rationem terræ, id eſt ſecundùm ius commune. Denique ſæculares & laïcos falsâ crucis teſſerâ ſignatos, & non religioſos mittebant colligendarum ſtipum causâ in vſum hoſpitalis Hieroſolymitani. Iubet itaque Innocentius Lugdunenſi in his qui eiuſmodi falſos eleemoſynarios miſerint, prædicationis officium interdicat; eiuſmodi verò collectores, ſi laïci ſunt, excommunicet: ſi verò Clerici, ab officio & beneficio ſuſpendat, ſummoto omni appellationis remedio: in Eccleſia illa interdicta non patiatur celebrari, donec fuerit reconciliata, qui in ea celebrarint ab officio & beneficio ſuſpendat: qui à ſuis Epiſcopis ſuſpenſi ab eiuſmodi fratribus fuerant reſtituti, in eandem ſuſpenſionem reinciderent. Denique illi qui eadem de cauſa ſe non teneri ad reſpondendum ſecundùm conſuetudinem terræ aſſerebant, ad reſpondendum compelleret, quorum omnium alia ratio non eſt, quàm quia *priuilegium meretur amittere, qui ſibi permiſsâ abutitur poteſtate.*

3 Tertia. Ex eadem Innocentij decretali colligit eius commentator Altelſerra hanc ſecundam regulam, *Ordinarij habent iuriſdictionem etiam in exemptos qui publicè delinquunt, & abutuntur priuilegio*: quia priuilegium amittitur propter abuſum. Ratio euidens eſt, ne priuilegiorum prætextu, flagitiorum creſcat auctoritas, vel publica vacillet auctoritas, inquiunt Zeno & Leo Imperatores *l.* 2. *c. de priuilegiis ſcholar.* Verùm de iuriſdictione ordinariorum in exemptos conſule Eraſmum Kokier. *tractatu ſingulari hac de re*, de his nos quoque *tomo tertio* plura diſſeremus. Sanè punire poſſunt exemptos in his in quibus excedunt modum exemptionis, vti habet idem Innocent. III. *cap.* 10. *&* 11. *de priuilegiis.*

4 Quarta regula. Priuilegium perſonale non egreditur perſonam, quare notantur Hoſpitalarij ab Innocentio mox allato, *capite* 11. *citato* eò quod fori priuilegium communicabant cum merè laïcis; eò quod cenſum, ſeu penſionem ipſis ratione fraternitatis perſoluerent, quod damnat Innocent. quia priuilegium ſiue Hoſpitaliorum, ſiue aliorum exemptorum, non porrigitur ad confratres non religioſos, ſiue qui ſe religioni non omninò dicauerunt, & qui litteras duntaxat fraternitatis, de quibus aliàs, tantummodò accipiunt, & in ſuis domibus inſtar aliorum laïcorum reſident; quare ſimilem abuſum reſpectu eiuſmodi confraternitatum caſtigat Alexand. III. in Concilio Lateran. *c.* 3. *&* 9. & refertur *cap. cum & ſalmare*, *de priuilegiis* contra Confratres eiuſmodi, quos Hoſpitalarij ab Epiſcoporum iuriſdictione, & ſententiis ſubtrahebant, & interdictis generalibus non teneri, ſicut ne ſeipſos contendebant: quem omninò abuſum tolli vult Alexander vnà cum Concilio generali, & qui ſecùs fecerint pœnis ſubiici. Gregorius etiam IX. *cap.*

quidam 32. *de priuileg.* eiuſmodi confratres niſi ſe ad religionem in totum tranſtulerint ad Epiſcopalia iura compellendos edicit. Abutebantur denique Hoſpitalarij priuilegio fori, dum enim quempiam ipſi conuenirent ſequebantur forum Iudicis ordinarij, ſi verò ab ipſis conuenirentur, cauſam ad ſuum Iudicem reuocabant. Iniquo ſanè iure, quod ipſis exprobrat Ioan. S.Sariſberien. *Epiſtola* 95. *& libro ſeptimo policrat. capite vigeſimoprimo.*

5 Quinta regula. Exempti tenentur ſeruare generale interdictum, quod quia non faciebant Hoſpitalarij arguebantur à Guillelmo Tyrio *libro decimooctauo, & capite tertio,* & à Ioanne Sariſberienſi, *policrat. libro ſeptimo, capite vigeſimo ſecundo*, licebat tamen ipſis ſemel in anno ſi acceſſiſſent ad Eccleſiam interdictam alienam celebrare, vt dicitur *citato capite, Cum & plantare,* & *capite, Vt priuilegia de priuilegiis*; & præterea quod tractat, de cenſuris notauimus, licet exemptis in generali interdicto diuina celebrare ianuis clauſis, voce ſubmiſſâ, non pulſatis campanis, *capite Alma mater, & cap. quod te de pœnitent. & remiſſio cap. cùm in partibus de verb. &c.* Quod ſi interdictum etiam generale fuerit & propter delictum Templariorum, & Hoſpitalariorum, aut aliorum exemptorum poſitum, illis non ſeruantibus ipſum, neque Clerus & populus illud ſeruare tenebantur, *ne rei de alieno luctu rideant*, inquit Innoc. III. qui id plebi concedit in pœnam præſumptionis eorum, quamdiu ipſi Hoſpitalarij violauerunt interdictum pro eis promulgatum, *capite petiſtis, vigeſimo, de priuileg.*

6 Sexta regula. Vbi inſtrumentum priuilegij caſu amiſſum fuit, eius tenor, & omni vitio caruiſſe probari poteſt per teſtes idoneos, atque hic eſt omninò caſus Abbatis monaſterij Eugubini de priuilegio contra Eugubinum Epiſcopum contendentem; interceſſerat enim hic Epiſcopus confirmationi priuilegij olim à laïco tali Monaſterio conceſſi, vt immediatè ad ſedem Apoſtolicam pertineret, quam illius Abbas modo ab Innoc. III. poſtulabat, qui illam tandem conceſſit examinatis teſtibus, & auditâ aſſertione teſtium fratrum ſuorum, id eſt Cardinalium.

7 Septima regula. Abbates exempti tanquam filij Romani Pontificis admittuntur ad oſculum, quod conſtat ex Goffrido Vindocin. *libro primo, Epiſtola* 8. & Petro Damian. adhuc Abbate Auellanenſi *libro tertio, capite quarto*, eáque de cauſa Innoc. III. cum Abbas ſancti Petri Eugubini licet ab eius Epiſcopo excommunicatus ad Cœleſtinum III. eius prædeceſſorem acceſſiſſet, & ab illo admiſſus fuiſſet ad oſculum, coniicit, ipſum Abbatem non fuiſſe ligatum ea excommunicatione. Cum monaſterium ſpecialiter & immediatè ad Romanam Eccleſiam pertineret.

8 Octaua regula. Innouatio, & confirmatio priuilegij non tribuit ius nouum, ſed antiquum declarat; & illud non ampliat, niſi exprimatur: hic eſt caſus *capitis decimitertij, de priuileg.* in quo Innoc. III. Monaſterium monialium Iotrenſium, ex antiquo priuilegio declarat ad ſedem Apoſtolicam pertinere, contra Epiſcopum Meldenſem his verbis: *Priuilegium Apoſtolicæ Sedis Eccleſiæ Iotrenſi conceſſum diximus innouandum: ita tamen vt per innouationem ipſius, eidem Eccleſiæ non plus iuris accreſcat, quàm per priuilegia prædeceſſorum noſtrorum obtinuit, cum per hoc non nouum ei concedere, ſed antiquum ius conſeruare velimus.* & Honorius II. *capite Quia intentionis, tit. eodem. cum innouatio nec ius nouum conſerat, nec etiam tollat vetus, te in eo ſtatu eſſe volumus in quo tempore impetratæ innouationis dignoſceris extitiſſe. Cæterum nullum per hoc intendimus iuri alias eidem Monaſterio competenti præiudicium ingenerari*; quare ſine cauſa Epiſcopus Baiocenſis, in cuius parochia erat illud Monaſterium, verebatur, ne per eiuſmodi innouationem, aliquid iuri Epiſcopali fuiſſet derogatum, quam dubitationem ſua reſponſione diluit Honorius. Ideoque aliquando eiuſmodi priuilegiorum innouationes, & confirmationes denegant Pontifices, ne eo prætextu aliquid turbetur; qua de cauſa Innocent. VI. aliquandiù diſtulit innouare priuilegia monialium Gardinenſium, quod tandem de re tota edoctus præſtitit, *cap. Cùm dilecta. de confirmatione vtili*, &c. cùm enim eiuſmodi priuilegia eſſent vetuſta, & ſitu confecta, cùm in papyro, & non in pergameno conſcripta fuiſſent, periculúmque eſſet ne propter difficilium viarum diſcrimina interciperentur, ſi Romam mitterentur, benignè ita innouauit vt caueret ne Hildeshemenſis Epiſcopus, qui aduerſus illa centenariam præſcriptionem obiiciebat, inauditus damnaretur, immò ſi de illa non interrupta conſtet ſubiectio Monaſterij adiudicetur Epiſcopo. Quia verò Monaſterium illud ad ius, & proprietatem Eccleſiæ Romanæ pertinere conſtabat ex illis priuilegiis, ne ius illud curſu temporis maneret indefenſum, Pontifex conſtituit ipſam Abbatiſſam procuratricem in hanc rem, Et ſanè licet fœmina nequeat fungi procuratoris officio, *leg. ſexta. D. de regul. iur.* in re tamen propria, vel in communi cum aliis negotio, nihil vetat eas procuratrices exiſtere, quia magis ſuum negotium, quàm alienum tunc agere videntur. Denique ſi probata fuerit illa centenaria præſcriptio, iubet Pontifex priuilegium per eam amiſſum corrumpi, vt recidiuæ litis materia tollatur: qua de cauſa iuſtæ fiſci actiones, ſiue fiſci rationes, ſi ſuis temporibus prolatæ non ſint, concremari iubet Conſtantin. *leg. ſexta. cap. de iure fiſci*, quod in Gratiano laudat Auſon. *in panegyrico*, & de Fredegunde, ac Chilperico narrat Gregor. Turon. *lib. 5. cap.* 34.

Nona regula. Priuilegium amittitur per nonvſum longiſſimi temporis: quia priuilegium eſt quid odioſum, & res facilè redit ad ius commune: 9
quare *l. vlt. D. de veteranis*, veterani, qui paſſi ſunt in ordinem legi, muneribus, à quibus alioquin eſſent immunes, fungi coguntur. Verùm hæc communis regula intelligenda eſt de non-vſu, qui includat aliquem actum contrarium priuilegio, cui per actum oppoſitum derogatum ſit, & ille nonvſus non ſit mera negatio, quæ cùm ſit merum non-ens, non poteſt vllum effectum producere, Et ſanè iura, quæ allegant ad aſtruendam communem regulam, non agunt de mero non-vſu, *cap. Si de terra. de priuilegijs*, Gregor. iubet Abbatem ſancti Andreæ Ordinis Ciſtercienſis, qui Canonicis de Plantio, in quorum etiam Parochia decimas perſoluerant per 30. annos, eandem penſitationem continuare, licèt monachi Ciſtercienſes ex priuilegiis decimas de laboribus ſuis non deberent, quia eiuſmodi ſolutione præſumebantur voluiſſe de ſuo priuilegio detrahere, & liceat cuilibet iuri ſuo detrahere. Simili ratione Innoc. III. Templarios damnauit ad ſolutionem eandem decimarum

cimarum Monachis Naugiacenſibus ex terris, ex quibus illi monachi eas diu perceperant, antequam à Templariis poſſiderentur, & deindè ab illis ipſis Templariis per 40. annos quamvis ex Adriani IV. & Alexandri III. priuilegiis à decimis prædiorum quæ propriis manibus, & ſumptibus excolunt liberi ſint. Ratio eſt: quia ibi ſolùm non vſus priuilegij eſt, vt vides, ſed quia, vt loquitur Innoc. *Cùm tanto tempore contra indulta priuilegia decimas ſoluerint, eis renuntiaſſe tacitè præſumuntur.* Fuit igitur non ſolùm non vſus indulti priuilegij, ſed etiam præſtatio & ſolutio decimarum contraria tali priuilegio, quod illud vel præſcriptione, vel alia ratione ſuſtulit, & monachis ius contrarium acquiſiuit.

10 Decima. Eccleſia exempta in capite, non cenſetur exempta in membris, quare exemptio monaſterij non extenditur ad Capellas, ſeu Eccleſias, quæ pendent ex eodem monaſterio niſi pleno iure illi ſubiiciantur, hoc eſt in ſpiritualibus, & temporalibus. Ita definit Innoc. III. ſecundùm Epiſcopum Lingonenſem *cap. cùm capell. de priuileg.* cùm Canonici Capellæ Ducis Burgundiæ prætenderent exemptionem Capellæ illi conceſſam pertinere ad parochiales omnes Eccleſias, quas ab Epiſcopo Lingonenſi obtinebant, & in his omnibus ab omni iuriſdictione Ordinarij dicerent ſe exemptos. Illud ipſum definitur ab eodem Innoc. *cap. proximè*, circa monaſterium & Abbatem Eueſchamienſem, & Epiſcopum VVigornienſem: diſceptatâ enim lite coram ipſo de libertate Cœnobij, cùm neutra pars probaret præſcriptionem, aut euidenter ſuum ius probaret, Pontifex pronuntiauit Monaſterium liberum eſſe in capite, id eſt ab Epiſcopali iuriſdictione exemptum, immediatéque ſubiectum Romanæ Eccleſiæ: tutela tamen ipſius Cantuarienſi Archiepiſcopo reſeruata in membris, quæ non probarentur exempta, id eſt in Eccleſiis, & Capellis quæ penderent ab ipſo monaſterio, Diœceſano Epiſcopo ſubiacere, & ratione ipſarum Abbas vocatus ad Synodum Epiſcopalem, teneretur ad illam accedere, ibique primum locum poſt VVigornienſem Epiſcopum obtinere.

11 Decima. Protectio, & tuitio differunt ab exemptione, ſicut & literæ protectionis à litteris exemptionis. Quare Eccleſiæ & perſonæ quæ ſunt ſub protectione Romanæ Eccleſiæ, non idcircò ſunt exemptæ ab ordinariorum iuriſdictione, quamvis eæ Eccleſiæ quæ ſunt ſub protectione Romanæ Eccleſiæ ſint ipſi etiam cenſuales. Quare inſpiciendus eſt tenor priuilegij & modus quo cenſus ille perſoluitur.

12 Hæc regula ſupponit dari literas protectionis diuerſas à literis exemptionis: literis enim protectionis, quas etiam mandeburdij vocabant, dari ad ſecuritatem monaſteriorum, & Eccleſiarum; illis enim res ipſarum, vel perſonæ ſub protectione, vel mandeburdio, vel regia protectione, vel quandoque pontificia collocabantur, ad ſecuritatem nimirum ipſarum. Harum literarũ regiarum formulam habes apud Marculph. *lib. 1. c. 24.* quâ Princeps Epiſcopo, vel Abbati tuitionem & defenſionem impertit, ne à quibuſlibet infeſtentur, & vt ipſorum cauſæ in palatio tantùm decidantur, concedit: quibus litteris non diſſimilia eſſe ait Benignus *in notis*, diplomata quæ hodie dantur Eccleſiis, & dicuntur *lites de garde gardiene.* Refert Pithæus *in gloſſario verſ. miſſus ſancti Petri*, Caroli Martelli diploma, quod mandeburdium concedit ſancto Bonifacio Epiſcopo, & illud dari, ac continuari monaſteriis poſtulant PP. Meldenſes c. 41. à Carolo Iuniore Rege Chriſtianiſſimo, Sergio II. pontifice, vt monaſteria quæ olim libera tunc in allodium data eſſent, libertati ſuæ reſtituantur: *Prouidendum eſt* (inquiunt) *regiæ maieſtati, vt monaſteria quæ ab hominibus Deum timentibus in ſua proprietate conſtructa, prædeceſſores illius, cauſa defenſionis, & mandeburdij ſuſceperant, vt libera libertate, remotâ ſpe de illorum propinquitate ibidem religio obſeruetur, & nunc in allodium data ſunt, quapropter omnis exinde religio funditus eſt euerſa, &c.*

Id ipſum in ſynodo Confluentina anno 860. Nicolao I. Pontifice, in qua inter quinque Reges Francos concordia ſancita eſt, edixerunt ipſi principes: *Volumus* (inquiunt) *vt Eccleſia & caſa Dei & Epiſcopi & Dei homines Clerici & Monachi, & Nonnæ talem mandeburdem & honorem habeant, ſicut tempore noſtrorum anteceſſorum habuerunt.* Vides itaque tuitionem & protectionem, eiuſque literas non ſpectare niſi ſecuritatem eorum, quibus indulgentur à principe: exemptionem verò continere præterea ſolutionem à lege, & à iure communi, ac proinde eſſe odioſam, cùm ſit contra ius commune, cùm protectio ſit merum beneficium, ac proinde ſingillatim explicandum eſſe: neque enim Princeps cenſetur ſpecialiter remittere iuris communis obſeruationem, niſi ſpecialiter id actum ſit: vt enim ait Iuſtinian. *l. ſi quando 35. de inofficioſo teſtamento. Neque credendum eſt Romanum principem qui iura tuetur, huiuſmodi verbo totam obſeruationem teſtamentorum, multis vigiliis excogitatam, atque inuentam velle euerti.* Quod de tota iuris communis obſeruatione dici debet, illum nempè non euerti vno aliquo verbo vel ambiguo, vel per occaſionem prolato, niſi illud deſtinatò & ex animo in ſubiecta materia proferatur: quare conceſſionis tenor expendendus diligenter eſt, neque ex quolibet verbo colligi debet iuris cõmunis euerſio permitti, immò & concedi à principe. Quod verò aliqui dicunt cenſum præſtitum in gratiam protectionis, ſignum eſſe, hominem cenſum penſitantem eſſe ſpecialis iuris illius, cui præſtat cenſum, v.g. Eccleſia quæ cenſum penſitat B. Petro, eſt ſpecialis illius iuris: diſtinguendũ eſt an illa præſtatio ſit argumentum libertatis perceptæ, tunc erit nota exemptionis à iuriſdictione ordinarij: ſi verò denotet dumtaxat protectionem, non arguit neceſſariò exemptionem, vti diximus.

Vndecima. Priuilegium Principis in alterius iniu- 13
riam porrigi non oportet, vt ait Papinian. *l. impuber. D. de adminiſtrat. tutor.* & alibi ſæpius: quare ſi Eccleſia vniatur alteri Eccleſiæ, vel monaſterio, vnio fit ſine præiudicio Rectoris & non ſortitur effectum ſuperſtite Rectore, quare eius conſenſus non deſideratur in vnione facienda, *capite conſultationibus, de donat. Clem. 2. de rebus Eccleſ. alien.* & Religioſi non poſſunt per ſe ingredi poſſeſſionem Eccleſiarum, quæ eis conceduntur à Pontifice, viuente monaſterio, vt definit Innoc. III. *cap. Paſtoralis 19. de priuileg.* quia nemo ſuâ auctoritate rem ſuam accipere debet, *l. ſtipulatione. D. de acquirenda poſſeſſ. l. improba poſſeſſio C. eod. l. ſi quis in tantam. c. vnde vi*, habens titulum beneficij non poteſt propria auctoritate capere poſſeſſionem, alioquin prædo & intruſus dicitur, *cap. enim qui. de prabendis in 6.* & miſſio in poſſeſſionem beneficij ſpectat de iure ad Archidiaconum, *cap. ad hæc, de officio Archidiac.* neque obſtat *cap. Cùm veniſſet de reſtitut. ſpoliator.* quia ibi poſſeſſio de nouo non quæritur.

FINIS.

INDEX
RERVM ET VERBORVM,
Quæ in hoc ſecundo volumine continentur.

Primus numerus paginam, ſecundus columnam, vltimus marginis numerum deſignat.

A

Abbas.

ABBATES an poſſint intereſſe Conciliis. pag.125.col.2.n.6
Abbates in ſuos Monachos excommunicationem ferre poſſunt, ſi iuſta ſubſit cauſa. pag.239.col.1.n.6
Abbatiſſa an iuriſdictionem habeat in Moniales ſuas. pag.245.col.2.n.3

Abrogatio.

Abrogatio legis quid requirat? pagin.378.col.2. num.1
Abrogatio legis à quo fieri queat? ibid.n.2
Abrogatio legis qua ratione fiat. pagin.379.col.1. num.3
Abrogatio Ariminenſis Concilij ſub Damaſo. p.156. col.2.n.22
Abrogatio conſuetudinis. p.324.col.1.n.3

Abuſus.

Abuſus poteſt fieri ex rebus bonis. pag.385. col.2. num.15
Abuſus procedit ex hominum peruerſitate. pag.386. col.1.n.15
Abuſus repertus. p.149.col.2.n.4.& 5
Abuſus priuilegij duplex eſt. p.373.col.2.n.17

Acacius.

Acacius in hæreſim incidit. pag.198.col.2.n.5. exauctoratur.pag.ſeq.col.1.ibid.
Acacij etiam mortui punitio. pagin.199.col.1.n.5

Academia.

Academia Pariſienſis. pag.89. col.1. eius eruditio. ibid.
Academiæ Pariſienſis Doctorum de Pontificia Sede teſtimonia. à p.92.ad pag.102
Academiæ Pariſienſis illuſtris commendatio. ibid. col.2
Academia Pariſienſis illuſtribus Pontificum priuilegiis ornata. ibid.
Academiæ Pariſienſis edicta & definitiones laudantur. à pag.90.ad 92
Academiæ Pariſienſi calumnia impacta. pagin. 91. col.1

Acceptatio.

Acceptatio an ſit neceſſaria ad obligationem legis Eccleſiaſticæ inducendam? p.333.col.2.n.1.& 2. fidelium oſtenditur non eſſe neceſſariam in politicis. pag.ſeq.col.1.n.2
Acceptatio duplex eſt. p.333.col.1.n.2
Acceptatio non eſt neceſſaria ad hoc vt leges Pontificiæ obligent. p.334.col.2.n.3
Acceptatio populi non requiſita, intelligitur de Principe qui ſummam, & non à populo dependentem habeat auctoritatem. ibid.n.5

Acceptio.

Acceptio varia nominum, *Archiepiſcopi, Metropolitæ, Primatis, Exarchi, & Patriarchæ.* pag. 179. col.2. num.1

Acclamatio.

Acclamatio Patrum Synodi Epheſinæ. p.122. col.2. ordo in ea ſeruatus. ibid.
Acclamatio Patrum Concilij lectioni Epiſtolæ Leonis Papæ. p.121.col.1
Acclamationes Senatus cuius rei eſſent indicium. pag.122.col.2
Acclamationum mos in ſacris vnde traductus. ibid.
Acclamatio Synodi ſententiæ Iudicum, pag. 150. col.1.n.5
Acclamatio quædam facta in Concilio. pag. 126. col.1.n.8

Accuſatio.

Accuſatio coram tota multitudine facienda. p.131. col.1.n.6
Accuſatio in Zachariam Pontificem. p.54.col.2. ſub med.diluitur. ibid.

Actum & Actus.

Acta ſancita in Concilio, vbi etiam Legatus Pontificis interfuerit, niſi à Pontifice ratahabita fuerint, minimè rata cenſenda ſunt. p.139.col.2.n.24
Acta Pontigonenſis Synodi falſata. pag. 189. col.2. num.22
Actus omnis moralis pendet ab intentione operantis. pag.326.col.1.n.1
Actus interior, & exterior vnum actum moralem componunt. ibid.
Actus publici ad conſuetudinem requiruntur. p.302. col.2.n.6

Adceſſor.

Adceſſores Patriarcharum quomodo nominati. pag. 183.col.2.n.10
Adceſſorum Patriarcharum munus. ibid.

Æquum.

Æquum præſtabilius eſt aliquo iuſto, & quo? p. 377. col. 1. n. 6

Æthiopes.

Æthiopum mos in conſeſſu habendo. p. 132. col. 2. n. 8

Africa.

Africa in ſex prouincias Eccleſiaſticas diſtribuitur. p. 144. col. 1. n. 7

Alexander. Alexandria.

Alexandri quarti diploma refertur. pag. 36. col. 1. numero 20

Alexandria dicta ſecunda ſub ſole ciuitas. pag. 153. col. 1. numero 16

Alexandriæ vrbis commendatio ex Patribus. p. 153. col. 2. n. 16

Alexandrini Epiſcopum ſuum Dionyſium accuſaturi Romam proficiſcuntur. pag. 155. columna 2. numero 22

Ambitio.

Ambitio Græcorum. pag. 196. col. 2. n. 1. & pag. 197. col. 1. ibid.

Amicitia.

Amicitiæ vinculum quandónam fas ſit ſoluere. p. 130. col. 1. n. 4

Anachoreta, & *Anachoreſis.*

Anachoretæ nullam profeſſionem emittebant. p. 242. col. 2. n. 7

Anachoretæ an regantur iure regulari. p. 241. col. 1. n. 2

Anachoreſis duplex eſt. pagina 241. col. 1. n. 2

Anachoretæ an ſint verè religioſi? pagina 241. columna 2. numero 5. & pagina ſequent. col. 1. ibid.

Anaſtaſius.

Anaſtaſius ſecundus accuſatur. pag. 44. columna 1. n. 32. diuinitus percutitur. ibid.

Anaſtaſius Romam proficiſcitur. pagina 72. columna 2

Anatolius.

Anatolij ambitioſa cupiditas. pagina 197. columna 2. n. 3

Anatolius à Primatu proſequendo deſiſtit. ibidem. à factis ſe excuſat. ibidem & pagina ſequent. col. 1

Anatolij cupiditas arguitur. pagina 198. columna 2. n. 5

Anatolij fraus manifeſta. pagina 199. columna 2. n. 6

Angelus.

Angeli cur vocentur ordines cæli. p. 93. col. 1

Antiochia.

Antiochia Imperij Orientis, ſiue Aſiatici caput. pag. 153. col. 2. n. 16.

Antiſtes.

Antiſtites Conſtantinopolitani in omnem occaſionem intenti vt primum locum poſt Romanum tenerent. p. 198. col. 1. n. 4

Antiſtitum Conſtantinopolitanorum ambitio. ibid. n. 5

Antiſtitum Conſtantinopolitanorum ambitio renaſcitur. p. 200. col. 1. n. 8

Apocalypſis.

Apocalypſeos verborum, *ſi quis diminuerit de verbis*, &c. explicatio. p. 296. col. 1. n. 11

Apocalypſim an Ioannes ſcripſerit ante ſuum Euangelium. ibid.

Apoſtolus.

Apoſtoli nomen vnde ducatur. p. 8. col. 1. n. 1

Apoſtoli multa ad Eccleſiæ perfectionem viua voce tradiderunt. p. 297. col. 2. n. 14

Apoſtolici vocis ſignificatio. p. 73. col. 2

Apoſtolici nomen cui tribuatur. p. 73. col. 2

Apoſtoli decimas deferentes. pag. 183. col. 2. n. 10

Apoſtoli habuere plenitudinem doctrinæ fidei. p. 9. col. 1. n. 3

Fuere fundatores & gubernatores Eccleſiæ. ibidem n. 4. & 5. An fuerint Petro æquales ibidem n. 6. & 7

Apoſtoli alij à Petro quomodo dicantur paſtores. pag. 14. & ſequent. columna 2. num. 25. 26. 27. & 28

Apoſtolos inter & Epiſcopos diſcrimen. pagina 98. col. 2

Apoſtolici titulus, cuinam abſolutè tribuatur. p. 182. col. 4. n. 7

Apoſtolica Eccleſia quænam abſolutè dicatur. ibidem.

Apoſtolorum ſucceſſores quinam. pag. 184. col. 2. n. 11

Appellatio.

Appellatio fiebat ab aliis Imperij Præfectis ad Romanum. p. 154. col. 2. n. 19

Ara.

Ara Cæſarum. p. 191. col. 1. n. 25

Arcadius.

Arcadius & Eudoxia ſacris interdicuntur. pag. 177. col. 1. n. 23

Archelaus.

Archelaus Rex regno priuatur. pag. 144. col. 1. numero 7

Archiepiſcopus.

Archiepiſcopi primùm dicti. p. 182. col. 1. n. 8

Archiepiſcopi olim pro Metropolitanis vſurpabantur. ibid. differunt à Primatibus, & nomine, & poteſtate. ibid. & col. 2

Archiepiſcopi prohibiti ne aduerſus Patriarcham querelam admittant. ibid.

Archiepiſcopi ſine vſu pallij. pagina 195. columna 1. n. 7

Archiepiſcopi, & ſuperiores quid poſſint in ſuis ſingularibus Diœceſibus. pagina 233. col. 2. n. 6. nihil poſſunt in Diœceſibus ſibi ſubditorum Epiſcoporum, & affertur ratio. ibid.

Archiepiſcopi aliqui fuere qui Metropolitanis præerant. p. 188. col. 2. n. 19

Archiepiſcopi cur plures ſint quam Patriarchæ. p. 93. col. 2

Archiepiſcopi non poſſunt diſpenſare cum Epiſcopis ſuæ prouinciæ, & ſuis ſuffraganeis, 346. columna 1. n. 1

Archiepiſcopus non poteſt diſpenſare cum ſubditis ſuffraganeorum, ibid. n. 2

Archiepiſcopi Metropolitæ, Primates, Exarchi, & Patriarchæ quomodo differant. p. 179. col. 1. n. 1

Archiepiſcopus Senonenſis Vicarius Sedis Apoſtolicæ per Gallias, & Germaniam conſtituitur. p. 189. col. 1. n. 22

Archiepiſcopus Æthiopiæ Catholicus dictus eſt. pag. 196. col. 1. n. 11

Archiepiſcopus an habeat poteſtatem diſpenſandi circa leges à Prouinciali ſynodo latas. p. 344. col. 1. n. 6.

Archiepiſcopus dum ſuam prouinciam viſitat nequit cum ſubditis ſuorum Epiſcoporum ſibi ſuffraganeorum diſpenſare, p. 346. col. 2. n. 3

Index Rerum,

Archiflamen.

Archiflamines maiores, & minores. pag. 185. col. 2. n. 13

Archimandrita.

Archimandritæ vocis ſignificatio. pagina 74. columna 1

Argumentum.

Argumentum à ſimilitudine rationis non valet in iure, p. 345. col. 2. n. 4

Argumentum inuictiſſimum in doctrina fidei. p. 136. col. 1. n. 16

Arianus.

Arianorum artes. p. 42. col. 2. n. 28

Arius qua morte interierit. pagina 43. col. 2. numero 30

Ariani obiurgantur & quare? pag. 156. columna 1. n. 22

Aſceta.

Aſcetarum duo genera. p. 240. col. 1. n. 2

Aſia.

Aſia proconſularis. pagina 194. columna 1. numero 4

B.

Bannum.

Bannum nonniſi à maioribus Magiſtratibus imponi poterat. pagina 237. columna 1. numero 2

Barbaria.

Barbaria quæ dicebatur? pag. 194. columna 2. numero 7

Bellum.

Bellum indictum ſacris Imaginibus. pagina 112. col. 2. ſedatur p. 113. col. 1

Beneficium.

Beneficium Principis quomodo dicatur eſſe largiſſimè interpretandum. pagina 340. columna 2. numero 11

Beneficium Principis ſemel conceſſum manet. p. 370. col. 2. n. 3

Bernardus.

Bernardi breuis commendatio. pagina 74. columna 2

Bernardus multa ſcripſit de Pontificia dignitate. pag. 75. col. 1

Blaſtus.

Blaſti error & ab Eccleſia defectio. pagina 38. col. 1. n. 21

Bonum.

Bona Principum, & priuatorum iure municipali, & patriis legibus continentur. pagina 322. col. 2. n. 4

Britannia.

Britannia quóſnam Canones receperit. p. 279. col. 2. n. 11

Bulla.

Bulla Cœnæ, ſicut nec Regula Cancellariæ, vbique non obligant. p. 331. col. 2. n. 17

Byſantium.

Byſantium à Numidia ſeparatur. pag. 149. columna 2. n. 4

C

Cabala.

Cabala apud iuniores Hebræos quid ſit? p. 298. col. 2. n. 1

Cæſarea.

Cæſareæ Palæſtinæ totius Metropolis. pag. 156. col. 2. n. 8

Cæſarea ſpirituali ſua iuriſdictione ſpoliatur & proconſulari augetur. pagina 151. columna 1. numero 8

Caluinus.

Caluinus accuſat Siricium Papam. pagina 44. col. 1. n. 31

Caluini falſa deductio. pagina 215. columna 1. numero 15

Calumnia.

Calumniæ & fictitij quidam errores ſummis Pontificibus impoſiti diluuntur. pagina 53. & 54. per tot.

Canon.

Canon ſextus Concilij Nicæni nouas Sedes non conſtituit. pag. 150. col. 1. n. 9. & col. 2. n. 10. & 11. & pag. 151. col. 1. n. 12

Canonum mens de diſciplina Eccleſiaſtica aliquid ſtatuentium vnde petenda. pagina 151. col. 2. numero 10

Canon & Regula differunt. pag. 219. col. 1. n. 26. & col. 2. ibid.

Canon III. Concilij Conſtantinopolitani reiicitur. pagina 197. columna 1. numero 2. & 3. & columna 2

Canon Nicænus ſextus quid præcipiat, quando iubet ſeruari antiquam conſuetudinem? pag. 155. col. 1. n. 20

Canon antiquus quòd non poſſint indici Concilia ſine Romano Pontifice. pagina 107. 108. & 109. per tot. Canonis huius conſtans vſus. pag. 109. col. 1. n. 7

Canon ex Archiuio Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ. p. 70. col. 1

Canon Nicænus refertur Pontificis auctoritatem declarans. p. 25. col. 1. n. 9

Canon verus, & integer ſcripturæ vnde nobis conſtare poſſit? pagina 292. columna 2. numero 2

Canon Nicænus quomodò Patriarchas Alexandrinum, & Antiochenum cum Romano comparet. pag. 155. col. 1. n. 20

Canon IV. Concilij Moguntiaci refertur. pag. 80. col. 1

Canones Nicæni, Ancyrani, Neocæſarienſes, Gangrenſes, Antiocheni, & Laodiceni in vnum corpus colliguntur. p. 278. col. 2. n. 6

Canonum noua collectio deſcripta. pag. 278. col. 2. n. 7

Canones qui omnibus præponebantur. pagina 141. columna 1

Canones ſubterannexi qui vocentur. ibid.

Canones in Eccleſia neceſſarij ad ipſius regimen. p. 6. col. 2. n. 1

Canonum & iuris diuerſitas. p. 7. col. 1. n. 2

Canonis Conſtantinopolitani innouatio. pag. 197. col. 2. n. 3

Canonis Nicæni interpretatio, & vſus in Galliis. p. 88. col. 1

Canones Apoſtolici. p. 276. col. 2. n. 4

Cano

Canonum Apoſtolicorum vſus apud Orientales. *Vide* Eccleſia Orientalis.
Canones, & leges Eccleſiaſticæ quinam ſancire poſſint. p.233.col.1.n.1
Canon editus contra Flamines, qui Chriſtiani facti iterum victimas immolabant. pagina 186. col. 1. n. 13
Canon, VI. Nicænus nihil noui conſtituit. p. 155. col.2 n.21
Canonis ſexti Nicæni nonnulla ſancita. p.151.col.2. n.11.& 152. col.1.ibid.
Canonis Chalcedonenſis inualiditas oſtenditur multis relatis. pagina 199.columna 1.numero 6.& columna 2
Canonis XX.Nicæni prohibitio. pagina 217. col.1. n. 21
Canones aliquot referuntur. pagina 225.columna 1. n. 8
Canonum obſeruatio & executio ad quem ſpectet. pagina 238. columna 2.numero 21.& 139.col.1. ibid.
Canonis Nicæni interpretatio. p.71.col.1
Canonis Conſtantinopolitani corruptio. pag. 199. col.2. n.6
Canonum vis. p.138.col.1.n.20

Caput.

Caput Eccleſiæ perpetuum eſſe debet. pag.27. col.1. n. 6
Caput capitum Eccleſiæ. p.98.col.1

Capitulum.

Capitulum generale an poſſit nouum viuendi modum auſteriorem inducere, inuitis Religioſis. p.251. col.2.n.7
Capitulum quid poſſit. pagina 236. col. 1. numero 6
Capituli maioris, & Cathedralis Eccleſiæ poteſtas Sede vacante. ibid. n.7
Capitula Canonicorum inferiora quænam poſſint. p.236.col.2. n.8
Capitula aliqua laudantur. pag.86.col.1.

Capitulare.

Capitulare Caroli magni. p.227.col.1. n.11. quid in eo actum. ibid.

Capronymus.

Capronymi infelix obitus. pag.113. col.2.proteſtatio ante mortem. ibid.

Cardinalis.

Cardinales an poſſint intereſſe Conciliis. pag. 125. col.2.n.5
Cardinales an leges ferre poſſint in Eccleſiis ſuorum titulorum. p.234.col.2.n.7
Cardinales quam iuriſdictionem habeant in Eccleſiis ſuorum titulorum. ibid.

Carolus.

Carolus magnus paternæ pietatis æmulator. p. 225. col.2.n.9
Carolus magnus conſtitutionem de bis in anno celebrandis Synodis ſeruari iubet. ibid.
Carolus magnus quinque ſynodos imperat. p. 228. col.1.n.12
Carolus caluus iam Imperator electus, iterum eligitur. p.230.col.2.n.14
Carolus Magnus Concilium Francofordienſe conuocat, in eóque plurima agit. 227.columna 2.numero 11
Caroli Magni cura circa res Eccleſiaſticas. p.79.col.2. pietas. p.80.c.1
Caroli Magni prudens gubernatio. pagina 226.col.1. n. 9

Caſus.

Caſus in quibus Epiſcopi tacita, vel expreſſa commiſſione poſſunt in legibus Pontificiis diſpenſare. p.344.col.1.n.4

Catholicus.

Catholicus Armeniæ à communione Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ diſcedit. pagina 196. col.1. numero 11
Catholici Archiepiſcopi dicti. pagina 196. col. 1. n.9
Catholicus Seleuciæ. ibid. euerſa Seleucia Babylonem migrat. ibid.
Catholicus Armeniæ. ibid.n.11
Catholici quínam verè eſſent, Epiſcopis dignoſcendum committitur. pagina 195. columna 2. numero 8

Cauſa.

Cauſa efficiens iuris Eccleſiaſtici quid ſit. pag. 6. col.1
Cauſa impulſiua diſpenſationis quæ? pag.353.col.2. n.1
Cauſa iniuſta non inualidat neceſſariò diſpenſationem. p.351.col.1.n.7
Cauſæ neceſſariæ ad diſpenſationem. pag.350. col. 1. n. 1
Cauſæ ſine quibus diſpenſans peccat.ibid. an petens ſine cauſa diſpenſari peccet.ibid.n.3.& p.ſeq.col.1. n.4.& 5

Cerinthus.

Cerinthi, & Ebionis erroris renouatio.pag.37.col.2 n.21

Charitas.

Charitatis varij ſunt gradus. pag. 243. col. 2. numero 14

Chelidonius.

Chelidonius damnatur,& quare. p.77.col.1

Chriſtus.

Chriſtus infirmorum imperfectionibus condeſcendit & perfectionis viam oſtendit. pagina 55. col. 1. aliquando minus rigidam, aliquando rigidiſſimam paupertatem exemplo demonſtrauit. ibid. habuit aliquid proprij.ibid.col.2.
Chriſtus aliquandiu de bonis parentum victitauit ibidem. Parentum non fuit hæres, ibidem. Vbi baptizatus fuit non ſtatim Apoſtolos vocauit. ibid.
Chriſtus ſupremam poteſtatem tum gubernatiuam, tum legiſlatiuam in Eccleſiam habuit. pagina 7. col. 2
Chriſtus oſtium dicitur, fides, clauis; Petrus verò clauiger. p.13.col.1.n.20
Chriſtus quomodò dicatur in medio congregatorum in ſuo nomine. pagina 132. columna 1. numero 6
Chriſtus erexit aliquod ſupremum tribunal. pag.132. col.1.n.7
Chriſtus an nihil noui præceperit. pagina 130. col.1. n. 4
Chriſtus Eccleſiæ ſuæ non ſufficienter prouidiſſet ſi Vicarium non conſtituiſſet qui malis ſuborientibus mederi non poſſet. p.62.col.2
Chriſtus mediator Dei & hominum in vtriſque naturis. p.47.col.2
Chriſtus nomine pugilli quid intelligat. p.131.col.1. n. 6

Index Rerum,

Chriſtus cur Iudæos ad ſcripturas amandaret? p.294. col.2.n.4

Chriſti doctrina, & doctrina de Chriſto differunt inter ſe. ibid.

Chriſtus & Apoſtoli quámnam paupertatem profeſſi ſint. pagina 55. columna 1. & pagina 56. columna 1

Chriſtus pauciſſima imperauit. pagina 99. columna 2

Chriſtus quam fidem Petro promiſerit. pagina 61. col.1

Chriſti verba de Eccleſia explicantur. pag.129.col.2. n.4.130.col.1.& 2.n.5.131.col.1.& 2.n.6. & 132. col.1.& 2.n.7.8.& 9

Chriſtus Apoſtolus dicitur. p.8.col.1

Chriſti præſentia promiſſa congregatis. pag. 133. col.1.n.9.

Chriſti veſtes. p.209.col.2.n.3

Chorepiſcopus.

Chorepiſcopi qui? p.80.col.1

Cingulum.

Cinguli quondam vſus. p.73.col.2

Ciuis. Ciuitas.

Ciues Romani quínam dicti. pag. 232. col.1. numero 1

Ciuitas Bituricenſis in Aquitania metropolis fuit. p.189.col.1.n.20

Ciuitas Bituricenſis caput regni Aquitanici. ibidem.

Ciuitas Epiſcopalis à poteſtate Imperiali ciuitatis honore mulctata, Epiſcopalem tamen thronum non amittebat. pagina 149. columna 2. numero 2

Ciuitate Metropoli factâ à Principe, eius quoque Epiſcopus Metropolitanus fiebat. ibid.

Ciuitates tres inclitæ. pagina 143. columna 2. numero 6

Claſſis.

Claſſis diuinitus ſubmerſa. pag.113. col. 1

Clauis.

Clauis ſcientiæ. p.66.col.2

Claues datæ ſunt Eccleſiæ in perſona Petri, & non Petro. p.24.col.2.n.3

Clauſula.

Clauſula ſolemnis quæ apponitur diplomatibus Magiſtratuum cum inſtituuntur in Gallia. p. 335. col.1.n.5

Clauſula, *ex motu proprio*, pagina 368. columna 2. numero. 1.

Clauſula, *ex certa ſcientia*, pag.369.col.1.n.3.& col.2. n. 4

Clauſula derogatoria, ſeu, *Non obſtantibus*. pag.369. col.2.n.5

Clericus.

Clericus non poteſt conueniri coram iudice laïco. pagina 348. columna 2. numero 4. poteſt tamen ex licentia ſui Epiſcopi. pagina 349. columna 1. n. 4

Clericus quandónam à ſæculari poteſtate comprimendus ſit. pag.237.col.1. n.2

Clericorum Conſtantinopolitanorum fictio. p. 199. col.1.n.6

Clerici etiam parochi, & Curiones an poſſint intereſſe Conciliis, & caſu quo poſſint, quo nomine interſint. pag.126. col.2. n.7. & 8. & pag.ſeq.n.9. inconuenientia quæ ſequerentur ſi vocarentur. pag. 126. col.1.n.9

Clerici præſentes in Epiſcoporum iudiciis, an eſſent iudices? pag.238.col.1.n.5

Clericorum cauſæ non coram ſæcularibus agendæ. p.238. col.2.n.5

Clodouæus.

Clodouæus Synodum generalem Aureliæ conuocat. p.224.col.1.n.7

Clodouæus Religionis ſtudioſus. ibid.

Clodouæi obitus. pagina 224. columna 2. numero 8

Clodouæo mortuo Regnum in varias ſcinditur Tetrarchias. ibid.

Codex.

Codex Canonum quo vetus, vniuerſaque Eccleſia vtebatur. pag.282.col.2.n.19

Codex Euangeliorum in Conciliis. pag. 132. col. 2. n. 8

Codex Gallicanorum Canonum quid contineret. p.281.col.2.n.16

Codicis Canonum Eccleſiæ Orientalis collectionis tempus. p.141.col.1

Codices Canonum peculiares fuere Eccleſiis. ibid. col.2

Codex antiquus Canonum in Hiſpania receptus. pagina 279.col.2.n.10

Codices Romani veriores quàm Græci. p.198.col.1. n. 3

Coërcitio.

Coërcitio Pontificiæ iuriſdictionis à Nicæno concilio. p.69.col.2

Collector.

Collectores varij Canonum enumerantur. pag. 283. 284.285.286.287.& 288

Collegium.

Collegium Cardinalium inſtar Senatus. p.235.col.2. n. 4

Collegium Cardinalium demortuo Pontifice ius tantum habet noui eligendi. ibid.

Collegium Canonicorum viuente Epiſcopo legem aliquam ferre non poteſt, quæ alios quam ſuos Capitulares obliget. pagina 236. columna 1. numero 6

Collegia ſacra quænam dicta. pagina 234. col.2. numero 1

Collegium Cardinalium an viuente Papa leges ferre poſſit. p.235.col.1.n.2

Collegium Cardinalium vacante ſede non poteſt ferre leges quæ vniuerſam Eccleſiam obſtringant. ibid.n.3

Collegia per proprias leges communibus non derogant. pag.232.col.2.n.2

Colonia.

Colonia Lugdunenſis nouum nomen adepta. p. 191. col.2.n.27

Comitia.

Comitiis reges præſident & præfulgent. pag.100.columna 2

Comitiorum poteſtas vnde petatur. pag. 139. col.1. n. 21

Commonitorium.

Commonitorium quid ſit. pagina 135. columna 1.& col.2

Communicatio. Communio.

Communicatio cum Eccleſia Romana. pag.39.col.2. n. 23

Communicatio duplex eſt. pag. 345. columna 2. numero 4

Communicatio ſatiſfactionum in piis fraternitatibus. p.258. col.2.n.10

Communio

Communio Orientalium,& Occidentalium abrupta, & quare. p.148.col.1.n.13

Communitas.

Communitas Monialium an poſſit inducere conſuetudinem, & quam? pagina 302. col. 2. numero 7

Comparatio.

Comparatio Monarchiæ Eccleſiaſticæ cum Gallica. p.100.col.1

Comparatio noua Petri, & cæterorum Apoſtolorum quoad iuriſdictionem & regimen Eccleſiæ. pagina 17.& ſequent. col. 1.& 2.numero 29.30.31. & 32

Comparatio D. Petri cum Andræa,Paulo, & Iacobo. p.18.col.2.n.33.& 34. & pag.ſeq.col.1.& 2.n.35. 36. & 37

Comparatio notitiæ Eccleſiaſticæ cum notitia vtriuſque Imperij. pagina 148. columna numero 1

Concilium.

Concilia quandónam Epiſcoporum conſenſus vocentur. p.126.col.1.n.8

Concilia in locis frequentioribus habere ſolita ex Eccleſiæ diſciplina. pagina 192. columna 1. numero 31

Concilia vt ſint infallibilia duo requiruntur. p.135. col.1

Concilia extraordinaria in Gallia, cuius auctoritate cogerentur. p.225.col.1.n.3

Concilia generalia neque approbatam neque improbata magnæ ſemper in Eccleſia fuerunt auctoritatis. p.139.col.1.n.26

Concilia œcumenica in quo ſenſu dicantur ab Imperatore religioſiſſimo conuocata. pagina 115. col. 1

Concilia œcumenica coacta ſub auctoritate infidelis Principis an obligent in conſcientia. pag. ibidem.

Concilia Prouincialia quæ plurimas hæreſes damnarunt. p.63.col.1

Concilia generalia aliquando errarunt & quare. ibidem.

Concilia generalia quare egeant confirmatione Pontificia. pagina 136. columna 2. numero 17

Concilia quomodo ſua decreta firment ſub anathemate ante Pontificiam confirmationem. ibidem.

Concilia limitans nullos aſſignant Romano Patriarchæ. p.177.col.2.n.24

Concilia quatuor cogunt Africani Epiſcopi. pagina 49. columna 1. ſub init. quæ celebrantur in remotis Prouinciis quæ in iis tractata ſunt ad notitiam Sedis Apoſtolicæ deducunt. ibidem.

Concilia generalia legitima & confirmata definiunt dogmata. pag.128. col.2.n.2. & p.129.col.1.& 2. n. 3

Concilia generalia quandónam conuocanda. pagina.100. columna 2. cuius ſit ea conuocare. ibidem.

Concilia definitiones Pontificum approbant, pagina 61. columna 2. Romani Pontificis auctoritate conuocantur, illiſque vel præſens, vel per legatos præſidet. ibid.

Concilia generalia Papam tanquam doctorem & magiſtrum fidei agnoſcunt. pagina 60. columna 1

Concilia ſuas definitiones ad Principes mittunt. pag. 138.col.1. n.20

Concilia Prouincialia non ſunt vltimum iudicium de fide.pagina 36. columna 2. num.21.& pag.37. col.1. & 2

Concilij Chalcedonenſis reſolutiones. pagina 70. col. 1

Concilij Remenſis Canon VI. affertur. pagina 81. col. 1

Concilij Cenonenſis conuocatio quo anno,& propter quid facta ſit. p.81.col.1

Concilij Aurelianenſis III. decretum. pag.279. col.1. n. 10

Concilij diuiſio. pagina 104. columna 2. numero 7

Concilij Neocæſarienſis iuſſio. pagina 141. columna 1

Concilij nomen vnde. pag. 103. col.1. & 2.n.1.2.3. & 4.

Concilij Chalcedonenſis Iudicum ſententia de primatu Pontifici Romano deferendo. p. 177. col. 2. n. 24

Concilij Conſtantinopolitani petitio apud Damaſum Pontificem. p.156.col.2.n.23

Concilij Nicæni Canon. p.69.col.2

Concilij Ariminenſis abrogatio procuratur apud ſummum Pontificem. pagina 156. colum. 2. numero 22

Concilia œcumenica Eccleſiam repræſentant.p. 132. col.2.n.9

Concilia Prouincialia, decreta Romanorum Pontificum publicabant. pag. 330. columna 2. numero 15

Concilij Conſtantinopolitani Synodicum. pag. 70. col.1. & 2

Concilij vis ante confirmationem Pontificis.pag.136. col. 1.n.17

Concilij definitioni repugnans ante Pontificiam confirmationem, an dicendus ſit hæreticus. pag. 136. col.1.& 2.n.17

Conciliorum œcumenicorum iudicium vnde infallibilitatem trahat. pagina 132. columna 2. numero 9

Conciliorum generalium auctoritas in definiendis legibus & conſtituenda diſciplina. pag.139.& ſeq. col.2.n.27

Conciliorum vtilitas. pagina 106.col. 1. n.5

Conciliorum cogendorum tempus non erat definitum, ſed cogebantur vbi neceſſitas poſtulabat.pag. 225.col.1.n.3

Conciliorum auctoritas. pagina 128.columna 2. numero 1

Concilium Aurelianenſe III. quo anno coactum,quo Pontifice,& cuius rei cauſa. pag.78.col.1. refertur Canon eius quartus. ibid.

Concilium Aurelianenſe IV. quo anno & ſub quo Pontifice celebratum. ibidem refertur eius Canon primus. ibid.

Concilium Aurelianenſe V. quandónam celebratum, ſub cuius Pontificatu & Regno. ibidem. in qua cauſa coactum.ibidem. refertur eius Canon primus. ibidem.

Concilium Compendienſe quandónam celebratum fuerit, ſub quo Pontifice & Rege. p.78.col.2.definitiones eiuſdem. ibid.

Concilium Ratiſponenſe cogitur, & ſub quo, Pontifice ac Imperatore. p.78.col.2.cuius rei cauſa conuocatum. ibid.

Concilij Francofordienſis conuocatio. p.78. col.2. eius definitio Canone octauo. p.79.col.1

Concilium Bituricenſe quo tempore celebratum. pag. 82. col. 1
Concilium Aquenſe ſcribit ad Xiſtum V. ibidem.
Concilium Arelatenſe V I. quo anno & cuius gratia coactum. pag. 80. col. 1. quid addidit in profeſſione fidei. ibid.
Concilium Aquileiæ habitum, pag. 223. col. 1. numero 3
Concilium centum quinque Epiſcoporum Laterani indicitur. pag. 49. col. 2. ſub init. quid in eo ſancitum. ibidem. circa med.
Concilium Oecumenicum habitum in quo damnantur Ariani, Macedoniani, aliiſque Hæretici. p. 195. col. 1. n. 8. & col. 2
Concilium Cabilonenſe quo anno conuocatum & quid in eo geſtum. p. 85. col. 1
Concilium conuocatum apud Stampas contra ſchiſma Petri Leonis. pag. 229. col. 2. num. 13
Conciliorum Regiorum conſuetudo. p. 229. col. 2. n. 14
Concilium Arauſicanum II. p. 77. col. 1. cuius rei cauſa coactum, & quo anno ibidem. eiuſdem geſta. ibid. & col. 2
Concilium Vaſenſe II. pag. 77. col. 2. eius definitiones. ibidem.
Concilium an poſſit declarare nullum quod Pontifex de fide certum definiuit. pag. 63. col. 2
Concilium Turonenſe II. celebratur. pag. 80. columna 2
Concilium Remenſe quandonam & vbinam celebratum. pag. 81. col. 2. quid in eo diffinitum. ibidem.
Concilij Prouinciæ Cenonenſis, Meloduni celebrationis annus & cauſa. p. 82. col. 1
Concilium Rothomagenſe. ibid.
Concilium Burdigalenſe. ibidem.
Concilium Trecis celebratur & quandonam. pagina 87. col. 1. quid in eo geſtum. ibid.
Concilium Chalcedonenſe à Græcis corruptum dicitur. pag. 198. col. 1. n. 3
Concilium œcumenicum ad veram & vltimam fidei definitionem non eſt neceſſarium. pagina 59. col. 2.
Concilium generale eſt repræſentatiuè vniuerſa Eccleſia. p. 66. col. 1
Concilium Romæ cogi ſolitum erat, cuius ſententia ſolemni legatione mittebatur ad Patres in Oriente congregatos. pag. 202. col. 2. n. 14
Concilium illud minimè acephalum eſt cui Pontifex per legatos interfuit. pag. 139. col. 1. & 2. n. 24
Concilium Chalcedonenſe toto orbe celeberrimum conuocatur. pag. 120. col. 1. geſta in eo, ibidem.
Concilium quid ſit. pag. 104. col. 1. & 2. num. 5. & 6.
Concilium celebratum apud Compendium Palatium. pag. 225. col. 2. num. 8. quid in eo geſtum. ibid.
Concilium Remenſe conuocatur. pag. 228. col. 2. n. 12
Concilium Turonenſe III. ibid.
Concilium Cabilonenſe III. ibid. eius præfatio refertur. ibid.
Concilium generale ſine Pontifice. pagina 97. columna 2
Concilia generalia vnde petant ſuam auctoritatem. ibid.
Concilium Epaonenſe an fuerit Lugdunenſi prius. pagina 224. col. 1. numero 6
Concilium Valentiæ coactum. pag. 230. col. 2. numero 14
Concilium reliquorum omnium typus. p. 135. col. 2. n. 11
Concilium quid ſit pag. 124. col. 2. numero 2. quinam in eo ius ſuffragij & ſententiæ habeant. ibid.
Concilium Romæ cogitur. pag. 177. col. 1. numero 23

Concluſio.

Concluſio Conſtantinopolitani Concilij, pag. 70. col. 2

Concordia.

Concordia mira inter Pontificiam, & Regiam dignitatem. p. 229. col. 2. n. 13

Confeſſio.

Confeſſio duarum voluntatum. p. 123. col. 1

Confirmatio.

Confirmatio priuilegiorum Metropolitani Arelatenſis. pag. 82. col. 2
Confirmatio ex certa ſcientia quomodo defferat ab ea quæ fit in forma communi? pag. 369. col. 2. n. 4
Confirmatio, vel approbatio diſerta Pontificis, an ſit neceſſaria ad conciliorum infallibilitatem. pag. 135. col. 2. n. 16
Confirmatio Imperatoria à Conciliis petita & conceſſa. p. 138. col. 1. n. 20
Confirmatio Priuilegiorum Remenſis Eccleſiæ. p. 86. col. 1
Confirmatio Pontificia Conciliorum ad quid neceſſaria. p. 138. col. 2. n. 20
Confirmatio Pontificia quomodo differat ab Imperatoria. ibid.

Confraternitas.

Confraternitates an ſint pia loca? pag. 260. col. 2. n. 1
Confraternitates coram quo Iudice conueniantur. ibidem.
Confraternitatum bona. ibid.
Confraternitates quo iure regantur. pag. 261. col. 1. n. 2
Confraternitates ſtatuta condere poſſunt. ibid. n. 3
Confraternitatum ſtatutorum obligatio. p. 261. col. 2. n. 4. 5. & 6. & pag. ſeq. col. 1. n. 7. 8. & 9
Confraternitatum anomalia quædam. p. 262. col. 1. n. 9
Confraternitates apud Monachos inſtitutæ. p. 256. col. 1. & 2. n. 5
Confraternitatum piarum tertia ſpecies. p. 259. col. 2. n. 11

Conſenſu.

Conſenſus generalis, & iuridicus principis ſufficit ad valorem conſuetudinis. pag. 309. col. 2. n. 5
Conſenſus populi an ad legem requiratur? *Vide. verb.* Acceptatio.
Conſenſus principis duplex eſt. pag. 308. col. 2. numero 2

Conſtans.

Conſtantis Imperatoris furor in S. Maximum & Martinum Pontificem. p. 49. col. 2. ſub fin. occiditur, eique in imperio filius ſubrogatur. p. 50. col. 2. ſub init.
Conſtans Imperator varia crimina Martino imponit. p. 50. col. 1. ſub med. eum multis ſuppliciis afficit, ad mortem damnat, quam Paulus Conſtantinopolitanus diſſuadet; in exilium vertitur. ibidem. obiit miraculis clarus. ibid. col. 2. ſub init.

Conſtantia.

Conſtantia ciuitas vnde dicta. pag.149.col.1.n.1.

Conſtantinus.

Conſtantinus Magnus ſodalitatem inſtituit ad ſepelienda cadauera defunctorum.pag.260.col.1.n.11.

Conſtitutio.

Conſtitutiones an differant à regulis? p. 243. col.2. num.13.
Conſtitutiones à regulis differentes quid ſint, ibid. num.14.
Conſtitutiones quot modis differant à regula.p.244. col.2.n.15.
Conſtitutiones à ſummo Pontifice confirmatæ ipſo inconſulto non poſſunt abrogari. pag. 244.col.2. num.15.

Conſuetudo.

Conſuetudnis cauſa. p.300.c.1.n.1.
Conſuetudines vnà cum imperio, & politia natæ, non pendent ab arbitrio Principis. p.324.c.2.n.3.
Conſuetudo poteſt ſtatuere nouos ritus,& ſolemnitates circa matrimonium. p.321.col.1.n.11.
Conſuetudo an obliget? ibid.col.2. n.1. quando, & quomodo. ibid. n.2. & pag.ſeq.col.1.n.3.
Conſuetudinis duplex obligatio. pag.322.col.1.n.3.
Conſuetudo an obliget Principem. ibid. n.2.
Conſuetudo qua in parte ſit legi diſſimilis. ibid. num.1.
Conſuetudo quæ pœnas,& cenſuras etiam latæ ſententiæ, infligentes leges abrogat. pag. 316. col.2. num. 8.
Conſuetudo quid circa ſacramenta valeat? pag.317. col. 1. num.1.
Conſuetudo poteſt legem ſoluendi decimas extinguere. ibid.n.10.
Conſuetudo quid ſit? pag.300.col.2.n.2. & p.301. col.2.n.1.
Conſuetudo an valeat in ſacramentalibus. pag. 318. col.1.n.3.4.& 5.
Conſuetudo requirit actus communitatis perfectæ. pag. 302.col. 2. n.7.
Conſuetudo quotuplex ſit? pag. 301. col. 1. n. 4. & col. 2. ibid.
Conſuetudo vetus circa pœnitentiam & confeſſionem. p.82.col.2.
Conſuetudinis triplex effectus aſſignatur. pag. 306. col.2. num.1.
Conſuetudo legem inducit. ibid. & n. 2.
Conſuetudinis ſecundus,& tertius effectus. pag. 307. col.1.n.5.& col.2.n.7.
Conſuetudo pugnans cum rigore & neruo diſciplinæ Eccleſiaſticæ an ferenda ſit. p.313. col.1.n.2.
Conſuetudines quæ non obuiant Canonibus, an ſint reiiciendæ? pag.314.col.1.n.3.
Conſuetudines diuerſæ in diuerſis Eccleſiis. ibid. col.2.n.4.
Conſuetudo etiam tantùm permiſſa vim legis obtinet. pag. 312. col.2.n.15.
Conſuetudo palam probata facilè propagatur. ibidem.
Conſuetudo rationabilis præualet etiam contra legem Eccleſiaſticam. ibid.n.17.
Conſuetudo pugnans cum libertate Eccleſiaſtica. pag.313.col.1.n.1.
Conſuetudo vt ſit legitima an requirat, quod non poſſit violari ſine offenſione. pag.302.col.2. n. 8. & pag.ſeq.col.1.& n.9.
Conſuetudo quænam rationabilis dicatur. pag.303. col. 2. n.10.
Conſuetudo non dicitur irrationabilis eò quod deroget legi. ibidem.
Conſuetudo vim legis habet. ibid.n.11
Conſuetudo dupliciter eſſe poteſt iuri contraria.pag. 304.col.1.n.12.
Conſuetudo quandónam ſit corruptela. ibid. n. 13.
Conſuetudo Pictauienſis Eccleſiæ damnatur à Bonifacio VIII. ibid.col.2.n.15.
Conſuetudinem inducentes, & primi legem violantes peccant, non verò inductam ſeruantes. ibidem, n.18.& pag.ſeq.col.1.n.19.
Conſuetudo vt inducatur non exigit bonam fidem. pag.305.col.1.n.20.
Conſuetudo valida,& efficax debet eſſe legitimè præſcripta. ibid. col.2.n.21
Conſuetudo ius confert,& quale. ibid.
Conſuetudo vt ſit valida debet eſſe diuturna, & quæ talis ſit dicenda. ibid.n.22
Conſuetudo circa ſacramentalia an indigeat approbatione,& confirmatione Pontificis. pag.318.col. 1. n. 5
Conſuetudo poteſt tollere vetera impedimenta matrimonij. ibid. col.2. n.1. ratio affertur ibid.n.2.& pag. ſeq. col. 1. n. 3. obiecta diluuntur. pag. 319. col.1. n.4.& 5.
Conſuetudo poteſt inducere noua impedimenta irritantia matrimonium. ibid. col. 2. n. 6. ita factum oſtenditur. ibid.n.7
Conſuetudo legem abrogat. pag. 307. col. 1. numero 5
Conſuetudo an derogare poſſit iuri illam reprobanti. ibid. col.2. n.6
Conſuetudo quæ præferenda ſit. ibid. n.8
Conſuetudo vnde tantam vim habeat? p.308. col.1. n.1. difficultas ibid.
Conſuetudo non requirit conſenſum perſonalem principis. ibid.col.2.n.2. & pag.ſeq.col.1. num.3. & 4
Conſuetudines diuerſarum Eccleſiarum maximè inſignium ſequi, & eligere licet, pag.315. col.1. numero 4
Conſuetudo eligendi Abbatem ex ſuo gremio. pag. 315.col.1.n.1.& pag.ſeq.col.1. ibid.
Conſuetudo habendi duas præpoſituras in eadem Eccleſia.pag.316.col.1.n.2.aliæ quædam referuntur. ibid.col.2.n.3.4.& 5
Conſuetudo vt pater priuet omni hæreditate liberos, reprobatur,& cur. ibid.n.6
Conſuetudo vt liberi ſpurij vnà cum legitimis inſtituantur non valet. ibid.n.7
Conſuetudo puniendi homicidia, pœnâ dumtaxat pecuniariâ non eſt ferenda. ibid.
Conſuetudo longa non obtinet vim condendi nouum ius, aut antiquum abrogandi ex ſolo conſenſu principis. p. 310.col.2.n.9
Conſuetudo, cui ius reſiſtit, non eſt irrationabilis niſi tanquam corruptela reiiciatur. ibidem.
Conſuetudo prohibita lege poteſt nihilominus contra eam induci, quamdiu non fuerit irrationabilis. pag.311.col.1.n.11
Conſuetudo rationabilis & antiqua vim legis obtinet ex iure gentium. ibid.
Conſuetudines priuatarum Eccleſiarum ſeruandas profitentur Pontifices; & Epiſcopis item ſeruandas edicuntur. p.323.col.1.n.5
Conſuetudo Eccleſiæ Lugdunenſis quâ exigebatur ſcyphus argenteus ab iis qui canonicabantur, abrogatur. ibid. n.6
Conſuetudines quædam prauæ referuntur. ibid.
Conſuetudo deteſtanda ab Anglis introducta. ibid. col.2

Index Rerum,

Conſul.

Conſules duo creabantur ſub duobus capitibus Imperij. pag. 147.col.1.n.12

Conſultor.

Conſultor quis dicatur. pag.103.col.2.n.3

Contentio.

Contentio Hilarij Arelatenſis cum Viennenſi Epiſcopo finita. pag.68.col.2

Contentio orta inter Catholicos. pag.112.col.1

Contentio cum ſcandalo ſuborta de iuri Metropoliticos. pap.150.col.2.n.8

Contentio inter Anaſtaſium Nicænum & Eunomium Nicomedienſem.pag.149.col.1.n.1. ſopitur authoritate Concilij, vtrique ſuos limites aſſignantis. ibidem

Contradictio.

Contradictiones Pontificum conciliantur. pag. 64. col. 1

Controuerſia.

Controuerſia mota circa proprietatem naturæ Perſonarum. pag. 121. col. 2. componitur. ibid.

Controuerſia de die Paſchatis celebrandi quando primùm exorta. pag.37.col.2.n.21

Controuerſia inter ſedem Romanam & Conſtantinopolitanam ſedatur. pag. 201. col.2.n.9

Controuerſiæ fidei olim delatæ ad Patriarchas,immò & ad Epiſcopos. pag. 41. col.2. n.26

Controuerſiæ fidei Romano Pontifici ſemper delatæ ſunt. pag.33. col.1

Conuentus.

Conuentus generales in Gallia ſenſim deſierunt.pag. 230.col.2.n.14.

Conuentus Stiuiaci quo anno habitus? ſub quo Pontifice, & Imperatore? pag. 80.col. 1. eius geſta. ibidem

Conuentus generalis in Gallia celebratur. pag. 225. col. 2. n. 9. vocabatur hic conuentus Placitum, Concilium, Conuentus, Synodus, Colloquium. ibid.

Conuentus Epiſcoporum Pariſiis in Palatio habitus. pag. 80. col. 1.

Corinthius.

Corinthij inceſtuoſi damnatio. p.131.col.1.& 2.n.6

Coronatus.

Coronati quinam erant. p. 186.col.2. n. 13. eorum munus. ibidem

Coronati vndè dicti. ibid.

Correctio.

Correctio fraterna. pag. 122.col.2.n.4

Correctio priuata. p. 131.col.1.n.6

Crudelitas.

Crudelitas inſignis in Pontificem diuinitus reſtitutum. p.79.col.2

Crudelitas Imperatoris cuiuſdam, & infelix exitus pag. 113.col.1.

D

Dacus.

DAci ius ciuile ignorabant. pagin. 314. col. 1. num 3.

Damaſus.

Damaſus Pontifex literas reſtitutorias concedit Petro quibus ſedi Alexandrinæ reſtituatur. p. 156. col.2. n. 22.

Damnatio.

Damnatio Formoſi Epiſcopi. pag.87.col.1

Declaratio.

Declaratio Patrum in Epiſtola ſynodica. pagin.121. col. 2.

Decretum.

Decreta ſemel de fide perpetuò ſtant. p.63.col.2

Decreta Conciliorum in commentarios referebantur. p.276.col.1.n.1

Decreta regni comitiorum, vt Ciues obligent, quid requirant. p.138.col.2.n.10

Decretorum Pontificiorum infractores puniuntur. p. 68.col.1.

Decretum à Concilio ſine capite latum, acephalum dicitur. p.139. col.2.n. 24. vbi quorundam obiectio refellitur. ibidem

Decretum à Pontigonenſi Synodo editum vrgente Imperatore Carolo. p. 189.col.2.n.22

Definitio.

Definitio Conciliorum quandónam firma ſit.p.135. col.2.n.16

Definitio Concilij Florentini. p.28.col.1.n.9.

Definitiones aliquot circa poteſtatem Pontificiam. p. 102. col. 1. & 2.

Definitionem Pontificiam fideles amplecti debent. p.65.col.1.

Definitio Pontificia quandónam ſit de fide ſecundùm aliquos. p. 65.col.2. eius vſus an pendeat ab acceptatione fidelium. ibidem

Definitiones Pontificiæ circa hæreſes damnationes à Catholicis ſtatim receptæ, & à Conciliis generalibus comprobatæ. p.39.col.2.n.22

Definitiones fidei ſupra, ſed non contra rationem exiſtunt. p.57.col.2

Delegatio.

Delegatio ad Romanum Pontificem facta. pag.156. col. 2.n.2

Depoſitio.

Depoſitio nulla defectu præſentiæ & auctoritatis Pontificiæ. p.156.col.1.n.22

Deſertor.

Deſertor quis? p.306. col. 1. n.22

Deus.

Deus quandónam petita maximè largiatur. pag.130 col.2.n.4

Diaconus.

Diaconi cuiuſdam falſa compilatio. pag.230. col.1. n.14. Synodo iudicandus defertur. ibid.

Diœceſis.

Diœceſes maiores quæ ſint. p.76.col.2

Diœceſes quid? p.204.col.1.n.1

Diœceſes αὐτοκέφαλαι quænam ſint à pag. 193. col.1. num.1

Diœceſis vnaquæque in Orientali Imperio à ſua Synodo regebatur. ibid.

Diœceſes αὐτοκέφαλαι aliquæ in Oriente fuerunt. ibidem, n.2.

Diœceſes quinque Orientalis, Eccleſia in tres redigitur. p.194.col.2.n.6

Diœceſeωn αὐτοκεφαλία quibus in rebus conſiſteret? p. 196.col.2.n.11

Diœceſi cuilibet Vicarius Præfecti Prætorio erat. p.146.col.1.n.10.

Diœceſis quid ſit & vnde dicatur. ibid.

Diœceſeæ varia acceptio. ibid.

Diœceſis Ægyptiaca ſex Prouincias complectebatur. ibidem.

Diœceſis

Diœceſis Thracicæ partes. pag. 194.col.2.n.5
Diœceſis vrbicaria. p. 71.col. 1
Diœceſis Ponticæ partes. p.194.col.2.n.5
Diœceſis Italica quot Prouinciis comprehendebatur. pag. 145.col.2.n.10.eius caput erat Mediolanum. ibidem.
Diœceſis Romanæ Prouinciæ. ibidem
Diœceſis Galliarum quot Prouinciis conſtabat. ibid.
Diœceſis Britannorum quinque comprehendebatur prouinciis. ibidem
Diœceſis Thracica Orientali Imperio comprehendebatur. p.146.col.1.n.10
Diœceſis Africana ſex Prouincias continebat.p.180. col.1.n.3.
Diœceſis Illyriciana in duas partes ſecta eſt ſub Theodoſio. p.147.col.2.n.13

Differentia.

Differentiæ vtriuſque Iuris pag.5.col.2.n.2

Dignitas.

Dignitates Epiſcoporum, Metropolitanorum, Primatum & Patriarcharum an ſemper fuerint in Eccleſia. pag.184.col.1.n.11. & col.2.ibid.

Dioſcorus.

Dioſcorus lupus vocatur. p.35.col.2.n.20
Dioſcorus ab Epiſcoporum ſede amouetur. p. 121. col.2.n.13. aduerſus illum libelli recitantur. pag. 122.col.1
Dioſcori pœna & damnatio. ibid.

Diſciplina.

Diſciplina Eccleſiaſtica occaſione hæreſeon collapſa. pag.121.col.1

Diſpenſatio.

Diſpenſatio in quibuſnam caſibus ampliari poteſt. pag. 340.col.2.n.40
Diſpenſatio in quibuſnam caſibus valida ſit etiamſi dum petitur, prior non exprimatur? p.355. col.2. num. 8. & 9
Diſpenſatio an ceſſet cauſa finali ceſſante? pag.353. col.2.n.2.& 3
Diſpenſatio non ceſſat aliquando etiam cauſa finali ceſſante? p.354.col.1.n.4
Diſpenſatio quotuplex ſit. p.341.col.1.n.1.
Diſpenſatio tacita quæ. ibid.col.2.n.2.& 3
Diſpenſatio diuiditur in puram, & commutatiuam. p.342.col.1.n.4
Diſpenſatio commutatiua an poſſit fieri ab Epiſcopo. ibid.n.5
Diſpenſatio commutatiua eſt etiam in inferioribus Prælatis. p.343.col.1.n.8
Diſpenſationis prima cauſa externa quænam ſit.ibid. col.2.
Diſpenſatio Canonum in anteceſſum. p.360.col.2. num.7
Diſpenſatio in quam materiam cadere poſſit? pag. 356.col.2.n.1. proponitur ſtatus quæſtionis. ibid.
Diſpenſatio in iure naturali aut diuino. p.351.col.2 num.8
Diſpenſatio magnam affinitatem habet cum abſolutione. 350.col.1.n.1
Diſpenſatio quid ſit? p.338.col.1.n.1
Diſpenſationis vox vnde petita. ibid.col.2.
Diſpenſatio non eſt interpretatio legis.pag. 339.c.1. num.2
Diſpenſationem eandem ſed certiorem quoad circumſtantias petens non tenetur neceſſario cogi ad exprimendam priorem. p.355.col.2.n.7
Diſpenſatio diſtinguitur à licentia. p.340.col.1.n.7. item ab abſolutione. ibid.n.8
Diſpenſationi & gratiæ ſibi conceſſæ poteſt quis renunciare. pag.352.col.2.n.2
Diſpenſationis effectus. p.340.col.2.n.10
Diſpenſationis iuſta cauſa quænam? pag. 351. col. 1. num.6
Diſpenſationis facultatem ſe habere dicenti credendum eſt in foro conſcientiæ. pag. 347.col.1.n.7

Diſſenſus.

Diſſenſus vnius vel alterius in communibus ſuffragiis an decreti validitatem impediat. p.138.col.1 n.21

Diſſidium.

Diſſidium ortum inter Epiſcopos. pag.81.col.1

Diuiſio.

Diuiſio Epiſcoporum. p.71.col.1.
Diuiſio Eccleſiaſtica ab Apoſtolis facta. p. 143.col.1. & 2.n.5.6. & 7
Diuiſio noua Imperij à Conſtantino. p. 144. col. 1. & 2. n.8. & 145.col.1.& 2. n.9. & 10.
Diuiſio Eccleſiarum in Metropoles. pag. 142. col.2. num.4
Diuiſio Orbis ex inſtituto Cæſaris. ibid.n.3
Diuiſio Hierarchiæ Eccleſiaſticæ ad Romanæ Reipublicæ formam, ex veteri Apoſtolorum exemplo. p.149.col.2.n.4
Diuiſionis Eccleſiarum cauſa. p. 142. col.1.n.2
Diuiſio prima Eccleſiarum. ibid. n.3
Diuiſio Eccleſiarum exemplo Imperij Romani. pag. 141.col.2.n.2
Diuiſio Eccleſiarum à quo facta. ibid.
Diuiſio Imperij Alexandri. p.153.col.1.n.16
Diuiſio duarum Prouinciarum Armeniarum in quatuor. p.150.col. 1. n.4.
Diuiſio Eccleſiarum Pontificiæ dignitati vniuerſali nihil derogat. pag. 143. col. 2. n. 6. quare diuiſionem Romani Imperij ſecuta ſit? ibid.n.7

Dogmatiſta.

Dogmatiſtarum ars vt ſedis Apoſtolicæ damnationem eludant. p.40.col.1.n.24

Domicilium.

Domicilium quo tempore acquiratur? p. 349.col.1. num.1

Dominium.

Dominium deſpoticum quibus Regibus non conueniat. p.100.col.2
Dominium Regum Galliæ. ibid.
Dominium ſtatus Eccleſiaſtici. ibid.
Dominium ſemel tranſlatum non licet ampliùs repetere. p.334.col.1.n.2
Dominium Chriſti quale circa temporalia.p.56.col.2. & pag.ſeq. col.1
Dominij Prælatorum Religioſorum in ſuos ſubditos origo. p.246.col.1.n.5

Domus.

Domus Palatina. p.144.col.1.n.8

Donatio.

Donatio facta per fictitiam traditionem olim apud Dacos vſitata. p.314.col.1.n.3
Donatio nudo conſenſu non perficitur. ibidem
Donationes variis modis factæ. ibid.col.2.n.3
Donationes ſcotationes dictæ vnde? ibid.

Dos.

Dotes eximiæ perſonarum locum non faciebant in Conciliis, ſed gradus dignitatum. pag.213.col.2. num.14
Dotes eximiæ maxime commendant? p.214.col.1. n. 14. non dant tamen ius præſidendi Concilio. ibidem.

Druides.

Druidum diſciplinæ. p.298.col.2.n.1

Eccleſia

E

Eccleſia.

Eccleſia ſacramentalia mutare, & inſtituere poteſt pro diuerſitate temporum.pag.318. col.1. num.4
Eccleſia Apoſtolica eſt Romana Sedes & cur.pag.24. col. 1.num.1
Eccleſia Hiſpanienſis quibúſnam Canonibus vteretur. pag.282.col.1.n.16
Eccleſiæ Britannicæ, & Auglicæ ſuus erat Canonum codex. ibid.n.17
Eccleſia Orientis Occidentali oppoſita quas Diœceſes comprehendat. pag.147.col.2.n.13
Eccleſia Gallicana Romani Pontificis perpetuò fuit obſeruantiſſima. p.231.col.1.n.16
Eccleſia Imperij diuiſionem æmulata eſt. pag. 146. col. 1.n.11
Eccleſia Romana aliarum Eccleſiarum mater. p. 72. col. 1. aliæ eiuſdem prærogatiuæ. ibid.
Eccleſia nihil poteſt mutare circa materiam & formam ſacramentorum.p.317.col.1.n.1.& col.2.n.2
Eccleſia Romana ſemper primatum habuit vniuerſarum Eccleſiarum. p.70.col.2
Eccleſia Conſtantinopolitana Arianis eripitur. pag. 195.col.1.n.8
Eccleſia cur errare non poſſit. p.134.col.1.n.12
Eccleſia à qua fundata. p.97.col.1
Eccleſia ab Adamo ad Moyſen an aliqua fuerit.pag. 292.col.1.n.1
Eccleſia an fallatur, cum caput eius vna cum ipſa non decernit. p.139.col.2.n.24
Eccleſia Hieroſolymitana ſubtrahitur ditioni Cæſarenſis.) pag.244.col.1.n.7
Eccleſia Hieroſolymitana Epiſcopo Cæſareæ ſubiecta. ibidem
Eccleſia vna Monarchia eſt. pag 185.col.1.n.11
Eccleſia Orientis caput. 194.col.1.n.3
Eccleſia Lugdunenſis prima dicta. pag. 192. col.2. num.32
Eccleſiæ Occidentalis praxis antiqua. pag.276.col.1. num.2
Eccleſia Orientalis collectione Canonum Apoſtolicorum vtebatur. ibid. col.2. n.4
Eccleſiæ ædificatio & gubernatio. p.97.col.2.& 98. col.1.
Eccleſia vnde catholica & vniuerſalis dicatur. p.98. col. 1.
Eccleſiæ gubernatio à quo fiat? pag. 208. col. 2.n.2
Eccleſiæ vnitas in multitudine. p.209.col.1.n.3
Eccleſia coniunctionis nomen. ibidem
Eccleſiæ vnitas comparatur animæ. ibidem
Eccleſiæ cum Chriſti veſtimentis elegans comparatio. ibidem
Eccleſiæ Orientalis graue diſſidium. p.80.col.1
Eccleſiæ commotio. p.52.col.1.ſub fin.
Eccleſiæ corporis in duas partes diuiſio.p.147.col.1. num.13.
Eccleſiæ Occidentales ab Orientalibus ſecerni ſolitæ. ibid.
Eccleſiæ primitiuæ circa fidelium bona dominium. pag. 57.col.2.
Eccleſiæ Romanæ ſubiectio præſtita. pag.200.col. 2. num.8
Eccleſiæ tres primariæ orbis vnde ortæ? p.153.col. 2.num.16.
Eccleſiæ vocis acceptio. pag.130.col.1.n.4
Eccleſia nouis reuelationibus non regitur. pag. 299 col.1.n.2
Eccleſiæ dignitatum inæqualitatis inſtitutio, & origo. pag.185.col.1.n.12
Eccleſiæ veteris mos ſolemnis circa interdictionem à ſacris. p.332.col.2.n.24
Eccleſiæ Orientalis Diœceſes aſſignantur. pag. 148. col.1.n.13.
Eccleſia Occidentalis ſeptem, vel octo complectebatur Diœceſes. ibidem
Eccleſiæ nominis abſurda acceptio.p. 131.col.1.n.6
Eccleſiæ corpus vnum caput, & non plura poſtulat. pag. 27.col.1.n.7
Eccleſiæ vocis acceptio ab Auctore. pag. 1. natura Canonici & Eccleſiaſtici iuris. p.2.col. 2
Eccleſiæ triumphantis cum militante conuenientia. p.93.col.1.
Eccleſiæ Barbaticæ. p.194.col.2.n.7
Eccleſiæ Hieroſolymitanæ iuriſdictio & eius ſubiectio Sedi Cæſarienſi. pag.150.col.2.n.8
Eccleſiæ praxis & conſuetudo. pag.61.col.2.
Eccleſiæ ſuburbicariæ quæ ſint. pag.179.col.2.n.27
Eccleſiam non audiens quid habendus tanquam ethnicus. pag.231.col.2.n.6
Eccleſiam quis dicatur deſerere. pag. 66. col.2
Eccleſiarum adminiſtratio initio, Synodis,& Exarchis relinquebatur. pag. 146.col.2.n.11
Eccleſiarum Occidentalium termini. pag. 148.col.1. n. 13.
Eccleſiarum diuerſarum diſcrepantiæ circa ſacramenta. p.317.col.1.n.1
Eccleſiarum ſuburbicariarum legitima acceptio. p.179.col. 1.n.27.
Eccleſiarum dignitatum mutatio, cum mutatione dignitatum Imperij. p.148.col.2.n.1
Eccleſiarum Orientalium iidem erant terminiq́, qui Imperij Orientalis. p.147.col.2.n.13

Eccleſiaſticus.

Eccleſiaſtici abſtinere debent à foro, & iudiciis. pag. 187.col.1.n.13.

Edictum.

Edicta regia non ſunt contraria Canonibus. p.271. col.1.n. 16. quod in Regibus Franciæ fuſiſſimè oſtenditur.pag.270.271.272.273.274.& 275. per tot.
Edicta Regia in Gallia fiunt ex plena, & regali poteſtate. pag.335.col.1.n.5

Effectus.

Effectus poteſtatis Eccleſiæ. p.99.col.2

Elbo.

Elbo à Sede deiicitur & quare. p.80. col.2.eius loco Hincmarus ſubrogatur. ibidem

Emenſor.

Emenſor quis? pag.306. col.1.n.22

Epheſus.

Epheſus Diœceſeos Aſianæ Metropolis erat.p.183. col.1. n.9.

Epiſcopus.

Epiſcopi,nomine presbyterorum deſignantur,p.238. col.1.n.5.
Epiſcopi ſine præſentia ſuorum Clericorum, cauſam eorum non ſolebant iudicare. ibid.
Epiſcopis quódnam ius competat? ibid.
Epiſcopi ſimul & laïci tractabant in conuentu generali. p.227.col.1.n.11.
Epiſcopi aliquot ſanctitatis & doctrinæ laude inſignes referuntur. p.214.col.1.n.14
Epiſcopi quinam conuocari debeant ad Concilium gene

generale. pag.125.col.1.n.3.& 4
Epiſcopi extraordinario Principum imperio in vnum conuentum cogebantur. p.204.col.2.n.3
Epiſcopi Primates dicti. p.180.col.1.n.3
Epiſcopi Theſſalonicenſis poteſtatis porrectio. pag. 188.col.1.n.18
Epiſcopi vrbium celebriorum eximiis priuilegiis donati. p.146.col.1.n.11
Epiſcopi vnà cum Romano Pontifice interſunt Synodis tanquam Iudices, per ſe, aut per ſuos Legatos. p.116.col.2
Epiſcopi Conſtantinopolitani Oecumenici nomen ſibi præſumunt. p.200.col.2.n.8
Epiſcoporum Conſtantinopolitanorum ambitio temeraria à Romanis Pontificibus carpitur. ibidem
Epiſcopi ad vrbem Sueſſionem conueniunt ad Synodum celebrandam. p.230.col.1.n.14
Epiſcopi ſolebant ſe inſcribere peccatores. p. 280. col.1.n.12.
Epiſcopi Conſtantinopolitani Oecumenici nomine abſtinent. p.201. col. 1. n. 9. eorum ſubſcribendi modus præſentibus legatis Apoſtolicis. ibidem
Epiſcopi Conſtantinopolitani multa ſibi vſurpant nomine Oecumenici. ibid.
Epiſcopi Antiocheni vitioſa creatio. p.197.col.2. num.3
Epiſcopi Eccleſiæ oculi ſunt. p.35.col.2.n.20
Epiſcopi Alexandrinus, Antiochenus & Conſtantinopolitanus à communione Apoſtolicâ excluſi, & cur? p.177.col. 2.n.23
Epiſcopi Gallicani per litteras, & legationes inter ſe agentes. p.223.col.2.n.4
Epiſcopi peregrini conſeſsûs locus.p.215.col.1.n.16
Epiſcopi tres totius Orbis præcipui. p. 185. col. 2. num.12.
Epiſcopi Aſiani litteris Victoris obiurgantur. p. 37. col.2.n.21
Epiſcopi Heracleenſis ius transfertur in Conſtantinopolitanum. p.194.col. 2.n.6
Epiſcopi Alexandrinus & Antiochenus idem valebant in ſuis Metropolibus, quod Romanus in ſuo Patriarchatu. p.152.col.2.n.14
Epiſcopi Abbates ad Synodum Epiſcopalem venire renuentes quomodo compellendi. pag.207. col.1. num.1
Epiſcopi omnes Italici Regni Patriarchæ dicti. pag. 187.col.2.n.17
Epiſcopus Candidianus Patriarcha Gradenſis dictus ibidem
Epiſcopi Romani iuriſdictio. pagin. 146.col.2.n.11
Epiſcopi Alexandrini poteſtas in quas vrbes ſe extenderet. ibid.& p.147.col.1
Epiſcopi nonnulli accuſantur apud Iulium Romanum Pontificem, à quo abſoluuntur, & in ſuas Sedes remittuntur. p.156.col.1.n.22
Epiſcopi cur plures ſint quam Archiepiſcopi. p. 93. col.2
Epiſcopi malè exauctorati, reſtituuntur à Romano Pontifice. p.198.col.2.n.5
Epiſcopi Rauennates aduerſus Romanum Pontificem rebellantes. p.183.col.2.n.9
Epiſcopi aliquot Galli inſignes. p.72.col.2
Epiſcopi Præfecti Diœceſibus dicuntur à Græcis. p.193.col.1.n.1.
Epiſcopi quomodo hæredes ſancti Petri dicantur? p.75.col.2.n.5
Epiſcopi nomine qui intelligantur. pag. 124. col.2. num.2
Epiſcopi Lugdunenſes Patriarchæ dicti.p.181.col.2. num.6
Epiſcopi perpetuò in Eccleſia fuere. pag. 184. col.2. num.11.
Epiſcopi quid poſſint. p.233.col.1.n.2
Epiſcopi an poſſint diſpenſare cum Cathecumenis. p.349.col.2.n.1
Epiſcopi ſoli in conciliis Iudices aſſident. pag. 241 col.2.n.2
Epiſcopo Arelatenſi conceditur, vt nullus ex Gallia ſub quolibet Eccleſiaſtico gradu Romam adeat ſine Arelatenſis Metropolitani acceptis formulis. p.330.col.1.n.13.
Epiſcopo Arelatenſi Epiſcopos congregandi per annos ſingulos cura committitur à Romano Pontifice. p.223.col.1.n.2
Epiſcoporum vnus eſt ordo. p.187.col.2.n.14
Epiſcoporum Metropolitanis ſubiectio. pag. 234. col.1.n.6
Epiſcoporum dependentia à Pontifice. pagin. 100. col.1
Epiſcoporum aliquot nomina quibus verè catholici dignoſcendi commiſſi erant. p.195.col.2.n.8
Epiſcoporum ſolemne nomen in Africa.p.182.col.2. num.9
Epiſcoporum Conſtantinopolitanorum incepta proſequuntur. p.200.col.1.n.7
Epiſcoporum ars vt ſuæ ambitioni ſeruiret,& in ſuos Metropolitas rebellarent. p.149.col.2.n.4
Epiſcoporum quorundam vetus crimen Synodicâ definitione damnatum. p.148.col.2.n.1
Epiſcopus Regenſis contumelioſus. p.77. col.2. animaduerſio in eundem. ibidem
Epiſcopus Arelatenſis, Metropolitani primi Galliarum dignitatem ſibi vindicat. pag. 222. col. 1. n.2.
Epiſcopo Arelatenſi ius conceſſum, an fuerit tantùm perſonale. ibidem, eidem ordinationes Epiſcoporum Prouinciæ Viennenſis, & vtriuſque Narbonenſis conceduntur. ibid. col.2
Epiſcopo Arelatenſi dignitas Metropolitani in Prouinciam Viennenſem adimitur. ibidem
Epiſcopus an poſſit diſpenſare cum exemptis qui ſe ſponte illi ſubiiciunt. p.347.col.1.n.1
Epiſcopus nequit Religioſos à ſua iuriſdictione exemptos, aut in quibuſdam ab illa ſubtractos ſine Prælati regularis conſenſu diſpenſare. ibidem col.2
Epiſcopis quidquam muneris propter ſacrum chriſma accipere vetatur. p.216.col.2.n.19
Epiſcopus quo caſu poſſit diſpenſare cum Religioſis exemptis? p.348.col.1.n.2
Epiſcopus Romanus omnium Epiſcoporum primus eſt & maximus. p.25.col.1.n.9
Epiſcopus Alexandrinus calumniam ſibi impactam expungit. p.156.col.1.n.22
Epiſcopus iuri communi derogare non poteſt.p.233. col.2.n.3
Epiſcopus in quibus conſenſum Cleri, aut Populi in ferendis legibus ſpectare teneatur. ibid.n.4
Epiſcopus Gradenſis & Aquileenſis ſuam dignitatem, & nomen retinent. p.187.col.2.n.17
Epiſcopus an valeat diſpenſare circa ea quæ ſtatuta ſunt à Synodo diœceſana? p.344.col.2.n.6
Epiſcopus an ratione ſui officij poſſit diſpenſare. p.343.col.2.n.2
Epiſcopus an poſſit diſpenſare cum forenſibus & peregrinis? p.349.col.1.n.1

Epiſtola.

Epiſtola Innocentij Primi ad Vitricium Rothomagenſem. p.82.col.1
Epiſtola Marciani Synodum indicêtis.p.106.c.2.n.1

Epiſtola

Epiſtola Leonis ad Anatolium refertur. p. 197.col.1. num. 3
Epiſtola Synodica refertur. p.224.col.1.n.7
Epiſtola Caroli Magni. p.78.col.2
Epiſtola ad Exuperium Tholoſanum. p.82.col.2
Epiſtola ad Epiſcopum Narbonenſem. p. 83.col.1
Epiſtola Cœleſtini ad Epiſcopos Viennenſes & Narbonenſes.ibidem col.2.nonnulla obſeruanda præcipit,& cauenda. ibid.
Epiſtola Leonis Magni ad Epiſcopos Prouinciæ Viennenſis. ibid.
Epiſtolæ Synodicæ. p.137.col.1
Epiſtola Nicolai primi ad Michaëlem Imperatorem refertur. p.127.col.2.n.15
Epiſtola Leonis Pontificis refertur.p.198.col.1.& 2. num.5.
Epiſtola Leonis ad Epiſcopos Galliæ. p.24.col.1
Epiſtola Leonis ad Marcianum refertur.p.200.col.1. num.6

Eremita.

Eremitæ an ſint perſonæ Eccleſiaſticæ. p.142.col.2 num. 8

Errata.

Errata plurima in antiquiores Pontifices,etiam martyres,imò & in Diuum Petrum obiecta. pag. 44. col.2.n.33.34.35.& 36.

Error.

Error Philippi Bracheti. p.90.col.1
Error Ioannis Hus. p.90.col.2
Error de rebaptiſandis Hæreticis. pag. 38. col. 1. ſub fin. & col.2. ſub med.
Errores falſo Gelaſio impoſiti. p.45.col.2.n.43
Errores Marcilij de Padua, & Ioannis de Landuno. p.91.col.1.& 2. notantur cenſurâ Pariſienſis Academiæ. ibid.
Errores Petri Laillier. p.91.col.2
Errores aliquot Marci Antonij, & eorum damnatio. p.90.col.1.& 2
Errores Ioannis Morand. p.91.col.2.

Euangelium.

Euangelium in Synodis, in medio collocabatur, & quare? p.219.col.1.n.24

Eulogia.

Eulogiæ quid ſint. p.216.col.2.n.19.
Eulogiæ vocis in ſacris litteris multiplex ſignificatio ibid.

Euſebius.

Euſebij Clerici martyrium quónam tempore contigerit. p.43.col.2.n.29

Euthoſius.

Euthoſius depoſitus vbi litteras Liberij Pontificis exponit,Sedi ſuæ reſtituitur. pag.156.col.2.n.22

Eutyches.

Eutychetis error. p.110.col.2.n.11

Examinator.

Examinator Iuridicus in terris. p.97.col.1

Exarchus.

Exarchi tres in Conciliis generalibus potiorem locum poſt Patriarchas tenentes. pag. 194. col.2. num.6
Exarchi tres ſua auctoritate deiecti. ibid.
Exarchi quinam dicti. p.188. col.1.n.17. & p.182. col.2.n.9
Exarchi politici quales.p.183.col.1.n.9.& col.2.ibid.
Exarchias ab Imperatoribus miſſi. ibid.
Exarchus Diœceſeos. ibid.
Exarchi ſumpti pro Metropolitis. ibidem
Exarchorum variæ acceptiones. ibid.
Exarchi dignitas maior eâ Metropolitani. ibidem
Exarchorum dominatus duratio. ibid.col.2.n.9
Exarchorum conſenſus ad electionem Romani Pontificis requiſitus. ibidem
Exarchorum occaſione ſchiſmata excitata. ibid.
Exarchus Diœceſis Ponticæ quinam. pag.196.col.1 num.11

Exauctoratio.

Exauctoratio Pauli Samoſateni à Sede Antiochena. p.156.col.1.n.22

Excommunicatio.

Excommunicatio prohibita Epiſcopis, & Clericis. pag.238.col.2.n.6
Excommunicationis pœna qualis. p.237.col.1.n.2

Exemplum.

Exempla varia controuerſiarum Sedi Apoſtolicæ delatarum. p.33.& 34.& per tot.
Exempla duo illuſtriſſima iuris relationis cum prærogatiua ſuffragij Legatorum Pontificiorum in Synodis Occidentalibus. p. 123. col. 2. n. 21. & p.124.col.1.n.22.
Exemplum ſimulationis. pag.113.col.2. item impietatis. ibidem

Exemptio.

Exemptionis nomen. p.379.col.1.n.1.& col.2.n.2
Exemptio definitur. p.380.col.2.n.2
Exemptionis diuiſiones. ibid. n. 2. & 3. & pag. ſeq. col.1.n.4.5.& 6
Exemptio quandónam æqua cenſeatur. p.381.col.2. num. 1
Exemptionis cauſa. ibidem
Exemptiones olim monaſteriis concedebantur.ibid. n. 2
Exemptiones Monachorum, & Canonicorum regularium. p.383.col.1.n.5.eas indulgebant Epiſcopi plures ſimul conuenientes. ibid.
Exemptionum cauſa eſt fauor Sedis Apoſtolicæ. p. 385.col.1.n.1
Exemptionum validitas. ibid.n.12
Exemptionum abuſus. ibid.col.2.n.14

Explicatio.

Explicatio vocum harum, *Canonis antiqua conſuetudo.* p.152.col.1.n.12.
Explicatio mentis Canonis ſexti Concilij Nicæni. p.151.col.1.n.9.& col.2.n.10.& 11.

F

Factum.

FActa probata à Synodo Chalcedonenſi. pag.150. col.2.n.8.

Falſitas.

Falſitas quænam faciat ſubreptionem? p.355. col.2. n.10.& pag.ſeq.col.1.n.11.12.& 13.

Faſtigium.

Faſtigium Maieſtatis Papæ tributum quid ſignificet. p.73.col.2

Felix.

Felix Papa martyrium ſubit. p. 43.col. 2. n. 29. eius corpus Romæ inuentum. ibid.

Fides.

Fides reuelatione nititur. p.65.col.2
Fides Chriſto patiente dicitur in ſola Virgine perſeueraſſe. p.66.col.1
Fides vt in ſolo Pontifice reſideat an aliquando contingere

gere poſſit. pag.135.col.2.n.16
Fides ſola ad ſalutem non ſufficit. p.295.col.1.n.6

Finis.

Finis Iuris Eccleſiaſtici quiſnam ſit. p.4.col.2.n.1

Flamen.

Flamines & Sodales Auguſtales quinam nominati. p.186.col.1.n.13
Flamines erant Sacerdotes. ibid.
Flamines quî differrent à Sacerdotibus. ibid.
Flaminium perpetuò coniunctum fuit cum Sacerdotio. ibid.col.2.n.13

Flauianus.

Flauianus Romã ire recuſat,& quare. p.177.c.1.n.23
Flauianus contumax. ibid.

Fons.

Fontes duo iuris Eccleſiaſtici. p.6.col.1.num.1

Formula.

Formula epiſtolarum ad Romanum Pontificem.p.71 col.1.
Formula in edictis Regum Galliæ ſolemnis p.335 col.1.n.5.
Formulæ decernendi in Senatuſconſultis. pag.133. col.2.n.11
Formulæ acclamationum. p.122.col.2
Formulæ in Conciliis adhiberi ſolitæ. p.133.col.2. n.11
Formulæ adhibitæ in materiis ad fidem ſpectantibus. ibid.in pœnis fidei violatoribus indictæ. ibid.

Frater, Fraternitas.

Frater quandonam accuſandus ad Eccleſiæ tribunal. p.132.col.1.n.8
Fratris peccantis & Eccleſiam non audientis pœna. p.131.col.2.n.6
Fraternitates piæ vnde dictæ ? p. 254.col.1 & 2.n.1. & p. ſeq.ibidem
Fraternitatum piarum definitio. p.255.col.1.n.2
Fraternitatum multiplicitas. ibid.& col.2
Fraternitatum piarum vſus. p.257.col.1.n.6. obiecta in eaſdem diluuntur. ibid.n.7.& col.2.n.8.& 9.

Francus.

Franci in Galliis ſoli regnantes. p. 223.col.2.n.4
Franci variis factionibus diſtracti. ibidem

Fraus.

Fraus Dorilei. p.199.col.2.n.6

Frequentia.

Frequentia actuum ſimilium ad conſuetudinem requiritur. p.302.col.1.n 4

G

Gallia.Gallus.

Gallia in varios dominatus diſciſſa,extincto in ea Romanorum Imperio. pag.223.col. 2.n.4
Gallia nouam collectionem Canonum non recepit, & quare. p. 280.col.1.n.13
Gallia decretorum Pontificiorum & legum obſeruantiſſima. p.88.col.1.
Gallia bellis vexatur. p.224.col.2.n.8
Galliæ Prouinciæ diuiſio ex Strabone.pag.191.col.1. num.25
Galli tenaciſſimè obſeruarunt collectionem Canonum à Chalcedonenſi receptorũ. p.279.col.1.n.9
Galli ante receptam collectionem Dionyſianam quibuſnam Canonibus vterentur. p.281.col.2.n.16
Gallorum conſuetudo in dubiis fidei, & diſciplinæ. p.87.col.2
Gallorum antiquus mos in legibus promulgandis. p.327. col.2.n.5.

Gratia.

Gratia in die Pentecoſtes à Spiritu ſancto Apoſtolis conceſſa. p.133.col.1.n.10

Græcus.

Græcis ſolemne fuit acta Synodorum & ſcripta Patrum corrumpere. p.52.col.1.

Gratianus.

Gratianus imperitiæ arguitur.p.44. col.1. n. 32. deluſus eſt. ibid.

Gregorius.

D.Gregorius multa præcipit. p.85 col.2
Gregorius III. vindicatur à quibuſdam calumniis p.53.col.2.ſub finem
Gregorius quid recuſarit nomẽ œcumenici.p.94.c.2
Gregorij magni ſubmiſſio animi,& prudentia. pag. 274.col.1.n.26

H

Hæreſis.

Hæreſis Sabelliana. pag.38.col.2.ſub finem.
Hæreſis Monothelitarum.p.47.col.2.ſub finem damnatur.p.48.col.2.& p.51.col.1. ſub init.
Hæreſis Elipandi. p.227.col.2.n.21
Hæræſis noua de vna in Chriſto voluntate. pag.51. col.1.n.1.ſub fin.
Hæreſis olim impedimentum dirimens matrimonium.p.55.col.1.aliter vſus induxit. ibid.
Hæreſis Montani, Alcibiadis & Theodoſij in Phrigiæ & Aſiæ partibus diſſeminatur. p.81.col.1
Hæreſis Prædeſtinatorum vbinam primum damnata ſit. p.81.col.2
Hæreſis Elipandi & Felicis Orgelitani. p.78.col.2
Hæreſis Pauli Samoſateni renouata,& damnata.pag. 329.col.2.n.9
Hæreſeos character. p.40.col.1.n.24
Hæreſes olim vnde natæ. p.217.col.1.n.20
Hæreſes variæ ortæ per trecentos annos ante Nicænum primum.p.36.col.1.n.21.damnantur. ib.c.2
Hæreſeon variarum damnationes.p.39.c.2. ſub med.

Hæreſiarcha, Hæreticus.

Hæreſiarchæ multiplices enumerantur pag.36.col.2. n.22.
Hæreſiarcharum ad fidem redeuntium conſuetudo. p.38.col.1.n.21
Hæretici concilia generalia petunt, quorum tamen poſtea decreta non amplectuntur. pag. 64. col.2. meretricibus ſimiles ſunt. ibidem.
Hæretici volunt nutantem eſſe Petri fidem p. 61. col. 1
Hæretici Ariani Concilium generale poſtulant quibus meritò negatur. p.59.col.1
Hæretici omnimodam neceſſitatem volunt. pag.105 col.1.n.1.
Hæreticorum refugium. p.58.col.2
Hæreticorum quorumdam dãnationes.p.106.c.1.n.2
Hæreticorum ars ſubdola.p.39. col.2.n.23. & p.41. c. 1. n. 24. Litteræ quibus vnitatem cum Eccleſia teſtantur. ibid.
Hæreticorum verſutia & imprudentia. p.293.c.1.n.1
Hæreticorum obiecta aduerſus traditiones diluuntur. p.294.col.1.n.2.& 3.& col.2.n.4.& 5. & p.295. col.1.n.6
Hæreticus non cenſetur qui ſuum dogma Eccleſiæ ſubmittit etſi erroneum.p.41.col.1.n.24. & p.41. ibid.
Hæreticus non eſt qui paratus eſt ſemper corrigi. p.40.col.1.n.24

Hebræus.

Hebræi veram Religioſorum noſtrorum ſpeciem habuerunt. p.240.col.1

Hermes.

Hermetis temeritas. p.84.col.1.& 2

Hermetis poteſtas reſtringitur. ibid. col.2

Heſperia.

Heſperiæ nomine Italia plerumque deſignatur. p.145. col.2.n.9

Heterodoxus.

Heterodoxi repugnantes. p.213.col.2.n.14

Heterodoxorum error circa collatam Petro & Apoſtolis à Chriſto doctrinam. p.131.col.2.n.6

Hierarchia.

Hierarchia principalior. p.101.col.2

Hierarchia functio eſt diuinæ, & deificæ ſcientiæ. p.290.col.1.n.2

Hierarchiæ Eccleſiaſticæ cum ciuili conuenientia. p.154.col.1.n.18

Hieroſolyma.

Hieroſolyma Apoſtolica erat Eccleſia. p.150. c.2.n.7

Hieroſolymæ deſtructio,& eius Metropolit.tûs Cæſaream tranſlatio. ibid. n.8

Hiſpania.

Hiſpaniarum Diœceſis prouincias ſeptem continebat. p.145.col.2.n.10

Honorius.

Honorius primus hæreſeos accuſatur,ſed falsò.p.47. col.1. ſub med.

I

Iconomachia. Iconomachus.

Iconomachia damnatur. pag.114.col.1

Iconomachi. p.113.col.2.n.16

Illyricum.

Illyrici caput. p.188.col.1.n.18

Illyrici diuiſio. p.146.col.1.n.10

Illyrici Metropolis. ibid.

Illyrici Orientalis caput, & Prouinciarum numerus. ibid.

Illyricianæ Diœceſis Prouinciæ. ibid.

Imago.

Imaginum reſtitutio iuxta veterem vſum Eccleſiæ. p.123.col.1

Imaginum vſus damnatio. p.113.col.2.

Immerſio.

Immerſio trina in aquam vnde originem habuit? p.291. col. 2. n. 5. Eccleſiæ conſuetudine ſenſim mutata eſt. ibid.

Imminutio.

Imminutio auctoritatis Præfecti prætorio. pag. 144. col.1.n.8

Immunitas.

Immunitas conceſſa Monaſterio S.Dionyſij.pag.216. col.2.n.19

Immutatio.

Immutatio ciuilis ſine immutatione Eccleſiaſticæ politicæ. p.150.col.1.n.4

Imperator.

Imperator an queat Epiſcopis in rebus Eccleſiaſticis imperare. p.114. col.2

Imperator licèt Ethnicus & Chriſtiani nominis perſecutor Romani Pontificis auctoritatem nouit. p.39.col.1.ſub med.

Imperator caſtrum, aut oppidum in ciuitatem erigere poterat. p.149. col. 1.n.2

Imperator ciuitatis iura ſemel conceſſa oppido reuocare non poterat ſaltem quoad Eccleſiaſtica. ibid.

Imperatores quidam ſacrorum ſimul & Imperij caput ſe gerere volentes. p.29.col.2.n.14

Imperatores poteſtatem habent eligendi Metropolim. p.150.col.1.n.5

Imperatores & Synodi multum ſollicitæ de Patriarchatu Conſtantinopolitano ſtabiliendo & promouendo. p.151.col. 1.n.8

Imperatores irati priuilegia ciuitatibus conceſſa auferunt. 149.col.1.n.2

Imperatori quid conueniat. p.112.col.2

Imperatoris cuiuſdam furor. p.113.col.1

Imperium.

Imperij Occidentalis Diœceſeon numerus. pag.145. col.2.n.10

Imperij Romani tertia diuiſio. p.147.col.1.n.12

Imperium Occidentale quidnã comprehendebat. ib.

Imperij Orientalis partes. ibid.

Imperij partitiones variæ ſub variis Imperatorib. ib.

Imperij adminiſtratio ſub duobus Principibus. ibid.

Imperiorum limites ſub Iuliano Apoſtata. pag. 148. col.1.n.13

Imperij Romani vrbes eminentiores. p.146.c.1.n.11

Imperium Alarici, & VViſigothorum in Gallia exſcinditur. p.224.col.1.n.7

Impietas.

Impietatis ingentis exemplum. p.113.col.2

Incola.

Incolæ qui cenſeantur? p.349.col. 1.n.1

Inductio.

Inductio conſuetudinis. p.323.col.2.n.1

Inductio conſuetudinis quo caſu non ſit culpabilis. ibid. n.2

Indulgentia.

Indulgentia plenaria iis conceſſa qui expeditionem Hieroſolymitanam ſuſciperent. p.23.col.2.n.1

Indulgentiæ vnde depromantur. p.258.col.2.n.10

Indulgentiæ Cathecumenis an conferri poſſint? pag. 350.col.1.n.1

Indulgentiæ quomodo proſint Cathecumenis? ibid.

Indulgentiam inter & communicationem bonorum operum diſcrimen. p.259.col.2.n.10

Infallibilitas.

Infallibilitas vel fallibilitas Principis an excuſet vel obliget ad obedientiam. p.66.col.2

Inferior.

Inferior nequit voluntatem ſuperioris reuocare.pag. 345.col.1.n.1

Ingenium.

Ingenium hæreticorum leue eſt. p.293. col.1.n.1

Inſcriptio.

Inſcriptio libelli Clericorum Alexandrinorum in Concilio Chalcedonenſi. p.178.col.1.n.24

Inſcriptionis cuiuſdam Lugdunenſis interpretatio. p.191.col.2.n.27

Inſtitutio.

Inſtitutio Romani Patriarchatus ſecundum aliquos. p.70.col.1

Intentio.

Intentio alicuius tripliciter ad alterum dirigi poteſt. 259.col.1.n.10

Interpretatio.

Interpretatio falſa Canonis. p.178.col.2.n.25

Interpretatio literarum PP. p.145.col.2.n.9

Interpretatio Canonis quid? p.375.col.1.n.1. à quo fiat. ibid.

Interpretationis Canonis triplex effectus. ibid.

Interpretatio horum verborum Hieremiæ, *Viſitabit te filia Edom.* pag.153.col.1.n.16
Interpretatio inepta. p.65.col.1

Inuaſio.

Inuaſiones in Eccleſia graſſantes. p.194.col.1.n.4

Ioachimus.

Ioachimi Abbatis minùs recta de Trinitate opinio & damnatio. p.40.col.2.n.24

Ioſeph.

Ioſeph Mariæ ſponſus ſi bona habuit, ſcripſitne hæredem & quem? p.56.col.2

Ioannes.

Ioannes Chryſoſtomus ſede ſuâ pellitur in exilium. p.177.col.1.n.23
Ioannis XXII. opinio circa animas beatorum. p.58. col.1

Iudæus.

Iudæorum varia corpora diſciplinæ. p.130.col.1.n.4

Iudex.

Iudices inferiores à quibus ad Præfectum Romanum appellabatur. p.154.col.2.n.19.& 155
Iudices quomodo olim dicti. p.73.col.1

Iudicium.

Iudicia Epiſcoporum circa fidem non ſunt vltimæ definitiones. p.42.col.1.n.26
Iudiciorum Eccleſiaſticorum nouus ordo ortus, & vnde? p.281.col.1.n.15
Iudicium coram tota multitudine non faciendum. p.131.col.1.n.6
Iudicium Synodi declaratio in cauſa Photij & Euſtathij Epiſcoporum. p.150.col.1.n.5

Iuriſdictio.

Iuriſdictio Viennenſis & Arelatenſis Eccleſiæ. p.84. col.1
Iuriſdictio an ſit neceſſaria in Religioſa communitate? p.245.col.1.n.1

Ius.

Iuris Eccleſiaſtici non ſcripti pars altera. p.300.col.1
Ius Eccleſiaſticum in quo conſiſtat. p.29.col.2.n.15
Iuris Canonici nomen quid importet. ibid.
Ius vnum quandonam ſit alteri præponendum. p. 5. & 6. col.2.n.3.& 4
Ius regulare in quônam conſiſtat. p.244.col.2.n.16
Ius priuatum Eccleſiarum quid ſit? p.231.col.2
Ius commune Eccleſiaſticum quid? ibid.
Ius commune ſecundum Iuſtinianum quid ſit? ibid.
Ius ciuile proprium quid? ibid.
Ius priuatum ſiue proprium Eccleſiaſticum probatur ex municipiis. p.232.col.1.num.1
Ius Canonicum eſt commune vel ſingulare. p. 357 col.1.n.1
Ius nullum eſt quod in vniuerſum conſuetudinem aliquam approbet. p.309.col.2.n.5.&.6
Ius Canonicum quid ſit? eiuſdémque definitionis explicatio. p.2.col.2.num.1
Iuris Canonici diuiſiones variæ. p. 2.& 3.n.2.3.& 4
Ius aliud eſt, aliud forum. p.5.col.1.n.1
Ius communicandi ſolis Epiſcopis reſeruatum. pag. 237.col.1.n.2
Ius Canonicum Scriptura, & Canones conſtituunt. p.3.col.2
Ius gentium quandônam vim legis conſuetudini dare poſſit. p.312.c.1.n.15
Ius maiorum & celebriorum ciuitatum. p. 143.c.2. num.6
Ius regulare à quo ferri poſſit. p.247.col.1.n.9
Ius Eccleſiaſticum priuatum ratione oſtenditur. p.232.col.2.n.3
Ius priuatum Eccleſiaſticum à quônam condi poſſit. ibidem, n.4
Ius Romani Pontificis à nullo alio, quam à Chriſto conſtitutum eſt. p.146.col.1.n.11.& col.2
Ius Canonicum vnde oriatur. p.313.col.1.& 2.n.1
Ius Eccleſiaſticum vnde ortum habuit. p.141.col.2
Ius regulare quid ſit? p.240.col.2.n.1.& 242.c.2.n.9
Ius Eccleſiaſticum diuinum appellatur & quare. p. 6. col.2.n.2
Ius priuatum Eccleſiaſticum probatur ex variis ſodalitatibus. p.232.col.2.n.2
Ius regulare quotuplex ſit? p.242.col.2.n.10
Ius regulare poſitiuum quid? ibid.
Ius Eccleſiaſticum ſcriptum quotuplex ſit? p. 289
Iuri communi Eccleſiaſtico ius nouum ſucceſſit. p.279. col.2.n.12.& p.ſeq.col.1.ibid.
Iuri communi non derogatur per clauſulam generalem. p.370.col.1.n.6
Iuri nouo Eccleſiaſtico nouiſſimum ſucceſſit. p.280 col.2.n.14
Iuris antiqui, & noui differentiæ præcipuæ.ibid.n.15
Iuris Eccleſiaſtici petito quænam notitia imprimis neceſſaria. p.281.col.1.n.15
Ius Eccleſiaſticum priuatum pluribus Eccleſiis, & Diœceſibus vnde ortum. ibid.col.1.& 2.n.16
Iuris Eccleſiaſtici materia proxima.p.3.col.2.n.1. remota.p.4.col. 1.n. 2. præcipua. ibid. n.3. eiuſdem obiectum mixtum.p.4.c.2.n.4. materiæ amplitudo.ibid.n.5.& 6.ac forma.ibid.n.7
Iuris regularis materia. p.249.col.1.n.1. ſtatus quæſtionis proponitur. ibid.
Iura extrauagantia quænam dicta. p.282.col.3.n.19
Iuris Eccleſiaſtici diuiſiones vniuerſales.p.282.col.2. n.18.
Iura municipalia quænam eſſent. p.232.col.1.n.1

Iuſtiniana, Iuſtinianus.

Iuſtiniana vrbs prima, Metropolis ſit. p.188.c.2.n.19
Iuſtiniani mens in legibus nouis Eccleſiæ præſcribendis. p.275. col. 1.n. 29
Iuſtinianus Canonem Chalcedonenſem, & ſuaſmet leges offendens. p.150.col.1.n.4

Iuſtitia.

Iuſtitia Aragoniæ vulgò dicta quænam.p.334. col.2. num.5

Iuuenalis.

Iuuenalis Hieroſolymitanus Synodo trium Palæſtinatum præfuit. p.151.col.1.n.8

L

Laicus.

Laici cur aliquando interfuerint Conciliis.p.128. col.1.n.16.
Laici quinam in Concilio intereſſe poſſint. p. 127. col.2.n.15. & p.128.col.1.n.16.

Laurentius.

Laurentius Valla carpitur. pagin. 45. column.1. numer.41

Legatio.Legatus.

Legatio Romam miſſa. p.80.col.1
Legatio duplex ad Synodum, Conſtantinopolitanam. p.51.col. 1.ſub med.
Legatio ad pacem Eccleſiæ conciliandam facta. pag. 187.col.2.n.17
Legati Pontificij an habuerint in Conciliis relationẽ & ſententiam cum prærogatiua ſuffragij.p.120.c.2

Legati ſi quid in Concilio præter Pontificis commonitorium definierint Concilio acephalo interfuiſſe dicuntur. pag.139.col.2.n.24
Legati à Patriarcha Antiocheno Romam miſſi & cur? p.213.col.1.n.14
Legati Pontificij præcipui. ibid.
Legatus à latere. ibidem
Legati Pontificis locus quem perpetuo obtinuerunt in conſeſſu & ſubſcriptionibus. p.118.119.& ſequent. quod in ſingulis oſtenditur. ibidem, & p. 20.21.22.23.& 24
Legati Pontificij contradicunt, ſed non audiuntur. p.197. col.2. n.3
Legati Pontificij varij ad Concilia deſtinati. p. 214. col.1.& 2.n.15.& pag.ſeq.col.1.n.16
Legatorum duo genera ad Concilia Oecumenica orientalia mittebantur. p.202.col.2.n.14
Legatorum Pontificiorum proteſtatio & reſiſtentia. p.199.col.2.n.6.
Legatorum tria genera. p.119. col.2
Legatorum Concilij Romani miſſio. p.120.col.1
Legatorum Pontificiorum poteſtas. pag. 234. col.2. n.7.

Legiſlatio.

Legiſlatio iuriſdictionem requirit. p.235.col.1.n.3

Leo.

Leo Papa nonnulla decernit. p.121.col.1
Leo Pontifex acerrimus Nicænorum Canonum vindex. p.150.col.2.n.8
Leonis cuiuſdam mors diuinitus puniti. p.43. col.2. n.30
Leonis Imperatoris obdurata impietas. p.113.col.1. obitus infelix. ibidem
Leonis Legati ad Theodoſium. p.111. col.2
Leonis querela in Anatolium. p.198.col.2.n.5

Lex.

Lex an ceſſet ceſſante fine interno. p.377.col.2.n.1.
Lex ceſſat ceſſante fine indifferente. p. 378. col. 1. num.2
Lex ceſſat per abrogationem. ibid.col.2.n.1
In lege humana publica à quo poſſit diſpenſari? pag. 345.col.1.n.1
Lex omnis patitur extenſionem ad caſum verbis non comprehenſum propter identitatem rationis adæquatæ. p.376.col.1.n.4
Lex Theodoſij. p.204.col.1.& 2.n.3
Lex Theodoſij de reſtituendis Eccleſiis explicatur. p.195.col.1.n.8.
Lex non obligat contraria conſuetudine vrgente. p.311.col.2.n.14.
Legem abrogare illius eſt cuius eſt illam condere. ibidem n.15
Legem ferre aliud eſt, aliud antiquam abrogare.pag. 312.col.1.n.15
Lex irritans extingui poteſt conſuetudine. pag. 317. col.1.n.9
Lex quid ſit? p.241.col.1
Lex omnis tum ciuilis, tum Eccleſiaſtica ſubditorum conſcientias obſtringit. p.253.col.1.n.1
Lex diuinitatis ex Dionyſio. p.93.col.1
Lex Regia quænam. p.335.col.1.n.5
Leges condere, & interpretari, cuiúſnam ſit. ibid.
Legis ſcriptæ ratio quando ceſſare debeat, vt contra eam operemur per epiichiam. p.377.col.2.n.7
Lex, tum Pontificia, tum laica inculpatè ignorantes non ligat. p.331.col.1.n.16
Leges Principum ſeruandæ ab Eccleſia, vbi non ſunt legibus Eccleſiaſticis contrariæ. ibid.
Legiſlatorum ſollicitudo. ibid.col.2.n.16
Leges quandónam inſtitui, & confirmari dicantur. p.327.col.1.n.4.
Leges vniuerſæ Eccleſiæ ferre cuiúſnam ſit. p.67.c.1. non eſt Epiſcoporum, & quare. ibidem
Leges Imperatoriæ non obligant niſi poſt duos menſes à promulgatione. p.332.col.1.n.22
Leges Principum qui Imperio non ſubduntur, quandónam incipiant obligare. ibid.col.2.n.22
Leges Pontificiæ quódnam tempus requirant ad obligationem inducendam. ibid.n.23
Leges Eccleſiaſticæ an ſtatim à promulgatione ſolemni in loco in quo fieri debet, obligare incipiant. ibid.col.1.n.19
Leges tum Politicæ, tum Eccleſiaſticæ tria requirunt ad hoc vt obligent. p.225.col.2

Libellus.

Libellus Epiſcopi Paulini. p.79.col.1
Libellus Epiſcoporum Italiæ in Concilio Francofordienſi editus. p.227.col.1&.2. num.11
Libellus ſupplex oblatus Pontifici. p.200..col.2.n.8

Liber.

Liber Euangeliorum gemmis miræ magnitudinis Baſilicæ S.Petri oblatus. p.50.col.2. ſub init.

Liberius.

Liberius Papa pellitur in exilium .p.43.c.1.n.28, incertum eſt an Arianis conſenſerit. ibid.

Libertas.

Libertates Eccleſiaſticæ ſemper probatæ fuerunt. p.386.col.2.n.17
Libertates Eccleſiæ Gallicanæ. p.102.col.1
Libertatis Gallicanæ Eccleſiæ praua interpretatio. p.71.col.1

Lis.

Lis orta inter Nicolaum I. & Hincmarum Remenſem. p.89.col.1
Lis inter Cæſarienſem & Hieroſolymitanos Epiſcopos tandem ſopitur. p.151.col.1.n.8

Littera.

Litteræ Synodicæ. p.220.col. 2.n.28
Litteræ filiationis. p.255.col.2.n.4
Litterarum formulæ.p.39.col.2.n.23. & p. 40.col.1. ibid.
Litterarum apud Romanos ſolemnium interpretatio. p.134.col.1.n.11

Ludouicus.

Ludouicus VII. vxorem Eleonorem Burdigalæ duxit. p.229.col.2.n.13
Ludouicus Pius paternæ virtutis imitator.p.228.c.2. n.13
Ludouicus Pius Concilium cogit Aquiſgrani. ibid.
Ludouici Pij zelus circa ea quæ ad Religionem ſpectabant. p.229.col.1.n.13

Lugdunum.

Lugduni fiebat conuentus populorum Galliæ ad aram Auguſto principi dicatam. p.190.col.2.n.25
Lugduni dignitas Metropolitica Primatu augetur. p. 192.col.2.n.32
Lugduni Synodus conuocata,& quare. p.85.col.1
Lugduni in conuentu ad templum Auguſti feſti dies agitabantur. p.191.col.2.n.25
Lugduni fiebant certamina Græcæ, latinæq; facundiæ,& quæ in iis obſeruarentur refertur. ibid.
Lugduni nobilitas vnde colligitur. p.191.col.1.n.25
Lugduni breuis commendatio. p.190.col.2.n.23
Lugduni ornamenta tum politica,& profana. ibid.
Lugdunum duabus rebus maximè commendatũ.ib.
Lugdunum caput Galliarum. p.191.col.1.n.25
Lugdunum cur Copia dictum. ibid.col.2.n.27

Lugduno

Lugduno plura ornamenta addita. ibid.
Lugduni caſtra olim in colle Fori veteris collocata erat. ibid.
Lugduni ſitus ex Strabone. p.192.col.1.n.29
Lugdunum oppugnatur è Seuero. p. 192. col.1. numero 29
Lugduni ornamenta ſacra vnde exorta. p. 192. col.1. n.30

M.

Macarius.

MAcarij cuiuſdam error eiuſque damnatio. p.51. col.2.ſub init.
Macarij Monothelitæ damnatio & eius ſectatorum. p.25.col.1

Magdeburgenſes.

Magdeburgenſes errores quoſdam obiiciunt Pontificibus,& cur. pag.45.columna 1.numero 37.38. & 40
Magdeburgenſium aliorúmque Nouatorum opinio erronea. p.184.col.1.n.11

Magiſtratus.

Magiſtratus Municipales quinam. pag.179.col.2.numero 3

Mandria.Mandritæ.

Mandria quid. p.74.col.1
Mandritæ qui dicerentur. p.74.col.1.& 2

Marcus.

Marcus deſtinatur à Petro tanquam ſuus Vicarius ad vrbem Alexandriam. p.153.col.2.n.16

Martianus.

Martiani Imperatoris breuis commendatio. p.35.col. 1.n. 20. eidem gratulatur Synodus Chalcedonenſis. ibid.
Martianus Arelatenſis exauctoratur & quare. pag.81. col.1
Martianus Imperator ad Leonem Papam ſcribit. 120. col.2

Martinus.

Martinus Papa Legatos ad Francorum Reges mittit & quare. p.49.col.2.circa med.

Martyr.

Martyres inſignes Lugdunenſes quandónam paſſi. p.191. col.2.n.25

Matricula.

Matriculæ exemplaria duobus locis diuerſis aſſeruata. p.186.col.1.n.3

Matrimonium.

Matrimonium fidelis cum infideli,an valeat,& in quo caſu? pag.320. col.1. n. 7. in Africana Eccleſia ex vſu olim contrahebatur. ibid.col.2. num.9.viguit etiam in Oriente, & Occidente. ibid.

Medicus.

Medicis præceptor iniungitur à Concilio Lateranenſi. p.331.col.1.n.16

Melancthon.

Melancthonis impia dogmata. p.91. col. 2. eius damnatio. ibid.

Meletius.Meletiani.

Meletius fidem negat & Idolas ſacrificat.p.151.col.2. n.11
Meletij ſceleſta facinora referuntur. ibid.
Meletij turbis medetur Concilium. ibid.
Meletius Epiſcopi nomen tantum retinet,& ab Epiſcopalibus muneribus prohibetur. ibid.
Meletianorum renaſcitur ſeditio in Eccleſiam. ibidem.
Meletianorum vſurpatio. p.71.col.1

Metrocomia.

Metrocomia,quid ſit,& vnde dicatur.pag.142.col.2. n. 4
Metrocomiæ erant in publico iure. ibid.

Metropolis.

Metropolis quid ſit. p.142.col.2.n.4
Metropolis Ciuitas. p.180.col.1.n.3
Metropol. an duo eſſe poſſint in vna Prouincia, & poſito quod ſint an habeant æquale ius? p.149. col.2.n.2

Metropolita. Metropolitanus.

Metropolitæ Diœceſeon Occidentis ſuberant Romano Pontifici tanquam ſuo Patriarchæ.p.148.col.1. n. 13
Metropolitæ honores quinam. p.150.col.1. n.6
Metropolitarum pluralitas vnde exorta. p.150.col.1. n. 5
Metropolitarum pluralitas damnatur. ibid.
Metropolitarum nouorum poteſtas. pag. 150. col.1. n. 5
Metropolitani in creatione conueniunt Epiſcopi Prouinciales ad Metropolim Ciuitatem. pag.181. col.1.n.6
Metropolitani maioris, vel minoris auctoritatis. pag. 181.col.1.n.6
Metropolitani non Primates. pag.180. col.2. n.5. & pag.ſeq.col.1
Metropolitani quinam dicuntur. p.181. col.2. n.7
Metropolitani Apoſtolici dicti. p.182. col.1.n.7
Metropolitanus de re dubia conſulendus, antequam recurratur ad ſedem Apoſtolicam. pag.180. col.2. n. 3

Miniſter.

Miniſter circumciſionis. p.98. col.1

Miſſus.

Miſſi Regij in Archiepiſcopi electione. pag.86.col.2.

Monachus.

Monachi quidam turbas excitant. pagina 121.col.1. & 2
Monachi omnes quondam parebant Epiſcopo. pag. 246.col.2.n.7
Monachi prohibentur egredi è Monaſteriis. p. 270. col.2. n.18
Monacho aliquando permittitur ſe ſubiicere Epiſcopo. p.348.col.1.n.3
Monachorum duorum factum laudatur. p.270.col.2. n. 19

Monarchia.

Monarchia Eccleſiaſticâ aliquâ Ariſtocratia temperatur. p.99.col.2
Monarchia in quibuſdam regnis mixta ex Democratia. pag.311.col.1.n.12

Monitio.

Monitio ſancti Gregorij ad Virgilium Arelatenſem, & Theodonem Maſſilienſem. p.85. col.2

Montaniſta.

Montaniſtarum opinio de Paſchatis die celebrando. p.38.col.1.n.21

Mos.

Mos quid ſit? p.300.col.1.n.1. & ſeq.c.2.n.1
Mos antiquus Epiſcopi Romani. p.71.col.2
Mos & Conſuetudo an idem ſonent? pag.300.col.1. n. 1
Mos vnde cauſetur? ibid.
Mos de brutis impropric dicitur. ibid.col.2

Motis acceptiones variæ. p.300. col.1.& 2.n.1
Moris, vſus, & conſuetudinis diſcrimen. p.300. col.2. n.2

Moyſes.

Moyſes primus omnium Sacer ſcriptor fuit. p. 192. col.1.n.1
Moyſes legem diuinam, mandata & Religionis ſcriptis concinnauit. p.292. col.2. n.1

Mulcta.

Mulcta Epiſcopis impoſita. p.149.col.2.n.3

Mulier.

Mulieribus propter ſimplicitatem parcitur, dum ſeuerè cum viris agitur. pagina 40. columna 2. numero 24

Municipium.

Municipium quid ſit. p.232.col.1.n.1
Municipum tria genera. ibid.

Munus.

Munus Apoſtolorum eſt magiſterium orbis erudiendi. p.8. col.1.n.1.& 2
Munera nulla exigenda in Synodis. p.216.col.1.& 2. n.19
Munera perſonis non dignitatibus conceſſa. p.195. col.2.n.8

N.

Nauigium.

Nauigij myſtica ſignificatio. pagina 93. columna 2

Neceſſitas.

Neceſſitas Conciliorum ab hæreticis requiſita reiicitur. p.105.col.1.& 2.n.2.3.& 4

Neſtorius.

Neſtorij Epiſcopi Conſtantinopolitani impietas. pag. 109.col.1.n.10.damnatio. ibid.
Neſtorij contumacia. p.122.col.2

Nicæa.

Nicæa Metropolis efficitur à Valente.pag.150. col.1. n.5

Nicolaus.

Nicolaus Pontifex Apoſtolicam auctoritatem ſplendidè tuetur. p.86. col.2

Nilus.

Nilus Theſſalonicenſis Epiſcopus refellitur. p.28.col. 1.n.9

Nomen.

Nomine ambiguo abſtinendum. pagina 201. col. 1. n. 9
Nomina Conciliis generalibus attributa. p.134. col. 2.n.13.& p.135.col.1
Nomina Romano Pontifici adſcripta. pag.73. col. 1. 74.col.1.& pag.75.col.2.& 76. col.1

Notarius.

Notarij Synodorum. p.219.col.1.n.24

Notatio.

Notationes quædam. p.352.col.2.n.1

Notitia.

Notitia quorumdam ſoli Papæ reſeruata. pagina 73. col.1

Nouator.

Nouatores fruſtrà inuehuntur in Apoſtolicas traditiones. p.297.col.1.n.14
Nouatores fruſtrà conantur falſam interpretationem tueri. pag.178.col.2.n.27

Nummus.

Nummus Lugduni percuſſus p.190. col.2.n.24

O.

Obedientia.

Obedientia duplicis generis. p. 250. col. 1.n. 5

Obiectio. Obiectum.

Obiectio Antimonarchorum. p.102.col.2
Obiecta nonnulla contra Romanos Pontifices diluuntur. p.43. col.1. & 2. n.29.& 30.& à pag.44. ad 58
Obiecta in ſententiam aſſerentem Clericos, etiam parochos & Curiones non poſſe intereſſe Conciliis, diluuntur. p.126. col.2. n.10. & 11. & p.127. col.1.n.12.& 13
Obiecta quædam circa ius excommunicandi diluuntur. p.238.& 239.per tot.

Obiurgatio.

Obiurgatio acerbior. p.131.col.1.n.6

Obligatio.

Obligatio primarius eſt legis omnis effectus. p.325. col.1
Obligatio legis humanæ ceſſat tribus modis. p. 375. col. 1
Obligatio legum Pontificiarum. p.101.col.2
Obligatio ſuſpenditur ex vrgenti cauſa, in legibus etiam Pontificiis interpoſita publicatione. p.334. col.2.n.4
Obligatio legum obſeruandarum. pag. 136. col. 2. n.17
Obligatio legis ceſſat vnà cum ipſa lege, pag. 377. col.2. n.1

Obſeruatio.

Obſeruatio ſingularis circa geſta in Concilio. p.121. col.2
Obſeruatio pro ſede Cenonenſi. p.87.col.1
Obſeruatio in Monarchicis politiis. pag. 136. col. 2. n. 17

Oecumenicus.

Oecumenici nomen renuit Gregorius Pontifex & ſub qua ſignificatione. p.201.col.1.n.9
Oecumenici nomen Romanus Pontifex recuſando nihil ſuæ dignitati detrahit. p.201. col.2.n.9
Oecumenici vocis grammaticaliter ſumptæ ſignificatio. p.201. col.1.n.9. Item metaphoricè ſumptæ. ibid.

Optimates.

Optimates in Gallia à quo recipiant poteſtatem. p.100. col.1

Ordinatio. Ordo.

Ordinatio apud Græcos, & Latinos diuerſa, vtraque tamen valida. p.318.col.1.n.3
Ordo in Eccleſia ſeruatus. p.184.col.2.n.11
Ordo ſeruatus in ſubſcriptionibus Conciliorum. p.120. col.1
Ordo conſeſſus in Synodis. p.215.col.2.n.17.& pag. ſeq.col.1.n.18
Ordines religioſi inter Eccleſiaſticas communitates maximè eminent. pag.240. col.1
Ordines religioſi vnà cum Apoſtolis cœperunt. ibidem.

Oriens.

Oriens aliquando latiùs, aliquando preſſiùs vſurpatur. p.147.col.2.n.13
Orientis Diœceſis Antiocheno Epiſcopo ſubiecta quot Prouincias complectebatur. p.147.col. 2.n.13

Orientis

Orientis latiùs ſumpti, termini. ibid.

Origenes.

Origenis error & damnatio. p.38.col.1.n.21

Origo.

Origo, & conſtitutio iuris Eccleſiaſtici. pagina 1. & ſeq.

P.

Pabulum.

Pabulum ouium Chriſti quid ſit. pagina 60. columna 2

Palatium.

Palatia domus ſuas Principes nominarunt. pag. 144. col.2.n.8

Pallium.

Pallium conceditur Archiepiſcopo Bituricenſi.p.86. col. 1

Pallium differtur Auxonio Arelatenſi, & quare.p.85. col.1

Papa. Papatus.

Papa quid paranymphus appelletur. p.94. col.2

Papa an poſſit nouos fidei articulos facere aut abrogare, & noua Sacramenta inſtituere. p.94.col.2.in quibus diſpenſare valeat. ibid.

Papæ quæ ſint determinare. ibid. & pagina ſequent. col.1

Papa in quo caſu deponi poſſit. p.102.col.1

Papa an teneatur ſynodum generalem conuocare dum quæſtiones de fide determinat. p.95.col.1

Papa vt caput Eccleſiæ an habeat monarchiam temporalem regiam. p.96.col.1

Papa à quónam ſupremam dignitatem acceperit.ibid. col. 2

Papæ incumbit neceſſitas docendi populos catholicam veritatem. p.59.col.2

Papa Auxonium Arelatenſem, Vicarium ſuum in Gallia conſtituit. p.85. col.1. aliis eiuſdem ſucceſſoribus idem munus demandatum. ibid.

Papatus quid ſit. p.101. col.2.& p.97. col.1

Paracletus.

Paracleti adminiſtratio. p.133. col.1.n.10

Parochia.

Parochia ſiue Parœcia quid? p.210. col.2. num.6. & p.211.col.1.n.7

Parochiæ nomen vnde deriuatum? p.110. col.2.n. 6

Parœcia.

Parœcia vnde dicitur? p.210.col.2.n.6

Parochus.

Parochi in iure nomine Presbyterorum deſignantur. pag. 237.col.2.n.3

Parochi vnde dicti? p.210.col.2.n.6

Parochi leges non poſſunt condere in ſuis Parochiis. p.237.col.1.n.1

Parochus ius excommunicandi non habet. ibid. numero 2

Parochis quænam poteſtas competat. pag.238. col.2. n.5

Parochis an competat nomen ordinariorum? ibid. n. 6

Parochi quondam excommunicabant. ibid.

Parochis quid conueniat ex officio. pag. 126. col. 1. n. 8

Parochi an eſſe poſſint iudices in cauſis Epiſcoporum. ibid.

Parochus an dignior fiat ex plebis numero. p. 126. col.2.n.9

Partitio.

Partitio Imperij ſub Conſtantino. pag.146. col. 2. n.11

Paſtor.

Paſtor ouium & agnorum Chriſti, ſolus Petrus dicitur & nullus præterea Apoſtolus. pag. 26. col. 2. n. 5

Paſtor Paſtorum in quo ſenſu dicatur S. Titus ibidem.

Pater.

Pater Patrum quis dicatur, & cur vnus tantum ſit. p.93.col.2

Pater in filium quam habeat poteſtatem.p.246.col.2. n. 6

Patres Lateranenſes typum examinant.p.49.col.2.ſub fin.

Patres Conſtantinopoli coacti excuſant ſe apud Pontificem à ſuſcipiendo itinere ad vrbem Romam. p.147.col. 1.n.23

Patrum erga Concilia veneratio. p.134.col.1.n.13

Patriarcha.

Patriarcha Conſtantinopolitanus nomen vniuerſalis Patriarchæ ſibi ſumit. p.29.col.1.n.13

Patriarcha quando poſſit cognoſcere cauſas Epiſcoporum, & Clericorum ſuorum ſuffraganeorum? p.346.col.2.n.2

Patriarchæ gentilium. p.183.col. 2.n.10

Patriarchæ nomen à quibus primum inductum. ibidem.

Patriarchæ quinque tantum numerati.pag.188.col.1. n.17

Patriarcharum Alexandrini,& Antiocheni iuriſdictio in ſuis Patriarchatibus. pag.155.col.1.n.20

Patriarchæ Alexandrini, & Antiocheni in iis quæ limites Patriarchalis poteſtatis excedebant, nihil poterant, ſed ad ſolum Romanum ſpectabant, & quænam iſta eſſent declaratur. ibidem.

Patriarcharum trium comparatio cum Præfectis in variis Prouinciis Imperij. p.155.col.2.n.20

Patriarcharum ſingulorum poteſtatis limites definiti à Conciliis. p.177.col.2.n.24

Patriarchæ apud quos maximè ſolemnes.p.183.col.2. n. 10

Patriarchæ ſumma dignitas apud Iudæos. ibid.

Patriciatus.

Patriciatus ampliatio. p.145.col.1.n.9

Patricij vnde dicti. ibid.

Patriciorum gradus. ibid.

Paulus.

Paulus Chriſtum Theſſalonicæ prædicat. pag. 294. col.2.n.5

Paulus Theſſalonicâ pulſus Berœam venit. ibidem.

Paulus Conſtantinopolitanus damnatus ab Eccleſia Romana & Africana quid moliatur. p.49. col.1. ſub fin.

Paulus quid agat ad ſedandas Corinthiorum factiones. p.295.col.2.n.9

Paulus Galatas increpat, & quare? ibid. numero 10

Paulus Coloſſenſes à quibuſdam auertit. p.296.col.2. n.13

Paulus quam philoſophiam damnet. ibid.

Pauli legatio illimitata erat. p.181.col.2.n.6

Pauli Samoſareni erroris damnatio. pag.39.col.1.ſub init.

Pauliániſta.

Pauliániſtæ & Photiniani. p.277.col.2.n.5

Index Rerum,

Paupertas.

Paupertatis profeſſio non ſemper ad maiorem perfectionem pertinet. p.57.col.2

Paupertas remouens omne dominium tam in communi quàm in particulari. p.55. col.2. quænam ſit Franciſcanis idonea. ibid.

Paupertas aliis rigidior & auſterior non eſt tamen perfectior. ibid.

Paxillus.

Paxillus quomodo interpretetur. p.93.col.1

Pelagius.

Pelagij hæreſis auctoritate Pontificia exciſa. p. 177. col.2.n.23

Perfectio.

Perfectio religioſa quam requirat obedientiam? p. 242.col.1.n.5

Perfectio vt acquiratur alterius directione, & magiſterio opus eſt. ibid.

Perfidia.

Perfidia, atque imperitia Authoris cuiuſdam eius fidem diminuens in interpretationibus & verſionibus. p.223. col.1.n.3

Permiſsio.

Permiſſio differt à diſpenſatione; affertur diſcriminis cauſa. p.340. col.1.n.9

Perturbatio.

Perturbatio oborta in Eccleſia,& vndè.p.149.col.2. n.4

Petrus.

Petrus & Paulus an ſint vnum caput Eccleſiæ. p. 19. col.2.n.37.pag.20.col.1. & 2.n.38.39,& p.21.22. & 23.vſque ad n.44

Petrus & cæteri duplicem poteſtatem habuerunt.pag. 96.col.1

Petrus vnde Cephas appellatus. pagina 141.col.2. n. 2

Petrus & cæteri Apoſtoli ſacram gentiliæ ſuperſtitionem ſectati. p.186.col.2.n.13

Petrus vnde ſic dictus. p.93.col.2

Petro cur dicitur, *Tu es Petrus.* p.142.col.2.n.2

Petri variæ ſedes. p.96.col.2

Petri Lombardi teſtimonium de Romana Sede. p.92. col. 1

Philoſophia. Philoſophus.

Philoſophia praua, & prædatrix deſcribitur. p. 296. col. 2. n.13

Philoſophia impiorum commentorum origo. ibidem.

Philoſophi Hæreticorum Patriarchæ dicti. pag. 297. col.1.n.13

Photinianus.

Photinianorum error. p.277. col.2.n.5

Pipinus.

Pipini præfatio in Concilio Sueſſionenſi habita. p.225.col.1.n.8

Pipinus Rex inauguratur. ibid. diſciplinam Eccleſiaſticam reſtaurat. ibid.

Pipinus plurima circa diſciplinam Eccleſiaſticam gerit.ibid. & col.2

Pipini præfatio in Concilio in Vernopalatio coacto. ibid.

Pipinus Synodum bis in annum cogi iubet. ibidem col. 2.numero 8

Pipino filius Carolus magnus ſucceſſit. p.225. col.2. n.9

Pipinus ordinat legitimos Epiſcopos & ſub qua auctoritate.p.182.col.2.n.8

Placitum.

Placita duo in Gallia bis in anno tenebantur, pagina 226. col.2. n.11. cauſæ quæ in iis diſceptabantur. ibid.

Placita diſtinguebantur à Synodis. pag. 227. col. 1. n. 11

Placitis quæ bis quotannis in Gallia habebantur,Rex aliqua capitula proponebat. pagina 226. col.2.numero 11. Ordo conſeſſus in iis ſeruatus. pag. ſeq col.1.ibid.

Plebanus. Plebs.

Plebanus an poſſit iure excommunicare? p.206. col. 2.n.1

Plebs nimium credula. p.298.col.2.n.1

Pœna.

Pœna exigentibus munera in Synodis, indicta. pag. 216.col.2.n.19

Pœna laxata propter violatos Canones. p.359. col.2. n. 6

Pœna Canonum violatoribus inflicta. pagina 83. col. 1

Pœna diuinitus conſequuta. p.113.col.2

Politia.

Politia Ariſtocratica. p.98.col. 2

Politia & diſciplina Regni quibus rebus temperetur. p.101. col.1

Politia à Chriſto inſtituta. p.97.col.1

Politia omnis quid requirat. p.99.col.2

Polychianus.

Polychiani Presbyteri leuitas & inſania. p.51. col. 2. ſub med. excommunicatur. ibid.

Polygamia.

Polygamia calumnioſè obiicitur Leoni Papæ. p. 45. col.2.n.42

Pontifex.

Pontifex Romanus ſolus abſque conſilio Hæreſes damnat. p.35.col.1.n.20

Pontifex Romanus Primas dictus. pag. 181. col. 2. n. 6

Pontifex an poſſit ex abſoluta poteſtate, auſteriorem regulam Religioſis iam profeſſis indicere. p. 251. col.2. n.8

Pontifex Romanus caput triplicis Eccleſiæ. pag. 96. col. 2

Pontifex quomodo Concilio conſentire teneatur. p.136. col.1.n.17

Pontificis Romani, quatenus eſt Occidentis Patriarcha, iuriſdictionis prorogatio, & limites. p.152. col.2.n.14

Pontifex Romanus retinet ius Patriarchæ Occidentalis in quaſdam Prouincias Orientali Imperio, ex Occidentali ſubductas. ibid.

Pontifex Romanus Occidentis Patriarcha. pag. 152. col.1.n.14

Pontificis Romani duplex iuriſdictio. ibid.

Pontifici Romano ratione capitis,quænam competat iuriſdictio. ibid.

Pontifex quibuſnam Conciliis præfuiſſe dicatur. pag. 215.col.1.n.16

Pontifex cur Chriſti & non Eccleſiæ Vicarius dicatur. p.101.col.1

Pontifex quid poſſit ratione ſuæ ſupremæ Monarchiæ. p.101.col.1

Pontifici Romano quatenus Patriarcha eſt Occidentis,non amplior illi conceditur poteſtas,quam aliis quibuſdam magnarum ciuitatum Epiſcopis.p.146. col.2. n.11

Pontifex

Pontifex Romanus cum cæteris Epiſcopis comparatio quomodò intelligenda ſit. ibid.
Pontifex Romanus diui Petri poteſtatis ſucceſſor eſt. p.23. col.2.n.1
Pontifex Romanus ita eſt ſucceſſor Petri vt ipſe Petrus dicatur. pagina 24. columna 2. numero 2
Pontifex poteſtatem habet verè legiſlatiuam.pag.67. col.1.probatur variis teſtimoniis & vſu ibid.col.2. & p.ſeq.
Pontifex ſummus Eccleſiæ Prouiſor. pag. 35. col. 2. n. 20
Pontifex Romanus longè aliter ſuccedit Patro quàm alij Epiſcopi. pagina 28. columna 2. numero 9
Pontifex Romanus quo iure ſit caput Eccleſiæ. p.28. col.2.n.10
Pontifex Romanus ſolus eſt S. Petri ſucceſſor. p. 29. col.1.n.11
Pontifex nouos articulos fidei non conſtituit in controuerſiis dirimendis ſed tantum declarat quæ ſunt credenda. pagina 41. columna 2. numero 25
Pontifex an in quæſtionibus de facto errare poſſit. p.139. col.2. n.25
Pontifex Romanus in rebus dubiis conſulitur. p.33. col.2.ſub med.
Pontificis Romani non ſolum eſt de periculo monere; ſed etiam malis præcauere. pagina 36. col. 1. n. 20
Pontificis Romani in controuerſiis fidei definiendis poteſtas. p.30.col.1.n.16
Pontificis Romani ſucceſſio vnde probetur? p.24.col. 2.n.2
Pontifex Romanus poteſtne condere ius Eccleſiaſticum, & cur. p.29.col.2.n.15
Pontifex vocatur ſpeculator. p.35.col.2.n.20. vocis Petri, à quo veſtem aurcam fide accepit, interpres dicitur. ibid.
Pontifex appellatur Oecumenicus,pagina 200.col.2. n. 8
Pontifex Romanus vt priuatus homo errori obnoxius eſt. ibid.n.17
Pontificis Romani auctoritas ſuprema in vniuerſam Eccleſiam per omnes ætates clarè oſtenditur. pag. 177. col.2.n.24
Pontificum Romanorum auctoritas in Gallia. pag.87. col. 2
Pontifices intruſi in Sedem. pagina. 54. columna 2
Pontifices Romani maximè ſtudioſi obſeruationis Nicænorum Canonum. pagina 151. columna 1. n.8
Pontifices Romani ſolebant frequentes Synodos Romæ cogere. p.68.col.2
Pontifices vindices Canonum. pagina 357. columna 2. numero 3. item & decretorum Pontificiorum. pagina ſequent. col.2. & pagina 359. columna 1. n.4
Pontifices defenſores fuerunt conſuetudinum Eccleſiarum. p.359.col.1.n.5
Pontifices aliquot falsò ab aduerſariis hæreſi notati. pagina 47. col. 1. numero 27. & columna 2. numero 28
Pontifici quid tribuatur. p.112.col.2
Pontificis Romani officium. pag.72.col.1.& pag.76. col. 1
Pontificum diſſenſiones conciliantur. p.55. col.1
Pontificum Romanorum varia geſta. pag. 85. 86. & 87
Pontificum Romanorum veterum mos, dum ſtatuunt aliquid ad totam Eccleſiam pertinens. pag. 329.col.2.n.11

Populus.

Populus Romanus ius condere, & abrogare ſuo ſuffragio poterat. pagina 309. columna 2. numero 6

Poteſtas.

Poteſtas excellens quænam ſit & in quibus. p. 93. col. 1. & 2
Poteſtas ſuprema Eccleſiæ cui conueniat. pag. 100. col. 2
Poteſtas Eccleſiaſtica quo nomine in Scripturis deſignetur. p.99. col.1
Poteſtas Clauium quotuplex. ibid.
Poteſtas monarchica quorumdam Regum. p. 100. col. 1
Poteſtas ſuprema Regum Galliæ. ibid.
Poteſtas dominatiua in Religioſa communitate ſufficit. p.245.col.2.num.2.3.& 4.& pag. 246.col. 1. & 2.n.5.6.& 7
Poteſtas Pontificia. p.99. col.2. Epiſcopalis & Sacerdotalis. ibidem. triplicis eius poteſtatis neceſſitas. ibid.
Poteſtas neceſſaria ad ius regulare condendum. pag. 249.col.1.n.17
Poteſtas iuriſdictionis. cuiúſnam ſit iuris. p.179.col. 1.n.1
Poteſtas iuriſdictionis an tolli,minui,aut augeri poſſit ſemel collata ab Eccleſia? pagina 179. col.2. n.1
Poteſtas diſpenſandi delegata quotuplex ſit. p. 344. col.2. n.1
Poteſtas diſpenſandi delegata eſt ſtricti iuris. ibid. n. 2
Poteſtas diſpenſandi eſt odioſa, ac proinde reſtringenda. ibid.
Poteſtas D.Petro conceſſa eleganter deſcribitur. pag. 30.col.1.n.1
Poteſtas irritatiua voti Religioſi in Prælato vnde oriatur. p.246.col.1.n.6
Poteſtas ordinaria,& delegata. pagina 343.col.2
Poteſtas ordinaria diſpenſandi quid ſit. p.343. col.2. n. 1
Poteſtas in criminibus occultis à Concilio Tridentino Epiſcopis facta quomodo intelligenda ſit? 345. col.1.n.4
Poteſtas regitiua totius Eccleſiæ. pagina 94. columna 1
Poteſtas à populo principi ſemel tranſlata reuocari non poteſt. pagina 309. columna 1. n. 3
Poteſtatis ſupremæ partitio ex Ariſtotele. p.336. col. 1.n.7
Poteſtas iuriſdictionis ad perfectam Religioſam communitatem neceſſaria eſt. p.246.col.2.n.7
Poteſtas iuriſdictionis & dominationis in eodem Prælato coniunctæ. p.247.col.1.n.8
Poteſtatem diſpenſandi ſe habere dicenti in foro externo incumbit probare. p.351.col.2.n.9
Poteſtas Tribunitia. p.334.col.2.n.5
Poteſtatis Apoſtolicæ Sedis effectus. p.101.col.2
Poteſtatis Eccleſiaſticæ, & principalis conſenſio. pag. 274.col.2.n.27

Præcentor.

Præcentor quis dicatur. p.76.col.1

Præfectura.

Præfecturam Romanam inter & Præfecturas alias Imperij diſcrimen. p.154.col.2.n.19
Præfecti Romæ iuriſdictio. ibid.

Index Rerum,

Præfectus.

Præfectis Prætorio ſola cura militarium ſtipendiorum relicta. p.145.col.1.n.9

Præfectus Prætorio ſubleuatur creatis multis Magiſtratibus. ibid.

Præfecti Prætorio quatuor inſtituuntur, quorum curæ Imperium vniuerſum committitur. ibidem.

Præfectis prætorio quatuor iam creatis, quintus adiicitur à Iuſtiniano. ibid.

Præfecto Prætorio Galliarum quænam fuerit ſedes controuertitur. pagina 145. columna 2. numero 9

Præfecturarum Prætorio partitio facta à Conſtantino in diuerſa Prouinciarum corpora. ibidem numero 10

Præfecti Prætorio morientis ſedes. p.145.col.2.n.9

Præfectis Prætorio alij Magiſtratus ſubditi erant.pag. 145.col.2.n.9

Præfectus Prætorio quis eſſet.pagina 144.columna 2. n. 8

Præfecti Prætorio munus. ibid.

Præfecti Prætorio à quónam inſtituti. ibid.

Præfecti Prætorij in ſummo gradu erant. ibid.

Præfectus Prætorio Imperij Pater appellatus. ibidem.

Præfecti Prætorio poteſtas Imperatori cœpit eſſe ſuſpecta. ibid.

Præfectus Romæ ſacri Auditorij cognitor vocabatur. pag.155.col.1.n.19

Prælatio.

Prælatio Vicarij Chriſti. p.94.col.1

Prælatus.

Prælati quandónam poſſint noua ſtatuta indicere Religioſis. p.252.col.1.n.9

Prælati inferiores an poſſint diſpenſare in legibus ſuperioris non reſeruatis? pagina. 345. columna 1.n.1

Prælati varij.pag.247.col.1.n.10.& col.2.num.11.& pag.248. col.1. n.12. eorum iuriſdictio pag. 248. col.1.& 2.n.13

Prælatorum Eccleſiæ inæqualitas quare inſtituta? p.187.col.1.n.15.& col.2.ibid.

Prælatorum Eccleſiaſticorum legatio limitata. p.181. col.2.n.6

Prælatorum regularium tria ſunt genera. pag. 251. col.1.n.6

Prælatorum Eccleſiæ inæqualitas. pag. 184. col. 2. n.11.& 185.col.1.ibid.

Prælatus alius, quam Epiſcopus,quo iure excommunicare poſſit. pagina 239. columna 1. numero 6

Præpoſitus.

Præpoſitus generalis religioſus,an poſſit leges nouas ſupra veterem regulam ferre.pag.251. columna 1. n. 7

Prærogatiua.

Prærogatiua prima diui Petri circa magiſterium. pagina 9.& ſequent. col.2. num.8.9.10.11. & 12. ſecunda, ſit fundamentum Eccleſiæ; & Chriſti verba explicantur.p.10.& ſequent. col.2.n.13.14. 15.16. & 17. quomodo alij Apoſtoli ſint fundamenta.pag.12.col. 1. n. 18. Tertia Petri prærogatiua eſt,quòd dentur ei claues Eccleſiæ ibidem. & pag.ſeq.col.2.n.19.20.21. & 22

Prærogatiua quarta conceſſa D. Petro eo quod conſtituitur vniuerſæ Eccleſiæ paſtor. p.13. & ſeq.col. 2.n.23.& 24

Præſcriptio.

Præſcriptio ex beneficio legis tantum vim habet. p.309.col.2.n.4

Præſcriptionis ius quale. pag. 305. columna 2. numero 21

Præſentia Spiritus ſancti in conciliis generalibus. p.133.col.2.n.11

Præſentia Chriſti in Euchariſtia. pagina 133.columna 1.n.9

Præſes, Præſidentia.

Præſidum Eccleſiæ poteſtas. pagina 132. columna 1. n. 8

Præſidentia Pontificis Romani per ſe, vel per ſuo legatos, in Conciliis œcumenicis. pag. 124. col. 2. n. 23

Præſidentia Cæſarienſis Epiſcopi poſthabito Hieroſolymitano. pagina 150. columna 2. numero 8

Præſidentiæ argumentum in Conciliis quódnam? p.120.col.1

Prætorium.

Prætorium quid eſſet? pagina 144. columna 2. numero 8

Presbyter.

Presbyteri aut Diaconi in Synodis ſubſcribentes legationis ſibi commiſſæ mentionem faciebant. pag. 220.col. 2.n.27

Primas.

Primas quis dicendus? pagina 180. columna 1. numero 3

Primas antiquitate ordinationis. pagina 180. col. 2. n. 3

Primas quis in vulgatiori ſignificatione. ibidem numero 4

Primas olim Metropolitano præerat. ibid.

Primatis nomen non quibuſcumque Epiſcopis deferendum. ibid.

Primatum tria genera. ibid.n.5

Primates ſecundarij Patriarchæ dicti. pag.188. col.2. n. 19

Primates, vel Patriarchæ in quibus ciuitatibus collocarentur. p.185.col.2.n.13

Primates ad quid inſtituti. pagina 185. columna 1. n. 12

ad Primatis dignitatem quid exigatur.pag.181.col.1. n. 6

Primates nulli erant in toto Patriarchatu Antiocheno,neque in Alexandrino. pagina 181. col. 1. numero 6

Primatis ſignificatio ab Auctore accepta.p.181.col.2. n. 6

Primatia.

Primatia Hieroſolymitanæ Eccleſiæ. pag. 29. col. 1. n.11

Primatus.

Primatus, vox hæc quid ſignificet aliquando. p. 179. col.2.n.3

Primates quinam dicti. ibid.

Primatus valde differt à Vicariatu Sedis Apoſtolicæ. p.189.col.1.n.22.

Primatus Senonenſis Eccleſiæ male colligitur. ibidem.

Primatus Lugdunenſis controuertitur, ſed lis in eius fauorem definita eſt. pagina 190. columna 1. numero 23

Primatus Arelatenſis in Viennenſem, Narbonenſem primam & ſecundam.pagina 82.columna 2. & 83. col.1

Primatus D. Petri cuius iuris ſit. p. 100. col. 2. & pag. 101. col. 1
Primatus Lugdunenſis priuilegiorum confirmatio, & in contra-obtrectantes lata ſententia. p. 190. col. 1. n. 23
Primatui Lugdunenſi conceſſa priuilegia in Concilio œcumenico approbantur. ibid.
Primatus Lugdunenſis quid cauſæ fuit? ibidem. col. 2
Primatus & præſidentiæ iura. pag. 116. col. 2. & 117. col. 1. & 2. nota. ibidem.
Primatus B. Petri. p. 98. col. 1
Primatus Metropolitici aliquarum Eccleſiarum. pag. 143. col. 1. n. 5
Primatus affectati origo. p. 197. col. 1. n. 2
Primatus ciuitatis Bituricenſis excutitur à Narbonenſi Epiſcopo. p. 189. col. 1. n. 21. item à Burdigalenſi. ibid.
Primatus perpetuus in quatuor prouincias Epiſcopo Lugdunenſi confirmatur. pag. 189. col. 2. n. 23
Primatus Lugdunenſis ſuper quatuor Prouincias vnde ortum habuit? ibid. antiquiſſimus eſt in ordine Eccleſiaſtico. ibid.

Princeps.

Princeps ſubditorum commodis prouidere tenetur. p. 336. col. 1. n. 6
Princeps an ſolus poſſit ſuâ auctoritate mutare, antiquarêque receptas conſuetudines? pag. 324. col. 1. n. 3
Princeps tenetur conſuetudines ſeruare, & quas. pag. 322. col. 2. n. 4
Princeps ſupremus in propriis legibus diſpenſans etiam ſine cauſa, validè diſpenſat. pag. 351. col. 2. n. 10
Princeps Laïcus an queat imperare Epiſcopis in rebus Eccleſiaſticis. p. 114. col. 2
Princeps Laïcus non poteſt præſidere Synodis. p. 115. col. 1. & 2. & p. 116. col. 1
Princeps multa ſtatuere poteſt in ſuo ſtatu contra ius gentium, humanum, non naturale. pag. 312. col. 2. n. 15
Principes Franci Canonum defenſores. p. 272. col. 1. n. 22
Principum leges reſcindendæ vbi ſacris Canonibus contrariæ. p. 273. col. 2. n. 16
Principes tutores acerrimi Canonum, & legum Eccleſiaſticarum. p. 275. col. 2. n. 30
Principes indicunt aliquando Concilia. p. 106. col. 2. n. 1
Princeps non fert propriè leges Eccleſiaſticas. p. 263. col. 2. n. 3. & pag. 264. & 265. per tot.
Princeps non facit nouum eius Eccleſiaſticum. pag. 264. col. 2. n. 6. & 266. col. 1. n. 8
Princeps eſt tutor Canonum. p. 266. col. 1. n. 9. & pag. 267. col. 1. & 2. num. 10. & 11. & pag. 268. col. 1. n. 12
Principes Eccleſiaſticæ diſciplinæ conſulentes. p. 270. col. 1. n. 17
Principes ſupremi ſoli definitores agendorum in ſtatu. p. 336. col. 2. n. 7
Principes laïci quomodo intereſſe dicantur Conciliis. p. 128. col. 1. n. 15
Principes interfuere Conciliis œcumenicis, cur, & quando. p. 262. col. 1. n. 1. *Vide* verb. Concilium, & Synodus.
Principes tuiti ſunt Conciliorum definitiones. p. 263. col. 1. ſub init.

Priſcillianus.

Priſcillianus, & Priſcillianiſtæ. p. 223. col. 1. n. 3

Priuilegium.

Priuilegij definitio. pag. 361. col. 2. n. 1. & 362. col. 1. n. 1
Priuilegij reſcripti formulæ. p. 361. col. 1. n. 1
Priuilegium nullum habet effectum in priuilegiato ante aliquam eius notitiam aut acceptationem. ibid. n. 2
Priuilegium non expirat morte concedentis re integra. p. 362. col. 1. n. 3
Priuilegia onerosa, lucratiua, & per modum contractus ſubdito conceſſa reuocari non poſſunt à principe. p. 374. col. 1. n. 2
Priuilegium gratis conceſſum eſt irreuocabile. ibid. col. 2. n. 3
Priuilegia Reſpectæ Abbatiſſæ monaſterio conceſſa. p. 85. col. 2.
Priuilegia quæ ſunt puri fauores qua ratione amittantur? p. 373. col. 1. n. 15
Priuilegia Metropolitarum honorariorum enumerantur. p. 150. col. 1. n. 6. & col. 2
Priuilegia aliis Epiſcopis conceſſa in nihilo, P. Romano quod ad ius capitis Eccleſiæ detraxerunt. pag. 146. col. 1. n. 11
Priuilegia duobus modis per abuſum amittuntur. pag. 374. col. 1. n. 17
Priuilegij effectus vniuerſim duplex eſt. p. 370. col. 1. n. 1
Priuilegium quandónam habeat ſuum effectum in priuilegiato? ibid. n. 2
Priuilegij duplex eſt deſitio. ibidem columna 2. numero 1.
Priuilegium quomodo deſinat deſitione finis. ibid. n. 2
Priuilegium gratuitum non ceſſat deſinente cauſa. ibid. n. 3
Priuilegium non extinguitur cum concedente illud, p. 371. col. 2. n. 7
Priuilegium an alicui in proprium fauorem conceſſum, an in fauorem tertij extinguatur morte concedentis? p. 372. col. 1. n. 9
Priuilegij ceſſatio per renuntiationem priuilegiati, ibid. col. 2. n. 12.
Priuilegium an ſit lex? pagina 362. columna 2. numero 2
Priuilegium an obliget priuilegiatum? ibidem numero 3
Priuilegium cur dicatur conceſſio? pag. 363. col. 1. n. 4
Priuilegium cur dicatur conceſſio ſtabilis? ibidem. n. 5
Priuilegium cur dicatur circa ius commune? ibid. n. 6
Priuilegij materia. ibid. col. 2. n. 7
Priuilegium quiſnam concedere poſſit? p. 364. col. 1. n. 1
Priuilegij quiſnam ſit capax? ibid. n. 2
Priuilegium an ſibi concedat princeps. ibid. numero 3
Priuilegium an pariatur conſuetudine. ibidem. numero 4
Priuilegium quomodo ſit interpretandum. ibid. col. 2. n. 1. regula vniuerſalis. ibid. Caſus ſingulares circa interpretationem priuilegij. ibid. num. 2. 3. & 4. & p. ſeq. col. 1. n. 5. & 6
Priuilegij vſus. p. 365. col. 2. n. 1. & 2
Priuilegiorum variæ diuiſiones. p. 366. col. 1. n. 1. & col. 2. n. 2. & p. ſeq. col. 1. n. 4
Priuilegij formulæ non debent neceſſariò eſſe ſcriptæ, p. 367. col. 1. n. 1

Priuilegiorum variæ formulæ, *ad inſtar*. ibidem columna 2. numero 2.3. & 4. & pag. ſequent.col.1. n.5

Priuilegium conceſſum per communicationem, pag. 368. col.1.n.6

Priuilegium conditionatum, ibidem columna 2. numero 7

Priuilegij formula per modum confirmationis, ibid. n.8

Probatio.

Probatio conſuetudinis. pagina 324. columna 2.numero 4

Proëdrus.

Proëdri quinam. p.188.col.1.n.17

Profeſſus.

Profeſſus regulam collapſam, ſi viribus deficiat ad nouam regulæ inſtaurationem ſeruandam, an cum eo ſit diſpenſandum. pagina 153. columna 1.numero 14

Promulgatio.

Promulgatio an ſit neceſſaria ad conſuetudinem.pag. 302.col.1.n.2. & 3

Promulgatio quid ſit? p.326.col.1.n.1

Promulgatio an ad legis eſſentiam pertineat. ibid.

Promulgatio legis Eccleſiaſticæ Romæ facta,an ſufficiat vt obliget. pagina 328.col.1. numero 6. referuntur ſententiæ. ibid. & quænam ſit conformior iuri, & rationi colligitur ex mente Auctoris. ibid. col.2

Promulgatio legis ſolemnis eſſe debet. p. 326. col.2. n.2

Promulgatio quónam in loco fieri debeat. ibid. n.3. & 4. & pag.ſeq.col.1.n.5

Promulgationis legis locus eſt penes arbitrium Principis. p.326.col.2.n.3

Promulgationis legis locus ſolent Principes deſignare, ita vt ſi extra illum publicetur lex, non obliget ſubditos. p.327.col.1.n.5

Promulgationum legum Imperatoriarum conſuetudo. p.327.col.1.n.5

Propoſitio.

Propoſitio erronea Ægidij Bigolij,& eius damnatio. p.91.col.2

Propoſitionum vniuerſalium proprietates quædam. p.133.col.1.n.9

Protothronus.

Protothroni quinam. p.188.col.1.n.17

Prouincia.

Prouincia quæ duos Rectores politicos accipiebat, duos quoque Epiſcopos habebat Metropolitas. p.149.col.2.n.4

Prouincia Lugdunenſis in quatuor Prouincias ſecta eſt. ibid.

Prouincia Lugdunenſis quatuor accepit Archiepiſcopos,& quinam illi ſint declaratur. ibid.

Prouincia-Gyallia ſola Italiæ Regno relicta.pag.224. col.1.n.7

Prouincia Arelatenſis in duas diuiditur. p.222.col.2. n.2

Prouinciæ Cæſaris appellatæ.pagina 142.columna 2. num.3

Prouinciæ Conſulares & Prætoriæ.pagina 142.col.1. n. 3

Prouinciæ Diœceſis Ponticæ quot.pagina 146.col.1. n.10

Prouinciæ Diœceſis Aſianæ. ibid.

Prouinciæ Diœceſis Orientalis. ibid.

Prouinciæ ſeptem Galliarum quænam eſſent. pagina 222.col.1.num.2

Prouinciæ ſex ſubductæ Antiochenæ Sedi. pag. 150. col. 2.n.8

Prouocatio.

Prouocatio à Sede Romana ad futurum Concilium illicita oſtenditur. p.64.col.2

Prouocatio à Papa ad Concilia nihil auctoritati Romanæ Sedis detrahit. p.61.col.2

Prouocatio ad Concilium generale à definitione ſummi Pontificis in rebus fidei non modo non neceſſaria; ſed & ſæpius inutilis & illicita.pag. 58. col.2.& pag.ſeq.col.1

Prouocationem à Romano Pontifice ad Concilia validiſſimè probatur non eſſe neceſſariam.p.62.col.1

Prudentia.

Prudentia ſumma, & æquitate in legibus ferendis vtendum eſt. p.336.col.1.n.6

Publicatio.

Publicatio ſolemnis quodnam tempus exigat vt in totum aliquod territorium eius notitia diffundatur moraliter. p.332.col.1.n.20

Punitio.

Punitio an ſit actus iuriſdictionis. pagina 245. col.2. n.4

Pyrrhus.

Pyrrhus Monothelitarum hæreſin diſſeminat in Africa. p.48.col.2.num.21. ei acerrimè aduerſatur S. Maximus. ibid.

Pyrrhus bis apoſtata. p.50. col.1. ſub fin.

Pythagoriſta.

Pythagoriſtarum cœtus. p.130.col.1.n.4

Q

Quæſtio.

QVæſtio mota à quodam Monacho Hieroſolymitano in Gallia. p.80.col.1

Querela.

Querela Pontificiorum legatorum in Concilio Chalcedonenſi. p.70.col.1

R

Raphides.

RAphides quid ſint.pagina 209. columna 2. numero 3

Ratihabitio.

Ratihabitio quandónam conceſſa cenſeatur. pag. 39. col.1.n.23

Ratio.

Ratio dicitur anima legis: quomodo id ſit intelligendum. p.326.col.1.n.1

Reclamatio.

Reclamatio Legatorum. p.121.col.2

Regimen.

Regimen domeſticum. p.245.col.2.n.4

Regula.

Regula quandónam Religioſum obligare deſinat. p.252.col.1.n.10

Regula quid? pag.243.col.1.n.12

Regula Monaſtica definitur. ibid.

Regula veræ fidei ſemper illibata. pag. 52.col.2. ſub med.

Regula correctionis. p.131.col.1.n.6

Regula fidei quæ ſit & in quo. p.97.col.2
Regula dignoſcendi Hæreticos. pag.134.columna 2. n. 13
Regulæ conformia poſſunt per modum regulæ imperari.249.col.2.n.2.& 3.& p.250.col.1.num.4.ad Regulam ſpectare dupliciter quidpiam dicitur. ibid. n. 3
Regulæ limites quæ excedunt, per modum regulæ ſtatui non poſſunt. p.250.col.1.n.5
Regulæ Patrum olim in Monaſteriis legebantur.pag. 244. col.1.n.14
Regulæ variæ, & vniuerſales circa priuilegia, & exemptiones. p.387.388.& 389. per tot.
Regulæ Patrum,& Canones Regiæ Pragmaticæ præferuntur. p.150.col.1.n.5
Regulæ ſeruandæ circa reuocationem priuilegij. pag. 374.col.2.n.6.& p.ſeq.col.1.n.7

Relatio.

Relationes quoad diſciplinam Eccleſiaſticam. p. 69. col.1

Relaxatio.

Relaxatio iuris Canonici dupliciter fieri poteſt? pag. 357. col.1.n.2

Religio.

Religiones falſæ ad tres ſpecies reuocantur. p.297. col.1. n.13
Religionum diuerſi fines. p.55.col.2

Religioſus.

Religioſi ſeueriori legi latæ conſentientes,ea obligantur. p.251.col.2.n.7
Religioſorum multitudo, Pontificum curam ad ſe traxit. p.181.col.1.n.15
Religioſorum regulæ ſeueriores multò, & rigidiores ſunt illis quibus vulgus Chriſtianorum obſtringitur. p.384.col.2.n.10
Religioſus non tenetur ad ea quæ ſupra regulam præcipiuntur. p.250.col.2.n.5
Religio quælibet ſuos habet fines. p.250. col.2.n.5
Religioſus ignorans propter ſimplicitatem regulam ſeueriorem,an ea teneatur? p.252.col.2.n.12

Remedius.

Remedius Pipini frater Monachos Romam mittit & quare. p.86.col.1

Renunciatio.

Renunciatio priuilegiati & reuocatio concedentis priuilegium, illud annullant. p.362. col.1.n.4
Renunciatio expreſſa priuilegij quam voluntatem contineat? p.372.col.2.n.13
Renunciatio tacita priuilegij quomodo fieri debeat? p.373. col.2.n.14
Renunciatio implicita quænam ſit? pag. 353. col.1. n. 4
Renunciationem acceptare quis debeat? ibid. col. 1. n. 3
Renunciatio quotuplex ſit? ibidem.

Reſponſum.

Reſponſa Apoſtolicæ Sedis quare mitterentur in prouincias. p.69.col.1

Reuocatio.

Reuocatio priuilegij fit duobus modis, p.374. col.2. n. 4
Reuocatio quædam eſt tacita quoties princeps facit aliquem actum, qui non poteſt ſubſiſtere, niſi alicui priuilegio vel adæquatè, vel inadæquatè derogет. ibid.n.5
Reuocatio priuilegij à quo fiat. p.374.col.1.n.1

Rex.

Regis Aragonum auctoritas in legibus condendis. p.334. col.2.n.5
Reges Galliæ in ſuis legibus condendis aliquid Romani moris retinent. pag.335.col.2.n.5
Reges Galliæ nullum ius ſpirituale ſibi arrogabant in conuentibus. pagina 227. columna 1. numero 21
Regibus quid commiſſum à Deo. pagina 102. columna 2
Regum Cappadociæ habitatio. pag. 194.columna 2. n. 5
Regum Galliæ ſuprema, & abſoluta poteſtas. p. 335. col.1.n.5
Regum Galliæ erga Pontifices Romanos obſeruantia. p.89.col.1

Robertus.

Robertus Rex, regium conuentum habet in hæreſim Manichæorum. pagina 229.columna 2. numero 13

Rodolphus.

Rodolphus cognomento Mamiſtanus coæquabat ſe Romano Pontifici. p. 29. col.1. n. 12. damnatus, carceri vinctus traditur, ex quo fugiens Romam pertexit, & in patriam reditum parans veneno extinguitur. ibid.

Roma.

Roma ſedes erat Præfecti Prætorio Italiæ. pag. 145. col.2.n.9
Roma Pontifici, orbis Primatum non dedit, ſed Petrus. p.185. col.2.n.12
Roma cur electa à Petro vt foret Sedis locus. ibidem.
Roma iuriſdictione ſpirituali potentior quam ciuili. p.154.col.2.n.18
Romæ cur voluit diuus Petrus ſupremam cathedram collocare. ibid.
Roma Imperium Edom à Iudæis appellata, & quare? p.153.col.1.n.16

Romanus.

Romani Pontificis ſucceſſionis illuſtre argumentum. p.25.col.1.& 2.per tot.
Romanorum conſuetudo in Senatus conſultis & legibus ferendis. p.134.col.1.n.11

Ruffinus.

Ruffini verſio librorum decem recognitionum Clementis damnatur. pagina 168. col.1. num. 26. & col.2
Ruffini interpretatio, adultera multis rationibus oſtenditur. p.178.col.2.n.27

S

Sabbathum.

SAbbathi in Dominicam mutatio ſola traditione conſtat. p.293.col.2.n.6

Sacerdos.

Sacerdotes ſodales Auguſtales nuncupati. pag. 191. col.1.n.25. eorum numerus.ibid.
Sacerdotes à Græcis nominabantur à Prouinciis in quibus præficiebantur. pagina 186.columna 2.numero 13
Sacerdotes Romæ, & Auguſti. pagina 191. columna 1.n.25
Sacerdotes Prouinciæ quinam. p.186. col.1.n.13
Sacerdotum Prouinciæ electio. ibid.

Sacramentale.
Sacramentale quid ſit ? p.317.col.2.n.1
Saducæus.
Saducæi gloriabantur de Maiorum inſtitutis dubitare. p.298.col.2.n.1
Satisfacere.
Satisfacere ex condigno an poſſit vnus pro alio ? p.258.col.2.n.10
Saturinnus.
Saturinnus Arelatenſis Sede ſua deponitur, & cur ? p.221.col.2.n.2
Scandalum.
Scandala exorta ob vocum nouitates circa fidem. p.48.col.1
Schiſma.
Schiſma conflatum à Meletio, & quare. p.151.col.2. n.11
Scot.
Scot acceptationes. p.314.col.2.n.3
Scotatio.
Scotatio quid ſit, & quomodo fieret. pag.314.col.1. n.3
Scotationis formula. p.314.col.1.n.3
Scriptura.
Scriptura ſine traditione ſufficiens non eſt. pag. 292. col.2. n.2
Scripturæ ſacræ librorum olim triplex ordo. pag. 3. col.1. n.4
Scripturæ codicum veritas vnde conſtet.p.134.col.2. n.13
Scripturarum ſacrarum diſtinctio à traditionibus petitur. p.289.col.2.n.1
Sedes.
Sedes Romana officinæ fabrili comparatur. pag. 34. col.2. ſub finem.
Sedes Romana abſolutum habet Principatum in vniuerſam Eccleſiam. p.35. col.1.init.
Sedis tres à D. Petro conſtitutæ, quomodo ſint vna Sedes. p.154.col.1.n.17.& 18
Sedes Præfecti Prætorio Galliarum Arelatem transfertur. p.222.col.1.n.2
Sedes Præfecti Prætorio Illyrici. pag.145.columna 2. n.9
Sedes Apoſtolica non exequitur,niſi quod vniuerſalis Eccleſiæ probauit aſſenſus. pag.337.col.1.n.8
Sedes cur tres præcipuæ conſtitutæ à Petro ? p.153. col.1.n.16.& col.2
Sedes Epiſcopales Maiorum Ciuitatum vnde ſuam ſortitæ ſint iuriſdictionem in alios Epiſcopos. pag. 201.col.2.n.9
Sedes prima Metropolis quænam dicebatur in Africa. p.180.col.1.n.3
Sedes Romana nunquam errauit. pagina 29. col. 2. n.13
Sedes Apoſtolica Cardo & Caput dicitur omnium Eccleſiarum. p.33.col.2.init.
Sedes Apoſtolica ſolita legatos ſuos ad Synodos œcumenicas mittere. p.24.col.2.n.1
Sedes Romana inuidia laborans apud Orientales.pag. 120. col.1
Sedes Apoſtolica firmamento eſt Epiſcopis. pag. 33. col.2
Sedi Romanæ ex omnibus aliis orbis Eccleſiis cauſæ deferuntur,& quare ? p.153.col.2.n.16
Sedis Romanæ in reliquas primatæ radix, & origo. p.152. col.2.n.14
Sedis Apoſtolicæ Vicarij munus Metenſi conceditur. p.86.col.2
Seguſianus.
Seguſiani, vel Sebuſiani quot agros continerent. pag. 192.col.1.n.29
Senator.
Senatores in Gallia amouibiles ſunt, ſicut & omnes alij Magiſtratus Regni. p.335. cal.1.n.5
Senatuſconſultum.
Senatuſconſulta quomodo facta. p.122.col.2
Senonia.
Senonia,vrbs Galliæ nobiliſſima. pagina 189. col. 2. n.22
Senſus.
Senſus communis fidelium de rebus fidei. p.65.col.2. & pag.ſeq.col.1
Senſus Eccleſiæ Gallicanæ de Romani Pontificis auctoritate vnde petendus. p.71. col.2
Sententia.
Sententia cuiuſdam volentis Monothelitas cum Catholicis conciliare, exploſa. pag. 51. columna 2. circa fin.
Sententia Duvallij. p. 107.col.1.n.2
Sententia lata in Senonenſem Epiſcopum, obedientiam primatui Lugdunenſi renuentem. p. 190.col. 1.n.23
Sententia Epiphanij circa Meletium ſuſpectæ eſt fidei. p.151.col.2.n.11
Sententia contra fiſcum nulla eſt abſente Procuratore.p.238.col.1.n.5
Sententia diui Auguſtini de baptiſmo excuſatur.pag. 134.col.2.n.13
Setentiæ prouiſionales. p.63.col.2
Seuerinus.
Seuerinus Papa à miniſtris Imperatoriis vexatur. pag. 48.col.2
Similitudo.
Similitudo Eccleſiæ militantis cum triumphante quid exigat. p.94.col.1
Simoniani.
Simonianorum fallacia. pagina 296. columna 2. numero 13
Societas.
Societates monaſticæ. pagina 256.columna 1.numero 4
Socrates.
Socratis erroris cauſa. p.194.col.1.n.3
Socratis error emendatur. p.193.col.1.n.5
Sors.
Sors pro Regno accipitur. pagina 224. columna 2. n.8
Spiritus.
Spiritus ſanctus quænam de nouo Apoſtolos docuerit. p.133.col.1.n.10
Spiritus ſancti laudatio in Conciliis. pag.134. col.1. n.11
Spiritus ſancti deductoris gratia quibus promiſſa. p.133.col.2.n.10
Spiritus ſapientiæ & intellectus quis dicatur. pag.96. col.1
Spiritui ſancto quid attribuatur. pagina 112. columna 2
Splendor.
Splendor in Patriarchali throno apparens. pag. 132. col.2.n.8
Status.
Status monarchici ratio. pagina 138. columna 2. n. 20
Status Papalis à quo inſtitutus. p.97.col.1

Status Epiſcopalis. p.97.col.1
Status quæſtionis circa conciliorum generalium conuocationem. p.106. col.2.n.1

Stephanus.

Stephani V I. aliter V I I. furor in Formoſum iam demortuum. p.54.col.1.circa med.

Subreptio.

Subreptio duobus modis contingit. pag.354. col. 1. n. 1
Subreptio quandónam tacendo fiat. ibid.n.2. & 3.& p.ſeq. col.1.n.4.5.& 6

Subſcriptio.

Subſcriptio Legati Pontificij Synodo.pag.123.col.2. n. 20
Subſcriptiones variæ in Synodis adhibitæ.p.219.col. 2. n. 27
Subſcriptiones abſentium in Synodis quomodo fiebant. ibid.
Subſcriptionum ordo in Synodis. pag.220.col.1.numero 27
Subſcriptio Epiſcopi in Synodis fiebat nulla facta mentione legationis illi commiſſæ & quare. ibidem.

Suburbicaria.

Suburbicaria quæ ſint ex Ruffino. pag. 179. col. 1. n. 27

Succeſſio.

Succeſſio Pontificis Romani quid includat. pag. 24. col.2.n.3

Superior.

Superior poteſt validè diſpenſare ſine cauſa iuſta in legibus inferioris. p.352.col.1.n.11
Superior in Eccleſia cur eſſe debeat. pagina 94. columna 1
Superior poteſt ſecum diſpenſare.pag.339.col.1.n.3. & 4
Superior cur poſſit ſecum diſpenſare? ibid.n.5
Superiorem poſſe ſecum diſpenſare non repugnat iuri naturali. p.340.col.1.n.6
Superior an poſſit damnatum ab inferiore abſoluere inuito inferiore. p.347.col.1.n.7

Synagoga.

Synagoga & Eccleſia an idem ſignificent. pag. 130. col. 1.n.4

Synodus.

Synodus Aquiſgrani conuocatur. pagina 80. columna 1
Synodus Nicæna in cauſa Iconomachiæ conuocatur. p.113.col.2.n.16
Synodus in Neſtorium coacta. p.122.col.2
Synodus Arelatenſis coacta in cauſa Donatiſtarum. p.223.col.1.n.3
Synodus Laodicæna an fuerit prior Nicæna. p. 277. col.2.n.5.quas prouincias obligauit. pag.ſeq.col.1. ibid.
Synodus apud Chariſiacum ad Ludouicum Germaniæ Regem ſcribit,& quare. pag.230. columna 2. n. 14
Synodus Turonibus celebrata. pagina 81. columna 1
Synodus nulla per octoginta annos in Gallia conuocatur. p.224.col.2.n.8
Synodus Epheſina prima. 119. col.1. cur plures legati ad eam miſſi. ibid. diſcrimen erat inter illos, ibid.
Synodus Epheſina ſecunda, cuius artibus conuocata pagina 119. columna 2. latrocinium appellata. ibid.
Synodus ſexta contra Monotelitas. ibid.
Synodus generalis Conſtantinopolitana conuocatur. pagina 112. columna 1. eius acta. ibidem.
Synodus Agath. pag.112.col.1. cuiuſnam iuſſu conuocata. ibid.
Synodus Vvormatienſi. pagina 80.columna 2. quandónam habita fuerit,ſub quo Pontifice, & Rege. ibid.
Synodus Pontigonenſis in Gallia celebrata. p.54.col. 1.ſub init.
Synodus Matiſconenſis. pagina 182. columna 2.numero 8
Synodus ſui decreti confirmationem per artem à Pontifice conatur extorquere. pagina 197. col. 2. n. 3
Synodus Arelatenſis coacta in cauſa Chelidonij. pag. 77. col.1
Synodus habita contra Quartodecimanos. p. 192. col.1.n.30
Synodus Chalcedonenſis IV. conuocatur. p.111.col. 2.n.13
Synodi Chalcedonenſis V. acta. ibid.
Synodus Francofordienſis. p.227.col.1. n.11. refertur eius Canon.1.ibid.
Synodus Epheſina vniuerſalis Neſtorium, & Cæleſtium damnat. p.329.col.2.n.10
Synodus Laodiceæ habita. pagina 277. columna 1. n.5
Synodus Arelatenſis. pag.76. col.2. ad quid coacta & quando. ibid.
Synodi Prouinciales neglectæ Epiſcoporum oſcitantia. p.217.col.1.n.21
Synodi Prouinciales olim frequentes fuere in Gallia. p.217.col.2.n.21
Synodus Retenſis quo anno habita. ibid.
Synodi Arauſicanæ conuocatio. ibid.
Synodorum locus. pagina 218. columna 1. numero 22
Synodorum materia quænam? ibidem numero 23
Synodus congregata aduerſus Photium. pagina 120. col. 1
Synodi nullæ coguntur per aliquot tempus in Galliis, & quare? pagina 223. columna 2. numero 4
Synodus Agathenſis, quo tempore habita. p. 223 col.2. n.5
Synodorum non œcuminicarum diuerſitas vnde orta. p.201.col.2.n.1
Synodorum non œcumenicarum, magna tamen auctoritas. p.202.col.1.n.1
Synodi Patriarchales quales ſint. pag. 202. col. 1. n. 1
Synodus Patriarchalis Antiochena Arriana quandónam primum indicta. pagina 202. columna 1. & 2.numero 2. & pagina ſequent. columna 1. numero 3
Synodi Patriarchales frequentes. pag.203.col.1.& 2. n.4
Synodi Prouinciales vnde omiſſæ. ibidem & columna 2
Synodi Epiſcopales quandónam haberi debeat? pag. 207.col.1. n. 2
Synodis Epiſcopalibus quínam adeſſe debeant. ibid. n. 3
Synodorum Epiſcopalium habendarum modus. ibid. n. 4

Synodorum Epiſcopalium obligatio. ibid.n.5
Synodus in vniuerſum quid ſit? ibidem columna 2. n.1
Synodorum auctor Spiritus ſanctus. p.208. col. 2. n.2
Synodi regiæ. p.225.col.2.n.9
Synodi regiæ ex quibus perſonis conſtarent. p.226. col.1.n.9
Synodus ſecunda quæ in Gallia celebrabatur quotannis, quibus perſonis conſtaret, quo in loco cogeretur, & quid in ea tractaretur? ibid.
Synodi omnes œcumenicæ Orientales cuius auctoritate ſint conuocatæ. p.114.col.2
Synodi Diœceſanæ, regionales & nationales variæ enumerantur.pag.205.col.1.n.4.dictæ ſunt vniuerſales. ibid.
Synodi Diœceſanæ, regionales & nationales rariores in Occidente. ibid.n.5
Synodi Prouinciales quæ. ibidem columna 1. numero 1
Synodorum Prouincialium duo ſunt genera. ibid. & n.2
Synodi Prouinciales à quo indicerentur. p.206.col.1. n.3
Synodi Prouinciales perfectæ dictæ. ibidem. numero 4
Synodorum Prouincialium obligatio. ibidem. n.5. quibus Epiſcopi adeſſe non poterant Vicarios mittebant ſuo loco. ibid.n.6
Synodi Epiſcopales an ſint vera Concilia. ibid.col.2. n.1
Synodi locales quæ. p.141.col.1
Synodi Arelatenſis & Narbonenſis Prouinciæ, conuocationis annus eiuſdemque epiſtola. pag. 81. col. 2
Synodi Epheſinæ indictio. pag. 110. col.2. num.11. Eutychetem damnat. ibid.ordo in ea ſeruatus.ibid. & p.111.col.1
Synodi Epheſinæ & Chalcedonenſis prohibitio de noua Symboli editione quomodo intelligenda. pag.95.col.1
Synodi cuiuſdam abrogatio. p.113.col.2
Synodi vniuerſales auctoritate Pontificis conuocatæ numerantur. pag.109.col.2.n.8.9. & 10. & p.111. & 112
Synodi Gallicanæ quâ ratione conuocarentur à Regibus. p.224.col.1.n.7
Synodi cur expenderent vtrum definitio pontificia conſonaret Scripturis, Canonibus, & Patrum dictis, p.110.col.2
Synodi in Gallia ſine Regis permiſſu non fiebant. p.231.col.1. n.15
Synodi in Gallia quæ definierant mittebant ad Regem, & quare? ibid.
Synodi Gallicanæ à Romano Pontifice indicebantur. ibid.n.16
Synodi Chalcedonenſis approbatio quædam, & definitio reiicitur à Leone Pontifice. pag.150. col. 2. n.8
Synodi Vermerienſis Canon III. refertur. pag.230. col.2. n.14
Synodi Gallicanæ in dubiis Sedem Apoſtolicam conſulebant. p.231.col.1.n.16
Synodus Lugdunenſis prima. pagina 224. col. 1. numero 6
Synodi variæ habitæ in multiplicitate Regnorum Galliæ. p.224.col.2. n.8
Synodorum ceſſatio, plurium malorum origo. ibidem.
Synodi Gallicanæ vbinam conuocarentur. pag. 222. col.1. n.2
Synodi cogendæ tempus. pag. 217. col. 1. num. 20. & 21
Synodi Gallicanæ cuius auctoritate olim cogerentur. p.222.col.1. n.2
Synodus Arelate coacta, & quid in ea geſtum. p.221. col.2.n.2
Synodi Chalcedonenſis acclamatio. p.94.col.1
Synodorum particularium auctoritas. pag.140.col.2. n.1
Synodi œcumenicæ ex codice Canonum iudicabant. ibid.
Synodi Gallicanæ quandónam cœperint? pag. 221. col.2. n.2
Synodis Gallicanis reges aderant. pag.226.col.1.numero 9
Synodis Prouincialibus termini præfixi.p.217.col.1. n. 21
Synodo œcumenicæ quínam intereſſe debeant.p.124. col.2.n.1.ſtatus quæſtionis. ibid.
Synodorum diœceſanarum, regionalium, & nationalium origo. p.204.col.1.n.2
Synodo quínam vt interſint vocentur. p. 211. col. 1. n. 8
Synodo vt interſint vocati, impediti poſſunt ſuo loco delegare. ibid.col.2.n.9
Synodo an poſſint Monachi intereſſe. ibidem numero 10
Synodo an poſſint Laïci adeſſe.pag.212. col.1.n.11. 12.& 13
Synodorum conſeſſus qualis eſſe debeat? ibid.col.2. n. 14
Synodorum acta Græci in multis corruperunt. pag. 219.col.1.n.24
Synodorum Canones conſtituti. pag.219.col.1.n.25. & 26
Synodorum finis, vnio & vnitas Eccleſiæ.p.209.col. 1.n.3
Synodorum perſonæ quæ? p.209.col.2.n.4.& p.210. col.1.n.5
Synodorum capita quæ ſint. pagina 233.columna 1. n. 1
Synodorum ſubſcriptores. pag. 219. columna 2. n. 27
Synodum Sueſſionenſem confirmare non vult Leo, ob varias rationes. p.86.col.2

T

Templum.

Templa Cæſari adhuc viuenti dicata. p. 190. col. 2. n.25

Tempus.

Tempus diuturnum in iure quod dicatur. p.306.col. 1. n.22

Terræmotus.

Terræmotus immanis. p.113.col.1

Teſtimonium.

Teſtimonia inſignia Sedis Apoſtolicæ poteſtatis à p.71.ad 83
Teſtimonium illuſtre dignitatis Pontificiæ. pag. 83. col. 1

Theodoſius.

Theodoſius.

Theodoſij prohibitio. p.134.col.2.n.13
Theodoſij obitus. p.111.col.1. Martianus ei ſubrogatur in imperio. ibid.
Theodoſius legem ſancit, quâ hæreſin Arrianorum exſcindat. p.195.col.1.n.8
Theodoſius ſibi ipſi gratulatur,& quare.p.195.col.1. n. 8

Theſaurus.

Theſaurus Eccleſiæ. p.258. col.2.n.10
Theſaurus Eccleſiæ,quibúſnam meritis conſtet. pag. 259.col.1. n.10

Theſſalonica.

Theſſalonica totius Macedoniæ Diœceſis caput. pag. 188.col.1.n.18
Theſſalonicæ Eccleſiæ poteſtas imminuta eſt,tandémque abolita. p.188.col.2.n.18

Thronus.

Thronus Apoſtolicus. p.94.col.1

Timotheus.

Timotheus quáſnam ſcripturas ab infantia didiciſſet. p.295.col.1.n.7

Titulus.

Tituli probantes Romanorum Pontificum ſucceſſionem. p.27.col.1.n.7
Tituli varij quibus Romanus Pontifex à Patribus exornatur. pag.30.col.2.n.18.& pag.31.& 32.per tot.
Titulus Vicarij Chriſti frequenter vſurpatur à Romanis Pontificibus. p.27.col.2.n.8

Tormentum.

Tormentorum appellatio vnde ducta. pag.133.col.2. n.11

Traditio.

Traditio propriè apud Iuriſconſultos quid ſit. p.298. col.2.n.1
Traditio quid ſit? p.289.col.2.n.1
Traditio duplicis eſt generis. p.290.col.1.n.2
Traditio quomodò doctrina non ſcripta dicitur. ibid. n.1.
Traditione per bis mille annos Religio propagata, & ſeruata eſt. p.292. col.1.n.1
Traditio ſola ſine ſcriptura an ſufficiat. p.292. col.2. n. 1
Traditiones Eccleſiarum vnde petendæ. p.143. col.1. n.5
Traditiones multiplices. p.291.col.2.n.5
Traditionum ſecunda diuiſio. p.292. col. 1. n.6. item variæ earumdem diuiſione ſubnectuntur. ibid.
Traditiones probantur ex ſcriptura. pag. 298. col. 1. n.15
Traditiones rem de fide efficiunt. p. 298. col.1.n.1
Traditionis Apoſtolicæ præceptum. p.72.col.2
Traditionibus Apoſtolicis quomodo vtendum ſit. p.299.col.2. n.6
Traditionum vtilitas, & neceſſitas oſtenditur. p. 292. col.1.n.1.& col.2.n.2.& pag.293.col.1. num.3. 4. & 5
Traditionum diuinarum ab aliis dignoſcendarum modi. p.299.col.1.n.2.3.4.& 5
Traditionum fictitiarum exempla. pag.314. col.1. & col.2.n.3
Traditionum vtilitates aliquot. p. 297.col.1.n.14
Traditionum diuiſio prima. p.291.col.1. & 2. n.3. & 4

Trajanus.

Trajanus nomen quoddam repudiat. p.73.col.2

Tranſlatio.

Tranſlatio Archiepiſcop. Burdigalenſis in Eccleſiam Bituricenſem. p.87.col.1

Tuitio.

Tuitio,& confirmatio Canonum quid ſit.p.263.col.1. n. 1. & col. 2. n. 2. confunditur cum executione Canonum.ibid.
Tuitio, & executio Canonum quomodò differant. ibid.col.2.n.2
Tuitio, & confirmatio Canonum quomodò fieret. p.269.col.1.n.15
Tuitio & confirmatio Canonum in quo conſiſtat. p.268.col.2.n.14

V

Valentinianus.

Valentiniani Imperatoris creatio. pag.277.col.1. n.5

Veſtis.

Veſtis comica. p.209.col.2.n.3

Vicarius.

Vicarij & Legati cathedratici quinam. p. 214. col.2. n.15
Vicarij Pontificij quid poſſint. pag. 234. columna 2. n. 7

Vices.

Vices Pontificis & Pallij vſus Arelatenſi conceduntur. p.87.col.1

Vidua.

Viduæ, & Virgines olim priuatim vitam religioſam degentes. p.242. col.2.n.7

Vigilius.

Vigilij Romani Diaconi ambitio.p.46.col.1.n.44.ad Pontificatum intruditur. ibidem col.2. Pontificatu ſe abdicat. ibidem. ſola ambitione peccauit. ibidem.

Vindicta.

Vindicta diuinitùs immiſſa. p.113.col.1

Vita.

Vita Chriſtiana ad vnicam charitatis perfectionem tendit. p.243.col.2.n.14
Vitæ monaſticæ triplex ratio olim erat in Gallia. pag. 244.col.2.n.14

Vitalis.

Vitalis ſacris interdicitur. p.156.col.2.n.22

Vnitas.

Vnitas fidei per quid conſeruetur,& per quid violetur. p.94.col.1
Vnitas Eccleſiæ. p.152. col. 2. n.15. non pendet ex vnitate Principatuum & Regnorum. ibid.
Vnitatis Eccleſiæ oppoſitio cum veſtimento Achiæ. ibidem.
Vnitas Eccleſiæ ad quid reuocanda.pagina 153.col.1. n. 15

Votum.

Votum Chriſti & Apoſtolorum circa paupertatem. p.55.col.2

Vrbs.

Vrbes quæ quondam fuerunt Imperij ſedes. pag.70. col.2
Vrbs princeps Imperij meridionalis. pag. 153. col.2. n.16
Vrbes matrices quæ dictæ. pagina 142. columna 2. n. 4

Vrſacius.

Synodorum Epiſcopalium obligatio. ibid.n.5
Synodus in vniuerſum quid ſit ? ibidem columna 2. n.1
Synodorum auctor Spiritus ſanctus. p. 208. col. 2. n. 2
Synodi regiæ. p.225.col.2.n.9
Synodi regiæ ex quibus perſonis conſtarent. p. 226. col. 1.n.9
Synodus ſecunda quæ in Gallia celebrabatur quotannis,quibus perſonis conſtaret, quo in loco cogeretur,& quid in ea tractaretur ? ibid.
Synodi omnes œcumenicæ Orientales cuius auctoritate ſint conuocatæ. p.114.col.2
Synodi Diœceſanæ, regionales & nationales variæ enumerantur.pag.205.col.1.n.4.dictæ ſunt vniuerſales. ibid.
Synodi Diœceſanæ, regionales & nationales rariores in Occidente. ibid.n.5
Synodi Prouinciales quæ. ibidem columna 1. numero 1
Synodorum Prouincialium duo ſunt genera. ibid. & n.2
Synodi Prouinciales à quo indicerentur. p.206.col.1. n.3
Synodi Prouinciales perfectæ dictæ. ibidem. numero 4
Synodorum Prouincialium obligatio. ibidem. n.5. quibus Epiſcopi adeſſe non poterant Vicarios mittebant ſuo loco. ibid.n.6
Synodi Epiſcopales an ſint vera Concilia. ibid.col.2. n. 1
Synodi locales quæ. p.141.col.1
Synodi Arelatenſis & Narbonenſis Prouinciæ, conuocationis annus eiuſdemque epiſtola. pag. 81. col. 2
Synodi Epheſinæ indictio. pag. 110. col.2. num.11. Eutychetem damnat. ibid.ordo in ea ſeruatus.ibid. & p.111.col.1
Synodi Epheſinæ & Chalcedonenſis prohibitio de noua Symboli editione quomodo intelligenda. pag.95.col.1
Synodi cuiuſdam abrogatio. p.113.col.2
Synodi vniuerſales auctoritate Pontificis conuocatæ numerantur. pag.109.col.2.n.8.9. & 10. & p.111. & 112
Synodi Gallicanæ quâ ratione conuocarentur à Regibus. p.224.col. 1.n.7
Synodi cur expenderent vtrum definitio pontificia conſonaret Scripturis,Canonibus.& Patrum dictis, p.110.col.2
Synodi in Gallia ſine Regis permiſſu non fiebant. p.231.col.1. n.15
Synodi in Gallia quæ definierant mittebant ad Regem,& quare ? ibid.
Synodi Gallicanæ à Romano Pontifice indicebantur. ibid.n.16
Synodi Chalcedonenſis approbatio quædam,& definitio reiicitur à Leone Pontifice. pag.150. col. 2. n. 8
Synodi Vermetienſis Canon III. refertur. pag. 230. col.2. n.14
Synodi Gallicanæ in dubiis Sedem Apoſtolicam conſulebant. p.231.col.1.n.16
Synodus Lugdunenſis prima. pagina 224. col. 1. numero 6
Synodi variæ habitæ in multiplicitate Regnorum Galliæ. p.224.col.2. n.8
Synodorum ceſſatio, plurium malorum origo. ibidem.
Synodi Gallicanæ vbinam conuocarentur. pag. 222. col. 1. n. 2
Synodi cogendæ tempus. pag. 217. col. 1. num. 20. & 21
Synodi Gallicanæ cuius auctoritate olim cogerentur. p.222.col.1. n.2
Synodus Arelate coacta,& quid in ea geſtum. p.221. col.2.n.2
Synodi Chalcedonenſis acclamatio. p.94.col.1
Synodorum particularium auctoritas. pag.140.col.2. n.1
Synodi œcumenicæ ex codice Canonum iudicabant. ibid.
Synodi Gallicanæ quandónam cœperint ? pag. 221. col.2. n.2
Synodis Gallicanis reges aderant. pag.226.col.1.numero 9
Synodis Prouincialibus termini præfixi.p.217.col.1. n. 21
Synodo œcumenicæ quínam intereſſe debeant.p.124. col.2.n.1.ſtatus quæſtionis. ibid.
Synodorum diœceſanarum, regionalium,& nationalium origo. p.204.col.1.n.2
Synodo quínam vt interſint vocentur. p. 211. col. 1. n. 8
Synodo vt interſint vocati,impediti poſſunt ſuo loco delegare. ibid.col.2.n.9
Synodo an poſſint Monachi intereſſe. ibidem numero 10
Synodo an poſſint Laïci adeſſe.pag.212. col.1.n.11. 12.& 13
Synodorum conſeſſus qualis eſſe debeat ? ibid.col.2. n. 14
Synodorum acta Græci in multis corruperunt. pag. 219.col.1.n.24
Synodorum Canones conſtituti. pag.219.col.1.n.25. & 26
Synodorum finis, vnio & vnitas Eccleſiæ.p.209.col. 1.n.3
Synodorum perſonæ quæ? p.209.col.2.n.4.& p.210. col.1.n.5
Synodorum capita quæ ſint. pagina 233.columna 1. n. 1
Synodorum ſubſcriptores. pag. 219. columna 2. n. 27
Synodum Sueſſionenſem confirmare non vult Leo, ob varias rationes. p.86.col.2

T

Templum.

Templa Cæſari adhuc viuenti dicata. p. 190. col. 2. n.25

Tempus.

Tempus diuturnum in iure quod dicatur. p.306.col. 1. n.22

Terræmotus.

Terræmotus immanis. p.113.col.1

Teſtimonium.

Teſtimonia inſignia Sedis Apoſtolicæ poteſtatis à p.71.ad 83
Teſtimonium illuſtre dignitatis Pontificiæ. pag. 83. col. 1

Theodoſius.

Theodoſius.

Theodoſij prohibitio. p.134.col.2.n.13

Theodoſij obitus. p.111.col.1. Martianus ei ſubrogatur in imperio. ibid.

Theodoſius legem ſancit, quâ hæreſiu Arrianorum exſcindat. p.195.col.1.n.8

Theodoſius ſibi ipſi gratulatur,& quare.p.195.col.1.n. 8

Theſaurus.

Theſaurus Eccleſiæ. p.258. col.2.n.10

Theſaurus Eccleſiæ,quibúſnam meritis conſtet. pag. 259.col.1. n.10

Theſſalonica.

Theſſalonica totius Macedoniæ Diœceſis caput. pag. 188.col.1.n.18

Theſſalonicæ Eccleſiæ poteſtas imminuta eſt,tandémque abolita. p.188.col. 2.n.18

Thronus.

Thronus Apoſtolicus. p.94.col.1

Timotheus.

Timotheus quáſnam ſcripturas ab infantia didiciſſet. p.295.col.1.n.7

Titulus.

Tituli probantes Romanorum Pontificum ſucceſſionem. p.27.col.1.n.7

Tituli varij quibus Romanus Pontifex à Patribus exornatur. pag.30. col.2.n.18.& pag.31.& 32.per tot.

Titulus Vicarij Chriſti frequenter vſurpatur à Romanis Pontificibus. p.27.col.2.n.8

Tormentum.

Tormentorum appellatio vnde ducta. pag.133.col.2. n.11

Traditio.

Traditio propriè apud Iuriſconſultos quid ſit. p.298. col.2.n.1

Traditio quid ſit? p.289.col.2.n.1

Traditio duplicis eſt generis. p.290.col.1.n.2

Traditio quomodò doctrina non ſcripta dicitur. ibid. n.1.

Traditione per bis mille annos Religio propagata, & ſeruata eſt. p.292. col.1.n.1

Traditio ſola ſine ſcriptura an ſufficiat. p.292. col.2. n. 1

Traditiones Eccleſiarum vnde petendæ. p.143. col.1. n.5

Traditiones multiplices. p.291.col.2.n.5

Traditionum ſecunda diuiſio. p.292. col.1. n.6. item variæ earumdem diuiſione ſubnectuntur. ibid.

Traditiones probantur ex ſcriptura. pag. 298. col. 1. n.15

Traditiones rem de fide efficiunt. p. 298. col.1. n.1

Traditionis Apoſtolicæ præceptum. p.72.col.2

Traditionibus Apoſtolicis quomodo vtendum ſit. p.299.col.2. n.6

Traditionum vtilitas, & neceſſitas oſtenditur. p. 292. col.1.n.1.& col.2.n.2.& pag.293.col.1. num.3. 4. & 5

Traditionum diuinarum ab aliis dignoſcendarum modi. p.299.col.1.n.2.3.4.& 5

Traditionum fictitiarum exempla. pag.314. col.1. & col.2. n.3

Traditionum vtilitates aliquot. p. 297. col.1.n.14

Traditionum diuiſio prima. p.291.col.1. & 2. n.3. & 4

Trajanus.

Trajanus nomen quoddam repudiat. p.73.col.2

Tranſlatio.

Tranſlatio Archiepiſcop. Burdigalenſis in Eccleſiam Bituricenſem. p.87.col.1

Tuitio.

Tuitio,& confirmatio Canonum quid ſit.p.263.col.1. n. 1. & col. 2. n. 2. confunditur cum executione Canonum.ibid.

Tuitio, & executio Canonum quomodò differant. ibid.col.2.n.2

Tuitio, & confirmatio Canonum quomodò fieret. p.269.col.1.n.15

Tuitio & confirmatio Canonum in quo conſiſtat. p.268.col.2.n.14

V

Valentinianus.

VAlentiniani Imperatoris creatio. pag.277.col.1. n.5

Veſtis.

Veſtis comica. p.209.col.2.n.3

Vicarius.

Vicarij & Legati cathedratici quinam. p. 214. col.2. n.15

Vicarij Pontificij quid poſſint. pag. 234. columna 2. n. 7

Vices.

Vices Pontificis & Pallij vſus Arelatenſi conceduntur. p.87.col.1

Vidua.

Viduæ, & Virgines olim priuatim vitam religioſam degentes. p.242. col.2.n.7

Vigilius.

Vigilij Romani Diaconi ambitio.p.46.col.1.n.44.ad Pontificatum intruditur. ibidem col.2. Pontificatu ſe abdicat. ibidem. ſola ambitione peccauit. ibidem.

Vindicta.

Vindicta diuinitùs immiſſa. p.113.col.1

Vita.

Vita Chriſtiana ad vnicam charitatis perfectionem tendit. p.243.col.2.n.14

Vitæ monaſticæ triplex ratio olim erat in Gallia. pag. 244.col.2.n.14

Vitalis.

Vitalis ſacris interdicitur. p.156.col.2.n.22

Vnitas.

Vnitas fidei per quid conſeruetur.& per quid violetur. p.94.col.1

Vnitas Eccleſiæ. p.152. col. 2. n.15. non pendet ex vnitate Principatuum & Regnorum. ibid.

Vnitatis Eccleſiæ oppoſitio cum veſtimento Achiæ. ibidem.

Vnitas Eccleſiæ ad quid reuocanda.pagina 153.col.1. n. 15

Votum.

Votum Chriſti & Apoſtolorum circa paupertatem. p.55.col.2

Vrbs.

Vrbes quæ quondam fuerunt Imperij ſedes. pag.70. col.2

Vrbs princeps Imperij meridionalis. pag. 153. col.2. n.16

Vrbes matrices quæ dictæ. pagina 142. columna 2. n. 4

Vrſacius.

Vrſacius.

Vrſacius,& Valens Arrianorum anteſignani Romam pergunt. p.156.col.1.n.22

Vſus. Non-vſus.

Vsûs definitio traditur. pagina 300. columna 2. n. 1. & pag.301. col.2.n.1

Vſus contrarius valet in priuilegiis negatiuis. p. 373. col.2.n.15

Non-vſus non ſufficit ad conſuetudinem.p.302.col.2. n. 5

Vviclefus.

Vviclefi errores & eorum damnatio. pagina 28. columna 1.numero 9

Vviclefi & Huſſij error. p.91.col.1

X

Xeniolum.

XEniolum quid? p.216.col.2.n.15

Xenoparcha.

Xenoparchi vnde dicti. pagina 210. columna 2. numero 6

F I N I S.

ERRATA.

PAgina 2.col.2.lin. 40. *pertinentes* lege,*pertinentibus*.pag.3.col.1.lin.7.*διατινόνε* lege *διατεινόντα*. pag.3. col.1. lin.15. *Quare in Canonibus nihil de ſymboli habetur, illi Concilio Conſtantinopolitano PP. in Synedi* ,&c. lege, *quare in Canonibus nihil de Ario habetur. III. Concilio Conſtantinopolitano PP. in Synodicis, &c.* pag.3.col.1.lin.19. *anathematiſmos*, lege *anathematiſmis*, p.3.col.1. lin.64. *admittebatur*, lege *admittebantur*, pag.3. col.1.lin.65.*aliquando*,lege *ab aliquibus*,pag.3.col.2. lin. 8. *Quare qui probati fuerunt in indicem ab Eccleſia confectum relati ſunt illi vſque*,lege.*Quare qui probati fuerunt ab Eccleſia,Canonici nominati ſunt, quod in indicem ab Eccleſia confectum relati ſunt, illiſque*.pag.4.col.1.lin.58.*refert*, lege *refertur*,pag.4.col.2.lin.41.*moralibus artefactis*, lege *moralibus, & arte factis*. pag.5. col.1.lin.11. *eod.tit.cap.&c.*lege *eod.tit.in 6.cap.*&c.pag.4.col.2.lin.38.*expoſceret*,lege,*expoſcat*. ibid.lin.39. *datum*, lege,*datur*,pag.6.col.1.lin.12. *nomocanone*,lege,*nomocanone*.pag.6.col.1.lin.16.& *ſapienter enim,obſeruat*,dele,*enim* pag.6.col.2.lin.antepen. *Quaritur*,lege *queritur*. pag.7.col.2. lin.24.*potuerit*.lege, *potuerint*. pag.8.col.2. lin.10.*ſi Proſper*, lege. *Sanctus Proſper*. ibid.lin.12. *lingua*,lege,*linguas*,pag.8.col.2.lin.15.*populo*, lege *populos*.pag.8.col.2.lin.49. *capillos ſponſi*. lege,*capillos,& cincinnos ſponſi*.pag.8.col.2.lin.54.*metall*. lege *metallicu*. p.8.col.2. lin. vltim. *lib.1.Iouin*.lege,*lib.1 in Iouin*.p.9.col.2.lin.antep.*periclitatur*. lege, *periclitabatur*.pag.10.col.1.lin.17.*hom.11*.lege,*hom.21*. p.10.col.1.lin.37. *eam* , lege , *meam*. pag.10. col.2. lin.49. *tibique* lege *vbique*. p.11. col.1.lin.10. *πάρθο*, lege *πάρθον*. ibid.lin.11. *τῷ πάρθῳ*. lege *τῷ παρθένῳ*. pag.11.col.1.lin.45. *iudicatum*,lege,*indicatum*,pag.11.col.2.lin.1.*contentus*,lege,*contextus*,pag.14.col.1.lin.63. *meus*, lege,*meas*. pag.14.col.2. lin.15.*regi*,lege,*regit*.pag.14.col.2.lin.26.*Celleus*.lege *Cellenſis*.pag.14.col.2.lin.41.*ſtabilitas*. lege,*ſtabilita*. pag. 15. col.1. lin. 6.*vt* lege, *vide*. ibid.lin.10.*cap.35*. lege , *cap.vltim*.pag.15.col.1. lin. 11. *aliis*, lege *alios*. pag.15.col.1. lin. 64. *retinuebuntur*, lege *retinebuntur*. p.15. col. 2. lin.16.*fundauit ac Romanam*.lege *fundauit,ac rexit Romanam*.pag.15.col.2.lin.26. *Theſſalonienſes*. lege, *Theſſalonicenſes*. pag.15.col.2.lin.41. *Apoſtlicam*. lege *Apoſtolicam*. pag.15.col.2.lin.55. *aut* lege *ait*. pag.16. col.1.lin.25. *inductus eſt vſus mithia* , lege *indultus eſt vſus mithra*. pag.16.col.1.lin.vlt.*fide*,lege *fidei*.pag.16.col.2.lin.29.*anno* 11. lege *anno Chriſti* p.16. col.2. lin.38.*Sizeneus*,lege *Seleucus*.p.16. col.2. lin.65. *Sinanta*, lege *Sinaita*. pag.17.col.1.lin.50.*magis*.lege *Magus*.pag.19.col.2.lin.53.*primatim*,lege *primatum*. pag.20.col.1.lin.16.*fouebant*, lege, *fouebat*.pag.20.col.1.lin.24.*indicat*,lege *iudicat*.p.20.col.1.lin.39.*fratre ; Lucio verò*,lege, *fratre Lucio Vero*. pag.20.col.1. lin.63. *in Caſarem ſubiectio*,lege,*in Caſarem aſciti ſubiectio*.pag.20.col.2.lin.14 *Melelius*,lege,*Meletius*. pag.20.col.2. lin.22. *Melelius*,lege *Meletius*. pag.20. col.2.lin.35.*prouenitur*,lege *prauenitur*.pag.20.col.2.lin.55.*viuendi*, lege *vniendi*.pag.20.col.2. lin.penult.*ſingul*. lege *ſinguli*.pag.21. col.1. lin.34.*antinomaſticè*,lege *antonomaſticè*,pag.21.col.2.lin.2.*aiij* lege *alij*,pag.21.col.2.lin.61.*Epiſt*,17.lege *Epiſt*.71.pag.22.col.1.lin.5. *Paulum non fuiſſe caput Eccleſia* ,lege *Paulum non fuiſſe cum Petro caput,&c*, pag.22. col.1.lin.7. & 8. *poteſtate, & influxit cogitatio perſpicue* , lege *poteſtate,& influxu perſpicue*.pag.22.col.1. lin.30. *Paguinum*, lege *Pagninum*. pag.22. col.1.lin.61. *Pontifice, & capite vniuerſalis Eccleſia, conſtituto adiunctum fuerit Paul*.lege,*Pontifici,& capiti vniuerſalis Eccleſia conſtituto adiunctum fuiſſe Paulum*. pag.22. col.2. lin. 40. *conſtituum*, lege, *conſtituunt*.pag.23.col. lin.34.*ſi*, lege *ſoli*.pag.23.col.2.lin.27.*cauſa*,lege, *cauſa*. pag.23.col.2.lin.49.*o ſacer verè Chriſtus*, lege, *ô ſacer vertex Chriſtus* pag.23.col.2.lin.62.*quaritur*,lege *queritur*.pag.23.col.2.lin.66.*Hieroſymitanam*,lege *Hieroſolymitanam*,pag.24. col.1. lin.8.*conſultis*,lege *conſulitis*,pag.24.col.1.lin.62. *Agathore*,lege,*Agathone*.pag.24.col.2.lin.19. *commune*, lege, *communione*. pag.24. col. 2. lin.31.*vrgentique*,lege *vngentique*.pag.24.col.2.lin.42. *Ennodro*,lege,*Ennodio*.p.24.col.2.lin.vltima,*Monaſterio*, lege *miniſterio*.pag.25.col.1. lin.48.*ſic*.lege *ſit*.pag.26.col.1.lin.4. *manum*, lege *manuum*,pag.26.col.2.lin.12. *collatam*, lege *collatus*.pag.26.col.2. lin.39. *Iuon.Carr*, lege. *Iuo Carnotenſis*.pag.26.col.2.lin.61. *Aluinus*.lege, *Alcuinus*.pag.27.col.1.lin.33.*quari*,lege *queri*,pag.27.col.1.lin.40. *contento*. lege, *contenti*. pag.27. col.2.lin.9. *eo plenitudines poteſtatis*, lege, *ea plenitudine poteſtatis*.pag.27.col.2.lin.18.*ſaculorum*,lege,*ſaculum*. pag.27.col.2.lin.37. *vide*,lege *vita*.pag.28.col.1.lin.7. *Pij*.lege *qui*. pag.28.col.1.lin.17. *Malder.diſput.3.de Pont.Roman.à cap.12*. lege , *Malder diſputat. 3. de Pont.Bellarm.lib.2.de Pont.&c.* pag.28.col.1.lin.40.*Vvicleti*, lege *Vvicleſi*. pag.28.col.2.lin.vltima.*ſermono Mediolanenſes*.lege, *ſermone ad Mediolanenſes*.pag.29.col.2.lin.10.*Gruniani* lege,*gruniane*. pag.29. col.2.lin.vltima. *extincto defeciſſet*, lege *extincto Petro defeciſſet*.pag.31. col.1.lin.23.*labebat*,lege,*lababat*.pag.31.col.1.lin.35.*δυνάμεν*,lege,*διαύλων*.ibid.*orthodoxa*,lege *orthodoxa*.pag.31.col.2.lin.13.*fraudibus qui*, lege *furibus qui*.pag.31.col.2.lin.28.*depoſitorium*,lege, *depoſitorum*. p.31.col.2.lin.38. *Reſp*.lege, *Romanus*,p.32.col.1.lin.5.*ſic*,lege,*ſiue*. p.32. col.1.lin.36.*Vogilius*.lege,*Vigilius*.pag.32.col.1. lin.58. *nutrici ſugas mammillas noſtris*, lege *nutriri* , *ſugas mammillas noſtras*. pag.32. col. 2. lin.22.*circion*,lege *circino*.pag.32.col.2.lin.31.*partum*,lege *portum*.p.33.col.1.lin.34.*acceſſunt*, lege, *acceſſum*.pag.33.col.1. lin.44. *Sixtus Mariall*.lege *Sixtus IV.Marcellus I.* ibid. *Antiocheueni*,lege *Antiochena*.pag.33.col.2.l.2.*eaque*,lege *eoque*. p.34.col.1.lin.41. *Sabinianum*, lege, *Sabinium*,pag.34.col.1.lin.45.*quod adulterium à legitimo*, lege *quod adulterinum eſt, à &c.* pag.34.col.1. lin.65. *ſuppoſitia* , lege *ſuppoſititia*. pag.34.col.1.lin.vlt.*Eutychel*.lege *Eutychetis*.pag.34.col.2.lin.65.*officina*,lege *officinam*.pag.35.col.1. lin. 37. *pracedere*, lege *pracidere*. pag. 35. col.1.lin.38.*ſenſorum*,lege *ſenſorium*.pag.35.col.2.lin.24.*Reſp*.lege,*Romanum*.p.35.col.2.lin.33. *ὠαλθάιν*, lege *ἀλθαίνει*. pag. 35. col.2. lin.38. *praſidere*,lege *praſides* pag.35.col.2 lin.54. *Epiſcop*.leg.*Epiſtola*.pag.36.col.1.lin.32.*rex*,lege *grex*, pag.36. col.2. lin. 59. *regutum*, lege *regulam*. pag.36.col.1.lin.65.*quarto decim* lege *Quartedecimanos*.pag.36.col.2.lin.18.*Oxomenſem*, lege *Oxonienſem*. pag.36. col.2. lin.38. *Marion*, lege *Marcion*.pag.37.col.1.lin.3.*ne patiantur*,lege,*ne ſe patiantur*.pag.37.col.1.lin.19. *cap.3. Si & Epiph*.lege, *cap. 30 & 51. & Epiphan*. pag.37. col.1.lin.27. *Romam Hyg*.lege *Romam venit*,&c.pag.37. col.1.lin.53. *Panioclius*,lege *Pamelius*.pag.37. col.1. lin.66. *in Cilicia docuit*, lege *in Cilicia,& in Piſidia, &c.*pag 38.col.1.lin.55.*Pophirius*,lege,*Porphyrius* pag.39.col.1.lin 51.*tamet*,lege,*tamen*. pag.42.col.1. lin.21.*& aliis de aliarum*.lege,*& aliis Reſpondeo de,&c.* pag.42.col.1.lin.30. *Anſemus*. lege *Arſenius*, pag.42. col.1.lin.33. *corrigit*, lege *colligit*.pag.42.col.2. lin.28, *dico* lege *duo*. pag.42.col.2.lin.62. *Homonſicum*. lege, *ὁμοιούσιον*. pag.42.col.2.lin.vlt. *Sirmio diſcedere reddidiſſe confeſſionem,&c.* lege *Sirmio diſcederet, cum videret Arianos rumorem ſpargere, ipſum factum Arianum,& negare Filium Patri conſubſtantialem , edidiſſe confeſſionem,&c.*pag.43.col.1.lin.63.*ſubſtituiti*, lege *ſubſtitui*. p.43.col.2. lin.31. *quamvis Societate cum Arianis non hereſis quidem communicatione, & ſocietate ſorderent*.lege,*quamvis ſocietate cum Arianis , non hereſis ipſorum communicatione ſorderent*. p.43. col.2.lin.36. *M.56*. lege *Manuſcripti*,pag.44. col.1. lin.1. *fict*.lege,*fictitij*.pag.44.col.1.lin.14. *ſerie*,lege *ſine*. pag.44.col.1.lin.60. *faciet*,lege *faue*. pag.44.col.1.lin.penult. *Henelici*,lege *Henotici*.pag 44.col.2.lin.9.*Magdeburſenſes*,lege *Magdeburgenſes*. pag 45. col.1. lin.15. *tunc*, lege, *hunc*. pag.45.col.1, lin.22. *eſta*,lege, *Veſta* pag.45.col.2.lin.14. *R. & Leo*.lege, *Reſpondet Leo*, pag.45. col.2.lin.24.*refert*.lege, *infert*.pag.45.col.2.lin.29. *excuſabiliter*, lege *inexcuſabiliter*.pag.45.col.2.lin.58. *damnationem de trium capitulorum*,lege *de damnatione trium*, &c. pag.45. col.2. lin. 61. *Rem*, lege, *Reſpondent*.pag.46.col.1.lin.5.*Bonifacio II*.lege *Bonifacio VI*.pag.46.col.1.lin.penult.*reſtiturum*.lege *reſtituturum*. p.46. col. 2. lin.12. *Patarenſis*,lege *Patarenſi*,pag.46 col.2 lin.14 *ſcriptis indicium*,dele *iudicium*.pag.48.col.1.lin.11.*vnita*.lege *vitiata*. pag.48.col.1.lin.12. *vnica*, lege *vitiata*,pag.48 col.2.lin.37.*que*,lege *quam*,p.49.col.1.lin.3.*Pſalmodiam*,lege *palinodiam*,pag.49.col.1.lin 14. *Byzarena*,lege *Byzacena*. pag.49.col 1.lin.42.*ſeſſ.2*.lege *ſesret.2*.pag.49 col.2.lin.54.*vniuerſa*,lege *inuaſa* .pag.49.col.2.lin 56 *variarum*, lege *variaque*,p.49. col.2. lin.67.*ſuaſit* lege *ſuaſu*.p.50.col.1.lin.11.*ſi* lege *ſancti*,pag.50.col.1.lin.23.*LXVV*. lege *LXXV*. pag.50.col.1.lin.49.*ſeruandus*, lege *ſeminudus*. pag.50.col.2 lin.15.*Concil*.lege *conciliaret*.pag.50.col.2.lin 56.*ſiue*,lege *ſua*. pag 51. columna 1. lin. 2. *nouit*. lege *mouit*. pag. 51. columna 1. lin. 21. *Vvalforidus*. lege *Vvalfridus*. pag. 51. columna 2. lin. 28. *Romano Epiſcoporum*. lege. *Romano trium Epiſcoporum*. pag. 51. col.1.lin.47.*à ſiniſtris Apoſtolica ſedis Petrus Patriarcha conſtantinopolitanus, & Antiochenus Legati , &c.* lege *à ſiniſtris , Apoſtolica ſedis Legati : à dextris,Patriarcha Conſtantinopolitanus,& Antiochenus , Legati, &c.* pag.51.col.1.lin.60. *Aduerſar*.lege, *ab aduerſaria* pag. 52. col.1.lin.31, *Abraham*, lege *abraſum*.pag 52.col.2.lin.66.*auſis*, lege *expanſis*.pag.53 col.1.lin.49.*lectura*,lege *litura*.pag.53.col.2.lin.47.*vitam illius laudem,quam à veteribus,&c.*lege,*vitam illius à veteribus,&c.* pag.53.col.2.lin.53.*diſcedit*, lege *diſcindit*,pag.54. col.2.lin.13. *Pontificum,& ordinationibus,cuius,&c.*lege *Pontificum,& ordinatorum ab eis exordinationibus , & ſuperordinationibus, cuius, &c.* pag.54. col. 2. lin.27.*Eutichins*. lege *Euſtathius*. pag.55.col.1.lin.64.*corrumpente*, lege, *corrumpere*. pag.56. col.1. lin.8. *percinens*. lege *pertinentem*. pag 56. col.1.lin.10.*tale ſit*,lege *tale non ſit*,pag 56.col.1.lin.20.*formauit*,lege *firmauit*. pag 57. col.1. lin. 46. *iam communi* , lege *tam in communi* , pag 58.col.1.lin.12. *Eraſin*.lege,*Eraſmus*. pag.58 col.1. lin.14.*paliandam*, lege, *palinodiam*. pag.58.col 1.lin.39.*dumque*,lege *eumque*. pag.59. col 1.lin.51. *Aquilenſi*, lege *Aquileienſi*.p.59.col.1.lin.antepenult.*praſtierunt*. lege *praſtiterunt*. p.59.col.2. lin.14. *hareticos Synodum*, lege *hareticos,qui Synodum*.pag.60 col.1.lin.42.*ad ipſum ad eumque*,dele ; *ad eumque* pag 60.col. 2.lin.37. *anes*, lege *oues*.pag.61. col 1 lin.7.*docens*, lege,*doceat*,pag.61.col.1.lin.28.*deficiat tua*.lege *deficiat fides tua*.pag.71.col.2.lin.43. *Petri cathedra, & Eccleſiam vnde, &c.* lege, *Petri cathedram,& Eccleſiam principalem,vnde,&c.*pag.71.col.2.lin.45.*Parinema*.lege *Parmenianum*. pag.72.col.1.lin.22. *Hodord*. lege *Elodoard*. pag.72.col.1.li.27.*Lother.& Thebar*.lege *Lotharij,& Teutberga*. pag.72.col.1.lin.38.*interieſſentes*,lege *interiacentes*.pag.73.col.1.lin.11.*lapſeo*. lege,*laceſſito*. pag 73.col.1.lin.45. *Carnenenſis* lege *Carnotenſis*. pag.73. col.1. lin. 68. *Hilſeberto Cenonanenſi*, lege *Hildeberto Cenomanenſi*. pag.73.col.1.lin.vltim.*cinculum*.lege *cingulum* pag. 73.col.2.lin.44.*ſuſceptorem*.lege, *ſucceſſorem*.pag.74.col.1.lin.66 *Faruabius*. lege *Farnabius* pag.75. col.2.lin 51.*imminuta*.lege,*immunita*. pag.76.col.1. lin. 36. *Prunienſis*. lege,*Prumienſis*.ibid lin.37.*fruima in diœceſi Treuienſi*

leg

lege, Prumia in diœceſi Treuirenſi. pag.77.col.1.lin.37. Aranſicanum lege, Arauſicanum.pag.77.col.1 lin.40. Geleſicatmem, lege dedicationem, pag.77.col. 2. lin.20 Aranſicanum, lege, Arauſicanum, pag.78. col 2 lin.21. inepſit, lege, irrepſit pag.78 col.2.lin. penult. Foroiulienſi, lege Foroiulienſi, pag 79.col 1 lin.13. Extenuum, lege, extremum. pag.79.col.1.lin.28 millem, lege mittendum, pag 79 col.1.lin 53 Ebredino, lege Ebreduno. pag 79.col 1 lin.59. capit, lege cœpit. ibidem & in libello contra Libell. contra Alcuinum, lege, & in libello contra Alcuinum. pag.79. col 2 lin.prima, Aleuino, lege, Alcuino, pag 80.col.1.lin 14 Aquiſgraui, lege Aquiſgrani. p 80.col.1.lin.17. Vuormatienſis, & Adabardus, lege Vuormatienſis, & Adalardus. p.80.col 1 lin.37. Megnuſtiacum, lege Moguntiacum. p 80 col 2 lin 16. Vuormatienſi, lege Vuormatienſi. pag 80. col.2 lin.19. Simundus, lege, Sirmundus, pag.81.col.2 lin.6. Entichis, lege, Eutychetis, pag.81. col 2. lin.45 Concilium Remenſe, lege Concilio Remenſi. ibid. lin 46. Indicatum, lege indicto, ibid. lin. 47. Celebratum, lege, celebrato, pag 82. col.2. lin.32. ſeueratorem, lege, ſeueriorem, pag.83 col.1.lin.14 Zozinus, lege Zozimus, pag 83 col.1 lin 31. Neopſytorum, lege, neophyterum, pag 83.col.1. lin 44. Patritoclum, lege, Patroclum, pag.84 col.1.lin.32 Entiche & Dioſor, lege, Eutychi, & Dioſcoro. pag.84.col 1. lin 60 Formilienſi, lege Foroiulienſi. pag. 84. col.1. lin.31. Herculario, lege Herculano. pag 84.col. lin 66. Poſacrem, lege poſcerent, p.84.col.1.lin.66. negatiuam, lege, negandam. p.85.col.1. lin 6. Fœlix, lege Felix, p.85.col.1.lin.24. viſitationem in eius Eccleſia conſtituit, lege, viſitatorem in eius Eccleſia conſtitui. p.85.col. 1. lin. 53. exaltari, lege excitari, p.85 col.2.lin.25. Archidiano Dalmatis, lege, Archidiacono dalmaticarum. p.86.col.1. lin.26. Megnuſtino, lege Moguntino. pag. 86. col.1.lin.30. mutinus, lege emutus, p.86.col.2.lin.30. Progeni, lege Drogeni, pag.86.col.1.lin.62. Ergitrudis, lege, Engeltrudis. pag. 86.col.1. l.63. Bentberga, lege Teutberga, p.86.col. 2. lin.64. Cœnonienſis, lege, Cœnomanenſis, p.87.col.1.lin.29. Burgadilenſis, lege Burdigalenſis. p.87. col.1. lin.37. Lambitum, lege Lambertum, p.87.col.1.lin.40. Verchenſ. lege, Verticenſem. pag.88. col.1.lin. 20. Exemperium, lege, Exuperium, p.89. col.1.lin 42. iagams nihil magis rtitum, lege agamus nihil magis tritum pag 92 col.1.lin.22. verum, lege, vtrum, pag.92.col.2. lin 22. incautiſſimum, lege micantiſſimum. pag.92.col.2.lin.44. Vuicleſij, lege Vuicleſi. p.92.col.2 lin 55. qui, lege quem, p 96.col.1 lin.20. Allioceſem, lege Alliacenſem. pag.97 col.2.lin.57. Arimienſi, lege Ariminenſi, p.98.col.1.lin.20. reperitior, lege reperitur, p.99.col.1. lin.55. Sergij, lege Sextus, p.100.col.2.lin 32. ſenſit, lege ſenſu. p.101 col.2.lin.28. ſerno in vagili, lege ſermone in vigilia, p.103.col.1.lin.26. allendas, lege attendas, pag. 105.col.2.lin.45. ſusferto, lege ſuffecto, p.110.col.1.lin.26. Ceir, lege ceire, p.111.col.1 lin.21. omnem, lege crimen, p.111.col.1 lin. 40. Entych. lege Eutych. p.111.col.2.lin 41. Mapſuerteni, lege Mopſueſteni, p.111.col.2.lin.42. Enthicheti, leg. Eutycheti, p 111.col.2.lin.43. Anathematizamus, lege Anathematiſmus, p.111.col.2.lin.59. Eutychram. tum alius, lege Eutychiani, tum alij. pag.113 col.2.lin. 25. therico, lege throno, p. 113. col. 1. lin.3. diſiicit, & communi, lege diſiici & commiaui, p.113 col 1.lin.21. exhalaratus, lege exulceratus, p.113.col.2.lin.36. Hinc iaculeſſit, lege Huic ſucceſſit, p.113.col 2 lin.44. Carbunenlis, lege carbunculis, p 120 col.2 lin 28 Pelaſiana, lege Pelagiana, p.126 col 1.lin.8 clementia, lege, elementa, p.126 col 1.lin.42. fonerent, lege fauerent, p.127.col.2 l.29. vaie, lege, vait p.127.col 2 lin.30 αουσίοαι, lege, ασυνύεαι, p 127. col.2. lin.40. πολυπραγμεῖν, lege πολυπραγμονεῖν, pag. 127.col.2 lin.41. Bpiſcopus, lege Epiſcopis, p 131.col 1.lin 25 oſtendimur, lege offendimur, p 133. col.1.lin.33. Anitus, lege Auitus. p.134 col 1.lin 56. ſuſpiciunt, lege ſuſcipiunt, p.135 col.2.lin.44. affictibus, lege affectibus, p 146. col.1. lin. 52. oſtenmus, lege oſtendimus. p.153.col 1 lin 13. fingis, lege fingi. p.183.col.1 lin 52. ὑπίτιμ&, lege ὑπέρτιμ&, pag.192.col.1. lin.25. teſti, lege teſtis. p.192.col.1.lin 26 27.31.34. Trinortium, lege Triuortium. p.194 col.1. lin. 30. feriſeri, lege ſcribit, p.200. col 1. lin.38. Hierolymitan, lege Hieroſolymitan p.201.col 1 lin.26. ἀντίγραφα lege ὑπόγραφα, p.210.col.2.lin 35. numere lege munere p 211 col 1.lin.41. Dinenſis, lege Diuionenſis. p.219.col 1 lin 38 eſſe conſtat, dele conſtat. p.220.col 2.lin 4 ſubſcribebunt, lege ſubſcribebant. p.222.col.1.l.46. praterito lege pratorio. p 230 col.1.lin 5. nterioribus, lege anterioribus. p.239.col 1.lin.22. moliti, lege inclita. pag.307.col.1.lin.14. ſertuari, lege ſeruari p.372.col.2.lin.10. priuilegiati, lege priuilegij.

Digitized by Google

lege, *Prumia in diœceſi Treuirenſi*.pag.77.col.1.lin.37.*Aranſicanum* lege, *Arauſicanum*.pag.77.col.1 lin.40.*Geleſicatnem*, lege *dedicationem*. pag.77.col. 2. lin.20 *Aranſicanum*, lege, *Arauſicanum*, pag.78. col.2 lin.21. *inepſit*, lege, *irrepſit* pag.78 col.2.lin. penult. *Foroilienſi*, lege *Foroiulienſi*, pag 79.col 1 lin.13.*Extonum*,lege,*extremum*.pag.79.col.1 lin.28 *millem*,lege *mittendum*, pag 79 col.1.lin 53 *Ebredino*,lege *Ebreduno*.pag 79.col 1 lin.59.*sapit*, lege *cœpit*. ibidem *& in libello contra Libell. contra Alcuinum*, lege, *& in libello contra Alcuinum*. pag.79. col 2 lin.prima,*Aleuino*,lege, *Alcuino*,pag 80.col.1.lin 14 *Aquiſgrani*,lege *Aquiſgrani*. p 80.col.1.lin.17.*Vuormatienſis,& Adabardus*, lege *Vuormatienſis,& Adalardus*.p.80.col 1 lin.37.*Mognuctiatum*,lege *Moguntiatum*. p 80 col 2 lin 16. *Vuormatienſi*, lege *Vuormatienſi*, pag 80. col.2 lin.19.*Simundus*, lege, *Sirmundus*,pag.81.col.2 lin.6.*Entichis*, lege, *Eutychetu*, pag.81. col 2. lin.45 *Concilium Remenſe*,lege *Concilio Remenſi*. ibid. lin 46. *Indicatum*, lege *indicto*, ibid. lin. 47. *Celebratum*, lege, *celebrato*, pag 82. col.2. lin.32.*feneratorem*, lege, *ſeniοriorem*, pag.83 col.1.lin.14 *Zozimus*,lege *Zozimus*,pag 83 col.1 lin 31.*Neopſytorum*,lege,*neophytorum*, pag 83.col.1. lin 44. *Patricoclum*, lege, *Patroclum*,pag.84 col.1.lin.32 *Entiche & Dioſor*,lege.*Eutychi,& Dioſcoro*.pag.84.col 1. lin 60 *Formilienſi*,lege *Foroiulienſi*. pag. 84. col.1. lin.31. *Hercular io*,lege *Herculano*. pag 84.col. .lin 66.*Poſacrem*,lege *poſcerent*, p.84.col.1.lin.66.*negatiuam*, lege,*negandam*.p.85.col.1. lin 6.*Fœlia*, lege *Felix*,p.85.col. 1.lin.24.*viſitationem in eius Eccleſia conſtituit*.lege,*viſitatorem in eius Eccleſia conſtitui*.p.85.col. 1. lin. 53. *exaltari*, lege *exsitari*,p.85 col.2.lin.25. *Archidiano Dalmatis*.lege,*Archidiacono dalmaticarum*.p.86.col.1. lin.26. *Mognuctino*,lege *Meguntino*. pag. 86. col.1.lin.30.*mutinu*,lege *emutuus*,p.86.col.2.lin.30.*Progeni*,lege *Drogeni*,pag.86.col.1.lin.62.*Ergetrudis*,lege,*Engeltrudis*.pag. 86.col.1. l.63. *Bentberga*,lege *Teutberga*,p.86.col. 2.lin.64. *Cœnonionſis*,lege,*Cœnomanenſis*,p.87.col.1.lin.29. *Burgadilenſis*, lege *Burdigalenſis*. p.87. col.1. lin.37.*Lambetum*,lege *Lambertum*,p.87.col.1.lin.40. *Vercheuſ*. lege, *Vetticenſem*, pag.88. col.1.lin. 20. *Exempetium*, lege, *Exuperium*, p.89. col.1.lin 42.*iagams nihil magis rtitum*,lege *agamus nihil magis tritum* pag 92 col.1.lin.22.*verum*, lege, *vtrum*, pag.92.col.2. lin 22. *incautiſſimum*,lege *micantiſſimum*.pag.92.col.2.lin.44.*Vviclctij*,lege *Vvicleſi*.p.92.col.2 lin 55.*qui*,lege *quem*, p 96.col.1 lin.20. *Allioconſem*, lege *Alliacenſem*.pag.97 col.2.lin.57.*Arimienſi*,lege *Ariminenſi*,p.98.col.1.lin.20.*reperitior*,lege *reperitur*, p.99.col.1. lin.55. *Serrijs*, lege *Sextus*, p.100.col.2.lin 32.*ſenſit*,lege *ſenſu*,p.101.col.2.lin.28.*ſeruo in vagili*,lege *ſermone in vigiliis*,p.103.col.1.lin.26. *allendas*, lege *attendas*,pag. 105.col.2.lin.45.*ſusforto*,lege *ſuffecto*,p.110.col.1.lin.26.*Ceir*,lege *coire*,p.111.col.1 lin.21.*omnem*,lege *crimen*,p.111.col.1 lin. 40. *Entych*. lege *Eutych*.p.111.col.2.lin 41.*Mapſuerteni*,lege *Mopſueſteni*,p.111.col.2.lin.42. *Enthicheti*,leg.*Eutycheti*,p.111.col.2.lin.43.*Anathematizamus*,lege *Anathematiſmus*,p.111.col.2.lin.59.*Eutychram,tum alius*, lege *Eutychiani, tum alij*, pag.113 col.2.lin. 25. *thorico*, lege *throno*, p. 113.col. 1. lin.3.*diſiicit,& communi*,lege *diſiici & commiaui*,p.113 col 1.lin.21.*exhalaratus*,lege *exulceratus*, p.113.col.2.lin.36. *Hinc iaculeſſit*, lege *Huic ſucceſſit*,p.113.col 2 lin.44.*Carbunenlis*,lege *carbuneulis*,p 120 col.2 lin 28 *Pelaſiana*,lege *Pelagiana*, p.126.col 1.lin.8 *clementia*,lege, *elementa*,p.126 col 1 lin.42.*fouerent*,lege *fauerent*,p.127.col.2.l.29.*ταῖς*,lege,*ταῖς* p.127.col 2 lin.30 *κοινῶσαι*, lege, *κοινωνῆσαι*, p 127. col.2. lin 40.*πολυπραγμονῶν*,lege *πολυπραγμονῶν*, pag.127.col.2 lin.41.*Epiſcopus*,lege *Epiſcopis*,p 131.col 1.lin 25 *oſtendimur*,lege *offendimur*. p.133. col.1. lin.33. *Anitus*, lege *Auitus*.p.134 col 1.lin 56.*ſuſpiciunt*,lege *ſuſcipiunt*,p.135 col.2.lin.44.*affictibus*, lege *affectibus*,p 146. col.1. lin. 52.*oſtenmus*, lege *oſtendimus*.p.153.col.1 lin.13. *fingit*,lege *fingi*.p.183.col.1 lin 52.*ὑπιτιμ@*,lege *ὑπέρτιμ@*,pag.192.col.1. lin.25.*teſti*, lege *teſtis*.p.192.col 1.lin 26 27.31.34.*Trinortium*, lege *Triuortium*. p.194 col.1. lin.30. *ſeriſeri*, lege *ſcribit*, p.200. col 2. lin.38. *Hierolymitan*. lege *Hieroſolymitan* p.201.col 1 lin.26.*ἀντίγραφα* lege *ὑπόγραφα*, p.210.col.2.lin 35.*numere* lege *munere* p.211 col 1.lin.41. *Dionenſis*, lege *Diuionenſis*. p.219.col.1 lin 38 *eſſe conſtat*, dele *conſtat*.p.220.col 2.lin 4 *ſubſcribebunt*, lege *ſubſcribebant*. p.222.col.1.l.46. *prateritio* lege *Pratorio*.p.230 col.1.lin 5.*nterioribus*, lege *anterioribus*. p.239.col.1.lin.22. *moliti*, lege *inolita*.pag.307.col.1.lin.14 *ſeruari*, lege *ſeruari* p.372.col.2.lin.10.*priuilegiati*, lege *priuilegij*.

Digitized by Google

Digitized [illegible]

Digitized by Google